4c 5

John Adams Library,

IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.

SHELF No.
ADAMS
291.5

John Adams

ADRIANI HEEREBOORD,

Professoris (dum Viveret) in Academia patria Philosophi Ordinarii,

MELETEMATA PHILOSOPHICA;

in quibus,

Pleræque res METAPHYSICÆ ventilantur, tota ETHICA κατασκευαστικῶς ἢ ἀνασκευαστικῶς explicatur, universa PHYSICA per Theoremata & Commentarios exponitur, summa rerum LOGICARUM per Disputationes traditur.

Editio ultima, prioribus multò emendatior; cui, præter sexaginta tres Ethicas atque aliquot Miscellaneas disputationes,

Accedunt

Philosophia Naturalis cum novis commentariis & Pneumatica.

D. K. 95

AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM RAVESTEINIUM, Civitatis & Illustris Scholæ Typographum Ordinarium, M DC LXV.

ADAMS 2-9/.5

Admodum reverendo, atque omnimodâ Eruditione, & Pietate, ac singulari morum Modestiâ, ac Comitate, Spectatissimo Viro,

D. HERMANNO AMYÆ,

Theologo, Philosopho, Philologo,

non è multis,

Ecclesiæ Daventriensis, nunc *Lugduno-Batavæ Pastori* fidelissimo
ac *Doctori* meritissimo;
Amico veteri ac singulari;
per sexennium & semestre
Contubernali gratissimo ac *Convictori* suavissimo,

salutem precatur, & officia sua offert.

A. HEEREBOORD.

ADAMS

Doctißime rerum, Amicorum ſinceriſſime,

QUotiens animum meum ſubit recordatio (ſubit autem ſæpiſſimè) illius temporis, quo, eodem tecto tecti, eâdem menſâ & contubernio excepti, viximus tam diu ac tam unanimiter, totiens novo redditur animus delibitus gaudio: quippe extitit mihi converſatio tua, nunquam gravis, ſemper grata, ob humanitatem, tibi peculiariter innatam, ac ſpeciatim propriam. Certè, nunquam mihi decurrêre dies amœniores, durante vitæ toto meæ curriculo: Aſt (proh dolor) à tuo receſſu, quàm illuxerunt & effluxerunt mihi luces atræ, nebulis & nubibus plenæ, moleſtiis ac afflictionibus refertæ, meris ærumnis & ægritudinibus, tum animi, tum corporis, accumulatiſſimæ: verum! nolo vulnera, nondum obducta, apud te refricare, aut, quæ paſſus ſum tormenta, in ſinum tuum effundere; quia, tu ea non ignoras, quæ univerſus novit orbis: ſed dabit *Deus* his quoque finem. Cæterum, in ſignum amicitiæ, animique, quo ſemper in te fui affectus, *Nomini Tuo*, inſcriptum eo, *offero*, ac *conſecro*, hanc alteram *Meletematum* meorum editionem, tertiâ parte auctiorem, priore. Tu conatus noſtros, eo ſuſcipe affectu, eo excipe animo, quo illos tibi, *Do, Dico, Dedico*,

æternum Tuus,

omni *animo* & *affectu*,

A. HEEREBOORD,

Profeſſ. in Acad. patriâ Leid. Ordinarius.

Lugduni-Batavorum.
Poſtridie Nonas Martias.
Anno 1659.
Stylo Gregoriano.

TITULI
ET
ORDO DISPUTATIONUM
Ex Philosophiâ selectarum.
VOL. I.

Præliminaris I.	*De Substantia.*	Pag. 1
Præliminaris II.	*De Accidente.*	4
I.	*De Persona.*	7
II.	*De Ente infinito.*	10
III.	*De Notitia Dei naturali.*	14
IV.	*De Proprio.*	17
V.	*De Relatione.*	21
VI.	*De Ortu Animæ Rationalis.*	24
VII.	*De Concursu Dei.*	27
VIII.	*De Concursu Causæ Primæ.*	30
IX.	*De Concursu Dei.*	34
X.	*De Concursu Causæ Primæ.*	38
XI.	*De Concursu Causæ Primæ.*	41
XII.	*De Angelis.*	44
XIII.	quæ est secunda, *de Angelis.*	48
XIV.	quæ est tertia, *de Angelis.*	51
XV.	quæ est quarta, *de Angelis.*	55
XVI.	quæ est quinta, *de Angelis.*	58
XVII.	*De Necessitate.*	61
XVIII.	*De Contingentia.*	62
XIX^{næ}	pars prior, *contra possibilem Mundi Æternitatem.*	67
XIX^{næ}	pars posterior, *contra possibilem Mundi Æternitatem.*	71
XX.	*De Scientiæ divinæ Immutabilitate.*	75
XXI.	*De Simplicitate Dei.*	78
XXII.	*De Potentia Dei.*	82
XXIII.	*De Voluntate Dei.*	85
XXIV.	quæ est altera, *de Voluntate Dei.*	89
XXV.	*De Æternitate Dei.*	93

XXVI. *De Immutabilitate Dei.* 96
XXVII. *De Immensitate Dei.* 100
XXVIII. *De Ortu Animæ Rationalis.* 104
XXIX. *De Scientiâ Dei.* 107
XXX. *De Scientiæ divinæ Modo ac Partitione.* 110
XXXI. *De Communicatione Propriorum.* 115
XXXII. *De Abstractione.* 118
XXXIII. *De Bono.* 121
XXXIV. quæ est prima, *de Formis.* 125
XXXV. quæ est secunda, *de Formis.* 129
XXXVI^æ pars prior, quæ est tertia, *de Formis.* 134
XXXVI^æ pars posterior, quæ est quarta, *de Formis*, 137
XXXVII. *De Principiis Corporum naturalium constituentibus ac producentibus.* 141
XXXVIII. *De Definitione Formæ Aristotelicâ.* 146
XXXIX. *De Lege in communi.* 149
XL. *De Lege Æterna.* 152
XLI. *De Lege Naturæ.* 155
XLII. *De Lege Humana.* 158
XLIII. *De Animæ Rationalis Immortalitate.* 161
XLIV. *De Ingenio.* 165
XLV. *De Cognitione.* 168
XLVI. *De Causa Libera.* 172
XLVII. *De Causa Libera.* 175
XLVIII. *De Ente Reali.* 179
XLIX. *De Ente Reali.* 182
L. *De Ente Rationis.* 185

VOL. II.

I. *De Accidentis inhærentia actuali.* 189
II. *De Quantitatis identitate cum Materia.* 192
III. *De Aristotelicâ Summi Boni, & Virtutis definitione, Virtutumque connexione.* 195
IV. quæ est prima, *de Accidentis distinctione à Substantia.* 199
V. quæ est secunda, *de Accidentis distinctione à Substantia.* 202
VI. quæ est tertia, *de Accidentis distinctione à Substantia.* 205

VII. quæ est quarta, *de Accidentis distinctione à Substantia.* 208
VIII. quæ est quinta, *de Accidentis distinctione à Substantia.* 211
IX. *De usu Philosophiæ in Theologia.* 213
X. *De abusu Philosophiæ in Theologia.* 218
XI. *De usu Metaphysicæ in disciplinis aliis, ac præsertim, Theologiâ.* 222
XII. *De Causæ efficientis divisione in Procreantem & conservantem, Emanativam & Activam.* 225
XIII. *De Causa Immanente & Transeunte.* 229
XIV. *De Causa Libera.* 232
XV. *De Causa Efficiente per se & per accidens.* 238
XVI. *De divisione Causæ Efficientis in Principalem & minus Principalem.* 241
XVII. quæ est prima, *de divisione Causæ Efficientis in Primam & Secundam.* 245
XVIII. quæ est altera, *de divisione Causæ Efficientis in Primam & Secundam.* 248
XIX. quæ est tertia, *de divisione Causæ Efficientis in Primam & Secundam.* 251
XX. quæ est quarta, *de divisione Causæ Efficientis in Primam & Secundam.* 254
XXI. quæ est quinta, *de divisione Causæ Efficientis in Primam & Secundam.* 257
XXII. *De divisione Causæ Efficientis in Proximam & Remotam, Totalem & Partialem.* 261
XXIII. *De Causa Finali.* 264
XXIV. quæ est altera, *de Causa Finali.* 267
XXV. *De Subjecto & Adjuncto.* 270
XXVI. quæ est secunda, *de Subjecto & Adjuncto.* 273
XXVII. *De Convenientia & Distinctione.* 276
XXVIII. *De Convenientia præsertim simplici.* 280
XXIX. *De Distinctione Rerum.* 283
XXX. *De Distinctione Rerum.* 286
XXXI. Prima *de Ideis.* 289
XXXII. Secunda *de Ideis.* 291
XXXIII. Tertia *de Ideis.* 294
XXXIV. Quarta *de Ideis.* 296
XXXV. Quinta *de Ideis.* 299
XXXVI. Sexta *de Ideis.* 302

XXXVII.	*De essentiis Rerum æternis.*	305
XXXVIII.	Prima *de Potentia Dei Ordinaria & Absoluta.*	308
XXXIX.	Secunda *de Potentia Dei Ordinaria & Absoluta.*	311
XL.	Tertia *de Potentia Dei Ordinaria & Absoluta.*	314
XLI.	*De Potentia Dei.*	317
XLII.	quæ est altera, *de Potentia Dei.*	320
XLIII.	*Ad Librum 3 Metaphysicæ Aristotelis, Cap. 1. Text. 1 & 2.*	322
XLIV.	*De Primo Cognito.*	327
XLV.	*De Libertate Philosophandi.*	330
XLVI.	*De Encyclopædia.*	334
XLVII.	*De Homine.*	336
XLVIII.	*De Ratione Philosophandi.*	339
XLIX.	*De Rerum materialium naturâ.*	341
L.	*De Compositione Continui.*	343

Appendix quarundam Disputationum.

De Atomis.	347
Contra quaternarium Elementorum numerum, pars prima.	350
Contra quaternarium Elementorum numerum, pars secunda.	353
Contra eundem Elementorum numerum, pars tertia.	355
Contra eundem eorum numerum, pars ultima; *& speciatim de Aëre.*	358
De Rationibus Entium.	361
An vera Philosophia contrarietur S. Theologiæ, & vicissim.	363
De usu Rationis humanæ in Theologia, ac quæstionibus Fidei.	368
An Deus sit thema seu ens universale, an singulare.	373
De Origine ac Progressu Philosophiæ.	378

FINIS.

Disputatio-

Disputationes, quæ in Collegio ETHICO utroque, PHYSICO, & LOGICO, continentur.

I. DE *Ethicæ existentiâ, & à Theologia distinctione.* Fol. 1
II. *De Ethices essentia ac definitione.* 7
III. *De Ethices differentia, divisione, ac usu.* 11
IV. *De summo Bono.* 16
V. *De summo Bono.* 21
VI. *De summo Bono.* 25
VII. *De summo Bono.* 30
VIII. *De summo Bono.* 34
IX. *De summo Bono.* 38
X. *De subjecto seu objecto Ethices.* 42
XI. *De Quæstionibus quibusdam circa intellectum & voluntatem.* 46
XII. *De Quæstionibus quibusdam circa Voluntatis humanæ actus.* 49
XIII. *De Quæstionibus circa objectum voluntatis humanæ.* 53
XIV. *De objectionibus contra voluntatis humanæ determinationem ab ultimo intellectus practici judicio.* 57
XV. *De objectionibus contra voluntatis humanæ determinationem ab ultimo intellectus practici judicio* 62
XVI. *De objectionibus, contra voluntatis humanæ determinationem ab ultimo intellectus practici judicio.* 66
XVII. *De objectionibus contra naturam liberi arbitrii.* 70
XVIII. *De Affectibus in genere.* 75
XIX. *De Affectibus in specie.* 79
XX. *De Affectibus in specie.* 82
XXI. *De Affectibus in specie.* 87
XXII. *De Actionibus, spontaneis, invitis, mixtis.* 92
XXIII. *De Bono & Malo in genere.* 95
XXIV. *De Bonitate, & malitia morali.* 99
XXV. *De Virtute morali.* 102
XXVI. *De Virtute morali.* 106
XXVII. *De Virtute morali.* 109
XXVIII. *De Virtutum moralium divisione, & earum inter se connexione* 113
XXIX. *De Virtutum moralium, connexione an divulsione, æqualitate an inæqualitate?* 117
XXX. *De Virtutum, inter Gentiles & Fideles, seu Paganos & Christianos, discrimine.* 121
XXXI. *De varia divisione Virtutis Moralis, speciatim, de Virtute Heroicâ.* 125
XXXII. *De Virtute Humana* 128
XXXIII. *De Quæstionibus quibusdam circa Fortitudinem.* 131
XXXIV. *De Quæstionibus quibusdam circa Fortitudinem.* 134
XXXV. *De Αὐτοφονία & Duello.* 137
XXXVI. *De Duello.* 142
XXXVII. *De Quæstione, An vim vi repellere liceat, & invasorem occidere* 145
XXXVIII. *De Quæstione, Ob quas res & causas liceat invasorem occidere?* 149
XXXIX. *De Bello.* 152
XL. *De Bello.* 160
XLI. *De Bello.* 163
XLII. *De Bello.* 167
XLIII. *De Quæstionib. circa Temperantiam.* 169
XLIV. *De Quæstionibus quibusdam circa Temperantiam.* 172
XLV. *De Quæstionibus quibusdam circa Liberalitatem.* 177
XLVI. *De Quæstionibus quibusdam circa Liberalitatis extrema, & Magnificentiam.* 179
XLVII. *De Quæstionibus quibusdam circa Magnanimitatem & Modestiam.* 182
XLVIII. *De Quæstionibus quibusdam circa Mansuetudinem.* 185
XLIX. *De Quæstionibus quibusdam circa virtutes ἐμπλήπτους.* 188
L. *De Casibus Moralibus circa Temperantiam.* 192
LI. *De Casibus moralibus circa Liberalitatem.* 196
LII. *De Casibus moralibus circa Liberalitatem.* 200
LIII. *De Quæstionibus variis, ac casibus moralibus, circa Liberalitatem.* 205
LIV. *De Quæstionibus & casibus moralibus circa Magnanimitatem, & Modestiam, & Mansuetudinem.* 209
LV. *De Quæstionibus moralibus quibusdam, circa Mansuetudinem.* 213

LVI. *De*

LVI. *De Quæstionibus Moralibus quibusdam circa Veracitatem, ac speciatim de Mendacio.* 218
LVII. *De Quæstionibus quibusdam moralibus circa Veracitatem, ac speciatim de æquivocationibus, & mentalibus reservationibus.* 221
LVIII. *De Quæstionibus variis Moralibus circa Veracitatem.* 225
LIX. *De Quæstionibus quibusdam Moralibus circa Comitatem & Vrbanitatem.* 229
LX. *De Quæstionibus quibusdam circa Iustitiam universalem.* 233
LXI. *De Quæstionibus quibusdam circa Iustitiam particularem.* 236
LXII. *De Quæstionibus quibusdam circa Iustitiam, Ius, & Injuriam.* 241
LXIII. *De Quæstionibus circa Amicitiam.* 245

Collegii Ethici Disputatio I.

De constitutione Philosophiæ practicæ. Pag. 1
II. *De Summo Bono.* 8
III. *De Summo Bono.* 13
IV. *De Summo Bono.* 17
V. *De Spontaneo.* 22
VI. *De Invito.* 26
VII. *De actionibus Mixtis.* 31
VIII. *De intellectu Practico & recta Ratione.* 35
IX. *De Voluntate.* 38
X. *De Motivo voluntatis.* 42
XI. *De Libero Arbitrio.* 48
XII. *De Affectibus in genere.* 54
XIII. *De affectuum causis & divisione.* 57
XIV. *De virtute in genere, & de Intellectuali in specie.* 61
XV. *De Prudentia.* 64
XVI. *De Virtute Morali in genere.* 68
XVII. *De Virtutis Moralis causis.* 71
XVIII. *De Virtutis Moralis incremento, decremento, opposito.* 75
XIX. *De Virtutis Moralis divisione, & Fortitudinis definitione.* 79
XX. *De Fortitudinis divisione, extremis, & quæstionibus quibusdam.* 82
XXI. *De Temperantia.* 86
XXII. *De Liberalitate.* 89
XXIII. *De Liberalitatis extremis & Magnificentia.* 93
XXIV. *De Magnanimitate & Modestia.* 96
XXV. *De Mansuetudine.* 100
XXVI. *De Comitate.* 103
XXVII. *De Veracitate.* 108
XXVIII. *De Vrbanitate.* 113
XXIX. *De Iustitia Universali.* 118
XXX. *De Iustitia Particulari.* 123
XXXI. *De Amicitia.* 132

Philosophiæ Naturalis Disputatio I.

De Principiis Corporum Naturalium. Pag. 3
II. *De Natura, Causa Efficiente, Fine, Quantitate, Qualitate, & Loco.* 18
III. *De Motu & Tempore.* 27
IV. *De Mundo & Cælo.* 37
V. *De Elementis.* 43
VI. *De generatione & Corruptione.* 49
VII. *De Meteoris.* 55
VIII. *De Mixtione & Temperamento.* 59
IX. *De Anima.* 67
X. *De Anima vegetante.* 71
XI. *De Anima sentiente.* 79
XII. *De Visu.* 87
XIII. *De Auditu, Olfactu, Gustu, Tactu, &c. Sensu interno in genere.* 93
XIV. *De Sensu interno in specie, Appetitu sensitivo, & Locomotivâ.* 98
XV. *De Anima Rationali.* 104

Collegii Logici Disputatio I.

De Philosophia & Logica naturâ. Pag. 1
II. *De Prædicamentis in Genere, & de Substantia in specie.* 2
III. *De Quantitate.* 4
IV. *De Qualitate.* 5
V. *De Relatis.* 6
VI. *De sex Postremis Prædicamentis.* 8
VII. *De Prædicabilibus.* 9
VIII. *De Toto & Parte, Causa & causato in genere.* 10
IX. *De Materia, Forma, Fine.* 12
X. *De Causa Efficiente.* 14
XI. *De Subjecto & Adjuncto.* 15
XII. *De Convenientia & Distinctione.* 17
XIII. *De Oppositione & Ordine.* 18
XIV. *De Interpretatione simplici & composita.* 20
XV. *De quatuor instrumentis cognoscendi.* 21

ADRIANI HEEREBOORD,

AD

Nobiliſs. Ampliſs. Spectatiſs. Dominos, Acad. Lugd. Batav.

CURATORES, EPISTOLA.

Nobiliſſ. Ampliſſ. Spectatiſſ. Domini;

SEPTENNIUM *eſt præter propter, quod* Philoſophiæ Profeſſionem *in Academia veſtra ſuſtineo. Toto illo temporis tractu, nihil prius habui aut antiquius, quam ut Spartam, quam eſſem nactus, ſedulo ornarem, & talentum mihi commiſſum fœnori diligenter exponerem. Cum provincia hæc primum humeris imponeretur meis, ſic ſatis neglecta jacebant (liceat apud vos profiteri quod res eſt) Philoſophiæ ſtudia, & vix exculta. Et rarius diſputabatur & inordinatius. Neſcio, quo infelici fato, fluere retro, & ab aliquo temporis intervallo relabi cœpiſſent res Philoſophicæ. Vltra annum privatus hic vixeram, & Philoſophiæ relapſum, ac ruinam, fere imminentem deprehenderam. Quod, cum vocarer, trepidanti jam animo majorem incuſſit metum. Noveram ætatem, adhuc juvenilem. Noveram vires, & curtam domi meæ ſupellectilem. Noveram oneris ſuſcipiundi, & ob iſtum Philoſophiæ ſtatum, tunc durioris, gravitatem. Noveram longe eſſe difficilius, jam labentes & ruinam minitantes ædes reſtaurare, quam bene poſitas, ſuo loco ſervare. Nolebam tamen deeſſe Academiæ & Vrbi Patriæ operam meam petenti. Sciebam non mihi, ſed aliis me natum. Quare grandi animo, & ſolius Ieſu Chriſti Servatoris mei (quo duce nihil deſperandum) innixus auxilio, atque multorum jam comperta fretus benevolentia, publice* Profitendi *munus aggreſſus tum fui. Cogitavi ſtatim apud me*, quo modo & medio vitæ ac vigori reſtituenda foret jam langueſcens Philoſophia. *Cogitationes meas, Profeſſioni initiandus, in auguſtiſſimo Doctiſſimorum virorum congreſſu, publicè expoſui: &, cum verba ex more recepto de argumento aliquo, auſpicanti mihi eſſent facienda,* De variâ, vario tempore, & variis uſitatâ, ac verâ tandem Philoſophandi ratione, *verba feci. Orationem tunc habitam publicæ luci nunquam expoſui: ejus ſummam nunc ſiſto.*

PHiloſophia à condito fere orbe, orbis fuit: ita per univerſum terrarum orbem vagata eſt, ac Solis inſtar, lucis ſuæ radios quaquaverſum diſperſit. Renaſcente enim mundo, à tribus *Noachi* filiis ac poſteris, diverſis temporum intervallis diffuſa eſt in *Ebræos, Chaldæos, Phœnices, Ægyptios, Æthiopas, Indos, Perſas, Gallos, Celtas, Græcos*, & quicquid alibi mortalium fuit. Univerſa vero, tum *Ebræorum*, tum profana *Gentium* aliarum, *Philoſophia, Barbarica* Græcis dicitur, quod extra Græciam nata ſit atque exculta; ex *Chaldæorum* tamen, *Phœnicum*, atque *Ægyptiorum* ſapientia, *Græcorum* omnis hauſta eſt ac prognata: quicquid enim iſti poſſederunt ex *Ebræorum* ſcholis petierunt, ac multis ſuperſtitionibus & erroribus defœdarunt, & ex ſordidatis hiſce lacunis *Græci* rivos ſuos derivarunt: ad quos cum, maximis laboribus, variis itineribus, diverſis coloniis tranſlata eſt Philoſophia atque traducta, in partes ſtatim abiit diviſa ac ſectas.

Non eſt mihi animus, omnes Philoſophorum inter *Græcos* familias perreptare: quæ maxime inſignes ſunt habitæ, duæ extiterunt, *Ionica & Italica. Italicæ* ſectæ princeps ac caput fuit *Pythagoras Samius*, qui, poſtquam *Samus* patria à *Polycrate Tyranno* eſſet occupata, in *Italia* partem iſtam conceſſit, quæ quod maxime *Græcorum* coloniis eſſet frequentata, magnæ olim Græciæ, nunc *Calabria* tenet nomen, ac Philoſophiam ibi docuit.

Altera

Altera *Græcorum* in *Philosophia* αἵρεσις, *Ionica* fuit appellata, quod in *Ionia* versarentur ejus Philosophiæ Professores: familiam hic ducit *Thales Milesius*, è septem Græciæ sapientibus unus, cui successit *Anaximander*, huic *Anaximenes*, huic *Anaxagoras Clazomenius*, quem audivit *Archelaus*, qui primus ex *Ionia Philosophiam* transtulit *Athenas:* hic *Socrate* gloriatur discipulo: de quo oraculo fuit pronunciatum: Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος. Ex *Socratis* schola ceu ex equo Trojano innumeri prodiêre *Philosophi*; inter eos nominis haud postremi, *Aristippus* sectæ Cynicæ ac Stoicæ, *Plato* vetetis ac novæ Academiæ, fundatores primi. *Platoni* in Academia adhæsit atque in docenda Philosophia successit *Speusippus*, ex sorore nepos; secessionem fecit *Aristoteles*, qui relicta Academia *Peripatum* instituit, ac *Peripatetica* nomen dedit *Philosophiæ*, quod in *Lyceo* deambulando doceret: ἐωπνῷ enim περιπάτῳ doctrinas secretiores ac graviores, δείλινῷ leviores tradebat. Ab hoc *Peripateticorum* Authore, principe, duce, *Peripatetica* Philosophia ortum ac nomen ducit, quæ varia serie, inter *Græcos*, *Arabes*, *Latinos*, ad nostram usque ætatem propagata est, tanto successu, ut nulla hodie, quod sciam, extet *Academia*, in qua non teneat primas, ac vel sola doceatur; quo jure, quave injuria, nunc non est dicendi locus.

Aristoteles Socratem per triennium, *Platonem* per totos unum & viginti annos, diligentissime audivit; in Philosophando hanc ingressus est viam, ut quavis de re contrarias in partes disseteret, *Socratem* ac *Platonem* magni, Veritatem plutis faceret, in quam diligentissime, explorata retum natuta, inquisivit.

Post *Aristotelem* varia exstitit Philosophandi ratio, putior modo, modo impurior, interdum liberior, sæpius adstrictior, ad mentem & placita, non Naturæ, sed τῦ περιπάτυ. Quam semitam in Philosophando tenuit Aristoteles, pauci sunt secuti, ac malus quidam genius ita fere mentes omnium cepisse videtur, ut id pensi tantum habuerint, *Aristotelem* intelligere, non naturam.

Duo fere sunt *Philosophandi* genera; unum, quo ad rerum omnium notitiam pertendunt mortales, altetum, quo non ad *Naturæ* sed Hominis cujuspiam opinionem philosophantur. *Aristoteles* ipsam rerum *Naturam* laudabili conatu invasit, ac liberrime, si quid à prioris seculi Hominibus in exploranda ea atque obsetvanda fuisset erratum, reprehendit atque correxit. Prestit hujus vestigia haud degener discipulus, atque ὁ περιπάτῳ successor *Theophrastus*, qui, quod præceptor in Animalium historia indaganda, idem in Plantarum natura scrutanda, solerti præstitit diligentia: atque ut *Aristotelem*, majorum, vel reverentia, vel scientia, vel authoritas, nihil deterruit, quo minus ab illorum sententia sæpius discesserit, ita nec *Theophrastus* sibi vetitum putavit, diversum sentire à *Præceptore*, sed quo jure in alios *Aristoteles*, hic in *Aristotelem* est usus. Si quid Præceptor falsum, aut rerum Naturæ contratium docuisset, correxit: si quid prætermissum, supplevit. Etenim verissime putavit, solis Naturæ legibus, non Præceptoris opinionibus, mentis suæ contemplationes obstringi. Hunc prædecessorem, *Aristotelis* ac *Theophrasti*, in Philosophando libertatem, & in adornanda rerum Naturalium historia industriam amplexatus est atque secutus, tertius in schola *Peripatetica*, *Strato Lampsacenus*, qui, quod tam strenue in Natura contemplanda operam suam locaret, Physici nomen est adeptus, magnus omnino vir & in multis novus, ita testante *Cicerone l. 5. de finibus*. Extat ejus liber. de *Coloribus*, item alter de *Spiritu*, tot annos inter *Aristotelicos* circumlati.

Atque utinam horum in *Peripatetica Philosophia* triumvirorum tramitem calcassent, sequentis, ac sequioris ævi, Philosophi: verum purior illa ac liberior *Philosophandi* ratio in *Stratone* desiit atque exspiravit. Qui enim *Stratonem* ex ordine secutus est *Lycon*, ac quadraginta quatuor annos τῷ περιπάτῳ præfuit, Fabulis Philosophiam permiscuit; reliqui omnes, *Ariston*, *Critolaus*, *Diodorus*, & quatuor alii, quotum nomina temporum injuria obscuravit, ad *Andronicum* usque *Rhodium*, ab *Aristotele* undecimum, tam longe à genuina ac *Peripateticis* primis recepta consuetudine *Philosophandi* recessetunt, ut, non ex *Peripateticis*, sed aut aliunde, aut ex se nati τῦ περιπάτυ abor-

abortientes fœtus videantur. *Andronicus* vero *Rhodius* Peripatericus κατ' ἐξοχὴν est dictus, quod primus *Aristotelis* ac *Theophrasti* libros promulgarit, paraphrasi ac commentariis nonnullos illustrarit: Philosophiam Peripateticam restaurarit.

Ex illo fluere & retro sublapsa referri Philosophia cœpit. Ab hoc tempore, valedictum est Naturæ, atque à *Peripateticis* in solo habitatum *Aristotele*; & *Philosophi* sunt ab illo tempore dicti, non qui rerum naturam sed qui mentem indagabant *Aristotelis*. Dicere ausim, *Peripateticorum* scholam à *Stratonis Lampsaceni* tempore, anno ante natum *Christum* ducentesimo & septuagesimo, tot jam labentibus annis ac seculis, ad nostram usque ætatem *Naturæ* valedixisse, *Aristoteli* soli adhæsisse, cujus quippe Doctores, non ex rerum veritate; sed ex *Aristotelis* κυρίου δόξης sunt Philosophati.

Duûm tamen sunt generum, qui post *Andronicum Rhodium* in Aristotelis opinionibus scrutandis, sequendis ac persequendis, sunt versati. *Andronicus* ipse atque illius tempestatis Peripatetici, ab *Augusti Cæsaris* imperio, ad *Alexandrum* usque *Aphrodisiensem*, qui post annum *Christi* vixit ducentesimum, ingenium adhuc aliquod ad judicium in Philosophando servarunt liberum, nec ita *Aristoteli* se manciparunt, ut eum deserere scelus existimarint ac piaculum: ita ipsi *Andronico*, *Eudoxo*, *Athenodoro*, *Chenarcho*, aliisque, dissentire interdum, religio non fuit. At *Alexander Aphrodisiensis*, Aphrodisiade, Cariæ oppido, oriundus, primus se totum Aristoteli tradidit, nihil sibi, nihil cuiquam, omnia soli credidit Aristoteli, in ejus verba juravit, ab ejus dictaris ne latum quidem unguem discessit, dubitandi libertatem sibi, aliisque, nedum judicandi potestatem, quantum potuit, omnem, sublatum ivit. *Alexandrum* secutus est *Ammonius Alexandrinus*, cognomento *Saccus*, quod ex bajulo evasisset *Philosophus*, ac tantus, ut parem vix ac ne vix quidem habuerit, inter *Aristotelis* nimirum servos: Eadem hic, qua *Alexander*, servili reverentia *Aristotelis*, occupatum gessit animum, atque ita *Græcorum* interpretum, qui secuti sunt, omnium, *Porphyrii*, *Anatolis*, *Olympiodori*, *Syriani*, *Themistii*, *Ammonii*, *Hermiæ*, *Philoponi*, *Simplicii*, aliorumque oculos, perstrinxit *Aristotelis* authoritas, fascinavit, occæcavit, ut in eo enunciando ac defensitando immorati fere sint atque immortui; missa rerum *Natura*, Philosophiæ sola proma conda.

Atque hæc fuit insana Philosophandi ratio, *Græcis* ad annum *Christi* circiter sexcentesimum usurpata, quo tempore, altum, diuturnum, ac tantum non perpetuum *Philosophiæ* quoddam silentium est secutum inter eos: muta jacuerunt diu studia ac Gymnasia, ut totis trecentis annis nullius inter Græcos *Philosophi* nomen reperiri derur, nisi unius *Iohannis Damasceni*, qui eodem, quo reliqui, vesano *Aristotelis*, amore dicam an furore, correptus, breviaria tantum quædam *Philosophiæ* consuit ac reliquit.

Tam pessimo ac tristissimo apud *Græcos* statu fuit tum temporis constituta *Philosophia*, quod sub *Constante* Heraclii nepote, circa annum sexcentesimum quinquagesimum octavum, littorales *Græciæ* civitates atque insulas omnes classibus invadere cœpisset *Arabes*, qui rer universam *Græciam* ad *Byzantium* usque sunt depopulati, annis, (si Historicis fides) sexcentesimo quinquagesimo nono, septingentesimo vigesimo primo, octingentesimo vigesimo octavo, quibus incursionibus omnis generis libros absportarunt, ac studia omnia ad se traduxerunt. Floruerunt maxime apud eos studia *Medicinæ* ac *Philosophiæ*, quæ una cum eorum imperio circa annum septingentesimum quadragesimum primum in *Hispaniam* quoque transfretarunt, ac *Corduba* sedem posuerunt; qua urbe natus fuit *Averroës*, qui à principe suo *Miramolino* accersitus ad radices montis *Atlantis* in *Marochiensi Academia* Philosophiam est professus.

Postquam ad *Arabes* à *Græcis* migravit *Philosophia*, pari modo in *Aristotele* subsistit, & ejus placitis concluſa cancellos istos effringere, aut Naturæ sacraria ingredi, non sustinuit. *Averroës* Philosophorum inter eos princeps, magni *Commentatoris* nomine superbus, (quem, si per Latinæ linguæ liceret genium, *Commentorem* aut *Commentitorem* verius

quis dixerit, tot nobis commenta reliquit) singula *Aristotelis* verba divina esse oracula, arbitratus est, nihil in eo falsum, nihil mancum, nihil superfluum, ac mille jam & quingentos præteriisse annos, ex quo scripserat *Aristoteles*, nec unquam ullum in ejus libris inventum errorem, exclamavit.

Ex *Hispaniis* commercio & vicinitate Nationum finitimarum *Philosophiæ* studia post annum millesimum ac ducentesimum transierunt ad *Latini* nominis homines: ante hæc enim tempora, totis septingentis annis, varii motus *Italiam*, *Galliam*, *Germaniam*, concussserant, crebrrimis *Gothorum* ac *Vandalorum* in *Occidentem* irruptionibus, unde aliis potius studiis litatum fuit quam *Philosophiæ*.

Postquam *Boëthium*, Peripateticum excellentissimum, virum consularem, è medio sustulisset, anno *Christi* quingentesimo vigesimo secundo, immanis *Theodorici Gothorum* Regis crudelitas, intercidit atque sublata quoque est *Philosophia Peripatetica*, atque omnis fere in *Italia* eruditio. Barbaries eam tota invasit atque occupavit, arteisque bonas & Philosophiam finibus expulit atque exegit.

Secuta est profundissima ac deploranda rerum omnium inscitia, quæ *Imperatorem* movit *Fridericum* (nî fallor) *Secundum*, ut legatos mitteret ad *Arabes*, qui avitas artes ac *Philosophiæ* studium in *Italiam*, sedem antiquam, remitterent, ac postliminio restituerent. Advectos ergo ex *Hispania Aristotelis* atque *Averrois* libros, ambabus, quod ajunt, ulnis amplexati, lætissime exceperunt *Itali*. Enata sunt tum ingenia non contemnenda, quæ hoc Aristotelicæ servitutis jugum excutere potuissent, nisi tam infelici vixissent seculo, quod, non crassissima tantum ignorantia, sed bonorum authorum maxima laborabat inopia, ut præter *Aristotelem* atque *Averroëm*, barbare atque ineptissime traductos, vix quicquam extaret. Ita tempestate quasi delati, ad utrumque hunc, tanquam ad saxum aliquod adhæsere ac *Philosophi* fuêre & *Peripatetici*, qui neglecta rerum natura, non *Aristotelis* solum, sed *Averrois* insuper decreta, mordicus tuerentur.

Fuit hæc Philosophandi ratio invecta in *Italiam*, *Galliam*, *Germaniam*, *Angliam*, ac recepta *Averrois* hypothesi, universa *Philosophiæ* laus ac salus, in sensu *Aristotelis* percipiundo, fuit constituta.

Ad hanc insaniam alia accessit stoliditas, aut, ut verius loquar, stolida impietas. *Aristoteles* non in suo foro, sed & in alieno quoque, ut sententiam diceret, admissus est atque auditus, nec Naturæ tantum in *Philosophia*, sed & *Deo* prælatus est in *Theologia*. Exorti sunt homines umbratici, ac verè *Scholastici*, & otiosi, qui *Philosophiam* cum *Theologia* confuderunt, ex *Philosophia* inutiles ac frivolas quæstiones veluti ex aqua spumam elicuerunt, & in *Theologiam* intriverunt, ac genus quoddam *Philosophiæ* peperetunt monstrosum ac monasticum, quod odiosis ac otiosis argutiis, omnia deformavit, religionemque ad *Philosophorum* placita flexit, genus sermonis squallidum ac cœnosum progenuit, veritatem labyrinthis inextricabilibus involvit. Homines scilicet vani ac turgidi, ut præpostero ac detestando ritu aliis ingenii acumen ostentarent, quæstionum noxiis subtilitatibus *Philosophiam* implerunt, *Theologiam* contaminarunt.

De grege hoc *Philosophorum*, primi fuere; *Alexander de Ales*, Anglus, Doctor vulgo irrefragabilis, *Albertus Magnus*, Germanus, Episcopus Ratisbonensis, *Thomas Aquinas*, Italus, in cujus, Doctoris, non moralis, sed Angelici, summa Theologica, pari ambulant passu *Aristoteles*, & *Deus*, aut, quod Doctoribus tam illuminatis, Seraphicis, ac Cherubicis est indignissimum, à tergo longe sequitur non passibus æquis, *Dominum Aristotelem*, *Dominus Israëlis*.

O impiam Philosophandi rationem! quam eandem tenuerunt *Summistæ* ac *Sententiarii* reliqui, *Ioh. Scotus*, Doctor subtilis, perpetuus Thomæ impugnator, *Alanus de Insulis*, Doctor universalis, *Guilielmus Occam*, subtilitatis Lima, *Gabriel Biel*, *Robertus Holkot*, *Bikot*, *Trikot*, atque istius furfuris plures, quorum ipsa fere nomina barbariem præ se ferunt, & horrorem incutiunt.

Hi nobis *Philosophiam* istam reliquere tot nugis scatentem, tot spinis pungentem, tot erroribus nocentem: Hi nobis viam stravêre, perve-

perveniendi in notitiam non *rerum*, sed *realitatum*, non *formarum*, sed *formalitatum*, non *actuum* aut *potentiarum*, sed *actualitatum* ac *potentialitatum*. Hi nobis tot *quidditates*, *entitates*, *hæceitates* vel *ecceitates*, & quæ non verborum monstra, nihil rerum significantia, procudêre, quibus speciosissimam *Philosophiæ* ac *Theologiæ* faciem turpiter dehonestarunt: Hi nobis tantam quæstionum ineptissimarum atque impiarum farraginem produxere, ex quibus, plus boni, si nescias, plus mali, si scias, ad te rediturum sit. Sed Chimæras illi venati sunt, ac dubia moverunt, ne ingeniosi non viderentur, de iis quoque quæ non sunt.

Fuerunt media seculi istius inficeti barbarie, qui se *Reales*, alii *Nominales*, dici voluerunt: verum, *Reales* si quæras inter eos, laterna tibi opus sit *Diogenis*, & qui sint, invenias nullos. *Nominales* ad unum sunt omnes ac *Verbales* Philosophi: ita in verbis ac nominibus, in λόγοις ac terminis nudis, univetsa illorum constitit Philosophia.

Verumenimvero excitata sunt, tenebricosissima ista nocte, præclara aliquot ingenia, quæ Herculeo ausu, barbarismis primum atque ineptis loquendi formulis, mox horridis atque insipidis sententiis, sese oppossuere. Postquam enim nihil reliquisset intemeratum barbaries, ac rancidæ disputatiunculæ extremum fastigium atque ἀκμὴν essent nactæ, cœpit, detersis nonnihil ævi infelicis sordibus, lacertos movere Philosophia ac sensim reviviscere & revirescere.

Densissimis istis tenebris nova lux affulsit, δυσὶ φωσὶ *Dante Aligerio* & *Francisco Petrarcha*, primis Philosophiæ, bonarum artium, & omnis eruditionis restauratoribus, quorum posteriori liberrime invectus est in insulsam sui seculi Philosophiam, ut elegantissimum ejus *De ignorantia sui & aliorum* libellum legenti fit palam. Præclara hæc ejus fuit vox, cum inter alia ita exclamare est ausus. *Hæc vera est Philosophia, non quæ fallacibus aliis attollitur, & sterilium disputationum ventosa jactantia per inane circumvolvitur, sed quæ certis & modestis gradibus compendio ad rerum ac Dei notitiam perducit.*

Verum renata est ac revixit potissimum quæ tetra barbarie fœdata jacuerat atque oppressa *Philosophia*, per *Græcos* ex *Constantinopolitana* direptione exules. Quorum præcipui fuerunt *Emmanuel Chrysoloras* Byzantinus, *Theodorus Gaza* Thessalonicensis, *Georgius Trapezuntius*, *Iohannes Argyropylus*, *Bessarion* Cardinalis Nicenus ac Patriarcha Constantinopolitanus, aliique quibus *Aristotelem* aliosque ex *Græco* in *Latinum* transfusos debemus.

Verum posteriori seculo plenius in orbem dispersa fuit renascentis & ex caligine emergentis *Philosophiæ* lux, cum politissimus *Politianus* ἀβάρβαρος *Barbarus*, & ævi istius Phœnix *Ioh. Picus Mirandula*, lucidissima fulsetunt sydera.

Impertiit *Germaniam* hoc lumine primus *Rodolphus Agricola*, æternum Belgii decus, qui acrius quædam, adversus receptum *Philosophandi* modum, Socratica dixit libertate.

Exinde plures purgando Augiæ-isti stabulo manus auxiliares admovere; præ cæteris, *Hollandiæ* nostræ ac totius *Orbis* miraculum, *Desiderius Erasmus*, *Martinus Lutherus*, *Philippus Melanchthon*, primi apud nos religionis simul & Philosophiæ restauratores.

Equidem cum admirandum reformatæ religionis opus, ab iis tentatum, ab aliis promotum, initium id, singulari divini numinis providentia, à reformanda Philosophia sumsisse comperio. Quoties Magni *Lutheri* epistolas illas, ante reformationem plene susceptam, ex monastetio anno supra millesimum quingentesimo decimo sexto, septimo, & octavo, ad socios datas, lectito, toties in perditam sui seculi Philosophiam atque ingeniorum profanam seductionem invehi video.

Voluit nimirum Deus ex hac luce lucem oriri Euangelio suo: Phosphorus fuit Philosophia, ac diem reddidit Theologiæ.

Audite quæso, quam libero ad *Iodocum Isennacensem* calamo, Cucullatus adhuc monachus sub *Papa* & *Aristotele* Clavigeris, perscribat *Lutherus*. *Ego*, ait, *simpliciter credo, fieri non posse, ut Ecclesia reformetur, nisi funditus Scholastica Theologia, Philosophia, Logica, ut nunc habentur, & eradicentur, & alia studia instituantur*. Et ad *Georgium Spalatinum*: *Observavi*, inquit, *doctrinas & regulas Scholastica*

Philosophia, & dedita opera juxta illas volui tractare sacras litteras, & (perdat me Deus, si mentior) horrui, plusquam à tartari confusione ibi vidi quid prodessent illa studia: nihil utilitatis, totum vera nocentia pelagus inveni.

Intravit *Academiarum* apud reformatos limen *Religio* purior, impurior tamen remansit *Philosophia*, quando subtilitatibus vanis, omni usu carentibus, etiamnum perstrepunt auditoria, quando hæc etiamnum intemperies *Philosophiam* agit, ut verbis tantum studeatur non rebus. Recepti sunt *Pontificiorum* in *Philosophia* libri, ex quibus Philosophari consuevit juventus: præter *Eustachios, Raconnes, Toletos, Pererios, Mendozas, Suarefios, Fonsecas, Conimbricenses, Complutenses, Lovanienses, Colonienses, Mexicanos, Monachos* omnes ac *Iesuitas*, nullos novit: aliorum inaudita sunt nomina; aut, si nota, nullius pretii, ac sub pedibus jacent.

At vero, homines illi patres suos *Scholasticos Philosophiæ* veræ corruptores optime referunt, *Philosophiam* corruptam servant ac tradunt, isti ipsi subtilia tantum sectantur, non utilia, subtilissimi Cymini sectores: isti ipsi *Papæ* æque *Aristoteli* facti sunt deditii: illi ipsi doctores, aut *Thomistici* aut *Scotistici*, credituli & tenebricosi, tenebras retinent *Philosophiæ*, ut easdem inducant iterum in *Theologiam*.

Excutiamus tandem pulverem ex oculis nostris, nec in uno hæreamus *Aristotele*, non *Aristotelis* tantum sed *Naturæ* scholam ingrediamur, non *Aristotelis* tantum sed Naturæ codicem aperiamus, non illius tantum sed hujus præsertim folia evolvamus, &, ut uno verbo veram Philosophandi rationem ob oculos ponam, ipsam rerum *Naturam* adoriamur, istic causas inquiramus, inventas observemus, observatas aliis experientiis probemus, probatas ad vitæ humanæ usum referamus atque applicemus, & sic in *Natura*, naturæ opificem, potentissimum, sapientissimum, optimum, miremur, cognoscamus, celebremus.

Parturiunt hujus seculi nobilissima aliquot ingenia, unde rerum ac mentis commercium, cui in terris non est simile, in integrum repo-

ni, ac vera *Philosophia*, quæ ut Astræa altera terras reliquit, in terras reduci possit: juvetur modo fœtus benigna obstetricantium manu, &c.

Hæc summa est eorum, quæ pro oratione inaugurali die 9. Febr. 1641. *in* Amplissi. Virorum & Spectatiss. Studiosorum *frequentissima disserui corona. Quæ* Nob. Viris, D. CORNELIO vander MYLE, & D. JACOBO CATSIO, *Academiæ pro illo tempore* Curatoribus, *non displicuisse, mihi tum fuit compertum. Post tres inde septimanas laboris auspicia facturus, ne ἄνδυ ἀφοιμὶς ad munus susceptum accedere viderer, quia inter Philosophiæ partes* Logica *esset demandata*, de ejus feliciter excolendæ modo, *liberè ac candidè novum institui sermonem; lectionibusque publicis præmisi. Quæ tum dixi, in compendium contracta hæc sunt summatim:* Logicam nec disci feliciter, nec doceri, si tota in quæstiones, verborum contentiones, rixas ac disputationes, abeat atque immutetur. Usum solum, usum, pro fine ac scopo habendum: ad eum omnia discenti, omnia docenti, esse referenda. Usum Logicæ conjunctum, Logicæ diem esse: usum à Logica disjunctum, Logicæ noctem esse. Non de Logica disputando, sed exercendo, sed intelligendo, sed de rebus ipsis cogitando, juxta leges ac regulas à Logica præscriptas, nos Logicos reddi. Logicæ exercitationis dignitatem & utilitatem esse maximam, sed non minorem difficultatem. Eam pro virili à me fore tollendam publica privataque institutione. Privatim systemati, ex Ill. Ord. Authoritate & decreto in scholas hujus Provinciæ invecto, immorandum atque insistendum, atque id è re videri Studiosorum. Publice res Logicas, continuo orationis filo, juxta Aristotelis doctrinam, me prosequuturum. Rationes esse (*quæ tum prolatæ fuerunt*) cur Aristotelis Organo κατὰ πόδας enarrando immorari non esset consultum. Non defuturam sedulitatem & in docendo fidelitatem, &c.

Ita, per Dei gratiam, Lectionum Logicarum *telam exorsus, eam, intra anni currentis spatium, pertexendam promisi, ac promisso steti. Dum in eo sum totus, ut industriam meam omnibus probem, accidit quippiam, quo institutum fere meum fuisset*

fuisset interruptum. Primo illo Professionis meæ anno, ipsis diebus Caniculatibus, vocat me ad ædes suas, pro illo tempore Magnificus Academiæ Rector, D. OTTO HEURNIUS. *Sisto me ad diem præscriptum. Offendo præsentes cum Rectore, ex Theologis unum, ex Iureconsultis alterum, ex Philosophiæ & bonarum artium ac linguarum Professoribus tertium, cum Secretario, &* D. DU BAN, *piæ memoriæ. Indicti conventus finis significatur, & recitatur ex scheda aliquod* Nob. D. Curatorum *mandatum ac decretum. Agitandum erat consilium & dispiciendum, quomodo* ad maximum usum & Studiosorum Commodum, ac brevissimo temporis spatio, *juventuti Academicæ instillari posset Philosophia Aristotelis, quomodo in eum finem lectiones Philosophicæ commodissime possent institui,* secundum textum Aristotelis; *nam hoc postremum disertis verbis à Rectore Magnif. fuit additum:* ad textum, *puta,* Aristotelis *esse* habendas lectiones: *quod tamen memineram in scheda lecta contineri; sed; hanc esse mentem* D. D. Curatorum, *dixit sibi constare* Rector. *Rogamur sententiam ego ac* D. DU BAN ὁμαθέστης, *qui ea dixit, quæ in mentem tum ipsi inciderunt. Ego dixi, non me videre, qua ratione* brevissimo temporis spatio, ad maximam Studiosorum utilitatem, Logica *doceri publice queat, &* D. D. Curatorum *petitioni satisfieri, si constringar ipsius* Aristotelis *textum verbotenus explicare: longe facilius & felicius me id præstiturum utrumque, si* liberam *& non Aristotelico textui adstrictam servem docendi rationem. Regessit* Rector, *hoc ceu fundamentum sterni ac poni à* Nobiliss. D. Curatoribus; Aristotelis *textum esse prælegendum: de duobus punctis reliquis ex scheda prælectis, ut ego ac* D. DU BAN *cogitaremus, ac consilium, scripto consignatum, huic conventui postea exhiberemus, petitum fuit ac mandatum: Ita nos dimissi sumus reliquis manentibus: Circa vesperam petii mihi copiam fieri à Rectore Mandati* Nobiliss. D. Curatorum *quo constaret mihi de eorum mente; an hoc velint expresse, textum prælegi* Aristotelis: *neque enim memineram hoc ex scheda prælectum.* Rector *copiam facere negavit, &, utcunque non esset scheda expressum, hanc tamen esse* D. Curatorum *mentem, sibi significatum, respondit. Ego postridie Hagam me conferre ad Ampliss.* D. Syndicum Nobiliss. D. Curatoribus à Secretis. *Peto humanissime, ut liceat videre* Nobiliss. D. Curatorum *Mandatum ac decretum, cujus copia fuisset denegata, ne quid imprudenter contra id agerem. Ille pro sua humanitate tantum mihi gratificatus est. Cum video, deprehendo ipsum Rectorem sibi petiisse à* Nobiliss. D. Curatoribus *authoritatem de lectionibus Philosophicis, brevissimo temporis spatio ad usum maximum instituendis, consilia capiendi, cum Professoribus Philosophis, reliquisque, quos ipse machinationis suæ & consilii socios adsciverat; neglectis, contra Academiæ statuta, Assessoribus suis, cum quibus communicanda fuerant consilia. Deprehendo, nec illum, nec istos esse constitutos, in me &* D. DU BAN *judices aut arbitros, ut eorum acta ac dicta innuebant. Deprehendo* Nobiliss. D. Curatorum *præscriptionem hæc duo tantum continere,* ut de brevissimo temporis spatio, & de maximo Studiosorum commodo, in lectionibus Philosophicis habendis, dispiceretur. *In chartam conjicio, quibus rationibus utrumque illud obtineri posse censeo, & postridie conventui Rectoris & sociorum exhibeo, iisdem verbis, quibus eas hic sisto.*

QUandoquidem placuit Nobil. Ampliss. D. Curatoribus, injungere Philosophiæ Professoribus, ut cum Magnific. D. Rectore & Vir. Clariss. aliis ad hoc negotium deputatis agerent de optima ratione Philosophiam, quam brevissimo fieri potest spatio ad usum & commodum D. Studiosorum, docendi, ego cogitationes meas de Logicæ curriculo feliciter instituendo, & breviter absolvendo, ex petitione Magn. D. Rectoris, libere ac libenter huic chartæ commisi.

Duplex est, non Logicam tantum, sed universam Philosophiam, docendi ratio, systematica & textualis: systematica est, quando vestigia ordinari systematis premuntur; textualis, quando textus solum tractatur Aristotelicus. Prior præferenda mihi videtur posteriori, salvo meliori judicio.

I. Quia res Logicæ, imo quælibet, non sunt accommodandæ ad textum & verba Aristotelis,

ſtotelis, ſed hæc ad illas; non enim verba cujuſcunque, ſunt norma ac menſura rerum, ſed contra res verborum.

II. Quia ſic maxime conſulitur, meo quidem judicio, honori & Academiæ dignitati, cum D. Profeſſorum auditoria ſunt frequentiſſima, & lectiones ſic inſtituuntur, ut maxima ad D. Studioſos utilitas redeat: Atqui frequentiora ſunt auditoria, & major utilitas ad D. Studioſos redit, ſi ſyſtematicam rationem docendi Philoſophiam, ac ſpeciatim Logicam, Profeſſor ſequatur, quam ſi textui Ariſtotelico adſtringatur: Sic enim intra biennium abſolvi, & ad uſum accommodari, vix poteſt.

III. Quia ingeniis noſtri ævi, præſertim tyrunculis, ex ſchola nuper emiſſis, parum eſt accommodatus textus Ariſtotelis, ſed temporibus & ingeniis vetuſtis magis convenit, ac Græcis, quibus ſcripſit: & præſertim inſervit colloquiis & conſuetudini de re qualibet in utramque partem diſputandi, quod ipſis in more poſitum erat, ad uſus alios parum idoneus.

IV. Quia perfecte ars Logica iis libellis Organi non continetur, cum ſint diverſi tractatus diverſo tempore editi, & plures multo in Logicis libri Ariſtotelis à Diog. Laërtio recenſeantur, nec eo modo & ordine ſint conſcripti, quo nunc diſpoſiti, unde methodus ac cohærentia quoque eſt nulla.

Hiſce lectis nec Rector *acquieſcere nec cæteri* D. Profeſſores, *exempla aliorum prætendere & conſuetudinem, & multos ultro citroq; ſermones cadere. Ego rationes meas urgere, & dicere: non exemplis nec conſuetudine ſtandum, ſed ex ratione & lege agendum ac vivendum.* Rector *demum, cæteris manentibus, abire me jubet &* D. DU BAN; *ac cum placebit ſibi, nos revocandos monet. Octiduum labitur antequam revocemur. Vbi revocati redimus, exhibet* Rector *ordinem lectionum Philoſophicarum juxta & ad textum Ariſtotelis inſtituendarum, ſcriptum à Secretario, à ſe & reliquis approbatum, quem prælegi jubet, & an ſubſignare velimus rogat, uti ipſe faceret cum cæteris D. Profeſſoribus. Ego, iniquam eſſe hanc petitionem, reſpondi, nihilque eſſe à me poſtulandum contra animi mei & conſcientiæ reluctantis dictamen: &, an æquum eſſet, rogavi, ut illi abſentibus nobis, qui, tanquam Philoſophiæ Profeſſores, hic eramus audiendi imprimis, ordinem talem conciperent? præſertim, cum ex æquo eſſent conferenda conſilia. Res dilata eſt in* Nob. D. Curat. *adventum iſtis feriis tum imminentem. Iis rationes ante poſitas Rectori & cæteris D. Profeſſoribus exhibui, adjectis ſequentibus.*

I. QUod in organo Ariſtotelico deficiat ipſius artis Logicæ definitio, partitio, objecti ac finis explicatio, &c. Quæ ad conſtitutionem ejus faciunt.

II. Deeſt tota doctrina notionum ſecundarum & affectionum thematum ſimplicium Cauſæ Cauſati, Totius Partis, Subjecti Adjuncti, &c.

III. Non explicatur ſufficienter nec ſuo loco ratio definiendi & dividendi modus.

IV. Non explicatur doctrina utiliſſima de Syllogiſmo hypothetico.

V. Nihil traditur de methodo & ordine, de modo praxin Logicam inſtituendi, &c.

VI. Ex XVII. Capitibus Iſagoges Porphyrianæ, tantum 5. tractari poſſunt, reliqua nullius utilitatis fere ſunt. In libro περὶ Ἑρμηνείας poſteriora capita de enunciationibus modalibus nullius ſunt uſus: in primo prior. Analyt. à cap. 8. ad cap. 24. mixti Syllogiſmi tantum explicantur, qui exigui, imo nullius ſunt uſus, &c. In libris poſt. Analyt. tam operoſe traditur doctrina demonſtrationis, ut anno forte opus ſit ad enarrationem, ſi quis textui adſtringatur. Lib. VIII. Top. tam vagi ſunt, ac res continent tam parum utiles, ut ipſe DU VALLIUS, qui Synopſin Analyticam Librorum Ariſtotelis Edit. Pariſ. præfixit, ab Analyſi ſingulorum capitum abſtineat: atque Interpretes alii quoque multa ac quam plurima, ſi non omnia, hic tranſiliant, &c. Quibus omnibus accedit ſtylus Ariſtotelis in organo obſcurus, loca hiulca, exempla minus manifeſta ac commoda, & ex Matheſi petita, &c.

Poſt rationes haſce à Nob. D. Curatoribus *expen-*

expensas, injunctum mihi fuit, ut, quo cœpissem pede, pergerem, & quam in docendo ingressus essem viam, eandem calcarem. Quod à me factum est in hunc usque diem non sine insigni Studiosorum (quod absq; jactantia dictum sit) commodo. Eodem interim anno, die 13. Decembris, negotium hoc idem in pleno Academiæ Senatu fuit agitatum, sed nec tum potiri fine suo datum est Rectori, *licet clancularijs artibus id molito ac machinato. Ego itaque strenue in id incumbere, ut artium omnium longe nobilissimam, ortu divinam, utilitate inæstimabilem,* Logicam, *quam* brevissimo temporis spatio ad maximum Studiosorum emolumentum, *explicatam darem: & fortunavit conatus nostros benignissimus* DEUS, *& prosequuti sunt eos singulari favore* Nob. D. Curatores, *qui in affectus sui & benevolentiæ testimonium sequenti anno alteram in* regenda Coll. Theol. Illust. D. Ord. Juventute *Provinciam humeris nostris imposuêre. Eam non minori, quam Professionem, suscepi animo, & undiquaque dispexi, quid ad ornatum faceret utriusque ac promotionem. Expertus fueram jam ab initio susceptæ Professionis in hoc usque tempus rarissimas extitisse in Philosophia* Disputationes, *& quando essent instituta, ἀπάκτως in iis omnia geri. Quærebam serium ei malo remedium. Publici muneris authoritatem si interponerem, metuebam, ne id male cederet, aut succederet, quod ab annis & barba non accederet authoritas. Alea tamen erat jacienda &* Disputationes *postliminio revocandæ erant, & disputandum alio modo. Ad primam ergo disputationem, cum habenda esset, præfationem concepi, quâ, ut ἀπαξία omnis præveniretur, & ex decoro ageretur, humanissime petii ab ornatissimis D. Studiosis, & impetravi. Ab anno itaque Professionis meæ secundo,* Disputationes *in Philosophiâ revixêre; & frequenter, & modeste, disputari cœptum; ut nullæ magis quam Philosophicæ occeperint fervere Disputationes, quod earum exemplaria in annos singulos* Nob. Curatoribus *exhibita comprobatum dedere. Indulsi Studiosis meis, nulli negandam, in disputando, ingenii & judicii libertatem, uti ipse sum liberior, sub libero ac Batavo aëre natus. Quarum ipse* Disputationum *extiti author, in iis* Aristotelis *principia fui secutus, quod* Physicarum, Ethicarum, selectarum Disputationum *docent curricula: in* Corollariis, *ut vocant, &* Thesibus *Studiosorum proprio Marte & arte confectis, aliorum etiam Philosophorum placita & principia ventilari, fui passus, ut meum simul & illorum exerceretur ingenium, ac, quo ratio nos ducere valeret, palam fieret. Nulli hæc res fuit unquam obnoxia culpæ apud* Nobiliss. D. Curatores: *nihil incommodi creavit ulli Mortalium: nullam pacem turbavit aut animorum concordiam rupit. Testor manes tuos, defuncte Collega,* D. DU BAN. *Si quid unquam extiterit rixæ aut contentionis me inter & te ob disputandi libertatem. Viximus animo conjunctissimi, etsi opinionibus in Philosophia sapissime disjuncti. Passus sum frui te tuo judicio, tu vicissim me meo. Nunquam tibi à me, nunquam mihi à te, lis mota, super disputatis utrimque materiis. Vixit, quamdiu vixisti, & viguit inter nos pax & concordia, quod & à morte, cum parentarem tibi, sum testatus & æternum testabor. Nec aliquid molestiæ, post defunctum Anno 1643. Collegam clarissimum ac charissimum, conciliavit cuiquam meæ Philosophandi libertas dum solus disputavi. Imo, quam grata extiterit & probata mea libere & Philosophandi & disputandi ratio,* Nobiliss. D. Curatoribus, *vel inde liquet (rumpantur ut ilia Momis) quod me in ordinario suo ad 8. Februarii conventu 1645. ultro rogaverint, an aliam insuper* Philosophiæ *partem profiteri vellem. Ego quodcunque in me esset vitæ & virium libenter me collaturum respondi, si Reipub. si Ecclesiæ, si Academiæ patriæ prodesse, si proximi bonum promovere possim. Novum itaque Philosophiam Practicam profitendi onus priori additur: non subtraxi humeros, sed supposui, & fere hactenus,* Dei *gratia adjutus,* Ethicos *labores à solemni iterum sum auspicatus Oratione habita 27.* Martii, *& liberiori stylo,* quibus mediis, & è quibus Authoribus, veram ac solidam Philosophiæ, artiumque, quas vocant, liberalium cognitionem unusquisque sit repottaturus, *fuse sum persequutus. Inter Media primum assignavi locum* Auditioni, *atque hic ad audiendas* Professorum *lectiones Iuventutem Academicam serio sum hortatus, iis allatis*

rationibus, quæ Auditionis necessitatem & utilitatem confirmarent. Huic subjunxi Lectionem *cujus admirandam virtutem ob oculos posui, ac, qui speciatim in Philosophia sint legendi Authores, ingenue & candide indicavi. Dispescui* Philosophiam *in* veterem & novam. Veterem *vocavi, quæ ab* Aristotele *potissimum est hausta, & ejus, jam ubique receptis, innititur principiis: aliorum enim veterum*, Democriti, Epicuri, Anaxagoræ, &c. *Philosophia jam diu interiere. Sola regnum tenet passim* Aristotelis *Philosophia, ab* Alexandro Magno, *in Græcia, à* Carolo Magno, *in Germania, Gallia, Italia, Hispania, Belgio, authoritatem nacta.* Novam *dixi, quæ à recentioribus tradita, non ex* Aristotele *aut alio hausti principiis innititur, sed naturam ipsam pro objecto habet, rationi soli innixa, non ullius hominis authoritati. Qui veterem tradidere Philosophiam, vel* textuales *feci Philosophos*, qui Aristotelis *de Philosophia textus sunt interpretati, vel* systematicos, *qui Philosophiæ Aristotelicæ dogmata certis præceptis & systematibus inclusere, vel* Controvertentes, *quos* Quæstionarios *vocant, qui ex* Aristotele *quæstiones elicuerunt, non aliter sæpe quam ex pumice aquam, aut ab aliis motas magno verborum profluvio & longo sermone pertractarunt.*

Ex hisce trium generum Philosophis Aristotelicis, *quos probarem, inter* Græcos, Arabes, Latinos *sigillatim designavi ac delineavi. Inter novæ Philosophiæ Authores & cultores quosdam, antiquorum principia destruere, quosdam solidiora adstruere, significavi, & utrosque legendos commendavi. Sustuli hoc multorum mentibus insitum præjudicium*, ab horum lectione Philosophorum abstinendum esse, quod novi audiant: *omnis quippe veritas, cum inventa est primum, nova fuit. Recensui hic Philosophiæ novæ Triumviros*, Vallam, Agricolam, Vivem. *Recensui, odiosum illud multis, multis pretiosum caput ac nomen*, Petrum Ramum. *Recensui* Picum, Telesium, Patritium, Campanellam, Verulamium, Cartesium, *renascentis & denuo exorientis verum Phosphorum, qui arcana Naturæ non pauca reclusit, Philosophiæ clavem exhibuit, viam ad rerum immotam veritatem perveniendi aperuit.* Lectioni *adjungendam præcepi* Meditationem, *sine qua Auditionis & Lectionis nulla est utilitas. Denique subjunxi hisce tribus Philosophandi modis ac mediis*, Disputandi exercitium, *quod quantum in Philosophiæ notitia acquirenda valeret, experientiam testem advocavi, & ut mecum decurrere pergerent nostri Philosophiæ Studiosi, instituta disputationum curricula, pedem pedi, dextram dextræ jungendo, fideliter admonui. Hæc summa sunt Orationis tum pronuntiatæ capita.*

Ab illo tempore Ethicas *Lectiones Logicis alterno adjunxi biduo: & consuetum mihi Philosophicè disputandi secutus sum modum. Sed non ita diu fuit, cum invidere Libertati meæ atque insidiari recentem & nuper tum mihi adjunctum deprehendi* Collegam. *Selegeram mihi* 1644 *ex* Metaphysicis *disputandam materiam* DE ANGELIS, *versabar in ea Disputationibus excutienda, cum novus advenit Collega*, D. ADAMUS STEVARTUS. *Sub cujus in Academiam nostram adventum incidit* Disputationum ex Philosophia selectarum XV. DE ANGELIS, *cui Respondens, juvenis doctissimus, & summæ spei, si superstes in vivis extitisset*, D. ANDREAS DU PRE, *subjunxit hæc Corollaria* Metaphysica.

I. OMnium præjudiciorum eversio est necessaria ad veritatem indagandam.

II. Sine cognitione *Animæ* & *Dei* nulla datur certa Veritatis cognitio.

III. Illud omne est verum, quod clare & distincte percipimus.

IV. Causa errorum est voluntas, quæ, cum latius pateat quam intellectus, sæpe se extendit ad ea, quæ intellectus non clare percipit.

V. Neque concursus divinus, neque voluntatis necessitas, libertatem evertit; imo magis auget & corroborat.

Physica.

I. OMnes formæ materiales sunt tantum modi materiæ.

II. Cœlum est corruptibile & aëreæ naturæ.

III. Stellæ proprio motu per liquidum cœli moventur, ut aves per aërem.

IV. Elementa non transmutantur in se invicem.

Para-

Paradoxa.

I. NUllum datur argumentum inartificiale.

II. Luna minime illuminata conſpicitur, cum maxime eſt illuminata, & nunquam minus illuminatur, quam cum eſt plena.

III. Duo gemelli, eodem temporis puncto nati eodemque mortui, impares poſſunt vixiſſe dies.

Hæc diſputata fuerunt 14. Decemb. 1644. *Sequuta ſunt* menſe Jan. 1645. Diſp. Select. DE ANGELIS Decimæ ſextæ *ab Ornatiſſimo nunc Curiæ Holl. Advocato, tunc Reſpondente,* HENRICO BROUWERO, *ſubnexa Corollaria* Paradoxa.

I. NUlla datur Philoſophia adeo Theoretica, quæ non ſit & Practica.

II. Privatio non eſt principium Phyſicum magis quam unio, ſed tantum conditio ſine qua non.

III. Corpora rarefacta non habent plus quantitatis quam denſata.

IV. Ignis eſt humidus.

V. Aqua eſt ſubtiliſſima terra, aër ſubtiliſſima aqua, ignis ſubtiliſſimus aër, terra craſſus ignis.

VI. Luna à Terra & Sole illuminatur.

VII. In homine eſt tantum unus ſenſus, non quinque.

VIII. Logica, quæ nunc viget, ad inventionem ſcientiarum eſt inutilis.

IX. Omnes ſyllogiſmi ad indagationem veritatis ſunt inutiles, exceptâ inductione ſolâ.

X. Cauſa finalis non eſt cauſa, nec materia, forma.

XI. Poteſt velle homo malum qua malum.

Hæc & præcedentia Corollaria ex Keplero, Baſſone, Verulamio, Campanella, Sperlingero, Carteſio, *aliiſque poſita, nova erant homini novo, forte & ipſa authorum nomina, ex quibus Reſpondentes illa petierant. Ego cum ſubolfeciſſem non tam valentem eſſe novitio* Collegæ *ſtomachum, ut hæc aut ſimilia concoquere poſſet corollariorum fercula, nec placere ejus palato niſi ex* Ariſtotele *allatas dapes, ipſum inviſi, & theſes antehac à me diſputatas obtuli, ut perlegeret, & modum hic in diſputando teneri ſolitum cognoſceret, quod ſane ab aliqua animi mei benevolentia fuit profectum, & ita quoque ab ipſo acceptum exceptumq́. Dixi tum inter ſermocinandum, eum facile viſurum ex theſibus, liberum hic nobis eſſe diſputandi modum; & me eum eſſe, qui multum indulgerem Studioſis, in corollariis & annexis, ut meum atque illorum ingenium experiar; me pro & contra, ut loquuntur, ſeu in utramvis multa diſputare partem, quod ſic maxime argumentorum robur ponderetur & expendatur, ita à me factum fuiſſe ſemper, à quo profeſſioni fuiſſem admotus: & potuit ex theſibus facile illud colligere, inter quas invenit* Theſes DE PRINCIPIIS COGNOSCENDI, Reſp. WALLENDAL, *contra Carteſium:* & DE PRIMO, Reſp. KELLENAER, *pro Carteſio: à doctiſſimis juvenibus, utraſque eodem anno* 1644. *me Præſide diſputatas. Addidi, amicitiam ſervari etiam ab iis, qui in omnibus non conveniunt Philoſophicis opinionibus; nam*

Diverſum ſentire duos de rebus iiſdem
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Exiſtimavi ſic me defunctum partibus viri boni & boni Collegæ *in peregre advenientem* Collegam, *& meo more modoque ſum porro* Philoſophatus. *Temporis delapſu, quod fueram ſubodoratus, clarius accepi, novum hunc* Collegam *multa in mea diſputandi ratione culpare ac præſertim libertatem: & jam, ſtatim atque diſputare, me quoque invadere cœpit: prima ejus diſputatio* DE VOLUNTATE *fuit* HUMANA, 7. Julii 1645. *in qua* 22. *argumentis, partim Philoſophicis, partim Theologicis, in ſententiam meam,* de voluntatis humanæ ab intellectus practici ultimo judicio determinatione, *& aliis theſibus in ea, quæ* de Concurſu *ante ejus adventum diſputaveram, magno impetu irruit atque incurrit, monentibus id me ipſiſmet Studioſis. Ego iſta negligere;* & Diſp. ſelect. 19. part. poſt. contra poſſibilem mundi æternitatem, *ſubnectere hoc Corol.* 15. *Iulii* 1645. Sententia,

quæ ſtatuit voluntatem ab ultimo intellectus practici judicio determinari, & rectæ rationi & Ariſtotelis authoritati innititur: quare eam ab omnibus & exceptionibus & objectionibus vindicandam ſuſcipimus.

Audit me ad argumentum alicujus Opponentis *motum adverſus* th. ult. iſtius diſp. *reſpondentem*, quod Relationes non ſint Accidentia Phyſica, quæ inhæreant, nec entia realia, ſed Logica tantum, quæ denominent, &, quod ſint media quædam inter ens reale & nihil. *Et hæc reſponſio ex tempore data, quia nova erat & inſueta ejus auribus, meruit excipi tredecim epimetris, quibus rationes protulit iterum, Theologicas partim, partim Philoſophicas, ad probandum*, relationes eſſe accidentia prædicamentalia & entia realia: in diſp. de Mat. prim. menſe Jan. 1645. *Ego iſta inſuper habui, ſed miratus valde hæc pro novis haberi quæ à me proferrentur, nec nova viſa fuiſſe novo Profeſſori ſua epimetra ſubnexa* Diſp. Eth. DE HABITIBUS part. prim.

I. POteſt eadem numero forma, plures materias ſeparatas ſimul informare.

II. Poteſt idem numero corpus in pluribus locis ſimul exiſtere, idque natutaliter.

III. Merito paſtoris cujuſdam Independentis libellus, quo Deum peccati cauſam Efficientem ſive authorem eſſe contendebat, ex Comitiorum Anglicanorum decreto, non ita pridem Carnificis manu, publicè exuſtus eſt.

Hæc & ſimilia novaturientis ingenii non ſunt ſigna? Sed enim ego hunc D. Collegam *res ſuas ſibi habere paſſus ſum, ac ſe oblectare, ſive novis, ſive antiquis ἐπιμέτροις, neque multum poſtea cum eo commercii quæſivi. Sic cogitabam: Gaudeat ille ſenſu ſuo, ego meo. Verumenim vero, & aliunde inſidias ſtruere libertati meæ, & occultis cuniculis eam ſubruere, alii tentarunt, quos id minime decebat: an inſtigante & procurante Profeſſore Scoto id ſit tentatum, Deus novit. Nam cur illud ante annum aut paulo ultra ſint aggreſſi qui ſupra quinquennium & ſemeſtre eam mihi non inviderant, cauſam non invenio. Cum* 14. Kal. Octob. 1646. *eruditiſſimus luvenis*, D. PAULUS BIMAM, *poſt publicè habitam pro gradu* Magiſterii *Diſputationem, promotus eſſet & ornatus jamdudum meritis titulis à* Celeberr. D. JACOBO GOLIO, *Collega venerando, placuit* Rev. D. TRIGLANDIO, *ſub finem actus ſolemnis Senatui Academico jam abiturienti nonnihil proponere, quod tamen* Rectoris *erat potius* Magnifici: *Verum & ipſe, defunctus nuper* D. EWALDUS SCREVELIUS, *& ex cæteris* D. Profeſſoribus, *ſi non omnes, plerique ſaltem, rei proponendæ juxta cum ignariſſimis erant pariter ignari. Arripit* D. TRIGLANDIUS *ex Theſibus Pneumaticis & Metaphyſicis promoti* Magiſtri *ſecundam, quæ ſic ſonat:*

Dubitatio indubitatæ Philoſophiæ initium eſt.

Ait, voce grandi, vultu gravi, ſe mirari, quod tales theſes & ſub præſidio & ſine præſidio ventilarentur: eſſe illas periculoſas, novas, & contra Ariſtotelem: Viam ſternere ad Scepticiſmum: eaſdem dubitationes ex Philoſophia transferri in Theologiam: Studioſos dubitare ſic de rebus omnibus, de ſe, de Deo, &c.

Plura ipſe id genus retulit, quæ non refero (nec enim neceſſe eſt) ac petiit tandem Senatus Academici ſententiam; Num ab iis abſtinendum foret? Suffragia viritim & ſubito à Magnif. Rectore *collecta, maximam partem iſthuc abiêre, eſſe ab iis poſitionibus abſtinendum.*

At vero cum hoc modo imprudentiæ macula inuſta eſſet Cl. D. GOLIO, (*qui ut Candidati* Promotor *non debuiſſet permiſiſſe illam theſin, ſi tantum in ea periculi latuiſſet*) *pariter ac mihi, ſub cujus præſidio jam* 1645. menſe Julio finem Diſp. 19. Part. poſt. contra Poſſibilem Mundi æternitatem, *Corollarium erat defenſum*;

(Ipſe dubitandi actus firmiſſimum indubitantis eſt Philoſophiæ principium) *atque idem aut ſimile alias & ſæpe eſſet repetitum, noluimus deeſſe exiſtimationi tutandæ: itaque poſt Octiduum cum novus iterum* Magiſterii *candidatus honoribus iiſdem eſſet à me decoratus*, Cl. D. GOLIUS, *poteſtate fandi accepta, rem ante Octiduum obiter propoſitam reſumi petiit ac diſpici de novitate & periculo illius theſeos: dixit, ætatem ſuam & annos non decere ut ita quid impru-*

imprudenter fieri permittat, quod ad tam gravia & atrocia mala, Scepticismum & Atheismum, viam paret, sed nihil quippiam talis periculi esse in hac thesi: quin nec novam esse, nec contra Aristotelem, *quod descripto & praelecto ex* Arist. l. 3. Metaph. cap. 1. text. 1. & 2. *comprobavit. Addidi ego, ipsam* Aristotelis *in Philosophando praxin, confirmare hanc thesin: nam non est alia ipsi ratio agendi, quam dubitando ad veritatem pervenire.* Vid. lib. Phys. Metaphys. Problem. Quæst. Mechanic. & *ubicunque disputat. Adjunxi, eandem thesin defensam, modum per dubitationes Philosophandi servatum, hominibus* Ἀφροδισιεῦσι, Alexandro Aphrodisiensi *inter Græcos,* Averroi *inter Arabes,* Thomæ & Scoto *inter Latinos, & inter Recentiores ita* Arist. *tex. explicari & eandem viam teneri, à* Fonseca, Scayno, du Vallio, *quorum testimonia collecta, in* Disput. Metaph. περὶ ἀπορίας καὶ εὐπορίας, ad text. cit. *publico examini subjeci,* 10. Nov. 1646. *Et sic difflatus est inanis de periculo & novitate metus. Cum vero post aliquam ex justissima causa lectionum publicarum intermissionem, ad eas reverterer die* 17. Januar. 1647. *sermonem* De Libertate Philosophandi *ita præmittendum judicavi, quo magnam in addiscenda Philosophia remoram & ingens obstaculum remotum volui, ignobile illud servitutis jugum, multorum cervicibus nimis injectum, sed fortiter excutiendum docui,* renunciandum esse omnibus mentium nostrarum idolis, eradicandas esse opiniones præconceptas, tollenda omnia præjudicia, & animum ad Philosophiam esse adferendum, qualis est infantis, in quo nihil pictum est aut fictum aut scriptum actu, sed quidvis fingi, pingi, scribi in eo potest. Hanc fuisse viam tritam ac calcatam Aristoteli & præclaris semper omnium seculorum ubivis gentium ingeniis, ac nostro ævo Illustri D. Verulamio in aureo opere *Instaurationis magnæ & de Augmentis scientiarum,* atque etiamnum teri & calcari ingenio incomparabili, veritatis ex caligine & servitute emergentis promotori unico, D. Renato Cartesio, à quo Heroë si semel didicerimus moderari ac cohibere mentis nostræ assensum ab iis de quorum veritate non certo constat, & mentem nostram ab omnibus præjudiciis liberare, tum demum ista animi, ista judicii, inæstimabilis libertas, reducta nobis fuerit ac restituta; tum demum præsidia & auxilia inventa fuerint errores præcavendi, veritatem eruendi, Philosophiam ad suam libertatem & perfectionem reducendi ac restituendi, &c. *Concluси verbis & versiculis* Horatii:

Quid verum, atque decens, curo, & rogo, & omnis in hoc sum,
Condo & compono, quæ mox depromere possim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba Magistri,
Quo me cunque rapit tempestas, deferor Hospes.

Quæ liberius pro Philosophandi libertate à me tum fuerunt dicta, non eodem animo ab omnibus, ut fieri solet, sunt accepta, quibusdam ea approbantibus, aliis improbantibus, nonnullus ringentibus: ussit potissimum & mali habuit aliquos, quæ inter declamandum usus fueram, Apostrophe & προσφώνησις ad Renatum Cartesium *absentem, non aliter ac si præsens præsentem compellassem, hisce instituta verbis:* Salve Philosophorum maxime, Veritatis, Philosophiæ, Libertatis in Philosophando, Stator, Assertor, Vindex. *Quamvis vero iniquum sit, alteri in dicendo verborum formulas ex genio suo præscriptas velle: quamvis istis uti orationis luminibus & sententiæ figuris, quibus vult, unicuique existat liberrimum, ne quid tamen supra fidem, ne quid ex affectu, infra verum, citra meritum ejus viri, dixisse videar, veniam date, nonnihil fusius de* Philosopho hoc & Philosophia ipsius *differenti, fortassis id sufflaminabit & sistet convitiorum plaustra, quæ in illum & illam evomunt hodie nonnulli in* Thesium selectarum Libellis, Considerationibus, Vindiciis, Abstersionibus. *Sin ad meliorem mentem non revocaverit, nec restituerit, istarum scriptionum Authores, hæc oratio; spes tamen est, fore, ut minus fidei inveniant, apud* istius Philosophiæ *ignaros, &* Philosophi ipsius, *si non amicos, sed nec inimicos, eorum scripta: si neque hoc impetraverit, operæ tamen fuerit consecuta pretium, si mentes vestras sapientissimas, ab omni*

præjudicio liberas, & immunes imposterum conservaverit. RENATUS DES CARTES *genere ac familia nobilis, sed ingenio longè nobilior, à multis jam annis totus in id incubuit, ut methodum quandam quæsiverit & invenerit, indagandi veritatem rerum certam in* Natura *ac* Scientiis, *eaque usus fuit, atq; utitur etiamnum,* in Ratione sua ac mente dirigenda. *Postquam enim vulgari scholarum* Philosophia *animum suum imbuisset, ac nihil hic certi, sed disputationibus & dubitationibus eam repleri universam, deprehendisset, ad Mathemata se applicuit, quod illa majorem evidentiam & certitudinem pollicerivulgo dicerentur: in hisce excolendis ita versatus est, ut nihil impervium ingenio suo invenerit: imo ad istud fastigium assurrexit, ut quædam à multis annorum millibus problemata ipse solverit, & Græcis antiquis in Geometria Algebraica palmam præripuerit; cujus rei testes sunt pauca ista pagella de* Geometria *conscripta & hic* Lugduni *excusa: quin (si artifici credendum est de sua arte judicanti) narravit mihi non semel vir Celeberr.* D. JACOBUS GOLIUS, *Mathematum apud nos Professor,* D. CARTESIUM *veterum omnium ac recentiorum ingenia hic subvertisse, & id in* Matheſi *præstitum dedisse, quod vires ingenii humani viderentur superasse, & dissolvisse quod ἄλυτον fuisset habitum. Postquam vero* D. DES CARTES *tam feliciter versatus esset in* Mathematum *exercitio, num pari felicitate sibi succederet sua* Methodus *in aliarum* Philosophiæ *partium controversiis & difficultatibus enodandis, tentare voluit: Quare resumit eas, sed alia plane & sua peculiari* Methodo, *quam qua ante fuerat in iis versatus. Studet ergo eam & certitudinem & evidentiam in rebus cognoscendis tum* Physicis *tum* Metaphysicis *accipere, quam in* Mathematicis *demonstrationibus deprehenderat: itaque annos aliquot indagat in res* Physicas & Metaphysicas *cognoscendi principia, tam immota ac solida & certa, quam sunt* Mathematicarum *demonstrationum: nec inquirendi laborem defraudavit eventus: quippe, quod quæsivit, invenit: &* Methodi *sua adminiculo, non minori, si non majori, & certitudine & evidentia, cognoscere cœpit, ex principiis certissimis & evidentissimis, res* Metaphysicas & Physicas, *quam* Mathematicas: *atque magnam vitæ suæ partem & annorum aliquot decursum, hisce* Meditationibus *dedit: iis ingenium suum excoluit: mentem oblectavit: &, ut tanto liberius soli suæ* Rationi *excolendæ vacaret, vitam elegit solitariam, & loca vivendi, à turbis, ab aula, & à strepitu remotiora, quo tanto & felicius & facilius cogitationibus suis vacaret, iisque solis se oblectaret. Ac quamvis veritates jam nonnullas circa rerum naturas detexisset, longe certiores, evidentiores, utiliores, quam quæ hactenus in recepta essent tradita* Philosophia, *atque ante à se cognita, atque sic* Philosophantium *ordinem ab erroribus quibusdam liberasse potuisset, ita tamen humiliter & modeste de se sensit, ut privatos ingenii sui errores quidem emendaverit, quibus infectus fuerat, nihil tamen voluerit tentare, quo, qua in* Scholis & Academiis *vigeret, impugnaret atque everteret* Philosophiam: *hinc est, quod multo tempore presserit &* Methodum *suam inveniendæ veritatis &* veritates inventas. *Ac quamvis sibi constaret de* Methodi *sua certitudine & evidentia demonstrationum, quibus uteretur, quia tamen abibat à recepta philosophandi ratione, & homines valde proni esse solent in iis rejiciendis, quæ vel non capiunt, vel capere nolunt; non potuit primum eo adduci, ut pateretur cogitationes suas in lucem exire publicam. Exoratus tandem frequentissima petitione Amicorum hoc perpetuo urgentium, non esse denegandum humano generi, unde tantum boni ad illud redire valeret, emisit in lucem* 1637. Gallico *sermone, Discursum de* Methodo, ad bene regendam rationem suam, & inveniendam veritatem scientiarum, *cum triplici* specimine, Dioptrices, Meteororum, Geometriæ. *Nomen suum non apposuit, quia nec applausum captabat nec gloriam, & quia pertractus & coactus fere editionem permiserat; nam tegere ac premere maluisset quæ ederentur, quam alicui obtrudere quasi & commendare. Ideoq; sic scripsit; ut nullam suam opinionem pro præcepto tradiderit, nullam alterius destruxerit, sed simplici stylo ad modum & morem* Narrantis *in* Methodo *retulit media, quibus ad evidentiam istam & certitudinem cognoscendi devenisse se sibi persuaserat, & in sua relationis fidem & comprobationem* Specimina

mina *ista subjecit. Et* Methodus *ipsa &* Specimina *satis loquuntur ipsius in* Philosophando *integritatem, synceritatem, candorem, diligentiam, & quam nulli isto scripto male vel dixerit vel fecerit.* In Methodo *vitam & studia enarrat, peregrinationes explicat, rationem studendi & philosophandi, ante & post sibi usitatam, proponit.* Methodi *tandem sua regulas, quas teneret, in veritate indaganda, rebusque omnibus cognoscendis, exponit, qua omnia in exemplum trahi vetuit: sed enarranda erant, ut* Methodi *ejus, qua utebatur, origo & natura tanto evaderet clarior. Nihil unquam cuiquam hic prascripsit: cui* Methodus *placeret, uti ea potuit in rerum notitiâ acquirendâ, sicut ipsa usus erat Author in* Meteoris & Dioptrica: *cui displiceret, potuit eam negligere: totum hoc ipsi jusq; deque erat: nam suis maxime erroribus corrigendis eam conscripserat; & ei porro indulgere in* secundâ Ratione suâ, *reliquo vita currentis spatio, decreverat. Postquam vero* Methodus *triplici comitata* Specimine *lucem adspexit, variè fuit habita & excepta, laudata, celebrata, vituperata, condemnata, convitiis proscissa, in admirationem rapta, prout genius esset hominum, in quorum manus incidisset. Nullibi dissimiliores peperit sive affectus sive effectus, quam in novitia tum temporis & emergenti* Academia, *cujus duo Professores, alter* Theologus, Medicus *alter, in oppositas plane iverunt partes, hic* Methodum & Specimina *in cœlum attollendo, ille in infernum usque deprimendo: imo* Methodo & veritatibus *ac* principiis *per Methodum* inventis, *statim disputatum est tanta animorum acerbitate, ut vix potuerit magis, quibusdam Studiosorum* Medico, & *plurimis* Theologo *addictis. Postea in scripta mutua &* Historicas Narrationes *erupit res, & facta est omnibus notissima: nec rationibus tantum est certatum sed convitiis, & à* Methodo *ad* Authorem *ipsum transitus est factus: qui jam* celebris promissor, venturus Elias, *audiebat ab altera factione: quin* Atheismi *atque* Scepticismi *dicam impingebant* Methodi Authori, *qui à* Theologi *stabant partibus: sed non est opus narrare, qua nemo ignorat, cum publica hic etiam interceserint judicia, & publice sit invicem actum. Effecit illud partium studium, & tam multorum de* Methodo *diversa existimatio, ut ejus* Author *de promendis semper suis philosophematis, & ad proprii tantum ingenii cultum instituendis, sententiam mutaverit, & gravissimum* Scepticismi & Atheismi *crimen, nullo jure sed ex malignitate mera, sibi impactum, cuivis manifestum facere, decreverit. Eum in finem prælo commisit, præfixo jam nomine, quas obiter tantum delineaverat in* Gallico *scripto, suas de* Philosophia *tota cogitationes reliquas: & quamvis ex ipsa* Dissertationis Gallicæ pag. 30. & 35. *de* Methodo, *convitia impacta potuissent retundi, diluere tamen ea ipsi placuit fusiori scriptione: quem in finem* Anno 1641. *edidit* sex Meditationes de prima Philosophia, Meditationum *titulo vere insignitas; crebris & repetitis quippe Meditationibus* Meditationes *ista sunt subigenda, antequam de iis judicium pronuntietur. Subsecuta sunt* 1644. principia Philosophiæ *cum* Methodo & Specimibus *in Latium transfusis. In* Meditationibus *juxta sua ac vera* Methodi *institutum à notioribus procedit ad ignotiora, nihilque profitetur in* synopsi *à se accipi ut verum, nisi evidenter sibi perceptum, comprobatum, demonstratum, idque tam clare, ut omnis dubitatio ab eo, qui attenderit animumq; adverterit, fugere debeat, & nemo solidiora certitudinis fundamenta ponere valeat, quam ab eo ibi sunt jacta: dum in iis jaciendis occupatur, gravissimas ex omnibus quæstiones, in titulo promissas, dissolvit duas, solideque,* & Deum esse, &, Mentem à corpore distinctam, *docet. Quod ita facit ac perficit,* ut Scepticismum *omnem &* Atheismum *(velint nolint ejus Adversarii) radicitus evellat & ex imis subruat fundamentis: quin mentem humanam* ex sui ac Dei notitia *ad reliquarum extra se rerum notitiam ducit ac dirigit modo ac medio infallibili.*

Vera Hominis sapientia Sui *ac* Dei *absolvitur cognitione: hæc utraque in* Meditationibus *ab* Authore *sternitur ut fundamentum, cui reliquarum notitia superstruatur, & superstructa est in* 2. 3. & 4. parte Principiorum Philosophiæ. *Initium ejus Philosophia à cognitione est nostri, ac dum nos ipsos cognoscimus eo ipso deducimur in cognitionem Dei, neque enim extra nos animumque nostrum egredi est necesse, ut Deum*

nostrum

noſtrum eſſe cognoſcamus: talia ſui veſtigia in mente noſtra reliquit. Atque hæc decantatiſſima eſt Dei *in nobis* idea *inſita, qua Deus non longe abeſt à nobis, ſed animo noſtro intime eſt præſens, & advertenti, atque ſe animumque ſuum intuenti, vel ſtatim invenitur. Hac ſui* Deique notitia *nihil menti Philoſophantis, & certam rerum exiſtentium veritatem quærentis, occurrit prius, nihil certius: &, ut potiatur utraque, aliis non eget rebus, extra ſe non abit, quo certe ipſi menti nihil poteſt accidere gratius. Quid enim ſuavius ei contingat, quam ſi, in rerum omnium notitia acquirenda, ipſa ſibi ſit omnis cognitionis & certitudinis radix, origo, fundamentum? Dubitet* Scepticus *aliquis de rebus omnibus extra ſe poſitis, nunquam de mente ſua dubitare poteſt: eo enim ipſo quod dubitet, ſi ad cogitationes dubitantes attendit, jam ſe eſſe & in ſe eſſe quo dubitat, atque ſe exiſtere & quidem talis naturæ ut dubitare poſſit, deprehendit, velit nolit: ut ipſa mens dubitans ſufficiens ſit de ſe non dubitandi principium: Hæc Mentis humanæ, ad ſe attendentis, de ſe notitia, viam ſternit ad res alias præter ſe cognoſcendas: redeat igitur in ſe, quæ ex ſe, ſe eſſe, cognovit, mens, & ſcrutetur dubitationes ac cogitationes ſuas: invenit non tantum ſui ſed aliarum etiam in ſe rerum imagines depictas, non tamen omnium. Quærit ergo, unde habeat aliarum rerum præter ſe ideas? ſi aliarum rerum non habeat ex ſeſe notitiam, ſi aliarum rerum ideæ non eam ſibi ſed aliquid extraneum ipſi repræſentent, oportet aliquid extra eam, vel dari, vel dari ſaltem poſſe: & cur non omnium rerum ideas in ſe deprehendit? cur non poteſt ſibi, quæſcunque velit res, repræſentare? cur commercium proximum eſt ſibi ſecum, remotius cum rebus aliis?*

Dum ita cogitationes ſuas earumque originem inquirit, altius ſeipſam quoque contemplatur, & penitius cognoſcit. Deprehendit, ſe finitæ & eſſe naturæ & cognitionis, non eſſe ſe ſibi ſufficientem ad omnia cognoſcenda, atque inſuper ſe non eſſe à ſe, nec per ſe ſubſiſtere: deprehendit, quam arctis & anguſtis finibus ipſa & cogitationes ſuæ circumſcribantur, limitentur. Deprehendit, ut non eſt à ſe, ita ne ad momentum quidem temporis ſibi dare poſſe ut perſeveret: ita ex ſuarum imperfectionum idea invenit in ſe ideam entis longe ſe perfectioris, & iis omnibus perfectionibus abundantis, quibus ipſa caret, & ad ideam iſtam attendendo, cognoſcit facile, quantis perfectionibus illud ens oporteat eſſe præditum, in quibus omnes illæ ſunt quibus ipſa deſtituitur: cogitet ſuas imperfectiones, quod non ſit à ſe, non omnia ſciat, non omnia poſſit, &c. *&, oppoſitas perfectiones,* eſſe à ſe, omnia ſcire, omnia poſſe, &c. *deprehendet in idea illius entis, ſe perfectioris, contineri: & ſic extra ſe necdum egreſſa* Mens, *& ſe repperit &* Deum *ſuum: ac* Scepticiſmum omnem *tollit, & prætenſum ſic* Atheiſmum. *Atque hæc* noſtri & Dei *notitia baſis eſt & fundamentum & medium omnis ulterioris cognitionis: Quo enim magis* ideam *iſtam* noſtri *ac* Dei *in nobis examinabimus, eo certius res alias cognoſcemus: Quod in* Principiis Philoſophiæ, *& ipſa* Meditationum *ſerie, ſatis ordinata deducitur* Methodo, *quæ attendenti & ſæpius ac ſerio meditanti innoteſcit, aliis non item, ut ipſe monet* Medit. Author *in* Præfatione. *Antequam lucem viderent* Meditationes, *examini fuerunt primum ſubjecta, & multorum doctiſſimorum objectionibus tentatæ; ad quas reſpondendo, multa in* Meditationibus *obſcura clarius expoſuit* Author: *atque ita ſatisfecit, ut nihil à quoquam ſit regeſtum niſi à ſolo* Gaſſendo, *cui* Gallice *eſt reſponſum, quod* Meditationes *cum* Objectionibus *in* Gallicum *ſermonem tranſlatæ à* Nobiliſſ. Gall. *elapſo anno excuderentur. Ita quoque avide excepta ſunt à* Gallis Principia Philoſophiæ, *ut & hæc veſte* Gallica *eodem tempore ſint donata. In hiſce per ſolam* Materiam & Motum, *principia ſimpliciſſima & omnibus notiſſima, explicat rerum omnium naturas, proprietates, operationes, rejectis* Formis *omnibus (præter rationalem animam)* Subſtantialibus, *quæ in recepta* Philoſophia *merum ſunt ignorantiæ Aſylum. Laceſſiverat, in* epiſt. ad Dinetum, Peripateticos *omnes, ut vel unam ex peculiaribus ſuæ* Philoſophiæ *principiis vere ſolverent Quæſtionem, qui millenas ſolvit ex ſuis. Et hoc de* Formis Subſtantialibus *Commentum ante* Ariſtotelis *tempora fuit ignoratum, & poſtea multis diſplicuit, (quod utrumque* IV. *Diſputationibus habitis elapſa ſeptimana oſtendimus) & everſum ſatis fuit ante aliquot annos à* Cl. D. Præceptore

ptore & Prædeceſſore meo BURGERSDICIO, *lib.* 1. *cap.* 25. *Metaphyſ. qui tamen à nemine unquam iccirco eſt impetitus aut Atheiſmi accuſatus, uti ob eam rem à malignis impetitur & accuſatur* CARTESIUS. *Sed hæc infelix extitit ejus Philoſophiæ ſors, quod* Hæreſios, Blaſphemiæ, Pelagianiſmi, Scepticiſmi, Atheiſmi, *diras ſtatim conſequentias ei affricare conſueverint, vel ignorantes, vel malevoli. Ea nunc ſunt tempora, quibus nihil eſt uſitatius, quam criminum iſtorum ream agere & ſuſpectam reddere doctrinam, quæ vel negligitur vel non intelligitur: contingit illud, uti alias, ita acerbiſſime intra vertentis anni ſpatium, huic* Philoſophiæ, *cujus principia & dogmata* Profeſſores Philoſophi, *quod ſciam, nulli hactenus, vel examinârunt, refutârunt, ſed unus item atque alter Aphoriſmum hunc vel illum ac periodum aliquam, quam legit curſim ex ea, inſectatus eſt ſtatim & perſecutus crimine ac convitio. Atqui illorum potius erant partes, ſerio refellere iſtius* Philoſophiæ *principia, ſi minus ſint certa & firma, & tamen firmiora & certiora prædicentur atque habeantur, quam criminari aut convitiari: quod ſi* Philoſophos *non deceat, multo minus id conveniet* Theologis, *quorum non eſt, virgulam cenſoriam & dictaturam exercere in Philoſophia & aliarum ſcientiarum Profeſſiones, nec ἀλλοτριοπραγεῖν, aut aliena curare negotia: qui domi ſuæ habent ſatis quod agant; & defunguntur ſuo munere, ſi gregem ſibi commiſſum fideliter paſcant, viam ſalutis ei oſtendant, juventutem Academicam ſacris divinæ veritatis dogmatibus imbuant, & omnibus, pacis concordiæque ſtudio, præluceant. Et ferri poſſent levius eorum cenſuræ, ſi aut eas modeſte & abſque atrociſſimorum criminum conſequentiis inſtituerent cenſores, aut rerum, quas cenſent, periti forent. Quaſi non magis ſtandum eſſet de rebus naturæ ejuſque Principis judicio* Philoſophi, *qui ætatem totam & vitam omnem in iis inquirendis & explicandis impendit, quam* Theologi, *qui aliis cogitationibus animique ſtudiis diſtractus & diſtrictus, ſacra tantum tractavit non naturam. At ſi placet* Theologo *falcem immittere in* Philoſophi *meſſem, à virulenta ſaltem abſtineat criminatione, & calumniis, quæ artes cum nomine & titulo iſto non conveniunt. Videat ergo, an τὰ λόγια & θεῖα loquatur, qui acerbiſſimas nuper invectivas immiſcuit ſuæ* theſium ſelectarum præfationi, *&* Paralipomenis, *&* quartæ Diſp. de Atheiſmo parti, *atque alibi,* CARTESII *perſonam & philoſophemata, qui ſe & Philoſophiam ſuam ſatis tutabitur. Nihil facilius eſt quam convitium dicere aut calumniam impingere: ſed nihil quoque indignius Theologo ac viro bono. Noſtis ipſi* Nobiliſſ. & Ampliſſ. Domin. *quam ſerio vobis præterito anno per litteras conqueſtus ſit* D. DES CARTES, *de impacto ſibi temere* Pelagianiſmo, *à* Coll. Theol. Regente D. JACOBO REVIO, in Diſp. 23. Anal. Theol. th. 13. ex verbis Med. meth. 4. P. 55. Sola eſt voluntas ſive arbitrii libertas, quam tantam in me experior, ut nullius majoris ideam appiehendam, *& male citatis & male explicatis, quorum alterum inſcitiæ eſt, alterum perfidiæ. Noſtis quam* idem *iiſdem litteris querelam inſtituerit de imputatâ ſibi à primario nunc profeſſore* Theologo, D. JACOBO TRIGLANDIO, Blaſphemiâ, in Coroll. 7. ad 6. Aptilis *defenſo.* Internum Spiritus S. teſtimonium de certitudine ſalutis ad tempus negare ſub quocunque prætextu non licet, multo minus ipſum Spiritum S. (ſeu ipſum Deum, ut male CARTESIUS) pro impoſtore ac deceptore habere ſeu fingere, quod plane blaſphemum. *Non referam, quam fideliter & Reſpondentem, &* Rev. D. Præſidem *Collegam monuerim, ut, ſi paci & honori ſuo conſultum vellet, ab illo corollario & crimine perſonali defenſitando abſtineret, qui ſe* majorem *Corollarii poſuiſſe*, eum eſſe blaſphemum, qui Deum pro deceptore habet, non autem minorem, (ut male CARTESIUS) *ac meditationes ejus nunquam ſe tum legiſſe, profeſſus eſt, & indicari à me petut Reſpondenti, ut deleretur: nec dicam, quomodo ſententiam mutaverit ac diſputaverit, ac turbæ ingentes ſint exortæ. Hæc enim omnia Ampl. Conſeſſui veſtro ſunt expoſita, & ab Eo decretum* 13 Kal. Junias *elapſi anni*, ne à Profeſſoribus Theologis ac Philoſophis & Collegii Theologici Regentibus, impoſterum CARTESII, vel ejus opinionis, minima mentio fieret. *Ego quidem ab eo tempore veſtro decreto morum*

gessi, & sedulo operam dedi, ne Disputationem ullam pro aut contra CARTESIUM *instituerem, aut sub meo* Præsidio *disputandum permitterem, uti quidem ante à me ad ingenii exercitium fuerat factum. Placuit* Regenti *interea temporis* REVIO, *in varia & ab antecedentium & consequentium serie divulsa loca & excerpta ex* CARTESII Methodo, Meditationibus, Principiis, κεφάλαιον *instituere, & evulgare libellum, quinque foliorum, Titulo* Considerationis Theologicæ, *addita gemina* Disputatione, *ex quatuor antè contra* CARTESIUM *habitis. Consideratoris* Theologi *exemplo factus audentior* Professor Philosophus, D. ADAMUS STEVARTUS, *nuperrime in diem totum* 23. Decembris 1467. Geminam Disputationem Metaphysicam DE DEO, *jam omnium desiderio exspectatissimam atque aliquamdiu promissam*, Academiæ *valvis satis in tempore curat affigi, ex professo contra* Mandatum *vestrum in* CARTESIUM, *quod nulli non fuit compertissimum, ex corpore thesium universo, & præsertim th. 5. disp. prioris, institutam utramque, cujus habita* Historiam, *& quæ eam sunt consecuta, scire vestra interest Authoritatis, vestrique Consessus.*

Postquam jam diu sparsus per Academiam *rumor increbuisset, nunc brevi confodiendum* CARTESIUM *& jugulandos* CARTESIANOS, *ac jam compluscula dies affixa valvis* Disputatio *lectitaretur, tandem propridie Natalem Domini hora locoque consuetis ingens fit Studiosorum alterutrique ordinis virorum confluxus, ut* Auditorium *eos vix caperet. Conscenduntur subsellia, &, quæ sessioni erant destinata pedibus ad standum subserviunt. Capita fornicem contingunt: tam densum erat congregatorum agmen, atque ita compactum, & male ordinatum, ut ingredientium conspectui adimeretur &* Præses *&* Respondens *&* Opponens, *& ingressorum auditui subtraheretur loquentium vox. Cum horam circiter decimam accederem, desiit opponere doctissimus quis ex Coll. Ord. Iuvenis, ejusque vicem subit, profunda & solida doctrina vir,* D. JOHANNES DE RAEI, Philosophiæ Magister & Medicinæ Doctor, *gemino simul ante semestre titulo, à me &* Cl. D. VORSTIO, *pro virtutum suarum meritis, honoratus, cum insigni, & suo, & Academia nostra decore, qui ad* thesin 5. Disp. prioris, *ubi hæc sunt* Præsidis *verba:* Inveniuntur Neoterici nonnulli Philosophi, qui certam omnem fidem sensibus abrogant, & Philosophos Deum negare, & de ejus existentia dubitare posse contendunt, qui insitas interim à natura humanæ menti de Deo notitias actuales, species, & ideas admittunt, *sic oppositi: Si nulli extent tales Neoterici Philosophi, talium opinionum Authores, male nonnullis illa adscribuntur, & sine necessitate refutantur. At verum est prius. Ergo & posterius. Si vero sint, peto humanissime, ut mihi nominentur. Respondit* Præses *duo: 1. Parcendum esse nominibus & personis, disputandum tantum de opinionibus & sententiis. 2. Authoritate* D. Curatorum *sibi interdictum esse ne nominaret: sed satis constare, quinam illi essent: esse nota eorum nomina: se & alios scire: talia fuisse aliquando hic ventilata, &c. Reposuit* Alter, D. Curatorum *decreto, non tantum esse cautum, ne nomen* CARTESII, *quem significabat* Præses, *nominaretur, sed insuper vetitum, ne de ejus opinione vel opinionibus disputaretur; atque hic magis violari à* Præside *eorum authoritatem, quam si eum aut alios* Neotericos Philosophos, *opinionum istarum Authores, nominaret: itaque hoc denuo repetiit ac postulavit.* Præses *jam commotior, Quid tu,* inquit, *scis de* D. Curatorum *decreto? tu non interfuisti illorum conventui. Provoco ad* Cl. D. REVIUM *hic præsentem qui interfuit. Et ego,* regessit Opponens, *ad* Cl. D. Professorem *& hic & ibi quoque præsentem: ac me designabat, proxime à latere sibi assidentem: ac* sic perrexit: *licet non interfuerim conventui, novi tamen quid sit de illorum D. mente. Quid tu,* ait Præses, *scires, qui neque oculatus testis, neque auritus adfuisti? provoco ad* Cl. D. REVIUM. Reposuit Opponens, *neque se tamen ignarum mentis* D. Curatorum, *ac se vidisse ipsum* Epistolæ *à* D. Syndico *nomine* Nob. D. Curatorum *ad* D. CARTESIUM *missa αὐτόγραφον, quod nec* Præsidis *nec* D. REVII *oculis esset usurpatum, ex quo sane de sententia* D. Curatorum *quam clarissime statui potuit, quæ fuit: non tantum, ut nomini istius Herois parceretur, sed & ab ipsius opinioni-*

opinionibus ventilandis abſtineretur, contra quam faceret Præſes, *qui quam diu Authorum nomina non proferret reus haberetur calumniæ: ille eandem cantilenam canere, & ſenſim efferveſcere magis, & tandem dicere,* ſunt Lutherani, *nullius tamen pronunciare nomen.* Opponens *itaque, cum nihil impetraret, age,* inquit, *ſi nominare non placet authores, ego tamen novi, quos deſignes. Eſt inter eos, cujus nomen non audes proferre,* D. CARTESIUS, *& qui ſolus hic prater te opiniones ventilat Philoſophicas,* Collega præſens. *Ego tibi, ex illius ſcriptis, ex hujus theſibus ante quadriennium tuumque adventum diſputatis, contrarium demonſtrabo: & protulit locum ex* epiſtola CARTESII ad celeberrimum VOETIUM pag. 236. Sed notandum eſt eas omnes res, quarum cognitio dicitur nobis eſſe à natura indita, non ideo à nobis expreſſe cognoſci, ſed tantum tales eſſe, ut ipſas abſque ullo ſenſuum experimento, ex propriis ingenii viribus, cognoſcere poſſimus. *Ac jam in eo erat, ut proferret locum* ex th. 6. Diſp. meæ ſelect. 3. de Notitia Dei Naturali, *olim habita, ubi ſunt verba:* Ante rationis uſum mens hominis, neque propoſitiones comprehendit, neque termino's ſimplices apprehendit, veritatem proinde ac falſitatem nullius propoſitionis actu cognoſcit: hoc enim ſi faceret, ratione jam uteretur, & hujus actualis cognitionis reſpectu anima dicitur tabula raſa. *Cum excandeſcere & in furorem agi cœpit Præſes. Et poſtquam, furibundi inſtar, corpus ſuum in Cathedra nunc huc nunc illuc circumjectaſſet, ac varia effutiiſſet convitia in* Opponentem (*qui urſit vehementer & inſtitit ut loqui poſſet*) *tandem plenus ira, mota mente, Ego,* inquit, *pro authoritate publica ſilentium tibi impero. Tace: nolo te audire: &, Tu oppone,* dicit *alteri cuidam Studioſo, atque ei, qui ſub Præſidio* D. TRIGLANDII *de* Blaſphemia CARTESII *ante diſputaverat, ex Monachatu & ordine Capucinorum ad noſtram religionem converſus. Cum ita exceptum* Philoſophiæ ac Medicinæ Doctorem, *eique prælatum à* Præſide Studioſum *alium, viderent atque audirent præſentes, qui aderant, Auditores, tam indigne id tulerunt, ut continuo ultra quadrantem horæ pedum ſtrepitu ac plauſu omnem ulterius oppo-*

nendi occaſionem intercluſerint. Cum hora undecima privata eſſet promotio ab Academiæ Senatu facta, D. STEVARTUS *ei valde conqueri, & præſentiam atque authoritatem* Rect. Magnifici *ſibi poſt meridiem iterum diſputaturo implorare, ut ſtrepitus præveniretur. Plerique ex Senatu* D. Profeſſores *in iſtam ibant ſententiam, aliter ſecuritati* D. Præſidis *eſſe proſpiciendum, affixa ſcilicet valvis Academiæ ſchedula, qua, ut modeſtius ſe gererent Studioſi in pomeridiana diſputatione, rogarentur ac monerentur: quod ita factum fuit, & pacatius diſputatum. Cum vero publicè non tantum exiſtimatio mea eſſet læſa à* D. Præſide, *quaſi ego tales opiniones unquam ventilaſſem, ac privatim idem de me diceretur ab ipſo, ego diſputationem aliquam meam recuſam, cum inſtituta ad famæ tutelam præfatione, atque corollariis calumnias retegentibus, poſtero die Academiæ affigi curo: habendam* 28 Decembris. *Placuit hic* Magnifico *nunc Academiæ noſtræ* Rectori, *Celeberrimo* D. SPANHEMIO, *intercedere, &, qui geminam in* CARTESIUM STEVARTI *Diſputationem permiſerat, meam, non pro* CARTESIO, *ſed pro juſta exiſtimationis læſæ vindicta, comparatam ſufflaminare ac ſiſtere, quod nec honori nec tranquillitati publicæ eſſet ceſſura, & occaſionem factura novis tumultibus, ac non ſine ſtrepitu abitura. Petiit hoc dari precibus ſuis, ut abſtinerem, aut, ſi nolim, ſe pro authoritate non permiſſurum ut habeatur. Ego, cum ad integrum Senatum potuiſſem rem detuliſſe, id tamen non feci, ſed reſpondi, Magnifico D. Rectori me non refractarium fore, nec aliquid acturum contra Academiæ ſtatuta, honorem, vel tranquillitatem publicam, ſed & me ſollicitum eſſe de violata nominis mei exiſtimatione, quam noxam reſarciri ac reparari mihi, unice me velle, & judicare, non melius reparatam iri quam publica Diſputatione, qua læſiſſet Collega. Rogavi quid in Theſibus culpandum eſſet? Ille, nihil plane, repoſuit, ſed eſſe optimas: verum aculeatam eſſe nimis præfationem, & acerbiora in* Collegam *directa Corollaria. At, inquam,* reſponſum exiſtimet, non maledictum, quia læſit prior. *Et, Præfatio verbis ſignificantioribus concepta, nullum agit reum, ſed Calumniæ tantum ac Calumniatoris genium depingit ac*

characterem: in corollariis quid duri est? an vocabula, mentiuntur & calumniantur? *Quasi non liceat scapham scapham, ficum ficum dicere: non, qui dicit, cum vere dicit, sed qui facit culpandus est. Iudam furari, malum erat, at furem dicere, non item. Denique de* Rectoris Magnifici *petitione, me serio cogitaturum, promitto. Pridie disputationis habendæ* die 27. Januarii *tenuit sollicitudo* D. TRIGLANDIUM *ac* D. SCOTANUM *de turbis fortasse exorituris, ut nuper essent exortæ in* Disputatione STEVARTIANA: *ille curas suas ad* Rectorem *mittit, & ut tumultum præveniat monet: hic* Synedrio Ecclesiæ Lugdunensis Batavæ, *cujus est* Senior, *piam suam sollicitudinem proponit, qui tamen eam ad* Senatum Academicum *vel* Rectorem Magnificum *deferre debuerat, quia negotium erat mere Academicum, de εὐταξίᾳ disputationis Philosophicæ stabilienda, & ἀταξίᾳ præcavenda; quo facto an non aliquid detraxerit honori, authoritati, juri, ac majestati* Senatus Academici, *ipse viderit. Synedrium querelam & quæstionem à* D. SCOTANO *propositam accipit, rem per* Præsidem & Scribam *cum Amplis.* Syndico *nomine Magistratus ad conventum istum* Deputato *communicat, & per eosdem* Magnifico Rectori *exponit, petitque disputationem istam differri, ne contentionis flamma inter Professores magis exardescat.* Rector *circa vesperam me vocat, & quomodo interces sum esset à* Synedrio *meæ Disputationi, enarrat. Rogo, quid juris ei fuerit in Disputationem Academicam? an diffideret vigilantiæ* Rectoris? *Ille* Deputatos *nihil ex authoritate præscripsisse respondet, nec egisse ex jure sed humaniter petiisse, &c. Denique me hortatur, ut tantum differrem in adventum* Nobilis. D. Curatorum *post meridiem diei* 28. *futurum & de consilio eorum agerem. Ipso Disputationis die, cedo rationibus* Rectoris, *& scheda ipse significo*, Disputationem esse differendam ejus petitione in & post conventum vestrum. *Non fuit otium* Nobilis. Amplis. Vest. *excutiendi omnes intricatæ causæ circumstantias. quod maturandus vobis esset Hagam reditus: & quia nox integer foret consessus ob unius ex* Nobilis. D. Curator. *absentiam, vestro nomine, posterâ die nunciatum est, ut differrem ulterius in proximum Congressum. Factum id est à me lubenter: nunc, quæ consequuta sint, recensebo; quo pleniss ime totum cognoscatur negotium, ut se habuerit ab initio ad hoc usque momentum: prius tamen ipsam Disputationem, ut fuit recusa, exhibeo.*

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum

TERTIA,

DE

NOTITIA DEI NATURALI:

Habita,

Resp. JACOBO SOUTERIO, 25. *Martii*, 1643.

Ejusdem

REPETITIO,

Habenda,

Resp. DANIELE OUZEEL, 28. *Decembris*, 1647.

Ad Nobilissimos, Spectatissimos, Doctissimos, Philosophiæ in Academiâ LEYDENSI

STUDIOSOS,

PRÆLOQUIUM.

NOvum est, & oculis & auribus insuetum vestris, Disputationis Philosophicæ Repetitionem *instituí*. Sed enim non sine causa id factum est aut ratione. Calumniæ occurrendum fuit & labes abstergenda, qua contaminari possit boni nominis fama ac proscindi, sub NEOTERICORUM PHILOSOPHORUM *operto titulo*. Venenata lingua tela & nocitura spicula, occultis ac non explicatis titulis, projicere, proprium est τοῦ διαβόλου vitii ita fœdi, ita tetri, ut inde nomen acceperit, mendacii Pater & omnium malorum Princeps, Diabolus. Calumniam plerumq; parit Invidia, nutrit Curiositas, comitatur Mendacium; & fere proficiscitur à vilis animi & garrulis hominibus hoc quicquid est vitii: loquaces enim, ut multa, ita mala sæpe ac falsa loquuntur, invidia præsertim & curiositate abrepti: quibus erectior contigit indoles, ab eo abstinent. Licet vero adversus calumniam nemo sit tutus, satisque sit clypei, animi innocentia, quia tamen famam (qua nihil pretiosius) occultis ea petit ac ladere conatur modis, jure merito, & in ignominiam Calumniantis, detegitur. Quadriennium est cum semestri, quod in selectarum ex Philosophia Disputationum Tertia, meam, de Notitia Dei Naturali, proposuerim atque exposuerim sententiam, quam iterato examini subjicere fuit visum, non quod tum temporis, aut à Doctissimo Respondente aut à me Præside, non fuerit satisfactum oppositionibus, sed ut constet, eandem esse hic mihi sententiam ac mentem, qua olim fuit, in nullo aut puncto aut apice immutatam, quod iisdem thesibus & verbis repetita disputatio ostendit; ac præsertim, ut fatua ista, & qua in sapiens pectus, aut in eum, cui mens constat, cadere nequit, opinio, de infantibus in utero matris atque ex eo egressis statim prædictis Dei notitia actuali, repellatur, & ad Anticyras cum Authore relegetur, quam tamen sub Neotericorum Philosophorum *titulo* mihi impingere

pingere valeat, si non clanculum impegerit, Malignitas ac Calumnia. Veritas nova mihi nunquam displicuit, quin & veritatem novam philosophando invenire, quotidianum mihi est studium: at aliquid novi pro vero, quod falsum est, affingi mihi aut imputari, nunquam patiar. Theses hæ, quam longè absit à me, insulsa, quam retuli, opinio, & de Dei existentia per rationes naturales ἐποχὴ, satis superq; docent. Si quis ultra hic aliquid nobis affinxerit, is, inter τὰ Δελφολῆς diva Calumniæ cultores, nomen merebitur suum, & justam aliquando mercedem reportabit.

JUSTINUS MARTYR

In Apologia secunda pro Christianis.

Τοὺς κατ' ἀλήθειαν εὐσεβεῖς καὶ φιλοσόφους μόνον τὴν ἀλήθειαν τιμᾶν & σέβεσθαι, ὁ λόγος ὑπαγορεύει.

Qui vere pii & Philosophi sunt, eos solam veritatem in precio habere & colere debere, ratio dictat.

THESIS I.

ESSE *Deum*, sciri potest, ac cognosci multis modis. Nonnulli triplicem statuunt Dei cognitionem: 1. cognitionem *rationis*, quam investigamus per creaturarum initium. 2. cognitionem *devotionis*, quæ fit per verbum, ex cujus prædicatione cognitio fidei oritur. 3. cognitionem *glorificationis*, quæ fit in vita æterna. Alii ponunt quadruplicem divinæ cognitionis librum, φύσεως, *naturæ*, quo pertinent καιναὶ ἔννοιαι menti naturaliter impressæ. 2. κτίσεως, *creaturæ*, quo pertinent intuitus & contemplatio creaturarum. 3. γραφῆς, *scripturæ*, quo pertinet divina in Propheticis & Apostolicis scriptis revelatio. 4. ζωῆς, *vitæ æternæ*, quo pertinet intuita & beatifica Dei visio. Sed prætermissa cognitione glorificationis, & libro vitæ æternæ, qui cognoscendi modus in hac vita non possidetur, sed speratur tantum, reliqui tres cognoscendi modi optime revocari possunt ad duo capita; ut *cognitio Dei*, alia sit *naturalis*, alia *revelata*, & illa petatur ex *naturæ*, hæc ex *scripturæ* libro. Ac nos quidem, relicto Theologis scripturæ libro, & cognitione revelata, *Qualis sit Dei notitia naturalis, hausta ex libro naturæ*, hac disputatione inquiremus.

II. *Liber naturæ* duplex statui potest, *internus & externus:* unde *notitia* Dei naturalis dividitur in *insitam* vel *innatam*, & *acquisitam*; illam vocant alii *subjectivam*, hanc *objectivam*. Notitia *insita* originem habet ex καιναῖς ἐννοίαις, quæ amissæ imaginis divinæ sunt obscura quædam rudera ac vestigia, & amissæ illius lucis, quæ in hominis mente ante lapsum fulgebat, superstites quædam ac sopitæ scintillulæ, per quas communis illa & anticipata notio, *Quod sit Deus*, omnium hominum mentibus naturaliter est insculpta. Has ergo notitias communes referimus ad *librum* naturæ *internum*; ad quem etiam pertinet *liber* συνειδήσεως, *internum* conscientiæ *testimonium*, quod Scholastici vocant *Synteresin*, συντήρησιν· nam ex principiis cum homine natis oritur in corde cujusvis hic Syllogismus practicus: *Qui vitam vivit impiam, sentiet Dei vindicis iram & pœnam:* ratio ejus est, quia omnibus naturaliter est insitum & insculptum, *Deum esse, Deum esse colendum, Deum esse scelerum vindicem:* subsumit autem conscientia impii, *Ego flagitiosam vitam duxi, &c. Acquisita* Dei notitia ex *libro* naturæ *externo*, videlicet ex contemplatione operum & effectorum divinorum, vi naturalis discursus, à mente humana colligitur: ut enim ex pluribus literis, ita ex plurimis creaturis, liber quidam componitur, cum quælibet creatura non sit nisi quædam litera manu Dei scripta: & in hoc libro Deum legere, atque ex lectione cognoscere, possumus.

III. Atque hæc est gemina & *genuina Deum naturaliter cognoscendi ratio:* partim *insita*,

sita, ex *libro* naturæ *interno*; partim *acquisita*, ex *libro* naturæ *externo*; quæ à non uno impetitur & impugnatur hoste. Priorem negat *Timplerus*, *Metaph. lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 2. qui pluta habet passim in Metaphysica non probæ notæ, & heterodoxiæ merito suspecta: & sicut multos ex Timpleriana Metaphysica errores, ita hunc etiam ex ea hausit ejus Collega, *Conradus Vorstius in notis ad disp.* 1. *de Deo*, *pag.* 119. *& in apologetica exegesi*, *c.* 1. Erravit & hunc errorem *Scaliger*, *exercit.* 307. *sect.* 18. Utramque tam innatam quam acquisitam Dei naturalem notitiam negat infaustus ille *Socinus*, *prælect. Theol. c.* 2. Quia vero distincta sunt argumenta, quibus tum insita, tum acquisita Dei notitia naturalis, probari potest, distincte etiam ea proponemus, si primum status controversiæ fuerit fixus rectéque formatus; ad quem fingendum formandumque quædam distinctiones observandæ veniunt.

IV. *Notitia Dei* potest, vel ratione *subjecti*, in quo est, vel ratione *objecti*, circa quod est, vel ratione *modi* & *graduum*, diversimode considerari: 1. *Ratione subjecti* est, vel *speculativa*, vel *practica*: *intellectus*, vel *affectus*: *theoria*, vel *malitia*; *non est quæstio*, cum quæritur, an detur aliqua naturalis Dei notitia, *de notitia practica*, *affectus*, *malitiæ*: multi enim affectu, malitia, voluntate, vita & operibus, Deum negant: quem tamen intellectu & theotia speculativá negate non possunt, ignorant tales Deum, *non pura negatione*, *sed prava dispositione*: est etiam notitia alia *in actu primo*, id est *habitualis*, alia *in actu secundo*, id est, *actualis*: non quæritur, *an detur notitia Dei naturalis in nobis semper in actu secundo*, *seu actualis*, *sed in actu primo seu habitualis*: 2. *Ratione objecti* potest dividi notitia Dei in eam, quæ est circa τὸ ὅτι, & eam, quæ est circa τὸ πῶς. *De priori quæstio est*, *non de posteriori*, sc. *an naturaliter homo scire possit*, *quod sit Deus*: *non vero quid & quis sit Deus*: distingui etiam potest inter notitiam veri Dei, & quasdam vero Deo competentes notitias, sive inter conceptum, qui est de Deo, & conceptus applicationem: *hoc est in controversia*, *an homo extra revelationem possit habere quasdam vero Deo competentes notitias*, *quosdam veros de Deo vero conceptus*, *etsi in particulari illos male applicet*, *ad id v.c. quod non est Deus*: 3. *Ratione modi & graduum*, notitia Dei est, *confusa* in communi, & *distincta* in particulari, *salutaris*, vel *non salutaris*: *de notitia Dei confusa & non salutari quæstio est*, *non autem de distincta & salutari*; talis enim nullo modo ex natura hauriri potest. Hic igitur controversiæ status manet, *An detur notitia Dei naturalis speculativa*, *in actu primo*, *circa* τὸ ὅτι, *confusa & non salutaris*, *qua verum de vero Deo conceptum formare potest homo*, *sive illud sit ex contemplatione creaturarum*, *sive per notitias innatas & tacito cordis motu*: hoc enim in quæstione hac nobis perinde est: affirmamus utrumque & probamus.

V. *Notitiam innatam probant*, 1. Universalis & perpetuus omnium populorum consensus: *nulla enim gens tam est barbara*, *tam effera*, *qua non cognoscat esse Deum*, inquit Cicero *l.* 1. *de natura Deor.* Arist. l. 1. de cœlo, πάντες ἢ ἄνθρωποι σφᾶς θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν. Et Seneca *epist.* 117. *nulla gens adeo extra leges moresque est projecta*, *ut non aliquos Deos credat*; sc. sensus divinitatis naturaliter omnibus insitus tam efficax fuit in Gentilibus, ut quidvis potius etiam infra hominis naturam positum, Deum esse, quam nullum esse Deum, statuerint: & falsum est, quod Adversarii asserunt, non tantum aliquos homines, sed integros hodie populos reperiri, qui nullum penitus sensum aut suspicionem divinitatis habeant, & apud quos nullum sit vestigium religionis; nec exempla Brasilienssium atque Indorum id probant. 2. Salutaria morum præcepta & institutiones apud Gentiles, quæ ex lumine naturæ profluxerunt: hæ enim manifestè ostendunt honestorum & turpium discrimen esse omnibus naturaliter impressum, & notitiam de Deo insitam 3. Timor supremi alicujus numinis naturaliter ex corde hominis prorumpens: homines enim feri & barbari, adeoque ab omni doctrina & institutione remoti, inque sylvis degentes, cum tonitrua audiunt, timent, & suo timore testantur insitam esse naturaliter cordibus hanc notitiam, quod sit aliquod summum numen omnipotens, & hic timor ac *conscientia consensus internus*, qui *omnibus dictat* aliquem esse, qui vitia puniat, & præmiis

præmiis virtutes compenſet, ſupremum Dictatorem, vel ſolus ſufficit ad *ſubjectivam hanc Dei & inſitam naturalem notitiam* probandam: nec difficile eſt refutare (quod facere malumus in ipſo diſputandi actu) argumenta ſententiæ negantis, in quam, neſcio quo fato, delapſus eſt quoque Cl. hujus Academiæ ante paucos annos Philoſophus, *D. Fr. Burgerſdicius*, *lib. 2. Metaph. cap. 4. th. 1. & 2.* Maximum quidem ſententiæ hujus fulcrum à Cl. *Viro* ponitur *loc. cit.* in dicto *Ariſtotelis*, quo dicit *animam eſſe tabulam raſam, in qua ſcriptum nihil eſt, ſed quidvis inſcribi poteſt:* verum locus ille *Ariſtotelis* huic opinioni non patrocinatur: nam intelligendus eſt ratione ſpecierum intelligibilium, & completæ ſive *actualis cognitionis* illius, ad quam naturaliter aptus exiſtit intellectus, & quaſi in proximâ eſt potentiâ; eam tamen impreſſam non habet: NAM ANTE RATIONIS USUM MENS HOMINIS, NEQUE PROPOSITIONES COMPREHENDIT, NEQUE TERMINOS SIMPLICES APPREHENDIT, VERITATEM PROINDE AC FALSITATEM NULLIUS PROPOSITIONIS ACTU COGNOSCIT: HOC ENIM SI FACERET, RATIONE JAM UTERETUR ANTEQUAM UTERETUR: ET HUIUS ACTUALIS COGNITIONIS RESPECTU, ANIMA DICITUR TABULA RASA.

Quod dicat Vir Cl. th. 1. hanc propoſitionem, *Deus eſt*, non eſſe per ſe notam, nec intellectâ ſignificatione vocum, quibus effertur, aſſenſum impetrare, ſicut hæc facit, *Totum eſt majus ſua parte*, & neminem repertum iri, qui hoc aſſerat, non ſatis caute dicitur: Nam æque notum eſt ex terminis cognitis, ſi non notius, *Deum eſſe*, quam alterum iſtud: nam poſtremum hoc notius eſſe videtur, quia ſenſibus ejus veritas eſt vicinior: at prioris veritas intellectui eſt prior. *Totum eſſe majus ſua parte*, per ſe notum eſt, quia ſenſus id teſtatur: at *Deum eſſe*, per ſe notum eſt, quia intellectus id teſtatur: & ſicut viſo aut cognito, quid ſit *totum*, quid *pars*, ſtatim ſcitur, *totum eſſe majus ſua parte*; ita etiam, intellecto quid ſignificet hoc nomen, *Deus*, ſtatim habetur & ſcitur, quod *Deus* eſt: Nam quid ſignificat vox, DEUS? illud ſc. quo melius ac majus cogitari non poteſt. At hoc ipſum ſignificat, *Deum eſſe*; nam quomodo vox, *Deus*, intellectui ſignificare poſſit, id quod eſt Optimum & maximum, niſi intelligat intellectus, illud eſſe, quod per vocem, *Deus*, ſignificatur; quod enim entitatem non habet nec habere intelligitur, nec bonitatem, nec vim ullam habet, nec habere intelligi poteſt.

VI. *Cognitionem Dei objectivam probant*, totus macrocoſmus & microcoſmus, cui utrique tam clara ſui veſtigia impreſſit, ut utrumque contemplanti nullibi non occurrat, *Deus:* ubivis videre eſt examinanti, divinos illos, ſapientiæ, bonitatis, potentiæ, characteres, rebus impreſſos, quos illinc eruere, id demum eſt *Philoſophari:* tota enim *Philoſophia*, quæ verè id nomen meretur, hic abſolvitur, ut *ex viſibilibus Deum inviſibilem aperiat, animoque ſiſtat, & cognoſcendum & colendum:* quo ſi non deſtinatur, ab autore ſuo abit, & à fine & ſcopo aberrat: ut enim omnis naturæ notitia à Deo eſt, ita ad Deum tendit ac dirigitur, & in Dei notitiâ cultuque naturali, tanquam fine ultimo, acquieſcit: produxit enim mundum majorem minoremque, rebuſque omnibus entitatem largitus eſt, Deus; pro ſupremâ bonitate, ſapientiâ, potentiâ, ut ipſe in iis & agnoſceretur & laudaretur: *ſapientiam* Dei, pulcherrimus monſtrat terum atque univerſi ordo, ac proportio: *potentiam*, admiranda cœli, terræ, rerumque naturalium virtutes & effecta: *bonitatem*, rerum creatarum finis, utpote quos non ſui, ſed hominis, cauſa condidit optimus *Deus:* unde *vera Philoſophia in creaturarum exiſtentia, Dei exiſtentiam, in earum virtutibus effectis, Dei virtutes & effecta*, tanquam in clariſſimo ſpeculo, *proponit cognoſcenda ac contemplanda*; quam Dei, naturæ virtutumque divinarum, in rebus creatis latentium, ac *Philoſophiæ* nunc beneficio patentium, *notitiam*, non poteſt non ſequi *cultus* amorque *Dei:* tantum enim diligimus, quantum cognoſcimus. *An Deum, ita naturali intellectus lumine ex rebus creatis cognoſcen-*

cognoscendum, bene & sufficienter doceat quæ hactenus viget & ubique regnum tenet, *ex Gentilismo tantum & Peripateticismo hausta*, ac noxio heterodoxorum Philosophorum veneno infecta, *sub vanis subtilitatibus & infrugiferis quæstionibus, Philosophia*, disquiri posset; sed ab instituto nostro est alienum: certè, *non multum ad Dei notitiam faciunt, Sophistica, & de vocibus tantum ac terminis instituta, non pauca in Philosophia digladiationes.* Quicquid sit, reperire tamen est in Philosophiâ modernâ ac disputatrice rationes non contemnendas, quibus notitia Dei naturalis objectiva adstruitur.

VII. *Thomas Aquinas summæ suæ parte* 1. *quæst.* 2. *art.* 3. quinque argumenta profert, 1. ex parte motus: quia omne, quod movetur, ab alio movetur: necesse igitur est, ut deveniatur ad aliquod primum movens, quod à nullo movetur; & hoc esse, omnes intelligunt, *Deum:* 2. ex ratione causæ efficientis; quia omne, quod est, ab alio est: necesse est igitur pervenire ad aliquam causam efficientem primam (non enim datur progressus in infinitum) quæ *Deus est:* 3. ex possibili ac necessario: quia non omnia, quæ sunt, sunt possibilia, sed semper aliquid fuit, quod fuit necessarium; ubi devenietur tandem ad aliquid, quod per se est necessarium, & causam necessitatis aliunde non habet, sed quod necessitatis causa sit in aliis, estque *Deus:* 4. ex gradibus, qui in rebus inveniuntur: invenitur in rebus aliquod magis & minus bonum, verum, nobile, &c. Ergo est etiam aliquid, quod est verissimum, optimum, nobilissimum; proindeque maxime ens, puta, *Deus:* 5. ex gubernatione rerum, quæ omnia, etiam quæ cognitione carent, operantur propter finem, ad quem tamen non casu, sed ex intentione cognoscentis perveniunt: ergo est aliquod intelligens, à quo res naturales & omnes ad finem ordinantur ac diriguntur, qui est DEUS.

COROLLARIA.

1. *Ex* 36. *argumentorum pro Dei existentia titulis, à non nemine allatis, validissimum est, quod petitur à testimonio conscientiæ, & nervus eo quod petitur ab ordine causarum, quia illud hominem unumquemque convincit, at hoc, non vulgus, sed Philosophos tantum, nec omnes, sed qui argumentationis istius seriem & vim capiunt, tantum confirmat.*

2. *Qui argumentis* 15. *impugnant insitam à natura aut congenitam homini notitiam Dei actualem, qua, & in utero matris infantes, & ex utero egressi, statim actu Deum cognoscant, illi cum umbra sua luctantur, & aut inscitiam produnt aut malitiam, dum tam fatuam & stultam opinionem Neotericis quibusdam Philosophis affingunt: inscitiam, si istorum Philosophorum mentem non intellexerint; malitiam, si falso affinxerint.*

3. *Qui inferunt, innatam in nobis Dei notitiam, si sit infusa, non fore naturalem, aut in ambiguo ludunt, quod Sophistarum est, aut, eadem consequentia, justitiam originalem primo homini innatam simul & infusam, negaverint fuisse naturalem, quod in Theologia est erroneum: hinc nec peccatum originale fuerit naturale, quia innatum est liberis & iis infusum à parentibus; at illud naturale est: nam natura nascimur filii iræ.*

4. *Qui insitam Dei notitiam in nobis negant, quia idea sit exemplar rei faciendæ, & Deum nec factum nec faciendum multis argumentis probant, illi ἀεροβατοῦσι, & operam insumunt in probando eo, quod nemo mortalium negat, & vocem* ideæ *contra originem & vim nativam significandi restringunt, est enim* ἀπὸ τοῦ εἴδω, *ut* species *à* specio: *quasi non dentur ideæ & species rerum, quas videmus ac cognoscimus, nec tamen facere valemus: sic nullæ forent ideæ aut species, possibilium nunquam futurorum, multo minus impossibilium; attamen illa cognosci, quis negare ausit? &, si nulla datur idea seu species intelligibilis Dei, aut Deum non cognoscimus, & sic nec credimus in eum, quia fides est notitia, notitia est per ideam in nobis ac speciem intelligibilem, aut cognoscimus eum per essentiam, quod absurdum omnibus habetur Philosophis jure merito, & talis modus cognoscendi est Deo soli proprius.*

5. *Qui Neotericis nonnullis Philosophis tribuunt, quod fidem omnem sensibus abnegent, quod Deum negare, & de ejus existentia dubitari posse, contendant, quod, Deum negare, nobis licere,*

dicant, aut semper aut ad tempus, quod, Deum esse, non credendum, statuant; illi contra Christianam charitatem in illorum Philosophorum famam, nomen, conscientiam, sunt injurii, quamdiu eos non nominant, aut tales opiniones, abiis asseri, allatis locis, & libris, & paginis, & verbis, probatum dederint, & Deo, convitii, calumniæ, ac mendacii, aliquando sunt reddituri rationem.

6. *Qui iisdem Philosophis Neotericis, jam, Deum esse, confitentibus, adscribunt, quod audacter pronuncient, Deum non modo negative, sed & positive sui causam efficientem dici debere, aut per potentiam sui ipsius causam conservantem esse, illi, quamdiu nec nomina eorum proferunt, nec verba, audacter, & calumniantur, & mentiuntur.*

7. *Mens omnibus Præjudiciis est denudanda: quod qui non faciunt, sibi ipsi causa sunt, tam gravissimorum errorum & tot ineptiarum, in quas incidunt, adeoque viam sibi præcludunt, & aliis, quos idem docent, ad veritatem rerum ex inscitia & dubitatione unquam emergendi.*

8. *Nullam dari in nobis notitiam Dei insitam, simpliciter absque ulla distinctione pro thesi vel corollario defendere, periculosum est, & merito suspectum. Quanto rectius magnus* Calvinus §. 3. c. 3. lib. 1. Instit. Hoc quidem rectè judicantibus semper constat; insculptum esse mentibus humanis divinitatis sensum, qui deleri nunquam potest: imo & naturaliter ingenitam esse hanc persuasionem, esse aliquem Deum, & penitus infixam esse in ipsis medullis, cujus neminem obliviscinatura ipsa patitur.

9. *Corpus unum esse posse in pluribus locis, periculosa & erronea est assertio: atque hoc ita explicare, ut sit in pluribus locis partialibus secundum varia membra, ridiculum est effugium.*

10. *Deum vi suæ essentiæ existere, nihil est aliud, quam eum esse à se positivè. Prior phrasis est Baronii in Phil. Theol. Ancill. Exerc. 1. art. par. 3. Posterior Hieron. Tom. 9. in Eph. 3. August. Tom. 3. de Trinitate l. 7. c. 1. & Tom. 4. l. 38. 44. Quæst. 15. & 16. Videatur & Calvinus, in Inst. l. 1. c. 5. part. 6. ubi utrisque durius loquitur: quia æternum esse, & à seipso principium habere, necesse est, unde omnia trahunt originem.*

FINIS.

Non suffecit, hanc disputationem vestro distuliisse consilio: sed adversum ejus Corollaria *suarum disputationum* vindicias *paravit* D. STEVARTVS, *libellum vere famosum, quem sisterem ob oculos, nisi metuerem ægre fore naribus vestris ab insigni fœtore, quo est repletus: vix enim aliud (honos sit auribus) quam stercora loquitur: nisi quod, præter verba male olentia, diras passim & calumnias inspergat infrunitas, & ostendat, in se quadrare* Calumniatoris *characterem, præfatione delineatum: hoc libello apud bonos omnes id plus fecit quod stigma sibi inusserit perpetuum, & maculam adsperserit suo nomini, nullis vel totius Oceani undis eluendam.*

Bilem quoque moverunt Corollaria *ista, alteri in Regimine Coll. Theol. Collegæ,* D. REVIO, *qui stilum armavit in ea, & ita plenum virulentiæ libellum, iratus exaravit, ut non atramento sed mero felle calamum tinxisse videatur.*

Hæsi diu, quid agerem, contemtune vindicarem Vindicias *illas an talione; abstergeremne* adspersas calumnias *an floccifacerem. Postulabat defensionem & urgebat fama læsa: vetabat Charitas Christiana indulgere litibus inglorius nullosque habituris triumphos: Licet dignus esset uterque eadem sibi mensura retribui, qua mihi esset emensus, indignum tamen judicabam me, ut* Ego *id facerem. Non, si illi frana laxassent affectibus, iræ ac furori, idem mihi faciundum erat. Non si illi impotes sui, toti Mundi exposuisset animi impotentiam, quæ in homines, aut jam, aut ferme, sexagenarios cadere non debuisset, in eandem impotentiam mihi luveni ad instar illorum incidendum fuerat. Potuisem iisdem armis utrumque adoriri, quibus me invasit, & par pari referre: Sed temperavi mihi, & moderatior audire malui, quam aut impudentior, aut imprudentior. Omnibus itaque, convitiorum, calumniarum, mendaciorum telis, ab utroque in me intortis, scutum obtendo, animi innocentiam & insontem conscientiam:*

------ Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Innocentiæ meæ, & inscitiæ illorum specimen, ac præsertim malitiæ, detectæ in Calumniis & Mendaciis, tum STEVARTI *furibundi, tum* REVII *iracundi, placuit orbi litterato exhibere, ex amicissimis mihi capitibus uni,* Philalethio Eleutherio Athenienſi. *Ego, quæ narravi omnia, vestro judicio expono ac submitto, &, quo me hactenus prosequimini, eidem vestro favori me commendo. Dabam* Lug. Bat. pridie nonas Februarias, 1648.

NOB. AMPLIT. VET. devictus Cliens, ac devotus Cultor,

A. HEEREBOORD, *Philos. Prof. Ordin. & Coll. Theol. Pro-Regens.*

ADRIA-

ADRIANI HEEREBOORD,
Philosophiæ Professoris Ordinarii,

CONSILIUM DE RATIONE STUDENDI PHILOSOPHIÆ.

DIstinguenda est *Philosophia* in veterem & novam: *Veterem* voco quæ ab antiquioribus tradita, & ex Aristotele præsertim hausta, receptis Veterum & Aristotelis innititur principiis: hanc Peripateticam vulgo vocant: nam Philosophia Academica, Stoica, Epicurea, Democritica, aliæque, diu interierunt. *Novam* appello, quæ à recentioribus tradita, non ex Aristotele aut alio hauftis principiis innititur, sed naturam ipsam pro Philosophandi objecto, non hominum, nedum Aristotelis, assumit sententias. Qui *Veterem*, id est, *Aristotelis Philosophiam* pertractarunt, sunt trium generum Authores; *Systematici*, *Quæstionarii*, *Textuales*. *Systematicos* appello, qui philosophiam *Peripateticam*, præceptis, stylo, & ordine, nostri ævi ingeniis, accommodata, plene perfecteque dispositis, ad usum vitæ humanæ tradiderunt. *Quæstionarios* dico, qui vel ex textu Aristotelis quæstiones eliciunt, vel, semoto textu, ab aliis motas pertractant. *Textuales*, qui Aristotelis textum explicant solummodo: vulgo dicuntur Commentatores: hi vel *Græci* sunt, vel *Arabes*, vel *Latini*: Græci Arabibus & Latinis sunt præferendi. *Græci* sunt, *Alexander Aphrodisiensis*, *Simplicius*, *Philoponus*, *Themistius*, *Olympiodorus*, *Ammonius*, *Eustathius*, *Eustratius*, &c. Inter *Arabes*, *Averroës* eminet. *Latini* sunt, vel, *veteres*, *Thomas*, *Scotus*, *Albertus Magnus*, & *Scholastici Antiqui*, vel *recentiores*, quorum quidam libros *Logicos*, alii *Physicos*, alii *Metaphysicos*, alii *Ethicos*, &c. commentariis illustrarunt.

Ordinem quod spectat Philosophandi, à *Systemate*, Philosophiæ studioso est incipiendum; Inde ad *Quæstiones* transeundum, in *Textu* Aristotelis desinendum: ex tota *Philosophia Vetus atq; Aristotelica* prius est tenenda, antequam ad *novam* hujus vel illius recentioris accedatur. Ipsius *Philosophiæ Peripateticæ naturam* accurate explicant in suis præcognitis Philosophicis *Keckermannus* & *Alstedius*, ac peculiari tractatu *Scheiblerus*, qui Logicæ ejus præmitti solet. Pro *Systemate Logicæ* præscripsero *Synopsin Logicam Burgersdicii*, *notis à me illustratam*, *ejusdem majores institutiones*, &c. *Systema minus ac majus Keckermanni*. Inter *Quæstionarios* hic commendavero *Scheiblerum* & *Timplerum*. Ad organi Aristotelici *textum* intelligendum sufficerit *Pacius*. Ad *Metaphysicam* transeo, ubi quod commendem systema, vix invenio, ut querimoniæ hic potius sit locus quam consilio. Sed enim in manus sumantur, donec elaboratiores prodeant, *institutiones metaphysicæ Burgersdicianæ* ex postrema editione à me recensitæ: addantur Metaphysica *Combachii* & *Sthalii* atque *Alstedii*. Inter *Quæstionarios* Metaphysicæ scriptores orthodoxos nullum commendo, quia nullus extat, quod ego quidem sciam.

Edidit *Iohannes Rodolfus Faber*, Professor Genevensis Philosophiæ, quæstiones Metaphysicas, sed quæ tam sunt steriles, ut omni succo destituantur. *Timplerus*, qui noster videri voluit, similiter, quæstiones cum systemate in lucem dedit Metaphysicas, sed quæ ἑτεροδοξίας sunt refertissimæ: Quare, si legendæ sunt aut legantur, maximo hic fuerit utendum judicio: namque in iis,

Sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis.

Idem pronuncio de Metaphysicis *Scheibleri*, *Iacobi Martini*, *Scharfii*, Lutheranorum, & omnium Metaphysicorum Principis ac Papæ, *Suaresii* Jesuitæ, quos, inter *Quæstionarios*, atque ante omnes, postremum, commendaverim. Hoc non præterierim, in Metaphysicis quæstionibus discuriendis, speciatim esse insistendum iis, quæ moventur in secunda parte speciali de Deo divinisque attributis, ubi fundamenta sunt conquirenda, quibus mens nostra muniri valeat adversus periculosissimos *Conradii Vorstii* in tractatu de Deo errores, quos

detexit & solide refutavit *Becanus*, in prima parte Theologiæ Scholasticæ, quæ tota in isto genere est optima. Ad *textum Aristotelis Metaphysicum* intelligendum, ex veteribus probo *Alexandrum Aphrodisiensem*, ex recentioribus *Fonsecam:* sed vero tantum est in opere isto Aristotelis rerum omnium chaos: tam nulla connexio, nullus ordo, tanta contrà confusio, ut Delio natatore opus sit ad mentem Philosophi istic percipiendam.

Physica Peripatetica varia extant *Systemata:* in iis accuratissimum fere est & ordinatissimum, quod diligentissimus reliquit *Keckermannus:* cui pro controversiarum notitia jungantur, *Physica Combachii, collegium Physicum Burgersdicii, aut Iacchæi institutiones* notis illustratæ à *Zeizoldo* Professore Ienensi: imprimis legi velim *Physicam Sperlingii.* Verumenimvero, ut naturæ, ita & *Physica Peripatetica*, latissima sunt pomœria. Quare cum innumerus sit quæstionum, quæ hic ab *Aristotelicis* agitari solent, numerus, varios in variis Physicæ partibus legendos censeo quæstionarios: in parte generali, præfigo *Pererium* & *Wendelinum:* de mundo & cælo, *Wendelinum* & *Casmannum:* de elementis, *Schragmullerum* &c. *Contarenum:* de mixtione & temperamentis, *Riolani prælectiones in libros Physiologicos Fernelii:* de meteoris, *Fromundum:* De lapidibus & gemmis, *Bootium:* de anima, *Casmannum* & *Davidem Buchananum* ac *Fromundum: controversias physicas* varias optimè decidit *Zabarella*, perspicuitate præ aliis commendandus. Ad *textum Physicum Aristotelis* intelligendum, omnibus præfero *Pacium.* Inter modernos *Physica Peripatetica quæstionarios* simul & *commentatores, Conimbricenses*, sunt intellectu faciliores, *Ruvius* & *Complutenses*, difficiliores sed subtiliores, compendiosissimus *Murcia*; Cui præter jam recensitos authores plus ultra ire est animus, legat *Philosophiam Tolosanam, cursum Scotisticum Ponce*, legat *Hurtadum de Mendoza, Rodericum Ariaga, Franciscum Oviedo, Franciscum bonæ spei, Carletonum, Lalemandet*, & quicunque extant istius farinæ, pæne dixeram, furfuris, Philosophi. In *Philosophia morali*, præter *Ideam Burgersdicianam*, quæ lectorem ad Aristotelis textum manu dicit, & *collegium Ethicum meum* disputationum, quod ex Scholasticis supplet ea, quæ in priori desunt, inter systematicos optimi sunt *Keckermannus* & *Alstedius: eosdem* eligi suasero, *in Politicis* & *Oeconomicis*, nisi quod comitem iis dari velim, *in Politicis, Wendelinum* & *Althusium.* In *quæstionibus Ethicis*, optimi sunt *Burnathus* & *Wendelinus: in Politicis, Liebenthal: in Oeconomicis, Berkringerus.* Inter *textuales in Ethicis*, ex Antiquis, *Andronicum Rhodium*, ex recentioribus, *Magirum: in Politicis, Giphanium*, præscripsero. Sed, à *Veteribus* ac Peripateticæ Philosophiæ Authoribus, ad *Novos* me confero Philosophos; quorum *nonnulli* antiqua Peripateticorum placita *destruunt* tantum, *alii nova* insuper & veriora indagandæ veritatis *fundamenta jaciunt. Prioris generis* sunt, novæ Philosophiæ triumviri, *Ludovicus Vives* in aureis suis *de causis corruptarum artium* libris, *Petrus Ramus in Scholis, Logicis, Physicis, Metaphysicis* (cujus imprimis nunquam satis commendavero aureolos, imo omni auro digniores, duos, inæstimabilis, ob singularem in *Analysi* & *Genesi* usum, *Logica* libellos) *Franciscus Patritius in suis discussionibus Peripateticis.* Hisce adjungatur quartus nostri ævi scriptor Belga, *Gorlæus in exercitationibus Philosophicis:* item & quintus, *Thomas Campanella in sua Philosophia reali epilogistica, Metaphysicis, & omnibus operibus:* Speciatim in Physicis, Aristotelis destruxerunt principia, *Telesius*, *Basso* & fratres *Bootii. Posterioris generis* sunt, *Franciscus Patritius in suâ novâ Philosophiâ*, illustris Heros, *Franciscus Baco de Verulamio*, in nunquam nimium æstimandis *de Augmentis scientiarum* libris & *instauratione magna*, *Iohannes Amos Comenius*, *in Physica & Pansophiæ prodromo, Dysbejus in Physica*, & Philosophiæ exorientis Phosphorus, *Renatus Des-Cartes*, *in omnibus operibus Philosophicis*, in quibus editis, Philosophiæ veræ clavem veram exhibuit, naturæ arcana non pauca recluſit, januam ad rerum immotam veritatem perveniendi aperuit: Atque utinam editis divini ingenii monumentis aliquando accedant inedita, quæ alibi latent! in quo voto consilium hoc meum finio.

ADRIA-

ADRIANI HEREBOORD,
Professoris Philosophi,

SERMO ACADEMICUS,

DE

Rectâ Philosophicè disputandi ratione,

Habitus 13. *Januar.* 1648. *in Acad. Lugd. Batav.*

Auditores omnis ordinis ornatissimi,

REFERT *Eunapius Maximus*, qui præter *Diogenem Laërtium* Græce de *Vitis* scripsit *Philosophorum, Priscum Philosophum*, *Iuliano Imperatori* familiarem ægerrimè ad disputationes instituendas fuisse pertractum, sed dogmata sua non aliter ac thesaurum pressisse ac recondita tenuisse: quin & prodigos & decoctores nominasse, qui *Philosophiæ* arcana *disputando*, occasione nata, promulgassent: imo tantus exstitit Disputationum Philosophicarum osor hic *Priscus*, ut *Ædesium* Præceptorem, ad concertationes litteratas & Disputationes pronum, majestatis Philosophicæ proditorem nuncupaverit. At vero longe alia stetit mens, aliis ante & post *Priscum Philosophis*, qui, publicis disputationibus magis quam tacitis meditationibus proficere Philosophiæ studiosos, sapienter æstimarunt, & omnem in animis inclusam commentationem, disputando, in veritatis lucem, esse proferendam, prudenter judicarunt. Privatæ meditationis studia lenta sunt & languida, & sine vivido animi motu aut ardore: eadem vivunt, vigent, inflammantur, *disputando*. *Disputationis* exercitium insigne est, ingenii, judicii, memoriæ, ac παῤῥησίας adminiculum, subsidium, præsidium. *Disputatio* cribrum est veritatis, & veluti cos, qua ingenium expolitur, judicium exacuitur, utrumque excitatur, memoria confirmatur, παῤῥησία conciliatur: atque ut ex duorum silicum collisione elicitur ignis, ita disputatione eluescit veritas. *Athenis* iccirco & *Romæ*, frequentissimæ erant olim de *Philosophia* disputationes. Qui mos alibi semper frequentatus est, & frequentatur hodie in Academiis omnibus, ubicunque locorum *Philosophia* docetur ac discitur. Et, cum tanta sit mentis humanæ cæcitas, ut non statim rei veritatem perspiciat, quo medio vel remedio meliori ad eam deveniet quam disputando? Oculi plus vident quam oculus: ferrum ferro acuitur, vir viro: cum ob veritatem inveniendam in certamen descenditur, tum demum, ex conflictu, ejus potiundæ apparet spes. Si veritas omnis ex se nota esset, si investes pueri statim Philosophi essent, nullâ opus foret disputatione: quare disputationum necessitatem ipsa loquitur & exigit ingenii humani conditio. Homo animal est κοινωνικὸν, vitamque degit in mutuâ conversatione, in qua fieri nequit ut idem omnes sentiant ac loquantur; sed quod hic probat, alter improbat: uter recte? *Disputatio* decernit ac decîdit: quam non *necessitas* commendat solum, sed *utilitas* insuper ac *voluptas*: Quid mortalium generi jucundius, quid utilius, quam in publico litteratorum congressu depromere ea, quæ multorum annorum studio & improbo labore quis congessit, ad sui & aliorum instructionem? *Disputationes* infinitas exhibent ac conferunt Studiosis utilitates: lucis fugam sistunt, rusticum pudorem animis excutiunt, mentis animique dotes roborant, dicendi facultatem augent, veritatem producunt; disputantes reddunt, in colloquiis blandos, in audiendo quietos, in docendo offi-

cioſos, in refellendo placidos, in cedendo faciles, & ad quaſvis vitæ humanæ functiones idoneos. Hi fructus ſunt Diſputationum, ſi dextre, & uti oportet, inſtituantur: ſi contra, paulatim inſtillant juniorum animis audacem impudentiam, ſuperbam negligentiam, eruditionem falſo creditam, garrulitatem moleſtam, pertinaciam, maledicentiam, morum aſperitatem, redduntque eos ad omnem vitæ communionem ineptos. Quare, cum diſputationes ſint bonæ ei qui recte eis ſcit uti, malæ, qui non utitur recte, ut non in malum ſed in bonum cedant, *Academicæ* apud nos Juventuti, *de rectâ Philoſophice diſputandi ratione*, ſermonem Academicum lectionibus Academicis præmittere viſum fuit non inconſultum, quo rei præſtantiſſimæ uſum commendem ac confirmem, abuſum tollam atque auferam: quod ſi non fiet à me iſtis dicendi floſculis, & mellitis verborum globulis, quibus *Rhetores* uti ſolent, cogitate à *Philoſopho* non *Oratore* verba fieri, qui Latine tamen dicere ſtudebit, ſi non poſſit ornate, &, licet poſſet, forte non vellet, quod, de qua diſſeret,

Ornari res ipſa neget, contenta doceri.

Feliciter diſputaturus, ſe ſpectet, ſpectet *materiam* diſputationi deſtinatam, ſpectet *formam* ac normam, in diſputatione ſequendam ac tenendam, quæ tria erunt noſtræ diſſertationis capita. Quemadmodum

Non cuivis homini contingit adire Corinthum,

ita *non cujuſvis* eſt, diſputationis aleam jacere; ſed *nec quidlibet* in diſputationem trahendum; *nec* diſputator *ſine norma ac forma*, ſine ordine aut modo debet,

Per ſylvas ſaltuſque & inhoſpita teſqua ferarum,

Per montes, per aquas, & per prærupta vagari.

Sed uti Mercurialem ſtatuam ſequitur Viator, uti plectro greſſus ſuos conformat ſaltator, uti ideam ſuam intuetur ædificator, ita certam diſputandi rationem obſervat diſputator. Sed dum tria hæc oratiunculæ meæ ſpeciatim perſequor puncta, attentis adeſte dicenti, *Auditores*, & auribus & animis.

Non temere *quemvis diſputandi* Provinciam ſubire velim: *Neque enim omnia poſſumus omnes: nec ex quolibet ligno fit Mercurius.* Sunt quibus tardiores ingenii vires largita eſt natura, qui ex opponentium laqueis tam facile ſeſe expedire nequeunt; ſunt quos metus retinet pudorque ruſticus: Sed enim uttumque hoc in diſputando obſtaculum removeri poteſt, ac neutrum tale eſt, quin ipſo diſputandi actu emendetur: *Diſputatio* ſiquidem metum illum pudoremque ex animo expellit ejicitque, & ingenium expolit atque exacuit: ac tales, ſi mediocri artium *Logicarum* notitia ſint inſtructi, materiæque diſputandæ periti, ad diſputandum magis aptos cenſuerim, quam audaculos illos, qui animoſe interdum in arena *Philoſophica* cum adverſariis manus conſerunt, interim loquentiæ habent multum, ſapientiæ parum, audaciæ nimium. Prudentes adoleſcentulos, & ex verecundia aut ſui ingenii quadam diffidentia vix audentes, non ideo à diſputandi exercitio abſtinere velim: nam laudem merentur non tantum primi, ſed qui primis ſunt proximi: nec ſemper vocales iſti blaterones omne ferunt punctum, laudem reportant majorem, qui paucis modeſte, quam qui pluribus immodeſte agunt. Si ætatis rationem quis inſpiciat, juniores ad diſputandum aptiores cenſuero quam ſenes, ætas enim ingraveſcens quietior eſt & languidior, at juvenilis, eſt animi plena ac vigoris: unde ad certamina iſta ingeniorum exiſtit pronior & magis idonea: uti gladiatores affectæ jam ætatis rude donandi ſunt potius quam antiquo iterum includendi ludo; ita juvenum potius eſt quam ſenum, in arenam deſcendere ad certandum armis *Philoſophicis*. Attamen non debet juvenis ſolus ac ſe nixus, ſine *Moderatoris* cujuſdam & *Arbitri* ac *Præſidis*, quem vocant, conſilio & auxilio, diſputationum fluctibus ſeſe committere, non magis quam nautæ maris tempeſtatibus, ſine velis, ſine remis, ſine anchoris: ſi enim abſque hac ſuccenturiata *Palæmonis* alicujus opera aut *Superioris* authoritate diſputatio ſuſcipiatur, facile eſt, ut Tyrones ac Novitii in pleriſque hæreant, & ignominiam referant, aut ad abſurdas opiniones veluti ad ſcopulum allidantur atque appellantur. Non itaque *Adoleſcentem* tenel-

tenellum ſolum, non Logicæ & rei diſputandæ prorſus ignarum, ſed *Præſide* adjutum, reique *Logicæ* ac diſputationis ſuæ mediocritate, gnarum, non aliqua temeritate atque audacia, ſed modeſta ſui, ac tum metu & pudore, non tamen nimio, conjuncta confidentia, diſputationis onus ſubire præſcripſero ac permiſero.

Sed poſtquam conſtat, *Cui*; jam nunc, *de Quibus* ſit diſputandum, diſpici debet: atque hic non vulgari eſt opus circumſpectione, ne loco percarum, quod ajunt, capiamus ſcorpiones, aut *pro theſauris carbones*. Ante omnia illud *Horatii* præceptum, quod ſpectat *ſcriptionem*, applicandum *diſputationi*:

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, aquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri. ——

Temeritatis eſt, onus, cui ferendo par eſſe nequeas: ſuſcipere: ſtultitiæ, illud velle ſufferre: ignominiæ, abjicere & aufugere. Nec in alienam meſſem falcem debet immittere *diſputator*, nec aſſumere partes quæ non ſunt ſuæ: ſunt diſciplinis, & Philoſophiæ, ejuſque partibus ſingulis, fines ſui ac limites,

Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Hic valet illud: *tractent fabrilia fabri:* &c. *Spartam, quam nactus es, orna:* &, *Coquus ſi ſis, Medicinam ne facito, Medicus ſi ſis, culinam non ingreditor: Theologus* ſacra tractet, non methodum philoſophandi conſideret aut de Philoſophiâ diſputet. *Iureconſultus* Politica ſpectet & leges. *Philoſophus* quoque extra ſphæram ſuæ activitatis (ut Philoſophico utar termino) ne egreditor, nec extra *Divæ* noſtræ pomœria aut ſepta abeat, quin unicuique *Philoſophiæ* parti quod ſuum eſt relinquat, nec in *Philoſophorum Principis* monitum incurrat, quo jubet, ἐκ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. Eſt enim in omni *Philoſophia diſputandi* materies abundans ac nimia: eam aliunde derivare nihil eſt neceſſe: atque hic miſere impingunt moderni diſputatores, qui ſuas in *Philoſophia* diſputationes poſteritati reliquere; ubi in *Metaphyſicis Theologiam* univerſam, adeoque *Myſterium Trinitatis & Incarnationis*, enarrata, videre eſt: in *Morali Philoſophia*, de *ſupernaturali beatitudine* diſputant: in *Phyſicis*, totam ex ſacris hiſtoriam *Creationis*, & integrum *Hexaëmerum* diſputandum proponunt. Quaſi non artium & ſcientiarum finibus regundis præſtitutæ & præfixæ ſint leges: imo & ad ſyllabarum diſtinctionem vocumque *Grammaticam* conjunctionem in *Logicis diſputationibus* deſcendunt; adeo aliis, quicquid ſuum eſt, invident hi homines. In ipſa ἀκροάσει diſputant, quæ diſputanda eſſent, cum de *Cœlo*, cum de *Elementis*, cum de *Mixtis* diſputatur: in *Metaphyſicis* ad textum illum *Ariſt.* in initio, *Omnes homines natura ſcire deſiderant*, multis diſputant de *appetitu*, & *ſcientiis* in genere, itemque de *ſenſibus*, & alia plurima, quæ alterius ſunt fori. Nec *Diſputator* noſter ea diſputanda ſumat, ut ſubtilis videatur, quæ humana perveſtigari diligentia non poſſunt. Delirus eſt, qui in illis operam velit perdere & oleum, quæ ſunt inexplicabilia. Bene *Ariſtippus* cuidam olim roganti, ut captionem quandam ſophiſticam diſſolveret, *Quid vis*, inquit, *ut ſolvam, quod etiam non ligatum nobis exhibet negotium? Altiora te ne quæſieris*, monet *Syracides*: & Græcorum ille, *Apollinis* oraculo, ἀφώτιστον, *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.* Miſera eſt illorum fortuna, qui cum *Icaro tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant.* Talis *diſputantium* eſt conatus, qui de *Angelis* diſputaturi eorum ordinem ſcrutantur & cœleſtem hierarchiam: Quid hic dicam de illa farragine diſputationum quæ *de poſſibili* nominantur, cum audacter & temere diſputatur, *quid Deus poſſit, & non poſſit*, quod in *Philoſophia Scholaſtica* nimis fit quam frequenter: inſpicite mihi *Conimbricenſes*, *Ruvium*, *Mendozam*, *Arriagam*, *Oviedo*, *Pererium*, *Suareſium*, *Fonſecam*, *Raconem*, *Euſtachium*, *Complutenſes*, & quid attinet plures dicere? videte, uti ad ſingulas occaſiones in *potentiam Dei diſputando involent?* De *Materia* ſua *prima*, quærunt ſtatim & diſputant: *An per potentiam Dei abſolutam ſine forma exiſtere valeat? An viciſſim ipſa forma poſſit ſine materia exiſtere? An una eademque numero materia poſſit uno eodemque tempore pluribus formis informari? & viciſſim, An forma informare plures materias poſſit per divinam potentiam? An una eademque numero materia poſſit per*

divinam

divinam omnipotentiam conſtitui in pluribus diverſis locis? &c. Accipite exemplum aliud. Diſputant *an indiviſibile quantitatis, ſi per poſſibile daretur ſeparatum à continuo, moveri poſſit per potentiam divinam?* Quæſtio ſane egregia & diſputatio de re, quæ neque ſit neque eſſe poſſit. An per divinam vim *moveri poſſit adhuc?* Curioſitas ſane inaudita, &, inter Gallicas *Gaffarelli curioſitates inauditas*, referenda. Quis nunc cum *Hippocrate* queratur vitæ brevitatem, cum tantum ſuperſit *diſputantibus* hodie *Philoſophis* ad illa *divinæ potentiæ* arcana inquirenda, qui

Quærentes rerum abſtruſas evolvere cauſas,
Naturaque intus latitantis pandere clauſtra,
Materiam primam, vacuumque, ac mille Chimeras,
Ructantur buccis inflatis ut videantur
Docti. Qui rerum ignaros hac fruge ſaginant:
Hoc ſale conditur tenera & juvenilior ætas:
Nec pudet his nugis abſumere turpiter ævum.

Sed neſcio, unde ſic repente *Poëta* ſim factus, qui *Orator* ad vos acceſſeram, aut *Philoſophus* magis cathedram conſcenderam. *Diogenes* cuidam ac oſtentationem ingenii multa de rebus olim cœleſtibus diſſerenti, *Quam nuper Tu*, inquit, *de cœlo veniſti?* idem ſublimioribus noſtris *Philoſophis*, & de tam ſublimibus diſputare ſolitis, inculcari poſſet. Sed enim neque in rebus minutis & exilibus valde ſollicitum eſſe *diſputatorem* meum velim, nec ſine fine aut modo perſequi argutias, quæ neque ſcienti proſunt, neque ignoranti obſunt: ἀφιλόσοφον eſt, neglectis prorſus rebus, λογομαχεῖν aut λεπτολογεῖν & de lanâ diſputare caprinâ: quid attinet, in lentâ unguentum, in ſcirpo nodum quærere, in nugis tragœdias agere, pumilioni Herculis cothurnos aptare?

Quid juvat id nugis argutos nectere nodos,
Aut ſpinas miſſis velle tenere roſis?

Videas interdum diſputari, *Quas habeat proprietates forma illa, quæ cadaveris eſt, vulgoque corporeitatis dicitur? An qui ſunt inferiores gradus, contineant ſuperiores formaliter vel eminenter? An facultas viſus poſita in lapide actum viſionis eliceret? An bos ligneus idem ſpecie ſit cum bove vivo?* Quod diſcutiendum maximo hujus ævi *Philoſopho* quidam nuperrime *Theologus* propoſuit. Alia ſunt, *Auditores*, in promptu, in quibus diſputandis nervos ingenii valeamus intendere, ſcitu digna, cognitu jucunda, uſu fructuoſa. *Myrmecidas Mileſius*, & *Callicrates Lacedæmonius*, quadrigas olim fecere, quæ ſub alis muſcæ poſſent abſcondi, quod opus vanam temporis perditionem ſi dixeris, verum dixeris: at ſi idem de hoc *Diſputationum* genere pronunciaveris, nihil falſi locutus fueris. Veritas quidem naturale pabulum eſt animorum, & omni quærenda ſtudio, ſed non omnis veritas tanti facienda: quid enim ad me, quot in ſuis ædibus habeat tegulas, quot gallinas alat meus vicinus? & tamen horum omnium eſt veritas. Ita multa ſunt in *Philoſophicis* diſputationibus vera quidem, ſed non ſtatim diſputanda, quia minuta, & exilia, & quæ citra detrimentum negligi poſſunt: nec ea quoque in diſputationem ſunt vocanda, quæ extra omnem diſputationis aleam ſunt poſita: quod quidem nullus faciet *diſputator*, niſi καινότητος amans ſit & κενότητος. Quodcunque enim de his diſputabitur, vel quæretur frigide, vel pugnabitur ſophiſtice. Neque decet in *diſputationibus* eorum patrocinium ſuſcipere, quæ prorſus abſurda exiſtunt, aut falſa, aut impia, aut moribus pernicioſa. Hoc enim qui faciunt diſputantes, animum produnt monſtroſum, temerarium, atheum, impurum, & omnino diſſolutum. *Soli ne obloquitor*, dicebat quondam *Pythagoras*: & de rebus divinis, atque iis quæ morum ſpectant honeſtatem, nec joco nec ſerio aliter diſputandum quam ſeſe habent. Præclare monet in *Topicis Ariſtoteles: Qui quærunt, Dii an ſint colendi, & an amandi parentes nec ne, ſupplicio ſunt coërcendi: qui, an nix ſit alba, ſenſu carent.* Hujus generis ſunt illa, *ſenſibus eſſe fidem omnem abrogandam, motum eſſe nullum, beatitudinem hominis in gulâ & ventris voluptatibus eſſe ſitam*, aliaque delirantium ſomnia: ſicuti vero *diſputatori* noſtro cautum ſedulo velim, ne de aperte falſis diſputet, ita quoque præſcriptum ei volo, ne ſententias in diſputando refutet, quas ipſe ſibi finxit, & quarum Authores nullos novit; hoc enim vere eſt σκιαμαχεῖν, id eſt, cum umbra luctari, & homunculum pingere quem confodias; hoc eſt

ἀτεχνα-

ἀεροβατεῖν, in aëiem pugnare, & cum nihil habeas quod oppugnes, cum larvis velitari: ita faciunt, qui *infantes in utero matris non esse præditos actuali Dei notitia; Deum non esse negandum, nec negari posse nec debere; eundem non esse causam sui efficientem, non omnem fidem sensibus detrahendam*, magno molimine, & ingenti argumentorum caterva, multis paginis in disputationibus probant, quæ *Philosophorum* inter Neotericos ac modernos, imo mortalium nullus, unquam asseruit cui fuit *mens sana in corpore sano*. In iis destruendis, quæ nemo adstruit, qui est operosus *disputator*, is magno conatu magnas nugas agit, ac, si insuper aliis affingat sententias, quarum Authores, nec extant, nec demonstrari possunt, contra fidem agit & integritatem, ac synceritatem boni *disputatoris* ac boni viri. Non ergo ista disputantium examini sunt exponenda, quæ aut in *veritatem* incurrant aut in *veracitatem*, non quæ pietatem labefactent, non quæ *utilitate* laborem non compensent, non quæ supra vires sunt nostras ac nimium subtilia. *Turpe est*, inquit ille, *difficiles habere nugas*: sed vero quæ *Oratorum more* de disputationum materia, ὕστερον πρότερον, & methodo dixi cryptica, per suas classes digeram, & ordine, ut *Philosophus* ac *Logicus Professor*, dispescam, ut memoriam insuper vestram juvem, Auditores. Primò igitur, *quicquid humanum superat captum*, & sciri inquit, *de eo incassum disputatur*: quale est illud, *sitne numerus stellarum par an impar?* Secundò, *quod sciri quidem potest, à disputante tamen ignoratur, pessime* ab eo *ad disputandum assumitur; prius* quippe *discendum quam disputandum*. Qui accedit ad disputandam materiam quam non intelligit, is reti ventos capit, sine fundamento domum exstruit, sive scirpea rate aquis se committit. Possem hic justo aliquid dare dolori, qui noverim hoc disputandi cacoëthes, à multis nonnunquam remere ac cum sui ignominia susceptum, ut defendere fuerint ausi vel opponere, etiam ea, quæ non intelligerent, dederintque sine mente sonos psittacorum instar. Tertiò, *Quicquid controversum non est, sub disputationem non cadit*; quale est illud, quod, vel *manifeste* est *verum*, vel *manifeste falsum*: *manifesta vera*, vel *sensibus* deprehenduntur, vel *intellectu* apprehenduntur, ab omnibus, queis sensus intellectusque sunt αὐτοδιδακτοι, ut cum *Arist.* loquar: ea vulgo *principia* vocantur: unde tritum illud: *contra negantem principia non est disputandum. Manifeste falsa* sunt, quæ vel omnium sensu refutantur, vel primis principiis directe adversantur: hæc tamen accurate sunt discernenda ab iis, quæ παραδοξα *Graci* vocant, & disputare non est vetitum: sunt enim vera, sed præter, vel vulgi, vel sapientum plerorumque, opinionem. Quartò, *Quæ nullo sese non commendant, à disputationibus proscribantur* & exulent; absint *otiosæ quæstiones*, quales exstant apud *Summulistas, Sententiarios, Quodlibetarios, Philosophos Reales, Nominales, Conceptuales, Thomam, Scotum, Occamum, Durandum*, alioque *Doctores ex Scholasticorum* gente, *Angelicos, Seraphicos, Cherubicos*, & horum *sequaces*, nostri temporis ac *vulgo receptos in Philosophia Scriptores*, qui odiosis & otiosis plane quæstionibus libros replent. Quid attinet disputare in *Logicis*; *An Notiones secundæ sint conceptus formales in mente subjective existentes, an vero res cognitæ in quibus denominatio cogniti sit relatio rationis?* Cui bono tot quæstionum agmina, maxima verborum barbarie, de *Vniversalibus* volvuntur ac revolvuntur, *an sint entia realia, an rationis?* &, si rationis, *quo mentis actu fiant, an simplici an comparato, directo an reflexo, &c.* Quasi vero in istarum quæstionum discussione salus Reip. sit sita! quasi mundus sit ruiturus si harum ineptiarum moles ruat! quasi nihil sciri possit, nisi hisce tricis cognoscendis tempus profundatur! Absint quoque *curiosæ quæstiones*, ut, *quot sint atomi volantes in aëre universo, &c.* Quintò, *Disputationes non de verbis sed de rebus instituantur, & clare proponantur*. In quo largissime peccatur à veteribus & recentioribus Scholasticis, vulgo *Philosophorum*, qui mirum in modum & maxima animorum contentione sub terminorum barbarorum involucro pugnant ac certant de *aptitudinalitatibus, potentialitatibus, susceptibilitatibus, singularisationibus, infinitationibus, universalitate, hominitate, Iacobeitate,*

***** *Petrei-*

Petreitate, &c. Sub quibus vocibus, quid rerum lateat, ipsi ignorant: & tamen de iis inter sese ita digladiantur, non aliter ac si pro aris certaretur ac focis: &, quod pessimum est, rei veritatem involvunt, ac caliginem offundunt. Ita disputant de ratione formali *Personæ*, quæ non dicit *relationem originis nec communem, sed duplicem negationem communicabilitatis in genere non extra genus, significans aliquid positivum, & intentionem primam non secundam, connotans circumincessionem, quæ sit subsistentis in subsistente realiter distincto, mutua præsentialitatis assistentia in eadem essentia.* Quis moralium talem intelligat, nedum oppugnet, Thesin? *Oedipo* hic opus est, aut *Delio natatore*, ut intelligatur primum. Sextò, *Disputationum in Philosophia materies non sit superstitiosa, non impia, non violet pietatem aut fidem:* nunquam enim natura gratiæ nec lumen inferius superiori repugnare debet. Sed tempus me vocat, ut ad *tertium* dissertationis meæ caput me conferam, atque in *normam* ac *formam* recte disputandi inquiram. Ei vero satis porerit fieri, si, quæ *Communia Respondenti* atque *Opponenti*, quæ *Hujus* simul & *Illius* sint *propria officia*, denique quid deceat *Auditores*, breviter enarravero. Uterque, tam qui propugnat quam qui oppugnat, *Pietatem* habeat pro Cynosura & *Veritatem.* Pietas Sapientiæ est anima, & ejus condimentum. Hæc disputationum sit moderatrix: & facile aberit rixandi ac calumniandi studium. *Veritatis* amor conspicitur, si animus adferatur utrimque, nec *præjudiciis* occupatus, nec *affectibus* oneratus, si non gloriæ insana spectetur cupido, si non adversæ partis intendatur ignominia. Veritas nec Affectuum nec Præjudicii, sed Rationis solius est filia. Nec sarta potest servari tectave, nisi *disputantium* alter alteri cedere noverit absque pertinacia: quod longe præstat, quam omnis generis quærere κρησφύγετα, & Protei instar in omnes se induere formas, & nihil non comminisci, ne de sententia depulsus videatur quispiam. In Palæstra Veritatis *tam vinci quam vincere pulchrum est.* Nec qui cedit, atro venit carbone notandus, nec est cur pudore suffundatur, quippe veritatem discit, disputationisque finem assequitur ac scopum. Est quidem hæc animi modestia, qua veritati ceditur ac conceditur, & moderatio, inter *Disputantes pauciſſimorum*; &

Rara avis in terris nigroque simillima Cygno.

Plerique magis lubrici sunt quam angues, & sepiæ instar, quicquid atramenti possunt, id effundunt, ne inferiores discedere & herbam victori porrigere videantur. Quin eo fere res rediit hodie, ut modestissimi quique contemtui habeantur, ab iis, qui disputationum congressus non nisi clamoribus æstimant ac contentionibus, & τὸ ἄνευ ἀρχῆς δύειν hujusmodi congressuum finem esse, persuasum habent:

Sed stat longe aliis melior sententia mentis.

Disputationes postulamus placidas, sedatas, quietas, benevolas, amicas, blandas, non clamosas, non turbulentas, non difficiles, non iracundas, non contumeliosas. Zelum probamus pro veritate sed absque ira & affectu. Frigidos illos disputatores, qui tantum non super argumento aliquo indormiunt, uti odimus, ita non amamus Stentores illos, qui clamoribus omnia implent, & probe sese defunctos existimant, ubi altum clamaverint: ac detestamur præsertim eos qui ex ira redduntur ferventiores: uti fumus oculis visum eripit, sic contentio, excandescentia, festinatio, menti renebras obducunt:

Impedit ira animum ne possit cernere verum.

Et iracundæ inter disputandum altercationis pediſſequæ sunt, simultates, pervicacia, inimicitiæ, veritatis odium, & quid non? Abstineat ergo *disputator*, nisi importunus audire velit & impudens, ab his ac similibus superbæ virulentiæ clausulis: *Tu nescis quid dicas. Tu nihil horum intelligis. Tu cæcus de coloribus judicas. Quid tu scis de hoc argumento? Haberem alia plurima, quæ adversus hoc delirium proferrem; sed tempus non patitur. Hoc argumentum est luteum, testaceum, stramineum.* Et si qui sint alii ructus olidi intemperantis animi. Si advetsarius aliquid humani passus fuerit atque erraverit, non ex musca statim

oportet

oportet elephantem facere: si castigationis eget, alibi potius quam in disputatione est corripiendus: iis tamen, qui sunt importuniores, pertinaciores, impudentiores, ita respondendum, ne sibi sapere ac triumphare videantur. In disputandi actu perpetua sit vicissitudo & pars utraque audiatur, juxta illud *Poëtæ:*

Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

Turpissimum est, si quis in hoc genere colloquiorum, tanquam si in possessionem suam venerit, alios excludat, & imperato aut facto cæteris silentio, quicquid velit effutiat: Qua gartulitate nihil quidem pervulgatius est multis, nihil tamen veritati inveniendæ nocentius. Fœdissima est confusio, si plures simul misceant sermones, & insanis clamoribus mutuo decertent: quæ disputandi ratio non absimilis est tempestati *Virgilianæ*, in qua,

Vna Eurusque Notusque ruunt creberq; procellis
Africus, & vastos volvunt ad littora fluctus.

Nec has inter turbas agnosci quod verum, vel internosci quod falsum est, unquam potest. Utrimque non tam auctoritatibus pugnetur quam rationum momentis: sacra tamen excipimus semper, quia Dei authoritas & fallere est & falli nescia: alias, non quis dicat, sed quid dicatur, attendendum, & illud *Pythagoreorum* αὐτὸς ἔφα jam à Phylosophis diu est explosum: *Amicus Socrates, Amicus Plato, sed magis amica veritas.* Rationes non sophisticæ sint aut sycophanticæ, sed claræ, sed accuratæ, sed perspicuæ: sic enim iis veritas explorabitur facillime: proferantur, vel necessariæ, si suppetant, vel probabiles, si illæ deficiant: remis enim propellenda est navis, si venti secundi non spirent. Ingenia tamen Tyronum levioribus sophismatis interdum licet experiri ac tentare, ut argumentorum viria dignoscant, & canones Logicos ad usum transferant: Quin & oblectationis ergo ejusmodi captiones agitare, non est prohibitum. Ante congressum disputanti utrique meditandum est probe, quid in medium proferri debeat. Tela prævisa minus nocent: & facilius eruitur veritas, si quæratur diutius: nec vero ruditatis hoc est argumentum, sed veræ diligentiæ documentum. *Pericles*, illa Suadæ medulla, cum vocatus à populo sæpe esset, ut in concionem descenderet, renuit, quod ἀπαρασκεύαστος, imparatus esset: idem à *Demosthene* factitatum, *Plutarchus* est author. Vanissimi sunt jactatores, qui, ut ditiores videantur, ad disputandum se imparatos gloriantur accedere, qui si se parassent in tempore, non ex tempore, disputando, suam proderent ignaviam atque inscitiam. Cum ineptus pictor *Apelli* quondam exhiberet imaginem, eamque subito à se pictam diceret: *Video*, inquit ille, *etiamsi nullus moneas, & miror hoc temporis spatio te plures non absolvisse.* Sic inepti etiam sunt illi disputatores, qui disputaturi subito argumentum aliquod, unum atque alterum, ex *Scheiblero*, in *Logicis*, aut *Conimbricensibus*, in *Physicis*, conquirunt, quorum libri si vacui essent ab argumentis, & hi heroës vacui ad disputandum accederent: non istorum autorum usum contemno aut condemno: sed argumenta eorum non satis ruminari ac perpendi, nec multa satis meditatione coqui ac digeri, conqueror. *Disputator* uterque diligenter vitet λογομαχίας, ne tempus inani verborum contentione pereat & veritas evanescat: amet uterque & sedulo sectetur brevitatem: nihil enim est odiosius quam si in declamationes uterque delabatur ac digrediatur: uti veritas ipsa est simplex, ita ejus sermo, qui non multis fucati candoris vel ruboris indiget vel medicamentis vel pigmentis. Auditorum tamen habenda est ratio, qui si rudiores fuerint, rerum scitu dignarum fusior explicatio, à *Præside* præsertim facta, nec vitiosa est nec odiosa. An inter disputandum quærere aliquid liceat, quæri hîc solet? Sunt enim qui omnem quæstionem captiosam declamitant, omnemque rejiciunt, nec quicquam dant responsi. Sed enim quid opus est ista tergiversatione morosa? si quis quærat explicationem rei dubiæ, cur discendi cupidum erudire non velimus? si aliena sit quæstio, rejiciatur: si captiosa, vel contraria proponatur, vel præter adversarii exspectationem explicetur. Sed quæ *singulis*

incumbant *munia*, consideremus: illis, qui aliena placita veniunt oppugnaturi, hoc perquam est solemne, ut magno sæpe cum impetu, furiosi in morem gladiatoris, irrumpant in auditorium & in arenam irruant, atque immanes, vultu, gestu, capite, verbis, spirent minas, quibus pattem adversam percellere conantur ac protelare. Hos si spectemus, in mentem nobis veniat illud *Horatii:*

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Huic hominum generi accidit plerumque idem, quod audaculis & in bello inexpertis, qui procaces quidem ante pericula, in ipsa tamen pugna timidi evadunt atque ignavi: ejusmodi procacitatis exemplum haud inelegans habemus in *Menalca Virgiliano*, qui ad *Damœtam*,

—— Tune in triviis indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?
Nunquam hodie effugies, veniam quocunque vocaris;
Efficiam, posthac ne quenquam voce lacessas:

Sed, hanc ad provocationem ineptam, alter nec abjecte nec immodeste respondet:

Quin age, si quid habes, in me mora non erit ulla
Nec quenquam fugio. ——

Eadem animi præsentia θρασυδείλοις opponentibus, ac multum de se persuasis, est occurrendum: Modestiam igitur & humanitatem, ut sempet, ita præsertim in initio ostentent opponentes iidem sæpe, omissis thesibus & quæ ad rem faciunt præsentem, opposituri aliena à thesi cupide attipiunt, mordicus retinent, tædiose persequuntur, & in alium semper campum deferunt *Respondentes*. Vitium sane pessimum, & quod si obtineat, jam in *Ethicis Physica*, in *Logicis Ethica*, in omnibus quæstionibus omnia dimicabuntur, quod postulare stultum est, conati temerarium. Ad hanc classem eos referimus, qui rem ipsam, qua de est disputandum, seponunt, & modum tractationis exagitant, cum hujus minor, illius potior sit ratio & consideratio. Et hoc familiare est inter opponendum multis, ut eadem subinde repetant & regerant: sed

Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.

Non equidem hoc postulo, ut *Opponens* tanquam canis è Nilo biba: & fugiat, id est, ut è vestigio causam suam deserat & quodlibet responsum indiscriminatim boni consulat & gratiam agat: sed hoc volo, ut vim sui argumenti serio sequatur, verum ubi satis ei fuerit factum, novas adducat tum rationes. Respondentem directe licet invadere, licet oblique;

Dolus an virtus quis in hoste requirat?

nolim tamen *Opponentem* meum in sophistam evadere & perpetuis indulgere sophismatibus; ad veritatem, exercitii gratia, oppugnandam, argumentorum aliorum est satis; quin omni licet uti argumentorum genere omnibusque mediis, quocunque tandem è loco deductis; nec enim certa argumentandi materia ac forma adstringi *Opponens* magis, quam Avis libero volans cœlo cavea concludi potest. Sed, ut simul ac semel *Opponentis* officia recitem; præter ea quæ dixi, sequentia observet, ut feliciter opponat: non plures simul rationes coacervet, non conclusiones multas sed unam inferat, non diversos syllogismos confundat, nunquam sibi ipsi contradicat, nunquam, quæ fortia non sunt argumenta, pro fortibus vendat, nunquam studium sibi defuisse in se præparando ostendat. *Respondentis* partes, ut de iis nunc dicam, sunt; argumentum assumere, & examinare ac solvere. Argumenta repetenda sunt, non semel sed bis interdum, propter, tum *Auditores*, tum *Opponentem*, tum *Respondentem*: propter *Auditores*, ut quid versetur in controversia rectius intelligant, præsertim cum vocem Opponentis sæpe pauci excipere possint & exaudire; propter *Opponentem*, ut norit, an mentem suam assequatur is cum quo disputat, multos enim Andabatarum more clausis oculis pugnare vidi, ut de cæpis oponeret unus, de aliis responderet alter: propter *Respondentem*, ut aliquid habeat temporis, quo de commoda solutione dispiciat, neque enim cujusvis est ἀυτοχεδιάζειν meditari, dicere, docere; in argumento repetendo nihil est omittendum, nihil addendum, nihil immutandum; de repetito videndum, an thesin feriat, necne: si non feriat, rejiciendum absque ulteriori responso: vana enim est & inepta respon-

reſpondendi ratio, quum quis agit, *argumentum quidem non eſt contra theſin, nihilominus reſpondeo.* Cur enim Athleta excipiat ictus, qui non ſe ſed aëra vibrant? Argumenta aſſumta, vel ſolvi poſſunt, vel nequeunt. Si nequeunt, vel in ſe omnino refutari non poſſunt, vel non poſſunt à nobis. Si per ſe ſint ἄλυτα, veritati cedendum, quod bonis à viris nemini datur vitio: improborum vero judicia non ſunt pluris facienda quam cicadarum ſtrepitus. Sin nobis tantum ſint talia, non tamen animus continuo deſpondendus, ſed vel ad meditandum aliquid petendum temporis, & in aliam occaſionem reſponſum eſt differendum, vel æque firma aut etiam firmiora in contrarium opponenda, quod tamen non niſi hoc in caſu faciendum exiſtimo: nam qui contrarias opponit rationes *Reſpondens*, ab *Opponente* allatas non ſolvit, & κατασκευὴν mutat in ἀνασκευήν· multos reperire licet *Reſpondentes*, qui ſi irretiti hæreant, ad convitia confugiunt non aliter quam ad equos claudi, & *Salmonei* inſtar *Virgiliani* tonare incipiunt & fulmina emittere, ſed bruta, quod plerumque ſuperiores factitant ſi ab inferioribus teneri ſe ſentiant. Hic tum audire eſt eorum voces; *Ego pro authoritate ſilentium tibi impero. Tace, neque enim te audire volo.* Qui modus quidem eſt nodos argumentorum ſecandi, non ſolvendi, & via, ex anguſtiis eluctandi, ſed veritatem non inveniendi. Alius eſt perverſe reſpondendi mos multis uſitatus, quo convitia non quidem projiciunt, fumum tamen faciunt, ut elabantur: quod tum potiſſimum fit, cum ea, quæ ad rem non faciunt, non ſine ſupercilio proferuntur, & ex tempore, quod familiare eſt pluribus, inaudita prius & nulli unquam cogitata & inintelligibiles confinguntur diſtinctiones, quæ licet imperitioribus, ut aliquod *Gorgonis* caput, non parum terroris incutiant, à doctioribus tamen non aliquo quam vanæ cujuſdam *Empuſæ* & larvæ loco habentur. Atque hæc ſacra tum eſt anchora ad quam confugitur: *diſtinguo bifariam, trifariam: eſt in potentia, non in actu: eſt in actu, non in potentia:* Ἁπλῶς & *ſimpliciter*, nego: κατά τι, & *ſecundum quid*, concedo: ne alias diſtinctionum myriadas hic recenſeam, quarum aliquæ omnibus fere reſponſionibus accommodantur, quaſi unus calceus omni pedi adaptetur. Non ego diſtinctionis uſum culpo, ſed abuſum arguo. *Sæpe nega, concede parum, diſtingue frequenter:* in argumentis enim ſolvendis, aut negatione utendum, aut conceſſione, aut diſtinctione: ſed omnibus prudenter. *Reſpondentem*, formæ prius in Syllogiſmo quam materiæ rationem habere velim: &, ſive ad hanc ſive ad illam reſpondeat, operam det ſerio, ne unquam lingua mentem præcurrat, ne per incogitantiam ea effutiat, quæ cauſæ ſuæ obſunt: quod factum ſæpe vidi non ſine vel pudore vel impudentia multorum. Si ea quæ objiciuntur aliena ſint & ἀπροσδιόνυσα atque ad rem non pertinentia, ἀποδιώξει utendum ſeu repulſione, & ad verum controverſiæ ſtatum ducendus adverſarius. Ejus formulam non illepidam legi aliquando apud *Martialem:*

Non de vi, neque cade, nec veneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abeſſe furto:
Hoc judex ſibi poſtulat probari.
Tu Cannas Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Magna voce ſonas manuque tota.
Iam dic Poſthume de tribus capellis.

Sed tandem *Auditorum* officia verbulo innuam: quæ ſunt, attentis auribus, ſedula mente, publicas συζητήσεις & diſputationes audire; reverenter & modeſte & juxta τὸ πρέπον ac decorum loci, temporis, & perſonarum, ſe gerere, Veritatem perceptam diligenter recondere, & eam ad vitæ communis uſum dirigere ac referre. Atque ab hiſce *Auditorum* partibus longiſſime abeunt, qui applauſu non neceſſario perſtrepunt, riſu, ſannis, ronchis, ſibilis, fabulis, pedumque ſupploſionibus ingentes excitant tumultus, ut, qui adſunt, exteri & inquilini, videantur ſibi non in *Scholarium* umbraculis, ſed in *Circes* ſtabulo commorari. Barbara plane conſuetudo, fera, fœda, peſtifera, & qua animi ſui ſtolidam temeritatem, aliorum atque eruditionis contemtum, honeſtorum exercitiorum, atque inprimis veritatis, de qua invenienda in diſputatione laboratur, odium, aliaque in ſe vitia produnt ac promunt: Non ſic agunt, queis

De meliore luto finxit præcordia Titan,

quibus unica est voluptas, ut animum rerum optimarum notitia imbuant, & veri cognitione ad *Deum*, veri omnis fontem ipsamque Veritatem, quam proxime accedant: quod si Disputationibus & habendis & audiendis in posterum consequamini, *Auditores Ornatissimi*, ego dissertationis hujus scopum, vos laboris & diligentiæ vestræ consecuti eritis finem.

DIXI.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum

PRÆLIMINARIS PARS PRIOR, DE SUBSTANTIA.

THESIS I.

INSTITUTUM Præsidis est, materias illas seligere, ac ventilationi publicæ, sed modestæ ac placidæ, atque ad veritatem serio indagandam institutæ, subjicere, quæcunque cum fructu disputari possunt, & usum alicubi habent in facultatibus superioribus: illas præterire, quæ aut nullam omnino habent utilitatem, aut sola sese subtilitate commendant. Disputando autem pervagari decretum est per omnes Philosophiæ partes: in disputationibus vero seligendis ordine uti arbitrario visum est modo hanc, modo illam, quæ in manus inciderit, pro arbitrio cujusque, arripiendo: impræsentiarum *substantiæ* naturam, publico examini sistere, constitutum est.

II. Receptissima est divisio entis in *substantiam & accidens:* quædam enim entia, vi sua subsistunt ac per se, alia non per se nec vi sua: quorum illa οὐσίας sive substantias appellamus, hæc συμβεβηκότα, hoc est, accidentia, eventus, additamenta; sunt namque veluti παρεφυάδες atque appendices substantiarum: eorum enim esse non est ὑπάρχειν, sed ἐνυπάρχειν, sive inesse substantiis: unde etiam dicuntur entia ἀχώριστα, inseparabilia: per se subsistere, non excludit dependentiam ab omnibus causis, sed tantum dependentiam à subjecto, estque nihil aliud, quam, non esse in alio tanquam in subjecto: esse in subjecto Arist. c. 2. categ. dicitur, *quod cum in aliquo sit, non ut pars, non potest tamen sine eo existere in quo est*, quod proprium est accidenti, sicut proprium substantiæ est, non esse in subjecto: unde liquet, hanc entis in substantiam & accidens divisionem, exhaurire totam entis latitudinem: Quicquid enim ens est verum, aut in subjecto est, aut non in subjecto: quod per se subsistit, non est in subjecto: quod non subsistit per se, hoc est in subjecto: & contra, quod est in subjecto, non subsistit per se: &, quod non est in subjecto, subsistit per se: hi enim duo modi, existendi in subjecto & non existendi in subjecto, tam immediate opponuntur, ut contradictionem implicet, si quis aut illud quod per se subsistit, v. c. substantiam, dicat esse in subjecto, aut quod est in subjecto, v. c. accidens, dicat per subsistere: qui enim hoc dixerit, idem dixerit esse substantiam & accidens, id est, substantiam & non substantiam, accidens & non accidens: in quantum enim illud statuit per se subsistere, substantiam dicit, in quantum hoc idem in subjecto esse asserit, accidens dicit & non substantiam, &c.

III. Sed quæritur hoc loco, qualis illa sit divisio entis in substantiam & accidens, an univoca, an æquivoca, an analoga? Diversæ diversorum sunt sententiæ. Statuimus autem, ens non dici æquivocè de substantia & accidente: nam ὁμώνυμα λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινὸν, ὁ δὲ κατὰ τοῦνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος, id est, *homonyma dicuntur, quorum nomen solum commune est, ratio vero essentiæ communi nomini accommodata, diversa*, ut definit Arist. c. 1. Cat. At vero substantiæ & accidenti non solum nomen entis commune est, verum conveniunt etiam in communi ratione τοῦ εἶναι, cui respondet vox, *ens:* proprius enim entis actus, & λόγος τῆς οὐσίας, est, esse: esse scilicet, secundi adjecti, non tertii: nam omne ens est, & quicquid est, ens est, & contra: at τὸ esse secundi

adjecti, & ſubſtantiæ & accidenti competit; utrumque enim eſt, & ens eſt: conveniunt igitur in communi ratione entis ſubſtantia & accidens, quod contra naturam homonymorum eſt. Verum enimvero licet ſubſtantia & accidens æquivoca non ſint, non tamen penitus ſunt univoca: perfectè enim *univoca dicuntur, quibus λόγος τῆς οὐσίας, communi nomini reſpondens, ita uti nomen ipſum, ex æquo communis eſt:* at λόγος τῆς οὐσίας, reſpondens communi nomini entis, convenit quidem ſubſtantiæ & accidenti, ſed non ex æquo: ſubſtantiæ primariò & per ſe, accidenti ſecundariò per & propter ſubſtantiam: accidentia enim dependent à ſubſtantiis, & in quantum ſunt accidentia, & in quantum ſunt entia: quod enim accidentia ſint entia, & talia, quæ inſint, ſubſtantiis acceptum referunt.

IV. Supereſt ergo, ut ens ſit mediæ conditionis inter univoca & æquivoca, atque ex eorum numero, quæ dicuntur Ariſtoteli lib. 1. de ortu & interitu c. 6. § 44. ἄλλα ἄλλων τῶν ἑτέρων, καὶ τῶν πρὸς τέρων, id eſt, *quorum alia ab aliis prioribus dependent,* atque hoc ipſum diſertè docetur l. 3 Metaph cap. 2. ubi Philoſophus ſic ait, τὸ ὂν λέγεται πολλαχῶς, ἀλλὰ πρὸς ἓν καὶ μίαν τινὰ φύσιν, καὶ οὐχ ὁμωνύμως, id eſt, *ens quidem dicitur multipliciter, verum ad unum, unamque quandam naturam, non vero æquivoce:* dicit ens eſſe ex τῶν πρὸς ἕν, non vero οὐκ τῶν ἀφ' ἑνὸς, nam ἀφ' ἑνὸς dicuntur ea, quorum unum, quod principii efficientis aut exemplatis rationem habet, cæteris, quæ ab illo principio dependent, denominationem tribuit: veluti, ſi hominem Medicum dicas, & libtum medicum ſcalprum medicum, à Medico ſcilicet factum: at ea dicuntur πρὸς ἕν quorum cætera ad unum referuntur, tanquam ad finem aut ad ſubjectum, ab eoque denominationem habent, veluti, cum animal ſanum dicitur, & medicina, & victus, & id genus alia: in hoc genere eſt ens ad ſubſtantiam & accidens relatum, nam ſubſtantia proptio ſuo jure dicitur ens: accidentia dicuntur entia quia ſubſtantiis accidunt; iiſque inſunt, tanquam in ſubjecto: & hæc medii generis inter homonyma & ſynonyma, Scholaſtici vocant analoga, quæ faciunt, alia proportionis, alia atttributionis: cum ens, reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, analogum dicitur, intelligitur analogum atttributionis: ſed ſpeciatim definitionem ſubſtantiæ excutiamus.

V. *Subſtantia* vulgo definiri ſolet, *ens per ſe ſubſiſtens & ſubſtans accidentibus:* ſubſtantiæ vocem derivant nonnulli à ſubſiſtendo, quod non aliena, ut accidens, ſed ſua propria vi ſubſiſtat; alii à ſubſtando, idque duplici ſenſu, poſitive & negativè: poſitivo ſenſu à ſubſtando derivatur ſubſtantia, quia aliis nempe accidentibus ſubſtet, negativo ſenſu, quia ipſi ſubſtantiæ non ſubſtat aliud, hoc eſt, illa non adſciſcit aliud, in quo ſit ac ſuſtentetur. Hoc quidem definitum eſt: definitionis partes ſunt, ens, quod eſt quaſi genus; differentiæ vicem tenent verba reliqua: tota definitio proprie tantum competit ſubſtantiis finitis: Deus enim nullis ſubſtat accidentibus: quoties ergo Deus ſubſtantia dicitur, id intelligendum eſt tantum de priori patte definitionis, quia & quatenus per ſe ſubſiſtit: illa enim verba *(per ſe ſubſiſtens)* potiorem faciunt partem in definitione iſta; itaque maxime conſideratu ſunt digna.

VI. *Tò per ſe ſubſiſtere,* vel ſumitur latè, vel ſtrictè: latè, ſignificat modum exiſtendi, quo ens aliquod ita exiſtit, ut nullo modo alteri inſit, ſed aliis rebus ſibi inexiſtentibus ſubſternatur; ſtrictè, quo ens aliquod ita exiſtit, ut alteri non inſit tanquam ſubjecto, licet ineſſe poſſit alteri per modum partis, aut alio modo; quæ diſtinctio ut intelligatur, operæ pretium fuerit, ea rerum genera, quæ aliquo modo dici poſſunt eſſe in alio, recenſere, 1. Accidentia exiſtunt in alio, ſc. in ſubjecto. 2. Partes, tum eſſentiales, tum integrales, exiſtunt in toto. 3. Ipſa natura rei totalis & ſingularis eſt in eo, cujus eſt natura, per modum formæ: natura enim rei ſeu eſſentia ſe habet per modum materiæ; & ſic non ſolum natura univerſalis ineſt in ſingulatibus, ut humanitas in Petro, Paulo, Johanne; ſed ſingularis natura ineſt in eo ſuppoſito cujus eſt natura: ſic ſingularis natura Petri (quam docendi cauſa barbatè Petritatem vocabimus) ineſt in ipſo Petro, id eſt, in ipſo Petro includitur: Petrus enim non eſt humanitas Petri; ſed eſt quid conſtans

constans ex sua humanitate singulari, & subsistentia ei superaddita, ideoque bene singularis ejus humanitas ei inesse dicitur: τὸ per se subsistere late sumptum, negatur de omni ente, quod ad aliquam trium istarum classium referri potest, & sic in definitione substantiæ non sumitur: τὸ per se subsistere strictè sumptum, negatur tantum de primæ classis entibus, de secundæ & tertiæ classis entibus affirmatur, & sic sumitur in definitione substantiæ.

VII. Quando itaque τὸ *per se subsistere* sensu secundo significat, non esse in subjecto, omnis & sola substantia, sive sit universalis, sive sit singularis, sive completa & totalis, sive incompleta & partialis, vere dicitur ens per se subsistens: contra vero accidentia non subsistunt per se, quia existunt in alio, ut in subjecto, scilicet, in quo inhærent: si *per se subsistere* sensu primo dicatur, quod non existit in alio, ita ut ab eo pendeat quoad existendi actum, id est, ita ut propter imperfectum existendi modum suum extra illud & per se existere nequeat, jam non solum accidentia non subsistunt per se, sed nec substantiæ universales subsistent per se, quia à singularibus dependent quoad existentiam actualem: homo enim existit in Petro, Paulo, &c. Nec materia, nec omnes formæ materiales à materiæ potentia educibiles, subsistent per se, quia dependent à supposito in quo sunt, ut extra omne suppositum existere nequeant; imo nec ipsæ substantiæ singulares nominibus abstractis significatæ, hoc est, singulares essentiæ substantiarum creatarum subsistent per se: singularis enim humanitas Petri ita existit in Petro, ut per se & extra omne suppositum existere nequeat, quamvis enim singulares homines per se & nullo modo in alio existant, singulares tamen naturæ humanæ non per se, sed in singularibus suis suppositis existunt: hac significatione lata, tantum per se subsistent substantiæ singulares completæ & prædicamentales concreto nomine significatæ, hic homo, hic equus, hic lapis, quia nec per modum partis, nec per modum naturæ, nec per modum formæ, seu substantialis, seu accidentalis, nec per modum quasi formæ, in ulla re existunt.

VIII. Ut ergo concludamus, & hæc omnia ad definitionem substantiæ applicemus, patet, quod, cum *substantia* definitur *ens per se subsistens*, τὸ per se subsistere strictè aut sensu secundo sumatur, pro eo quod per se existit extra omne subjectum inhæsionis, non vero sumatur latè aut sensu primo, quia tum secundæ substantiæ seu universales non forent substantiæ, materia, formæque substantiales materiales (si sint tales, quod hujus loci non est disputare) substantiæ dici non possent, natura singularis etiam in abstracto spectata, substantia non esset, in quantum nihil eorum alteri inest ut subjecto: substantia enim secunda inest primis, sed non tanquam in subjecto, sed ut pars: sic formæ materiales pattes sunt totius compositi, & natura singularis pars est & quasi forma substantiæ singularis; quæ omnia clariora erunt, ubi natura *accidentis* exposita fuerit, ac tum altera definitionis pars, qua substantia substare dicitur accidentibus, clatius etiam patebit quod disputatione præstabitur altera sequenti.

IX. Substantia potest dupliciter spectari, vel absolutè, ut est ens per se subsistens, quod jam exposuimus, & sic dividitur in substantiam corpoream & incorpoream, & illa est divisio generis in species, vel comparatè, respectu accidentium, ut iis substat tanquam subjectum, & ita dividitur in primam & secundam, id est, in primum & secundum subjectum: nam substantia prima, id est, singularis, est primum subjectum, & ejus gratia ac beneficio, substantia secunda, id est, universalis, est subjectum, ideoque secundum appellatur: & est hæc divisio analogi, ut loquuntur, in sua analogata, quia prima substantia est magis substantia & prius substantia, id est, magis & prius est subjectum accidentibus, quam secunda; neque enim putandum est, substantiam sic divisam habere rationem generis, aut primam & secundam substantiam species esse: hoc enim si verum foret, deberent prima & secunda substantia contrariari, nec possent de se invicem, nec de eodem tertio, prædicari, nec sibi invicem subordinari: nec de se invicem, nec de eodem tertio prædicantur, ut quidem utrumque locum habet in substantia prima & secunda.

X. Ne vero ſubſtantiæ in primam & ſecundam diviſio offendiculum præbeat, & in detrimentum atripiatur fidei, quemadmodum ea abutuntut, ad Incarnationis & Trinitatis myſteria evertenda, *Antitrinitarii*, eam paulo plenius ob oculos ponemus. Subſtantia ſecunda ſeu univerſalis, eſt multiplicabilis in pluribus infetioribus atque individuis, ut, *homo*. Subſtantia prima ſeu ſingularis, eſt ſubſtantia non multiplicabilis in plutibus inferioribus atque individuis, ut eſt, *hic homo* actu in rerum exiſtens natura. Subſtanria ſingulatis eſt, vel non ſuppoſitum, vel ſuppoſitum: ſubſtantia prima non ſuppoſitum, eſt ſubſtantia ſingularis alteti ſuppoſito vel ſuppoſitis communicabilis, ut humana Chriſti natuta & eſſentia Dei. Subſtantia prima ſuppoſitum, eſt ſubſtantia ſingularis alteri ſuppoſito ſeu ſuppoſitis non communicabilis: eſtque, vel irrationalis (vulgo ſuppoſitum ſtrictè dictum) ut, hic leo, hic lapis; vel rationalis (vulgo perſona) ut Pater, Filius, & Spiritus S. in Trinitate, Gabriel inter Angelos, Petrus inter homines. Unde perſona non malè definitut, ſubſtantia ſingularis intelligens, non pars alterius, nec ab alio ſuſtentata, de quâ alias.

Diſputationum ex Philoſophiâ ſelectarum,

PRÆLIMINARIS

PARS POSTERIOR,

DE

ACCIDENTE.

THESIS I.

ACCIDENTIS natura melius cognoſci nequit quam ex definitione & inſtitutâ ejus cum ſubſtantiis collatione: quod utrumque hâc diſputatione agere eſt animus. Solet definiri *Accidens, ens ſubſtantiæ inhærens*: inhærete ſubſtantiæ, nihil eſt aliud, quam eſſe in ſubſtantiâ ut in ſubjecto: *eſſe in ſubjecto vocat Ariſt. cap. 2. Categoriarum,* ὃ ἔν τινι, μὴ ὡς μέρος, ὑπάρχειν, ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τοῦ ἐν ᾧ ἐστι· *quod cum in aliquo ſit, non ut pars, non poteſt tamen eſſe ſine eo in quo eſt*: in qua deſcriptione tria dicuntur de eo, quod eſt in ſubjecto. Primò, ut ſit in aliquo; nam quod nulli ineſt, nequit eſſe in ſubjecto. Secundò, ut non inſit tanquam pars, id eſt, ut non pertineat ad eſſentiam aut integritatem ejus, cui ineſt, aut alicujus, quod eſt unum per ſe. Tertiò, ut ſeparatum ab eo, cui ineſt, nequeat exiſtete, id eſt, ut ejus eſſe ſit ineſſe: at hæc omnia locum habent in accidente. Ergò accidens inhætet ſubſtantiæ ut in ſubjecto.

II. Sed hic maxima eſt difficultas in hac definitione & inhærentia accidentis explicanda: Quæritur, *an definitio de actu an de potentia explicari debeat? an intelligatur inhærentia actualis an aptitudinalis?* aut, ut ſtatus controverſiæ ab aliis proponitur, *an accidens ideò ſit accidens, quod actu inhæreat, an quod poſſit inhærere?* aut, ut alii quæſtionem inſtituunt, *an, ſi eſt, & cum accidens erit in rerum naturâ, hæc ejus ſit eſſentia futura, ut actu inhæreat ſubſtantiæ, vel an exiſtere poſſit & tamen non ineſſe ſubjecto*; imò *an actu ſit & tamen non inſit?* Poſterius à quàm plurimis, inter veteres & modernos Philoſophos, ſtatuitur ac defenditur: autores non citamus, cum receptiſſimi paſſim omnibus pro hac ſententia pugnent, & eſt, cur plerique id agant: nos tamen contrà, *eſſentiam accidentis, cum exiſtit aut exiſtere ſupponitur, in eo eſſe ſitam aſſerimus, non ut poſſit inhærere, ſed ut actu inhæreat ſubſtantiæ, aut actu inhærere ſupponatur*, adeoque in definitione *non aptitudinalem ſed actua-*

lem

lem inhærentiam intelligi, pronunciamus; quod cum dicimus, non negamus accidens posse privari inhærentiâ actuali, quatenus potest destrui. Sed id dicimus, *accidens, quando & quamdiu manet in sua entitate actuali, non posse privari inhærentiâ actuali*, & hoc sensu, dicitur illa inhærentia esse essentia ac de essentiâ accidentis, imò de ratione formali, quatenus, per inhærentiam illam actualem, accidentia definiuntur, solent enim definiri ἐκ προσθέσεως, ut loquitur Arist. lib. 7. Metaph. cap. 4. Hoc igitur est, quod argumentis & rationibus confirmare conabimur; nempe, *absolutè simpliciterque impossibile esse, accidens aliquod separatum sine subjecto per se existere.*

III. Primum nostrum argumentum est desumptum ex Analogiâ entis, quam disputatione priori demonstratam videre est: ratiocinationem instituimus hoc modo. Si accidens per substantiam sit ens, ergò dependet à substantiâ, non tantum quà est accidens, sed & quà est ens: Sed verum est prius, ergò & posterius. Minor probatur, quia accidens per substantiam definitur tanquam per causam. Major probatur ex naturâ entis aut generis Analogici, quæ talis est, ut per se & prius conveniat speciei uni, quam alteri, & alteri non nisi ratione prioris speciei, à quâ species posterior sive altera dependet in essendo & existendo: unde ob inæqualem istam generis attributionem Analoga attributionis talia Scholastici vocarunt: jam verò, si accidens, (ex vi istius analogicæ attributionis, quâ ens tribuitur substantiæ & accidenti,) non tantum quà tale, sed etiam quà ens, dependeat à substantiâ, ergò quod accidens sit ens, debebit substantiæ, hoc enim ex analogicâ attributione sequitur: si accidens, quod sit ens, debet substantiæ, ergò sublatâ substantiâ, quæ subjectum est, accidens ne quidem erit, neque etiam manebit ens; ergò extra subjectum accidens esse non potest: sublatâ enim causâ tollitur effectus: at substantia sive subjectum est causa accidentis; nam quod accidens sit, imò quod tale sit, à substantiâ est.

IV. Ad hoc argumentum regerunt *Adversarii:* ita se rem habere *naturaliter*, verum *supernaturaliter* contendunt, posse accidens esse extra subjectum, Deo per concursum extraordinarium supplente defectum subjecti: sed concursus iste impossibilis est & Deo injurius, quod probo. Subjectum concurrit ad existentiam accidentis per causalitatem & modum causæ materialis: causa materialis causat per modum potentiæ: potentia notat imperfectionem: imperfectio non habet locum in Deo: ergo Deus non potest concursu suo defectum subjecti supplere: nam quidquid Deus causat, causat causalitate externâ: vel efficientis vel finis: at causalitas efficientis vel finalis non potest esse causalitas materiæ; sic enim omnes causæ confunderentur, & causa interna esset eadem cum causâ externâ, ingrediens essentiam causati & extra eam manens: imò Deus hoc modo subjectum fieret verorum accidentium, ac vera darentur accidentia in Deo, quod statuere, impium est. Ergò concursus iste fictus est, & exceptio invalida: sed ulterius ejus robur nullum ostendamus, quod argumentum secundum esse potest.

V. Si substantia ne virtute quidem supernaturali possit esse in subjecto, ergò accidens etiam non potest esse sine subjecto virtute supernaturali (quia inter se opponuntur:) Sed verum est prius; ergò & posterius. Excipiunt *Adversarii*, substantiam posse esse in subjecto virtute supernaturali: sic humanam Christi naturam, quæ substantia est in divinâ naturâ ut in subjecto esse asserunt: verumenimverò hoc falsum est, quod ajunt: humana enim Christi natura dependet à divina quoad subsistentiam tantum, est enim assumpta in subsistentiam & personalitatem divinæ naturæ, non autem dependet ab ea propriè quoad essentiam aut existentiam, ut id quidem requiritur in eo, quod ineat in alio ut in subjecto, quòd ab eo in esse & existere dependet: verum, ut hæc res plenè intelligatur, hoc observandum est, quod τὸ *per se subsistere*, interdum naturæ substantiali tribuatur, & istoc modo natura Christi humana per se subsistit, interdum suppositò seu individuo substantiali, & hoc modo humana Christi natura non per se subsistere potest, quia subsistit subsistentia divinæ naturæ; est enim una tantum persona, constans duabus naturis:

verum non ideò non est substantia, sed ideò non est suppositum: itaque humana natura non est in divina aut natura aut persona, ut accidens in subjecto, sed ut pars in toto (licet improprius hic sit sermo) aut potius, ut sustentatum in sustentante. Tota difficultas expediti potest distinctione vocis, *subsistere*, seu *& per se existere:* nam τὸ *subsistere*, vel *per se existere* opponitur, vel ei quod existit in alio inhæsivè, vel ei quod existit cum alio, non tamen inhæsivè, seu ut clarius loquar, ei quod non existit solitariè, nec certum ac singulare suppositum constituit: priori sensu existit per se & subsistit natura Christi humana: posteriori sensu nec subsistit, nec existit per se, sed per naturam divinam ejusque subsistentiam. Etgò manet argumentum à definitionibus accidentis & substantiæ contrariis desumptum, quod ulterius deducimus.

VI. Si substantia non modo insit in subjecto, sed ne esse quidem in eo ullo modo possit, ergò accidens etiam non modo non est sine subjecto, sed ne ullo quidem modo sine eo esse potest: sed verum prius, quod ex thes. præced. ostensum est. Ergò & posterius. Major sic confirmatur, quia contraria sunt contrariorum consequentia: cum igitur Substantia definiatur, ens per se subsistens, non verò, quod potest per se subsistere, Accidens eriam definiendum est, ens, quod inest in subjecto, & non, quod potest inesse: nam sicut aliud est, per se subsistere, id est, non esse actu in subjecto, aliud, posse per se subsistere, id est, posse non esse in subjecto, ita aliud est esse actu in subjecto, aliud posse esse in subjecto, proinde, cum Substantiæ formalis ratio constituatur in τῷ per se subsistere actu, non verò in τῷ posse subsistere per se, etiam accidentis formalis ratio est statuenda in τῷ actu esse in subjecto, non verò in τῷ posse esse; consequenter, ut Substantia definitur per Substantiam actualem & non aptitudinalem, ita & Accidens definiendum est per inhærentiam actualem non aptitudinalem.

VII. Hoc argumentum Thes. 6. relatum totum nititur immediata oppositione, quæ est inter hæc duo, *subsistere per se*, *& esse in subjecto*, quorum alterum alterius negationem includit: nam per se subsistere significat non esse in subjecto; &, esse in subjecto, non subsistere per se: ergo, ut Substantiæ essentia est subsistere per se, id est, non esse in subjecto, sic contrà, Accidentis essentia est non subsistere per se, id est, esse in subjecto: unde ulterius sequitur, ne Deum quidem posse facere accidens, quod non sit in subjecto, quia faceret accidens non accidens: ut enim non potest facere hominem, qui non est animal rationale, hæc enim est ratio formalis ac constitutiva & definitio hominis, ita non potest facere accidens, quod non insit in subjecto, quia inesse in subjecto est ratio formalis ac constitutiva & definitio accidentis: at definitum sejungere à definitione, esset, rerum naturam evertere, quod procul est à Deo: & profecto, si Deus id potest facere, quod non posse ostendimus, posset facere, ut idem simul esset & non esset, quæ est manifestissima contradictio, impingens in axioma receptissimum: *Idem non potest simul esse & non esse*; quam contradictionem in hoc negotio implicari sic specialiter ostendo.

VIII. Si omne accidens ex sententia Adversariorum per divinam omnipotentiam possit non esse in subjecto, poterit per se subsistere, ita tamen, ut maneat accidens: Etgo omne accidens poterit per divinam omnipotentiam esse Substantia & manere accidens, id est, poterit per se subsistere & non per se subsistere; esse in subjecto & non esse in subjecto, esse accidens & non esse accidens: quod quid aliud est, quam rerum ordinem à Deo constitutum à Deo perverti? quid aliud quam contradictionem implicare? quam tollere omne discrimen inter substantiam & accidens? hoc enim discrimen est inter ea, quod Substantia, per se cum subsistat, in subjecto esse non possit: Accidens, cum sit in subjecto, per se subsistere nequeat: at sublata differentia essentiali confundi species necesse est: sunt enim species, quarum una ab altera differentia essentiali differt. Ergo metum Chaos rerum & non unam contradictionem patit Adversariorum opinio.

IX. *Hæc* quidem *natura fuit ac definitio Accidentis*, quæ ut illustrior adhuc evadat, non

non inutile fuerit hic adjungere *comparationem, quam cap. 5. Categoriarum inſtituit Ariſt.* inter ſubſtantias ſecundas & accidentia reſpectu prædicationis de primis: hæc enim res aliquid lucis attulerit Subſtantiæ ſecundæ. *Ariſtoteli* dicuntur de primis univocè, id eſt, ſecundum nomen & definitionem, quæ eſſentiam cujuſlibet rei exprimit. At de accidentibus diſtinctè hic philoſophandum eſt: vel enim conſiderantur in abſtracto, vel in concreto: aliud eſt albor, aliud album: quando *Ariſt.* ait cap. cit. permulta eſſe accidentia, quorum nec nomen nec definitio de primis ſubſtantiis dicitur, abſtracta intelligit: non enim Socrates aut ulla ſubſtantia dicitur albedo, nec definitio albedinis magis de Socrate aut ulla ſubſtantia dicitur: quoniam de quo nomen non dicitur, de eo quoque non dicitur definitio: concreta verò accidentia intelligit, cum aliquorum nomen de ſubjecto dici aſſerit, non tamen definitionem: nam albus dicitur de Socrate, ſed definitio ejus non dicitur, id eſt, non dicitur tanquam definitio Socratis, ſed tanquam definitio albi: nam alioquin certum eſt, de quo dicitur definitum, de eo etiam dici definitionem: & accidens concretum tam ſecundum definitionem ſuam propriam dicitur de Subſtantia prima, ut de ſubjecto, quam ſecundum nomen: tam enim ipſa definitio albi in concreto dicitur de Socrate quam ipſum nomen, niſi quis definitum alicui tribui velit, definitionem non item, quod eſt ineptire: res aliter ſe habet in Subſtantiis ſecundis, quæ quoad nomen & definitionem etiam dicuntur de primis: quod explicate operæ pretium fuerit.

X. Propoſitio illa Ariſt. *Subſtantiæ ſecundæ affirmantur de primis tum ſecundum nomen tum ſecundum definitionem:* intelligitur ſecundum definitionem tam ſuam quam ſubjecti ſui; ita Homo dicitur de Socrate, non tantum ſecundum definitionem ſuam, ut, animal rationale, eſt definitio hominis, ſed etiam ſecundum definitionem ipſius in enunciatione ſubjecti, ipſius ſcil. Socratis, ita ut definitio hominis tanquam definitio ipſius Socratis de Socrate dicatur: ſi enim rogavero, quid eſt Socrates? reſpondebis, eſt animal rationale; quæ definitio non tantum hominis eſt, ſed etiam Socratis: alia enim eſſentialis definitio dari nequit: definitio, quæ eum ita definiat, ut diſtinguatur ab aliis hominibus, accidentalis eſt & ab accidentibus tantum peti poteſt, quæ numericam & accidentalem, non verò ſpecificam & eſſentialem differentiam porrigunt. At quando definitio albi in concreto, dicitur prædicari de pariete, non tamen prædicatur ut definitio parietis, alia enim ejus definitio eſſentialis dari poteſt: prædicantur itaque, ut concludam, de ſubſtantiis primis, & ſubſtantiæ ſecundæ & accidentia concreta, & quoad nomen & quoad definitionem, ſed diverſo tamen modo & ſenſu jam explicato: alii diſcrimen prædicationis hoc modo exprimunt. Subſtantiæ ſecundæ prædicantur in quid eſſentialiter, Accidentia in quale accidentaliter, illæ, ut de ſubjectis prædicationis, hæc, ut de ſubjectis inhæſionis.

Diſputationum ex Philoſophiâ ſelectarum

PRIMA.

DE

PERSONA.

EXpoſitæ ſunt ventilationi publicæ Diſputationes duæ, de Subſtantiâ prior, de Accidente poſterior, quæ, quod generaliſſimam Entis diviſionem continerent, tanquam præliminares, omnibus aliis diſputationibus de quocunque ente particulari inſtituendis, erant præmittendæ: & quia inſtitutum Præſidis, primâ primæ diſputationis theſi indicatum, eſt, ut materia utiles, præſer-

præsertim, posthabitis inutilibus, ex universa seligerentur Philosophia, & ad disputandum proponerentur methodo arbitrariâ pro ipsius & cujusque Respondentis arbitrio ac judicio, hanc dignitate atque utilitate nulli secundam primam facere placuit.

De PERSONA *ex disputationibus seligendis*

THESIS I.

DE PERSONA acturis, antequam ad rem ipsam progrediamur, vocabuli homonymiam indicare operæ pretium fuerit, ut eo exquisitiùs, quâ de re instituatur disputatio, innotescat. Solet itaque PERSONA aliquando significare qualitatem, ut cum quis in Comœdiâ dicitur sustinere Personam Regis, vel senis, vel juvenis: interdum verò & substantiam denotat, ut cum dicimus Petrus est persona; quæ significatio non invitâ Latinitate (ut quidam autumant, qui solam qualitatem significare volunt) accepta est; verùm apud probatos Latinos autores extat & passim usurpatur. Quin & Deo personæ nomen attribuitur, cui si conveniat juxta varias habitudines & attributa, jam non tres, sed longè plures personæ in Deo erunt, quod absurdum esse ipsi Adversarii non diffitentur. Nos itaque de Personâ, ut substantiam denotat, impræsentiarum agemus, ea autem sic solet definiiri: *Persona est substantia singularis, completa, intelligens, incommunicabilis, quæ non est pars alterius, nec ab alio sustentatur.*

II. Primò quidem dicitur *substantia singularis*, ut removeantur universalia, illa enim non subsistunt, nisi in singularibus, qui est modus subsistendi imperfectus: Persona autem id denotat, quod excellentissimo modo subsistit. Deinde, debet esse *completa*, cum id quod incompletum est habeat incompletum modum subsistendi: at vox *Persona* iis tribuenda est, quibus perfectissimè convenit τὸ subsistere. Tertiò, in personæ definitione requiritur, ut sit *intelligens*, & sic Melampus, Phylax, aut alia quædam suppositа, quibus intelligendi facultas negata est, à personæ definitione arcentur: In hoc enim sita differentia est inter suppositum & personam, quod suppositum in genere denotet omnem substantiam singularem, completam, & incommunicabilem, persona autem insuper requirat ut sit intelligens. Quartò, Persona debet esse *incommunicabilis*: quâ conditione excluditur essentia divina, quæ quidem est substantia singularis, completa, intelligens, sed communis tribus personis in SS. Trinitate. Est quidem essentia divina incommunicabilis, prout vox illa notat id, quod non est communicabile pluribus speciebus vel individuis; neque enim se habet per modum generis vel speciei, sed non est incommunicabilis pluribus hypostasibus, vel ut Scholastici loquuntur, suppositalitatibus aut subsistentiis, at persona etiam hoc modo incommunicabilis est, ut dicemus Thes. 6. Quintò, Persona definiebatur, ut *non sit pars alterius*; ad excludendam animam rationalem, quæ quidem est substantia singularis & intelligens, non tamen est persona, quia est pars hominis. Sextò denique, ut *non sustentetur ab alio*; propter humanam Christi naturam, quæ si persona esset, Christus haberet duplicem personam, quod absurdum est: Ab humanâ igitur Christi naturâ removetur nomen Personæ, quia ipsa sustentatur à λόγῳ.

III. Ut hæc definitio personæ per partes explicata clarior sit, notandum venit, in persona, v. g. Petro, duo esse, naturam scilicet substantialem, quæ habet essentiam & existentiam actualem: & subsistentiam, quæ naturæ substantiali addita eam reddit incommunicabilem alteri. Ex quibus duobus oritur compositum constans natura & subsistentia, quod suppositum est, & persona. Naturæ ergò nomine intelligitur substantia singularis, continens integram individui essentiam, in abstracto tamen sumtam. Suppositum & natura distinguuntur tanquam includens & inclusum: suppositum enim includit naturam & aliquid addit, quod suppositalitas seu subsistentia dicitur, natura verò in se non includit suppositalitatem seu subsistentiam, sed ab ea præscindit: pari modo philosophandum est de persona

sonâ & naturâ: persona enim speciale est suppositum, sc. rationale, ejusque abstractum est personalitas: Græci utuntur voce ὑπαρξιότεως. Atque ex hac philosophandi ratione petenda est causa, quare natura possit conservari sine subsistentiâ propriâ; (ut in Christo patet, qui catet subsistentiâ humanâ seu creatâ) suppositum autem totum non possit conservari sine naturâ, quia sc. illam formaliter includit.

IV. Subsistentia sive ὑπόστασις in abstracto est modus substantialis, quo naturæ existentia ita determinatur, ut & *per se subsistat* & *incommunicabilis sit*. In quâ definitione & subsistentiæ natura & ejus geminum munus explicatur. Primum subsistentiæ munus est substantiam determinate ut per se subsistat, non ut τὸ per se subsistere significat non esse in subjecto, quomodo per se subsistere est proprietas non tantum suppositi & personæ, sed omnis etiam substantiæ, in generali substantiæ definitione expressa, sed prout τὸ per se subsistere significat subsistere subsistentiâ propriâ, independenter à subsistentiâ alterius: quod ut intelligatur, observandum est τὸ existere substantiæ, id est, τὸ habere entitatem extra causas suas positam, vel etiam τὸ subsistere per se, prout opponitur inesse alteri ut in subjecto, duobus dici modis; nempe vel ita, ut, quæ existit ac subsistit per se (quatenus non inest alteri ut subjecto) substantia, ab alio tamen sustentetur, sic existit & subsistit per se humana Christi natura, quia in existendo & subsistendo per se sustentatur à divinâ, ab ejusque subsistentiâ dependet; vel ita, ut quæ existit & per se subsistit substantia, ab alio non sustentetur, ab alio non dependeat, non tantum ut à subjecto, sed nec ut à sustentante, sic Petrus, Paulus, &c. existunt & subsistunt per se, τὸ per se subsistere, quod largitur subsistentia vel ὑπόστασις, intelligitur secundo modo, in quantum substantia independenter ab alterius subsistentiâ ac propriâ subsistit. Atque ex his manifestum est, substantiam tum completam esse perfectissimè, quando suam habet & sibi propriam subsistentiam, & quidem quia ac quatenus eam habet. Si dicas, humanam ergò Christi naturam non fore substantiam perfectissimè completam; concedimus id libenter, quia non est persona, nec suâ subsistentiâ subsistit, sed subsistentiâ divinæ naturæ, interim perfecta & completa est substantia ac vetè subsistit per se, quatenus τὸ per se subsistere significat non esse in alio, ut in subjecto, ac proinde vetè propriéque est substantia: Cum natura una alienâ subsistit subsistentiâ, fit ut duæ naturæ in unum coalescant suppositum ac personam; ita Christus una tantum persona est, duabus constans naturis essentia atque existentia diversis, ὑποστατικῶς tamen unitis.

V. Quemadmodum duas naturas in una subsistentia posse uniri jam ostensum est, sic & una natura plures potest habere subsistentias; & una eademque essentia plures personas modo subsistendi diversas constituere: Ut in divina essentia videre est, quæ subsistit in tribus distinctis personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, quia tribus prædita est subsistentiis. Utraque autem natura, & quæ plures subsistentias admittit, & illa, quæ diversam naturam in suam subsistentiam & in unitatem personæ assumit, debet esse infinita. Natura autem finita quælibet sua hypostasi ita est definita, ut tota subsistat in uno supposito, atque ita ut extra eam existere non possit, idque tantum quia finita est.

VI. Alterum subsistentiæ munus est, naturam substantialem reddere incommunicabilem: notati hic solet & rectè, naturam duobus modis communem dici, vel pluribus speciebus & individuis distinctis: sic omnis natura universalis dicitur communis; vel pluribus suppositis: sic una eademque natura divina singularis, communis est tribus personis, Patri, Filio, & Spiritui Sancto. Totidem quoque modis dici potest natura incommunicabilis: primo cum non potest concipi sub ratione generis aut speciei, secundò cum non potest communicari pluribus suppositis aut personis. Prior incommunicabilitas est à rei singularitate, posterior à subsistentia. Quare quemadmodum quod singulare est non potest communicari pluribus inferioribus, ita quoque quod determinatum est subsistentia, non potest communicari pluribus personis, in quantum est determinatum. Sic Dei essentia communis est tribus personis, quia non

includit subsistentiam: at eâdem subsistentiâ jam affecta, non amplius communicari potest. Et hoc est quod Theologi dicunt, Dei essentiam considerari, vel ἀπολύτως, in quantum non includit subsistentiam, & sic dicitur communicari tribus personis; vel ὑποστατικῶς & sic est incommunicabilis; essentia enim Dei restricta per subsistentiam, τρόπον ὑπάρξεως, in Patre, nequit communicari Filio, ut sic: neque enim essentia Patris, ut sic, est essentia Filii, sicut nec Pater est Filius, ut sic, in quantum per subsistentias sibi proprias restringuntur.

VII. Quid hæc subsistentia sit, intricatum atque obscurum sanè est, & circa id sententiis valdè variatum est. Nos autem primò statuimus non esse substantiam, quia aut prima foret aut secunda: non secunda, quia illa est universalis; at subsistentiâ singularis est, & reddit ens singularissimum: non prima, quia sic constaret naturâ & subsistentiâ, & hæc rursus aliâ, & ita daretur progressus in infinitum; sed videtur porius naturæ aliquod additamentum. Non etiam est accidens aliquod, quia illud non potest substantiam complere aut reddere incommunicabilem. Præterea in Christi humanitate omnia sunt accidentia humanæ naturæ convenientia, nec tamen est subsistentia de qua agimus. Superest ergo ut sit modus substantialis, substantiam actuans ac determinans in ratione suæ substantiæ. Cum autem duûm generum sint modi, mutabiles & separabiles, alii immutabiles & inseparabiles, subsistentia modus est immutabilis prorsus ac inseparabilis: quod non tantùm verum est de subsistentia cuique substantiæ propria, sed & de aliena: ita ut subsistentia illa naturæ divinæ, qua subsitit natura Christi humana, nunquam ab illa fuerit separata, quamdiu extitit; ne quidem in ipso triduo mortis; mansit enim corpus, mansit anima, ὑποστατικῶς naturæ divinæ unita, etiam tum quando à se invicem fuêre divulsa ac separata: neque enim ad corporis & animæ solutam unionem, secuta est dissolutio unionis, qua natura Christi humana unita est divinæ, dum in eandem subsistentiam assumpta est. Quæ de persona & subsistenria ulrerius inquiri possunt, aliis & aliàs facere licebit.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

SECUNDA.

DE

ENTE INFINITO.

DE ENTE INFINITO *disputationem habituri, non quacunque de eo ventilari possunt ac solent, hoc tempore proponemus: Quis enim ista omnia unica disputatione comprehendat aut exhauriat? sed generales quasdam, attamen nobilissimas, quæstiones decidemus, speciales specialioribus disquisitionibus reservaturi.*

THESIS I.

RECepta est divisio apud Philosophos Entis in finitum & infinitum; quæ divisio entis prima, intima, & maximè essentialis dicitur, quia præter alias omnes entis divisiones universales, hæc membra habet omnium maximè inter se distantia; cum enim ens dividitur in substantiam & accidens, absolutum & relatum, non tam distant à se divisionis membra, quam si dividatur in finitum, & infinitum. Finitum est, quod habet essentiam & perfectionem limitatam: Infinitum, quod habet essentiam & perfectionem nullis limitibus circumscriptam: itaque termini illi desumti quidem sunt à quantitate molis,

molis, ubi limites sunt & fines, sed translati per analogiam, ob intellectus nostri in cognoscendo imperfectionem, ad quantitatem perfectionis significandam, sicut hoc egregie explicat *Suarez disp.* 28. *Metaph. s.* 1. §. 18. Cum hac divisione coincidit divisio entis in ens à se & ab alio, necessarium & contingens, per essentiam & per participationem, increatum & creatum, omnino actuale & aliquam potentialitatem includens, quæ ibid. loc. cit. *à Suarez* explicantur. Ens finitum, ab alio, contingens, per participationem, creatum, aliquam potentialitatem includens, dicitur creatura; ens infinitum, à se, necessarium, per essentiam, increatum, omnino actuale, dicitur *Deus:* & hujus *entis infiniti, Dei* sc. inquiremus hac disputatione *existentiam, essentiam, attributa, operationes ad extra.*

II. *Deum esse* non tantum Scriptura, sed etiam natura docet: de Scriptura res est evidentior, quam ut ullam requirat probationem, vel testimoniorum inductionem: & ex Scripturis sacris id probare non nostrum etiam est, sed Theologi. De natura id quoque evidens est, licet id negare ausi fuerint nonnulli: est autem *naturalis* Dei *notitia* insita & acquisita, Scholastici dicunt, *subjectiva* & *objectiva:* illa hominis cujusque animo jam inde ab utero quasi impressa & insculpta est, qua homo ex principiis secum natis, tanquam imaginis divinæ quibusdam ruderibus & reliquiis, ad Deum creatorem manudicitur: hæc, ex contemplatione operum & effectuum, Deum nobis ostendit: hæc duplex Dei notitia naturalis, paulo latius explicanda est. Est in homine vis aut facultas naturalis cognoscendi Deum, sive lumen quoddam congenitum, quo intellectus aptus natus est, ad assensum præbendum illi, quod dicitur, *esse Deum*; ita ut, quam primum ratio se exerit, & quid significetur illa voce, *Deus*, cognoscit, sine ulteriori disputatione, labore & difficultate illi assensum præbeat, dicatque *esse Deum*; & hanc etiam ob causam dicuntur insitæ, naturales istæ notitiæ, quia sine præceptore, sine demonstratione, sine disciplina, homo absque difficultate, quam primum terminos simplices apprehendit, absque mediis aliis & principiis istam notitiam elicit: hæc rudis tamen Dei notitia, confusè & indistinctè Deum attingens, opus habet ut eisdem naturæ viribus, ex diligenti contemplatione creaturarum & assidua meditatione, incrementum capiat, & quasi perficiatur. Non tamen hoc sic est capiendum, quasi adscribamus homini sibi relicto facultatem vel virtutem ullam, vel minimam, cognoscendi salutaritet ex se verum Deum: nihil minus: quin hoc modo totalem in homine cæcitatem & ignorantiam agnoscimus, verum aliqualem tantum, non salutarem ex notitiis insitis ac creaturarum intuitu, rationisque sano exercitio, Dei notitiam ponimus; quomodo statim fuit explicatum.

III. Circa Dei *essentiam* quæritur, *an ea definitione exprimi valeat?* Sunt qui affirment, alii contrarium sustinent, quibus & nos calculum addimus: assertionis nostræ stabilimentum est hoc: Quod nec genus nec differentiam habet, nequit definiri: atqui Deus, nec genus, nec differentiam (accuratè loquendo) habet: ergo. Major patet, quia ad exquisitam definitionem requiruntur genus & differentia: ut Arist. docet 6. topic. c. 5. Minor probatur: primò de differentia, quod ea Deo non conveniat, inde: Quia de ratione differentiæ, propriè sic dictæ, est, ut neque includat speciem quam constituit, nec etiam genus illius speciei, ut Arist. docet lib. 6. topic. 6. 9. & 14. velut rationalitas, quæ est differentia specifica hominis, non est homo, & eadem rationalitas, non est animal, quod est genus istius speciei, *(hominis)* quam constituit rationalitas: Unde si quæ esset differentia, per quam constitueretur Deus in hac specie entis, illa non esset Deus; at nihil est in Deo, quod non sit ipse Deus: cum enim, quicquid præter Deum est, sit creatum quid, si non esset Deus, quod est in Deo, Deus ab aliquo creato haberet ultimam perfectionem. Cæterum ex his, quod Deo non conveniat differentia, efficaciter sequitur, quod nec eidem conveniat genus: nam generica natura non datur, nisi contracta per differentiam, quæ ipsam actuat & complet, sicuti forma materiam: atque ita, sicut huic repugnat esse sine forma: ita generi repugnat esse sine differentia: unde cui repugnat habere

differentiam, eidem etiam repugnat habere genus: at oſtenſum eſt, quod Deo repugnet habere differentiam; repugnat igitur eidem habere genus. His adde rationem deſumtam ab infinitate Dei & ejus incomprehenſibilitate. Qualis eſt cujuſque rei cognitio, talis & eſt ejus definitio: Quid enim aliud eſt definitio quam plena & perfecta rei cognitio? Deus autem plenè & perfectè, id eſt, ut loqui amant Scholaſtici, quiddirativè cognoſci non poteſt, ergo nec quidditativè, id eſt plenè & perfectè, definiri. Deum certe nemo definiverit, niſi qui Dei ipſius Logicâ inſtructus fuerit: poteſt tamen qualicumque deſcriptione adumbrari, quæ per attributa inſtituitur, quod ſit *ſine principio & fine, æternus, immutabilis, infinitus, &c.*

IV. Quæſtio hic gravis eſt de *attributorum* ab eſſentia & inter ſeſe diſtinctione. Antequam ad quæſtionem reſpondeamus, videndum eſt, quid per attributa intelligatur. Per attributa igitur intelligimus prædicata, quæ per modum affectionis de Deo enunciantur, qualia ſunt quæ eſſentiam Dei confuſis & inadæquatis conceptibus ſignificant ac repræſentant; intellectus enim noſter eſſentiam Dei uno & adæquato conceptu concipere nequit, unde fit, ut multa de Deo apprehendat per modum affectionum, ut boniratem, veracitatem, juſtitiam, miſericordiam, ſapientiam, ſanctitatem, potentiam, æternitatem, & ſic deinceps, quæ vocari ſolent attributa, & de his quæritur, *an realiter à Dei eſſentia differant? an eadem inter ſe realiter ſint diſtincta?* Nos utrumque negamus. Ratio negationis eſt quoad partem priorem; Quia ſi attributa divina ab eſſentia ſint realiter diſtincta, utique ſingula erunt finita, vel infinita: ſi finita, ipſa etiam infinitas Dei, quæ inter attributa eſt, finita erit: quod contradictionem involvit. Si infinita; aliquid à Deo erit realiter diſtinctum infinitum, & ſic vel Deus ſe ipſo non erit infinitus, vel plura erunt infinita: quorum utrumque falſum & abſurdum. Quod attributa divina realiter à ſe invicem diſtincta non ſint, probatur hoc argumento: Eſſentia abſolutè ſimplex non poteſt includere plura prædicata eſſentialia realiter inter ſe diſtincta: Atqui eſſentia Dei eſt abſolutè ſimplex: ergo. Propoſitionis ratio eſt, quia pluralitas prædicatorum eſſentialium realiter diſtinctorum infert compoſitionem, adeoque repugnat abſolutæ ſimplicirati. Reſtat ergo, ut attributa divina à Deo & inter ſe diſtinguantur: vel formaliter cum *Scoto* & *Scotiſtis*, quia quamvis ſint eadem res ſimplex, tamen diſtinctæ ſunt rationes formales: non enim ratio formalis & definitio unius, v. c. intellectus aut juſtitiæ eſt ratio formalis aut definitio alterius, v. c. voluntatis aut miſericordiæ: vel ratione ratiocinata cum *Thoma* & *Thomiſtis*, qui varii ſunt conceptus objectivi, non realiter, actu, in ſe aut Deo, diſtincti, ſed virtualiter tantum & eminenter, atque in effectibus, ſeu in terminatione potius ad effectum talem vel talem, diverſi.

V. Exiſtentiam Dei, eſſentiam; attributa, excipiunt *operationes ad extra*, quæ vulgo recenſentur, *creatio, conſervatio, concurſus*, pro triplici cauſæ ſecundæ dependentia, in fieri, in eſſe, in operari: per creationem res, quæ antea non erat actu, ſed in potentia tantum objectiva aut etiam obedientiali, ſimpliciter producitur: per conſervationem res producta in eſſe conſervatur: per concurſum ad operationem præſtandam applicatur & in efficientia actuatur. *Creatio* ſolet definiri *productio rei ex nihilo: productio* hæc non dicit formaliter relationem, ſed fundamentum relationis creaturæ ad creatorem: ſoletque à parte Dei concipi à nobis per modum actionis tranſeuntis, & vocari *creatio activa*: à parte rei per modum paſſionis, & dici *creatio paſſiva*: additur, *ex nihilo*, quod negat ſubjectum & ponit terminum: itaque primò intelligendum id eſt negativè, ut excludatur omnis cauſæ materialis concurſus, qua ratione potiſſimum creatio diſtinguitur à generatione, quæ eſt eductio formæ de potentia materiæ; ſecundò poſitivè, ut notet ordinem termini à quo, ſub quo res ante erat: *nihil* enim iſtud, ſive non eſſe, præceſſit eſſe rei: unde liquet novitatem eſſendi eſſe de ratione creationis: nam omne, quod habet eſſe poſt non eſſe, habuit initium ſeu novitatem eſſendi: quod ſi ab æterno quippiam habeat non eſſe & item eſſe, ſimul erit & non erit.

VI. Crea-

VI. Creationem excipit *conservatio*, quæ est, *rei productæ per actualem influxum in suo esse continuatio*: dicimus, *per actualem influxum*, ut excludamus conservationem, quam vocant, permissivam, sive privativam, cum id dicitur conservare, sed impropriè, quod non destruit: item indirectam, quæ tantum removet impediens: hæc enim non influit in ipsum esse rei, quod conservatur, sed in id quod rei contrarium est, unde per accidens resultat permansio rei in suo esse. Quod hæc actio Deo competat facilè patet, quia creatura non tantum in fieri, sed etiam in esse à Deo essentialiter dependet: deinde id liquet ex annihilatione: hæc enim non consistit in positivo, quia tendit in non esse rei simplicirer: at omnis actio positiva tendit ad esse positivum: consistit igitur in sola suspensione influxus divini, quo conservat Deus: qui influxus ita se habet ad res creatas, ut sol ad lumen.

VII. Creationem & conservationem sequitur *concursus*, seu *cooperatio*. Quæritur hic: *An Deus per se atque immediatè in actionibus omnium creaturarum operetur?* Non defuêre qui negarint Deum per se & immediatè concurrere ad actiones secundarum causatum; nominatim ejus sententiæ erroneæ fuit *Durandus* in 2. *dist.* 1. *q.* 5. ubi sentit: postquam Deus ab initio creationis ipsis creaturis concessit sufficientem agendi virtutem, nihil amplius eum cum illis operari. Verum hæc sententia non tantum est temeraria; sed etiam non satis in fide tuta; quapropter oppositum ejus, ut longè certius & verius, tenemus, quod ita ostendi potest: Res creatæ in esse subordinantur Deo, atque hinc in essendo dependent à Deo, ergo & dependent ab eodem in operarionibus; operari enim sequitur esse, & modus operandi sequitur modum essendi: at ista rerum creatarum à Deo dependentia in operando, insinuat *concursum Dei*, ad producendas istas actiones; qui definiri potest, *actio Dei ad extra, qua una cum causis secundis & subordinatis omnes illarum effectus producit.* Id autem facit dupliciter; & causas secundas præmovendo, excitando, ad agendum applicando, & in ipsas actiones realiter influendo, coagendo, cooperando: priori respectu dicitur concursus Dei prævius, posteriori modo simultaneus: utroque modo Deus concurrit, & utroque modo creatura in operando à Deo dependet: Itaque concursum collocamus non in solo influxu in ipsam actionem terminato, quod facit *Suarez Metaph. disput.* 22. *Conimbr.* 2. *Phys. Ruvius ibidem, de Raconis in tract. de principiis*, sed & motione, excitatione, applicatione causæ secundæ ad agendum, juxta vulgatum axioma, *Causa secundæ non agunt nisi motæ à prima.* Verum quia solum admittunt concursum simulraneum auctores citati, & Jesuitæ omnes, & rejiciunt prævium, motionem sc. illam qua virtutem activam creatutæ Deus complet, eam excitat, applicat, determinat ad agendum, unico argumento sententiam nostram confirmabimus, quod erit desumtum ex hypothesi & sententia Adversariorum: hoc modo. Si causa secunda non possit agere quin Deus simultaneo concursu cum illa influat, ut dicunt omnes Adversarii, ergo etiam non potest agere nisi præmoveatur à Deo ad agendum, nisi Deus concurrat concursu prævio. Prob. conseq. hæc est Adversariorum positio & omnium etiam, excepto *Durando* cum paucis aliis: ad actionem causarum secundarum requiritur concursus simultaneus duarum causarum, primæ & secundæ: rogo, quomodo istæ duæ causæ concurrant simultaneè, vel ut una moveat aliam, vel ut utraque moveatur à tertia, vel ut casu concurrant. Hoc postremum dicere non licet, præsertim si istæ causæ per se sunt subordinatæ, ut sunt; nec secundum dici potest; nam quæ erit illa tertia, quæ utramque causam, primam & secundam, præmoveat? ergo una alteram præmovebit ex duabus causis simultaneo concursu concurrentibus; sed non potest præmovere secunda primam, sic enim secunda non foret, sed prima: ergo prima præmovebit secundam, quod erat demonstrandum: sed hæc omnia specialibus aliquot disputationibus aliquando, si Deus volet, exponentur.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

TERTIA.

DE

NOTITIA DEI NATURALI.

THESIS I.

ESse *Deum* sciri potest, ac cognosci multis modis. Nonnulli triplicem statuunt Dei cognitionem: 1. cognitionem *rationis*, quam investigamus per creaturarum intuitum. 2. cognitionem *devotionis*, quæ fit per verbum, ex cujus prædicatione cognitio fidei oritur. 3. cognitionem *glorificationis*; quæ fit in vita æterna. Alii ponunt quadruplicem divinæ cognitionis librum, φύσεως, *naturæ*, quo pertinent ἐγγενεῖ ἔννοιαι menti naturaliter impressæ. 2. κτίσεως, *creaturæ*, quo pertinent intuitus & contemplatio creaturarum. 3. γραφῆς, *scripturæ*, quo pertinet divina in Prophericis & Apostolicis scriptis revelario. 4. ζωῆς, *vitæ æternæ*, quo pertinet intuitiva & beatifica Dei visio. Sed prætermissa cognitione glorificationis, & libro vitæ æternæ, qui cognoscendi modus in hac vita non possidetur, sed speratur tantum, reliqui tres cognoscendi modi optimè revocari possunt ad duo capita: ut *cognitio Dei*, alia sit *naturalis*, alia *revelata*, & illa petatur ex *naturæ*, hæc ex *scripturæ* libro. Ac nos quidem relicto Theologis scripturæ libro, & cognitione revelara, *Qualis sit Dei notitia naturalis, hausta ex libro naturæ*, hac disputatione inquiremus.

II. *Liber naturæ* duplex statui potest, *internus & externus:* unde *notitia* Dei naturalis dividitur in *insitam* vel *innatam*, & *acquisitam:* illam vocant alii *subjectivam*, hanc *objectivam*. Notitia *insita* originem habet ex ἐγγενεῖς ἐννοίας, quæ amissæ imaginis divinæ sunt obscura quædam rudera ac vestigia & amissæ illius lucis, quæ in hominis mente ante lapsum fulgebat, superstites quædam ac sopitæ scintillulæ, per quas communis illa & anticipata notio, *Quod sit Deus*, omnium hominum mentibus naturaliter est insculpta. Has ergo notitias communes referimus ad librum naturæ internum: ad quem etiam pertinet *liber* συνειδήσεως, internum conscientiæ testimonium, quod Scholastici vocant *Synteresin*, συντήρησιν· nam ex principiis cum homine natis oritur in corde cujusvis hic Syllogismus practicus: *Qui vitam vivit impiam; sentiet Dei vindicis iram & pœnam:* ratio ejus est, quia omnibus naturaliter est insitum & insculptum, *Deum esse, Deum esse colendum, Deum esse scelerum vindicem:* subsumit autem conscientia impii; *Ego flagitiosam vitam duxi &c. Acquisita* Dei notitia ex libro naturæ externo, videlicet ex contemplatione operum & effectorum divinorum, vi naturalis discursus, à mente humana colligitur: ut enim ex pluribus lireris, ita ex pluribus creaturis, liber quidam componitur, cum quælibet creatura non sit nisi quædam litera manu Dei scripta: & in hoc libro Deum legere, atque ex lectione cognoscere possumus.

III. Atque hæc est gemina & genuina Deum naturaliter cognoscendi ratio: partim insita, ex libro naturæ interno; partim acquisira, ex libro naturæ externo; quæ à non uno impetitur & impugnatur hoste. Priorem negat *Timplerus*, *Metaph. lib. 4. cap. 2. quæst. 2.* qui plura habet passim in Metaphysica non probæ notæ, & heterodoxiæ merito suspecta: & sicut multos ex Timpleriana Metaphysica errores, ita hunc etiam ex ea hausit ejus Collega, *Conradus Vorstius, in notis ad disp. 1. de Deo, pag. 119. & in apologetica exegesi, c. 1.* Erravit & hunc errorem *Scaliger, exercit. 307. sect. 18.* Utramque tam innatam quam acquisitam Dei naturalem notitiam

negat

negat infaustus ille *Socinus*, *prælect. Theol. c. 2.* Quia vero distincta sunt argumenta, quibus tum insita, tum acquisita Dei notitia naturalis, probari potest, distincte etiam ea proponemus, si primum status controversiæ fuerit fixus rectèque formatus; ad quem fingendum formandumque, quædam distinctiones observandæ veniunt.

IV. *Notitia Dei* potest, vel ratione subjecti, in quo est, vel ratione objecti, circa quod est, vel ratione modi & graduum, diversimode considerari. *Ratione subjecti* est, vel speculativa, vel practica; intellectûs, vel affectûs: theotiæ, vel malitiæ: *non est quæstio*, cum quæritur, an detur aliqua naturalis Dei notitia, *de notitia practica, affectus, malitiæ:* multi enim affectu, malitiâ: voluntate, vitâ & operibus, Deum negant: quem tamen intellectu & theotiâ speculativâ negare non possunt: ignorant tales Deum, non pura negatione, sed prava dispositione: est etiam notitia alia in actu primo, id est, habitualis, alia in actu secundo, id est, actualis: *non quæritur, an detur notitia naturalis semper in actu secundo, seu actualis*, sed in actu primo seu habirualis. *Ratione objecti* potest dividi notitia Dei in eam, quæ est circa τὸ ὅτι, & eam, quæ est circa τὸ τί ἐστι. *De priori quæstio est, non de posteriori,* sc. *an naturaliter homo scire possit, quod sit Deus: non vero quid & quis sit Deus:* distingui etiam potest inter notitiam veri Dei, & quasdam vero Deo competentes notitias, sive inter conceptum, qui est de Deo, & conceptus applicationem: *hoc est in controversia, an homo extra revelationem possit habere quasdam vero Deo competentes notitias, quosdam veros de Deo vero conceptus, etsi in particulari illos male applicet, ad id v. c. quod non est Deus:* 3. *Ratione modi & graduum*, notitia Dei est, *confusa* in communi, & *distincta* in particulari, *salutaris*, vel *non salutaris: de notitia Dei confusa & non salutari quæstio est, non autem de distincta & salutari:* talis enim nullo modo ex natura hauriri potest. Hic igitur controversiæ status manet, *An detur notitia Dei naturalis speculativa, in actu primo, circa τὸ ὅτι, confusa & non salutaris, qua verum de vero Deo conceptum formare potest homo, sive illud sit ex contemplatione creaturarum, sive per notitias innatas & tacito cordis motu:* hoc enim in quæstione hac nobis perinde est: affirmamus utrumque & probamus.

V. *Notitiam innatam probant*, 1. Universalis & perpetuus omnium populorum consensus: *nulla enim gens tam est barbara, tam effera, quæ non cognoscat esse Deum*, inquit Cicero *l. 1. de natura Deor.* Aristot. l. 1. de cœlo, πάντες γὰρ ἄνθρωποι σαφῆ Θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν. Et Seneca *Epist. 117. nulla gens adeo extra leges moresque est projecta, ut non aliquos Deos credat:* sc. sensus divinitatis naturaliter omnibus insitus tam efficax fuit in Gentilibus, ut quidvis potius eriam infra hominis naturam positum, Deum esse, quam nullum esse Deum, statuerint: & falsum est, quod Adversarii afferunt, non tantum aliquos homines, sed integros hodie populos reperiri, qui nullum penitus sensum aut suspicionem divinitatis habeant, & apud quos nullum sit vestigium religionis: nec exempla Brasilienſum atque Indorum id probant. 2. Salutaria morum præcepta & institutiones apud Gentiles, quæ ex lumine naturæ profluxerunt: hæ enim manifeste ostendunt honestorum & turpium discrimen esse omnibus natutaliter impressum, & notitiam de Deo insitam. 3. Timor supremi alicujus numinis naturaliter ex cotde hominis prorumpens: homines enim feri & barbari, adeoque ab omni doctrina & institutione remoti, inque sylvis degentes, cum tonitrua audiunt, timent, & suo timore testantur insitam esse naturaliter cordibus hanc notitiam, quod sit aliquod summum numen omnipotens: & hic timor ac *conscientiæ consensus internus*, qui *omnibus dictat* aliquem esse, qui vitia puniat & præmiis virtutes compenset, supremum Dictatorem, vel solus sufficit ad *subjectivam hanc Dei & insitam naturalem notitiam* probandam: nec difficile est refutare (quod facere malumus in ipso disputandi actu) argumenta sententiæ negantis, in quam, nescio quo fato, delapsus est quoque Cl. hujus Academiæ ante paucos annos Philosophus, *D. Fr. Burgersdicius, lib. 2. Metaph. c. 4. th. 1. & 2.* Maximum quidem sententiæ hujus fulcrum à Cl. *Viro* ponitur *loc. cit.* in dicto

in dicto *Aristotelis*, quo dicit *animam esse tabulam rasam, in qua scriptum nihil est, sed quidvis inscribi potest*: verum locus iste *Aristotelis* huic opinioni non patrocinatur: nam intelligendus est ratione specierum intelligibilium, & completæ sive actualis cognitionis illius, ad quam naturaliter aptus existit intellectus, & quasi in proxima est potentia; eam tamen impressam non habet: nam ante rationis usum mens hominis, neque propositiones comprehendit: neque terminos simplices apprehendit: veritatem proinde ac falsitatem nullius propositionis actu cognoscit: hoc enim si faceret, ratione jam uteretur antequam uteretur: & hujus actualis cognitionis respectu, anima dicitut tabula rasa. Quod dicat Vir Cl. th. 1. hanc propositionem, *Deus est*, non esse per se notam, nec intellectâ significatione vocum, qui effertur, assensum impetrare, sicut hæc facit, *Totum est majus suâ parte*, & neminem repertum iri, qui hoc asserat, non satis cautè dicitur: Nam æquè notum est ex terminis cognitis, si non notius, *Deum esse*, quam alterum istud; nam postremum hoc notius esse videtur, quia sensibus ejus veritas est vicinior: at prioris veritas intellectui est propior. *Totum non esse majus suâ parte*, per se notum est, quia sensus id testatur: at *Deum esse*, per se notum est, quia intellectus id testatur: & sicut viso aut cognito, quid sit *totum*, quid *pars*, statim scitur, *totum esse majus suâ parte*, ita etiam, intellecto quid significet hoc nomen, *Deus*, statim habetur & scitur, quod *Deus est*: Nam quid significat vox, DEUS? illud sc. quo melius ac majus cogitari non potest. At hoc ipsum significat, *Deum esse*: nam quomodo vox, *Deus*, intellectui significare possit, id quod est Optimum & Maximum, nisi intelligat intellectus, illud esse quod per vocem, *Deus*, significatur: quod enim entitatem non habet nec habere intelligitur, nec bonitatem, nec vim ullam habet, nec habere intelligi potest.

VI. *Cognitionem Dei objectivam probant*, totus macrocosmus & microcosmus, cui utrique tam clara sui vestigia impressit, ut utrumque contemplanti nullibi non occurrat, *Deus*: ubivis videre est examinanti, divinos illos, sapientiæ, bonitatis, potentiæ, characteres rebus impressos, quos illinc eruere, id demum est *Philosophari*: tota enim *Philosophia*, quæ verè id nomen meretur, hic absolvitur, ut *ex visibilibus Deum invisibilem aperiat, animoque figat, & cognoscendum & colendum*: quò si non destinatur, ab autore suo abit, & à fine & scopo aberrat: ut enim omnis naturæ notitia à Deo est, ita ad Deum tendit ac dirigitur, & in Dei notitia cultuque naturali, tanquam fine ultimo, acquiescit: produxit enim mundum majorem minoremque, rebusque omnibus entitatem largitus est, Deus, pro suprema bonitate, sapientia, potentia: ut ipse in iis & agnosceretur & laudaretur: *sapientiam* Dei, pulcherrimus monstrat rerum atque universi ordo, ac proportio: *potentiam*, admiranda cœli, terræ, rerumque naturalium virtutes & effecta: *bonitatem*, rerum creatarum finis, utpote quos non sui, sed hominis causa condidit optimus *Deus*: unde *vera Philosophia in creaturarum existentia Dei existentiam, in earum virtutibus & effectis Dei virtutes & effecta* tanquam in clarissimo speculo, *proponit cognoscenda ac contemplanda*: quam Dei, naturæ virtutumque divinarum, in rebus creatis latentium, ac *Philosophiæ* nunc beneficio patentium, *notitiam*, non potest non sequi *cultus* amorque *Dei*: tantum enim diligimus, quantum cognoscimus. *An Deum, ita naturali intellectus lumine ex rebus creatis cognoscendum, benè & sufficienter doceat* quæ hactenus viget & ubique regnum tenet, ex Gentilismo tantum & Peripateticismo hausta, ac noxio heterodoxorum Philosophorum veneno infecta, sub vanis subtilitatibus & infrugiferis quæstionibus, Philosophia, disquiri posset: sed ab instituto nostro est alienum: certè non multum ad Dei notitiam faciunt, Sophisticæ, & de vocibus tantum ac terminis institutæ, non paucæ in Philosophia digladiationes. Quidquid sit, reperire tamen est in Philosophia moderna ac disputatrice rationes non contemnendas, quibus notitia Dei naturalis objectiva adstruitur.

VII. *Thomas Aquinas summæ suæ parte* 1. *quæst.* 2. *art.* 3. quinque argumenta profert, 1. ex parte motus: quia omne quod movetur, ab alio

ab alio movetur; neceſſe igitur eſt, ut deveniatur ad aliquod primum movens, quod à nullo movetur: & hoc eſſe, omnes intelligunt, *Deum*. 2. ex ratione cauſæ efficientis: quia omne, quod eſt ab alio eſt: neceſſe eſt igitur pervenire ad aliquam cauſam efficientem primam (non enim datur progreſſus in infinitum) quæ *Deus eſt*. 3. ex poſſibili ac neceſſario: quia non omnia quæ ſunt, ſunt poſſibilia, ſed ſemper aliquid fuit, quod fuit neceſſarium; ubi devenietur tandem ad aliquid quod per ſe eſt neceſſarium, & cauſam neceſſitatis aliunde non habet, ſed quod neceſſitatis cauſa ſit in aliis, eſtque *Deus*. 4 ex gradibus, qui in rebus inveniuntur; invenitur in rebus aliquod magis & minus bonum, verum, nobile, &c. Ergo eſt etiam aliquid, quod eſt veriſſimum, optimum, nobiliſſimum, proindeque maxime ens, puta *Deus*. 5. ex gubernatione rerum, quæ omnia, etiam quæ cognitione carent, operantur propter finem, ad quem tamen non caſu, ſed ex intentione cognoſcentis perveniunt, ergo eſt aliquod intelligens, à quo res naturales & omnes ad finem ordinantur ac diriguntur qui eſt DEUS. Has rationes apud ipſum *Thomam*, & *Summiſtas*, ejus commentatores prolixius diductas videre eſt. Qui plures deſiderat, adeat *Mar. Merſen in Geneſin*; ubi *cap.* 1. *art.* 2. probat argumentis 35. notitiam Dei naturalem, & *Campanellam*, integro libro, quem vocat *Atheiſmum triumphatum*. Et Dei notitiam inſitam, ex Dei idea per creationem nobis indita, tanquam nota artificis operi ſuo impreſſa, *ſubtiliſſime* probat *Renatus Des-Cartes*, *in ſua prima Philoſophia*, *meditatione tertia*, & *reſpon.* ſubjunctis *adverſus* varias contra eam *objectiones*.

Diſputationum ex Philoſophiâ ſelectarum,

QUARTA.

DE

PROPRIO.

THESIS I.

INter Prædicabilia (quæ ſic vulgo vocantur) recenſeri ſolet & *Proprium*, de quo diſputationem impræſentiarum inſtituere eſt animus; ac ne vocis ambiguitate detineamur, eam primum removebimus, ac tum ipſius *Proprii* naturam penitius inquiremus. *Proprium*, ut notat *Porphyrius in ſuâ Introductione cap.* 4. & *Ariſtoteles* 5. *Topic. cap.* 1. *dicitur quatuor modis*: 1. quod convenit ſoli alicui ſpeciei, ſed non omnibus ejus individuis. 2. quod convenit omni alicujus ſpeciei individuo, ſed non ſoli iſti ſpeciei. 3. quod convenit ſoli ſpeciei alicui & omni ejus individuo, ſed non ſemper. 4. quod convenit ſoli ſpeciei, & omni ejus individuo, & ſemper: & hoc noſtræ eſt conſiderationis. Verum iſtud *quarto modo proprium* non uno etiam modo dicitur: Nam vel eſt *indeterminatum*, vel *determinatum*; illud eſt, vel *tranſcendens*, quo ſenſu bonum dicitur propria paſſio entis, vel *prædicamentale*, quod toti alicui Categoriæ convenit, ut non eſſe in ſubjecto ſubſtantiæ, æquale eſſe vel inæquale quantitati, &c. neutrum huc ſpectat, quia non certæ alicui rerum ſpeciei, ſed, vel rebus univerſis, vel pluribus rerum ſpeciebus unâ claſſe categoricâ contentis, convenit: hoc vetò proprium, ſcilicet *determinatum*, eſt hujus loci, quod certæ rerum ſpeciei convenit, eique vel infimæ, vel ſubalternæ: & quia ſpecies ſubalterna eadem eſt cum genere ſubalterno, eoque etiam nomine venit, factum eſt, ut Proprium ei competens dictum ſit *genericum*; quod convenit ſpeciei infimæ

ſpecificum, ſpeciatim vocati ſolet: de utroque hoc tenendum eſt, quod genericum cum genere, non cum ſpecie infimâ, ſpecificum cum ſpecie, non cum individuis, conferri debeat: propria enim ſic dicuntur ſemper ratione ſubjecti proximi & immediati.

II. *Proprium quarto modo*, determinatum ſive genericum, ſive ſpecificum, *definitur ab Ariſtot. l. 1. Topic. c. 5. t. 5. quod non declarat quidditatem, & tamen ſoli rei ineſt & cum ea reciprocatur. Non declarat Proprium rei ſive ſubjecti quidditatem*, quia nec eſſentia eſt ejus, ut ſpecies, nec pars eſſentiæ, ut genus & differentia; *& tamen ſoli ineſt & cum ea reciprocatur*, quia non contingenter ſed neceſſariò ineſt; eſſentiam enim ſubjecti, quam non conſtituit, immediatè tamen conſequitur ac concomitatur: *reciprocatio* hic intelligitur in caſu recto; eſt enim in Græco Ariſtot. textu ἀνπκατηγορεῖται· at ἀνπκατηγορία diſtinguitur ab illa reciprocatione, quæ dicitur ἀνπςροφὴ, habetque locum in relatis, quod hæc fiat in caſu obliquo, dicuntur enim relata aliorum in genitivo, aut alio caſu ad aliud referri; at iſta, quæ hic locum habet, itemque in differentiâ & definitione, quæ cum ſubjecto reciprocantur, in caſu fit recto. *Propria* ſic definita & explicata, *duûm* vulgo ſtatuuntur *generum*: quædam immediatè dependent & emanant ab eſſentiâ ſubjecti, quædam exiſtunt in ſubjecto mediante causâ externâ: poſteriora ex hypotheſi tantum propria ſunt, eaque nunc temporis miſſa faciemus; Prioris generis propria dupliciter poſſunt ſpectari, vel ratione ſubjecti in quo ſunt, vel ratione ſubjecti in quo non ſunt; unde gemina oritur quæſtio, difficilis utraque: ſi proprium conferatur, cum ſubjecto in quo eſt, quæritur, *utrum ab eo poſſit ſeparari?* ſi conferatur cum ſubjecto, in quo non eſt, quæritur, *utrum alteri ſubjecto, in quo non eſt, ſpecie diverſo communicari poſſit?*

III. Quæſtio prior, *An proprium à ſubjecto ſuo ſeparari poſſit?* dupliciter poteſt intelligi, aut de *ſeparatione reali*, aut de *mentali*. De utraque diſtinctè eſt pronunciandum. Quod attinet ſeparationem realem, dicimus, *propria ita immediatè dependere à ſuis ſubjectis, ut nulla virtute, nec naturali nec ſupernaturali, ſeparari ab iis poſſint, ſic ut nec proprium ſine ſubjecto, nec ſubjectum ſine proprio, exiſtere queat.* Ratio noſtræ aſſertionis hæc eſt. Quæ ſe habent ut cauſa emanativa & effectum, ea non poſſunt, vel ad momentum temporis, à ſe invicem ſeparari, ne quidem per omnipotentiam divinam: at ſubjectum & proprietas quarto modo habent ſe ut cauſa emanativa & effectum. Ergo, &c. Prob. major. Quæ ſe mutuo ponunt & tollunt, ut uno poſito alterum ponatur & ſublato tollatur, ea non poſſunt à ſe invicem ſeparari, ne quidem virtute divina: at cauſa emanativa & effectum ſe mutuo ponunt & tollunt: quod probo, quia cauſa emanativa ſuâ exiſtentiâ cauſat, ita ut, qui ponit eam exiſtere, jam ponat eam cauſantem; at cauſare non poteſt niſi ſit cauſatum; ergo actu ponitur cauſatum, poſita exiſtentia cauſæ emanativæ: conſequenter ſe mutuo ponunt: Cauſam verò emanativam cauſare ſua exiſtentia, inde liquet, quia in eo diſtinguitur ab activa, quod hæc præter exiſtentiam diſtinctam habeat cauſalitatem, actionem ſcil. illius verò cauſalitas ſit ipſa cauſæ exiſtentia. Si ergo Deus conſervare poſſit cauſam emanativam ut effectum ſeparetur, jam conſervabit cauſam non cauſam, quod eſt contradicens, & Deo indignum: ex hypotheſi enim quod effectum ſeparetur, non erit cauſa, cum cauſa non ſit cauſa actu, niſi cauſet & effectum producat, effectumque ponatur, ſi non in eſſe, ſaltem in fieri; ex hypotheſi verò, quod Deus eam conſervet in exiſtentiâ ſeu exiſtentem, cauſa erit, cum exiſtere non poſſit niſi ſit cauſa, quia exiſtentia eſt ejus cauſalitas, & qui ponit cauſam emanativam exiſtere, ponit eam cauſare, itaque ſi Deus conſervare poſſit ſubjectum, quod ſe habet ut cauſa emanativa, ſeparatâ proprietate, quæ ſe habet ut effectum, quod immediatè emanat, jam poterit conſervare cauſam emanativam ſine effectu, id eſt, conſervabit cauſam non cauſam, quod eſt contradictorium: at contradictoria Deus facere non poteſt. Quod verò ſubjectum & proprietas ita ſe habeant, ut cauſa emanativa & effectum (quæ erat Minor principalis ſyllogiſmi) ſeu quod proprietas ita immediatè fluat à ſubjecti eſſentiâ, ut ab eâ emanet, id eſt, exiſtentiâ

ſubjecti

ſubjecti poſitâ, ſine ulla aliâ cauſalitate, ponatur, dubitari non poteſt; aut, ſi quis dubitet, is aliquam actionem, ceu mediam cauſalitatem ab exiſtentiâ ſubjecti diſtinctam, proferat, quâ proprium à ſubjecto producatur. Quomodo ergo Deus conſervans eſſentiam & exiſtentiam ſubjecti, v. c. animæ rationalis aut corporis, ſeparare poteſt proprietates, riſibilitatem aut quantitatem; cum eo ipſo actu, quo eſſentiam ſubjecti atque exiſtentiam conſervat, etiam conſervet proprietates, eo quod ipſa ſubjecti eſſentia atque exiſtentia ſit proprietatum productio. Unde, qui eſſentiam atque exiſtentiam ſubjecti ponit, jam ipſas ponit proprietates productas; qui poſterius ſepatat ac tollit, nempe proprietates, & prius tollat, ſc. ſubjectum, neceſſe eſt, cum poſitio ſubjecti in exiſtentiâ ſit, poſitio quoque proprietatum in exiſtentiâ: exiſtentia enim ſubjecti eſt exiſtentia propriorum, ita ut nihil intercedat medium: nam ſi aliquid intercederet medium, jam propria non emanarent, ſed actione tranſeunte fierent: Non poteſt ergo Deus facere, ut exiſtat ſubjectum, non exiſtente proprietate, aut contrà, niſi poſſit facere, ut idem ſimul exiſtat & non exiſtat; ergo propria nulla ratione aut virtute, nec naturali nec ſupernaturali, ſeparari poſſunt: quod erat demonſtrandum.

IV. Quod attinet ad ſeparationem mentalem cum quæritur, *utrum hoc modo ſaltem propria à ſubjecto ſuo ſeparari poſſint?* ad id reſpondendum eſt cum diſtinctione. *Separatio* enim mentalis (quam alii vocant intellectus abſtractionem) duplex eſt: una *ſimplex*, (vulgo abſtractio *præciſionis*,) altera *compoſita* (vulgo abſtractio *negationis:*) illa reſpicit ſimplicem mentis operationem, hæc complexam: cum intellectus, ex iis, quæ conjuncta ſunt, unum apprehendit, relictis cæteris, id eſt, non apprehenſis, vocatur hæc mentis actio, ſeparatio vel abſtractio ſimplex: cum intellectus, ex iis, quæ conjuncta ſunt, duo vel plura apprehendit, alterumque de altero negat, unum ab alio ſeparat ac dividit, (negatio enim diviſio eſt, ut affirmatio conjunctio) iſta mentis actio dicitur ſeparatio vel abſtractio compoſita: ſeparatio mentis ſimplex nulli falſitati obnoxia eſt, compoſita falſa eſt ac fallit, quando ſeparat ea quæ conjuncta ſunt: ſi quis Petrum, qui pater eſt, concipiat, non conceptâ paternitate, paternitatem à Petro ſeparat ſimpliciter, nec falſum committit: at ſi quis Petrum, qui pater eſt, concipiat, negata paternitate de eo, is eam ſeparat à Petro ſeparatione compoſita ac falſum committit. *Propria non poſſunt ſeparari à ſubjectis ſuis ſeparatione mentis compoſitâ:* nam qui conciperet animam rationalem & riſibilitatem, ut hanc de illa neget, animæ rationalis exiſtentiam ponat, riſibilitatis exiſtentiam tollat: is conciperet contradictotia, quia conciperet ſimul exiſtere animam rationalem & non exiſtere, item riſibilitatem exiſtere, & non exiſtere: quia exiſtentia unius eſt exiſtentia alterius: ſic qui conciperet corpus negata quantitate, is conciperet corpus eſſe & non eſſe, quantitatem eſſe & non eſſe: quia enim ſe mutuo ponunt ac tollunt, non poteſt unum concipi exiſtere, ut alterum exiſtere negetur: ſed vel utrumque exiſtere, vel neutrum eſſe, concipiendum eſt: quod autem ſe mutuo ponant & tollant, th. præced. demonſtratum eſt, non tantum de iis, ſed de omni ſubjecto & proprio, quia omne ſubjectum & proprium ſe habent ut cauſa emanativa & effectum; *ſed an ſaltem ſeparari poſſunt ſeparatione mentis ſimplici?* Hic diſtinctè iterum eſt agendum.

V. Quod ſpectat *ſeparationem* mentis *ſimplicem*, *an eâ ſubjectum & proprium ſeparari poſſit?* hæc quæſtio dupliciter intelligi poteſt: 1. *An ſubjectum poſſit concipi non conceptâ proprietate?* 2. *An proprietas poſſit concipi non concepto ſubjecto?* quæ duo longè differunt. *Prius affirmamus, poſterius negamus:* utrumque explicamus & probamus. Quod prius eſt natura, poteſt concipi ſine actuali conceptu poſterioris, cum in illius conceptu poſterius non includatur, itaque poſterius poteſt intellectu ſeparari à priori, quia poteſt intellectus cogitare prius, non cogitando actu de poſteriori: at ſubjectum natura prius eſt, quia cauſa: proprium poſterius, quia effectum. Ergò poteſt ſubjectum intelligi non intellecta proprietate: At proprietas intelligi aut concipi nequit, non intellecto aut non

concepto subjecto, sc. suo, cum quo reciprocatur, & ratio est, quia subjectum continetur in definitione proprii, ac proinde subjectum est de essentiâ proprii, si ergo proprium concipi possit non concepto subjecto, res concipi poterit, non conceptâ essentiâ rei, quod est absurdum: itaque risibile concipi nequit nisi concepto homine, quantitas intelligi nequit nisi intellectâ materiâ, simitas cogitari nequit nisi cogitato naso: at homo, corpus, nasus, intelligi possunt, non intellectis, risibili, quantitate, simitate: hîc enim nulla est contradictio; at contradictio est simitatem cogitari non cogitato naso, aut quodlibet proprium concipere non concepto subjecto: nam ut nasus simitatis, ita quodlibet subjectum proprii sui definitionem & essentiam ingreditur, nam dicuntur de se invicem in secundo modo dicendi per se, teste vel ipso Aristotele l. 1. Poster. c. 4. t. 31. At contradictio est, rem definitam concipere non conceptâ definitione, ejusque partibus, v. c. hominem concipere non concepto animali aut rationali: id enim est concipere hominem non hominem. Ergo si subjectum sit de definitione proprii, impossibile etiam est concipere proprium non concepto subjecto: esset enim concipere proprium non proprium. Si dicas, nullum fore discrimen inter proprium & differentiam essentialem ac specificam, si hæc sententia sit vera, quia ut differentia talis non potest concipi non concepto subjecto, de quo dicitur (quod constituit ac specificè distinguit) ita & proprium: Respondeo, discrimen illud adhuc superesse, quod subjectum concipi possit non conceptâ proprietate, ut homo non concepta risibilitate, at non potest concipi non concepta sua differentia essentiali & specifica (quâ in certa specie collocatur, & ab omni alia specie distinguitur) ut homo non potest intelligi non intellecta rationalitate; & causa est, quia differentiæ essentiales conveniunt rebus in primo modo dicendi per se; at proprietates in secundo, ut ex Aristotele statim diximus.

Altera quæstio de Proprio proposita est, respectu subjecti in quo non est: ac quæritur; *an alteri specie diverso, in quo non est, communicari possit?* Respondeo, planè non posse, ne quidem per potentiam divinam, idque ob rationem thes. 3. assignatam: quod probo. Si propria emanent ab essentia subjecti, ita ut se mutuò ponant, ergo si proprietas poni possit in alio subjecto, etiam subjectum ipsum proprietatis in alio subjecto poni debet: si v. c. quantitas possit communicari spiritui, ipsa corporeitas seu esse corpus subjectum quantitatis, spiritui communicari debet: quia ex arctissima connexione, quæ est inter causam emanativam & effectum, non potest fieri, ut alibi sit proprietas, v. c. quantitas, quæ est effectum, & alibi, ac non ibidem, subjectum, v. c. corpus, quod est causa emanativa; ita ut, qui dicunt proprietatem communicari subjecto specie diverso, dicant proprietatem non proprietatem, quæ est contradictio; quam sic ostendo. Omne quod communicatur est commune: quod commune est, proprio contradistinguitur; contradistinctum autem sui contradistincti negationem includit, & sic communicari vel commune esse, dici nihil potest, nisi prius dicatur non proprium: ergo si proprietas hujus subjecti communicatur illi subjecto specie diverso, est proprietas non proprietas; proprietas, quia emanat ab hoc subjecto; non proprietas, quia communicatur alteri: quæ est contradictio manifesta. Proprium & commune esse opposita, negari nequit; opposita includere negationem mutuam, extra omne est dubium: jam argumentor ad hominem. Nullum proprium est commune, quia sunt opposita: major hæc est ex concessis: quoddam proprium est commune: minor est ex hypothesi adversæ partis: Ergo quoddam proprium non est proprium, quæ est contradictio in adjecto: videant ergo adversarii, quomodo Deum & se à contradictione liberent, qui affirmativam hujus quæstionis tuentur. Plura argumenta, quia & temporis & chartæ angustia adferre vetat, alias fortasse persequemur.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

QUINTA.

DE

RELATIONE.

THESIS I.

DE *Relationibus* tam utilis est doctrina, ut nulla ferè sit per universam Philosophiam, quæ ei anteponi possit: sed enim tam miserè ac fœdè à Scholasticis ac tanto terminorum & vocum barbararum involucro pertractata est, ut si quid sit horridum atque intricatum, nihil tamen hac doctrina horridius atque intricatius reperiatur, atque vel Delio natatore, vel Oedipo aliquo sit opus ad eam assequendam: præterea tam multa disputantur de Relatione vana atque inania, ut qui contemplandis iis operam ac tempus locat, nec temporis nec operæ pretium ferat: ne dicam nunc, periculosas in fide consequentias, ex hac doctrina non satis prudenter ac dextrè tradita, à multis educi; quare non malè nec inutiliter egerimus, si relationum doctrinam ac relatorum naturam perspicuè breviterque exposuerimus, erroribus obiter notatis, ac præsertim iis, qui aliorum in rebus aliis errorum sunt fontes ac causæ.

II. *Relatio* nihil *est*, quam σχέσις *unius ad aliud:* quæ σχέσιν istam habent, dicuntur τὰ πρός τι, quasi dicas, ut id exprimunt nonnulli barbarè quidem sed significanter, quæ sunt *ad aliquid:* Latini *relata* vocant, quia referuntur ad aliud: *Relata* ab Aristotele sic definiuntur, cap. 7. Categ. text. 1. πρός τι ἢ τὰ τοιαῦτα λέγεται, ὅσα αὐτὰ, ἅπερ ἐστὶν, ἑτέρων εἶναι λέγεται, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως πρὸς ἕτερον· Quod ita vertit *Pacius*; *Ad aliquod ea dicuntur, quacunque id quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quocunque alio modo ad aliud referuntur.* Quando Relata dicuntur esse *aliorum*, primo significatur relationem non consistere nisi inter duo, secundo relata referri ad aliud in casu genitivo: quando additur, *vel quovis alio modo*, indicatur, non tantum hoc sed etiam alio casu quocunque, relata ad alind referri: sed præsertim notari debent voces istæ, ὅσα αὐτὰ, ἅπερ ἐστὶν, id est, *quæ quatenus sunt, hoc quod sunt*, atque ea ipsa voce, qua nuncupantur, dicuntur esse aliorum: sic, ut unum proferamus exemplum, Pater relatum est, non quia dicitur filii autor, causa aut aliud tale, sed quia & quatenus dicitur illius pater: at quæ dicuntur aliorum, non tamen hoc quod sunt, relata non sunt: ita v. c. cæcitas dicitur visus, non ὅπερ ἐστί, non *hoc quod est*, non visus cæcitas, sed privatio, ideoque nec relatum est.

III. In omni relatione duo requiruntur tam necessario, ut sine iis Relatio non sit, *subjectum* & *terminus*; quod vel ipsa relationis definitio evincit: Relatio enim est habitudo unius ad aliud *unum*, istud est, *subjectum, aliud terminus. Subjectum est illud quod refertur, terminus illud ad quod refertur subjectum:* subjectum est res absoluta ut & terminus: sed quando *subjectum* consideratur cum *respectu illo* ad aliud, vocatur *relatum*; cum *terminus* consideratur cum *respectu* illo quo ad se refertur subjectum, & contrà ipsum refertur ad subjectum, vocatur *correlatum:* unde vulgo definiunt, *subjectum est cui relatio inharet: terminus, cum quo subjectum in relatione comparatur:* & hinc orta est distinctio illa inepta & insulsa inter *esse in* & *esse ad*, qua omnes ferè Scholastici uti solent, quæ non tantum ob verborum barbariem sed & ob sententiæ vitium repudianda est: nam τὸ *esse in* potuissent Latiniùs dixisse, inesse, & τὸ *esse ad*, referri ad

aliud: deinde τὸ *esse in* vocant id quo relationes more cæterorum accidentium inhærent subjecto, τὸ *esse ad*, id, quo relatio terminum respicit: at verò relationes totæ consistunt in respectu & in ordine ad aliud, nec quicquam aliud involvunt in essentiâ suâ præter respectum ad terminum: quare inepè dicitur ac falsò, relationes more accidentium cæterorum inesse subjectis, cum subjecto tantummodo attribuantur: voces quippe relativæ non significant aliquid quod subjecto proptiè ac per se inest, sed tantum declarant, quomodo subjectum se habeat ad terminum: neque enim Pater significat aliquid, quod humanæ naturæ propriè & per se insit, sed quomodo ille, qui sic dicitur, se habeat ad filium.

IV. Ut in omni relatione necessariò duo referuntur, ita omnis *relatio gemina* est, unde vulgo dicuntur relata ἀντιστρέφειν, hoc est, inter se reciprocari, seu, ad se invicem ultrò citroque referri, adeo ut utrumque dicatur esse alterius, & utrumque relatorum suâ propriâ relatione referatur ad alterum: itaque errant illi, qui una eademque relatione volunt utrumque relatorum ad alterum referri: hoc enim falsissimum est: nam relationis essentia in eo sita est, quod quippiam ad aliud aliquo modo se habeat: ἐν τῷ πρός τι πῶς ἔχειν. atqui pater non eodem modo se habet ad filium, quo filius ad patrem: ergo non eadem est relatio, qua referuntur ad se invicem: atque ex hisce ultro sequitur, *omnia relata* esse *mutua*, & nullas dari relationes non mutuas; quod vero quædam relata dicantur non mutua, inde est, quod ob vocabulorum inopiam geminatio non appareat, nec in relatis nec in relationibus: itaque quæcunque relata non mutua dicuntur, nomine tenus tantùm, non reipsa sic dicuntur: neque aliud colligi potest ex *Aristotele*, quam relationes aliquas non mutuas videri ob vocabulorum defectum: qua causa *Aristoteles* nobis jubet *capite citato* ὀνοματοποιεῖν· videatur *cap. 7. Categ.*

V. In mutua relatorum ac relationum habitudine, quod in una relatione relatum est, id in altera semper est correlatum, & contrà: & ut relatum se habet ad correlatum, ita subjectum se habet ad terminum: itaque quod est unius relationis subjectum, id est alterius terminus. Quæri hic solet, *an præter subjectum & terminum requiratur in relatione fundamentum? Fundamentum verò vocant, quo mediante relatio in subjecto oritur atque existit. Respondemus* in aliquibus relationibus, in aliis non item, hoc requiri: sunt enim duûm generum relationes, quædam in subjecto proveniunt, posito solo termino in existentia, nullaque causa alia requisita, sic in ovo otitur relatio similitudinis, posito quod alterum ovum existat eadem qualitate præditum, nec quicquam aliud requiritur: sunt aliæ quædam relationes, quæ non oriuntur in subjecto, posito solo termino, sed requiritut insuper aliud in subjecto atque in termino, quo mediante proveniant, ut sunt v. c. dominium & servitus: hoc, quod requititur, vocatur fundamentum: & requiritut non tantum in subjecto, sed & in termino: terminus enim unius relationis est subjectum alterius: imo, quia terminus, idco subjectum est: itaque indiget fundamento non solum, quà oppositæ relationis est subjectum, sed & quà terminus: atque hinc videre est communem fere errorem, quo omnibus relationibus promiscuè fundamentum tribuunt Metaphysici ac Logici: at verò quodnam est fundamentum, distinctum à subjecto, ut esse illis censetur, relationis, qua vel duæ horæ aut lineæ æquales, duo colores aut figuræ similes dicuntur? quodnam est fundamentum earum relationum, quæ Deo, vel quæ duabus substantiis ejusdem generis aut speciei immediatè tribuuntur? profectò si quædam relationes manent quasi de essentia subjecti, termino posito, quid opus est fundamento? Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora: ergo *Falsum est in omni relatione requiri fundamentum diversum à subjecto & termino.*

VI. Non subsistit hîc communis Philosophantium error, sed progressus est ulterius: qui in omni relatione fundamentum exigunt distinctum, ut sunt subtiles distinguendi artifices, distinguunt inter *fundamentum & rationem fundandi.* Fundamentum vocant, quasi causam relationis: rationem fundandi, ejus quasi causalitatem, sc. paternitatis fundamentum illis est potestas genetandi: ratio fundandi ipsa

di ipsa generatio: verumenimvero ista figmenta sunt citra necessitatem excogitata. Fundamentum definitur, id quo mediante relatio subjecto competit: ideoque posito fundamento, cum est, necessario ponitur relatio: *itaque fundamentum sine ratione fundandi*, quam vocant, *ne fundamentum quidem fuerit*: eo enim tantum posito, non posita ratione fundandi, relatio nondum ponitur ex illorum sententia: non est ergo id fundamentum vocandum, quod illi vocant; sed ipsa ratio fundandi, est fundamentum relationis: *potestas* illa, quam fundamentum illi vocant, fortasse vocari possit *conditio sine qua non*: at fundamentum, nec dici nec esse potest.

VII. Atque hæc nobis esse videtur genuina relationis ac relatorum explicatio: unum adhuc restat paulo ulterius inquirendum, quod, ad relationis ac relatorum naturam cognoscendam penitissimè, multum facit: scil. *Quid sint relationes? utrum sint ens reale an nihil?* Respondemus, relationes, quà *relationes*, *nec esse ens reale*, *nec nihil*. *Quod non sint ens reale*, inde probatur, quod cum subjecto, cui adduntur, non faciant veram compositionem, nec ortu suo aut recessu ullam faciant in subjecto mutationem: nulla certe est compositio in hora aut linea, cum alteri horæ aut lineæ dicitur æqualis, nulla mutatio in ovo, cum alteri ovo alibi genito simile incipit esse, aut in Petro cum alteri homini idem esse dicitur in natura humana: oriuntur quidem multæ relationes aliqua mutatione: sed ea mutatio vel est in termino, vel si mutatio est in subjecto, relatio est posterior mutatione, utpote ex qua suo modo oritur atque resultat: neque res mutatur, quia fit relata, sed fit relata, quia mutatur. Ex hisce sequitur, omnibus omnino rebus, etiam Deo, relationes tribui tuto posse: nec metuenda est hîc ulla in Deo aut compositio aut mutatio, quæ infinita Dei perfectione foret indigna: nam relationes non componunt nec immutant, cum adveniunt, ut jam ostendimus: non etiam perficiunt subjectum cui attribuuntur, quod intelligi debet de relationibus ut sic: nam quod quædam relationes videantur perficere subjectum, hoc fit ob fundamentum, aut formam aliquam ac perfectionem absolutam, quæ simul cum relatione ex fundamento oritur, ac relationem comitatur: at nihil est, quod perfectiorem aut beatiorem possit efficere Deum accessu suo.

VIII. Sed si relationes non sint entia realia, nec quicquam perfectionis addant subjecto, videntur prorsus esse nihil: sed respondemus id non sequi, *neque eas esse nihil*: nam licet subjectum non perficiant ut formæ absolutæ, referunt tamen subjectum ad aliud: quod non est omnino nihil: si relationes essent purum nihil, non possent inter se distingui: at distinguuntur, quia aliter se habet pater ad filium quam dominus ad servum: qui putant hoc discrimen oriri à fundamento, illi primum omni relationi fundamentum tribuunt quod jam refutavimus thes. 5. deinde licet relationes omnes à fundamento provenirent, non tamen relatum hoc aut illo modo se haberet ad correlatum per fundamentum, sed per relationem ipsam: atque hoc satis est, ut relatio, quatenus à fundamento distinguitur, non sit prorsus nihil: qui relationum discrimen referunt ad subjectum & terminum, quæ connotantur, non tamen evadunt nostri argumenti robur: imo id confirmant potius: nam si relationes, subjecti & termini connotatione, differant aliæ ab aliis, jam ipsæ relationes, qua tales, differentias istas subeunt, quia qua relationes subjectum & terminum connotant ex definitione relationis th. 2. allata: illa certe connotatio non est nihil: præterea nihil non potest connotare ens: & ubi nihil incipit connotare ens, jam fit aliquid: & si relatio foret nihil, sicut una res potest differre ab alia per connotationem relationis, ita posset differre per connotationem & nihil: at hoc non est: ergo relatio non est nihil. *Quid tandem fuerit igitur relatio? respondemus*, medium esse inter ens reale & nihil, non participationis sed negationis, qualia dari prærer relationem, aliàs cum occasio sese offeret, ostendemus.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, SEXTA. DE ORTU ANIMÆ RATIONALIS.

THESIS I.

INter difficillimas, quæ à Philosophis agitari solent, quæstiones, non infimum tenet locum de qua nunc instituimus disquisitionem: sc. *Vtrum θύραθεν à Deo corpori humano infundatur per creationem, an vero à parentibus una cum corpore in liberos propagetur per generationem, Anima humana?* hæc difficultas Maximo inter Pattes Latinos *Augustino* visa est tanta, ut ἐπέχειν voluerit ac scripserit, Epist. 157. *non est periculum, si origo animæ lateat, dummodo redemptio clareat.* Verum enim vero cum in controversiis multis Theologicis, Juridicis, Medicis; & in aliis casibus multum expediat, firmam tamen aliquam de ortu Animæ rationalis sententiam tenere, non erit præter rem in hoc negotium inquirere, præsertim cum de eo scripserint tot Viri præclari, quos tanquam cuivis notos non nominamus, ne Authores citando chartam impleamus: duæ igitur sunt classes opinionum quas de ortu animæ humanæ sustinent Viri docti; *quidam creari, alii generari eam volunt:* neque enim sunt alii modi quibus substantia possit produci præter creationem & generationem. *Nos priorem amplectimur, posteriorem rejicimus.*

II. *Qui* animas humanas oriri per generationem, & à parentibus in filios propagari ac *traduci existimant*, *putant* istam propagationem *fieri vel per multiplicationem aut divisionem substantiæ ipsius animæ, vel productionem animæ ex aliquo semine:* nam qui traduci quidem animam statuunt, modum tamen non explicant, nec explicari posse contendunt ii non satisfaciunt accurato indagatori. *Si dicant*, *Animam* rationalem filii *esse traductam* ab anima Patris *per ejus divisionem* & quasi diminutionem, jam divisibilem facient animam rationalem, consequenter & materialem; quod indivisibili & immateriali ejus naturæ repugnat: deinde si animæ substantia cum semine, ex quo fit homo, decidatur ac dividatur, cur non etiam, abscisso capite aut alio membro, dividitur & deciditur? Præterea, quæri potest, an in parentibus πολυτέκνοις non imminuatur tot sui partibus decisis ac divisis anima? Tertio, quæri potest, an à solo Patre vel Matre sola hæc prolis anima decidatur ac dividatur? si ab unius tantum parentis anima; à cujus? Patris an Matris: si ab hujus vel illius tantum anima, cur non ab alterius quoque, cum utriusque anima æquè sit divisibilis? si ab utriusque Parentis anima per sui divisionem anima sobolis propagetur, unde petetur sexus ratio? fortasse, quia ab alterius parentis anima plus fuerit decisum ac divisum. Quam absona hæc sint & inepta, nemo non videt.

III. *Si dicant*, *animas* propagari *& traduci per sui multiplicationem*, dum anima parentum aut parentis gignit aliam sui similem in prole, quæ est Traducentium probabilior opinio, explicent mihi, cur anima rationalis magis possit sic multiplicari quam Angelus? sunt enim anima rationalis & Angelus, quoad substantiam, ejusdem generis ac naturæ: nempe substantia per se subsistens, immaterialis, spiritualis: unde & spiritus, tam hic, quam illa, nominatur: idcirco tam anima nostra intelligit & vult quam Angelus: utrobique par ratio est; ergo etiam sicut Angelus non producit alium Angelum, etiam neque anima nostra producet aliam animam, est enim & hîc utrobique eadem ratio. Cur enim Angelus ex Angelo non propagatur? Quia est substantia per se subsistens, immaterialis, spiri-

ſpiritualis, conſequenter quæ tranſmutationem non patitur: At talis etiam eſt anima rationalis: ergo etiam, ſi Angelus, nec generetur, nec generet ſui ſimilem per multiplicationem eſſentiæ, nec de anima rationali id dicendum eſt.

IV. Sed ulterius ſententiam iſtam incommodis urgeamus: Actio iſta multiplicationis, qua anima animam generat, rationalis ſc. rationalem, vel naturalis eſt, vel voluntaria: ſi naturalis, quî fit ut anima rationalis intellectu & voluntate prædita ſe ipſam multiplicet nec volens, nec ſciens? ſi voluntaria, ergo ſterilitatis cauſa erit ſita in voluntate, quia anima non vult ſe ipſam transfundere & multiplicare. Et quomodo in hominibus nequam, adulteris puta, ſequitur ſæpe fœtificatio, cum eam maximè nolint? Præterea ſemper fieret conceptio, cum veller anima Parentis: at hoc non fit; terrio illa multiplicario animæ rationalis, qua producitur in ſobole, aut fit à parente utroque, aut ab altero tantum: utrumvis dicatur, redit difficultas mota th. præced. circa animæ rationalis traductionem per diviſionem. Speciatim, ſi ab utroque parente eſt anima prolis per multiplicationem, quomodo fiet unio duarum animarum maſculæ & fœminæ in unam ſubſtantiam & in unum ſexum? explicent ſi poſſint. Ad hæc ſequitur, 1. Unum numero effectum, animam ſobolis, produci à duabus cauſis totalibus ejuſdem ſpeciei non ſubordinatis, ſc. ab anima Patris & Matris, quod contra veritatem eſt, &, quorundam judicio, vel Deo impoſſibile. 2. Ex duobus actibus fieri unum per ſe: ſc. anima Patris actus eſt: anima Matris item: ex hac utraque, una fiet per ſe anima ſobolis, quod contra axiomatis recepti veritatem quoque eſt. Denique ſi anima parentis, ſive unius, ſive utriuſque, producat animam liberorum multiplicando ſe, aut in ſemine hoc facit, aut extra ſemen: ſi in ſemine, jam ſemen erit animatum anima rationali: quod ſi non eſt abſurdum, cur non & ſanguis ſic dicatur animatus? & cur non utrumque homo? aut aliud entis actu animati animâ rationali genus præter hominem conſtituatur. Deinde ſi in ſemine ſe multiplicet anima, vel ſemen aliquid confert ad iſtam animæ multiplicationem, vel nihil: ſi aliquid, jam anima rationalis in iſta ſui multiplicatione, tum activa tum paſſiva, in ſuo fieri, aliquo modo dependebit à ſemine: at hoc eſt abſurdum, quia ſic non foret immaterialis: nam quod in ſui productione dependet à materiâ, ſic ut illa aliquid conferat, eſt materiale: & nulla cauſa eſt, cur anima, quæ non dependet in operando, in intellectione & volitione, à commercio materiæ, dependeat in fiendo? Si nihil confert ſemen ad iſtam animæ rationalis multiplicationem, fruſtra in ſemine fieri dicitur: quod dicant fortaſſe requiri ſemen, non quidem per modum cauſæ aliquid conferendo ad animæ multiplicationem, ſed ſaltem per modum ſubjecti, animam, dum ſe multiplicat, ſuſtentantis, ineptum eſt. Nam anima ſicut non eſt accidens, nec indiget ſubjecto in operando, nec in eſſendo, multo minus in fiendo: ſi extra ſemen ſe multiplicando anima animam producat, jam anima rationalis filii ab anima rationali parentum creabitur; quod probo: quia hæc illam producit, & ex nihilo ſubjecti & ex nihilo termini: nam nihil animæ filii præextitit, & nullum præextitit ſubjectum, quia extra ſemen anima parentis ſe ipſam multiplicando alteram ſobolis producere ſupponitur: ergo fuerit creatio: at illa non eſt finitæ virtutis. Quid multis opus eſt? Si anima rationalis una aliam producat ſe multiplicando extra ſemen, jam ſaltem fit ex nihilo ſubjecti, quia ſemen nec ſubjectum eſt ex quo educitur anima, nec eam productam conſtituit, nec ipſa anima Parentis eſt ſubjectum ex quo educitur anima filii, quia quod educitur ex alicujus ſubjecti potentia, in eodem recipitur & exiſtit: ſed anima non recipitur nec exiſtit in anima parentis: ergo. Deinde anima patris non eſt pars conſtitutiva animæ filii; alioquin animæ filiorum puniri poſſent pro actualibus peccatis omnibus parentum, quia eorum animæ, cum peccata committerent, pars fuêre animæ liberorum. Præterea fit ex nihilo termini, quomodocunque hæc phraſis ſumatur; quia ſemen non poteſt eſſe aliquid termini ad quem ipſius animæ rationalis, ſi extra ſemen producatur ſui multiplicatione: nec poteſt dici ſemen terminus à quo illius

mutationis qua producitur anima rationalis, quia terminus à quo adveniente termino ad quem perit: at semen adveniente anima rationali adhuc manet: nec potest ipsa anima parentis dici aliquid termini ad quem animæ rationalis in filiis, quia sic eam constitueret, & ipsa à seipsa post generationem foret divisa: nec potest dici terminus à quo in mutatione ista qua producitur anima filii, quia, ut jam dictum est, terminus à quo perit producto termino ad quem; at anima parentis non perit producta anima sobolis: ergo, cum nihil subjecti nihilque termini præexistat, fuerit creatio ista animarum multiplicatio, quod est absurdum.

V. *Nonnulli animas sic traduci* ac propagari *volunt*, ut nec multiplicentur nec dividantur, sive in sive extra semen: sed *ut producantur ex aliquo semine: & quidam statuunt hoc* semen *esse spirituale* ψυχικὸν, *alii esse corporeum* σωματικόν. *Qui traducem explicant* per productionem animæ *ex semine* ψυχικῷ *spirituali*, ii tertiam quandam spiritus creati speciem agnoscere coguntur, præter angelum & animam rationalem, nam neque angelum esse volunt neque ipsam animam rationalem parentum, sed tertium quid ab angelo & anima rationali utriusque parentis distinctum: at hoc absurdum est, & otiosa est subtilitas, in tertio spiritus genere excogitando. Deinde illa spiritualis seminis substantia, aut fit ex aliqua materia corporea: & hoc non, quia ipsa ponitur spiritualis substantia: aut ex anima parentis: eaque vel tota, & hoc non, quia sic anima parentis tota evaneseeret, & in spirituale semen converteretur: vel ex parte; & sic divisibilis foret, una parte in hoc spirituale semen conversa, altera non item: aut ex nihilo; & sic foret creatio: non addo plura absurda, quæ hinc sequuntur. *Si semen hoc statuant*, ex quo producitur ac traducitur anima rationalis, *corporeum & σωματικὸν*, jam animæ rationalis productio erit eductio ex potentia materiæ, proindeque in suo fieri dependebit à materia, quod qua ratione consistat cum illius essentiæ immaterialitate, spiritualitate, addo & immortalitate, illi viderint: certe ut est in operando inorganica & ἀμιγὴς anima, ita in essendo, multo magis in fiendo: ut immortale ex mortali, spirituale ex materiali, simplicissimum ex mixto, oriri possit, naturæ viribus, quis est Philosophorum qui concipere valeat? etiamsi subtilissimam quis materiæ in semine puritatem imaginetur ac somniet, quamdiu materiam aliquam concipit in semine, ex quo produci dicunt animam, ego quidem quomodo tueri queant ejus essentiam spiritualem, immaterialem, immortalem, equidem non video, quicquid dixerint aut distinxerint. Manet hoc: Forma, quæ ita dependet à Materia, ut per concursum causæ materialis producatur, illa est materialis: at anima rationalis, si producatur ex semine, si ex seminis potentia educatur, ita dependet à Materia ut &c. ergo est materialis. Ita quidem omnes modos traducis animæ rationalis in specie examinavimus & refutavimus.

VI. *Nos* ergo *per creationem* esse & *oriri animas humanas censemus*, & creationem factam *à Deo*, *non ab Angelis*, ut ex Veteribus nonnulli somniarunt: nam virtus creandi nulli convenit præter Deum: est enim infinita: creare enim est agere in nihil; ipsum autem nihil cum sit infinitum, continens totum non esse, nulla res potest habere vim & efficaciam in illud, nisi ea sit infinita, continens in se excellenter totum esse: creantur ergo animæ à solo *Deo*, *non tamen ex ejus substantiâ vel essentiâ*, ut ex Veteribus quoque nonnulli ineptierunt: quia Dei essentia aut substantia nullius rei forma esse potest; sic enim alicujus creaturæ essentiam ingrederetur ut pars: at anima rationalis forma hominis est: ergo, &c. *Non sunt* vero *animæ creatæ simul & semper*, nec una post aliam ex animabus creatis, nunc hæc, nunc illa, corpori inditur, quæ sententia Platoni & Origeni adscribitur: *sed formato corpore demum & creantur & infunduntur*: quo illud fiat tempore, non disquirimus; tertio die à conceptione organizatio potest esse perfecta, ut quidam existimant: etiam tametsi quadragesimo aut alio demum die ea peragatur, tunc animas quoque à Deo effici & corporibus singulas infundi existimamus, sed de tempore item non facimus nostram; neque ad institutum nostrum facit. Id nobis sufficit,

animas

animas à Deo creari, quocunque id fiat tempore. Creationem animarum confirmat quoque si non necessariò, saltem probabiliter, Adami & Evæ animarum rationalium creatio, in his enim Deus specimen edidit quid in aliorum hominum productione facturus esset perpetuo. Quod Adversarii excipiunt, in primis parentibus necessariam fuisse creationem quia nihil existebat, per quod propagatio naturaliter fieri poterat: Resp. ideo argumentum non habet necessariam vim probandi universaliter omnium animarum creationem; sed tamen animadvertendum est; Primò, Adami animam materiæ ante præparatæ extrinsecus infundi, cæteras autem animalium animas in & cum materia concreatas fuisse, cujus ordinis alia idonea ratio non est, quam ut Deus ostenderet in hominibus aliam corporis aliam animæ esse originem, at in brutis esse eundem utriusque ortum. Secundò, universi pulchritudinem & symmetriam postulare, & cum inferiores creaturæ primæva & ordinaria virtute sese multiplicent, omnium creaturarum dominus non sine speciali operatione & auxilio supremi Domini generaretur: Itaque probabilis saltem est probatio à creatione animarum Adæ & Evæ ad creationem animarum aliarum. Qui plura desideret pro creatione animæ rationalis argumenta, videat ex Theol. *Zanch. de operib. creat. l. 2. c. 1. Iun. in Genes. c. 2. Thom. Aquin. 1. part. sum. quæst. 90. art. 2. & ibidem commentatores:* ex Philosoph. *Conimb. l. 1. de an. c. 1. quæst. 3. Tolet. ibid. quæst. 17. Ruvium, aliosque plures ibidem. item Baron. Philos. Theol. ancill. exerc. 2. &c.*

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

SEPTIMA.

DE CONCURSU DEI.

THESIS I.

SI quid in Philosophiâ universâ arduum est ac difficile explicatu, Concursus est divinus, in quo explicando tam fuit à Philosophis laborarum & sudatum, ut nullibi magis: &, quod amplius est, sicubi errarum fuit periculose, hîc quàm maxime: quare omnino meretur hæc materia seligi, ut fideliter ac juxta veritatem explicetur, præsertim, quod dextrè & rectè intellecta insignem habeat usum. Quæritur, *An Deus causa prima vere cooperetur seu concurrat in agendo cum creaturis causis secundis.* Seu, *An causa secunda aliquid agere possit, independenter à Deo, ut causa prima non concurrat ad actionem, effective, proxime, immediate?* Duæ hic sunt sententiæ oppositæ: *una* tenet, causas secundas per se solas sufficientes esse ad actiones suas eliciendas, nec Deum ad actiones istas concurrere. Hæc sententia defensa fuit olim à *Durando* Scholastico reali, sed nec Thomista, nec Scotista, verum utriusque adversario: hic putavit, causas secundas per se effecta sua producere, nec cum illarum operatione causam primam aliter concurrere, quàm causas secundas ipsas, & agendi vim primò à creatione aut generatione illi inditam, conservando: vid. ipsum in *lib. 2. Pet. Lombardi, sententiarum Magistri, distinct. 1. quæst. 5. Durandi* sententiam amplexus est hoc seculo *Nicolaus Taurellus in lib. de rerum æternitate & triumpho Philosophiæ*, nisi quod hic præter concursum divinum etiam insuper sustulerit Dei conservationem: & nuperrime ante annos novem prodiit *Monachus* quidam *Capucinus Burgundus*, qui hanc *Durandi* sententiam magno molimine & ingenti volumine adstruere conatus est: imò ait, hanc sententiam *Durandi* esse unicum medium ac remedium tollendis litibus idoneum, quæ tot jam annos inter *Dominicanos & Iesuitas*

agitantur, de ratione concursus divini, de scientiâ mediâ, de naturâ libertatis, &c. *Altera* sententia, opposita huic, statuit Deum causam primam, actu & reverâ ac per se proximè & immediatè concurrere ad operationes causæ secundæ: itaque ex hâc sententiâ, Deus non tantum permittit creaturam agere, non tantum vires concedit ac conservat ut agat, sed & ipse agit, efficit, efficaciter concurrit, cooperatur. Et cum hujus sententiæ authoribus nos facimus, ponimusque hanc thesin: *Deus concurrit ad quamlibet causarum secundarum operationem, sic ut immediate ac per se influat in omnem actionem creaturæ; consequenter, in omnem effectum: estque Deus immediata, principalis, totalis causa actionis & effectus æque atque causa secunda.* Quam sententiam primum *explicabimus*, tum *probabimus*.

II. Multis modis aliquid dicitur causa actionis: I. quia tribuit agenti virtutem operandi: quo sensu nonnullis Philosophis gravia & levia dicuntur moveri à generante, quia generans communicat eis gravitatem & levitatem, quibus moventur. II. quia conservat virtutem, quâ aliud operatur: quo modo Medicina & herbæ dicuntur causæ visionis, quia conservant potentiam videndi. III. quia est instrumentum alteri in agendo inserviens: hoc modo securis causa est sectionis in ligno. IV. quia aliquid saltem confert in agendo, licet non totam actionem producat, ut sunt causæ partiales: sic duo equi trahunt navem. V. quia ad agendum impellit, adhortatur, suadet, objecta proponit, quæ est causa moralis. VI. quia applicat activa passivis: quo sensu, qui apponit ignem domui, dicitur eum comburere. VII. quia influit in effectum & actionem immediate, conferens illi non tantum verum esse sed & totum esse in suo genere & ordine. Deus causa est actionis causæ secundæ primo & secundo modo, quia causam secundam ac virtutem operandi in eâ creavit & utramque conservat: causa enim secunda est ens per participationem: ideoque, quicquid habet essentiam, agendi potentiam, &c. habet ab alio; & à quo, nisi à Deo? porro non est in causæ secundæ potestate, ut quæ jam est & agendi potentiam habet, cras aut alio tempore sit eandemque habeat: si enim creatura sibi dare possit, ut cras sit, & eandem cras habeat potentiam agendi, quam nunc possidet, quidni possit sibi dare, ut semper sit & semper istam agendi potentiam habeat? atqui hoc est absurdum: Ergo quod causa secunda in esse perseveret eandemque habeat alio tempore agendi potentiam, quam nunc habet, est ab alio, & à quo, nisi ab eo qui primum eam fecit? Deum itaque esse causam actionis causæ secundæ, I. & II. modo extra omne est dubium: sed causa est tantum per creationem ac conservationem, necdum per cooperationem aut concursum: ut enim sic sit causa actionis causæ secundæ, aliquid amplius præter virtutis agendi in causâ secundâ creationem ac conservationem requiritur, ut th. 5. probabimus. III. modo, Deus nequaquam est causa actionis causæ secundæ, quia quoties Deus est causa, nunquam est instrumentalis, sed semper principalis. IV. modo, Deus neutiquam est causa actionis causæ secundæ, quia aliquam tantum partem actionis produceret, & reliqua pars actionis fieret à causâ secundâ sine influxu primæ, quod utrumque est absurdum: & imperfectio foret in Deo, dicere, quod sit causa in agendo partialis: est enim totalis. V. & VI. modo, Deus non est proprie causa actionis causæ secundæ, quia sic tantum foret mediata; at Deus immediata est causa cum agit. Restat ergo VII. modus, ut *Deus* sit *causa actionis causæ secundæ*; *quatenus in eam vere ac principaliter influit, eique totum esse immediate tribuit*, & hoc est quod vocamus, Dei *concursum* seu cooperationem.

III. Deus in concurrendo causa est actionis causæ secundæ: *Principalis*, quia non est necesse ejus virtutem aliunde excitari: *totalis* quia in suo genere & ordine totam actionem producit: *immediata*, quia ipsam actionem & effectum causæ secundæ attingit sine ullo medio. *At*, dices, *Causa prima operatur mediis secundis, ergo earum actiones & effecta non attingit immediate.* Respond. Deum agere mediis causis secundis, nihil est aliud, quam, Deum admittere concausam, vel causam sociam, & consortium alterius agentis, quod nihil impedit, quo minus omnes secundarum causarum

causarum actiones atque effecta immediate attingat. Quod ut intelligatur, explicandum est, quomodo aliqua causa, & Deus, dicatur agere immediate, alia mediate: *causa dicitur agere, vel mediatè, vel immediatè, tum quoad suppositum, tum quoad virtutem:* illa causa agit *immediate immediatione suppositi*, inter quam & effectum seu rem patientem nullum aliud suppositum singulare per se subsistens interjectum est, quo pacto aqua manum abluit refrigeratque: contra *mediate* agit causa *mediatione suppositi*, inter quam & effectum seu rem quæ patitur aliud cadit suppositum, ut inter fabrum & statuam securis. Illa causa agit *immediate immediatione virtutis*, quæ agit per virtutem sibi propriam, & non, ut ageret, mutuo acceptam: quo pacto ignis calore suo, sibi proprio, & ad calefaciendum non aliunde commodato, aquam calefacit: contrà *mediatè mediatione virtutis*, quæ per virtutem, non suam aut sibi propriam, sed aliunde acceptam ac commodatam, operatur, ut cum luna lumine à sole mutuatitio terram illuminat, aut aqua calida manum calefacit: virtus illuminandi, non lunæ, sed solis, media est inter lunam illuminantem & illuminationem, quæ virtus quia alterius est corporis, dicitur luna illuminare mediatè mediatione virtutis, id est mediante virtute solis: sic aqua calefacit mediante virtute ignis, unde dicitur calefacere mediatè mediatione virtutis. *Deus* cum quovis agente creato *concurrit immediatè, immediatione*, tum virtutis, tum suppositi: *virtutis*, quia agit propriâ virtute non aliunde commodatâ: *suppositi*, quia per suam substantiam rem attingit, ipsa enim Dei substantia ejus est virtus. Sed enim dicet quis, ex hac explicatione sequitur, *nullam causam secundam agere immediate immediatione virtutis, quandoquidem omnis causa secunda virtus à prima est quasi mutuo accepta, commodata, & communicata.* Resp. Certè nullum agens creatum agit immediate immediatione virtutis, si per virtutem immediatam intelligas omni modo independentem & nullo modo aliunde acceptam: sed si intelligas virtutem, licet à Deo acceptam & dependentem, causæ tamen secundæ ingenitam, nativam, non aliunde, cum jam est & operabitur, sicut frigus aquæ nativum est, calor adventitius, jam multa ex agentibus creatis agunt immediate immediatione virtutis, alia non item: & hæc res tota consistit in modo loquendi.

IV. Explicatâ sententiâ nostrâ, probandum restat, *Deum immediatè ac verè influere cooperando in omnem actionem & effectum causæ secundæ.* I. probamus ex communi axiomate, quod est verissimum: *Modus operandi sequitur modum essendi:* hinc sic concludimus. Si omnes causæ secundæ dependent à Deo in esse, dependent quoque in operari, ita ut non minus Deus vere & immediate concurrat ad earum operationes quam ad earum esse. Atqui omnes causæ secundæ dependent à Deo quoad suum esse, quod *th. 2. hujus disput.* invictè est ostensum, & aliàs confirmatum *th. 6. disp. 2. ex selectis disp.* Ergo &c. Tota consequentiæ ratio innititur axiomati à nobis allato, quod tam evidens visum est *Aristoteli*, ut, licet ad gravissimas quæstiones enodandas assumserit, nunquam tamen ipsum probare vel tentaverit, vel laboraverit: ut exemplum proferam, constat ex *lib. 1. de Anim. c. 12. & seq. Aristotelem* versari in animæ intelligentis separatione possibili demonstrandâ, ad quam rem ut viam sibi sternat, statuit primò accipiendum esse, an aliquis sit actus animæ proprius, à corpore non dependens, quia hoc posito, inquit, fieri potest ut ipsa quoque anima separetur: hinc apparet axioma nostrum, cui totus *Philosophi* discursus innititur, præsupponi, ut certum & evidens: & certè, si modus operandi absolvi potest ab illâ dependentiâ, quam involvit modus essendi, non liceret concludere ex eo quod modus operandi animæ intelligentis sit independens à corpore, ipsam animam esse independentem quoad modum essendi, quæ tamen consequentia apud *Aristotelem* & omnes hactenus *Philosophos* valida fuit: Et quid nunc obstabit, si hoc nostrum axioma in dubium vocetur, quo minus brutorum animæ post mortem existimentur superstites & immortales, quandoquidem eas non permanere concluſum est hactenus, quod animarum in brutis operationes à corpore

dependeant. Maneat ergo immotum hoc principium, *modus operandi sequitur modum essendi*, & salva est consequentia nostra ei innixa, *si causæ secundæ dependeant in esse à Deo, etiam in operari dependebunt.* Sed alia hic *exceptio*, ad nostrum argumentum proferti solita, est diluenda, nam distinguunt Adversarii nostræ enunciationis hypotheticæ consequens hoc modo: si creatura dependet à Deo immediate in esse, Ergo & in operari sic à Deo dependebit, *ut permittente*, concedunt, *ut coëfficiente*, negant. Resp. distinctio nulla est: nam si modus essendi proprius creaturæ est esse dependenter à Deo non solum permittente, sed reverâ, physice, & immediate influente, sequitur ejus modum operandi pendere similiter à Deo, non permittente solum, sed reverâ, physicè, & immediatè influente: sed verum est prius *ex th. 2. hujus disp. & disp. 2. th. 6.* Ergo & posterius. Sed vero quia hæc permissio est asyli instar, ad quod solent recurrere Adversarii in hoc negotio, planè eam destruemus, eâdemque operâ sententiam nostram nova ratione adstruemus.

V. Ergo probamus II. *aliquid amplius in Dei concursu dandum esse quam virium suppeditationem, earum conservationem, aut nudam agendi permissionem*, hoc modo. Si Deus concessâ & conservatâ agendi vel non agendi facultate solum permittit creaturam agere vel non agere, tum nihil amplius præstat, cum creatura agit, quam cum non agit, cum hoc modo agit, quam cum alio modo; cum bene agit, quam cum male: at ista sunt absurda: Ergo & absurdum est, Deum in operationibus creaturarum nihilo plus agere, quam vires dare, conservare, & permittere ut agant: imo vero præter ista, occasiones & incitamenta causis secundis ad agendum objicit, impedimenta suspendit, ipse actu cum iis influit, concurrit, coëfficit, cooperatur, earum actiones concurrendo dirigit, determinat, &c. quæ plus significant, quam nudam permissionem, aut facultatis in agendo latitionem aut conservationem: ista autem Deum agere circa operationes causarum secundatum, probari posset nisi id nimis esset manifestum, & probatum extaret in *Theolog. naturalis & supernaturalis scriptoribus.*

VI. Hæc *efficacia* ac *realitas concursus* divini contra *Durandum* stabilita, poni debet *circa omnes omnium causarum secundarum actiones*; etiam illas, quæ sunt peccaminosæ, id est, afficiuntur malitia: dico expresse, circa *actiones* malas, non circa malitiam actionum: circa *actiones* malas, *ut* sunt *actiones*: sic enim bonæ sunt in genere naturæ ac suo modo entia: consequenter, & dependent à Deo cum exercentur: itaque licet actiones quædam respectu creaturarum fiant subjectum malitiæ, ipsæ tamen actiones non exercentur nisi dependenter à concursu divino: alioquin aliquid, quod revera est & existit eximeretur Dei providentiæ & efficientiæ. Quare nuda Dei permissio à nonnullis invecta circa actiones creaturarum, vel in genere vel specie malas, figmentum est derivatum ex hac sententia *Durandi* jam refutata. Concludimus: *Deus non tantum vires largiendo, conservando, aut otiosè permittendo, sed efficaciter operando concurrit ad actiones, tum malas, quà sunt actiones suoq; modo entia in genere naturæ: sed ad malitiam concurrit tantum permittendo: ad bonitatem, novo & speciali gratiæ influxu insuper de novo quasi cooperando.*

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

OCTAVA.

DE CONCURSU CAUSÆ PRIMÆ.

THESIS I.

DAti *Concursum Divinum*, & Deum verè *esse* causam omnium effectuum & actionum, quæ à causis secundis producuntur ac proficiscuntur, *disputat. septimâ* ostendimus, cum

cum præter potentiæ activæ in causis secundis creationem, præter ejus conservationem, præter permissionem in agendo concessam, aliquid amplius à Deo fieri, circa actiones causæ secundæ omnes, etiam vitiosas, scilicet efficaciam aliquam, realitatem & actualitatem aliquam ab eo proficisci, qua efficaciter, reverâ, actu, ipsam causæ secundæ actionem comproducit, exposuimus ac probavimus. Nunc, *quid sit ille concursus aut cooperatio, in quo consistat, & qua ratione causa prima cum causis secundis ad quemcumque effectum concurrat, & cooperetur in omnibus actionibus omnium creaturarum*, explicandum restat, quod explicatu fatemur esse tam difficile, ut nihil sit in totâ Philosophiâ difficilius: verum difficultatem compensabit maxima hic utilitas: Nos perspicuitati, in re obscurâ, studebimus, & primum varios modos distincte recensebimus, quibus varii varie concursum Dei explicant, ac tum quomodo hic sit sentiendum & loquendum docebimus.

II. §. *Quidam* ponunt concursum divinum *in Dei volitione simpliciter:* & his, Deum concurrere cum causis secundis; nihil est aliud, quam Deum velle actus causarum secundarum: sed hi confundunt voluntatem cooperandi seu decretum, cum ipsâ cooperatione actuali, & voluntatis ac decreti executione; ille concursus vocatur à *Scholasticis* concursus *intra*, & distinguitur à concursu *ad extra* de quo nos nunc agimus. §. *Alii* volunt, Deum cum creaturis ad earum actiones non aliter concurrere, quam *quatenus essentiam iis & agendi potestatem dat, atque utramque conservat, aut ad summum quatenus causam secundam agere permittit:* sed hi concursum cum creatione & conservatione confundunt, & aliquid, quod verè sit in rerum natura, faciunt indebendens à Deo, ut *disputat. sept.* fuit ostensum. §. *Alii* ponunt concursum *in virtute aliqua superaddita*, quâ ajunt creaturam sufficientem reddi ad agendum. §. *Alii* rursus ponunt concursum *in motione* rerum creatarum, vel *in causarum secundarum excitatione* & ad agendum *applicatione*. §. *Thomas Aquinas sum. Theolog.* 1. *quæst.* 105. *contra gentes l.* 3. *cap.*70. ponit concursum Dei *in hisce quinque*: 1. quatenus vires & facultates agendi dedit causis secundis. 2. quatenus ipse eas tuetur ac sustentat in esse & vigore. 3. quatenus excitat & applicat causas secundas ad agendum. 4. quatenus ipse eas determinat ad agendum. 5. quatenus eas regit ac dirigit, ut ad fines suos sibi præstitutos perveniant. §. *Postremo alii* dicunt concursum Dei nihil esse aliud, quàm *positivum influxum*, quem præbet immediatè *ad effectum* vel *actionem causæ secundæ*; non quatenus aliquid in causâ secundâ, quicquid illud fotet, sed quatenus aliquid cum causâ secundâ, efficit: ponuntque eum concursum *in actione, qua Deus immediate influit in omnes actiones creaturarum*, ita ut actiones istæ dici possint, non solum à creaturis, sed & à Deo immediatè pendere. Hunc ultimum concurrendi modum vocant *Philosophi* concursum *per modum actionis*, quatenus videlicet Deus est proximum principium operationis, quæ à causis secundis editur, ita ut eadem illa sit & operatio & actio Dei concutrentis: est enim hic concursus per se & essentialiter aliquid per modum actionis, vel per modum & actualis fieri ipsius actionis immediatè profluentis à Deo: unde etiam concursus hic intimè & per se includitur in ipsa creaturæ actione, tanquam per se quoque & immediatè tendens ad eundem terminum, ad quem tendit actio creaturæ, quæ ratione termini eadem est cum ipsa Dei coopetatione; reliquos modos concurrendi, præter ultimum, recensitos, vocant *Philosophi*, concursum *per modum actus primi*, concursum *per modum conditionis ad agendum prærequisitæ*, concursum *per modum principii*.

III. Sed & distinctiones quædam sunt tenendæ, quibus *Philosophi* hîc utuntur, ut quid sentiendum sit ac loquendum, in hac sententiarum varietate, rite recteque doceamus. §. Distinguitur *concursus* nonnullis in Physicum & moralem: *Physicus*, quo quis per modum causæ Physicæ concurrit & agit: *moralis*, quo per modum causæ moralis: causam verò *Physicam* vocant, quæ verè & efficaciter agit, & realiter in effectum & actionem vero & positivo influxu influit: *moralem*, quæ agit suadendo tantum aut dissuadendo, vel objecta & occasio-

& occasiones proponendo aut removendo, vel activa interdum passivis applicando. §. Aliis distinguitur concursus *in mediatum & immediatum*: quæ distinctio intelligenda est de *mediatione* vel *immediatione*, tum *suppositi*, tum *virtutis: quomodo*, dictum est disp. præced. §. Distinguitur etiam nonnullis concursus in *indifferentem seu non determinantem & determinantem: illo* per modum causæ *universalis* (unde aliis dicitur concursus universalis) *hoc* per modum causæ *particularis* (unde aliis dicitur concursus particularis) influit Deus in effectum & actionem causæ secundæ. §. Distingui etiam plerumque solet concursus Dei in *prævium* sive *prædeterminantem*, & simultaneum sive *concomitantem*. Duplex enim intelligi potest Dei motio circa voluntatem creatam: una quasi antecedens non tempore sed in signo rationis, actualem concursum ad voluntatis creatæ actum: altera in ipso actuali concursu consistens: illam vulgo dicunt esse ex prærequisitis ad agendum: hanc ex concomitantibus: per illam causæ secundæ moventur ad suas actiones; per hanc verè agunt: secundum diversas & distinctas concursus acceptiones, diversæ quoque extant & distinctæ hic sentientium & loquentium Philosophorum sententiæ.

IV. Multi ex *Philosophis* negant, Deum concurrere ullo modo per modum principii; negant eum concurrere motione prævia, concursu prædeterminante: sic sentiunt omnes Jesuitæ, ex quibus inter alios videantur, *Suarez disp. Metaph. 22. sect. 2. & 3. Conimbricenses, l. 2. Phys. cap. 7. quæst. 12. & 13.* & alii; quos sequuntur *Philosophi*, qui ex illorum scriptis ferè sapiunt, *Christ. Scheiblerus*, & *Iacobus Martini*, in suis Metaphysicis, & ex Reformatis *Guinandus Rutgersius*, & qui olim in Academiâ hâc nostrâ Philosophiam professus est, subtilitatis nomine Celeberrimus, *D. Gilbertus Iacchæus*, uterque *in suis* item *Metaphysicis*. Hæc tamen sententia sine ullâ limitatione proposita satis est periculosa in rebus fidei, ubi omnino ac necessario motio prævia admitti debet: itaque alter hujus Academiæ nuper *Philosophus*, piæ memoriæ Clariss. *D. Burgersdicius* distinguebat actiones supernaturales à naturalibus: in naturalibus negabat Deo esse tribuendum concursum per modum principii tantum, aut per modum principii & actionis simul: quia vero in actionibus supernaturalibus, creaturæ non habent sufficientem virtutem, ut eas eliciant, dicebat esse necessarium, ut Deus cum illis concurreret non solum per modum actionis, sed & per modum principii, ut videre est ejus sententiam *in Metaph. l. 2. c. 11.* Quidam ex *Scholasticis* arbitrati sunt, in iis, quæ à libero hominis pendent arbitrio, concursum Dei, non esse Physicum, sed moralem, & hinc ab heterodoxis *Philosophis* arrepta est occasio dicendi, quod Deus non concutrat ad convetsionem nostri physicè, sed moraliter tantum, suadendo, hortando, &c. Quidam abusi significatione terminotum, *(immediatione virtutis & suppositi)* quos non bene intellexerunt, negarunt Deum concutrere immediate immediatione suppositi. Quidam concursum Dei, quem per modum actionis tantum agnoscunt, statuunt esse universalem & indifferenrem, ut Jesuitæ omnes: sed non eodem modo explicant: aliter *Pererius l. 9. c. 13. Phys. General.* quem sequitur inter Reformatos *Rod. Goclen. c. 34. in prodromo Lex Phil.* aliter *Conimbric. loc. cit. quæst. 15. art. 2.* quos sequitur ex Reformatis *Rutgersius l. 2. c. 4.* in suis *Metaph.* aliter *Bellarminus*, qui sibi non constat, *Tom. 4. controv. l. 2. c. 18. & lib. 4. c. 15.* aliter *Suarez Disp. citata.* Subtilissimus *Iacchæus* fatetur res naturales determinari per concursum Dei, sed liberas non item: quas non à Deo, sed à se, nec ad unam, sed ad plures actiones determinari à se, asserit, *cap. 10. l. 3. Metaph. Cl Burgersdicius* licet neget concursum causæ primæ determinari à causis secundis quoad specificationem *thes. 13. c. 11. l. 2. Metaph.* adhibitâ tamen distinctione actionum naturalium & supernaturalium, dicit Deum concurrere, *th. 7. ejusdem cap.* ad omnes creaturarum actiones, ut causam universalem indifferenter: ideoque specificationem actionum naturalium, (nam in supernaturalibus fatetur esse aliam rationem) non Deo sed ipsius creaturis vult esse adscribendam: hinc quod homo se moveat Deo deberi

(in eo

(in eo enim movemur) sed quod motus ille sit ambulatio, homini tribuendum esse, *ibidem* asserit. Nos contra hosce omnes statuimus, *Deum concurrere ad actiones creaturarum, non tantum per modum principii, tum physici, tum moralis; sed & per modum actionis, idque immediate, tum immediatione virtutis, tum suppositi, & quidem concursu, particulari ac determinante, prævio ac simultaneo.* Sed distinctè juxta præmissa *th.* 2. & 3. sententiam nostram enunciabimus, explicabimus, probabimus.

V. Concursus Dei *non est volitio simpliciter:* non nego, volitionem divinam prærequiri ad concursum; sed tamen ista volitio, non est ipse concursus, secundum quem Deus influit ad extra, ad productionem actionum in causis secundis: nam Volitio simpliciter est actio Dei immanens; sed concursus est actio extra Deum transiens: volitio Dei juxta nostrum intelligendi modum præcedit concursum, uti & creationem & conservationem: neque enim sunt istæ actiones volitiones formaliter ac simpliciter, sed volitionis executio & terminatio extra Deum. §. Concursus Dei *est quid amplius, quam quod* causis secundis essentiam *dederit* ac *vires agendi*, & utrumque in suo esse ac vigore *conservet*, denique eas agere *permittat*, quod satis *disp. superiore* est probatum. §. Concursus Dei *non consistit proprie in virtute superaddita*, qua creatura reddatur sufficiens ad actum suum: nam in naturalibus actionibus nulla virtus superadditur: in supernaturalibus virtus quidem aliqua divina, ut fides, aut alia, superadditur, sed non est adhuc sufficiens tum causa secunda ad actum supernaturalem eliciendum, nisi concursus & influxus divinus de novo accedat. Sed argumentemur. Si Dei concursus in eo consistit, ut indat creaturis novam & ulteriorem agendi vim, illa virtus indita, erit haud dubiè qualitas, ibi creata vel in agente secundo producta, ut per eam operetur: sed vero, si ad hunc finem, ut operetur creatura, hæc vis & virtus de novo ei inditur & in eo creatur ut sit efficax actu, non minus requiret concursum Dei, quam alia quælibet *virtus* à natura indita: & si ille concursus iterum consistat in virtute novâ indita, dabitur progressus in infinitum; nam iterum rogabo, an non novum requirat concursum ut operetur, quandoquidem est virtus creata ac finita: Certe concursus divinus sive dependentia à Deo in agendo convenit rebus creatis in operando, ex eo quod sint creata entia: ergo convenit omni enti creato in operando: ergo & illa virtus creaturæ superaddita ad actum suum eliciendum, isto modo dependebit à Deo, ejusque concursu indigebit: ergo ante concursum, quo eget, non est illa virtus indita sufficiens ad actum suum: egebit itaque virtus superaddita adhuc concursu, id est, ex illorum hypothesi, alia virtute superaddita, & hæc alia, & sic dabitur progressus in infinitum. §. Concursus Dei ex parte *bene collocatur in motione* causarum secundarum, *excitatione*, & ad agendum *applicatione*, juxta vulgatum hoc: *causæ secundæ non agunt nisi motæ à prima.* Dico *ex parte*, quia non in sola motione, excitatione, applicatione causæ secundæ, eum colloco, sed plus etiam requiro: itaque, §. *etiam est positivus influxus in ipsam actionem*, ita ut Deus non tantum aliquid efficiat in causa secunda cum concurrit eam præmovendo, sed & aliquid efficiat cum ea: quod ipsa vox *concursus* evincit, ita ut concursus Dei sit actio & eadem cum actione causæ secundæ. §. *Nec malè Thomas Aquinas in iis quinque* quæ recensuimus *th.* 2. concursum *ponit*, licet in iis quinque formaliter non consistat. Quod Deus concurrendo quandoque specialiter moveat, excitet, applicet causas secundas ad actiones, certo certius est, & liquet ex eo quod corda hominum mutet & inclinet, quo vult: sed an semper, quando concurrit Deus, concurrendo ad operationes causarum secundarum, eas moveat, excitet, applicet, quæstio est ardua: Putem quod sic: contra Jesuitas, *Suaresium* & alios, qui eos sequuntur, ac *seq. disp.* probatum dabo, quod nunc propter angustiam chartæ non licet. Quod *Scheiblerus* hic dicat, istum concursum solum terminari ad causam agentem & non ad actionem, falsum est: nam concursum non pono tantum in ista præmotione, excitatione & applicatione, sed & in influxu in ipsam actionem terminato, ut jam est dictum.

VI. Ad distinctiones progredior, easque singulas concursui applicabo. §. Deus *concurrit & moraliter*, suadendo, hortando, activa passivis applicando, sed præsertim *Physice* efficaciter cum causis secundis cooperando. Nam concursus moralis non salvat influentiam realem, quæ est in concursu divino ad effectum & actionem causæ secundæ: ut enim qui hortatur, suadet, aut ignem applicat domui, non est causa Physica & proptiè dicta combustionis; sic si Deus tantum agat moraliter, non erit Physica quoque, vel, quod in hac materia præstat dicere, hyperphysica, aut propriè dicta causa actionis causæ secundæ. §. Deus *concurrit immediate* cum causis secundis ad operandum, & *quoad suppositum*, & *quoad virtutem*, quod *præced. disp.* est ostensum. §. Deus *concurrit, ut causa*, & *universalis*, & *particularis*; sed cum distinctione: concurrit, *ut causa universalis*, ratione objectorum variorum, imo omnium: nam Deus concurrit ad actiones omnium causarum secundarum: at vero non est causa universalis, *sed particularis* ratione modi agendi, quia Deus non tantum concurrit ad esse genericum actionis, sed & specificum & individuale, quà est ens, quà actio, quà actio talis in genere naturæ. §. Deus *non tantum concurrit* ad omnes actiones creaturæ, *concursu simultaneo & concomitante*, quem omnes admittunt, præter *Durandum* & eos, contra quos egimus *disp. præced. sed præterea* concursu *prævio & prædeterminante*, quem Jesuitæ negant, Dominicani affirmant: & ob quam sententiarum pugnam multæ extitere inter eos utrimque simultates & odia, quæ tollere nunquam est ausus Pontifex, decidendo, utra ex duabus hisce sententiis Philosophicis sit vera: nos eo audaciores veram esse pronunciamus, & *sequenti disp.* eam explicabimus ac probabimus, quæ concursum prævium ac prædeterminantem admittit.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

NONA.

DE

CONCURSU DEI.

THESIS I.

DEcidenda nunc est, explicanda, ac probanda, celeberrima atque utilissima quæstio, *An præter concursum Dei simultaneum, qui nihil est aliud, quam actio ipsa causæ secundæ, ut à Deo procedit, detur concursus prævius; qui nihil est aliud, quam motio quædam, virtutem activam creaturæ complens, eam excitans, applicans, determinans ad agendum.* Hæc controversia ante annos plus minus sexaginta primum in Hispania, mox Romæ & in Italia, hinc in Gallia ac Belgio, à Jesuitis mota, & negans sententia acriter defensa fuit contra Dominicanos, qui affirmantem ab Augustino ac suo Thomâ acceptam strenuè propugnârunt: controversiæ originem & progressum fusè narrat *Guilhel. Camerarius Scotus ac Scotista*, in parte sec. disp. Philos. quæst. 9. Non tantum momenti esset situm in hac controversia, si ipsa intra Philosophiæ limites constitisset; sed enim & Theologiæ pomœria intravit, eamque non leviter infecit: nam qui concursum prævium in naturalibus actionibus primum sustulerunt Jesuitæ, eundem in supernaturalibus iidem sublatum iverunt: hinc circa bonum spirituale faciendum, dictitarunt, voluntatem seipsam movere, excitare, applicare, determinare, & motionem Dei præviam excitantem, applicantem, determinantem, non minus hic quam in naturalibus esse otiosam, vanam, inutilem: quæ quo abeant, unus-

unuſquiſque videt: hinc à Jeſuitis introducta eſt ficta libertatis notio, in indeterminatâ ἀδιαφορίᾳ conſiſtens: hinc ſcientia media: hinc decreta conditionata: hinc concurſus univerſalis tantum, indifferens, & indeterminabilis, ac non determinans: hinc moralis tantum in convertendo homine Dei actio, & alia plura, quæ ceu floſculi pullulant ex negato Dei prævio ac prædeterminante concurſu ad actiones ſupernaturales, ſicut eum negant ad quamcunque actionem, ſupernaturalem & naturalem, Jeſuitæ omnes, *Fonſeca, Suarez, Molina, Leſſius, Conimbricenſes, Revius*, & qui eos ſequitur *Abra de Raconis*, aliique ex quibus hodie philoſophari conſuevimus: ſequuntur hoſce multi ex Reformatis, qui imprudenter nimis concurſum Dei prævium negant ſine reſtrictione, *Scheiblerus, Iac. Martini, Rutgerſius, Iacchæus, &c.* Cl. D. *Burgerſd.* concurſum prævium in ſupernaturalibus admiſit, in naturalibus ſuſtulit, ſicuti id *diſp. præced.* ex ejus *Metaph. l. 2. c. 11.* eſt oſtenſum.

II. Sententia noſtra eſt: *Non tantum in ſupernaturalibus, ſed & in naturalibus, cauſa ſecundæ, tum neceſſariæ, tum liberæ, actionibus, præter concurſum ſimultaneum, admittendus eſt prævius:* itaque utrumque in concurſu Dei includimus: dicimuſque, Deum concurrere & per modum actionis & per modum principii, attingendo & operationem, & potentiam ſeu principium operandi ipſius cauſæ ſecundæ in operatione qualibet, naturali vel ſupernaturali: Quam ſententiam antequam ulterius explicem ac probem, congrediendum eſt prius cum Cl. D. *Burgerſdicio*, præceptore olim venerando. Primum, quæ habet *th. 4. c. 11. l. 2. ſuæ Metaph.* quando probat concurſum Dei non recipi in cauſis ſecundis per modum principii aut conditionis actionem earum præcedentis, nos non tangunt; quia probat tantum, concurſum Dei non eſſe in eo collocandum ſolum, ut per modum principii agat, quod ultrò fatemur, & nos ipſi ultrà requirimus, præter hunc influxum in cauſam aut potius potentiam agentem, qui eſt concurſus prævius, diciturque nobis concurſus per modum principii, adhuc influxum in ipſam actionem, qui eſt concurſus ſimultaneus & per modum actionis: ne nunc dicam ipſum alio planè ſenſu hanc phraſin capere, *concurſus per modum principii*, quam nos capimus: nam ille exiſtimat iſtam phraſin ſignificare, virtutis alicujus novæ in cauſas ſecundas ad agendum impreſſionem, quam nos *ſuperiori diſp.* opinionem rejecimus, & rejicimus hanc phraſin, ſi hoc ſignificet: at nobis nihil ſignificat aliud, quam Deum concurrendo non novam virtutem producere, ſed virtutem in creaturâ exiſtentem excitare, ut efficaciter agat. Deinde quæ habet *th. 5. ſeq.* quando probat concurſum Dei non poſſe eſſe ſimul per modum principii, & per modum actionis, nihil habent difficultatis, & facilè expediuntur. Rogat, *quorſum pertinebit illa virtus, quæ datur creaturis per modum principii, an ut per illam virtutem operentur? atqui creaturæ*, inquit, *habent virtutem ſufficientem ad operandum: ergo illa virtus eſt ſupervacua.* Reſp. primum ſupponit concurſum prævium per modum principii collatum eſſe virtutem aliquam novam de novo creaturis aut cauſis ſecundis impreſſam & inditam: at hoc non ita eſt, ut *diſp. ſuperiore* eſt oſtenſum, & non ita eſſe ipſi dicent *Prædeterminantes* plerique, ſeu concurſus prævii aſſertores: deinde, quod roget, *quorſum pertinebit*, non *virtus*, ut loquitur, ſed *motio prævia*, reſpondeo, & dico, motionem iſtam præviam dari, ut operari incipiant cauſæ ſecundæ, ut ex non operantibus fiant operantes: creatura enim licet, cum operatur, habeat ſufficientem virtutem ad operandum in ſuo ordine & genere cauſarum, quia tamen eſt cauſa ſecunda, non eſt primum ſe movens, ſed operatur mota: atqui non poteſt moveri ab aliâ causâ ſecundâ: ergo à primâ: ergo cauſa ſecunda non eſt ſufficiens, ut ſe moveat, id eſt, ut ad agendum ſe excitet; ſed oportet eam moveri & excitari prius aliunde: & in eo eſt concurſus Dei prævius, ut cauſam ſecundam moveat; cauſa ſecunda mota operatur per virtutem ſufficientem in ſuo ordine cauſarum, at nihilominus adhuc eget concurſu ſimultaneo, quia tam parum eſt actio independens à Deo quam ipſa cauſa agens: itaque hoc argumentum Cl. *D. Burgerſdicii:* Cauſa ſecunda, v. g. ignis

habet virtutem sufficientem ad operandum, ergo non indiget concursu per modum principii, seu influxu prævio & determinante: tam militat contra influxum & concursum simultaneum, quam contra prævium: Nam si *D. Burgersdicio*, Creatura dicatur habere virtutem sufficientem ad operandum, & nihilominus includit influxum Dei in actionem ipsam, seu concursum simultaneum, quem ipse cum aliis statuit hîc tantum, cur minus dicam ego, creaturam habere sufficientem virtutem ad operandum, licet includat influxum in ipsam causam seu concursum prævium? nam sicuti Creatura sufficienti virtute prædita operari tamen non potest sine concursu Dei simultaneo, ita asserente ipso *D. Burgersdicio*; sic dico ego, Eadem creatura, licet instructa sufficienti virtute ad operandum, operari tamen non potest sine concursu prævio, id est, nisi primum mota à Deo, quia creatura non est primum se movens: &, hoc observandum est in genere, quoties causa secunda dicitur habere virtutem sufficientem aut completam ad operandum, id non dici de ea, quasi sic excludat Dei concursum, sive simultaneum, sive prævium, quia is propter dependentiam causæ secundæ à prima excludi non potest, adeoque causis secundis intrinsecus est, ac causarum secundarum naturis, quia sunt secundæ, debitus, ita quidem iis naturalis, ut si causa prima non influat suo concursu, causa secunda operari nullo modo possit, sed miraculum sit, quod liquet in fornace Babylonis: non igitur excludit concursum Dei causa secunda, cum dicitur habere perfectam & completam virtutem operandi; non simultaneum, ut D. *Burgersd.* cum omnibus vult, sed nec prævium, ut nos ostendimus, verum excludit concursum causarum sui ordinis, id est, secundarum.

III. Nunc porrò sententiam & mentem nostram explicabimus, quæ ut intelligatur, sciendum & observandum est, illa duo esse distinctissima: *operari cum aliquo*, & *operari in aliquo*, vel *operari per illud*, *movere ipsum ad operandum*: primum, *operari cum aliquo*, significat tantum simultatem & concomitantiam concursus: ita, si duo portent eundem lapidem, simultaneo concursu concurrunt, quia quivis operatur cum alio: sic unus equus cum alio simultaneè concurrit, quando simul trahunt plaustrum; alter enim cum altero operatur: at verò secundum, *operari in aliquo, per aliud*, requirit non tantum, ut agens, quod operatur in alio seu per aliud, simultaneè concurrat cum altero, sed ut per concursum suum faciat alterum agere & operari, quia agens tale operando movet alterum, & facit, ut illud operetur: sic ex duobus, qui portant lapidem, neuter operatur in altero aut per altetum, aut ex duobus equis trahentibus plaustrum, quia neuter præmovet aut applicat alterum ad agendum: jam verò, hoc est quod dicimus, Deus non concurrit cum causa secunda, operando tantum cum ea, ut duo ferentes eundem lapidem, aut duo equi trahentes idem plaustrum, qui concursus est simultaneus, sed concurrit etiam cum causa secunda, aliquid operando in illa & per illam, quatenus eam movet efficaciter, applicat & determinat ad agendum, qui est concursus prævius & prædeterminans: & sic magis explicatur & solidius, dependentia causæ secundæ à prima, quæ per concursum simultaneum tantum, non satis salvatur: nam si Deus & causæ secundæ concurrunt concursu tantum simultaneo, ut duo equi trahentes plaustrum, erunt causæ partiales actionis; & sic unaquæque causa, prima & secunda, adhibebit proprium ac peculiarem influxum, quem habet à seipsa, ita ut in influendo non dependeat ex influxu alterius causæ tanquam à causa verè efficiente, licet effectus dependeat ab utraque, sicuti influxus unius equi non dependet ex influxu alterius equi (neuter enim alterum influere facit) licet tractio plaustri ab utriusque influxu simultaneo dependeat: sed hoc de Deo & creaturis dicere absurdum est: non enim sunt causæ partiales concurrentes, sed totales; non independentes à se invicem, sed dependentes: Deus quippe est causa totalis in suo genere; creatura in suo genere, hæc ab illo dependens: Deus quidem à nullo dependet, sed secunda causa dependet in suo influxu à Deo, cui subordinatur, ut causæ priori, non tantum morali, sed verè & physicè operanti: ergo ad concursum divinum & dependentiam causæ secundæ

secundæ à prima explicandam, non sufficit dicere, quod Deus simpliciter cooperetur cum causa secunda, & influat influxu simultaneo, sed requiritur amplius, ut operetur aliquid in ea, & influat in eam, influxu prævio eam movendo, &c. Sed vero ostendamus hoc clarissimè. Causa prima & secunda concurrunt ad actionem causæ secundæ, sed cum discrimine. Deus non solum est causa illius actionis, v. c. calefactionis, prout est ab ipso, sed & per suum concursum causa est ejusdem actionis, prout est à causa secunda, sc. igne: at vero causa secunda licet sit causa suæ actionis, prout est ab ipsa, ignis v. c. causa suæ calefactionis prout est ab ipso igne, non tamen potest esse causa illius prout est à Deo: ergo plus aliquid est in concursu causæ primæ quam secundæ: causa nempe secunda tantum causat suam actionem; Deus non solum causat istam eandem actionem causæ secundæ, sed per suum concursum facit actu, ut causa secunda agat, ut ignis v. c. calefactionem producat: quare non operatur simpliciter cum igne, & cum qualibet causa secunda, concursu simultaneo, aliquid operando cum ea, sed & concurrit concursu prævio; aliquid operando in ea, physice eam movendo, applicando, determinando.

IV. Probamus efficaciissimè concursum prævium hoc argumento. Quod est in potentia, non potest reduci in actum, nisi per aliquid, quod sit in actu: sed omnis causa secunda est in potentia ad agendum, antequam agat: ergo non potest reduci ad agendum, nisi per aliquid quod sit actu: major patet, quia quod est in potentia calidum, non fit actu calidum, nisi per aliquid quod sit actu calidum, vel formaliter, vel eminenter: minor probatur; quodcunque modo facit, modo non facit, modo facit unum, modo alterum, illud est in potentia ad actionem: sed omnis causa secunda modo agit, modo non, modo agit hoc, modo illud, quod ex inductione patet; ignis enim modo agit, modo non, modo cespitem comburit, modo lignum, & sic in cæteris: jam sic pergo: Omnis causa secunda debet fieri actu causa & actu agere per aliquid quod sit actu causa: sed hæc causa, quæ est actu causa, per quam creatura debet fieri actu causa, non est ulla secunda aut creata, sed prima, & increata, solus Deus: ergo solus Deus reducit omnem causam secundam de potentia agente ad actu agentem: atqui in eo consistit concursus Dei prævius & prædeterminans, ut Deus faciat actu agere causas secundas, quæ non agunt, sed agere possunt, ut eas ad agendum moveat, excitet, applicet, determinet, quod erat demonstrandum: quod non sit alia causa actu quam Deus, patet, quia omnis causa secunda est causa in potentia: ergo sola causa prima est causa actu: est enim purus actus.

V. Sed hic dubium aliquod removendum est, quod aliquem suspensum tenere queat. Quærat quispiam, *an influxus in causam secundam, quâ Deus causam secundam movet, excitat, determinat ad operandum, & influxus in ipsam actionem, quâ operanti causæ secundæ cooperatur Deus, sint duo influxus?* seu, *an concursus Dei prævius & simultaneus sint duo concursus?* Resp. quod non: nam est unus idemque influxus re, unus idemque concursus re, sed duo sunt ratione: nam quatenus Deus movet causam secundam, ut agat, dicitur se habere ejus concursus & influxus per modum principii, vocaturque prævius & prædeterminans: quatenus influit in actionem ipsam, dicitur se habere per modum actionis, vocaturque simultaneus & concomitans; unus tamen idemque influxus & concursus, quo influit, in causam secundam, eam movendo, & in actionem causæ secundæ, cum causa secunda cooperando. Sed dicet quis, *idem influxus non est prior & posterior seipso: sed influxus Dei in actionem est posterior influxu causæ secundæ in actionem; influxus vero Dei in ipsam causam secundam est prior influxu causæ secundæ in actionem: ergo influxus in ipsam causam secundam & in ejus actionem non est idem influxus*; seu *concursus prævius & simultaneus non est idem concursus.* Resp. ineptum hoc est dicere, quod influxus causæ primæ in actionem causæ secundæ sit posterior influxu causæ secundæ in actionem suam, licet sic loquantur & loqui fere cogantur adversarii; quia influxus causæ primæ omnibus modis prior est influxu causæ secundæ: nam (quod bene hic est notandum) concursus prævius &

simultaneus non est hoc modo concipiendus, quasi Deus, ubi causam secundam movit & excitavit ad agendum, subito cesset ab illo influxu, & alio postea influxu in actionem influat & concurrat, sed Deus istum influxum, quo movet creaturam ad agendum, continuat, cum influit in actionem ipsam, itaque per eundem influxum & concursum causam secundam movet ad operandum, & simul influit in causæ secundæ operationem: respectu priore, quatenus movet, ejus influxus dicitur concursus prævius, respectu posteriore, quatenus cooperatur, dicitur concursus simultaneus, unus idemque influxus re, nostro tantum concipiendi modo distinctus.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

DECIMA.

DE

CONCURSU CAUSÆ PRIMÆ.

THESIS I.

EXposuimus & adstruximus *disp. præced.* *Concursum* causæ primæ ad actiones causæ secundæ *prævium*; protulimus argumentum unum atque alterum: Verum quia res est maximi momenti & usus, etiam hanc disputationem ei dabimus. Inter argumenta pro concursu prævio postremum non est, quod desumitur ab ipso concursu simultaneo, quem Adversarii admittunt, qui ipse prævium infert efficacissimè, etiam invitis omnibus adversæ partis patronis, nam Deus non potest concurrere concursu simultaneo, si non præmoveat creaturam ad agendum, nisi quis statuat, aut ipsam creaturam determinare Deum, aut causam primam & secundam determinari ab aliâ tertiâ, aut eas concurrere fortuito & casu, quæ omnia cum sint absurda, omnino admittenda est prædeterminatio & præmotio illa, in quâ concursus hic prævius consistit; quod argumentum, quia urgentissimum est, imò tanti roboris, ut ipsi *Suaresio disp.* 22. *sect.* 4. *Metaph.* concursus prævii hosti maximo, summæ difficultatis esse dicatur, paulò latius est explicandum.

Sic *argumentamur.* Si Deus non concurrat concursu prævio, determinando antecedenter creaturam ad actum suum, neque potest conjungi in agendo cum creatura concursu simultaneo. Sed ex hypothesi Adversariorum Deus, &c. Ergo. Prob. maj. Conjunctio in operando cum creatura non dicit solam indistantiam aut præsentiam localem cum illâ; multa enim sunt, quæ habent indistantiam ac præsentiam localem cum alio, neque tamen cum illo statim cooperantur, & præterea, Deus propter suam immensitatem intimè præsens est rebus omnibus, non tamen coëfficit omnia, quæ potest coëfficere: ergo conjunctio primæ causæ cum secunda in operando plus dicit, quam præsentiam utriusque; scil. dicit præterea, quod per se & non casu conveniant, ad producendum eandem operationem: tunc vero per se conveniunt & non concurrunt casu ad eandem operationem causæ duæ, quando vel ambæ alicui superiori causæ subordinantur, vel ambæ natura sua sunt determinatæ ad operationem illam, ita ut illam non possint non producere, vel quia una ex illis determinat operationem alterius, & consequenter determinat causam alteram ad agendum: præter hos enim conveniendi & concurrendi ad productionem unius ejusdemque operationis modos, alius excogitari non potest, nullus verò ex hisce modis convenire potest causæ primæ convenienti & concurrenti cum causâ secundâ ad productionem unius

unius ejusdemque operationis, nisi is, quo dicamus, *Causam primam ut superiorem determinare secundam ut inferiorem:* ergo sic quoque dicendum est & sic habemus concursum prævium, quod verò nullo alio modo Deus dici possit convenire aut concurrere cum causâ secundâ, quam hoc postremo modo, nempe determinando, & præmovendo, facile probatur; nam 1. falsum est, quod utraque, tam prima, quam secunda causa, subordinentur tertiæ causæ superiori, cum causa prima Deus nullam habeat causam supra se, nec causa secunda subordinetur ulli, nisi ipsi Deo. 2. falsum est, quod utraque causa, prima & secunda determinentur naturâ suâ necessario ad operandum, quia, & Deus in omni concursu ad extra est liberrimus; & causæ multæ secundæ non agunt ex necessitate naturæ, sed liberè quoque, habentque dominium sui actus. 3. falsum est, quod causa secunda determinet operationem causæ primæ, licet hoc audacter satis & maximo molimine assertum sit à *Iesuitis, Fonseca, Bellarmino, libris & locis, superiori disputatione, citatis:* verum non tantum falsa est hæc assertio, sed multorum insuper errorum basis ac causa, quare operæ fuerit pretium eam planè evertere.

III. Qui concursum Dei, quem simultaneum agnoscunt solum Adversarii, dicunt indifferentem & universalem, eumque faciunt determinabilem & determinari asserunt à concursu causæ secundæ, illi indigentiam, potentialitatem, & imperfectionem Deo attribuunt, quod Deo est indignum & injurium. Atqui Adversarii, &c. Ergo. Injuriam Deo fieri ex hâc sententiâ manifestissimum est: Deus concurrit cum voluntate nostra, ut purus actus, ergo non expectat aliquem concursum voluntatis nostræ, quo ejus indifferentia universalis in agendo determinetur, ut quidem volunt & loquuntur *Iesuitæ*; ratio consequentiæ est, quia repugnat puro actui, esse determinabilem & determinari per aliud: quod enim determinat, perfectius est determinabili aut eo quod determinatur: at Deo, qui est purissimus actus, nihil est perfectius, imò, quia purissimus est actus, ipse omnia determinat, & à nullo determinatur, ipse omnia actuat, & à nullo actuatur: certè, sicut summa perfectio est, à nullo determinari vel actuari, ita imperfectio quædam, potentialitas, & indigentia est, ab alio determinari & actuari. Sed figmentum hoc concursus Jesuitici, Deo indignum, per modum causæ universalis & indifferentis, quæ à causâ particulari secundâ determinetur ac specificetur, latius detegendum est ac refutandum: latet enim hic anguis in herba.

IV. Sic *argumentamur.* Si concursus Dei indifferens esset & determinaretur à causa secunda, in genere causæ efficientis (nam de hac determinatione quæstio est, non de determinatione in genere causæ materialis aut subjectivæ) vel ut clarius loquar: si Deus exspectat concursum nostræ voluntatis, ut in genere causæ efficientis antecedentem, non solum determinabitur Dei concursus, sed Deus ipse, id est, non solum determinabitur ejus actio, sed ipsemet, qui est causa & principium actionis. Hoc est absurdum. Ergo & illud, ex quo sequitur, sc. concursus universalis & indifferens. Probatur Major, hoc modo. Prioritas inter actiones, respiciendo genus causæ efficientis, respicit ipsas actiones, quatenus formaliter egrediuntur à suis agentibus: actio enim, qua actio est, est formaliter ab agente, & per illam in materiam subjectam agens dicitur agere, ergo prioritas inter actiones formaliter ut actiones, est prioritas quoad illum modum procedendi ab agentibus: si igitur actio unius causæ, puta secundæ, ex sententiâ Adversariorum, est prior actione alterius causæ, puta primæ, in genere causæ efficientis, non tantum operabitur in ipsam actionem, sed & in causam à qua procedit, quia non potest operari in actionem, nisi in quantum ea procedit ab agente, ac proinde operabitur determinando in ipsum agens: Philosophi sanè omnes ordinant eodem planè modo & actiones, & agentia, à quibus proveniunt actiones; & in ordine ac genere causæ efficientis, esse unam actionem priorem alterâ, est unum agens esse prius altero, & consequenter, unam actionem habere influxum efficienter in aliam, si sic loqui liceat, est, unum agens habere influxum in aliud: ergo, si voluntas nostra suo concursu

curſu in genere cauſæ efficientis ita determinet concurſum divinum, ut ejus concurſus exſpectet noſtrum, voluntas noſtra determinabit concurſum divinum efficienter, per conſequens, determinabit ipſam cauſam, Deum. Atqui hoc eſt, Deo imperfectionem, indigentiam, potentialitatem adſcribere: quia determinans eſt perfectius eo, quod determinatur, ut antè eſt dictum.

V. Præterea, concurſum Dei indifferentem & à causâ ſecundâ determinabilem, quo per modum cauſæ univerſalis concurrit, ita explicant ejus patroni, ut Deus concurrat tantum ad eſſe genericum actionis, cauſa ſecunda det eſſe ſpecificum actioni, ad quam ambæ concurrunt: quod ſi verum eſt, Deus minus influet concurrendo, quam cauſa ſecunda, & aliqua entitas eximetur efficientiæ divinæ: at Deus non minus, ſi non magis, influit concurrendo in actionem cauſæ ſecundæ, quam ipſa cauſa ſecunda, nec ulla entitas efficientiæ divinæ eximi poteſt. Et ſi hic concurrendi modus in Deo, per modum cauſæ tantum univerſalis & indifferentis, quæ determinetur & ſpecificetur à cauſa ſecunda, applicetur operationibus ſupernaturalibus, ut ſpecificatio bonarum actionum ſit à ſola cauſa ſecunda, quæ primam determinat ac ſpecificat, jam in aperto eſt, quantum derogetur gratiæ divinæ, & tribuatur arbitrii liberi & voluntatis humanæ viribus in operando: ſed id parum curant Adverſarii: verum ne in naturalibus quidem id mihi placet, quod Deus dicatur ad actiones creaturarum concurrere, ut cauſa univerſalis, modo jam explicato, quamvis ita ſenſerit & loquutus ſit inter alios *Cl. D. Burgerſd. l. 2. Metaph. c. 11. th. 7.* Verum liceat id pace Venerandi olim Præceptoris, & ſalva reverentia piis Manibus debita, dicere: non iſtâ ἀκριβείᾳ in concurſu explicando verſatus eſt *Vir. Cl.* quam quidem adhibuit in aliis Philoſophiæ capitibus explicandis: cogitationes ſecundæ, ſi per vitam licuiſſet, haud dubiè aliquid elaboratius hic nobis dediſſent.

VI. Specialem ac particularem Dei concurſum rejicit *loc. cit. D. Burgerſd.* propter denominationes actionum, à quibus denominantur cauſæ ſecundæ, non prima: quo argumento & alii ſunt uſi. *Ex. gr.* Homo dicitur ambulare, non Deus; ignis urere, non Deus: licet Deus non minus conferat ad ambulandum vel urendum, quam homo vel ignis: ratio eſt, inquit cum aliis, quia Deus eſt cauſa univerſalis, & ſunt ejus verba, *Cauſa univerſalis indifferenter ſe habet, eademque virtute concurrit ad omnes creaturarum actiones, ideoque ſpecificatio actionum, non Deo, qui eſt cauſa univerſalis actionum naturalium, ſed ipſis creaturis adſcribenda eſt, ideoque quod homo ſe moveat, Deo debetur; ſed quod motus iſte ſit ambulatio, homini tribuendum: ideoque non Deus, ſed homo dicitur ambulare.* Hic quidem eſt diſcurſus *D. Burgerſd.* iſtoc loco, in quo, ut liberè eloquar, non pauca deſidero.

VII. Dicit, *quod homo ſe moveat, Deo deberi: ſed quod ambulet, homini, quia Deus ſit cauſa univerſalis, homo particularis in concurrendo.* Ergo, inquam ego, Deus tantum concurrit ad eſſe genericum iſtius actionis in quantum eſt motus, non ad eſſe ſpecificum in quantum eſt ambulatio, multo minus ad eſſe individuale, in quantum eſt ambulatio talis: at vero hoc eſt contra rectam rationem: nam ſic τὸ eſſe ſpecificum, ne nunc loquar de individuali, eximeretur in hoc motu & quovis alio, efficientiæ & concurſui divino. *Sic Argumentor* contrà. Si efficientia & concurſus divinus requiritur ad id omne producendum quod habet aliquam entitatem Phyſicam & veram, ergo etiam efficientia & concurſus divinus requiritur ad ſpecificationem actionum, quia ſpecificatio actionum eſt entitas vera & Phyſica, imò à ſpecifica iſta entitate actiones omneſque res in ſuas ſpecies & claſſes entium diſpeſcuntur: quare, qui dicit, Deum tantum concurrere ad actionis eſſe genericum, in quantum eſt motus, non vero ad ſpecificum in quantum eſt ambulatio, curſus, &c. is potiſſimam rerum entitatem & Phyſicam realitatem, efficientiæ, influxui, concurſui divino adimit: *ad hæc*, plus conferet creatura, quæ ſpeciem largitur ſuæ actioni, quam Deus, qui geneticè, & indifferenter, & univerſaliter concurrit, tam ad unam unius cauſæ ſecundæ actionem; quam ad aliam alterius. *Sed porro*, ego quidem non video aut percipio, quomodo id dici

id dici possit, quod Deus ut causa universalis concurrat ad actionem in genere quatenus est motus, non concurrat idem ad actionem in specie quatenus est ambulatio, cum nemo possit concurrere ad esse genericum rei, nisi idem concurrat ad esse specificum & individuale; quia τὸ esse genericum continetur & est in τῷ esse specifico, & utrumque includitur in τῷ esse individuali. Motus in genere non existit, nisi in quantum est ambulatio, cursus, aut similis actio in specie: quomodo ergo potest quis concurrere ad motum in genere, qui non concurrat idem ad actionem in specie, cum motus in genere produci nequeat nisi producendo actionem talem in specie? *Postremo*, si non detur concursus singularis, influxus particularis Dei, qui terminetur ad particularem in specie & singularem in individuo actionem atque effectum, ne universalis ille quidem Adversariorum concursus stare potest, quod ad oculum demonstrabo.

VIII. Quoties homo generat hominem, Philippus v. c. Alexandrum, qua ratione quis non indiget concursu Dei ad procreandum hunc hominem, eadem ratione neque indigebit concursu Dei ad procreandum vel hominem vel animal: nam qua virtute quis procreat Alexandrum, eadem per omnia virtute procreat & hominem & animal: proinde, si non egeat concursu particulari, influxu speciali, ad procreandum Alexandrum, nec egebit concursu universali, influxu indifferente, ad procreandum hominem vel animal: similiter, si homo non indigeat concursu particulari ad hanc speciem actionis, ambulationem, neque universali concursu indigebit ad productionem motus in genere. Quemadmodum itaque homo producens hominem, & hunc hominem, producit in individuo, & hominem in specie, & animal in genere, & vivens, & corpus, & sic porro, eundo per omnes entitatis gradus, ita & Deus concurrendo ad quamlibet actionem causæ secundæ producit actionem, & qua est ens, & qua est motus, & qua est ambulatio in specie, & qua est hæc ambulatio in individuo, manendo semper in genere naturæ; & sic *utraque causa prima & secunda ratione modi agendi est particularis*, quia utraque hoc modo agit, ut ambæ omnem gradum entitatis in actione & effecto concurrendo attingant: *ratione vero objecti* potest speciali denominatione *causa prima* dici *universalis*, quia ad omnia objecta, effecta, actiones; *secunda particularis*, quia ad certa objecta, effecta, actiones, operando concurrit.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

UNDECIMA.

DE

CONCURSU CAUSÆ PRIMÆ.

THESIS I.

OStendimus Disputationibus nunc aliquot, *Dari concursum* Dei ad operationes omnes causarum secundarum, eumque non *simultaneum* tantum sed & *prævium*, atque illum non universalem sed *particularem*, non determinabilem sed *determinantem*, adeo ut actio causæ secundæ quælibet dependeat à Deo non tantum quoad esse genericum, sed & quoad esse specificum, & quoad esse individuale, manendo in genere naturæ: atque ita defuncti videmur isto labore, ut ex iis, quæ disputavimus, facile sit adversæ partis argumenta solvere; verumenimverò quia in quibusdam rationibus valde triumphant, quos pleno semper ore crepant Adversarii, ac quibus calumnias impingunt huic nostræ sententiæ, eas,

quibus hoc tentant, omissis cæteris, jam nunc refutabimus, contra motem nostrum: quia sola κατασκευῇ contenti in disputationibus conficiendis, ἀνασκευὴν ipsi conflictui solemus reservare.

II. §. 1. *Si Deus non est causa universalis sed ut particularis concursu particulari concurrit ad specificationem actionis, ergo Deus dicetur ambulare, urere, &c. Sed hoc est absurdum. Ergo & illud.* Resp. 1. non sequitur, ex concursu particulari causæ primæ ad actionem in specie ipsam statim causam primam particulariter concutrentem inde denominari: ratio est, quia ambulare, verbi causâ, non est tantum efficere ambulationem, sed etiam informari ambulatione: & hinc est, quod τὸ *ambulare* denominet hominem, non Deum; quia Deus istius informationis capax non est: hoc enim præsupponeret potentiam passivam, quæ Deo non convenit: pari modo *urere*, non tantum est efficere ustionem, sed & istâ ustione informari, quod causæ tantum secundæ convenit & soli convenire potest. Ita fatetur *Suarez*, nobis hîc cum cæteris omnibus adversarius, *l. 2. de concursu Dei cum voluntate humana: c. 17. n. 8.* quod τὸ *amare* non sit tantum efficere amorem, sed & informari amore, quod convenit voluntati elicienti amorem, non Deo cum illâ concurrenti: hinc licet Deus cum voluntate efficiat amorem, non tamen dicitur amare hoc amore ut quidem dicitur voluntas. 2. Effectus & actio denominat causam illam, à cujus influxu determinato & tantum fluit, sic ut illa causa alias actiones & effectus extra hoc genus effectuum & actionum non producat, non verò illam causam, à cujus influxu, quoad objectum in determinato, aliæ actiones quoque & effecta profluunt: ita ignis dicitur urere, quia influxus ignis ad ustionem, non ad ambulationem, non ad locutionem, &c. terminatur: contra homo dicitur loqui, animal ambulare, non urere, quia neutrius influxus ad ustionem terminatur: at Dei influxus ad omnia objecta & quævis effecta & actiones terminatur, ideoque Deus influendo à nullo objecto, effecto, actione certâ denominari potest.

III. *Si* §. 2. *Deus concurrat concursu, non universali, sed particulari, ad omnes causarum secundarum actiones, erit causa particularis etiam earum actionum, quæ cum lege Dei pugnant: Atqui hoc est absurdum. Ergo &c.* Ego verò nego hoc esse absurdum. Probant, *quia sic Deus erit author peccati: qui enim est causa particularis istarum actionum, quæ cum malitia sunt conjunctæ, quas malitia sequitur ac concomitatur, is est author peccati: atqui Deus, ex nostræ sententia, est causa particularis &c. Ergo &c.* Resp. Majorem non sequi, & esse ambiguitatem in istoc termino, *causa particularis*, & in istâ phrasi, cum dicitur, *malitia sequi aut comitari actiones.* 1. *Causa particularis* dicitur, *aut*, quatenus in actione mala sive peccato entitatem specificam actionis in particulari, ut est species entis in genere naturæ producit; *aut* quatenus causa particularis est terminata in ipsum defectum, malitiam particularem illius actionis: Deus concurrendo dicitur particularis causa, priori tantum modo, quatenus producit entitatem specificam actionis, ut est actio in particulari: creatura rationalis dicitur causa particularis utroque modo, quatenus præter modum priorem suo concursu & operatione terminatur præterea in malitiâ ac vitiositate actionis: sed respondebimus distinctissime. Si causa particularis intelligatur, à qua peccatum in concreto, id est, actio mala, habet non tantum entitatem suam physicam, sed & illum defectum, à quo ratio est peccati in abstracto, à quo ipsa malitia est, à quo ex. gr. furtum est furtum, conceditur: major & negatur minor; id est: *Qui est hoc modo causa particularis actionum, quæ cum malitia conjunguntur, ut non tantum sit causa particularis entitatis physicæ ipsius actionis, sed & malitiæ in particulari, quæ est in actione, is est author peccati:* vera est major, sed falsa est minor, *quod Deus in concurrendo sic dicatur causa particularis:* sed verò si intelligatur causa particularis, illa, à quâ peccatum in concreto, id est, actio mala, habet entitatem specificam actionis tantum, non malitiæ, tum negatur major, quod, *Qui est causa particularis actionum, quæ cum peccato*, id est, *malitia*

malitia sunt conjuncta, sit author ipsius peccati, id est, *malitiæ, cum ille tantum concurrat ad entitatem specificam actionis, qua talis:* & conceditur minor: *Deus enim est causa particularis etiam earum actionum, quæ malitiæ & peccato substernuntur:* ex. gr. furari non habet tantum rationem entis, sed & actionis, & hujus actionis in specie, quæ dicitur ablatio: Deus concurrit, ut causa particularis ad motum istum physicum actionis, quæ furto substernitur, non tantum ut est motus, sed & ut est actio, & ut est actio talis physica, sc. ablatio: Si enim Deus non concurreret sic in particulari, fur non tantum non posset se movere, sed nec sic in specie movere manum physicè, ut istuc tendat, unde aufert: sed ad vitiositatem actionis & ablationis, quod ablatio ista sit invito Domino aut inscio, quod sit ablatio rei alienæ, ad istam malitiam ablationi accedentem non concurrit Deus: *ablatio* enim aut spectatur *in genere naturæ*, aut *in genere moris:* ablatio in genere naturæ species est actionis, & motus, & bonum quid, & sine peccato fit, &, tam Deo quam homini, tam hujus quam illius concursui, subjicitur: ut v. c. si meum librum abstulero; istius ablationis causa particularis est, & manus mea auferens, & Deus concurrens ad istam motus speciem, quæ ablatio dicitur: at in genere moris, prout malitia moralis accedit, si nempe librum alterius abstulero invito aut inscio ipso, ad istam deformitatem & inconvenientiam cum lege Dei, quæ id vetuit, solus ego concurrerem, ut causa particularis, non Deus; ratio est, quia illa deformitas solum in me est, & actione meâ, ut à me tanquam causâ secundâ, legi subjectâ, proficiscitur; sed tamen Deus ad istam ablationem in specie, ut est ens tale in genere naturæ, non minus particulariter concurrit, quam tunc, cum fit sine furto, sine istâ malitiâ morali. Ergo Deus nullo modo est author peccati ex particulari concursu, quia particularis ejus concursus terminatur in actionis malæ v. g. furti entitatem specificam in genere naturæ. 2. Malitia dicitur sequi aut comitari actionem dupliciter, in quantum est privatio rectitudinis moralis aut legalis: vel ex ipsa natura & essentia actionis quemadmodum hunc actum, qui est fornicationis, sequitur necessario violatio integritatis corporis, quæ est privatio quædam: & hoc sensu verum est vulgatum axioma: *Qui est author formæ, est author omnium consequentium formam*; sed hoc modo ac sensu non sequitur actum peccati sua vitiositas, sua malitia: vel malitia, in quantum est privatio, sequitur aut comitatur actum, non ex ipsâ naturâ actus, sed ex relatione ad agens certum, in quantum scilicet egreditur à tali agente, cui præfixa est lex & regula ad actum oppositum: hoc modo & sensu actum peccati comitatur & sequitur sua malitia, quæ idcirco non est rejicienda in quemcunque authorem actus, sed in eum cui præfixa est lex & regula ad actum oppositum: talis author actus est sola causa secunda, non prima: ergo malitia sequitur & comitatur actum peccati, in quantum profluit à sola causa secunda, non autem in quantum proficiscitur à primâ.

§. 3. Si *Deus ut causa particularis concurrat ad entitatem specificam omnis actionis, ergo non tantum ad bonitatem sed & ad malitiam concurret ut causa particularis, quia tam malitia quam bonitas specificat actionem, cum sint oppositæ species.* Resp. hoc argumentum proficisci ex falsa hypothesi, quasi, cum actio dividitur in bonam & malam, illa sit divisio generis in species: nihil minus: est enim divisio subjecti per adjuncta: bonitas & malitia distinguunt quidem actiones, ut adjuncta subjectum, sed non specificant eas, ut differentiæ specificæ genus; quod clarissimè hinc liquet, quia una eademque actio potest esse huic bona, alteri mala, prout huic est non interdicta, alteri est interdicta: at una res non potest v. c. huic esse homo, illi bestia, etsi centenos indicat respectus: &, si esset illa divisio generis in species, cum actio dividitur in bonam & malam, bonitas & malitia essent utrumque aliquid positivum, quia illa, quæ specie opponuntur diversâ, utrumque sunt vera entia: at bonitas & malitia, cum non contrariè sed privativè opponantur, nec positivæ aut veræ species entis sunt, nec veras aut positivas species constituunt: atque ex hisce manifestum est, quam ineptè philosophentur de concursu

Dei, qui eum indifferentem faciunt, ſic ut ad bonum & malum determinetur tanquam ad diverſas ſpecie actiones à voluntate creatâ: cum 1. neque concurſus Dei ſit indifferens, 2. neque bonitas & malitia diverſas ſpecie actiones conſtituant: ſed unus idemque concurſus Dei requiritur ad actionem aliquam, tanquam ſubjectum, quocunque demum accidente, ſive bonitate, ſive malitia morali affectum, producendum: loquimur de concurſu & influxu in actiones naturales, qui unus eſt idemque in actiones tam bonas quam malas, ſed utrobique determinatus & particularis ad actionem in ſpecie atque individuo, talem ac talem in genere naturæ: *præter* hunc *influxum particularem & determinatum* ad actiones Phyſicæ entitatem genericam, ſpecificam, & individualem agnoſcimus ſingularis gratiæ influxum & *concurſum ſupernaturalem per modum principii & actionis* ſimul *in* actione *bona* qua bona, id eſt, terminatum in ipſam bonitatem. Itaque Deus reſpectu actionis, in mala concurrendo nihil plus operatur quam in bona; dico, *reſpectu actionis*, quia utrobique genericam, ſpecificam, individualem entitatem actionis non minus producit, quam creatura; ſed vero in bona hoc amplius agit concurrendo quam in mala, quod in bona non tantum præmoveat & concurrat cum cauſa ſecunda ad actionem, ſed præmoveat inſuper & concurrat influendo in ipſam bonitatem per auxilium ſupernaturale, per influxum ſpecialis gratiæ: ſed in actione mala, neque præmovet neque influit in malitiam, verum in actionem tantum.

V. Ut tandem huic & præcedentibus de concurſu Dei diſputationibus finem imponamus, atque omnem errandi anſam præcidamus, quomodo concurſus Dei dici debeat generalis, ſpecialis, univerſalis, particularis, breviter proponemus. Concurſus *generalis* eſt is, quem Deus largitur omnibus creaturis, ad omnes ipſarum actiones, qua actiones, peragendas: *ſpecialis*, quem Deus largitur quibuſdam duntaxat, idque ad actiones bonas, qua bonas, perficiundas. Uterque concurſus eſt *particularis*, neuter *univerſalis*: unus terminatur ad actionem non tantum qua actionem in genere, ſed qua talem in ſpecie & in individuo; alter terminatur ad bonitatem non tantum in genere, ſed hanc in ſpecie & in individuo. Si quis, aut concurſum generalem ad actiones, aut ſpecialem ad bonitatem earum, velit vocare univerſalem, quia generalis ad omnes actiones, qua actiones, ſpecialis ad omnem bonitatem extenditur, per me licet, neque quicquam culpo, ita dici *ratione objecti* concurſum Dei *univerſalem*: ſed cum iſta univerſalitas transfertur ad ſignificandum *modum concurrendi* in Deo, quaſi concurrant tantum actione indifferenti, generica, communi, indeterminata, contrahibili, & determinabili ad hanc aut illam actionem per cauſam ſecundam, peſſimè dicitur concurſus Dei *univerſalis*, neque ferenda eſt iſta denominatio, quæ tot errores peperit per univerſam & Theologiam & Philoſophiam: & talis ac tali modo univerſalis concurſus figmentum eſt ac commentum cerebri humani.

Diſputationum ex Philoſophiâ ſelectarum,

DUODECIMA.

DE

ANGELIS.

THESIS I.

ANimus eſt, quæ de *Angelis* naturæ lumine citra revelationem ſciri poſſunt, ſub examinis incudem diſputationibus aliquot revocare; quod jucundum pariter & utile

utile fuerit Philosophantibus. Nomen (*Angelus*) ἀπὸ τοῦ ἀγγέλλειν, *nunciare*, deductum est, & idem notat, quod *nuncius*: itaque, si vis nominis spectetur, non naturæ, sed officii est vocabulum, adeoque etiam ad homines, qui divina annunciant, translatum est: consuetudo tamen obtinuit, ut vocabulum illud usurpetur ad significandam naturam quandam seu substantiam creatam nobiliorem homine: quam dari ex fide quidem & lumine supernaturali est certissimum, sed an ratione id & lumine naturæ constet, non tam est certum.

II. Quæritur ergo, *Vtrum evidenti aliqua ratione demonstrari possit Angelos esse?* Videtur id quidem fieri posse, siquidem Philosophi gentiles eos agnoverint: *Aristoteles* quidem *l.* 12. *Metaph.* & *l.* 8. *Phys.* intelligentias esse probat, ratione desumta à motu cælorum: hoc ferè modo argumentatur *Philosophus*: cum corpora cœlestia moveantur, non tamen à seipsis, ergo ab intelligentiis assistentibus, quas nos Angelos vocamus. At vero hoc argumentum nullum est, nedum ut evidenter demonstret: nam dici potest aut cælos esse animatos, & sic ab anima sua; aut si non sint animati, à sua saltem forma intrinseca (quod nos existimamus) moveri, ut moventur quoque elementa; aut quia est primum corpus, immediate moveri à Deo; ut *Aristotelis* quidem à motu cœlorum desumtum argumentum nihil stringat. *Plato* in *Timæo, Cratylo*, & *eo de legibus*, posuit duplex genus Angelorum, alios inferiores, quos dæmones vocabat, alios superiores, quos Deos: sed nec ille necessariam ejus rei adducit demonstrationem, verum rationes tantum secutus est probabiles.

III. *Thomas Aquinas* 1. *part. summ. Theol. quæst.* 50. *art.* 1. hac ratione conatur demonstrare Angelorum existentiam. Postulat ordo & perfectio universi, ut in eo sint aliquæ creaturæ, quæ Deo Creatori assimilentur secundum quod causat ipsum universum; causat autem universum per intellectum & voluntatem; Ergo requiritur ut in eo sint creaturæ intellectuales, id est Angeli. Major probatur: quia ad rationem universi requiritur, ut in illo sint creaturæ, quæ assimilentur Deo, modo perfectissimo, quo aliquid Deo assimilari potest: atqui perfectissimus modus assimilationis est secundum illud, per quod Deus causat universum. Ergo &c. Hæc ratio primo colligit proprie dari, non Angelos, sed substantias intellectuales: at tales darentur, etiamsi non darentur Angeli: nam ipse homo secundum animam, aut ipsa potius anima talis est: deinde, non fuit necesse, ut universum conderetur in omni perfectione possibili, imo ne quidem in ista perfectione, in qua conditum est: & effectus causæ æquivocæ non potest habere perfectam assimilationem ad suam causam; sed universum respectu Dei est effectum causæ æquivocæ. Ergo &c. itaque nec ratio *Thomæ Aquinatis* loc. cit. est demonstrativa.

IV. *Suarez Disp.* 35. *sect.* 1. *num.* 5. Angelorum esse actuale sic colligit. Angeli sunt possibiles, Ergo produxit eos Deus. Antecedens facile probatur: quia nec repugnat Deo eos facere, quippe qui est virtutis infinitæ, adeoque potest producere omne possibile, nec repugnat iis eos fieri, quia in tali natura spirituali completa & intellectuali nulla est ad existendum in rerum natura repugnantia: consequentiam sic probat, quia Deus fecit sibi mundum perfecte similem: sed ad hanc perfectionem requiruntur Angeli: ergo Angeli de facto dantur: minor probatur, quia Angeli habent excellentem gradum intelligendi, qui est Deo simillimus, sine quo manca esset mundi similitudo ad Deum: hunc discursum ibi latissime persequitur *ad num.* 13. usque, & ex eo omnes ejus compilatores, & inter alios *Scheiblerus*, *l.* 2. *Metaph. c.* 4. *Art.* 2. *num.* 5. 6. sed *Suarezium* sic discurrentem egregie flagellat *Vir Clarissimus ac Doctissimus D. Iac. Revius* ad locum istum *in* suo *Suarezio Repurgato*, ridet ac refutat *Suarezii Socius Iesuita Hurtadus de Mendoza Disputatione Metaph.* 12. *cap.* 2. Et certe conjectura est, non argumentum efficax, aut demonstratio. Nam, quid si Deus creare voluisset hoc universum sine Angelis, ut certe potuisset, an non ratione sapienti fuisset motus & honesta, licet nobis incognita? constat Angelos à Deo esse creatos libere, ita ut potuerit eos non creare, ac nihilominus totum hoc universum sine ullis administrare &

regere, cœlos movere, hominibus providere potuisset haud dubiè : iraque cum potuerit Deus Angelos producere & non potuerit pro lubitu, quodnam argumentum ex lumine naturæ evidens sumemus ad partem alterutram probandam? fecit hominem ad similitudinem suam, neque refert quod ea in Angelis sit perfectior: potuit namque Deus nec Angelos, consequenter, nec similitudinem illam velle producere: nam & nunc potest sine dubio producere Angelos perfectius Deum referentes, quos neque produxit unquam, neque unquam fortè producturus est. Et cur non eâdem ratione Suaresianâ probamus esse mille mundos, totidemque soles & lunas &c? omnia enim hæc quoque possibilia sunt: hinc venustè exclamat *Mendozæ loco cit. §. 6. O bone Deus quam multa feciſſes, ſi quæ potuiſti, feciſſes.*

V. Nos itaque demonstrari non posse ratione naturali, quod dentur Angeli, existimamus: neque enim demonstrari potest ex Angelorum essentia seu quidditate, neque ex eorum effectibus: non ex quidditate & essentiâ, quia non est de illorum, sicuti nec de ullius creaturæ ratione, ut existant, quia Deus (qui solus existit necessariò) & illos, & creaturas liberè condidit, ut potuerit non condere, consequenter, ut potuerint & illi & istæ non extitisse: non ex Angelorum effectibus: nam intelligi posset concursus ipsius Dei solus aut etiam aliarum causarum sufficere ad quemlibet effectum Angelicum. Producit *Scheiblerus loc. cit. num.* 7. effectus hominum obsessorum & arreptitiorum, qui sæpius loquuntur variis & incognitis linguis, etiam de rebus incognitis, etsi sint idiotæ, blasphemant, mentiuntur, &c. Verum nec hæc ratio est evidens aut demonstrativa; nam certum est animas separatas interdum callere varias linguas, quas in hâc vitâ didicerunt, habere etiam voluntatem male agendi, imo & vim movendi corpora: unde ista effecta fieri possunt ab animabus separatis, quæ ad tempus inhabitent talia subjecta: Respondet *Scheiblerus num.* 8. nullum esse indicium, quod ista ab animabus separatis fiant, & gratis hæc dici. At nec majus est indicium ex lumine naturæ ista fieri ab Angelo, quare & hoc gratis à *Scheiblero* dicitur: cum ergo res utrimque sit ambigua, non potest esse argumentum evidens, pro alterâ parte, quod tantum urgemus: producit *Scheiblerus* exemplum serpentis in paradiso, ubi nondum fuit anima separata: sed effectus ille seductionis non est cognitus lumine naturæ, ideoque per illum exceptio nostra de naturali lumine non evertitur. Atque sic nihil adhuc apparet, quo evidenter existentia Angelorum (Angelorum dico, nam quod hinc evidenter probetur, naturam spiritualem & non corpoream esse, quæ dictorum effectuum sit causa efficiens, & quidem creata, haud inviti largimur) lumine naturæ demonstrari possit: interim argumenta à perfectione & ordine universi, ab incognitarum linguarum prolatione, esse probabilia concedimus, & inter argumenta probabilia illud postremum esse probabilissimum & maximi ponderis damus; quare in eo acquiescentes, ab Angelorum existentia ad essentiam procedimus.

VI. *Essentia* Angelorum qualicunque descriptione adumbratur, quam sequetur *disputationibus aliis* explicatio *attributiva*, quę proprietates, & *effectiva*, quæ eorum operationes explanabit: oprimè describitur *Angelus, ſubſtantia incorporea, completa, finita.* Angelos esse *ſubſtantias*, satis est clarum, quia nulli inhærent ut subjecto: sunt substantiæ *incorporeæ*, quatenus *incorporeum* distinguitur à corpore de prædicamento quantitatis, seu à corpore mathematico, id est, trinâ illâ dimensione, & ut distinguitur à corpore de prædicamento substantiæ, id est, ab illâ entitate substantiali, quæ est subjectum illius trinæ dimensionis, atque hoc uno verbo exprimunt alii, cum Angelum dicunt *Spiritum*, ubi tum vox, *Spiritus*, non sumitur improprie, in quantum significat interdum corpus subtile & tenue, quo sensu Physici dispescunt spiritum in naturalem, vitalem, & animalem, sed proprie, in quantum significat substantiam à corpore, tum Physico, tum Mathematico, distinctam, atque hoc commune est Angelo cum anima rationali & Deo; à quo tamen utroque in reliquis vocibus distinguitur, cum dicitur substantia incorporea, sed *completa*, sed *finita:* anima quippe rationalis est substantia incorporea, incompleta: nam à

corpore

corpore dependet, actu, in statu conjunctionis; aptitudine, in statu separationis: Deus vero est substantia incorporea, completa, sed infinita.

VII. Ex iis, quæ sunt dicta, manifesta fit Angelorum *simplicitas*, qua spiritus ille completus, finitus, liberatur ab omni compositione; essentiali, quam inferunt materia & forma; integrali, quæ fit per quantitativas partes materiam integrantes. Contrà hic disputat *Scaliger Exerc. 359. sect. 3. Quanta*, inquit, *sunt intelligentia, haud quantitate prædicamenti, sed quantitate intelligibili, ut intellectus intelligat in eis unam partem, qua non sit alia.* At verò, quomodo potest intellectus concipere unam partem ab aliâ distinctam, si partes diversas non habent Angeli? & si intellectus intelligat unam partem, quæ revera non sit alia, sed extra aliam, in Angelis, tunc Angeli quanti sunt quantitate prædicamentali, quod *Scaliger* negat: nam sic sunt revera extensi, quæ est ratio formalis quantitatis; nam quid est aliud, extensum esse, quàm habere partem extra partem? Quidquid ita est extensum, est quantum quantitate prædicamentali. Id, in quo intellectus intelligit unam partem, quæ verè non sit alia, est ita extensum. Ergo id, in quo intellectus intelligit unam partem, quæ verè non sit alia, est quantum quantitate prædicamentali: si verò pars illa revera non est alia, sed tantum concipitur ita, quantitas illa solum conficta est, & ens rationis, adeoque conficta est illa *Scaligeri* distinctio. Ac magis errorem suum, quem de Angelorum quantitate fovet, in sequentibus prodit, *Sect. 4. Si intelligentia*, inquit, *fines habet, quos ultra ac præter non potest designari, necesse est, aliquâ figurâ sit prædita: est enim figura, non extremitas corporis, ut veteres dixere, sed dispositio extremitatis: at omne terminatum figura aliqua terminatur.* In quibus verbis *Scaliger* revera à janua aberrat: confundit enim terminos essentiæ cum terminis quantitatis, neque veram figuræ rationem tenet, sed quod formæ proprium est, figuræ tribuit: nitens falsissimo principio; *Quod omne terminatum, figura sit terminatum:* Quid enim dicemus de forma substantiali determinante materiæ essentiam? an quæso per figuram determinat? Quid de actionum determinatione sentiemus? an illa à figuta pendet. Et hunc ejus syllogismum, *Omne terminatum, figura terminatur; Angeli sunt terminati*, Ergo *figura terminantur*, redigimus ad absurdum, hoc modo. *Omne terminatum, figura terminatur. Essentia finita (præcisa etiam figura) est terminata. Ergo essentia finita (præcisa etiam figura) terminatur figura. Conclusio* contradictionem involvit, & minor vera est; essentiam enim finita, eo quod non est infinita, est terminata in se, præcisa figura: ergo falsa erit *major Scaligeri:* si regerat se loqui de terminatione quantitativa, *majore* admissa, dicimus esse falsam *minorem.*

VIII. Cum hac Angelorum simplicitate optimè convenit multiplex eorundem compositio: 1. Datur in iis *compositio ex esse sive existentia & essentia:* quia existentia non est de illorum essentia: sed essentia eorum abstrahit ab actuali & possibili: adeoque concipi possunt Angeli non ut actuales, sed ut possibiles, sicut aliquando fuerunt in potentia Dei objectiva. 2. Datur in iis compositio *ex genere & differentia:* quia directè collocantur in prædicamento substantiæ, cum sint entia finita & completa: at quod tale est, istius compositionis est capax. 3. Datur in iis compositio ex *subjecto & accidente:* quod vel unicè patet de habitibus, v. g. bonitate morali, quæ in solo Deo est per essentiam, in creatura accidens morale: unde & Angelus eam salva essentia potest abjicere & deponere. 4. Datur in iis compositio *ex potentia & actu*, quia non sunt puri actus, hoc enim soli Deo est proprium. 5. An detur in iis compositio *ex natura & subsistentia*, à quibusdam est dubitatum: sed nos non videmus, cut Angelis negari debeat.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

DECIMA-TERTIA.

DE

ANGELIS.

THESIS I.

EXposuit disputatio præcedens Angelorum *essentiam* & *existentiam*: hæc eorum *Attributa*, seu, ut alii loqui amant, *Proprietates* proponet. Inter Attributa primum tenet locum *intellectus*, quem Angelis competere, vel ipsum *intelligentiarum* nomen evincit, sed qua ratione ipsis conveniat, non est æquè clarum. Quæri enim hic solet, *Vtrum intellectus Angeli sit reipsa idem, quod substantia Angeli, an vero sit accidens reale superadditum essentiæ Angeli? Scotistæ* existimant, Efficiens creatum posse agere per propriam essentiam, tanquam virtutem vel rationem causandi proximam, ut non sit necessarium essentiæ efficientis aliquod accidens de genere qualitatis superaddere, per quod formaliter agat, adeoque de facto potentiam intellectivam in homine & Angelo esse reipsa idem cum substantia animæ & Angeli, statuunt: ac probant suam sententiam hac ratione. Si nullum efficiens creatum est operativum per propriam substantiam, sed indiget naturalibus potentiis ut accidentibus superadditis & virtutibus agendi proximis, id, vel ex perfectione est, vel ex imperfectione: sed ex neutro est, Ergo: Non provenit ex perfectione, quia major est perfectio per propriam substantiam posse operari quam per accidentia superaddita, unde etiam hic modus operandi solet Deo tribui, ut agenti omnium perfectissimo: nec potest provenire ex imperfectione, quia longe imperfectiora sunt accidentia; quæ tamen operantur per se immediate absque aliqua potentia superaddita, quod liquet in calore, qui est proximum agens & immediatum suæ operationis.

II. *Durandus in* 2. *sent. dist.* 3. *quæst.* 5. quamvis in homine intellectum ab essentia animæ distingui putet, in Angelis tamen intellectum & essentiam non distinguit, quod in Angelis rationes essent, ob quas in homine ponuntur potentiæ distinctæ ab essentia: rationes istæ duæ sunt: primo non videtur credibile, tot operationes, quot sunt hominis, intelligere, sentire, crescere, &c. provenire ab una animæ essentia tanquam una potentia: hæc autem ratio non valet in Angelo, cum is non habeat alias operationes, quam intelligere & velle quæ ab una & eadem animæ essentia, tanquam ab una potentia, possunt provenire: quod non modo de Angelorum, sed & de animæ rationalis essentia intellectu pronunciat *Scaliger exerc.* 307. *sect.* 15. secundo, ideo ponuntur in homine potentiæ distinctæ ab essentia animæ, quia videmus animæ essentiam esse actum corporis, potentiam vero intellectus non item: hæc ratio similiter non habet locum in Angelo, in quo neque intellectus, neque essentia, est actus alicujus corporis.

III. *Thomistæ*, neque in homine, neque in angelo, potentiam intellectivam aut ullam aliam esse posse idem reipsa cum creaturæ essentia arbitrantur: quæ est sententia fere communis modernorum: imo *Cajetanus in* 1. *part. Sum. Thom. Aquin. quæst.* 54. *art.* 3. asserit repugnare creaturæ, ut secundum suam substantiam sit immediatum principium operationis, eò quod sit summæ perfectionis, in eadem re contineri perfectionem substantiæ & perfectionem accidentis, ut est potentia operandi: sed contra *Cajetanum* facit, 1. quod cum substantia identificentur, ex multorum sententia, quantitas, figura, relatio, motus &c. quæ tamen accidentia vulgo habentur licet proprie non sint: quare ergo absurdum fuerit,

fuerit, cum essentia creaturæ identificari potentiam operandi, quæ accidens vulgo habetur, sed tum non est: Et non implicat contradictionem, quod existimat *Cajetanus*, creaturam aliquam esse tam perfectam, ut illius substantia sit immediatum principium operationis, id est, ut sit potentia: nam potest creaturæ tribui sine contradictione omnis illa perfectio, quæ non sit summa & infinita: sed ut una & eadem res sit essentia & potentia operandi, non est summa & infinita perfectio: nam summa & infinita perfectio est continere omnes omnino perfectiones rerum possibiles, sicut eas Deus continet eminenter: at dicere, rem unam eandemque esse essentiam & potentiam, non est dicere, rem habere omnes perfectiones possibiles. Ergo &c. Quandoquidem ergo non repugnet creaturæ, ut essentia identificetur cum potentia, nos contra *Thomistas*, id fieri posse asserimus, & cum *Durando*, nec *Thomista*, nec *Scotista*, intellectum Angeli ab ejus essentia non distinguimus: utrum illa in homine quoque idem sint, ut *Scotista* volunt, nos non decidimus, quia hæc ad nostrum institutum non pertinet.

IV. Inter attributa Angeli secundum locum tenet *voluntas*, quæ intellectum sequitur necessariò, quippe frustra foret intellectio boni, si non esset facultas, quæ bonum cognitum amaret atque prosequeretur: nam ideo bonum cognoscitur, ut sua convenientia substantiæ *intelligentis* appetitum moveat. Et, si Angeli carerent voluntate, imperfectiores essent ac deteriores hominibus. Voluntatem tamen Angelorum, nec ab essentia eorum, nec à potentia intelligendi, distinguimus, reipsa; quia nulla realis distinctionis necessitas aut causa monstrari potest: neque hic sufficit diversitas operationum: exsiccare & humectare sunt operationes diversissimæ, & tamen ab uno eodemque realiter principio proveniunt; quidni & illud hic fiat? itaque non male *Scal. Exerc. & sect. ante citat. Voluntatem* definit, *intellectum extensum ad habendum*. Atque hinc manifestum est in Angelis quoque esse liberum arbitrium & libertatem, quæ est spontaneitas rationalis: voluntas enim Angeli semper, sed sponte, sequitur rationem, ut nunquam quicquam velit, quod non intellexerit ac judicaverit volendum esse.

V. Tertio loco recensemus inter attributa Angelorum *localitatem*, de qua multa satis intricatè disputari solent. Refert *Aquinas in* 1. *Sent. dist.* 37. *quæst.* 3. *art.* 1. quosdam olim fuisse, qui substantias immateriales ac separatas nullo modo in loco esse asseruerunt: sed vero contrarium sensit communiter omnis *Schola*, quæ semper tenuit, Angelos ibi aliquo & suo modo esse in loco, ubi sunt præsentes: sed hic potissima est difficultas, *quomodo sint in loco?* Ac *primò*, hoc certum est, Angelum ita esse in loco ut tamen non sit ubique locorum, sicuti est Deus: itaque non est in loco *repletive*; qui enim repletive præsens est, debet replere omnia loca; quod nulli prorsus creaturæ, ideoque nec Angelo, competit, nec competere potest. Sed nec est in loco *circumscriptive*, ut partibus loci respondeant partes Angeli, & hæ ab illis circumscribantur: nam hoc convenit rebus ratione quantitatis Physicæ: quam Angelis *disp. præced.* negavimus: ideoque hoc modo sola corpora sunt in loco. Sunt ergo in loco Angeli *definitive*, id est, sunt in parte spatii determinata, ut hic sint, non alibi, modo tamen alio, quàm corpora, quia alterius sunt naturæ & tota essentia distant à corporibus, quæ cum sint ita in determinato spatio, ut à partibus ejus circumscribantur, Angeli contra ita sunt in determinato loco, ut à partibus loci nullo modo circumscribantur. Unde male argumentantur, qui ex Angelorum præsentia locali eos corporeos esse concludunt: cum illorum præsentia in loco longe alterius sit ordinis, quam est præsentia corporum in loco.

VI. Sed *secundo* hic nova est quæstio, *an Angelus ita sit definitus in loco determinato, ut non possit esse in majori? Durandus in* 1. *Sent. dist.* 37. *quæst.* 1. *n.* 26. Angelorum præsentiam in loco non esse definitam quoad magnitudinem, adeoque Angelum posse esse in loco quantumvis magno, sustinet: imo dicit, *substantiam Angeli esse præsentem ubique, eo modo quo ei convenit esse in loco, neque magis in hoc quam illo loco esse*: quamvis postea, *id non asserendo sed inquirendo* se disputare, excuset. Sed à tota *Schola* deseritur, quæ tenet,

Angelos habere determinatum locum quoad magnitudinem, nec posse esse in spatio quantumvis magno: quia Angeli habent esse limitatum, ergo & præsentiam in loco limitatam: habent esse finitum & mutabile, ergo & præsentiam in loco finitam & mutabilem: & talis modus essendi in loco foret repletivus, imo ubiquitas: at hæc soli Deo convenit: denique Angelus non posset moveri localiter: at potest, quod nos postea demonstrabimus. Sed *potestne Angelus esse in spatio minori ac quantumlibet parvo?* Sunt qui hoc negent. At vero cum Angelus peculiari modo sit in spatio definito, sic ut non commensuretur loco (quod vocant alii, *totum esse in toto & totum in qualibet parte*) neque ullam dicat dependentiam ad partes loci, non video, cur non possit manere in quacunque parte minima: nam ponatur quælibet quantitas; quæro, utrum sit divisibilis, necne? si non, tollitur communis recepta sententia, quæ ponit, omnem quantitatem esse divisibilem, & quidem in infinitum: si divisibilis sit, dividatur, quantum fieri potest; quæro, utrum Angelus possit esse totus in qualibet parte, an divisus potius in partes ad divisionem quantitatis, in qua est? secundum dici non potest, quia Angelus est indivisibilis: ergo quantumcunque subdividatur ipsa quantitas: semper Angelus erit totus in qualibet particula, etiam minima: cum enim ipse sit impartibilis, non potest dari minima pars, quin in ea esse possit: aut igitur non datur pars quantumlibet parva, aut ea data, poterit in ea esse Angelus. *An possit esse in puncto mathematico Angelus*, diversum sentiunt Scholastici, aliis affirmantibus, aliis negantibus: sed eam quæstionem vanam esse, ut & plures sunt apud illos, judicamus: neque multum interest, utrumvis dicatur: illud longe utilius ab iis quæritur, *quomodo Angelus sit in loco definito*, *an per operationem*, ut *Aquinas* vult cum *Thomistis*, an per *essentiam* seu *præsentiam substantialem*, ut *Scotus* existimat cum *Scotistis*: hæc controversia quia est gravissima, quid sentiamus, dilucidè explicabimus.

VII. *Angelus est in loco, nec per operationem immanentem, nec per transeuntem, nec per applicationem suæ virtutis ad locum, sed per suam substantiam & essentiam*, sicut substantia corporea est in loco per quantitatem. Quod Angelus non sit in loco per operationem, qualemcunque tandem, ex eo probatur, quia Angelum esse in loco, præsupponitur, ad operari in loco; prius enim Angelus (ut sic loquar) existit in esse quam in operari: cum itaque prius sit, esse in loco quam operari, non potest Angelus per operationem esse in loco, seu, non potest ratio existendi in loco esse operatio: non video, quomodo hoc negari possit, quod prius sit naturaliter; agens locatum esse, quam agere: certè in agentibus corporeis hoc est manifestissimum, quæ prius locantur, quam agunt. *Thomistæ*, rationem existendi in loco, non esse operationem immanentem Angeli, sed transeuntem dicunt. Sed enim Angeli sæpe nihil ad extra operantur, cum ut plurimum assistant Majestati divinæ in cælo empyreo: ergo tum nusquam erunt: & si Angelus in hoc conclavi operetur ad extra, postmodum cesset ab operatione transeunte, nec ad alium locum moveatur, manebit sane præsens huic conclavi secundum propriam substantiam & essentiam. *Cajetanus* dicit, Angelum esse in loco per applicationem suæ virtutis ad locum: sed vero illa applicatio est vel actus primus, vel secundus. Non est actus primus, quia tunc erit Angelus in loco per suam substantiam, quod tamen negat *Cajetanus*. Non est actus secundus, quia ille vel est transiens, vel immanens: non transiens, quia hoc jam destruximus: non immanens, quia hoc ne ipsi quidem Adversarii volunt. Ergo ratio formalis existendi in loco est ipsa Angeli substantia, quæ immediatè unitur loco.

VIII. Inter Angeli attributa locum postremum sibi vendicat *Duratio*. Certum est durationem Angeli non esse æternitatem, utpote quæ nulli creaturæ communicari potest: nec est angelorum duratio tempus, quia hoc est rerum successivarum: Ergo fuerit ævum: quod sic probatur. Quidquid ex se habet initium durationis & ex se non habet finem, id durat ævo. Atqui Angelus ex se habet initium durationis, & ex se non habet finem. Ergo durat ævo. Minor patet, quoad partem priorem, quia

quia nihil est æternum præter Deum; probatur, quoad partem posteriorem, quia Angelus natura sua est immorralis & incorruptibilis, hoc est, intra naturam suam nihil continet corruprivum sui, neque per causas secundas desinere potest, sola negatione conservationis divinæ: sed enim dicimus natura sua immorrale, incorruptibile, indefectibile: non verò, cujus natura nullam, etiam à quacunque causa extrinseca, potest admittere corruprionem, qua ratione omnis creatura corruptibilis, mortalis, defectibilis est; solusque Deus immortalis est, incorruptibilis, indefectibilis, & cui ideo respondet æternitas, non ævum, quod Angelis proprium, sicuti tempus proprium est corporibus.

Disputationum ex Philosophia selectarum,

DECIMA-QUARTA.

DE

ANGELIS.

THESIS I.

DIsputationem de Angelorum *attributis* excipit disputatio de illorum *effectis* & *operationibus*: *Actiones* Angelorum sunt vel *immanentes* vel *transeuntes*: *immanentes intellectio*, & *volitio*. Circa *intellectionem*, præmissa quæstione, *Vtrum intelligere Angeli sit ejus esse*, & *intellectio ejus essentia sive substantia*, discutiemus hæc tria, intellectionis Angelicæ *objectum*, *medium*, *modum*. Ad quæstionem propositam quod attinet, ea solet communiter negari: Er negativa sententia efficacissimè probari potest ratione Theologica, quam nos missam facimus: sed verò an naturæ lumine & ratione naturali probari possit, videamus.

II. *Aquinas* 1. *part. Summæ Theol. quæst.* 54. *art.* 1. tres profert rationes, quibus negantem sententiam firmat. Prima est hæc. *Actio est proprie actualitas virtutis, sicut esse est actualitas substantiæ vel essentiæ: impossibile autem est, quod aliquid, quod non est purus actus, sed aliquid habet de potentia admixtum, sit sua actualitas, quia actualitas potentialitati repugnat: Solus autem Deus est actus purus: unde in solo Deo sua substantia est suum esse & suum agere.* Vis argumenti hæc est. Quodcunque non est sua actualitas, in eo operatio non potest esse idem cum virtute, nedum cum essentia aut substantia: sed nihil, præter Deum, (nedum Angeli) est sua actualitas. Ergo &c. Probatur minor, quia omne aliud præter Deum habet aliquid potentialitatis, cui repugnat identificari actualitatem: Solus enim Deus purissimus est actus, nihil habens admixtum potentialitatis: quod ramen intelligi debet negative, ut sit sensus, solum Deum non perfici per aliquam actualitatem distinctam ab essentia. Secunda ratio *Aquinatis* ducit ad impossibile. *Si intelligere Angeli esset sua substantia, oportet, quod intelligere Angeli esset subsistens: intelligere autem subsistens non potest esse nisi unum; sicuti neque aliquod abstractum non potest esse nisi unum: unde unius Angeli substantia non distingueretur, neque à Substantia Dei, quæ est ipsum intelligere subsistens, neque à substantia Angeli alterius.* Tertia *Aquin.* ratio pariter ad absurdum ducit. *Si Angelus ipse esset suum intelligere, non posset esse gradus in intelligendo, perfectius & minus perfecte: cum hoc contingat propter diversam participationem ipsius intelligere:* Hoc vult argumentum tertium; ex opinione adversa sequuturum, quod unus Angelus non sit perfectius intellecturus alio; nam illa graduum diversitas non potest esse nisi secundum diversam participationem ipsius

intelligere, in variis intellectionibus Angelorum: at participatio hæc tollitur, si ponatur intelligere Angeli esse subsistens & non per participationem, sicut ponitur, cum dicitur esse idem quod essentia aut substantia ejus.

III. Rationes ex *Thoma Aquin.* allatas multis & prolixe persequitur ac contra objectiones defendit *Thomas Cajetanus* ad *quæst. cit. art. cit.* sunt tamen alii, qui evidentiam, vim, & efficaciam in iis desiderent: nec fortassis immerito. Nam *prima* solum probat, non posse substantiam creatam esse omnem actualitatem, ita ut nihil habeat potentialitatis, sed non probat, non posse substantiam creatam esse illam determinatam actualitatem, quæ est operatio: etsi enim substantia creata poneretur sibi identificare operationem aliquam aut omnes, posset tamen nihilominus esse & manere in potentia respectu aliorum accidentium sive actualitatum. *Secunda & tertia* ratio, si procedant de subsistenti *intelligere* tali, quale est *intelligere* divinum, id est, quod per se sit infinitum, continens omnem plenitudinem essendi, tunc quidem sequeretur, *intelligere* Angelicum non posse esse nisi unum, nec posse in eo reperiri diversitatem graduum; sed tum non video, qua ratione probetur ab *Aquinate*, quod *intelligere* Angelicum esset ita subsistens, si esset idem quod substantia Angeli, quæ utique per se non est nisi finita: si autem procedant de subsistenti *intelligere*, ut τὸ *subsistens* distinguitur contra accidens, quomodo jam de facto ipsa substantia Angeli est subsistens; recte tum sequitur intelligere Angelicum esse isto modo subsistens, si idem sit quod substantia Angeli, sed minime sequitur, illud, esse tantum unum, & non esse per participationem, & non habere plus gradus secundum majorem & minorem perfectionem: nam sicut ipsa substantia Angelica, licet ita subsistens, tamen secundum rationem specificam aut numericam de facto est multiplex, & est per participationem, hoc ipso, quod quilibet Angelus à suo conditore Deo partem aliquam perfectionis substantialis participavit: & sicuti eadem ratio substantiæ Angelicæ habet plures gradus secundum majorem & minorem perfectionem in alia & alia specie aut individuo Angelico: ita etiam *intelligere* Angelicum, si esset subsistens, & idem quod Angelica substantia, posset similiter, & esse multiplex, & esse per participationem perfectionis intellectualis, & habere plures gradus secundum ejusmodi perfectionem majorem vel minorem.

IV. Fortasse solidius *Aquinas* probaverit quæstionis propositæ partem negantem *art.* 2. *quæst. cit.* ubi sic procedit. Nulla actio creaturæ est ejus esse: quia neque actio immanens, neque transiens: non transiens, quia esse agentis semper in ipso manet, & nunquam ab eo dilabitur aut abit: actio vero transiens est effluxus & egressus ab agente in patiens: non immanens, quia omnis actio immanens habet infinitatem de sui ratione, si non actu, saltem potentia, si non simpliciter, saltem secundum quid: simpliciter quidem infinitum, aut ut rectius loqui potuisset *Aquinas*, indefinitum est, *intelligere*, cujus objectum est verum; & *velle*, cujus objectum est bonum; quorum utrumque, quia convertitur cum ente, tam intelligere, quam velle sunt indefinita, quia sunt in potentia ad omnia entia, possuntque in infinitum ac simpliciter in tota entis latitudine, in alio atque alio objecto terminari: sentire autem secundum quid est infinitum quia se habet ad omnia sensibilia, v. c. visus ad omnia visibilia, ut intellectus ad omnia intelligibilia: at vero esse cujusvis creaturæ, consequenter & Angelorum, est definitum ac determinatum: unde non potest, *esse* cujusvis creaturæ, nedum Angelorum, esse idem, cum ejus aut eorum operatione immanenti: solius Dei esse est simpliciter infinitum: unde solum esse divinum est suum intelligere & velle. Hæc ibi *Aquinas*. Et quid multis opus est? aliud sanè est loqui de esse rei, aliud de ejus operatione, sc. in creaturis: quantumvis enim actio seu operatio sit intrinseca rei, ut est actio immanens, nunquam tamen est ejus essentia, quia semper ab illa distinguitur, cum ab illa profluat & promanet, & nullum posterius sit idem cum suo priori, nec ullum effectum sit idem cum causa, & contra. Concludimus ergo impossibile esse, ut intellectio Angeli aut cujuscunque creaturæ, sit ejus substantia vel esse.

V. Nunc

V. Nunc ex tribus, circa cognitionem Angelicam inquirendis, primum videamus, *Objectum* scilicet, medio & modo cognitionis Angelicæ rejectis in disputat. seq. Certissimum est, Angelos, etsi *multa sciant*, *multa* etiam *nescire*. *Cognoscunt seipsos tum quoad essentiam, tum quoad accidentia quacunque: cognoscunt & alios Angelos, & Deum, & res alias, materiales, universales & singulares.* Hæc omnia sic ostenduntur. Nisi se & alios Angelos cognosceret Angelus, esset minoris perfectionis quam homo in intelligendo: nam homo cognoscit seipsum & alios homines: dum vero seipsum & alios Angelos cognoscit Angelus, simul quoque cognoscit dependentiam sui à Deo tanquam causa & creatore: cognito enim & apprehenso effectu, cognoscitur quoque aliquo modo causa ejus: &, si nos ex effectibus devenimus in cognitionem Dei ut causæ, evidens est, quamlibet intelligentiam perfectiori modo posse Deum ita cognoscere: Atque hinc quoque clarum est, quod ista intellectio Angelica se extendat quoque ad reliquas res omnes in naturæ circulo contentas; quandoquidem extendit sese ad eas intellectio humana: cum enim res omnes contineantur sub primario intellectus objecto, quod est ens aut verum, sintque in tali statu, in quo aptæ sunt, ut cognoscantur, si ab homine intelligi & cognosci possunt, multo magis ab Angelis, quippe in quibus major & perfectior virtus est, ad intelligendum, tam singularia quam universalia, tam materialia quam immaterialia.

VI. Hic quædam quæri solent. 1. *An sub objecto cognitionis Angelicæ quoque comprehendantur futura contingentia?* Respondemus distincte. *Angelus nullam rem futuram, sive necessaria sit, sive contingens, immediate ac in seipsa cognoscit* (hoc enim solius Dei est proprium, qui ea quæ non sunt perinde intelligit, atque ea quæ sunt) sed quas res futuras cognoscit, eas cognoscit & in & ex causis suis: ac 1. *Futura, quæ ex causis suis fiunt necessario, cognoscuntur ab Angelis per certam scientiam*, ut solem cras oriri, ejusque certo tempore fore eclipsin: Angeli multo exactius judicium habent de rebus naturalibus quam ullus homo habere potest, propter longissimam experientiam: at hominis naturale intellectus lumen attingit istam futurorum cognitionem, ut constat de Mathematicis in cognitione Eclipseos futuræ: ergo cognoscuntur quoque istiusmodi futura ab Angelis certo; sed, ut dixi, in suis causis, nec ut absolute eventura, sed ex vi causarum secundarum, si per causam primam extraordinarie non impediantur. 2. *Futura quæ ex causis suis proveniunt, non ex necessitate, sed ut plurimum, cognoscuntur ab Angelis, non per certitudinem, sed per conjecturam*, quomodo Medicus prævidet sanitatem aut mortem infirmi: atque horum futurorum cognitio tanto magis comperit Angelis quam hominibus, quanto illi præ hisce, & universalius, & perfectius, causas rerum cognoscunt. 3. *Futura pure fortuita aut casualia, vel à libero arbitrio in totum dependentia, prorsus ab Angelis præsciri nequeunt.* Virtus creata & finita non potest cognoscere aliquid esse futurum nisi ex suis causis: at, quæ prorsus sunt libera, casualia, & fortuita, illa causas habent prorsus liberas, fortuitas, casuales, & indeterminatas: unde ergo intellectus creatus & finitus, qualis est Angelorum, causam talem effectus talis intuebitur? in libero arbitrio, dum adhuc in actu primo est & indifferens, tanquam in causa indeterminata, determinatum quid cognosci nequit: pariter dicendum est de casualibus & fortuitis, nam sicut se res habent in universo, ita & cognoscuntur ab Angelo: ergo quæ habent esse prorsus incertum in suis causis, ut fortuita & casualia, non possunt sciri ab Angelis aut cognosci. Admittunt quidem nonnulli, futura contingentia, quæ dependent à libero arbitrio causæ secundæ, ignorari ab Angelis, sed vero, quæ ex aliis causis proveniunt, naturalibus quidem, sed talibus, ut, quantum est ex ipsarum natura, impediri possint, cognosci ab iis posse certo affirmant, & sic confirmant. Angeli cognoscunt perfecte universum naturæ ordinem, & omnium naturalium causarum dispositionem, ergo cum ejusmodi futura procedunt ex concursu naturalium causarum, possunt ab Angelo certo cognosci & infallibiliter: nam contingentia causarum

naturalium in hoc consistit, quod ipsæ causæ impediri possint per alias causas naturales: sed Angeli cognoscunt & penetrant, quando futurum sit causæ naturalis impedimentum & quando non item, quia hujusmodi impedimenta naturaliter & secluso liberi arbitrii concursu proveniunt ex dispositione naturali superiorum causarum: at norunt Angeli perfecte influentias cælestium corporum & dispositiones elementorum, causarum superiorum. Ergo & norunt quando impedimenta sint futura, ergo & norunt futura contingentia casualia & fortuita ab arbitrio causæ liberæ non dependentia. Verumenimvero, si Angelus habet jam evidentiam determinationis causarum naturalium; & habet evidentiam ejus quod non sit futurum impedimentum, jam improprie dicitur illud futurum contingens & casuale respectu cognitionis Angelicæ, licet tale respectu nostræ cognitionis dici queat. Deinde non est verisimile, totum ordinem universi & dispositionem omnium naturalium causarum ita perfecte cognitam esse Angelis, ut omnem varietatem futurorum motuum atque effectuum naturalium in animalibus, plantis, elementis, cæterisque inanimatis, secludendo ab his effectibus operationes causarum liberarum, possint cognoscere, v. g. quot formicæ vel muscæ toto mundo nascituræ sint intra proximos mille annos, & singulæ quot motus ac mutationes habituræ, quibus modis perituræ, quot pulviculi, quibus figuris & motibus in aëre sint concitandi &c.

Quæri solet secundo, *utrum Angeli cognoscant cogitationes cordium?* Respond. *potest Angelus probabiliter per conjecturam, ex signis & effectibus externis, cognoscere cogitationes cordium:* nam ex mutatione vultus, vibratione oculorum, aut aliquo opere exteriori, quod sit indicium interioris effectus, potest homo conjicere, quid aliquis cogitet ac desideret: quidni & Angelus? *Non potest Angelus certo cognoscere cogitationes cordium naturaliter:* quia Angeli tantum naturaliter cognoscere possunt ea, quæ spectant ad ordinem naturæ: atqui liberæ cogitationes & affectiones cordium, nisi sponte manifestentur à cogitante, non continentur sub ordine naturæ, qui non habent connexionem & dependentiam à causis naturalibus, sed à causa libera, ut tali; ergo naturaliter Angelus eas cognoscere nequit. In hac ratione notandum est, non ideo dici, quod cogitationes liberæ non contineantur sub ordine naturæ, quasi istæ operationes sint supernaturales (constat enim plurimas ac pleraque cogitationes non excedere facultatem naturæ) sed tantummodo propter modum præternaturalem, quem habent quoad sui productionem, quia nimirum libera cogitatio dependet à libera voluntate cogitantis, adeo ut sola voluntas independenter ab aliqua causa naturali (sicuti causa naturalis opponitur liberæ) determinet sibi cogitationem hanc aut illam: & causa naturalis habet naturalem determinationem ad unum, sicut ipsa natura ad unum est determinata: atque hinc est, quod voluntas habeat plenum dominium suarum operationum post Deum, cui soli subjicitur: proindeque in voluntatis potestate est, cogitationes, quibus voluerit, manifestare, sc. ordinando eas ad intellectum alicujus angeli, eique eas subjiciendo, ut objecta: per quam quidem ordinationem & subjectionem ipsæ cogitationes liberæ constituuntur in esse naturæ seu cognoscibilis naturalis, ut jam ab aliis, v. c. Angelis, cognosci possint eo modo, quo res atque actiones naturales ab iis cognoscuntur, nam ab Angelis cognosci nequeunt ullo modo naturaliter, si non manifestentur cogitationes.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, DECIMA-QUINTA.

DE ANGELIS.

THESIS I.

DE Intellectione Angelica, tria discutienda proposuit disputatio præcedens, *Objectum*, *Medium*, *Modum*. *Objectum* istic fuit explicatum: restat intelligendi *Medium* ac *Modus*. Quæritur, ut *de medio* primum disputemus, *An Angeli intelligendo utantur, hominum instar, mediis speciebus intelligibilibus, an vero omnia intelligant per suam substantiam sive essentiam?* hæc quæstio decidi generaliter non debet, sed speciatim, facta objectorum, quæ intelligit Angelus, divisione. *Ex disp. præced. th.* 5. fere ad 4. classes omnia cognitionis Angelicæ objecta revocari possunt; aut enim intelligunt Angeli *seipsos*, aut *se invicem*; aut *Deum* aut *omnia alia creata*: circa quædam harum specierum intelligibilium utuntur adminiculo, circa alia non item. Quare distincte singula enunciabimus.

II. §. 1. *Angelus intelligit seipsum per suam substantiam vel essentiam, & non per speciem intelligibilem.* Cum Angelum se intelligere asserimus *per suam esentiam*, non hoc volumus, intellectionem esse ipsam ejus essentiam (hoc enim *præced. disp.* fuit rejectum ac refutatum) sed *essentiam Angeli esse rationem & principium cognoscendi seipsam sine ulla specie intelligibili superaddita*. Sententiam hanc sic probamus. Cum objectum est actu intelligibile, & per seipsum intime præsens intellectui, tum non eget intellectus specie, quæ vicem objecti suppleat, illudque intellectui uniat: at vero substantia sive essentia Angeli est objectum actu intelligibile & intime præsens intellectui Angelico. Ergo &c. Certe species datur & ut objectum faciat actu intelligibile, & ut uniat illud intellectui: ubi ergo objectum est actu intelligibile & unitum intellectui, nulla opus est specie: objectum vero censetur esse actu intelligibile, quando est immateriale: oportet enim proportionem esse inter rem cognoscendam & potentiam cognoscentem; ideoque quando objectum est materiale, non est per se intelligibile, sed per speciem immaterialem, ut sic assimiletur intellectui, ejusque actioni immateriali: porrò, debet objectum, cum est immateriale, aut per se, aut per speciem intelligibilem, intellectui intimè esse præsens, quia, ut *Arist.* rectè docet. 3. *de Amina*, requiritur potentiæ cognoscentis & objecti, quæ sunt causæ intellectionis, unio ac conjunctio, ut ex utroque gigni possit cognitio: atque hæc ratio ferè est *Thomæ Aquin. 1. p. Sum. quæst. 56. art. 1. & Becani Theol. Scholast. par. 1. Tract. 3. c. 1. quæst. 7.*

III. §. 2. *Angelus unus intelligit alium Angelum, non per essentiam, sed per speciem intelligibilem.* Probatur. Nam neque unus Angelus cognoscit alterum per suam ipsius essentiam, neque per substantiam alterius: ergo per speciem superadditam: non per suam essentiam, quia licet illa sit valde perfecta, non tamen sufficit, ut, suppleat vicem speciei intelligibilis aliarum rerum à se distinctarum, quia hoc est essentiæ tantum perfectissimæ, atque adeo infinitæ: non per substantiam alterius, quia substantia alterius Angeli non unitur alteri Angelo; ut forma illum actuans, sicut unitur species aliqua intelligibilis intellectui, neque ut origo & quasi radix, ex qua illius intellectus & intellectio promanet, sicuti hoc modo substantia cujusque Angeli est unita ejusdem intellectui & intellectioni, & ideo ei sufficit, ut per eam, tauquam per formam intelligibilem, seipsum unusquisque Angelus intelligat.

IV. §. 3. *Quo medio utatur Angelus in intelli-*

intelligendo Deo, an specie intelligibili, an sua essentia, acerrime controveritur inter *Thomam Aquinatem*, & *Iohannem Duns Scotum*, atque utriusque sequaces: verum, ut distincte illorum mens intelligatur, distinctio hic quædam est ponenda, & exponenda de medio cognitionis, quod duplex est; aliud quidem cognitum, per cujus cognitionem aliud cognoscitur, quomodo causa cognoscitur per effectus, conclusio per principia, tanquam per medium prius cognoscendum: aliud est medium cognitionis, quod nulla prævia sui cognitione ducit nos in cognitionem alterius, quod aptius dicitur ratio cognoscendi, cujusmodi est species, intelligibilis in intellectu, & visibilis in oculo, quæ nulla prævia sui cognitione, movet potentiam ad cognitionem sui utrinque objecti: est vero illud discrimen inter hæc duo media cognitionis, quod medium cognitionis primo modo, cum non causet cognitionem alterius, nisi media sui cognitione, non est ratio cognoscendi illud, nisi per discursum, saltem in creatura, sicuti discurritur à cognito ad incognitum: medium vero cognitionis secundo modo, cum sit tantum ratio cognoscendi, repræsentat objectum, non ut ratio cognita, seu immediate nulla prævia sui cognitione: ideoque est ratio cognoscendi objectum absque omni discursu. *Aquinas* asserit, Angelos intelligere Deum, non per aliquam speciem intelligibilem ipsius Dei ab essentia Angeli intelligentis distinctam, sed per suam propriam essentiam, non solum tanquam per medium cognitum, sed & tanquam per rationem cognoscendi, & speciem intelligibilem repræsentantem Deum. *Scotus* contra asserit, Angelos Deum intelligere, per speciem intelligibilem essentiæ suæ superadditam, tanquam rationem cognoscendi, non vero sic per essentiam, licet non diffiteatur, quin Angelus per suam essentiam, tanquam per medium cognitum, intelligat Deum esse quia per existentiam effectus cognoscitur existentia causæ efficientis & conservantis effectum: sed essentia Angeli est effectus Dei: ergo per ejus existentiam cognitam cognoscitur existentia causæ procreantis & conservantis, ipsius Dei: nam si humana ratio valeat argumentari hoc modo ab effectu ad causam, quidni & Angelus. Interim hoc monemus de sententia *Scoti*, non talem ab ipso poni speciem Dei intelligibilem in Angelo, quæ repræsentet Deum, quantum repræsentabilis est, nam talis in intellectum creatum ac finitum non cadit; per talem enim speciem Deus comprehenderetur: at Deus à creatura comprehendi nequit: sed Deus patitur se intelligi per speciem sui, secundum capacitatem intellectus creati. Verum, *qua ratione poterit species finita, in subjecto finito, Angelum deducere in cognitionem Dei infiniti?* Respondemus uno verbo; quatenus ita repræsentat objectum, ut intellectus per eam terminum in objecto non reperiat. Atque hæc opinio *Scoti*, sic explicata, præ sententia *Aquinatis*, magis nobis arridet.

V. §. *Ad cognoscenda omnia alia creata utuntur Angeli mediis speciebus intelligibilibus.* Hæc conclusio sic probatur ab *Aquin.* 1. *p. Summ. quæstion.* 55. *art.* 1. Illud, quo intellectus intelligit, comparatur ad intellectum intelligentem, ut forma ejus, quia forma est id quo agens agit: ut vero potentia perfecte compleatur per formam, oportet omnia, ad quæ sese extendit talis potentia, contineri sub illa forma: & inde est, quod in rebus corruptibilibus forma non perfecte compleat materiæ potentiam, quia potentia materiæ ad plura sese extendit, quam est continentia formæ: at potentia intellectiva Angeli se extendit ad intelligendum omnia, quia objectum ejus est ens seu verum in communi: ipsa autem essentia Angeli non comprehendit in se omnia, cum sit essentia determinata ad genus & speciem, comprehendere enim omnia proprium est essentiæ divinæ, quæ infinita est, & in se omnia perfecte complectitur: ideoque solus Deus omnia alia à se cognoscit per essentiam, Angeli vero ad alia à se intelligenda egent speciebus intelligibilibus. Quam *Aquin.* rationem vide fuse explicatam & roboratam à *Cajetano* in notis ibidem.

VI. Utrum hæ species intelligibiles, per quas omnia à se distincta cognoscit Angelus, sint inditæ, insitæ, & infusæ, quod voluit *Aquinas ibid. art.* 2. cum *Thomistis*, an vero à rebus sint acquisitæ & acceptæ, aliquæ saltem, quod voluit

voluit *Scotus* cum *suis*, anxia & curiosa est lis, necdum decisa, & quæ fortasse ab homine in hac vita decidi nequit : nam conjecturæ hic magnus est locus. Nos, salvo aliter sentientium judicio, probabiliorem censemus sententiam *Aquinatis* quam *Scoti*; nam explicari vix potest, quomodo in via *Scoti* istæ species à rebus singularibus & materialibus accipiantur ab Angelis, qui sensibus destituuntur : Nam quod nos intelligamus alia à nobis per species à rebus acceptas, ideo est quia omnis nostra cognitio incipit à sensu, ideoque fit per abstractionem, qua species quasi defæcantur, dum primum sensibiles abstrahuntur à materia rerum singulari & sensibili, atque inde fiunt phantasmata, & ex phantasmatibus species intelligibiles: at verò hæc causa non habet locum in Angelis, qui sensibus carent & externis & internis, ideoque, si per species alia creata à se intelligant, intelligunt per species non à rebus abstractas, sed sibi infusas. Fateor in hac via *Aquinatis* etiam difficultates reperiri ac scrupulos, qui incedentibus per eam negotium facessunt, plures tamen video in via *Scoti:* quare istac eundum fuit, qua occurrerent pauciores.

VII. Superest Angelicæ intellectionis *Modus*, circa quem tria quæri solent. §. 1. *An intellectus Angeli quandoque sit in actu, aliquando in potentia, respectu cognitionis?* Resp. quod sic: Quia actu ignorat effectus, pure supernaturales, qui pendent à libera Dei voluntate, vel etiam alios, quos sibi soli reservavit Deus, atque sic ad illorum cognitionem est in potentia, ut ipsi à Deo revelentur: idem dicendum est de cognitione cordis humani occulta, si enim ejus cogitatio Angelo reveletur per signum aliquod, incipiet intelligere quod ante non intellexit. Denique quicquid de cognitione sui & Dei dicatur, cum aliarum rerum etiam in se habeat species intelligibiles, iis uti potest vel non uti, prout voluerit, sicuti homines: & certe in sententia contraria semper cognosceret actu semel cognita, & quidem actu distincto, quod tamen videtur inintelligibile. §. 2. *An possit Angelus simul intelligere multa, ut multa?* Resp. quod sic. Nam nullam videmus hic repugnantiam: & hoc locum tenet in intellectu humano, multo magis ergo Angelico, quia hic multo est perfectior & perspicacior: noster intellectus simul intelligit lapidem & hominem cum format hanc propositionem *(lapis non est homo:)* hic *lapis* & *homo* per duplicem speciem in intellectu nostro repræsentantur; ergo non possunt se habere ad intellectum nostrum, ut unum, sed ut plura: quid? quod visus videt simul plura ut plura : cum v. c. in eadem charta intuetur nigredinem characterum simul & albedinem papyri, & auditus simul audit multas voces musicorum. Ergo hoc affirmare multo magis licebit de intellectu Angeli. §. 3. *An intellectio Angeli fiat componendo, dividendo & discurrendo?* Resp. probabile esse, quod sic fiat. De compositione & divisione patet, quia distincta cognitione fertur in subjectum enunciationis & distincta in prædicatum, imprimis si à parte rei distincta sint: at id non fit sine compositione & divisione: de discursu patet, primum discreto, quia Angeli cognoscunt naturalia, non omnia simul, sed successive; hæc autem cognitio est discursus discretus: tum continuo, quia in intellectu Angeli datur dependentia intellectionis ignotioris à notioti, qui discursus est continuus; sc. signum, quo cogitatio occulta cordis humani Angelo revelatur, ut notius, cum deducit in notitiam ipsius cogitationis tanquam ignotioris : interim discursus hic tam est subitus, tam celer, ut non percipiatur motus intellectus Angelici super objectum. Atque hæc de intellectione Angeli probabiliter dicta sufficiant.

VIII. Intellectionem Angeli sequitur ejus *volitio*, circa quam, *objectum*, *medium*, *modus*, considerari possunt ut in intellectione. *Objectum* volitionis Angelicæ est bonum, & bonum tantum, sed vel verum, vel apparens : itaque nullus Angelus malum appetit, qua tale : *medium* est cognitio, & quidem practica: hinc est, ut Angelus, nihil velit, vel nolit, vel non velit, quam quod judicium intellectus practici in Angelo volendum, vel nolendum, vel non volendum esse præscripsit: pariter, quando hoc potius vult, quam aliud, ideo est, quia hoc potius

quam aliud esse volendum intellectus dictat: *modus* est, libertas fundata in eo quod nihil velit Angelus nisi sponte, & ex præscripto ac dictamine rationis.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, DECIMA-SEXTA. DE ANGELIS.

THESIS I.

ANgelorum actiones immanentes, intellectionem ac volitionem, duabus præcedent. disputationibus explicatas, excipit explicatio actionum transeuntium: inter quas non infimum tenet locum *motus localis*, quo uno ubi dimisso ac relicto, aliud quærunt Angeli. De hoc motu multa solent disputari à Philosophis & Scholasticis; ac §. 1. *Quæritur*, An Angelus vere ac proprie secundum locum moveatur. Durandus 1. Sent. dist. 37. quæst. 1. n. 25. de eo dubitat, existimatque non vere sed secundum apparentiam Angelum moveri: innititurque isti fundamento, quod substantia Angeli sit præsens ubique, unde non potest moveri secundum locum: sed hoc fundamentum Durandi eversum ivimus Disp. select. 13. th. 6. ideoque idoneum non est motui Angelorum tollendo. Aquinas 1. parr. Sum. quæst. 53. art. 1. & Cajet. ibid. quamvis admittant Angelum vere moveri localiter, ita ut unum locum deserat, alium acquirat, non tamen proprie id fieri volunt, sed improprie & secundum metaphoram; nititurque illorum opinio huic fundamento, quod Angelus sit in loco per operationem aut applicationem suæ virtutis: sed & hoc fundamentum subruimus Disp. 13. th. 7. Nos sicuti Angelum secundum substantiam esse in loco asseruimus, Disp. & thes. cit. ita nunc eum vere & proprie moveri localiter asserimus: quia eo modo convenit rebus moveri, quo convenit esse in loco: at esse in loco convenit Angelo secundum substantiam, quod ante fuit probatum: ergo & ei convenit, secundum eam moveri, amovendo eam ab uno loco & applicando alteri. Itaque rejicimus Thomistarum sententiam, asserentium, Angeli motum in eo consistere ut attingat diversa loca media operatione, qua in eis aliquid producitur, sive sit formaliter transiens, sive applicatio virtutis. Sed quomodo potest Angelus operari in ullo loco, si non prius, saltem ordine naturæ, existat? quomodo existet nisi prius eum acquisiverit? Ergo non movetur ad aliquem locum per operationem, quam in eo producit, sed jam motu eum acquisivit, antequam operetur: & ostendimus disp. & th. cit. Angelum posse esse in loco, licet nihil operetur, ergo & jam potuit fieri præsens in diversis locis, nihil circa illa operando: itaque Angelus in motu habet se aliter atque aliter in ordine ad spatium locale, non tantum in ratione agentis, sed & in ratione immediate præsentis.

II. Quæri hic potest, An definitio motus tradita ab Aristot. l. 3. Phys. quod sit actus entis in potentia, qua potentia, conveniat motui locali Angelorum? Resp. quod si illa definitio accipiatur prout ibi tradi solet & explicari ab Aristotelicis, non convenit, quia sic intelligitur de actu & ente physico, corpore naturali ac sensibili: si tamen accipiatur magis abstracte, prout ratio, *entis actus*, & *potentiæ*, reperitur etiam in rebus omnino à materia separatis, potest convenire: quia de motu Angeli dici potest, quod sit actus entis in potentia qua potentia ad ubi: neque repugnat Angelo, quod sit id actu quodam imperfecto respectu

respectu loci, sicut non repugnat ei quod media successione motus perveniat ad locum, at de ratione successionis est, quod sit actus imperfectus & incompletus. Quamvis autem motus Angelorum adhuc sit diversæ rationis à motu corporum, non tamen idcirco improprie motus dici debet: Nam forte (multis saltem) intellectus Angelicus diversæ est rationis ab humano, sed non ideo tamen dicitur improprie intellectus: pariter & hic se res habet.

III. Verum quia th. 2. jam statim diximus, non repugnare Angelo, ut successive moveatur, hoc ulterius est explicandum, quia fortasse alicui minus verum id videatur. Quæritur ergo §. 2. An Angelus possit moveri motu continuo & successivo? Resp. Successio ad motum continuum requisita ex duplici causa provenit: vel ex divisibilitate mobilis, vel ex divisibilitate spatii: quarum utraque causa, etiam cum una est præcisa ab alia, sufficiens tamen est ratio successionis: nam quod libet mobile prius pertransit unam partem spatii divisibilis, quam aliam, & sic est successio ex parte spatii comparando mobile etiam indivisibile ad diversas partes spatii, sic angelorum motus est continuus ac successivus: deinde quando mobile est divisibile, tum etiam secundum unam partem sui prius quam secundum aliam partem, pertransit spatium divisibile, & sic corporum motus ab utraque causa est continuus & successivus. Porro indivisibile est aliud in genere quantitatis, ut punctum; aliud in genere substantiæ, ut Angelus: priori indivisibili non competit locus divisibilis, ut in eo sit, an tamen in eo non possit moveri successive, multi dubitant, imo plerique asserunt, exemplo Sphæræ undiquaque & exactissime rotundæ, quæ in plano existens licet non sit in loco divisibili (tangit enim planum in puncto) si tamen moveatur, movebitur successive secundum partes plani divisibilis: posteriori indivisibili competit locus divisibilis, ut in eo sit: nam anima etsi indivisibilis sit, est tamen in corpore divisibili: consequenter & Angelus, qui si existat in spatio divisibili, quidni & in eo moveri potest? Atqui iste motus localis in spatio divisibili concipi non potest nisi successivus & continuus secundum varias spatii partes.

IV. Ex iis, quæ diximus, patet quid dici debeat, ad id quod § 3. quæritur, *An Angelus possit moveri in instanti?* Resp. id plane esse impossibile: nam quod successivum est, non potest esse in instantia, quia habet partem post partem: at si in instanti esse posset, jam partes essent simul & non una post aliam: motus autem est successivus, ex ante dictis. Ergo. Quærunt adhuc subtilius Scholastici, *an si non motus, saltem aliqua mutatio localis in Angelo esse possit instantanea, qua de extremo in extremum moveatur in instanti.* Putat *Scotus* & multi cum ipso, fieri posse, si extrema sint immediata, & inter se à se invicem non distent, v. c. si Angelus sit in toto loco pedali, dicunt, quod possit se constituere in alio loco pedali immediato, non dimittendo primo partem primi loci, & acquirendo primo partem secundi loci successione quadam, sed simul & in instanti dimittendo locum totum primum & acquirendo totum secundum. Quod an probabile, disquirendum relinquimus. Quicquid sit de extremis indistantibus immediatis & mutatione instantanea; alia hîc adhuc movetur quæstio de extremis distantibus & medium habentibus. §. 4. *An Angelus possit transire ab extremo in extremum non transeundo per medium, motu locali proprie dicto.* Respond. id fieri non posse, sive illud medium sit aliquid utriusque extremi, quale est punctum in linea, sive sit nihil extremorum, quale medium est aqua inter aërem & terram: non potest fieri priori modo, quia illud medium est ratio continuitatis inter extrema: ideoque si Angelus continue movetur, necesse est ut illud medium pertranseat; alioquin non foret motus continuus: nec posteriori modo, quia quod continue movetur, prius pervenit in medium quam in terminum: alioqui continuitas ista concipi non potest; & res, quæ sic movetur, esset in locis potius discontinuis, si non transeat medium.

V. Præter motum sub actionum Angeli transeuntium titulo aliæ etiam quæstiones ventilari hic solent. §. *An Angelus possit producere substantiam?* Respond. quod non,

quia nec creare potest, quod est solius Dei, nec generare, quia non potest disponere materiam, quod tamen ut prævium in omni generatione requiritur: at alius modus producendi substantiam nullus superest. §. 2. *An Angelus possit producere qualitates, tum materiales, tum spirituales?* Resp. Neg. prius, quia nec formaliter nec eminenter continet eas, ut sunt calor, frigus, &c. Aff. posterius, quia si agens corporeum potest in subjecto proportionato producere qualitatem materialem, cur non possit producere spiritualem in subjecto proportionato seu spirituali? §. 3. *An Angelus possit producere motum localem?* Resp. quod sic, quia potest movere corpora: at qui localiter movet ut efficiens motus, is producit motum localem. Quod possit Angelus movere corpora, ex Theologia ac Sacris est certum, sed insuper ex Philosophia probabiliter suaderi potest, sc. si possit producere proprium motum, qui est perfectissimus, cur non etiam imperfectiores in alio, & corpore?

VI. Ad Angelorum actiones transeuntes refertur quoque *corporum assumtio:* nam cum propria corpora non habeant, & tamen sæpe corporea in specie appareant, nihil restat dicere, quam quod alia corpora assumant. Quæritur §. 1. *Qualia sint ista corpora?* Resp. probabile est vera aliquando hominum defunctorum corpora assumi, quæ movere possunt, & in iis apparere, aliquando corpora ab iis, ex aëre vel condensato, vel admista ad colorum varietatem aqua, vel ex vaporibus, fabricari quæ vera membra non habeant, externam tamen membrorum speciem referant: nam licet aër in sua raritate manens nec figuram habeat, nec colorem, quando tamen condensatur, & figurari potest & colorari, quod patet ex nubibus: ista corporum fabricatio non est productio generativa, sed congregatio aëris dispersi, & junctio partium ejus, aliorumque concurrentium; quæ corpora, ut confestim congregando efformantur, ita confestim, dissipatis junctis, evanescunt. §. 2. *Quomodo Angelus uniatur corpori?* Resp. accidentaliter: requirit autem ista unio, 1. Angelorum in corporibus assumtis existentiam substantialem. 2. existentiam talem, qualem habet motor in mobili: usum corporum assumtorum instrumentalem, ut iis manifestentur. §. 3. *Quales in assumtis corporibus operationes exercere possint?* Resp. nullas possunt edere operationes secundum substantiam vitales, vitalibus tamen similes: patet prius, quia corpora assumta ab Angelis non vivunt vita prima, non enim ab Angelis informantur; ideoque nec opera vitæ ab iis possunt exerceri; nam vita secunda primam præsupponit: itaque Angeli in assumtis corporibus non generant, non loquuntur, non edunt, non bibunt, &c. & quando aliqua ex istis tribuuntur Angelis, non proprie hoc fit sed metaphorice, ob similitudinem talium operum cum veris operibus vitæ, quæ exerceri non possunt, ubi non est potentiale principium ad tales operationes exercendas: At Angeli quamvis habeant principium seu virtutem, qua possunt corpora seu partes eorum localiter movere, & hoc motu mediante figurare variisque qualitatibus afficere, imo quædam in iis & per ea efficere, habentia aliquid simile operibus vitæ, non tamen habent principium potentiale ad veras & proprie dictas hujusmodi actiones, quia non habent facultatem generativam, comestivam &c. Videntur tamen actus facultatis locomotivæ, qua tales, etiam præcisa vitalitate, ab iis exerceri, quia vere progrediuntur, ambulant, manus ad apprehendendum movent &c. Hæc de Angelorum natura, attributis, effectis, aliquot disputationibus, quæ probabiliter ex Philosophia disputari possunt, attulisse sufficiat.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, DECIMA-SEPTIMA. DE NECESSITATE.

THESIS I.

FRequentissima est apud Philosophos, *Necessitatis* & *Contingentiæ*, mentio, dum hisce terminis, & *Ens* in sua latitudine, & *Causam Efficientem*, & *Enunciationem*, dividunt: atque hinc maximus est horum terminorum in omni disputatione ac dissertatione usus: Verum sicut recte intellecti & adhibiti inserviunt rebus obscurioribus enucleandis, ita non parvos errores gignunt in iis, à quibus nec recte intelliguntur, nec rite adhibentur. Quantum turbaverint Scholas & piorum in Ecclesia Dei mentes, cum disputationibus de Libero arbitrio, concursu, providentia, causa peccati &c. sunt inserti hi termini, sed pessime accepti, ex tot dissertationibus, quæ de istis controversiis voce ac scripto paucos intra annos sunt hic & alibi institutæ, cuivis est notissimum. Vindicandi ergo sunt hi termini ab abusu, quo in errores varios multi sunt abducti. Atque hac quidem disputatione *Necessitatis* notionem excutiemus, & varias ejus acceptiones, sed legitimas, proponemus.

II. De Necessario sic *Philosophus, l. 5. Metaph. c. 5.* philosophatur. Τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, ἀναγκαῖον φαμὲν ἔχειν οὕτως. Quod *aliter se habere non potest, necessario se ita habere dicimus.* Hinc vulgaris est Necessarii definitio, *Necessarium est, quod aliter se habere non potest*; sive *in existendo*, quomodo *Ens* aliquod dicitur necessarium, ut Deus; sive *in causando*, quo sensu *causa efficiens* dicitut quædam esse necessaria, ut ignis; sive *in enunciando*, quo pacto enunciatio vera dividitur in necessariam & contingentem. Deus dicitur Ens necessarium in existendo, quia non potest non existere: causa naturalis dicitur necessaria, quia non potest non operari positis omnibus ad operandum requisitis: enunciatio quædam vera, est necessaria, quia ita vera est, ut non possit esse falsa, adeoque non potest non esse vera.

III. Necessarium nonnullis dividitur in dependens & independens. *Necessarium independens*, quod suam necessitatem nulli debet, nulli acceptam refert. Atque hic est summus necessitatis gradus, qui in solum Deum cadit, qui dixit, *Ego sum, qui sum*; Ut sic entitatis suæ independentem necessitatem declararet. *Necessarium dependens*, quod per sua quidem principia, sive externa sive interna, necessarium est, & omnem tamen suam necessitatem Deo debet: & hoc est necessarium *vel necessitate definitionum & demonstrationum, vel naturæ, vel hypothetica. Necessitas definitionum & demonstrationum* in creaturis summa est, & secundus necessitatis gradus, ubi, si fingitur oppositum, implicatur contradictio; ita necessarium est, *hominem esse animal, esse rationalem, esse risibilem &c.* Hanc necessitatem, definitionis & demonsttationis, in propositionibus per se primi & secundi modi, nonnulli ex Philosophis vocarunt quoque independentem, ac fecerunt eam similem necessitati divinæ, quia sicut tam necessarium est Deum esse, ut contrarium contradictionem involvat, ita & hic in exemplis allatis. Verum licet tanta sit cohærentiæ terminorum in istis propositionibus & rerum extra propositiones necessitas, ut si quis, non connecti sed separari posse illos terminos aut res aliique subjecto ista prædicata tribui posse, asserat, contradicentia dicat, non tamen ideo sequitur, quod independens sit istius cohærentiæ necessitas: attributa essentialia vel constitutive vel consecutive necessario cohærent cum essentia quam vel

constituunt vel consequuntur, nec est quippiam in re hoc modo necessaria, unde ista necessitas dependet, est tamen aliquod extra rem istius necessitatis dependens principium, sc. Deus: Quod enim homo sit animal, sit rationalis, sit risibilis &c. ac necessario, ut non possit non esse, licet in se illius necessitatis principium dependens nullum inveniat, Deo tamen acceptum hoc totum quod est referre debet, qui eum talem creavit, & talis essentiæ, quam talia attributa essentialia & constituerent & consequerentur, creare pro sua sapientia voluit, sicut enim, quod existit, ita quod rationalis existat & quod risibilis, non rationalis, non irrisibilis, à Deo est: neque enim ipse homo sibi hoc esse essentiæ dedit, sicut nec esse existentiæ dare sibi potest. Si roges, an Deus potuerit creare hominem, qui non esset rationalis, non risibilis, si homo talis est necessario, quia Deus voluit eum talem creare, respondeo, hoc rogandum non esse, nec temere in divinam potentiam, præsertim quam absolutam vocant Scholastici, inquirendum esse, ne scrutator curiosus majestatis opprimatur ab ea: nos id pro certo tenemus, necessitatem in æternæ veritatis propositionibus, ut vocant, sive in primo modo per se sive in secundo, esse à solo Deo, qui istius necessitatis est origo, causa, principium, quia ipse ut sapientissimus omnium rerum opifex res talis essentiæ fecit, quæ talem necessitatem propositionum fundaret, atque ita ipse tanquam prudentissimus legislator tales propositiones tanquam leges tulit. Necessitatem definitionum & demonstrationum sequitur *necessitas naturæ*, quæ tertium necessitatis gradum constituit, qua causa aliqua permanens in natura sua eodem modo ut à Deo Authore naturæ est instituta, necessario tale effectum producit; atque hæc quidem necessitas tanta est, ut causa talis ex se non possit effectum suum tale non producere: *ex se*, dico; nam à Deo sic mutari atque affici potest, ut non producat; sic gravia descendunt, Sol se movet, ignis urit, omnia ex se & vi naturæ suæ necessario, licet à Deo sisti in agendo & inhiberi possint, etiam absque ulla contradictione. Succedit ultimo *necessitas hypothetica*, qua aliquid non in se, non ex se est necessarium, sed ob hypothesin aliquam positam extra rem, quæ necessaria dicitur.

IV. Necessitatem naturæ nonnulli vocant necessitatem absolutam: alii necessitatem absolutam sumunt, pro independente: alii necessarium absolutè vocant cujus negatio aut oppositum involvit contradictionem, & sic necessitatem independentem ac definitionum & demonstrationum comprehendit; & illi tum necessitatem naturæ, vocant necessitatem secundum quid, atque hanc necessitatem distinguunt à necessitate hypothetica: ita Cl. prædecessor ac præceptor noster *D. Burgersd. l.* 1. *Metaph. c.* 29. Contra, alii necessitatem naturæ, secundum quid dictam *Burgersd.* confuderunt cum necessitate hypothetica, ad quam retulerunt necessarium ex natura, quia tale necessarium constanter quidem & immutabiliter agit, sed ex hypothesi ordinis à Deo in natura instituti: sed præstat, meo judicio, necessitatem naturæ distinguere ab hypothetica, quia hypothesis dicit aliquid rei necessariæ extrinsecum: nec tamen vocare velim necessitatem naturæ necessitatem absolutam, aut simpliciter: sed eum ordinem reneri ac nomenclaturam in classibus necessarii tum digerendis, tum nominandis, quem ordinem ac nomenclaturam servavit cit. loco, *Cl. Burgersd.* Quare nos ejus vestigiis insistemus.

V. *Necessitas* est, aut *interna*; qua res ex natura sua aut ex principio intrinseco est necessaria, & hæc vel *absoluta*, quando oppositum contradictionem implicat, ut est necessitas independens, & dependens definitionis ac demonstrationis, vel *secundum quid* sive *naturæ*, quando oppositum naturaliter fieri non potest, sed tamen, si fiat, nulla implicatur contradictio; aut *externa*, quando res non ex natura sua aut principio intrinseco est necessaria (sic enim est contingens) sed quando necessaria est ob externam hypothesin seu conditionem: atque hoc necessarium est triplex pro triplici hypothesi: est enim necessitas *hypothetica ex suppositione*, ut loqui amant Scholastici, vel *causæ*, vel antecedentis, vel *existentiæ* sive *actus*: necessarium ex hypothesi *causæ*, intellige, vel *efficientis*, vel *finalis*; nam necessi-

neceſſitas à materia & forma, tanquam à cauſis internis, eſt interna, & quidem naturalis, ſecundum quid: *neceſſitas externa ex ſuppoſitione cauſæ efficientis* eſt, quando cauſæ efficientes, ex quibus aliquid oritur, non mutantur, cum mutari poſſent; ut, genus humanum magnis calamitatibus puniri eſt neceſſarium, quia cauſæ non mutantur efficientes calamitatem, ſcilicet peccata hominum. Huc referri poteſt *neceſſitas*, quam vocant *coactionis*, ut cum robuſtior trahit infirmum invitum; & *determinationis*; quia quod determinatum eſt non poteſt non agere, ideoque neceſſarium eſt; & quidem ex hypotheſi cauſæ efficientis, quia quod determinat agit in id quod determinatur: ſic voluntas neceſſario appetit ſummum bonum, & quæcunque media cum ſummo bono ſunt conjuncta, modo ab intellectus practici judicio præſcribantur; quia voluntas determinatur ab intellectus practici judicio: *neceſſitas externa ex ſuppoſitione cauſæ finalis*, aliis dicitur neceſſitas *expedientiæ* & *eventus*, quomodo neceſſarium eſt eum edere, qui vitam cupit incolumem: hoc neceſſarium ſubdividi ſolet in *neceſſarium ad eſſe & ad bene eſſe*; quæ ſubdiviſio ex ipſa finis diviſione ſatis nota eſt: *neceſſitas externa ex ſuppoſitione antecedentis*, eſt neceſſitas ex ſuppoſitione *vel decreti*, *vel præſcientiæ*, vel *prædictionis* divinæ; hoc triplici modo neceſſarium fuit, ut oſſa Chriſti non confringerentur; neceſſitas *præſcientiæ* vocatur Theologis, neceſſitas *infallibilitatis*; neceſſitas *decreti*, *immutabilitatis*, quamvis nonnulli ex ipſis hæc confundant: *neceſſitas externa ex hypotheſi exiſtentiæ ſeu actus* eſt, qua res, cum eſt, neceſſario eſt, cum fit, neceſſario fit: quo ſenſu *Ariſt.* dixit *l. de Interp. Omne, quod eſt, quando eſt, neceſſario eſt:* hanc neceſſitatem nonnulli vocant neceſſitatem *temporis. Cl. Burgerſd. hypotheſin*, quæ rei alioquin contingenti neceſſitatem adfert, dicit vel *antecedere* rem, vel eam *ſequi*, vel cum ea eſſe *conjunctam*: neceſſitas conjuncta cum re facit neceſſarium, quod ego vocavi neceſſarium ex hypotheſi exiſtentiæ, actus, temporis: hypotheſis, quæ rem ſequitur, quam facit neceſſariam, eſt finis rei, facitque neceſſarium ex hypotheſi cauſæ finalis: hypotheſis, quæ antecedit rem ſub conditione neceſſariam, adfert iſtam neceſſitatem, vel per aliquam cauſalitatem, vel abſque ea: ſi per aliquam cauſalitatem, iſta vel coactio eſt, vel determinatio: quæ ſunt hoc utroque modo neceſſaria, ſunt neceſſaria; quæ vocavi, ex hypotheſi cauſæ efficientis: quæ ſunt neceſſaria ex hypotheſi præcedente rem ſed per nullam cauſalitatem, ſunt neceſſaria, quæ vocavi, ex ſuppoſitione antecedentis, ſive præſcientiæ, ſive prædictionis, ſive decreti. Ac ſic hujus diviſionis membra cum membris noſtræ diviſionis ferè coincidunt.

VI. Hæ quidem variæ ſunt acceptiones vocis *Neceſſarii*: hoc reſtat, ut, quo ſenſu vox hæc ſumatur in diviſione cauſæ efficientis in neceſſariam (nam quomodo ſumatur in diviſione entis & enunciationis, ſatis eſt notum) & contingentem, ſeu, ut alii, liberam (quamvis libertas ſit ſpecies contingentiæ: hæc enim dividitur in conſultam, quæ libertas eſt, & fortuitam) explicemus. In hac cauſæ efficientis diviſione, *non* eſt intelligenda *neceſſitas hypothetica*, quæcunque etiam fuerit: quia hæc non contradiſtinguitur contingentiæ aut libertati: nam illa neceſſitas intelligitur facere cauſam neceſſariam hoc loco, quæ contingentiæ ſeu libertati opponitur eamque tollit, quia cauſa neceſſaria & contingens ſeu libera, membra ſunt oppoſita diviſionis contrariæ: ſed neceſſitas hypothetica contingentiæ aut libertati non opponitur, nec eam tollit, ſed optime atque amice cum ea conſpirat ac convenit: quod patet eundo per ſingulas claſſes neceſſitatis hypotheticæ jam recenſitas: ex eo enim, quod jam ſcribo aut lego, neceſſario ſcribo aut lego: eſt hæc neceſſitas hypothetica ex ſuppoſitione actus, exiſtentiæ, temporis, ſive ex hypotheſi quæ cum re conjuncta eſt: at illa neceſſitas libertatem meam mihi & actionis contingentiam non aufert: nihilominus libere ſcribo aut lego, quia ſcribo aut lego, quicquid, quantum, quando, & quamdiu lubet, & actio ſcribendi aut legendi contingens eſt: ſed neque neceſſitas hypothetica ex ſuppoſitione antecedentis ſive præſcientiæ, ſive decreti, ſive prædictionis divinæ, quæ eſt neceſſitas rem præcedens

ſine

sine causalitate, libertati aut rerum contingentiæ repugnat: nam istoc triplici modo necessarium erat ut Judæi Christum crucifigerent, & tamen libere crucifixerunt, & crucifigendi actio Judæorum respectu fuit contingentissima: ulterius, neque necessitas hypothetica, quæ est ex suppositione causæ finalis vel ex hypothesi quæ rem sequitur, contingentiam aut libertatem è medio tollit: nam hoc modo necessarium est ut studeam si velim esse eruditus, nihilominus tamen libere studeo, quantum, quicquid, quando, & quamdiu lubet, & studendi actio contingens est: denique neque necessitas hypothetica ex suppositione causæ efficientis, sive ex hypothesi, quæ rem præcedit vera causalitate, contingentiæ aut libertati inimica est; sive fuerit ista causalitas coactio, sive determinatio: non determinatio; nam licet à summo bono determiner, tamen libere illud appeto, & appetendi actio contingens est contingentia consulta; pariter, postquam intellectus judicavit mihi navigio esse proficiscendum, ego hoc medium eligo necessario, & tamen libere, & proficiscendi actio est contingens, non coactio, quia intellectus & voluntas, sedes libertatis & contingentiæ radix, cogi non possunt: fur coactus ad patibulum incedere necessitatem patitur, sed tamen libere incedit, adeoque ejus incessus est contingens: quod autem vulgo dicitur necessitas coactionis pugnare cum libertate & contingentia, intelligitur tantum de actionibus imperatis: at in actionibus elicitis nulla esse potest coactio, nedum ut libertatem aut actionis contingentiam evertat. Concludimus ergo nullam speciem libertatis hypotheticæ aut externæ repugnare libertati aut contingentiæ. *Sola* itaque *necessitas interna intelligitur, cum causa efficiens dicitur necessaria:* sed quænam? an omnis? Respond. 1. Non interna absoluta independens, quali modo necessarium esse diximus, Deum esse. 2. Non interna absoluta dependens definitionis aut demonstrationis, quali modo diximus esse necessarium, hominem esse rationalem aut risibilem. 3. Sed necessitas interna dependens secundum quid, sive naturæ, aut physica, naturalis, non prout ista vox animalem necessitatem excludit, sed in quantum eam includit, adeoque in quantum τὸ naturale opponitur voluntario, competitque rebus tum inanimatis tum animatis anima vegetativa & sensitiva: hæc sola necessitas naturæ profecta à naturæ principio intrinseco, sive materia, sive forma, constituit causam necessariam oppositam contingenti seu liberæ, quod ostensum voluimus. Atque hæc de necessario.

Disputationum ex Philosophia selectarum, DECIMA-OCTAVA. DE CONTINGENTIA.

THESIS I.

CUm oppositа juxta se invicem posita clarius eluceſcant, disputationi de *Necessitate* subjicienda est disputatio de *Contingentia.* Τὸ ἐνδεχόμενον, inquit *Philosophus l.* 1. *Prior. Anal. c.* 3. *t.* 5. πολλαχῶς λέγεται, τό γὰρ, τὸ ἀναγκαῖον, τὸ μὴ ἀναγκαῖον, τὸ δυνατὸν ἐνδέχεσθαι λέγομεν. *Contingens multifariam dicitur, namque &, quod est necessarium, & quod non est necessarium, & quod est possibile, contingere dicimus.* Sed hæc significatio aliena est, eodem *Philosopho teste l.* 1. *Prior. Anal. c.* 13. *t.* 2. τὸ γὰρ ἀναγκαῖον, ὁμωνύμως ἐνδέχεσθαι λέγομεν, *quod enim necessarium est, æquivoce contingere dicimus.* Nonnulli contingens idem

idem faciunt quod fortuitum aut casuale, quo pacto forte fortuna contingit, piscatorem piscando extrahere aureum tripodem; casu contingit tegulam decidentem vulnerare prætereuntis caput: verum contingentia non casum tantum aut fortunam, sed libertatem quoque complectitur, quod in hujus disputationis progressu statim pluribus dicemus. Itaque in genere hic sumitur à nobis *Contingens* pro mutabili, sicut necessarium sumpsimus pro immutabili: atque ut necessarium definimus, quod aliter se habere non potest, ita *Contingens* definimus ab oppositio, *quod aliter se habere potest*, sive in essendo aut existendo, quomodo ens aliquod dicitur contingens, ut *Creatura*; sive *in Causando*, quo sensu causa *efficiens* dicitur quædam contingens, ut *homo* qui ambulat, aut fodiendo terram thesaurum invenit; sive *in enunciando*, quo modo *enunciatio* aliqua vera est contingens, ut Petrus est doctus. Creatura dicitur ens contingens in existendo, quia potest non existere: homo dicitur causa efficiens contingens, cum ambulat, aut fodiendo terram thesaurum invenit, quia potest non ambulare, & fodiendo terram non invenire thesaurum: enunciatio aliqua vera dicitur contingens, quia ita vera est ut possit esse falsa; potest enim fieri ut Petrus non sit doctus.

II. Necessarium fuit divisum in dependens & independens: sic & contingens aliquo sensu dividi potest, non quidem in essendo: nam nullum est contingens independens in essendo, sed in causando: Deus enim, quatenus libere operatur ad extra, potest dici contingens in operando; libertas enim est species contingentiæ, ut statim pluribus dicetur; & tamen Deus, qui contingenter hoc sensu operatur, etiam operatur independenter ab alio. Sed præter hanc divisionem, aliæ insuper divisiones contingentiæ adferendæ fuerint. 1. Dividitur contingens in complexum & incomplexum: illud est propositio, hoc ens aut causa contingens. 2. Contingens est vel absolute tale, vel secundum quid; quæ divisio non tam est contingentis in genere, quam contingentis in essendo, pura creaturæ: contingens secundum quid, est ens creatum, quod licet ratione dependentiæ à Deo ab extrinseco sit mutabile, & sic possit desinere, in se tamen & ab intrinseco non desinit, actione Dei extraordinaria, uti est Angelus: contingens absolute, est ens creatum, quod est simpliciter mutabile, atque ex se se potest desinere, nulla supposita actione Dei extraordinaria, uti est arbor, brutum, &c. 3. Contingentia est æqualis vel inæqualis, indefinita vel definita, intrinseca vel extrinseca: atque hæc est divisio contingentiæ non in genere, sed in causando: nempe, reperiuntur causæ quæ ex natura sua non sunt determinatæ ad unum effectum producendum, sed æqualiter se habent ad hunc vel illum effectum, adeoque respiciunt ex æquo & indefinite utramque partem vel contrarietatis vel contradictionis, ab his causis, qui effectus proficiscuntur, dicuntur contingentes, contingentia æquali, indefinita, intrinseca; talis causa contingens est Deus, Angelus, homo: aliæ vero sunt causæ, quæ definitas & determinatas agendi vires acceperunt, sed nonnunquam ab ordine præscripto recedunt, quia ab extrinseca causa alia impediuntur, unde fit, ut inæqualiter se se habeant ad effectus, & prout ex impedimento fuerint vel magis, vel minus aptæ, magis hunc, minus illum effectum producant: quod cum fit, existunt effectus contingentes, contingentia inæquali, definita, extrinseca: atque hæc contingentia in agendo in Deum non cadit, sed in solam creaturam. 4. A præcedenti divisione non multum abit Contingentiæ divisio in consultam & fortuitam; quarum illa convenit causis liberis & per se operantibus, dicitur-que libertas, hæc causis per accidens operantibus, vel liberis, & dicitur fortuna, vel necessariis, & dicitur casus. 5. Contingentia, non quælibet, sed complexa, est formalis & materialis. Formalis, est in enunciatione habente modum, *Contingens*. Materialis, est in enunciatione, cujus partes cohærent nexu dissolubili & contingenti: utraque est in hac enunciatione: Contingit hominem esse doctum. Prior tantum in hac: Contingit hominem esse animal: quæ enunciatio vera est ratione formæ, quatenus modus enunciandi est bonus, falsa ratione materiæ, quia enunciatio cum re non consentit. Posterior tantum est in hac: Homo

est doctus. De contingentia enunciationum formali agit *Arist. in lib. de Interp.* de materiali in *Topicis.* Atque hæ sunt potissimæ Contingentis & Contingentiæ divisiones.

III. Verumenimvero ex iis, quæ sunt dicta, scrupulus fortasse alicui oboriatur, an satis tuto dicatur Deus causa contingens & contingenter agere? Nam videtur de ratione causæ contingentis esse, ut sit mutabilis & impediri possit: præterea, sicut contingentia in essendo est propria passio & conditio entis creati, ita & contingentia in causando esse videtur. Sed respondemus, recte addi utrobique τὸ *Videtur*; aliud est videri, aliud rem ita esse. Ad 1. dicimus, Contingens in causando est, quod potest causare & non causare: quæ indifferentia interdum oritur ex intrinseca perfectione causæ, ut in Deo, & tum impediri non potest: interdum provenit ab imperfectione & limitatione causæ, secundum quam aliunde impediri potest: & hanc Deo non tribuimus. Ad 2. dicimus, quod contingentia in essendo solum conveniat enti creato: inde est, quod sit contingentia (ut sic loquar) passiva, quæ involvit imperfectionem: at contingentia in causando, quia est contingentia activa, nullam imperfectionem inducit. Atque ex his liquet nimis hic fuisse scrupulosos *Doct. Conimbric.* cum *l.* 8. *Phys. c.* 2. *q.* 5. *art.* 1. *resp. ad* 1. dicere non fuerunt ausi, *Deum agere contingenter, quod contingentia mutabilitatem & imperfectionem in operante innuat:* & maluerunt medium quoddam fingere inter necessarium & contingens, quod nullum est, cum sint membra immediate opposita.

IV. Sed hic nunc discutienda venit quæstio nobilissima, quænam sit radix, ratio & causa prima contingentiæ in causis secundis contingenter agentibus, an sit divina voluntas? An vero ipsa causa secunda? Respondemus, radicem, rationem, causam primam contingentiæ in causis secundis non esse ipsam defectibilitatem causæ secundæ, sed ipsam Dei voluntatem, quæ unicum, primum, & certissimum est omnis contingentiæ in rebus creatis fundamentum: nam quare creaturæ quædam habent potentiam contingenter operandi? Quia Deus voluit eas ita agere posse. Quare agunt contingenter? Quia Deus voluit illas sic agere. Quare suo tempore agunt alterutrum determinate? Quia Deus voluit eas hoc acturas quod agunt. Alioquin decreti & eventus non esset immutabilis, quæ tamen semper est, ἀμετάπτωτος· tantum igitur abest ut voluntas Dei decernens tollat rerum contingentiam, ut contra eam fundet ac statuminet. Nempe, quia Deus voluit effectus quosdam contingenter produci, ideo elegit & decrevit facere quasdam causas contingentes, à quibus producerentur isti effectus contingentes: nam alioqui sequeretur, si Deus non elegisset causas contingentes, & tamen effectus contingentes exisserent, quod effectus contingens esset præter voluntatem & intentionem Dei, quo nihil potest dici absurdius. Deinde, si effectus darentur contingentes, quorum tamen causas non elegisset contingentes Deus, sequeretur causam secundam & modificare & impedire posse causam primam, quod utrumque non minus est absurdum: itaq; nos reducimus omnium rerum contingentiam in Dei voluntatem ut causam, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter ut ex Patribus non nemo loquitur, & elegit effectibus contingentibus causas contingentes, necessariis necessarias, voluitque non tantum res esse quantum ad substantiam, sed quantum ad modum ipsarum, & causas secundas non tantum operari, sed operari tali vel tali modo.

V. Verum ut hoc negotium penitissimè intelligatur, notandum venit, dupliciter id intelligi posse, cum dicimus, Deum aut ejus voluntatem esse primam radicem contingentiæ; primo, quia omnis virtus causandi contingenter, quæ est in causis secundis, participatur à prima causa Deo, & consequenter, omnis contingentia effectuum in Deum ut in primam radicem refunditur; secundo, non quia tantum ab ipso pullulat & descendit omnis virtus & causalitas contingenter causandi, sed quia ab ipso est immediate omnis causatio contingens: quæ duo multum sunt distincta, quia prius dicit actum primum, posterius secundum. Prior sensus nullam habet difficultatem neque de eo usque adeo disputatur: posterior sensus plus habet difficultatis, magisque de eo disputa-

disputati solet. Atque hic sensus adhuc dupliciter sumi potest: nam causatio causæ secundæ contingens, considerari potest materialiter & adæquate secundum totam entitatem suam, secundum quam est & à Deo & à causa secunda immediate: nam supponimus nunc, quod est verissimum, esse unam eandemque indivisibilem actionem causæ primæ & secundæ concurrentium: vel potest causatio contingens causæ secundæ considerari formaliter & inadæquate, prout præcise est causa secunda, & ex propria ejus conditione ita operandi, ut possit non operari; prioti modo, supposita non tantum simultate sed & identitate aut unitate concursus Dei ac causæ secundæ, certum est Deum esse primam radicem contingentiæ, sicut certum est eum esse primam causam omnis actionis: non enim quia causa secunda agit, Deus agit, sed quia Deus agit, causa secunda agit: posteriori modo etiam Deum esse primam contingentiæ radicem sentiunt Thomistæ, ita ut causa secunda indifferens ad operandum opus habeat à Deo efficacissime præmoveri & prædeterminari ad operandum, utque causatio contingens, etiam ut est à causa secunda, resolvatur in efficaciam divinæ voluntatis & potentiæ prævia motione applicantis unamquamque causam ad operandum juxta exigentiam seu indigentiam naturæ ejus: alii vero negant hanc præmotionem seu prædeterminationem causæ secundæ à prima, & ajunt causas secundas à seipsis vel à circumstantiis determinari ad exercitium actus, atque ita proximam radicem contingentiæ effectuum procedentium à causis secundis esse in ipsis causis secundis. Sed nos cum Thomistis facimus, & sententia nostra satis explicata est in hoc negotio disputationibus ante de concursu habitis.

VI. Solet hic adhuc alia quæstio moveri, Utrum, si Deus ageret necessario, effectus nihilominus darentur in rerum natura contingentes? Resp. 1. hypothesin esse impossibilem: quia Deus non modo non agit ad extra ex necessitate naturæ, sed ne quidem sic agere potest, quia modus ille operandi derogat summæ ejus perfectioni: imperfectionis enim est, naturam intellectualem esse determinatam ad unum: nihilominus quia familiare est Philosophis, positis etiam quibusdam hypothesibus impossibilibus, inquirere, quid sit futurum vel non. Dicimus 2. si prima causa ageret necessario ad extra, sublatum iri contingentiam in rebus creatis: nam ex ratione causæ primæ fit, ut secundæ nihil possint agere nisi motæ à prima: si jam prima agat ex necessitate naturæ, influet in secundam influxu potentissimo, prout aliæ causæ agentes ex necessitate naturæ agunt quantum possunt: si prima causa agens necessario, influat potentissime in secundam, determinabit eam ad unum, & sic contingentiam agendi atque indifferentiam tollet. Porro, si prima causa necessario causat, necessario se habebit influendo respectu causæ secundæ: Illa esto B: igitur B necessario movetur à prima causa A: at B eodem modo, quo movetur à prima causa A, movet proximam sibi causam C, & C movebit D: & sic in omnibus causis procedendo nihil contingenter movebitur aut causabit, si Deus prima causa necessario causat aut agit.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, DECIMÆ-NONÆ, PARS PRIOR.

CONTRA POSSIBILEM MUNDI ÆTERNITATEM.

THESIS I.

VEtus est *Aristotelis*, *Averrois*, *Procli*, aliorumque ex Ethnicis *de æterna mundi existentia* error, quem, quia ex sacris literis melius non fuerunt edocti, iis condonamus libenter: sed inter Christianos Philosophos, Mundi creationem in tempore ex Dei verbo edoctos, nova exorta est lis, *de possibili mundi æternitate*: & quæsitum à multis jam est

sæculis, *an Mundus ab æterno effici à Deo potuerit.* Atque hic quidem variæ sunt sententiæ, nonnullis asserentibus, Mundum quoad omnes creaturas ab æterno effici potuisse: aliis æternitatem possibilem ad res tantum incorruptibiles restringentibus: nullam in mundo creaturam, nec corruptibilem nec incorruptibilem, ab æterno effici potuisse, statuentibus. Et solet hæc quæstio sub hisce terminis ventilari in Philosophorum Scholis, *sitne de ratione creationis novitas essendi?* quæ quæstio eundem cum hac habet sensum, *possitne mundus aut quippiam creari ab æterno.* Ac sententia communior apud Modernos est, quod non sit de ratione creationis novitas essendi, quæ negativa sic vertitur in affirmativam, quod mundus ab æterno creari potuerit. Citant pro hac sententia *Conimb. l. 8. Phys. c. 2. quæstion. 7. artic. 2. & Masius in l. 8. Phys. quæstion. 8. Thom. 1. part. quæst. 46. artic. 2. & ibi Cajetanum, 2. contra gentes, & ibi Ferrarien. Durandum Argentinatem, Gregorium, Ochamum, Bielem, Capreolum, Ægidium, Hervæum,* aliosque ex Scholasticis antiquioribus: sequitur eam *Suarez. in Met. Disp* 20. cum ejus exscriptoribus *Scheibl. l. 2. Met. c. 3. punct. 6. Martin. in Metaph. partit. l. 1. sect. 11. quæst. 4. Iacch. Metaph. Instit. l. 3. c. 8.* Vid. etiam *Pererium Phys. l. 15. cap. 12.* & omnes *in 8. l. Phys. Arist.* commentatores, hodie receptos passim in scholis. Sed enim nominum splendore oculos nostros perstringi non patimur: nos contra omnes asserimus hanc affirmativam: *est de ratione creationis novitas essendi:* & hanc negativam: *Mundus ab æterno creari non potuit.* Ratio primaria pro Adversariis, omniumque rationum quasi farrago est, quia ostenditur, non implicari contradictionem, nec ex parte Dei creantis, nec ex parte creationis, nec ex parte creaturæ, si statuatur mundus aut aliquid ab æterno creari potuisse: nam ut *Masius cit. loc. annot. 1.* monet, idem est dicere, creaturam ab æterno potuisse & non potuisse produci, quod implicare contradictionem & non implicare contradictionem: nam si non implicat, fieri potuit: si implicat, fieri non potuit. Atque hanc rationem *Conimbric.* vocant *talem, qua multarum vim habet. Pererius* loc. cit. ait in margine, *Pulcherrimam* esse *argumentationem*, sed vero quam nullam habeat vim & quam sit misella, turpis, tantisque Philosophis indigna ratio, nunc ostensum imus, at *Pererii* quidem (quia unus ex iis est sequendus) vestigia prememus, qui tamen eadem plane habet cum cæteris.

II. Sic argumentatur cum *Sociis Pererius. Si impossibile est creaturam produci ab æterno,* id est, si creatura ab æterno produci non potuit (qui controversiæ est status) *ista impossibilitas provenit, vel ex parte creatoris, vel ex parte creationis, vel ex parte creaturæ. Sed nihil horum vere impossibilitatem importat. Ergo non est impossibile &c.* Negamus Pererio minorem, & ex triplici fundamento, quod ponit, impossibilitatem creationis æternæ derivamus, & ratione creatoris, & ratione creationis, & ratione creaturæ. Probat Pererius suam minorem, & orditur à primo membro. §. 1. *Ex parte Dei producentis tripliciter provenire potest impossibilitas; vel quia putatur nullum productum coævum esse posse suo producenti; vel quia producens liberum, cum agat ex electione, existimatur præcedere aliqua duratione suum effectum; vel quia, si creatura coæterna esse posset creatori, creator in aliquo, nimirum duratione, non esset superior, major, atque præstantior, quam creatura. Sed nullum horum trium tollit possibilem mundi aut creaturæ æternitatem. Ergo non est illa impossibilis ex parte creatoris Dei.* Negamus iterum minorem *Pererio*, & contra dicimus ex triplici isto capite, impossibile esse ratione Dei creatoris, ut mundus aut creatura ab æterno produci possit, tum quia Deus non potest producere aliquid sibi coæternum, tum quia agit ex electione, ideoque inter effectum & electionem aliquam durationem oportet intercedere, tum quia creator adæquaretur creaturæ. Pergit *Pererius:* quod primum caput ex parte Dei non tollat possibilitatem æternæ mundi productionis, probat hac instantia. *Quia*, inquit, *in divina Trinitate Pater vere producit Filium, cum tamen credamus Filium esse coæternum Patri.* Sed vero hæc instantia *Pererii* ac *sociorum* promit

ac

ac prodit impietatem ac blasphemiam, eosque transfugas facit in castra Arrii, Photini, Socini. Quis illum & illos docuit sic argumentari, à productione æterna Filii ad productionem æternam mundi? profecto si quid hac instantia probari volunt, oportet statuant, Filium Dei à Patre produci tanquam creaturam (quod redolet istorum hæreticorum hæreses) ut sit paritas in argumento: nam mundus creatura est: si ergo potuit ab æterno creari mundus, quia potuit ab æterno produci Filius, aut Filium Dei oportet produci ut creaturam, sicut est mundus, aut mundum, ut Deum, sicut est Filius Dei: alioqui non procedit argumentum. Sed vero ponamus ob oculos *pulcherrimæ* hujus argumentationis *vim* (de qua tam gloriantur) plane nullam. Productio Filii Dei est opus ad intra, manens in essentia & substantia Deitatis & æternitatis, inde sequitur Filium Dei esse cum Patre unum: creatio verò mundi, productio creaturæ est opus ad extra, non manens in Deo, sed transiens extra Deum ad creaturas, quæ non sunt unum cum Deo cum creatore suo: itaque insignis hic est elenchus parium. De quâ unquam creaturâ dixit Deus, quod de Filio dicit, *Ego hodie genui te.* Filius, ab æterno producitur Patri consubstantialis. Ergo mundus etiam, ab æterno si produci posset, consubstantialis Deo foret? Filius Patri per omnia est coæqualis; Creatura immenso & infinito intervallo à creatore est remota. Quare ineptum est, imo impium, quod sic argumentetur *Pererius*, cum assumit, non repugnare à parte Dei, ut mundum, aut creaturam, aut aliquid possit producere sibi coæternum, quia produxerit Filium, qui sit sibi coæternus: & disparitatem jam indicavimus: imo si hæc argumentatio valeat, sequitur non tantum mundum potuisse ab æterno produci, sed de facto ac vere esse ab æterno productum, sicut de facto & *vere Filium produxit Pater*, ut ipse testatur *Pererius*. Nunc aliam instantiam profert, ut probet productum posse esse coævum suo producenti. Pergit: *Philosophi*, inquit, *concedunt in rebus naturalibus inveniri aliquas causas efficientes, quæ simul sint cum effectis: & D. Augustinus ostendere volens hæc duo non pugnare inter se, ut nimirum Filius Dei sit coæternus ei, in 6. lib. de Trinit. 1. declarat hoc exemplo; Splendor qui gignitur ab igne atque diffunditur, coævus est igni, & esset ei coæternus, si ignis esset æternus.* Sed vero hæc non inserviunt roborandæ instantiæ *Pererianæ*. *Augustini* simile illud est dissimile & productioni æternæ Filii Dei, & productioni mundi. Filii Dei productio est supernaturalis: splendoris ab igne productio naturalis: mundus productione transit extra Deum producentem, splendor, qui producitur ab igne, non abit extra ignem. Quis dicat splendorem esse creaturam ignis aut opus ad extra, quod requiritur, ut argumentum probet? si splendor creatura ignis foret, aut, ut rectius loquamur, si se haberet ad ignem, ut se habet creatura ad Deum, certe extra ignem egrederetur & esset quid diversum ab igne, sicut creatura exit à creatore, estque aliquid diversum ab eo: & sic simul profecto non essent, sed ignis esset ante splendorem, ut creator est ante creaturam. Porro, quid si splendorem esse efficiens ignis negemus? quid si ejus dicamus esse adjunctum concreatum? uti lux est adjunctum solis concreatum: certe, nec splendor ignis, nec lux solis est effectum, tanquam causæ procreantis (quæ proprie est effectum) sed si effectum sunt utriusque, sunt effectum utriusque tanquam causæ conservantis, quæ apud multos nomen causæ efficientis amisit, & refertur ad subjectum ab iis sicuti ejus effectum reducitur ad adjunctum: At mundus à Deo est, ut à procreante, etiam quidem ut à conservante, sed non ut à conservante tantum, sicut hoc modo tantum est ab igne splendor, à sole lux: rem facere lucidam aut splendidam sunt effecta à sole & egredientia & procreata, sed quæ cum sole & igne non essent ab æterno simul, utcunque sol & ignis ponerentur esse ab æterno, quia effectum esse ab aliquo extra efficientem causam productum & simul in eodem momento esse cum causa, impossibile est: quæ simul atque sunt, simul sunt, sicut ignis & splendor, sol & lux, ea non tanquam causa procreans & effectus à se invicem dependent, sed vel tanquam causa conservans & effectus, vel tanquam duo effecta procreata à causa

superiori procreante. Denique, quod supponit *Pererius*, *si ignis æternus esset, splendorem ejus pariter fore æternum*, age verum esto ex suppositione. Sed enim de illo ipso antecedente quæstio est, An ignis ab æterno esse possit, an mundus aut ulla creatura ab æterno esse aut produci potuerit?

III. Videamus, an secundum membri primi Minoris ex parte Dei caput non tollat impossibilitatem æternæ mundi productionis: Secundum caput est. Quod Deus sit agens liberum ex electione, ideoque ante effectum, & sic effectum, mundus non potest Deo esse coæternus. Hoc non tollit possibilem mundi æternitatem, inquit *Pererius*, & pergit. *Quia Deus, cum sit infinitæ virtutis, non est minoris potentiæ, cum agit libere, quam cum agit necessario: sed si ex necessitate naturæ ageret, produxisset mundum ab æterno*; quia est ab æterno. *Ergo quod agat libere, id non obstat, quo minus potuerit mundum producere ab æterno.* Sed ad hæc respondemus tali modo: Deum non esse impotentiorem, cum agit libere, quam cum agit necessario, verum est, non tamen inde sequitur, Deum omnia posse ad extra, cum agit libere, quæ potest ad intra, cum agit necessario: quia, cum agit ad intra, potest omnia quæ natura divina necessario exigit; cum agit ad extra, potest quantum vult: intercedit enim in actionibus ad extra voluntas: ergo, quia Deus non vult, ut mundus producatur ab æterno, nec mundum ab æterno producere potuit: sed vero amplius; si maxime Deus ageret ex naturæ necessitate, & non tamen Mundus in uno primo momento cum Deo simul esse posset, quia effectui proprie sic dicto, quatenus effectus est, id est, quatenus est à causa procreante, repugnat simul esse cum causa, hoc modo, sive causa procreans agat ex necessitate naturæ, sive ex voluntatis libertate: non igitur impotentiæ est aut minoris potentiæ, non potuisse Mundum ab æterno producere, quia contradictorium est & impossibile intellectu, effectum esse & quidem creatum ac procreatum, & creatori seu causæ procreanti esse coæternum. Sed & aliam ob causam hæc ratio inepta est. Arguit sic *Pererius*. *Si Deus ageret ex necessitate naturæ, mundum utiq; ab æterno produxisset: Ergo cum libere agit, non minus potuit eum producere ab æterno.* Rationem consequentiæ reddit: *quia non minoris est potentiæ liberè agens quam agens necessario.* Verum si in hunc modum fas est *Pererio* arguere, pariter & nobis licebit sic argumentari. Si Deus ageret ex necessitate naturæ, ita mundum creasset, ut creationem ejus semper necessario continuasset. Ergo & libere agens ita potuit mundum creare, ut creationem ejus necessario semper continuaret. Ratio consequentiæ eadem est, quam illi adferunt. Atqui absurdum est consequens, esse nimirum agens liberum, & necessario actionem continuare: nec tamen quispiam tam est ineptus, ut impotentiæ Deum arguat, ideo quod libere agens actionem necessario non continuat, aut quod saltem potest non necessario continuare, quam tamen necessario continuaret, si ex necessitate ageret: itaque, si maxime concederemus, effectum cum causa necessario agente posse esse simul in eodem primo existentiæ momento, negaremus tamen minoris potentiæ Deum dici debere, si ex necessitate naturæ agens faceret, quod libere agens facere non posset: quia illud non Dei impotentiæ, sed contradictioni imputandum esset, quod libere agens eodem modo & momento extra se agere non potest, quo ageret, si ex necessitate naturæ ageret. Sed habet secundam instantiam & exceptionem *Pererius*, sic loquitur. *Præterea agens ex electione tunc successive agit, & tempore anteit effectum, cum electio non est actus voluntatis simplex & totus simul, sed prærequirit deliberationem, quæ propter discursum rationis ei adjunctum fit successive, sicut cernimus in homine: at electio Dei, non secus ac ejus intellectio, est actus simplicissimus, voluntatis divinæ, totus simul, Deo coæternus: non igitur, quod Deus libere & ex electione agat, id obstat, quo minus potuerit ab eo produci mundus ab æterno.* Respondemus 1. ex illo Pererii discursu non tantum sequi, mundum ab æterno esse posse, sed etiam esse: si enim creatio sit actus voluntatis & electionis divinæ, & actus voluntatis & electionis divinæ sit Deo coæternus, & creatio erit Deo coæterna; quidni igitur & res creata, per creationem à Deo producta, fuerit Deo coæterna. Verum

Verum 2. respondemus directe, sive electionis actus sit simplex & momentaneus, ac totus simul, sive sit successivus, nihilominus inter eum & effectum ad extra mora intercedit: nam omne agens per electionem & voluntatis libertatem, qualiscunque tandem sit electio effectu suo est prius: nam si Deus ex electione & libere mundum produxit, ergo mundus potuit non produci: si potuit non produci, vel in eo ipso instanti, in quo productus est, vel ante, vel post: non in eo ipso instanti, quia omne quod est, eo ipso quo est, non potest non esse: non post, quia semel productum necessario est productum. Ergo ante: si ante, ergo prius fuerit Deus, qui eligit isto momento mundum producere, quo produxit, & non ante: nam si ante voluisset, potuisset ante produxisse: at nec velle nec producere ante potuisset: nisi ante extitisset. Ergo inter Deum eligentem producere mundum isthoc momento, & ipsum mundum productum mora fuit, & non fuit simultas existentiæ, sed electio mundi producendi in Deo extitit ab æterno, productio ejusdem in tempore. Pergit *Pererius*. *Adde*, inquit, *quod Deus agat per suam voluntatem: in Deo autem non est majus velle quam posse: potuit autem Deus velle producere mundum ab æterno, ergo potuit etiam producere*. Ad id dicimus quod Deus nec potuit producere mundum ab æterno, nec potuit velle, nec potuit posse velle vel producere, quia nec vult, nec potest, nec velle potest Deus, sibi contraria & quæ contradictionem implicant: at mundum esse & produci Deo coæternum, Dei naturæ est contrarium, cui proprium est & incommunicabile attributum æternitas, & contradictionem involvit, quod jam ex parte ostensum est, & ulterius ostendetur parte hujus disputationis posteriori, in qua primi membri minoris probandæ caput tertium & ejusdem duo membra reliqua ex *Pererio* examinabimus, quod propter chartæ angustiam facere nunc non licet.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, DECIMÆ-NONÆ, PARS POSTERIOR.

CONTRA

POSSIBILEM MUNDI ÆTERNITATEM.

THESIS I.

PRotulimus parte priore hujus disputationis ex *Pererio Phys. suæ lib. 15. c. 12.* pro possibili æternitate Mundi hoc argumentum. *Si mundus ab æterno fieri non posset, vel impossibilitas ista est ex parte creatoris, vel ex parte creationis, vel ex parte creaturæ; Sed nihil istorum dici potest.* E. Respondemus omnia simul & singula facere hanc impossibilitatem. *Ex parte creatoris* non esse impossibile probavit, quia hoc ideo foret, *vel quod Deus non posset sibi coæternum producere, vel quod egerit libere in producendo, vel quod creatura tum creatori par esse posset in duratione. At nihil istorum impedit.* E. Resp. singula impedire: atque id impossibile esse, quia Deus non possit sibi coæternum producere, & quia in creando egerit libere, disputatione præcedenti est ostensum, nunc pariter *id impossibile esse ostendemus, quia creatura tum creatori par foret duratione.* Ad id excipit *Pererius* hisce verbis. *Nec illud dici potest vere, si creatura sit æterna, eam aliqua re fore parem Deo: nam quamvis ponatur creatura coæterna Deo, non tamen continuo ponitur ei æqualis in duratione, sed multo inferior.* Resp. Quid hoc est dicere? cum mundus ponitur coæternus Deo, non tamen ponitur ei æqualis in duratione, sed longe inferior: idem est, ac si diceret *Pererius*, cum Mundus ponitur coæternus Deo, non tamen ponitur coæternus. Quid est insanire

cum

cum ratione, si hoc non est? Certe, quicquid durationè est inferius æterno, eique par aut æquale non est, æternum non est: & sive brevi sive longo duret tempore, novum est & in tempore factum, non æternum aut ab æterno. Sed videamus quomodo probet *Pererius* id quod dicit: sic pergit. *Æternitas enim Dei est omnino necessaria, quia Deus non potest non esse æternus, creatura vero potest esse & non esse æterna: deinde æternitas creaturæ est ab alio per participationem, æternitas Dei est à se per essentiam.* Resp. contradicentia hic dici à *Pererio:* æternum esse & necessarium non esse contradicunt: omne enim æternum est necessarium: nam æternum est, quod semper est, semper fuit: quod necessarium non est, non semper est, nec semper fuit: nam necessarium est, quod non potest non esse; consequenter, quod semper est: ergo non necessarium, quod potest non esse, consequenter, aliquando non est: concludo itaque, quod necessarium non est, non est æternum, & per conversionem à contrapositione, quod æternum est, est necessarium: deinde æternum esse, & per participationem ab alio esse, tanquam à causa sc. quomodo Mundus est à Deo, contradicunt: nam nullum factum est æternum: at quod est ab alio per participationem, tanquam à causa sc. est factum. Ergo nullum, quod ab alio est per participationem, est æternum. Major sic probatur. Quod factum est, fieri desiit; quod fieri desiit, aliquando fuit in fieri; quod in fieri est, nondum est: ergo quod factum est, aliquando non fuit; quod aliquando non fuit, non est æternum: hinc infero; Quod aliquando non fuit, non est æternum: Quod factum est, aliquando non fuit: Ergo, quod factum est, non est æternum.

II. Nunc postquam infeliciter *Pererium* probasse ostendimus, possibilem Mundi æternitatem, ex parte creatoris, quod erat primum membrum probandæ Minoris, nunc videamus, an felicius probet eam, ex parte creationis & creaturæ, quod secundum erat tertiumque Assumtionis membrum: sic pergit *Pererius*, probaturus non repugnare ex parte creationis, quo minus ab æterno fieri posse dicatur Mundus. *Ex parte*, inquit, *creationis existimari posset æternitatem repugnare creaturæ, duas ob causas: tum quia creatio significare videtur actionem aliquam, quæ, cum non fiat in æternitate, fieri debet in aliquo instanti: at in duratione æterna non potest assignari unum aliquod instans primum: tum etiam, quoniam creatio dicitur ex nihilo productio, quare oportet creaturam prius fuisse nihil, deinde accepisse per creationem ipsum esse: sed neutra harum causarum tollit possibilitatem æternitatis in creatura: non quidem prior; cum enim Mundus creari ab æterno ponitur, hic nomen creationis non significat actionem aliquam à Deo proficiscentem ad creaturas, sed tantum significat habitudinem Mundi ad Deum tanquam ad suum principium, à quo ipsius esse dependet: quemadmodum in Deo cum dicitur Filius produci à Patre, nomine productionis non significatur actio aliqua media inter Patrem & Filium, sed illud tantum significatur, Filium non habere esse à se, sed à Patre: sicut etiam cum dicitur τὸ esse risibile, procedere & manare ab homine, non significatur media quædam actio, per quam risibile producatur ab homine, sed tantum dependentia risibilis ab homine tanquam intrinseco ejus principio: neque vero posterior causa probabilior est; etenim cum dicitur creatio fieri ex nihilo, non significatur ordo aliquis ipsius esse post non esse, vel transitus à non esse ad esse, sed tantum significatur negatio materiæ vel subjecti; ut fieri ex nihilo non sit aliud, quam non fieri ex aliquo subjecto vel materia, & hæc quadrat in quamlibet creaturam etiam æternam.* Hactenus *Pererius*, cujus discursus exactiori trutina venit expendendus. *Creatio*, inquit, *est mera habitudo Mundi ad Deum, tanquam ad suum principium à quo manat, sicuti & productio Filii, non vero actus à Deo ad creaturas proficiscens.* Sed vero, nos homines non possumus alio modo, id, quo Deus res omnes produxit ex nihilo, apprehendere, quam actionis notione. Quid fabricatio est nisi actio à fabro profecta ad producendam domum? similiter & creationem concipimus in ordine ad Mundum: dicimus, *similiter*, quia novimus, creationem non esse actionem sic proprie dictam, ut est fabricatio, calefactio, &c. quæ directe in prædicamento actionis collocantur: sed ἀναλόγως tamen huc eam

eam referimus: & à nullo, quod sciam, aliter explicatur productio operum Dei ad extra, quam per actionem: quod de respectu aut habitudine adjicit *Pererius*, illud libenter accipimus: nam creatio optime dicitur habitudo creaturæ ad creatorem, respectus effecti ad causam, sed non est eo minus actio dicenda: imo illa relatio creaturæ ad creatorem in actione creativa fundatur: quod vero istam habirudinem explicet per habitudinem Filii à Patre geniti, & ei similem faciat, in eo impius est *Pererius* & profanus, ut disp. præced. est ostensum: sed vero, ut hic obiter, quid sit creatio, dicam: sciendum est eam vocem tria significare, 1. actum creantis, quæ vulgo creatio activa dicitur: 2. actum creati, quæ vulgo creatio passiva vocatur: 3. relationem ex creatione activa & passiva resultantem inter id quod creatur & quod creat: sicut & nomina omnia actionem significantia, significant & passionem, & relationem important: unde & prædicamentum actionis & passionis, & quatuor reliqua, rantum respectus rerum continere dicuntur: Significatio tamen creationis, ut notat relationem, multum est diversa ab utraque priori significatione; nempe, qua ratione vulgo relatio dicitur differre à fundamento, eadem ratione differt creatio relative accepta ab illius relationis fundamento, ab actione, qua quis creat, & passione, qua quid creatur: & tamen hæc tria eodem nomine creationis veniunt: itaque potest hoc dari *Pererio*, ut creationem explicet per habitudinem, respectum, relationem, sed si in eo τὸ formale creationis collocet, errat: nam hæc habitudo apprehenditur ut aliquid resultans ex positione creatoris & creaturæ, aut melius, ex positione creationis activæ & passivæ, adeoque est quoddam consequens & rarione saltem posterius illis: at formalis ratio creationis, est illa, quæ intelligitur in ea esse omnium prima: at hæc est, quæ dicit actum creanris. Pergit *Pererius*, & dicit, *ex nihilo fieri, non significare ordinem ipsius esse post non esse, sed tantum negationem materiæ.* At vero, contrarium est verum: quando aliquid producitur per creationem, non tantum ex nihilo materiæ seu subjecti producitur, sed etiam producitur aliquid, quod ante fuit nihil quod ante non fuit: nam cum non possit idem simul esse nihil & aliquid, oportet ut aliquid esse & nihil esse mutuo consequantur: itaque, quæ ex nihilo fiunt aliquid, dicunt consecutionem & esse post non esse; at quæ creantur, ex nihilo fiunt aliquid: Ergo creatio non tantum infert independentiam à subjecto, non tantum negat materiam, non tantum dicit nihilum subjecti, sed & dicit τὸ nihilum termini, ut res creata aliquando nihil fuerit, & post illud nihil factum sit aliquid; & sic infertur successio entis post ens: & hoc est quod nonnulli sic efferunt, de ratione creationis est novitas essendi. Operæ pretium erit hic apponere contra *Pererium* alterius Jesuitæ socii sui *Vasquesii* discursum ex *quæst. Metaph. disp.* 24. *c.* 3. ubi sic discurrit. *Est creatio productio alicujus ex nihilo, non quia nihilum sit veluti materia aut aliquid pertinens ad constitutionem rei productæ, sed quia sit terminus à quo productionis: perinde autem est, rem ex nihilo tanquam ex termino à quo produci, atque nihil præexistere ante productionem, quod ad constitutionem illius rei quodammodo pertineat, vel quod idem est, atque rem fieri secundum se totam: nam quando aliquid rei præcessit, & ea productione non fit, non est creatio, eo quod illa res non ex nihilo sed ex aliquo fiat, sive illud sit forma, sive materia: res enim dicitur fieri ex omni eo, ex quo constituitur: quare si præcedat forma rei, dicitur ex ea fieri, non ex nihilo: propterea creatio dici consuevit productio entis in quantum ens, hoc est, secundum totam rationem ejus, quod producitur &c.*

III. Nunc tertium probandæ Minoris syllogismi principalis membrum excutiamus, in quo ex parte creaturæ non impossibilem esse Mundi æternitatem *Pererius* probare conatur: sic ratiocinatur. *Ex parte creaturæ videri posset ei repugnare æternitas, vel quia communiter dicitur creaturæ ex se convenire, non esse; aut igitur creaturæ convenit non esse post esse ipsius; at multæ creaturæ sunt incorruptibiles, quæ nunquam amittent esse; aut non esse conveniet simul cum esse; at hoc implicat contradictionem: aut denique conveniet ipsi non esse, priusquam adveniet ei ipsum esse.* Resp. hoc postremo sensu phrasin istam admittimus, &

tali quoque sensu à Philosophis sumi solet: omni enim creaturæ competit non esse ante esse, quia omnis creatura ex non ente fit ens, ut statim est ostensum ex definitione creationis: jam vero hæc propositio firma est: Quod ex non ente fit ens, ei competit non esse ante esse: at creatura ex non ente fit ens. Ergo. Pergit *Pererius*. *Ergo non potest creatura semper & ab æterno fuisse, sed oportet aliquando non habuisse esse.* Resp. hoc ipsum est, quod volumus, quod asserimus. Persequitur suum discursum *Pererius*. *Vel repugnat æternitas creaturæ, quia creatura dicitur habere esse participatum & acquisitum à Deo; at si creatura fuisset ab æterno, semper habuisset esse, neque assignari posset in illa æternitate quando illud esse acquisiverit & acceperit à Deo.* Resp. & hæc ratio pro nobis facit ac solida est: repugnat enim æternitati, ut aliquid aut habeat aut habere possit esse ab alio, quod in fine *th.* 1. hujus *disp.* satis est ostensum. Pergit *Pererius: Sed neutrum multum valet ad evertendam æternitatem creaturæ; nam cum dicitur, quod creaturæ ex se convenit non esse, non significatur, quod ea debuerit prius non esse, sed quod ex se non habet esse, & sibi soli à Deo derelicta, confestim in nihilum recideret.* Resp. hæc gratis dici à *Pererio* & non probari: nos hic provocamus ad omnium Philosophorum judicia, ut judicent, an hæc phrasis, *creaturæ convenit ex se non esse*, tantum significet, quod creatura ex se non habeat esse, quod vult *Pererius*, ac non potius, quod creatura habeat non esse ante esse, quod nos volumus, & ex vi vocis, & *creaturæ* & *creationis*, jam probatum dedimus: nihil igitur huc faciunt *Pereriana*, quæ sequuntur: *Quare illud non esse convenit ei*, sc. creaturæ, *tunc etiam cum habet esse, quia tunc verum est dicere, creaturam non esse à se, sed à Deo, in quo vivimus, movemur, & sumus. Hoc etiam significatur, cum dicitur creaturam habere esse acquisitum, & acceptum à Deo, hoc est, dependens à Deo.* Hæc omnia sunt plane ἀπροσδιόνυσα, neque is est sensus istius phraseos, *creatura ex se convenit non esse*, quem *Pererius* fingit ac supponit: deinde, si esset, probet hæc duo simul stare, quod creatura habeat esse acquisitum & sic ex se non sit, & quod simul possit esse æterna: quod nisi fecerit, nihil præstiterit: nos contrarium jam demonstratum dedimus: si quis pro *Pererio* dicat, rem, quæ habet esse acquisitum, posse esse æternam æternitate arbitraria, non autem ea, quæ est absolute necessaria & immutabilis, is ostendat, posse aliquid esse æternum, & simul non necessarium, non immutabile: nos contra, quicquid æternum est, esse necessarium & immutabile, pronunciamus: quia quicquid caret principio & fine, id non potest non esse, & non potest mutari quoad existentiam: hoc est, necessarium & immutabile: at quod est æternum, caret principio & fine. Ergo. Cadit itaque æternitas arbitraria. Quod non tantum contra *Pererium* & socios in hac quæstione, sed & contra solidissimum alias Theol. *D. Franc. Gomarum*, observatum volumus, qui in gravissima quæstione, *an decretum Dei sit Deus*, hac ficta æternitatis distinctione sese expedit. Postquam enim pro sua sententia (quæ nobis tamen falsa censetur) proposuisset tritum hoc argumentum, *Disp. 9. de æterno Dei decreto*, in tertia parte operum Theol. *Deus est ens absolute necessarium. Decretum Dei non est ens absolute necessarium. Ergo.* subjungit: *Ex quibus clarissimum æternitatis Dei & decreti discrimen elucet: nam ut Dei existentia, sic æternitas ejusdem absolute necessaria est: contra vero, ut decreti existentia à causa liberrime agente dependet, sic ejusdem æternitas mere arbitraria est ut quæ sic est, ut non esse potuerit:* quæ verba excidisse tanto & tam profundæ ac subactæ eruditionis Theologo, equidem miror. Quid? an Deus ergo potuit esse sine decreto seu actu decernendi, qui purissimus est actus? sed hæc alias refutanda erunt. Nobis sufficit, ostendisse, Achilleum hoc *Pererii* aliorumque argumentum, tribus pro possibili æternitate Mundi cornibus instructum, elumbe plane esse ac nullum; quod tanto prolixius egimus, quia nonnulli etiam ex Orthodoxis Philosophis aliquam huic argumento vim inesse existimarunt atque existimant.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

VIGESIMA.

DE

SCIENTIÆ DIVINÆ IMMUTABILITATE.

THESIS I.

VIsa multis est inexplicabilis difficultas, *quomodo variatis ac mutatis rebus, quæ sciuntur à Deo, non varietur, non mutetur, ipsa Dei scientia:* imo usque adeo hæc res turpit nonnullorum ingenia, ut multarum rerum scientiam Deo denegaverint nonnulli, alii conjecturalem tantum illarum notitiam ei adscripserint: nempe, scient isti homines Dei scientiam metiri intellectus sui decempeda, & ad instar scientiæ nostræ concipere. Quare operæ judicavi pretium, ut hoc argumentum diligenter ventilaretur ac discuteretur. Hoc igitur est, quod quæritur: *Vtrum scientia Dei sit omnino invariabilis & immutabilis, ita ut nec augeri nec imminui possit?* Non referam multorum hic aut Philosophorum aut Scholasticorum sententias: neque enim hoc nostri est moris; sed quod res est, dicam, confirmabo, & adversariorum exceptiones atque objectiones refutabo.

II. Non immorabor in scientia divina describenda, nec in ea, licet in se simplicissima, ratione tamen objectorum dividenda, sed ejus descriptionem & partitionem præsupponam. Ut quæstio proposita tanto felicius decidatur, certa ab incertis sunt distinguenda: *Scientia Dei* considerari potest, vel *ut est res eadem cum essentia* Dei, & sic *est invariabilis atque immutabilis*, æque atque essentia divina, quam omnis variationis & mutationis experrem esse nunc supponimus, & demonstratum est satis ab *Aquin. part.* 1. *Summ. Theol. quæst.* 9. vel potest spectari scientia Dei, sub propria ratione scientiæ, sub qua respicit eas res quæ sciuntur quocunque modo, in ordine (ut loquuntur Scholastici) ad scibilia: & sic scientia Dei distinguitur in scientiam simplicis intelligentiæ & in scientiam visionis: huic subjiciunt res in certa temporis differentia, quæ vel sunt, vel fuerunt, vel erunt, illi subjiciunt omnia, quæ in cogitationem aut cognitionem mentis divinæ cadere possunt, id est, quibus non repugnat, sciri aut cognosci, sive sit ipse Deus, qui semet cognoscit, sive sint possibilia, id est, quæ neque actu existunt, neque extiterunt, neque ut sint extitura certo sunt definita, sed quæ existere tamen possunt, sive sint impossibilia, id est, quæ existere nequeunt, ut contradictoria. Quod si loquamur de *scientia simplicis intelligentiæ*, certissimum est, quod illa sit *invariabilis* omnino *atque immutabilis*, neque augeri possit, neque minui: nam si per eam Deus novit omnia, quæ ab ipso cognosci possunt, se, alia extra se, possibilia, impossibilia, certe nihil potest esse quod non cognoverit: itaque non potest per hanc scientiam Deus scire plura vel pauciora quam scivit, neque aliquid de novo scire, quod prius non cognoverit, quia per eam novit, quicquid cognosci potest. Tota ergo difficultas est de *scientia visionis, an illa possit augeri vel minui?* Hanc difficultatem ut dirimamus, notandum venit, quod possimus loqui de scientia visionis dupliciter, vel in sensu composito, vel in sensu diviso. Si loquamur de scientia visionis in sensu composito, omnino illa quoque est invariabilis & immutabilis, expers omnis incrementi & decrementi: supposito enim, quod Deus ab æterno tot & talia producere statuerit ac decreverit, & non plura, non pauciora, non potest augeri illa scientia, qua cognoscit à se decreta & statuta, quæ visionis est: quia, supposita determinatione divina non possunt plura nec pauciora fieri, & per consequens, nec Deus potest pauciora nec plura scire, quia divina decreti determi-

terminatio nec variari nec mutari potest.

III. Verum, ut hoc totum negotium clarissime percipiatur simul ac probetur, observandum est, quod dupliciter possit aliqua scientia variari: uno modo ex parte tei cognitæ, altero ex patte cognoscentis. Ex parte rei cognitæ vatiatur scientia secundum veritatem & falsitatem, quando eodem judicio & eadem opinione manente res ipsa mutatut, tum judicium illud erit falsum, quod prius erat verum: ut Petro currente, hoc judicium est verum, Petrus currit, &, illo non currente est falsum. Ex parte cognoscentis, tripliciter potest variari scientia: primo modo, quoad scientiam ipsam: secundo, quoad modum sciendi: tertio, quoad actum sciendi. 1. Quoad scientiam ipsam variatio incidir in cognoscente, quando vel de novo acquiritur, vel deperditur scientia alicujus objecti: ubi tum est vel incrementum vel decrementum scientiæ, quantum ad extensionem scibilium: nam scientia, quæ ad plura objecta se extendit, augetur: quæ ad pauciora, diminuitur. 2. Quoad modum cognoscendi variatut scientia, quando aliquid clarius & evidentius cognoscitur, quam antea cognoscebatur: quod quidem accidit, vel ex diversitate medii, quando illud, quod prius cognoscebatur per medium probabile, postea cognoscitur per medium demonstrativum; vel ex vi & præstantia intellectus: nam qui acutiori pollet ingenio, is perfectius penettat eandem conclusionem, quam alius qui minus acuto est ingenio. 3. Variatur scientia, quoad actum sciendi: quod contingit, vel quando quis actu considetat, quod ptius non considerabat, vel quando procedit ab habitu ad actum, vel quando modo intelligir unum, postea aliud, vel quando ab uno discutrit ad aliud: hisce omnibus modis potest aliqua scientia variari, & quæ nullo istotum modorum mutatur, aut variatur, illa immutabilis est & invariabilis: jam assumo: atqui scientia visionis in sensu composito nullo ex istis modis potest variari aut mutari: quod speciatim per singulos modos eundo ostendo: non variatur ex parte tei cognitæ ex vera in falsam: nam cum divina cognitio feratut in res, quatenus sunt sibi præsentes in æternitate, non potest vatiati ex parte rerum cognitarum, quia quamcunque dispositionem habear res cognita, necessarium semper est, ut ea sir præsens intellectui divino: scit enim Deus, quicquid est, pro quocunque tempore: sed nec potest variari scientia Dei, ex parte cognoscentis: non 1. quoad scientiam ipsam: nam non potest corrumpi scientia Dei, nec de novo acquiri, ut scientia nostra: quia nihil cognoscit pet hanc scientiam nisi quod esse voluit in aliqua temporis differentia, & quæcunque determinavit ut pro certo tempore forent, ea scit: non 2. quoad modum sciendi: quia hæc variatio procedit, vel ex diversitate medii, vel ex vi intellectiva: sed Deus per unicum medium, quod est sua essentia, cognoscit omnia: vis etiam intellectiva in Deo est penetrantissima, ipsaque Dei essentia, quæ invariabilis est: non 3. quoad actum sciendi, quia Deus nunquam est in potentia ad considerandum, quasi nunc actu consideret, quod prius non considerabat, neque est sciens in habitu sed in actu: scientia enim in habitu non est perfectissima; at talis est scientia Dei; nec intellectus divinus modo intelligit unum, postea aliud, nec ab uno discurrit ad aliud, sed omnia actu simul intelligit per unam & unicam speciem, quæ est sua essentia. Ergo concludimus, scientiam visionis in quantum est conjuncta cum voluntate divina, in sensu, ut ajunt, composito, nec augeri, nec minui: quia sicut Deus, quicquid vult, immutabiliter vult, ita quicquid scit ex iis, quæ voluit, invariabiliter scit.

IV. Restat ergo tota difficultas, de scientia visionis in sensu diviso, id est, absolute & per se considerata, non in quantum subest divinæ ordinationi: in hoc sensu concedi potest, quod scientia visionis Dei possit augeri vel minui, quia Deus ab æterno potuisset plura vel pauciora velle atque ordinare, ut essent, & sic potuisset plura vel pauciora scire ab æterno: cette, si fatemur Deum plura vel pauciora facere aut decernere posse, quam fecit aut decrevit, quidni similiter dicamus, Deum plura scire posse, quam scit? & sic non male dicunr Scholastici, Deum aliquid scite posse, quod nec scit, nec

nec scivit, nec sciet unquam: quæ sane sunt verissima, in sensu diviso accepta: Profecto, non potest fieri, ut quod modo Deus cognoscit scientia visionis, postea incipiat non cognoscere, aut contra: sed vero potuit ab æterno non scire, quod nunc scit ab æterno, in sensu diviso, quia potuit ab æterno non velle aliquid, quod nunc voluit ab æterno, & potuit ab æterno velle facere aliquid quod nunc ab æterno facere noluit, referendo illud (ab æterno) ad voluit & noluit. Nec est, quod hinc quispiam inferat, scientiam visionis in Deo augeri posse, vel minui, vel omnino mutari: hujusmodi enim sermo, in quo ponitur, augeri, minui, mutari, semper involvit sensum compositum, qui in præsenti negotio falsus est: nam cum dicis, scientiam Dei augeri, minui, vel mutari posse, sensum hunc efficis, Deum quædam scire ab æterno, quibus postea quædam addi possint, in sciendo, aut detrahi, aut in quorum locum quædam possint succedere, sic nimirum, ut plura vel pauciora sciat postea quam prius, aut omnino quædam sciat postea, quæ non prius, aut contra: unde sequeretur, quod inciperet Deus aliquando scire quæ non sciebat, vel non scire quæ sciebat: Atque hoc absurdum est, & pugnans cum æterno Dei decreto de rebus in tempore producendis: teneamus ergo certissime, scientiam visionis hoc modo in sensu composito acceptam esse invariabilem & immutabilem, licet in sensu diviso, ut eum explicuimus, contra dici posset.

V. Sententia vera explicata & probata hoc superest, ut Adversariorum objectiones præcipuas excutiamus, quod licet raro in thesibus conscribendis faciamus, nunc tamen unam atque alteram solvere placuit. *Obj.* 1. Objecta divinæ scientiæ sunt variabilia & de facto variantur: Ergo & ipsa Dei scientia est variabilis & de facto variatur ad variationem objectorum: Antecedens est manifestum, quia inter ea, quæ Deus scit, sunt libera & contingentia: atqui hæc variatur. Ergo objecta &c. Consequentia probatur, quia si variato objecto non variatur scientia, ergo scientia illa, quæ non mutatur, mutato objecto, erit falsa: v. c. Deus scit me nunc scribere: itaque finita scriptura & me non scribente, aut manet illa scientia Dei qua sciebat, & illud judicium quo judicabat, me scribere: aut non: si manent, ergo scientia & judicium Dei sunt falsa, quia nunc non scribo: si non manent, ergo scientia Dei est mutata & variata. Resp. 1. Objectum scientiæ divinæ primarium est essentia divina, in qua & per quam cognoscit omnia, quæ cum non possint variari, nec scientia Dei potest variari, etsi objecta secundaria varientur. 2. Cum Deo sint omnia præsentia in sua æternitate, etiamsi objecta secundaria varientur, scientia tamen Dei non variatur: Deus enim videt in sua æternitate, absque aliqua sui mutatione, me nunc scribere pro hoc tempore, & me non scribere pro tempore tali secuturo: & licet varietur scibile à parte rei, scientia tamen non variatur à parte Dei, quia eâdem scientiâ cognoscit Deus hanc rem esse pro tali tempore & non esse pro alio tempore: & hoc bene est notandum, quod varietas & contingentia rerum non variet, non mutet scientiam Dei, quia Deus sic novit omnia, ut quæ dicuntur præterita apud Deum tamen scientem non sint præterita, &, quæ dicuntur futura, à Deo tamen sciente non expectentur ut futura; sed vero & præterita & futura & præsentia, sunt cuncta præsentia Deo in æternitate sua: quæ æternitas adest cuilibet differentiæ temporis & coëxistit semper omnibus, quæ fiunt in quacunque temporis differentia: & sic non aliter cognoscit Deus præterita aut futura quam præsentia, sed omnia simul æqualiter & sibi præsenter, etsi illa quoad nos varientur & mutentur: ut rem similitudine illustrem, Sicut faber, antequam fabricet domum, & postquam est fabricata, & postquam est destructa, habet semper eandem ideam domus: Ita Deus non aliter cognoscit res antequam sunt creatæ, & postquam sunt creatæ, & postquam esse desierunt. *Inst.* Si Deus omnia sciat simul, quia omnia videt in sua essentia & in sua æternitate, ergo etiam cognoscet simul contradictoria: at hoc est absurdum. Ergo & illud. Prob. min. Contradictoria sunt opposita: at eorum uno posito, non ponitur alterum; ergo, qui scit unum oppositorum, nescit alterum, quia ambo simul stare nequeunt. Resp.

scientia Dei potest esse oppositorum, sine oppositione & falsitate: quia quando dicimus, Deum scire opposita simul, non dicimus, quod Deus sciat duo opposita simul esse vera, quia hoc est impossibile, sed tantum dicimus, Deum apprehendere utrumque oppositorum & judicare unum esse verum, alterum falsum, vel unum esse possibile, alterum impossibile: hoc est, quod vocamus, Deum duo contradictoria scire simul: deinde, aliud est, duo opposita aut contradictoria esse simul in rerum natura, quod est impossibile, sicut duo contrarii colores non possunt esse in eadem parte parietis, & alind, esse simul in scientia Dei, quod est possibile, non quia simul judicentur vera, sed quia simul apprehenduntur, & unum judicetur verum, alterum falsum. *Obj.* 2. Deus ante Incarnationem scivit Christum nasciturum, & post Incarnationem scit illum non esse nasciturum; nam scientia est verorum, & post Incarnationem non est verum, Christum esse nasciturum, quia jam est natus, ergo potest Deus nescire quod scit, & contra potest scire, quod nescit: nam nunc scit Christum esse natum, quem ante Incarnationem natum nesciebat, & nunc scit, Antichristum nasciturum, & ipso nato, jam scit, non nasciturum, sed natum, quod ante nesciebat. Resp. negando consequentiam, quia Deus scit Christum nasciturum pro tali tempore, quo erat nasciturus, ante Incarnationem; & nunc scit Christum esse natum pro tempore, quo est natus; & sic non dicitur aliquid nescire, quod sciebat, aut scire, quod nesciebat, quia licet post Christum natum Deus non sciat Christum nasciturum pro hoc tempore, scit tamen Christum esse nasciturum pro tempore, quo erat nasciturus: quia, cum æternitas comprehendat omnes differentias temporis, Deus novit Christum nasciturum pro tempore, quo erat nasciturus, & Christum natum pro tempore, quo est natus: & ista propositio, *Christus est nasciturus*, vera est, pro tempore, quo erat nasciturus, & hæc, *Christus est natus*, est etiam vera pro hoc tempore, quo est natus, quæ omnia tempora sunt simul & præsentia Deo in æternitate & æterna Dei cognitione. Alias objectiones in ipso actu disputandi solvemus.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

VIGESIMA-PRIMA.

DE

SIMPLICITATE DEI.

THESIS I.

DE *Simplicitate Dei* disputaturi, non prolixo utemur apparatu, sed ἀνὸ σκοπιᾶς quid per *simplicitatem* intelligi debeat obiter præmittemus, ac tum statum controversiæ figemus, & rem ipsam rationibus decidemus. *Simplicitatem* explicare solent Philosophi per *negationem compositionis seu constitutionis ex pluribus*, hinc simplicitatem describunt per exclusionem distinctionis seu multitudinis, dicendo, quod sit *unitas carens multitudine plurium:* quæ descriptio generatim sumpta non satis est vera, nisi illa plura intelligantur esse talia, *quæ se habent per modum actus & potentiæ:* nam simplicitas non dicit in genere carentiam omnis multitudinis, neque excludit omnem aut distinctionem aut pluralitatem: exemplum est in ipso Deo, ubi sunt multæ, plures, ac distinctæ personæ, quæ personarum multitudo, pluralitas, ac distinctio, non officit divinæ simplicitati, quia non referuntur ad se invicem, nec ad essentiam divinam, ut actus & potentia, quod imprimis hic & alibi notandum est. *Simplicitas* ergo optime definitur *unitas* (est enim ejus quasi species)

carens

carens omni multitudine plurium, quæ vel ad se invicem sese habent ut potentia ad actum, vel simul sunt in potentia ad totum quod actuant. Ex eo autem, quod simplicitas explicetur per negationem compositionis, existimarunt plerique Philosophi simplicitatem de formali in sola negatione consistere. Vide præter alios *Suaresium Metaph. disp.* 30. *sect.* 3. *num.* 3. At vero, si nuda foret negatio simplicitas, nullam diceret perfectionem, nedum ut diceret perfectionem simpliciter: at dicit perfectionem: nam compositio, quæ ei opponitur, dicit imperfectionem, ideoque à Deo removetur: Ergo simplicitas dicit perfectionem, ideoque Deo tribuitur: & certe, si tantum negatio sit simplicitas, quomodo inter Dei proprietates recenseri potest? mera negatio non est proprietas: his adde, quod unitas superaddat enti, non negationem, licet vox indivisionis, qua definitur, negationem sonet, sed modum positivum; ergo & simplicitas quæ unitatis quasi est species. Quod *Suarez* loc. cit. excipiat: Primo, non posse intelligi, quis sit ille modus, quem simplicitas addit enti, futile est: nam ab intellectu suo ad intellectum alterius nulla est consequentia: certe si possit intelligi modus positivus, quem unitas addit enti, quem infinitas addit Deo, quidni & hic, quem Simplicitas, vid. inter alia *c.* 7. 11. 14. *Metaph. l.* 1. *Burgersd.* Quod objiciat secundo *Suarez*, non posse simplicitatem dicere modum positivum, quia faceret compositionem cum entitate, cui adderetur, haud difficulter solvi potest; nam non facit compositionem cum quidditate cujus est modus, quia non est ei adæquate condistinctus, nec ad eam se habet, ut actus ad potentiam. Quod tertio dicat *Suarez*, compositio non addit modum composito, ergo nec simplicitas rei simplici: ad id duobus modis responderi potest, vel negando antecedens, ac dicendo, quod compositio dicat modum intrinsecum ac positivum quidditatis quæ composita dicitur, ut importet talem entis rationem, secundum quam ens constituatur ex actu & potentia: vel concedendo antecedens, & negando consequentiam, ac dicendo, quod compositio & simplicitas opponantur ut privatio & habitus, sicuti, multitudo & unitas; at privatio negatio est; habitus dicit entitatem aut modum positivum: unde sequitur, posse simplicitatem formaliter constitui in modo positivo, licet in eo non item collocetur compositio.

II. Simplicitatis sic explicatæ variæ sunt differentiæ sive modi, pro compositionum oppositarum varietate: hinc, quia alia est compositio ex materia & forma, alia ex partibus integrantibus, alia ex subjecto & accidente, alia ex genere & differentia, alia ex essentia & existentia, alia ex natura & subsistentia, totidem sunt modi simplicitatis, quorum singuli oppositas compositiones excludunt. Quæstio nunc est, *an Deus hisce omnibus modis sit simplex?* Alii sic proponunt statum controversiæ, *An Deus nec in se sit compositus, nec possit intrare in compositionem alterius, nec possit aliud componi cum Deo?*

III. Nos *Deum simplicem asserimus*, compositum negamus: Argumenta quædam generalia sunt, quæ hoc probant; alia specialia, quæ hanc aut illam à Deo compositionem removent: an omnem à nobis recensitam, statim videbimus. Generalia argumenta satis sunt multa, quæ videre est apud *Scholasticos Commentatores, in Lombar. l.* 1. *Sent. dist.* 8. *& in Aquin. sum. Theol. p.* 1. *quæst.* 3. Nos Dei Simplicitatem, ut à nobis est explicata, in genere deducimus ex ejusdem infinitate. Nullum infinitum est compositum ex aliis, nec componibile cum aliis: ergo simplex: at Deus est ens infinitum, quod nunc supponimus: major prob. Quod est componibile cum alio, caret ejus perfectione cum quo componitur, & consequenter perfectione totius, quæ conflatur ex perfectione extremi componentis utriusque; at infinito nihil perfectionis deesse potest: compositum vero ex aliis, vel est compositum ex partibus infinite perfectis, quod est contra rationem & partis & infiniti, vel ex partibus finite perfectis; at ex pluribus finite perfectis non potest fieri ens infinite perfectum, sed tantum finitum quoddam determinatæ perfectionis pro determinata partium perfectione: at Deus est ens infinite perfectum: Ergo &c.

IV. Sed descendamus ad particulares compositio-

positionis modos. *Deum non componi ex materia & forma*, aliquot argumentis probat *Aquin. loco. cit. quæ* à *Comment.* fusius explicantur. Nos ex iis duo seligemus: 1. Quod est purus actus, non est compositum ex materia & forma, Deus est purus actus. Major est evidens, quia cum materia sit pura potentia; illud sane quod componitur ex materia & forma non poterit esse purus actus, quia hic excludit quamcumque potentiam à sua ratione: Minor probatur. Quodcunque nullam includit potentiam est purus actus. Deus nullam includit potentiam; quia si aliquam includeret, deberet aliquid ab alio recipere: nam omnis potentia passiva est correlativa respectu potentiæ activæ, à qua formam recipit, ad quam est in potentia: Deus autem nihil recipit, quia sic non esset primus motor, prima causa, adeoque ens primum, nec foret ens ex se. 2. Quod habet materiam & formam, est bonum per participationem. At Deus non est bonus per participationem. Ergo. Major prob. quia quod habet materiam & formam, est bonum per id, quod materia ejus participet & recipiat formam, beneficio & efficacia alicujus causæ efficientis: consequenter est bonum per formam participatam. Minor prob. Deo nihil est prius: sed bono per participationem prius est bonum per essentiam. Ergo Deus non est bonus per participationem. Hisce duobus *Thomæ* argumentis addimus tertium. 3. Si Deus foret compositus ex materia & forma, corpus esset. At corpus non est: nam omne corpus est mobile, est circumscriptum loco; Deus nec est mobilis, nec circumscriptus loco. Ergo. Deinde, nullum corpus est infinitum. Deus est infinitus. Ergo. Hisce iisdem argumentis probatur, *Deum non esse compositum ex partibus integrantibus:* nam partes integrantes materiam sequuntur, qua negata & hæ negantur.

V. Sed *neque Deus est compositus ex subjecto & accidente*, quod probari potest multis rationibus: nos paucas seligemus. 1. Subjectum se habet ad accidens, ut potentia ad actum. Sed Deus non est ullo modo in potentia. Ergo neque subjectum est ullius accidentis. 2. Ens per accidens, hoc est, compositum ex subjecto & accidente, posterius est illo, quod est per se. Deo nihil est posterius, quia est ens primum. Ergo non est ens per accidens, hoc est compositum ex subjecto & accidente. 3. Omne accidens est vel materiale, vel spirituale: si materiale, recipitur in subjecto materiali & quantitativo; sed Deus non habet materiam, nec quantitatem, ex *th. præced.* ergo non potest recipere accidens materiale: nec etiam spirituale, quia intellectio, & volitio Dei seu decretum, est ejus substantia & ipse Deus. Ergo non potest in illo esse accidens.

VI. Sequitur *compositio ex genere & differentia: quæ an in Deum cadat*, paulo *difficilius est explicatu*, propter quæstionem aliam affinem, cui hæc innititur, hodie quam maxime agitatam, *an Deus sub aliquo genere sit, & in aliquo genere sit, & in aliquo prædicamento contineatur?* Sed ut hoc negotium intelligatur, notandum est, rem aliquam eatenus dici compositam ex genere & differentia, quatenus genus & differentia ita inter se distinguuntur, ut gradus genericus secundum rationem suam possit inveniri separatus à differentiali illo, & inveniri conjunctus cum aliquo alio gradu differentiali in re aliqua alia: clarius loquar in exemplo. Animalitas ita distinguitur à rationalitate, ut animalitas possit separari à rationalitate in aliqua re alia quam est homo, quem cum rationalitate constituit, & conjungi cum alio gradu differentiali, sc. irrationalitate, in equo aut bruto quovis: ac propter hanc generis & differentiæ distinctionem, dici potest homo compositus ex genere & differentia, etiamsi ponamus, in homine illos gradus non distingui realiter, quæ communis & recepta hodie est opinio. Atque hinc manifestum est eas solas res dici posse compositas ex genere & differentia, quæ sub aliquo genere continentur: nam si quid est, quod sub nullo genere contineatur, id sane ex genere & differentia non fuerit compositum; ut ipsum ens, v. c. quia sub nullo genere continetur secundum communissimam sui rationem, à nemine censetur esse compositum ex genere & differentia: hisce sic positis, ut decidi possit, *An Deus ex genere & differentia sit compositus?* Primum ea quæstio determinanda

nanda foret, *An Deus sub aliquo genere prædicamentorum*, v. c. substantiæ, *contineatur? Thomistæ*, & hoc & illud negant; nos cum iis: & sufficit ad id hæc una ratio, relictis aliis. Id, per quod constituitur species, habet se ad rationem generis, ut actus ad potentiam. Sed in Deo nulla est potentia. Ergo. Prob. maj. quia omne genus dicit potentiam perfectibilem per differentiam.

VII. Verum ulterius quæritur, *an Deus sit compositus ex essentia & existentia?* Alii dicunt; *ex esse & essentia?* Resp. quod non. Ratio est. 1. Si Deus componeretur ex essentia & existentia, essentia Dei foret in potentia ad existentiam, sicut omne perfectibile est in potentia ad perfectionem: sic enim se res habet in creaturis, quæ ex essentia componuntur, quia earum essentia est indifferens ad τὸ existere & non existere: at Dei essentia non est indifferens, nec in potentia ad τὸ existere & non existere. Ergo. 2. Si Deus non esset suum esse, i. e. si componeretur ex essentia & existentia, Deus haberet existentiam seu esse causatum: si causatum, vel ab extrinseco, vel à principiis intrinsecis; nam illud esse esset receptum, ergo ab aliquo: sed non potest illud existere causari à principio extrinseco, quia sic prima causa non amplius esset prima, neque ens à se & non factum, neque ens necessarium, &c. quæ sunt absurda: sed neque ab intrinsecis principiis causari potest τὸ esse seu existere Dei, quia nihil sibi potest esse causa existendi: illud enim, quod causat, debet esse & existere, antequam effectus sit, si causet in genere causæ efficientis: ergo si esse aut existere, quod est in Deo, esset in eo causatum à principiis intrinsecis, præsupponerentur jam esse illa principia per aliud esse, & sic essent plures in Deo existentiæ, quo nihil fingi potest ineptius, aut magis impium.

VIII. Quæritur postremo, an *Deus sit compositus ex natura & substantia?* Subsistentiam hic dicimus quod alii vocant personalitatem, modum subsistendi, τρόπον ὑπάρξεως Græce, qui quidem triplex est in Deo, unde tres constituit personas. Has subsistentias revera ante omnem mentis operationem à natura & essentia divina, ut modos à re modificata existimamus distingui, adeoque Deum vere ex natura & subsistentiis tribus componi: aliud enim est essentia, aliud modus essentiæ: hæc tamen compositio simplicitatem Dei non evertit, quia extrema componentia, essentia & modus, natura & hypostasis, non se habent per modum potentiæ & actus, sicut se quidem habent in rebus creatis, verum debent concipi essentia & modus subsistendi in Deo, natura divina & subsistentia ut duo actus perfecti, quorum neuter ab altero aut actuetur aut perficiatur: ut quidem fit in creaturis: ubi compositio ex essentia & modo non tantum simplicitatem evertit sed & imperfectionem importat, non tamen per se, quasi omnis compositio talis eam inferret, sed per accidens, quia modi superadditi creaturarum essentiis, vel mutabiles sunt, vel finiti, vel utrumque: at modi hi subsistendi in Deo nec mutabiles nec finiti sunt: unde nullam imperfectionem inferunt. Si dicas præstare, ut dicamus essentiam divinam & modum subsistendi in Patre includi in persona Patris, non per modum compositionis, sed per modum ineffabilis unionis. Resp. 1. Nos in verbis & modo loquendi non esse difficiles, modo de re constet, & plus differre inter se naturam divinam & modum subsistendi, quam essentiam & existentiam, hoc est, ut Scholasticorum terminis efferam, essentiam & personalitatem, non sola ratione, sed ante omnem mentis operationem distingui. 2. Nihil hic esse periculi, licet vocabulo compositionis utamur, modo eam recte conciliemus (quod facimus) cum Dei simplicitate: certe, ubi licet uti voce distinctionis, quidni ibidem & compositionis? atqui hic omnes dicimus, naturam divinam & personalitatem Patris distingui, quidni ergo etiam dicamus Patrem ex natura divina & personalitate sua componi? Vide de hoc negotio egregie disserentem *Keckerm. Syst. Theol. l. 1. c. 4.*

IX. Exposuimus ita Dei simplicitatem & quomodo, & quæ ei sit tribuenda: hoc superest, ut videamus, *an cum hac Dei simplicitate à nobis explicata stare possit pluralitas & distinctio attributorum in Deo?* Resp. quod sic. Nam in Deo multa quidem sunt attributa, sed quæ in se citra operationem mentis non

sunt distincta, verum distinguuntur solum modo ab essentia divina & inter se distinctione rationis ratiocinatæ, ut fundamentum quidem distinctionis sit in Deo, distinctio tamen ipsa extra Deum in mente distinguente: quæ rationis distinctio simplicitatem Dei, à nobis assertam non tollit. Hanc attributorum ab essentia divina & inter sese distinctionem probaremus; sed charta non capit, & alias hoc fieri poterit.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, VIGESIMA-SECUNDA.

DE

POTENTIA DEI.

THESIS I.

RECeptum est apud Scholasticos axioma, ea, quæ in nobis diversa sunt, in Deo teperiri unita: cum itaque tria concurrant ad operationes nostras, scientia, voluntas, potentia, quod cujuslibet artificis exemplo est manifestum, & illa tria in Deo sunt quærenda ac reperienda; non quod in Deo ista sint diversa, ut in nobis: sed quod illa in ipso secundum nostrum ordinem & modum intelligendi discernantur: Nimirum, scientia Dei intelligitur à nobis ut apprehendens, voluntas ut imperans, potentia ut exequens. Nos, missis scientia & voluntate Dei, de *Potentia Dei* quædam hac disputatione excutiemus, exorsi à quæstione an sit.

II. Quando quæritur, *an sit in Deo potentia?* primo videndum est, quid per *potentiam* hic intelligatur. Non intelligitur potestas, dominium, authoritas, ἐξουσία, sed *vis & virtus producendi effectum*, δύναμις. Solet autem ex *Arist. 5. Metaph.* potentia dividi in *activam & passivam:* illa ad agendum, hæc ad patiendum seu recipiendum: nam quemadmodum actus est duplex, alius secundus, qui est operatio, & alius primus, qui est forma, operationis terminus ad quem, saltem inadæquatus & partialis; ita potentia alia est in ordine ad actum secundum, & dicitur activa, & alia in ordine ad actum primum, & dicitur passiva: *Activa potentia* definitur *Arist. Principium transmutationis in alio, quatenus aliud est: Passiva, principium transmutationis ab alio quatenus aliud:* sed universalius potest utraque definiri. Nam vox *transmutationis* specialior videtur. Potentia activa, est principium *producendi* aliud, quatenus aliud est, ideoque hæc ordinatur ad influendum aliquid alteri, & non recipiendum aliquid in se. Potentia passiva, est principium producendi (*passive*) ab alio, quatenus aliud est, adeoque hæc ordinatur ad aliquid recipiendum in se, & non ad influendum aliquid alteri. Jam vero quæritur, *an in Deo reperiatur potentia, non passiva, sed activa?* Nam passiva potentia nullo modo in ipso reperitur, quia dicit imperfectionem: quod enim est in potentia ad recipiendum aliquid ab alio, habet defectum illius, ad quod est in potentia: at Deus nullius habet defectum. Ergo. Sed activa est in Deo, quia illa de se imperfectionem non importat: unde, sicuti materia prima est pura potentia passiva, ut nullam habeat activam, quia est ens imperfectissimum, ita in Deo nulla est potentia passiva, omnis est activa, quia est ens perfectissimum.

III. Cæterum cum *in Deo potentiam ponimus activam*, & hoc bene est intelligendum, respectu cujus operationis ea in Deo ponatur: operatio enim alia est immanens, quæ recipitur in eodem subjecto, à quo procedit, sicut intellectio, volitio, alia transiens, quæ recipitur in subjecto alio, in quo est terminus ad quem

quem aut effectus, ut creatio, ſalvatio: non ponimus potentiam activam, quæ dicat ordinem ad actum immanentem, ſed eam *quæ dicit ordinem ad actum tranſeuntem in exteriorem materiam vel objectum extra Deum:* hic tamen notandum eſt, in Deo improprie poni actum tranſeuntem. Nam omnis actio Dei eſt immanens, metaphorice tamen aliqua dicitur tranſiens, ratione effectus ad extra producti: ſic creare, ſalvare, ſecundum rei veritatem ſunt actiones immanentes: Deus intelligendo & volendo produxit mundum, & fecit omnia quæcunque voluit, ſed tamen quia iſtæ actiones extra ſe, id eſt, extra Deum, producunt ſuos effectus, dicuntur actiones tranſeuntes.

IV. Deo potentiam eſſe adſcribendam activam, principium operationis tranſeuntis, probat *Aquinas* 1. *part. ſum. Theol. quæſt.* 25. quia Deus eſt ens in actu, imo purus actus, ac perfectiſſimus. At habere talem potentiam competit enti, quatenus eſt actu, & quatenus eſt perfectum: Ergo. Probatur minor: niſi ens ſit actu, quomodo poterit in ſe habere principium operandi? & de perfectione entis nihil derogat hæc potentia activa, quia ex ſe nullam imperfectionem involvit, ſed quod imperfectionem involvat, aliunde eſt: nempe, potentia activa imperfecta eſt, 1. quando completur per ſuum actum, ſic imperfectæ ſunt potentiæ activæ Angelorum, quia per operationes ſuam conſequuntur perfectionem. 2. quando indiget ſubjecta materia, ſic imperfectæ ſunt potentiæ activæ corporalium agentium, ut artificum inter homines. 3. quando eam concomitatur mutabilitas, ideoque omnis potentia creata agendi eſt imperfecta. 4. quando potentia, ut agat, debet egredi à ſubſtantia ejus in quo eſt & approximari paſſo, ſic potentia calefaciendi egreditur quaſi extra ſe, & approximatur paſſo, manui, dum eam calefacit. At Dei potentia activa non dependet à ſuo actu, ſic ut per eum acquirat perfectionem, nec indiget materia ad agendum, nec mutabilis eſt, nec debet egredi ab eo & approximari paſſo, quia non diſtat à paſſo. Concludimus ergo, nihil detrahi perfectioni divinæ, quod in Deo ponatur potentia activa. Sed, dicet quis, *omnis potentia dicit imperfectionem, ſicuti actus perfectionem.* Reſp. omnis potentia, quæ ab actu eſt diſtincta, dicit imperfectionem, & actus, qui eſt diſtinctus à potentia, perfectionem; ſed in Deo potentia activa non eſt diſtincta ab actu, ſed eſt ſemper in actu, & ipſe actus, quia Deus eſt purus putus actus. Cum vero dicimus, *potentiam Dei activam ſemper eſſe in actu, & eſſe ſuum actum*, non hoc ſic intelligendum eſt, quod potentia divina ſemper ſit conjuncta ſuo actui, qui tranſit in materiam exteriorem, in objectū *extra* Deum, ſed quod potentia divina ſemper ſit conjuncta actui immanenti, divinæ intellectioni, & volitioni; non tamen ſemper eſt ſecutus à potentia divina effectus exterior: quia effectus ad extra procedunt à Deo ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ & beneplacitum ſuæ voluntatis: unde, prout ab æterno per intellectum & voluntatem diſpoſuit, ita in tempore producit res: ſic ab æterno judicavit & voluit creare mundum tali tempore. Nec hoc imperfectionem infert in Deo, à potentia ejus activa, ab æterno conjuncta actui immanenti & interiori, in tempore exire actum tranſeuntem & exteriorem, quia ille actus tranſiens & exterior tantum dicit relationem inter Deum ejuſque potentiam & effectum extra ſe, quæ relatio, ut nihil perfectionis adfert, ita nihil aufert: ideoque, potentia divina, eadem cum ſuo actu interiori & immanenti, nihil plus perfectionis habet, quando agit extra ſe, quam quando non agit, quia agendo extra ſe nihil perfectionis acquiritur à Deo, ſed ponitur tantum nova relatio, inter divinam potentiam æternam, eandem cum Deo ejuſque intellectu ac voluntate, cæteriſque attributis, & id quod fit & exiſtit poſt extra Deum: relatio vero non perficit ſubjectum cui advenit: ſi contingat relationem interdum perficere ſuum ſubjectum, id eſt per accidens & ratione fundamenti.

V. De hac *potentia* activa *Dei* quæritur, *an ſit infinita?* ſeu ſub alio termino, *an ſit omnipotentia?* Eam eſſe infinitam & omnipotentiam probat *Aquin. quæſt. cit. art.* 2. & 3. quia eſſe Dei eſt infinitum: vis argumenti nititur eo, quod Deus agat per eſſentiam: quanto autem perfectiori modo eſt in

aliquo agente forma per quam agit, tanto est major ejus potentia agendo: at essentia Dei est infinita: Ergo & potentia: Unde & *omnipotentia* dicitur. Cæterum universalitas illa potentiæ, nomine omniporentiæ significata, non eodem modo ab omnibus explicatur. Nos acquiescimus in explicatione facta ab *Aquin. loc. cit.* Deum hac ratione omnipotentem dici, quatenus omnia possibilia seu factibilia potest. Potentia enim activa ad agibile, factibile, possibile (quæ tria nobis idem significant) tanquam ad proprium suum objectum refertur. Potentia vero extra objectum suum non abit. Sicut autem potentia Dei activa, absoluta, infinita, & illimitata est, ita possibile, quod illi porentiæ subjicitur, intelligendum est possibile absolute, sine ulla restrictione aut limiratione: cujusmodi est omne illud, quod non implicat contradictionem, si fiat: Quæ enim hujusmodi sunt, ut contradictionem implicent, si dicanrur fieri, rectius dicuntur non posse fieri, quam quod Deus ea non possit facere, qui modus loquendi de Deo multo est modestior, & ab ipso *Aquin. loc. cit.* observatur: Nam quod est simpliciter & absolute impossibile, nullo modo fieri potest, non tam propter defectum potenriæ in Deo, quam propter defectum ipsius rei, quæ contradictionem involvit: & potentia Dei est infinita, atque omnipotentia, ideoque continet in se perfectionem omnium potentiarum cujuslibet creaturæ: ideoque nihil concipi potest, ad quod sese non extendat divina potentia, quantum ex se: sed si aliquid non facit, non est, quia non possit, sed vel quia non vult, vel quia non decet, vel quia non est factibile, repugnatque fieri ex parte ipsius rei, adeoque est impossibile.

VI. Cæterum *impossibile*, ut colligere licet ex *Arist.* 5. *Met.* 17. dicitur duobus modis: uno modo, *simpliciter*: altero, *secundum quid*. Impossibile simpliciter est illud, quod nec à Deo nec ab ullo agente potest produci aut fieri. Impossibile secundum quid est, quod ab agente naturali non potest produci aut fieri: utrumque distingui solet in *impossibile incomplexum*, ut chimæra, & *complexum*, ur, homo est equus, virgo patit. Alii distinguunt τὸ impossibile quadrupliciter. Est *impossibile secundum naturam*, cujusmodi est illud, quod non potest fieri nec esse per naturam, licet possit esse per agens supernaturale, ut, virginem parere, cæcum videre &c. 2. Est *impossibile per intellectum nostrum*, quod non potest capi vel intelligi ab intellectu nostro, sic impossibilia sunt illa quæ non capit intellectus nisi illustratus fide. 3. Est *impossibile secundum tempus*, ur, quod præteritum non fuerit; quod & *impossibile* vocant *per accidens*, quia accidit, *Petrum non cucurrisse*, esse impossibile, ex eo quod præteriit jam cursus: Nam licet cursus in se sit actus contingens; cum præteriit, quia præteriit, fit necessarius, & impossibilis ut non præterierit: & sic dicitur *impossibile secundum accidens*, quia accidit illi cursui, esse præteritum. 4. Est *impossibile secundum disciplinam*, quia est contra aliquod primum principium alicujus disciplinæ: sic impossibile est, ut duo contradictotia sint simul veta, ut duo contratia sint simul in eodem subjecto, quia sunt contra illud principium; *Quodlibet est vel non est*, aut, *Idem non potest esse & non esse*. De hisce quatuor speciebus impossibilium nunc videndum est distincte.

VII. §. 1. *Quodcunque est impossibile secundum naturam, illud est possibile Deo.* Probatur. Quia potentia Dei est infinita: potentia vero naturalis finita: ergo potest Deus facere id, quod est impossibile agenti naturali. Ut vero accurate cognoscatur, quantum differat potentia Dei infinita, & potentia creaturæ finita, observetur, quantum differat divinum esse ab esse creato: cum enim posse præsupponat esse, & omne agens agat in quantum est in actu, hinc optime judicatur de potentia ex essentia: esse vero Dei differr ab esse creaturæ, 1. Quia esse Dei non est conttactum ad genus, neque ad speciem aliquam: at esse creaturæ quam maxime: 2. Esse divinum est illimitatum & infinitum: esse creaturæ est finitum & limitatum: 3. Esse divinum est quoddam esse universale in quo continetur omne esse, & in quo reservatur quasi omnis ratio essendi: in omni autem alio esse creaturæ est tantum unus modus particularis essendi, ut in homine est esse hominis, non Angeli: at in Deo est omne esse:

esse: 4. Esse divinum est esse purum: esse creaturæ non est esse purum sed mixtum cum non esse, quia creatura quælibet facta est ex nihilo, & de se, nisi à Deo conservetur, tendit in nihilum. Ex hisce de differentia potentiæ, tum divinæ, tum creaturæ, judicium fieri potest. 1. Dei potentia non est determinata ad hunc vel illum effectum, sed extendit se ad omnem effectum, qui sub potentiam activam cadit; at potentia creaturæ determinata est. 2. Potentia divina quia est infinita, potest operari in instanti, potentia creaturæ non item. 3. Potentia divina talis est, ut ab ea dependeat omnis potentia creaturæ in operando; at illa non dependet ab hac. 4. Potentia divina potest agere nullo præsupposito subjecto, at non potest hoc potentia creaturæ. Atque hinc concludimus, multa esse possibilia Deo, quæ sunt impossibilia naturæ. *Potest Deus producere omnia quæ vult, potest operari sine ordine causarum secundarum; potest operari nullo præsupposito subjecto; at hæc impossibilia sunt omnia naturæ.*

VIII. §. 2. *Impossibile secundum intellectum nostrum Deo est possibile.* Probatur. Quia cum intellectus divinus sit infinitus, noster intellectus sit finitus, potest facere omnia quæ ipse intelligit esse possibilia, & non tantum, quæ nos intelligimus esse possibilia: at Deus longe plura intelligit possibilia: quam nos. Ergo longe plura potest facere, quam nos intelligimus: & manifestum est in rebus fidei, quas Deus potest facere, nos tamen non possumus intelligere.

IX. §. 3. *Impossibile secundum tempus seu per accidens ratione præteritionis est Deo prorsus impossibile:* quia per nullam potentiam potest fieri, ut præteritum non sit præteritum. Probatur. Omne implicans contradictionem non potest à Deo fieri: sed præteritum non fuisse præteritum implicat contradictionem: quia idem pro eodem tempore fuisset & non fuisset. Ergo, præteritum non fuisse præteritum, impossibile est Deo.

X. §. 4. *Impossibile secundum disciplinam est etiam Deo impossibile.* Probatur. Quia si Deus faceret duo contradictoria simul esse vera, vel duo contraria convenire eidem subjecto, contradiceret suæ veritati & sapientiæ, qua ordinavit, ut idem non posset esse & non esse simul, ut idem non possit simul esse album & nigrum. At Deus sibi esse contrarius aut contradicere non potest. Ergo &c.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

VIGESIMA-TERTIA.

DE

VOLUNTATE DEI.

THESIS I.

DE *voluntate Dei* theses ad disputandum proposituri, ante omnia vocis ambiguitatem removebimus. *Voluntas Dei* interdum significat *beneplacitum* ejus æternum, interdum *signum beneplaciti* divini & æterni; sicuti in vulgari usu loquendi testamentum solemus vocare ultimam alicujus voluntatem, quia signum est voluntatis ejus: hic posterior sensus à nobis relegatur. Priori sensu *in Deo esse voluntatem*, sic probamus. Quod est ens infinite perfectum, in eo sunt formaliter perfectiones omnes, quæ in latitudine entis sunt perfectiones simpliciter simplices, nullam in sui ratione includentes imperfectionem. Sed Deus est ens infinite perfectum, voluntas est perfectio simpliciter. Ergo voluntas est in Deo. Minor probatur. Nam voluntatis nomine intelligimus inclinationem ac propensionem quandam in omne bonum, quod intellectu concipi potest, quæ ratio voluntatis nullam ex se imperfectionem includit.

II. Verumenimvero cum *voluntas* interdum significet *actum* volendi, interdum *subſtantiam* volentem, hoc tertio ſenſu voluntatem Deo adſcribimus, non enim potentia eſt, non operatio, diſtincta à Dei ſubſtantia, ſed eſt ipſa ejus eſſentia, & *velle* eſt ipſius *eſſe*, propter ſummam Dei ſimplicitatem, qua fit, ut, quicquid in Deo eſt, ſit ipſe Deus. Si enim voluntas in Deo ſe haberet per modum potentiæ, & velle per modum actionis, daretur in Deo compoſitio ex ſubjecto & accidente, quod eſt abſurdum: præterea, cum velle ſit perfectio volentis, & voluntas ſit perfectio Dei, ſi voluntas foret potentia, & velle actio, Deus acciperet ſuam perfectionem ab aliquo extrinſeco, quod æque eſt abſurdum. Interim licet *in Deo idem* ſit *eſſentia & voluntas*, *eſſe* & *velle* divinum, voluntas tamen habitudinem aliquam connotat & reſpectum ad objectum, eſſentia non item: Unde eſt, quod *formaliter* ſeu *ratione ratiocinata*, ut barbare loqui ſolent Scholaſtici, ſaltem *diſtinguantur*. Sed ut voluntatis divinæ ratio ſit clarior, nonnihil de ejus *objecto* agendum eſt.

III. *Objectum* voluntatis divinæ eſt, vel *primarium*, principale, immediatum, quod eſt ipſe *Deus* & ſua bonitas, vel *ſecundarium*, minus principale, mediatum, quod eſt *creatura*. Primum dicitur per ſe volitum, quia Deus & bonitas divina eſt objectum adæquatum & primo volitum ab ejus voluntate: alia vero à Deo ſunt volita ratione divinæ bonitatis propter ſe: omnia enim alia à ſe vult propter ſuam divinam bonitatem: &, quandoquidem objectum aliud eſt terminatum, aliud motivum & terminativum: divina bonitas eſt objectum motivum & terminativum ipſius voluntatis: creatura eſt objectum, non motivum, ſed terminativum tantum, & quidem ſecundario: ſolum enim movetur divina voluntas à ſua bonitate, quæ eſt ejus eſſentia, creatura autem non poteſt movere voluntatem divinam, poteſt tamen ſecundario terminare ejus volitionem.

IV. Sed ſcrupulus hic eſt removendus. *Si Deus vult alia à ſe, volet plura, & quidem ut plura: at hoc videtur repugnare unitati & ſimplicati voluntatis divinæ. Ergo tantum vult ſuam bonitatem, non alia à ſe.* Reſp. Cum Deus vult alia à ſe, in quantum vult bonitatem ſuam, hoc modo comparantur alia ad voluntatem Dei, quo modo comprehenduntur ab ejus bonitate: ſed omnia continentur in bonitate ejus ut unum cum ipſa: ergo etiam uno & unico actu, volendo bonitatem ſuam, vult etiam alia à ſe: & ſic voluntas poteſt pluta velle ſine præjudicio ſuæ ſimplicitatis, quia omnia illa vult, quatenus ſunt unum cum bonitate divina: ipſa enim bonitas Dei eſt exemplar & repræſentatio omnis bonitatis in creaturis & aliis à ſe: quemadmodum unitas, quæ eſt ſimpliciſſima, eſt principium multorum numerorum, qui ab ipſa procedunt, ita bonitas divina principium eſt ſimul & finis omnium bonorum aliorum, ad quæ terminatur ſecundario voluntas Dei, quatenus vult bonitatem ſuam in qua continentur, ita ut uno actu & ſe velit Deus & alia à ſe.

V. Præter objectum ad voluntatis divinæ rationem intelligendam multum contulerit, ejus *actus* expoſuiſſe, & *modum*, quo vult ſe & alia. *Actus* voluntatis divinæ ſunt *velle* & *nolle*. Velle & nolle Dei cum verſantur *circa res exiſtentes*, *velle* Dei eſt *amare*, & *nolle* Dei eſt *odiſſe*; cum verſantur *circa res futuras*, *velle* Dei eſt *decernere ut quid fiat*, *nolle* Dei eſt *decernere ut quid non fiat*: quo ſenſu Theologis, eligere, ſignificat in Deo, decernere alicui ſalutem conferendam; reprobare, decernere alicui ſalutem non conferendam. *Non velle & non nolle in Deo* proprie *non eſt*, quia Deus eſt purus actus, expers potentiæ, & negationis, quæ utraque in eo poneretur, ſi in eo ponatur non velle, non nolle, negative utrumque. *Velle* Dei, in quantum ſignificat *decernere, ut quid fiat*, eſt vel *effectivum* vel *permiſſivum*. *Velle* Dei *effectivum* eſt, decernere ut aliquid fiat, Deo id efficiente aut coëfficiente: *velle* Dei *permiſſivum* eſt, decernere ut aliquid fiat Deo permittente: *Utrumque* velle *eſt efficax*: ſed cum diſcrimine. *Velle* Dei *effectivum* ita eſt *efficax*, *ut* ſimul ſit vere *cauſa* ejus quod fit: at *velle* Dei *permiſſivum* ita *eſt efficax*, *ut* non ſit vere cauſa ejus quod fit, ſed *antecedens*, ex quo tamen *neceſſario* atque *efficaciter* ſequitur id quod fit. *Modus*, quo Deus

vult

vult se & alia, est vel *necessitas* vel *libertas*: quædam enim *necessario*, quædam *libere* vult, *pro* varia *ratione objecti*, quod vult, & *actus*, quo vult.

VI. §. 1. *Deus vult*, i. e. amat, *seipsum & suam bonitatem necessario*, *ut non possit non se amare & velle.* Probatur, 1. Omne quod est, necessario ac naturaliter diligit suum esse. Ergo & Deus, qui maxime est ac non potest non esse. 2. Quælibet potentia necessitatur respectu proprii objecti, si perfecte applicetur, non tantum quoad specificationem, sed & quoad exercitium: sic visus necessitatur ad videndum colorem recte applicatum recipiendo speciem ab illo: & intellectus quantum ad operationem primam necessitatur recipiendo speciem ab objecto: & voluntas beatorum necessitatur ad amandum Deum, quia in eo est omnis ratio boni. Ergo multo magis necessitatur voluntas Dei ad amandum seipsum. §. 2. *Deus vult*, i. e. amat, *necessario creaturam suam*, *in quantum existit*, *& ad imaginem Dei est expressa*, *& participat ejus bonitatem:* in tantum enim nulla est, in creatura ut tali, ratio mali. At in quo nulla est ratio mali, illud Deus amat necessario.

VII. §. 3. *Deus vult*, i. e. decernit, *non seipsum*, *sed alia à se*, *idque libere:* non versatur circa seipsum, volendo, i. e. *decernendo*, quia ipse nunquam est futurus, sed semper est: at circa alia à se, volendo, i. e. *decernendo* occupatur, quia illa aliquando sunt aut fuerunt futura. Vult hæc, i. e. *decernit*, *libere*. Probatur, 1. Quæ cadunt sub voluntatem ut media propter aliquem finem, qui sine illis mediis obtineri potest, non cadunt sub voluntatem necessario, i. e. circa ea non versatur volendo voluntas necessario. Atqui alia à Deo sic cadunt sub divinam voluntatem. E. non cadunt sub eam necessario, i. e. circa ea non versatur volendo voluntas necessario. Major probatur exemplis. Ideo non necessario volumus equum ad iter, quia illud conficere possumus sine equo. Minor probatur. Nam Deus vult alia omnia propter se ut finem, qui tamen non pendet ex rebus aliis, cum nihil perfectionis Deo ex aliis à se volitis accedat. 2. Si Deus necessario vellet. i. e. *decerneret* alia à se, nullæ redderentur gratiæ Deo propter beneficium creationis, quia necessario creasset nos & non libere: sicuti nullas reddimus gratias Deo, quod genuerit Filium, aut spiraverit Spiritum Sanctum.

VIII. §. 4. *Deus omnia alia à se quæ vult*, i. e. decernit, *immutabiliter vult*, i. e. decernit. Sensus est. In voluntate divina non est potentia ad opposita in sensu composito: id est, postquam ab æterno voluit Deus aliquid futurum pro tali tempore, non potest velle illud pro tali tempore non futurum: si enim possit velle illud non futurum pro eo tempore, pro quo tempore illud futurum voluit, posset aliter se habere, i. e. posset mutari. At Deus mutari non potest. Ergo. At si potentiam ad opposita sumas in sensu diviso, antequam voluntas concipiatur conjuncta cum altero oppositorum, sic vere libera est & actu suo volendi potest versari circa illud vel aliud objectum, nihilque derogatur divinæ immutabilitati, quæ tum demum violatur, si postquam voluit ac decrevit id rescindat: sed asseritur summa Dei libertas, amplitudo, potestas, per illam potentiam volendi opposita divisim.

IX. §. 5. *Deus vult*, i. e. decernit *voluntate effectiva omne bonum creatum*, *se vel efficiente vel coëfficiente:* imo sic *etiam* vult *malæ pœnæ*, *in quantum ipse multa sæpe operatur*, *quæ cedunt in pœnam peccatorum.* At *voluntate permissiva vult malum culpæ*, *vel simpliciter*, *vel etiam*, *quando illud simul est pœna*, & cedit in punitionem peccatorum: Neque sic quicquam Deo adscribitur, quod non sit dignum. Nam quandoquidem permittat peccatum fieri, haud dubie volens permittit; cur non liceat ergo dicere, Deum velle hoc fieri, quod permittit; quod non permitteret, si fieri non vellet? si vult fieri quod præcipit, quidni & fieri velit id quod permittit? cum tam sit signum voluntatis divinæ permissio quam præceptio, & sæpius eveniant ea quæ Deus permittit, quam ea quæ præcipit. Et, quodcunque Deus tanquam medium usurpat fini obtinendo conducibile, illud recte dicitur velle ut fiat. Sed malum culpæ Deus tanquam medium usurpat fini obtinendo conducibile, manifestandæ gloriæ justitiæ suæ & misericordiæ.

cordiæ. Ergo malum culpæ rectè dicitur velle ut fiat; sive sit malum culpæ simpliciter, sive simul sit malum pœnæ.

X. Quæri hic potest non inutiliter, *An voluntatis*, id est, *volitionis divinæ detur aliqua causa?* Ab hujus quæstionis decisione gravissimæ dependent quæstiones Theologicæ, ut, An fides vel merita prævisa sint causa electionis, An peccatum sit causa reprobationis? Quare prudenter decidi debet. In homine quidem voluntas una est causa alterius, loquendo de actu voluntatis: sicuti voluntas, qua sanitatem volumus, est causa voluntatis, qua adire medicum & remedia quærere volumus. At in Deo non sunt plures actus volendi, quorum unus sit causa alterius, sed Deus unica voluntate, seu una & simplicissima volitione, vult omnia, quæcunque vult, qui tamen unus volendi actus pluribus actibus distinctis æquivalet ob summam & infinitam suam perfectionem: & sic sapienter & convenienter unumquodque, finem & media, vult Deus illo uno actu, quatenus unumquodque habet ordinem ad aliud, ut media ad finem, quæ alio atque alio ac distincto actu vult homo. Neque est, quod quis existimet voluntatem Dei fore irrationalem, si nulla ejus sit causa, & unico actu velit & finem & media: Nam quodcunque vult, vult ex rationali & sapienti consilio suo; & volendo, rem unam tanquam medium in rem aliam tanquam finem ordinat: finis autem ratio est mediorum: & vult se & alia à se, se ut finem & rationem aliorum volitorum, & alia volita volendo ad se ordinat: omnia enim facit propter seipsum. Quare voluntas ejus, etsi causam non habeat, irrationalis tamen non est. Et quam haberet causam voluntas Dei? an efficientem? an finalem? At ipse rerum omnium causa Efficiens est prima & finis ultimus. Dices: *An non vere dicitur, Deus fecit hoc propter illud? Ergo & vere dicitur, Deus voluit hoc propter illud?* & in universum, *Quicquid facit Deus, facere voluit; ergo quando unum facit propter aliud, etiam unum propter aliud facere voluit.* Resp. Quid inde? concedimus & rem & phrasin. Perges. *Ergo dabitur causa ac ratio voluntatis divinæ.* Resp. Negamus hoc sequi. Inferunt istæ phrases causam & rationem facti seu rei volitæ, cur ex rebus faciendis & volitis unum fiat propter aliud, sed non significant causam & rationem voluntatis aut volitionis divinæ. Et accuratissime ac prudenter hæc duo distinguit *Aquinas* 1. *part. sum. Theol. quæst.* 19. *art.* 5. *Vult Deus hoc esse propter hoc*, quod verum, & *Deus hoc vult propter hoc*, quod falsum est. Et hæc propositio, *Deus vult hoc, quia vult aliud*, in rigore sermonis falsa est, nam ipsius voluntatis seu volitionis divinæ causam aliquam significare videtur: quippe nullum aliud verbum exprimitur ad quod causalitas significata per particulam *quia* referri possit. At hæc, *Deus vult hoc esse propter hoc, vult hoc facere aut fieri propter hoc*, vera est, quia aliud exprimitur verbum ad quod causalitas significata in vocula *propter* referri potest: ut si dixero, *Deus voluit mundum creare, quia voluit suam bonitatem aliis communicare*, aut *propter suæ bonitatis communicationem, Deus voluit ei salutem, aut propter salutem*, non hic sensus est, quod Deus voluerit quia voluit, quasi unum velle in Deo sit causa alterius, sed quod uno eodemque volendi actu voluerit hoc esse propter finem. Et sic optime notat *Cajetanus in art.* 5. *quæst.* 19. 1. *p. sum. Aquin.* discrimen inter hæc quatuor. *Hoc est propter illud. Deus vult hoc esse propter illud. Hoc est volitum à Deo propter illud aliud volitum ab eodem. Deus vult hoc quia vult illud aliud.* Primum verum est, quia tantum designat ordinem rerum; item secundum, quia significat Deum velle illum rerum ordinem: tertium & quartum, si significent unam Dei volitionem secundum rem esse causam alterius volitionis, ut ab alia volitione dicatur Deus velle hoc, ab alia illud, utrumque falsum est: at si tantum significent Deum non velle hoc nisi volendo simul illud aliud tanquam voliti prioris causam, & hoc non esse volitum à Deo nisi quatenus aliud etiam est volitum tanquam hujus voliti causa, sed utrumque eadem volitione volirum, verissima sunt. Quare concludo. *Voluntas divina caret causa, non solum ut est Deus, sed ut est volitio, actus volendi attingens volitum:* maleque diceretur, quod attingentia voluntatis divinę activa respectu unius voliti sit causa attingentiæ activæ

activæ respectu alterius voliti: at, quod attingentia passivæ alterius voliti, tolerari potest, quia hoc dicit, *esse volitum unius causari ex esse volito alterius.* Sed de voluntate Dei satis.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

VIGESIMA-QUARTA.

DE

VOLUNTATE DEI.

THESIS I.

DE *Voluntate Dei, an sit,* & *quodnam* ejus sit *objectum*, & *quinam* ejus sint *actus*, & *quis modus*, quo per actus in objectum suum tendit, denique *an in volendo ab aliqua causa extra se pendeat*, visum est atque explicatum disputatione superiori: atque ea omnia intelligi de *Voluntate beneplaciti*, ibidem est dictum. Nunc quæstiones quasdam, quæ disputari solent à *Metaphysicis* & *Scholasticis* non inutiliter, movebimus ac decidemus circà Dei voluntatem, & ea, quæ præced. disp. sunt proposita.

II. §. 1. Quæritur, *An velle alia à se*, seu quod idem est, *communicare se aliis*, *importet in Deo perfectionem aliquam?* ita quidem existimavit *Cajetanus in pr. part. sum. Thom. Aquin. quæst.* 19. *art.* 2. Sed jure merito rejicitur à *Scholasticis* aliis, cum quibus & nos facimus, ac rem sic explicamus: velle alia à se, aut potest considerari quoad actum intrinsecum voluntatis divinæ, & sic, velle alia à se, est ipsa essentia divina, quia ille actus intrinsecus voluntatis divinæ, quo vult alia à se, est ipse Deus; & sic certum est, quod, Deum velle alia à se, dicat infinitam perfectionem. Aut potest considerari, τὸ velle alia à se, quoad objectum, quod connotat; velle enim alia, connotat habitudinem & respectum ad alia ista, objecta volita: & sic, velle alia à se, non dicit perfectionem in Deo; sed neque imperfectionem; quia illa habitudo & respectus est tantum in Deo relatio, (sive realis, ut quibusdam, sive rationis, ut plerisque placet) quæ formaliter abstrahit à perfectione & imperfectione. Res sic se habet. Deus vult creaturas vero & reali actu voluntatis suæ, qui actus est perfectissimus, quia est ipse Deus, terminatur tamen iste actus Dei ad creaturas seipso absque additione novæ perfectionis facta ad Deum; nam etsi non terminaretur ad creaturas sed tantum ad Deum, id est, etsi Deus non alia à se sed se tantum vellet, nihilominus esset perfectissimus: Nam hic actus, sive extendatur ad objecta aliqua extrinseca extra Deum, sive non, ideo nec magis nec minus est in se perfectus, quia ille actus sumtus in se, ut prior in signo rationis tali extensione, habet omnem perfectionem possibilem sufficientem ad objectum quodcunque volendum: unde, quod in secundo rationis signo apprehendatur terminatus ad hoc vel illud objectum, non id est per additionem alicujus in illo actu sed per additionem objectorum: quod illustrari potest à simili: ut, fingamus visionem sufficientem ad videndum quæcunque objecta sibi præsentata sine dependentia ab illis; talis visio potest extendi ad plura vel pauciora objecta, per additionem & mutationem objectorum, sine ulla additione aut mutatione sui: similiter se res habet in volitione divina rerum extra Deum. Difficilius id quidem est conceptu, quia perfecte à nobis declarari nequit: sed tamen ita se res habet. *Cajetanus* distinguit inter perfectiones Dei necessarias ac naturales, & liberas ac voluntarias: illas Deo non accedere, hasce accedere posse, ait: &, velle alia à se, seu, communicare se creaturis, asserit esse posterioris generis perfectionem, quam vocat perfectionem secundum quid & diminutam, uti priorem dicit perfectionem simpliciter & absolute:

sed vero, sicuti nulla perfectio deficit Deo ab æterno, ita nulla ei de novo advenit, sive sit necessaria, sive libera, sive naturalis, sive voluntaria, sive simpliciter & absolute, sive secundum quid & diminuta sit, quia Deus est infinite perfectus. Et ista perfectio libera Dei, quam vocat *Cajetanus* diminutam, vel est infinita vel non; si non, quomodo est in Deo? si est, quomodo potest de novo accedere? Et distinctio ista nulla est: nam inferam ex hac distinctione; Virtutes, quas habet homo, non esse perfectiones simpliciter, sed diminutas quia sunt liberæ & voluntariæ. At absurdum est consequens. Ergo & antecedens.

III. §. 2. Quæritur, *An voluntas Dei imponat rebus volitis necessitatem?* Hæc quæstio duobus modis intelligi potest: uno quidem modo sic: *An eo ipso, quo res sunt aut proveniunt à Dei voluntate, necessaria sint seu necessario eveniant?* Atque hoc negamus: neque enim sequitur res esse aut fieri necessario necessitate absoluta (de qua hic est sermo) quod Deus eas esse vel fieri velit: tamersi necessaria sit consequentia à voluntate Dei ad rem volitam, eo quod voluntas Dei frustrari non possit: sed hæc hypothetica seu conditionalis tantum est rerum necessitas ac consequentiæ, non absoluta, non consequentis. Altero modo sensus est: *An Dei voluntas causet necessitatem in omnibus vel in aliquibus rebus volitis?* Atque hic respondemus, Dei voluntatem quibusdam rebus volitis necessitatem imponere, non tamen omnibus: rerum enim à Deo volitarum quædam sunt necessariæ, quædam contingentes. Sed quæritur hujus diversitatis ratio ac causa: Sunt ex *Metaphysicis & Scholasticis*, qui eam derivare conantur ex ipsis creaturis: at pessime: nam si distinctio contingentium à necessariis referatur solum in causas secundas, sequetur & hoc discrimen esse præter intentionem & voluntatem Dei: At hoc absurdum. Nos ergo rationem discriminis petendam esse ducimus ex ipsius divinæ voluntatis efficacia, à qua tanquam à causa non tantum est, quod ea fiant & sint quæ Deus fieri & esse vult, sed & quod eo modo fiant ac sint quo modo ea fieri & esse Deus vult: vult autem Deus, ut diversis rerum gradibus universum compleatur, quædam in creaturis evenire necessario, quædam contingenter: ideoque quibusdam quoque effectibus providit atque aptavit causas necessarias, id est, indefectibiles in causando, ex quibus effectus sequuntur necessario; quibusdam vero effectibus providit & apravit causas contingentes, id est, defectibiles & impedibiles, ex quibus effectus contingenter proveniunt. Et sic pater, non ideo effectus à Deo voliros esse vel necessarios vel contingentes, quia causæ secundæ sint tales, sed contra, Deum quia voluit quosdam effectus contingenter evenire, quosdam necessario, causas iis præparasse secundas, vel contingentes, vel necessarias, ut toto diversitatis ratio, omnisque in creaturis vel necessitatis vel contingentiæ radix atque origo, in solam Dei voluntatem efficacissimam referenda sit.

IV. §. 3. Quæritur, *An voluntas signi semper conformetur cum voluntate beneplaciti.* Resp. Interdum Deus vult aliquid voluntate signi quod etiam vult voluntate beneplaciti, ut utraque implearur: interdum non item, ut voluntas quidem beneplaciti impleatur, quæ semper impletur, sed non item voluntas signi: sic voluntate signi voluit ut Abrahamus immolaret Isaacum, ut Pharao aliquoties monitus dimitteret populum: jussit enim utrumque: at neutrobique fuit hæc voluntas Dei impleta: voluntate beneplaciti voluit, ne Isaac immolatetur, ne Pharao Israëlem dimitteret; hæc utrimque impleta est; quod ex eventu liquet: nam & efficaciter ipse Deus immolationem Isaaci impedivit, & Pharaonis cor aliquoties obduravit ne dimitteret; sic prohibuit voluntate signi homicidium, voluit tamen filium suum occidi à Judæis Deus: neque tamen hic ulla est conradictio inter voluntates divinas: Nam voluntas signi, improprie dicitur voluntas: est enim tantum præceptum quo significat Deus quid sit nostri officii quid à nobis fieri velit vel omitti: at voluntas beneplaciti simpliciter & proprie est voluntas, qua decrevit quid futurum sit, se vel efficiente vel permittente.

V. §. 4. Sed hic nova exoritur quæstio ex jam dictis: *Quare Deus voluntate signi præcipiat*

piat ea fieri quæ voluntate beneplaciti ne fierent decrevit ac voluit? & contra, quare voluntate signi prohibuit fieri, quæ fieri voluntate beneplaciti voluit ac decrevit. Resp. Ratio, quare Deus, quæ præcepit, non impleat in omnibus, quibus præcepit, & quæ prohibuit, non præveniat in omnibus, quibus prohibuit, non est illa, quam *Iesuitæ* & hypothetici decreti Fabricatores proferunt, dicentes, Deum aliquid nolle, quia homines nolunt, aliud velle quia homines volunt. Nam sic Deus penderet ab hominibus, causa prima à secunda: sed contra se res habet: si Deus vellet, etiam homines vellent; si Deus nollet, etiam homines nollent: omnipotens enim & omnium domina est Dei voluntas. Verum longe aliæ sunt hujus rei rationes, eæque variæ; vel, ut ostendat Deus creaturam intellectualem esse defectibilem; vel, ut ostendat quid in utramque partem valeat liberum arbitrium, in malam quidem partem sine Dei auxilio præsenti, in bonam cum eo, vel, ut ex comparatione mali seu peccati quantum sit obedientiæ bonum intelligatur; vel, ut ex obedientia gloriam, ex inobedientia pœnam, alii reportent; vel denique, quam rationem nos omnibus præferimus, ut in aliis suam misericordiam, in aliis suam justitiam manifestaret Deus.

VI. §. 5. Quæritur, *An Deus voluntate signi præcipere aut velle possit aliquid contra legem à se latam?* Hæc quæstio ex ante dictis etiam oritur: ac sunt ex *Scholasticis*, qui Deum id posse asseruerunt, à quibus non longe abeunt ex Reformatis Philosophis quidam. Hi sic proponunt: *An Deus possit velle seu præcipere malum culpæ?* ac tum quæstio dupliciter intelligi potest, sc. *An Deus possit præcipere malum culpæ conjunctim*, hoc est, manens malum culpæ, *vel divisim*, ut malum præcipiendo fiat bonum. Priori sensu non venit quæstio: Nam sic Deus contraria vellet eadem voluntate signi, & idem præciperet & prohiberet, adeoque homini imponeretur necessitas peccandi, dum contraria implere non potest. Sed posteriori sensu quæstio instituitur: *An Deus voluntate signi velle seu præcipere possit aliquid, non quod sit malum fieri, dum præcipitur, sed quod esset malum fieri, nisi à Deo præciperetur?* sic ut posteriori jussione prioris mali quasi fiat abolitio. Atque hæc eadem est quæstio cum hac: *An Deus possit dispensare de præceptis Decalogi?* Nam, cum dispensatio faciat de illicito licitum, & quæ sunt contra præcepta decalogi sint illicita & mala, si Deus potest dispensare in præceptis illis, potest facere de malis & illicitis bona & licita: & sic posset Deus præcipere mala fieri, non quæ tunc sint mala, sed quæ essent mala, exclusa dispensatione divina. Nos ad difficilem hanc quæstionem sic *respondemus.* Cum lex non præcipiat nisi quod bonum est, & præceptum sit directivum agendi principium, quicquid ita malum est, ut Deus id facere non possit, illud quoque Deus præcipere non potest: quam responsionem exemplis illustrabimus. Non potest Deus præcipere mendacium, odium sui, blasphemiam, perjurium, idololatriam, quia ipse hæc facere atque horum author esse non potest, cum sunt ejusmodi, quæ in sui ratione malitiam includant atque involvant: quale etiam est, carnem dominari spiritui, &c. Nam quod non nemo hic excipiat, Deum non posse quidem seipsum abnegare, posse tamen alteri præcipere sui abnegationem, ineptum est: quia quod quis per alium facit ipse facere censendus est. *Scholastici* hoc negotium terminis suis & distinctionibus sic extulerunt. Malum, *inquiunt*, aliud est in se, aliud secundum se: malum in se est, quod potest fieri bene, malum secundum se, quod non potest fieri bene; sic odium Dei & mendacium sunt mala secundum se, quæ nullo modo possunt fieri bene, & ea Deus non potest præcipere, quia non potest ab eis auferri deformitas & inordinatio ad Deum quam habent. At occidere innocentem & accipere alienum, sunt mala in se, & possunt fieri bene, pro auctoritate, imperio, dominio Dei, & ista potest præcipere Deus, de iis dispensando. Alii sic distinguunt. Aliud est malum essentialiter, quod habet intrinsecam malitiam, ideoque nullo modo potest fieri bonum, ut blasphemare Deum: aliud est malum accidentaliter, cui malitia non est intrinseca, quodque idcirco potest fieri bonum, ut occidere innocentem: dicitur autem fieri

posse bonum in sensu diviso, sicut ægrum potest fieri sanum; & hoc malum Deus potest præcipere, non illud: sed hæc omnia eodem recidunt.

VI. §. 6. Sed ut fluctus fluctum premit, sic una quæstio aliam: quæritur insuper ex ante etiam dictis, *An Deus voluntate beneplaciti possit velle seu decernere malum culpæ seu peccatum & quidem qua tale est.* Resp. Distinguendum est inter has duas phrases, *velle malum culpæ*, &, *velle malum culpæ fieri:* velle malum, simpliciter dictum, notat comprobationem mali, simulque inclinationem ad rei alicujus vel commissionem vel omissionem uttamque legi Dei repugnantem: Hoc est malæ voluntatis: sic *negamus, Deum velle malum culpæ:* at, velle malum fieri, nihil aliud significat, quam decernere ut malum seu peccatum ab alio fiat alio permittente; & hoc non est malæ voluntatis: sic *affirmamus, Deum velle malum culpæ:* & probamus: fundamentum hoc jacimus: non dari summum malum, sed omne malum esse conjunctum cum aliquo bono. Nunc sic argumentamur. Si Deus vult bonum illud fieri, cum quo conjunctum est malum se efficiente, ergo & vult malum fieri, quod ex parte creaturæ est cum bono conjunctum, se permittente: alioquin, si non vellet Deus, hoc malum cum bono conjunctum non foret, nec fieret: confirmamus hanc rationem. Quod bonum est, Deus vult fieri: at bonum esse, bonum est: Ergo: Sed vero, aliquod bonum non est nisi conjunctum cum malo. Ergo & bonum conjunctum esse cum malo, bonum est. Ergo & bonum conjunctum esse cum malo Deus vult. Ergo non tantum vult bonum cui conjungitur malum, sed ipsum τὸ conjungi malum, atque adeo ipsam malitiam quæ conjungitur: præsertim cum malum conjunctum sæpe cedat in bonum majus, sive alterius, sive ipsius malum committentis, semper saltem inservit manifestandæ vel misericordiæ vel justitiæ divinæ: & sic bonum est, malum fieri, atque adeo volitum à Deo, ut fiat, se permittente: imo, plus dicemus, non tantum volitum est à Deo, sed necesse est esse volitum ab eo, postquam decrevit absolute gloriæ suæ in misericordia & justitia manifestationem. Et quid multis est opus? quod bonum est, Deus vult. Peccatum fieri, bonum est, non quidem in genere honesti, sed in genere boni utilis: neque hoc mirum est, posse aliquid esse malum inhonestum, & bonum utile: neque est contra peccati definitionem, ut sit bonum utile: imo nisi peccatum esset legis transgressio & malum inhonestum, non posset esse medium conducibile ad patefaciendam Dei gloriam, in eo condonando per medium misericordiæ, aut puniendo per modum justitiæ: & à posteriori concludimus, quodcunque Deus usurpat ut medium conducibile ad finem sibi propositum, id talis est naturæ, ut ei non repugnet esse bonum in genere utilis, & ita à Deo ordinari, & decerni, & esse volitum. Sed peccato Deus sic utitur. Ergo, &c. Porro non tantum *malum culpæ est volitum*, sed etiam est volitum *qua tale.* Hac restrictione significatur, Deum velle malum culpæ, non tantum quoad materiale, actum substratum: nam eum vult voluntate beneplaciti efficiente: sed & quoad formale, seu quoad ipsam malitiam, quam vult voluntate permittente; hæc enim, non actus, est medium conducibile, quo uti *bene placet* voluntati divinæ illam malitiam permittenti. At qui istam restrictionem sic explicant, ut putent significari malum, qua tale, h. e. sub consideratione malitiæ, esse volitum à Deo, errant, & Deo & nobis injuriam faciunt: Deus enim decernendo ac volendo ut malum fiat, se permittente, non considerat illud ut malum, sed spectat id sub consideratione conducibilis ejus naturæ, quatenus potetit esse medium gloriæ divinæ: itaque *negamus, malum qua malum esse à Deo volitum,* hoc sensu, ut ratio, cur malum Deus permittat, sit ipsum malum: sed ratio, cur velit fieri se permittente, est conducibilis ejus natura ad promovendam gloriam Dei, ad quam tendere debent hæc & omnia nostra Philosophemata.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

VIGESIMA-QUINTA.

DE

DEI ÆTERNITATE.

THESIS I.

DE *Dei æternitate* ardua sane ac perdifficilis est disputatio, tanto tamen dignior contemplatione: præsertim cum molestia hæc & difficultas compensetur utilitate, qua nulla potest ex philosophando accipi major, quam si Deum Opt. Max. omnis Philosophiæ fontem & scaturiginem recte riteque cognoscamus: atque eo lubentius hoc Dei attributum pertractandum suscipimus, quod ante paucos annos luxare illud & non satis recte explicare tentaverit *Conradus Vorstius in notis suis ad Disp. suam 3. de Deo, & in Apologetica Exegesi cap. 12.* Agit de hac materia *Thom. Aquin. in summa Theol. part. 1. quæst. 10.* & ibi omnes fere *Scholastici, Pneumaticæ & Theologiæ naturalis Scriptores* istic, ubi vel *infinitatem* vel *immutabilitatem* Dei explicant, *Metaphysici* inter affectiones, quæ sequuntur existentiam, sub titulo *Durationis* vel *temporalitatis*, vel etiam ad prædicamentum *Quando*, ut *Suarez Disp. Met. 50.* Nos *Thomæ 1. part. quæst. 10.* vestigia prememus, & ex sex, quos de Dei æternitate proponit, articulis, ttes priores, post *vocis* discussionem præmissam, explicabimus: 1. *quid sit æternitas.* 2. *utrum Deus sit æternus.* 3. *utrum esse æternum sit proprium Dei.*

II. *Æternum* dicitur, vel quasi *æviternum*, notatque illud quod perpetuo durat, à voce *ævum*, quod volunt esse ab ἀιὼν, hoc autem dici quasi ἀεὶ ὤν, *semper existens*, unde scriptio antiqua habet *aiternus* quod Græcam originem sapit vel quasi *extra terminum*, id est, sine termino existens, notatque illud quod nunquam est finiendum: Ebræi vocant עולם, à quo Latinum *olim*, à rad. עלם, *occulit*, *abscondit*, quia æternitatis initium ac finis lateant, à sensibusque nostris abscondantur. Accipitur autem *æternitas*, 1. κατάχρησικῶς, *improprie*, pro *tempore diuturno & longævo*, ut cum circumcisio dicitur æterna, vel *pro tempore indeterminato*, ut cum id dicitur æternum, cui nullus certus terminus est præfixus, vel *pro duratione vitæ*, ut servitus dicitur æterna ejus, cui serviendum est ad vitam, quomodo etiam gratitudinem æternam pollicemur bene meritis de nobis. 2. κυριολέκτως, *proprie*, *pro duratione sine termino*, sive *limitate & secundum quid*, quæ fine destituitur sive termino ad quem, diciturque æternitas *à posteriori*, *seu parte post*, barbaris, qualis competit spiritibus finitis, sive *absolute & simpliciter*, quæ utroque termino caret, & à quo & ad quem, diciturque æternitas *à priori & posteriori, & parte ante & post*, quæ Deo competit, de qua nos impræsentiarum philosophamur.

III. Voce excussa, rem aggredimur; ac 1. Videbimus, *quid sit æternitas.* Æternitatis notitionem ut assequamur, notandum est, tres esse mensuras rerum, quibus eatum esse mensuretur, *tempus*, *ævum*, *æternitatem*, sicuti triplex est rerum esse triplici modo diversum. Quædam sunt res variabiles, & secundum affectiones seu accidentia, ut *homo*, & hic habet unam mensuram sui esse, sed variabilem. Aliæ sunt res invariabiles quidem secundum substantiam, sed variabiles secundum accidentia seu affectiones, ut *Angelus*, & hic habet aliam mensuram sui esse, suo modo etiam variabilem: *Deus* autem omni ex parte, & secundum substantiam, & secundum accidentia (quæ non habet) seu affectiones, est invariabilis, & hic habet mensuram sui esse pariter invariabilem, immutabilem, totam simul, & perfectam, sicuti ipsius Dei est essentia: Nam oportet mensuram esse proportio-

natam rei mensuratæ: Ideoque quemadmodum aliam habemus mensuram pro rebus liquidis, aliam pro solidis; ita aliam debemus habere mensuram *pro homine*, aliam *pro Angelo*, aliam *pro Deo*: mensura, qua mensuramus hominis esse, dicitur *tempus*: qua Angeli, *ævum*: qua Dei, *æternitas*. Ac quamvis Deus proprie loquendo non habeat mensuram, quia tamen aliter ejus durationem intelligere non valemus, dicimus eum mensurari æternitate, per quam apprehendimus durationem divini esse.

IV. Hisce præmissis videamus quid sit æternitas. Ea definiri solet ex *Boëth. l. 5. de Consol. Philos. prof. 6. interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*: quæ definitio, etsi quædam contineat quæ omitti potuissent (nam etsi quod æternum est vivat, vitamque totam simul ac perfecte & non per partes possideat, non tamen erat necesse hæc vocabula, *vita & tota simul ac perfecta possessio*, inferere æternitatis definitioni, cum rei potius æternæ quam æternitatis notioni includantur, & sufficisset dixisse, Æternitas est interminabilis existentiæ possessio) attamen quia ab omnibus *Philosophis* hactenus & *Theologis* est recepta, eam singulatim suis partibus exponemus. Dicitur *æternitas, possessio*, ut denotetur ejus actualitas & quies, est enim æternitas quædam duratio præsens, firma, fixa: *tota simul*, ad differentiam temporis: in quo est successio prioris & posterioris: una enim parte recedente altera advenit: at vero æternitas est tota simul uniformis: *perfecta*, ad differentiam instantis in tempore, quod licet totum simul est, est tamen duratio imperfecta, quin potius est continuatio durationis subsequentis vel ejus initium, quam ipsa duratio: *interminabilis*, quia æternitas caret principio & fine, ad differentiam ævi, quod habet terminum à priori, puta principium, & temporis, quod habet utrumque: *Vitæ*, ut significetur eum, qui æternitate mensuratur, viventem esse debere. Ex hisce notio æternitatis est manifesta, quod sc. sit, *duratio quædam semper præsens, sine principio aut fine, carens priori & posteriori, ac perfecta, cui nihil deest*: est *instans quoddam permanens ac perpetuum*: quemadmodum *nunc* fluens constituit tempus, sic *nunc* permanens constituit æternitatem. Sed ut aliquis æternitatis conceptus, quantum fieri potest, clarus habeatur, non melius is formari poterit, quam si ex adverso bene contemplemur naturam temporis, sunt enim æternitas & tempus duæ mensuræ diversissimæ.

V. *Tempus* est mora durationis successivæ in motu, est ipsum, quædam successio & transitus à priori ad posterius: unde Arist. definivit tempus, *numerum motus secundum prius & posterius*: nempe mensura illa, qua mensuramus partes motus, quod duret tantum vel tantum, dicitur tempus. E contrario *æternitas* significat mensuram, non variis partibus secundum prius & posterius difformem, sed plane uniformem: atque ut *tempus motum*, sic *æternitas divinum esse* mensurat, sed dissimili plane modo: *Tempus* habet prius & posterius *formaliter*, ita ut ratio temporis consistat in illa difformitate prioris & posterioris: sed *æternitas* consistit in uniformitate divini esse, & *non* habet prius & posterius *formaliter*: neque enim Divinum esse per partes æternitatis (quæ nullæ sunt) mensuratur, sicut motus partibus temporis, quæ sunt præteritum & futurum; dico *formaliter*, quia *eminenter* potest dici æternitas habere prius & posterius: nam sicut Deus omnia inferiora continet eminenter, ita æternitas, mensura divini esse, habet & continet eminenter omnes alias mensuras, & coëxistit tempori, quod habet prius & posterius: omnia namque tempora sunt æternitati præsentia: ponamus, v. c. ut aliquo modo hoc arduum negotium adumbremus, per imaginationem, unum hominem esse victurum centum annos, & in primo instanti simul habere totum illud, quod per centum annos habiturus esset, ille homo dicetur coëxistere illi tempori centum annorum, quia in quocunque anno illorum esset præsens: & potest alio simili illustrari: quemadmodum punctum, quod est in centro corporis sphærici, dum movetur corpus, est præsens ac coëxistit omnibus punctis in circumferentia existentibus, sed ipsa puncta circumferentiæ, cum inter se distent, non sibi coëxistunt in circumferentia, ita æternitas omnibus variationibus

tionibus temporum coëxiſtit, licet ipſa tempora non coëxiſtant ſibi, & ſic dicimus, omnia tempora eſſe præſentia æternitati, licet quoad nos varientur & tempora & res in tempore, ſicut illi puncto centrali omnia alia puncta, ſed variata, ſunt præſentia. Hæc aliquo modo juvant conceptum æternitatis, quæ quia infinita eſt, ab ingenio finito difficillime apprehenditur.

VI. Nunc 2. videamus, *An Deus ſit æternus?* Aff. & probamus. 1. Qui eſt immutabilis eſt æternus: at Deus eſt immutabilis. Probatur major. Quia quod mutabile eſt, vel eſſe incipit, vel eſſe deſinit: at æternum & inceptionis & deſitionis terminum ignorat. Prob. min. Quia aut ſubſtantialiter aut accidentaliter mutaretur: at neutrum dici poteſt, quia utrumque imperfectionem dicit. *Exceptio.* At in Deo ſunt prorſus idem immutabilitas & æternitas; Ergo unum non eſt cauſa alterius. Reſp. Quamvis in Deo unum non ſit *cauſa* alterius, poteſt tamen dici unum *ratio* alterius: nam conſequentia hac valet, *Quia Deus eſt immutabilis, eſt æternus:* & licet in Deo idem ſit immutabilitas & æternitas, ſufficit tamen diſtinctio rationis ratiocinatæ, ut unum ſit ratio alterius, ratio ſc. nobis cognoſcendi alterum. 2. Si Deus non eſt æternus, ergo non habebit totum eſſe ſimul, ex vi definitionis æternitatis. At poſterius eſt abſurdum. Ergo & prius. Prob. min. Si non habet totum eſſe ſimul, ergo habebit, vel eſſe poſt non eſſe, vel non eſſe poſt eſſe. At neutrum dici poteſt, quia utrumvis dicatur, jam Deus dicitur mutari, ac menſurari tempore, in quo eſt eſſe poſt non eſſe, non eſſe poſt eſſe, id eſt, prius & poſterius, quia hæc ſine tempore intelligi non poſſunt; hæc enim ſucceſſio eſt tempori propria. At Deus ſucceſſionis eſt expers, prius & poſterius non agnoſcit, ac totum ſuum eſſe ſimul poſſidet. 3. Si Deus aliquando non fuit, & poſtea fuit, Ergo factus eſt ab aliquo: non à ſeipſo: quia quod non eſt, non poteſt ſeipſum producere, ergo ab alio. At ſic non eſt independens, nec cauſa prima, quod abſurdum.

VII. Nunc 3. videamus, *An Dei ſit proprium, eſſe æternum?* Hæc quæſtio duplicem poteſt habere ſenſum, unum, de ineſſe, alterum de poſſibili. Prioti ſenſu quæritur, *An de facto nihil ſit æternum à parte Ante & poſt præter Deum?* Neg. poſteriori ſenſu, *An poſſit aliquid eſſe præter Deum tali modo æternum?* Neg. Nam quod hic quidam excipiunt, potuiſſe mundum ab æterno eſſe, id in curriculo harum diſputationum refutatum eſt Diſp. 19. patte priori & poſteriori. Sed hic grave eſt dubium. *Hominem eſſe animal,* & omnia prædicata eſſentialia ab æterno ſunt vera, Ergo ab æterno debet illis reſpondere aliquod eſſe reale: nam quomodo vera erit hæc enunciatio, *Homo eſt animal*, niſi ab æterno *homo ſit animal?* Ergo aliquid habet eſſe reale æternum, præter Deum. Reſp. Ut hæc res bene explicetur, diſtincte eſt procedendum, ac primo notandum, quod triplex ſit eſſe creaturarum, virtuale, cognitum, reale: virtuale vocatur, quod res habent in ſuis cauſis: cognitum, quod habent in intellectu: reale, quod habent in ſeipſis extra cauſas ſuas: omnes creaturæ fuerunt in virtute & potentia Dei activa ab æterno, antequam crearentur: fuerunt quoque in intellectu divino ab æterno, ſicut res artificioſæ ſunt in mente artificis: at vero in ſeipſis non fuerunt, niſi cum Deus eas produxit: itaque nulla creatura extra divinum intellectum & extra potentiam Dei activam æterna eſt. Deinde eſt eſſe quoddam eſſentiæ, & eſſe quoddam exiſtentiæ, & eſſe quoddam, quod ſignificat veritatem propoſitionis & connexionem extremorum: jam vero, nullæ creaturæ ſunt æternæ, nec ſecundum eſſe eſſentiæ, nec ſecundum eſſe exiſtentiæ, quia utrumque eſt eſſe reale: at vero ſi creaturæ ſecundum aliquod eſſe reale eſſent æternæ extra Deum, jam Platonis ſententia de Ideis obtineret, & darentur univerſalia in rerum natura ſeparata à conditionibus ſingularium, quod abſurdum eſt. Quod ſpectat illud eſſe, quod ſignificat connexionem extremorum & veritatem propoſitionis, ut cum dicimus, *homo eſt animal*, tales propoſitiones ab æterno quidem ſunt veræ, ſed tamen non dicunt aliquod eſſe reale ab æterno: & hoc eſt quod multis imponit, in iſtis propoſitionibus ab æterno veris fundata eſt veritas in neceſſaria connexione & habitudine extremorum, quæ neceſſaria

ceſſaria connexio & habitudo extremorum, ante illorum exiſtentiam nihil dicit aliud quam unum aliquod poſſibile eſſe de ratione alterius poſſibilis; id eſt, quando ipſum erit, neceſſario erit hoc vel illud; quæ veritas æterna poteſt intelligi abſque ullo eſſe reali ipſorum extremorum: v. c. hæc propoſitio, *homo eſt animal*, eſt æternæ veritatis, ſive homo ſit atque exiſtat, ſive non: veritas enim ejus in eo conſiſtit, quod non poſſit eſſe vel exiſtere homo, quin ſit *animal*, & utriuſque extremi eſſe, tantum eſt poſſibile, ſcilicet, hoc extremum poſſibile, *animal*, eſt de ratione extremi hujus poſſibilis, *hominis*. Atque ſic illam difficultatem diſſolvit quoque *Suarez* tom. 2. Diſp. Metaph. Diſp. 31. qui videri poteſt.

Diſputationum ex Philoſophiâ ſelectarum,

VIGEIMA-SEXTA.

DE

DEI IMMUTABILITATE.

THESIS I.

CUm diſp. præcedenti de *æternitate Dei* fuit actum, ejus fundamentum poſuimus *immutabilitatem*: diximus enim hanc cauſalem eſſe veram, *th. 6. Quia* Deus *eſt immutabilis*, *ideo eſt æternus*, ut immutabilitas fuerit, non quidem cauſa in rigore ſumta, ſed ratio ſaltem demonſtrans æternitatem, & cauſa, ut *Scholaſticorum* quidam loqui amant, virtualis ſeu eminentialis: nam ſi in omni demonſtratione exigeretur, ut effectio per veram cauſam realiter à ſe diſtinctam demonſtraretur de ſubjecto, actum foret de demonſtrationibus Metaphyſicis, item & de Mathematicis, ubi utrobique non intercedit diſcrimen reale inter affectiones, principia, ſive cauſas, & ipſum ſubjectum. Ergo nec ibi, cum æternitatem demonſtraremus de Deo, neceſſum eſt quærere reale diſcrimen inter ſubjectum, affectionem, & cauſam; quod ibi nullum eſt reale: ſed vero quia dubitari poſſit de cauſa, qua fuit demonſtrata æternitas, ſc. de immutabilitate, an ea ſit (cum tamen cauſam dari in demonſtrando ſupponi ſoleat) operæ exiſtimavimus pretium immutabilitatem Dei adſtruere hac diſputatione, ut præcedenti aſtructa fuit ejus æternitas.

II. De *Dei immutabilitate* hæc duo excutiemus. 1. *An poſſit naturali ratione demonſtrari?* quin enim hoc conſtet ex ſacra pagina, nulli eſt dubium, ſed nos Philoſophos agimus non Theologos. 2. *An immutabilitas ſit Deo propria, ſic ut nulli creaturæ conveniat?* ſed primum, quid per *immutabilitatem* intelligamus, videndum eſt nobis. *Immutabilitas* negat omnem mutationem, omnem motum & variationem, ſive exteriorem ſive interiorem: itaque cum Deum demonſtrabimus immutabilem, eum demonſtrabimus, nec generabilem, nec corruptibilem, nec creabilem, nec annihilabilem, nec augmentabilem, nec diminuibilem, nec alterabilem, nec mobilem motu locali, nec mutabilem ſecundum intellectum, aut voluntatem, aut ullam potentiam, aut habitus, aut actiones.

§. 1. *Deum eſſe immutabilem, ratione naturali demonſtrari poteſt.* 1. Omnis mutatio aut eſt ſecundum ſubſtantiam aut ſecundum accidens. Neutro modo competit Deo. Ergo. Non priori modo, quia quod ſecundum ſubſtantiam mutatur, eſt corruptibile. At Deus ſeu divina ſubſtantia eſt incorruptibilis, quia principium non habet: omnis enim corruptibilitas à principio eſt aliquo vel interno vel externo. Ergo. Non poſteriori modo, Quia in Deo non eſt accidens. Ergo. 2. Quod mutatur, prius eſt in potentia quam in actu: Atqui

Atqui Deus non est in potentia unquam, sed semper est in actu & actus. Ergo. 3. Omnis mutatio, aut est in statum meliorem, aut deteriorem, aut parem. Sed nullo istorum modorum mutatur Deus. Ergo. Non in statum meliorem mutari potest Deus, quia, cum sit optimus, habet statum optimum. Non in pejorem, quia sic non foret Deus. Non in æqualem, quia Deus perfectus est, nec patitur æqualem statum aut parem in natura distinctum. 4. Si Deus mutari posset, vel per potentiam, quæ est in altero; vel per potentiam, quæ est in se: non per potentiam quæ est in altero, quia sic dependeret ab altero: non per potentiam, quæ est in se, quia eam non habet; est enim purus actus. 5. Quod mutari potest non est simplex, sed componitur cum eo quod recipit & ad quod tendit. Sed Deus est simplex, quod demonstratum est *disp. select.* 21. Ergo.

IV. *Exceptio.* 1. *In Deo est liberum arbitrium: hoc autem est mutabile ad volendum & nolendum, ut, quod nunc vult, mox possit non velle. Ergo. Deus, sicut Petrum amavit cum ad Apostolatum eum vocavit, ita eundem odit, cum Christum abnegavit; transire autem de amore in odium non potest fieri sine mutatione: Ergo.* Respond. Liberum arbitrium non infert in Deo mutabilitatem, uti quidem in nobis est discutsus & ratiocinatio, modo in unum, modo in contrarium, libero arbitrio ferimur: ideoque nobis contingit, ex amore in odium, & ex odio rursus in amorem, transeundo nos mutari. Deus autem cum habeat simplicissimam scientiam ab æterno, nihil de novo vult, nihil de novo acquirit: sed per solam mutationem objecti, dicitur modo velle & amare hunc hominem, alio tempore eundem non amare & odisse: hoc enim fundamentum bene est tenendum, quod Deus idem objectum velit & non velit, amet & oderit (loquuntur hic de Deo ἀνθρωποπαθῶς) sine aliqua sui mutatione, secundum diversas rationes objecti, quæ aliquam mutationem quidem dicunt in objecto sed non in Deo: quemadmodum nunc vult me Deus scribere vel loqui, at ubi finiero, non vult me scribere vel loqui, mutatione facta in me, nulla in Deo, quia in ipso idem prorsus est judicium de rebus contrariis & contradictoriis: diversitas enim non est in actu divino sciendi vel volendi, qui idem omnino est; sed diversitas est in reipsa, quam secundum diversa tempora aliter atque aliter sese habentem Deus & scit & vult: sed de hoc argumento videatur *Select. Disp. hujus curriculi vicesima tota, & vicesimæ tertiæ thesis* 8.

V. *Exceptio.* 2. *Multa dicuntur de Deo quæ absque mutatione sui non possunt intelligi. Ergo.* 1. *Deus est intimè in nobis: sed motis nobis, omnia moventur in nobis: moveri autem est mutari. Ergo.* 2. *Si Deus annihilaret hunc mundum, & alium crearet alio loco, tum desineret esse in loco hujus mundi & inciperet esse in loco alterius mundi. Ergo mutaretur.* 3. *Deus de novo creavit mundum, assumsit naturam humanam. Ergo mutatus est. Probatur consequentia, quia nemo potest transire de uno contradictorio in aliud sine aliqua sui mutatione: sed Deus transit hic de non creante in creantem, de non homine in hominem. Ergo.* Respond. ad 1. Aliquid est in alio dupliciter: vel per quandam dependentiam à re illa, in qua est, sicuti partes integrales & essentiales sunt in toto, quia dependent ab illo, sicuti & accidentia dependent à subjecto in quo sunt; & talia moventur ad motum ejus, in quo sunt: vel absque ulla dependentia ab eo in quo est, & illud non movetur ad motum ejus, in quo est: sic Deus est in nobis, independenter à nobis: ideoque nobis motis non movetur: Quid, quod sit Deus immobilis; quod de primo motore ab *Arist. in Physicis* est demonstratum. Ad 2. Posita tali causa, Deus non moveretur, nec mutaret locum, neque enim desineret esse in loco hujus mundi, si eum destrueret, neque inciperet esse in loco alterius mundi, si alium conderet; est enim Deus immotus ubique, etiam in spatiis imaginariis, atque extra hoc universum: omnis mutatio foret in creatura, mundo, vel destruendo, vel de novo condendo. Ad 3. Notandum in genere; cum aliqua denominatio advenit alicui per mutationem alicujus rei extrinsecæ, non est necesse ut res denominata mutetur, quemadmodum

id patet in relationibus multis, quæ oriuntur ex sola mutatione termini, nulla facta mutatione subjecti; sic ovo uno existente albo, si alterum oriatur album, acquiritur sine mutatione ptioris ovi nova ab ipso relatio & denominatio similitudinis, qua illud prius est & dicitur simile posterioti: sic Petro existente homine, cum oritur Paulus aut alius homo, otitur in Petro, sine ulla ejus mutatione, relatio & denominatio identitatis, qua est idem cum Paulo aut altero homine: sic autem se res habet in creatione & incarnatione, ubi utrobique mutatio est in extremo alteto, termino sc. utriusque relationis. In specie: cūm Deus creat mundum, non mutatur, quia actio interna Dei qua vult creare mundum non mutatur, nec accedit ad Deum tum nova actio, sed accedit ad rem, quam voluit creare, nova entitas, & Deus non est mutatus ex non agente in agentem, sed res mutata est de non esse ad esse: sicut, ut crasso exemplo hoc illustremus, si sol non ingrederetur per fenestram clausam, & postea, aperta fenestra, ingrederetur, non mutatur sol, sed fenestra ex non aperta redditur apetta: Sic Deus non aliter se habet, cum creat, quam antea sese haberet, quia actio Dei non distinguitur ab ejus potentia, nec ab essentia, & hæc omnia æque sunt in Deo immutabilia: & notandum hoc est bene, quando agens idem est, quod sua actio, ut Deus, non mutatur agendo, quia semper est in actu & semper agit. Agens vero, quod non est sua actio, non semper agit; & ideo, quando agit, mutatur. Ad incarnationem quod attinet, facta est mutatio, in humanitate quæ assumta fuit, sed non in Deo aut secunda Deitatis persona assumente: Deo enim immoto & sine ulla mutatione secundæ Deitatis personæ assumta est humana natura. *Dices, Deus aut secunda Trinitatis persona acquisivit aliquod ens, quod ante non habuit: Nam humanitas ens fuit.* Resp. Concesso, quid inde? Non tamen ipse Deus acquisivit aut sibi accepit novam perfectionem, sed vere eam acquisivit & sibi accepit humanitas, dum ex non ente facta est ens, & assumta præterea in esse divinæ naturæ hypostaticum: λόγος, verbum divinum, secunda Deitatis persona, tantum terminavit istam unionem naturæ humanæ, quando fuit assumta in ὑπόστασιν τοῦ λόγου· & sic accepit novam relationem, sed non novam perfectionem: terminare enim non est nova perfectio: ergo nec accepit mutationem: Quemadmodum ego non perficior, non mutor, non moveor, sed immotus maneo, etsi divetsimode terminem motum lapidis, qui nunc mihi est dexter, nunc sinister; quemadmodum ego quoque non mutor, si alius homo oritur, ad quem referor, & quam relationem ego termino, cum ille mihi dicitur similis, aut ego ipsi, ex vi generalis fundamenti ante à nobis positi. Quod dicitur, *nihil posse transire de uno contradictorio ad alterum sine aliqua sui mutatione*, falsum est, quod patet exemplo denominationum extrinsecarum, ut quando paries non visus dicitur visus, sine ulla sui mutatione, & relationum earum, quæ oriuntur ex solius termini mutatione. Et quid multis opus est? an non nummus aliquis sine ulla mutatione sui, ex voluntate Principis, ex non pretio fit pretium? Sed secundum hujus disputationis membrum videamus.

VI. §. 2. *Immutabilitatem esse Deo propriam*, sic probati potest. 1. Omnis creatura est aliquo modo mutabilis: ergo immutabilitas est propria Dei. Prob. antecedens. Mutabilitas & mutatio est duplex, vel ad esse, vel in esse, ut cum *Scholasticis* nunc sic barbare loquamur. Prior competit omnibus creaturis, quia omnes creaturæ ex nihilo ad esse sunt traductæ. Mutabilitas & mutatio in esse, duplex est: alia in esse substantiali, quæ generabilibus & corruptibilibus convenit: alia in esse accidentali, quæ omnibus creaturis convenit, quantum ad aliquas earum actiones aut dispositiones, omnis enim creatura est mutabilis secundum esse accidentale. At Deus nullo horum modorum est mutabilis: Ergo immutabilitas est proprietas Dei. 2. Si aliqua, præter Deum, creatura foret immutabilis, esset maxime, Primo, materia prima, quæ vulgo dicitur ingenerabilis; Secundo, cælum, quod vulgo dicitur incorruptibile; Tertio, Angeli & animæ rationales, quæ substantiæ cum sint simplices atque immortales, maxime videntur immutabiles. At nihil istorum immutabile

bile est omnino. Ergo omnimoda immutabilitas solius Dei est attributum proprium.

1. Materia prima, aut nulla est talis qualem posuit *Aristoteles*, aut non est ingenerabilis, quippe quæ, si sit, non est distincta à secunda, sed conceptus tantum communis ac generic us omnium materiarum particularium, adeoque ens rationis, cui, nec generabile esse, nec ingenerabile esse, convenit. Certe, quod *Aristoteles* sibi imaginatus sit materiam aliquam, quæ neque quid, neque quantum, neque quale foret, & tamen ens, & tamen substantia, &, quod plus est, commune subjectum omnium mutationum quæ fiunt, & ultimum in quod resolvuntur, insuper quæ foret ingenerabilis, incorruptibilis, fuit fundamentum astructæ æternitatis mundi: nam ne nunc dicam, mutationem fieri in materia secunda, non prima, si ista materia prima sit ingenerabilis & incorrupribilis *Aristoteli*, qui creationem ignoravit, non minus æterna ipsi esse debet, quam ipse mundus ei æternus est: Et profecto cum mundus ipsi æternus sit, oportet & materiam mundi esse æternam, cum mundus sine materia non sit. Quare videant, quomodo mundi creationem tueantur isti, qui materiam primam ingenerabilem & incorruptibilem esse, ex & cum *Arist.* ejusque mancipiis operose astruunt, & quomodo non ex mero rationis figmento, faciant fere, si non Deum, Deam saltem immutabilem.

VIII. 2. Cælum quidem ab *Aristotele* & *Peripateticis* incorruptibile semper est habitum: sed enim ejus rei falsitas tam aperte convicta est recentioribus Astronomorum observationibus, ut qui cælum amplius incorruptibile asserat pro rerum Mathematicarum ignaro habeatur, ac à nemine ita esse asseri possit, nisi qui eo impudentiæ veniat, ut omnes astronomorum observationes elevare & tanquam fide indignas rejicere audeat; quod equidem ego à me non impetro ut faciam, qui artificibus, præsertim viris doctis & honestis, credendum in sua arte existimo. Sed argumento probemus invicto cæli corruptibilitatem. In quo generantur novæ stellæ ac novi cometæ, illud est generabile, consequenter & corruptibile. Atqui in cælo generantur, &c. Ergo. In cælo fuisse generatos cometas novos, 1577. 80. 85. 90. 1607. 1618. stellas novas fuisse generatas, ut Cassiopeæ, 1572. in Cygno, 1600. in pede serpentarii, 1605. à *Clavio*, *Tychone*, *Keplero*, aliisque, est observatum ac demonstratum. Negabunt fortasse nonnulli fuisse in cælo, vel illos cometas, vel illas stellas. Sed ex parallaxi convincuntur. Quæ minorem habent parallaxin, remotiora censentur quam quæ majorem, & quæ nullam, remotissima. At stellæ novæ nullam, cometæ novi multi, minorem habuerunt parallaxin quam luna, Ergo fuerunt remotiores quam luna. Ergo in cælo. Ergo hoc est corruptibile. Nam quæ erit materia cometarum novorum? non exhalatio sublunaris, quippe quæ ultra 3. milliaria à terra non progreditur, ut docent observatores crepusculorum; & cometæ tam magni fiunt, ut absurdum sit illis adscribi materiam terrestrem: non concursus multorum siderum; quomodo enim tam multa ad idem punctum concurrerent? Ergo restat ut dicamus eam esse vibratam ex planetarum corporibus, quæ ubi est congregata, cometa novus sequitur ductum fere superantis materiæ: sic certe censuit *inclytum olim Academiæ nostræ lumen, Clariss. D. Willebrordus Snellius in Cometa* 1618. *descript.* c. 7. Cometas sub sole fieri ex effluviis solaribus, qualia manifeste ostendunt faculæ & maculæ solares, quæ irrefutabile sunt corruptibilitatis in cælo testimonium. Materia novarum stellarum paritet est, quæ vibratur, retrocedit, egreditur ex ipsis stellarum, cum scintillant, corporibus: hujus enim materiæ lucentis, ex pluribus stellis per scintillationem vibratæ collectio, novum sidus facere potest: ac stellas scintillare, scintillando materiam vibrare, ab Astronomis evictum est; imo circa stellas fieri exhalationes, per tubum opticum observavit, *in nuncio sidereo*, *Galilæus de Galilæis*, quod maximum est iterum corruptibiliratis in cælo argumentum: Oriuntur autem novæ stellæ potissimum in via lactea: hic enim locus maxime vibrationi stellarum convenit, quia ibi maxime sunt stipatæ stellæ (nam qui Galaxiam meteorum statuunt cum *Aristotele*, ineptiunt & ab experientia refutantur) unde ibi copiosior materia vibra-

tione ſtellarum ad novi ſideris productionem in unum conjici poteſt ac compingi.

IX. 3. Angeli & animæ rationales ſunt immortales & incorruptibiles natura ſua, & à principio interno, & à nulla cauſa ſecunda: atà Deo & ejus potentia ac cauſa prima corrumpi & annihilari poſſunt. Sed de Angelis (& de animabus) hoc alias probatum dedimus publicis diſputationibus. Deus autem omni modo eſt immortalis & immutabilis.

Diſputationum ex Philoſophiâ ſelectarum, VIGESIMA-SEPTIMA.

DE IMMENSITATE DEI.

THESIS I.

IMMENSUM, quoad vocem, idem eſt, quod non habens menſuram: quemadmodum *infinitum* eſt, quod non habet fines: & ſic hæc duo vocabula fere ejuſdem latitudinis ſunt in ſignificando. Attamen uſus obtinuit nunc apud *Scholaſticos*, & *Metaphyſicos*, ut infinitatis vox paulo ſumatur latius, dicaturque de eo, quod nullos habet fines, limites, terminos, ſive eſſentiæ, ſive quantitatis, ſive virtutis, ſive perfectionis cujuſcunque: *immenſitas* vero ſignificet iſtum infinitatis modum, quo quid eſt illimitatum, incircumſcriptum, interſtrictum, ſecundum præſentiam ad rem aliam aut ad locum: *Thomas Aquinas* 1. *p. quæſt.* 8. & *Mag. Sent. Lombardus* 1. *diſt.* 37. pro hoc termino *immenſitatis*, utuntur hoc, *exiſtentia Dei in rebus*, aut ejus, *quod eſt ubique* ſive *ubiquitatis*. Nonnulli tamen *Scholaſticorum*, *immenſitatem* Dei diſtinguunt ab *ejus exiſtentia in rebus* vel *ubiquitate*, & ſic ſatis ſubtiliter: dicunt enim iſta ſe habere, ut actus ſecundus ſe habet ad primum, aut ut actus & habitudo ad actum: exiſtentia Dei in rebus & ubiquitas eſt illis præſentia actualis, immenſitas præſentia aptitudinalis, qua Deus aptus eſt eſſe præſens in omni re, quando eſt aut erit: voluntque inſuper, immenſitatem Deo competere ab æterno, exiſtentiam in rebus & ubiquitatem ſolum ex tempore, quo cœperunt eſſe res creatæ, in quibus exiſtit: Nos hanc iſtorum hominum diſtinctionem ſuo in pretio relinquimus, & rem ipſam explicatum imus.

II. *Immenſitatem* Dei *Aquinas* probaturus *loc. cit. art.* 1. hanc adfert rationem. Omne agens debet eſſe conjunctum paſſo, in quod agit. Sed Deus eſt univerſale agens, efficiens omnia & in omnibus quæ ſunt. Ergo etiam conjunctus eſt & intime præſens in omnibus. Hac ratione utitur ibidem in ſuis commentariis *Cajetanus*, utuntur & cæteri fere *Scholaſtici*, & inter alios longiſſime eam exponit *Suarez Metaph. diſp.* 30. *ſect.* 7. *à numer.* 3. *ad* 44. Verum 1. ipſe *Suarez* fatetur *num.* 11. principium, in quo *major* hujus rationis fundatur, nondum eſſe efficacitet demonſtratum, quamvis ipſe ſex folia integra fere conſumſerit circa ejus defenſionem & explicationem *diſp.* 18. *ſect.* 8. 2. Ex doctrina *Ariſtotelis*, quam *Suarez* tam copioſe exponit de propinquitate agentium ad paſſa, omnipræſentia Dei non ſatis efficaciter poteſt oſtendi, quia *Ariſt.* ſolum requirit in agente, ad paſſum propinquitatem: at noſtra quæſtio nunc eſt de intima Dei in rebus omnibus præſentia & immenſitate. 3. *Major* falſa eſt de conjunctione, propinquitate, vel immediatione *ſuppoſiti*, de qua tamen impræſentiarum eſt ſermo: an non Sol hæc inferiora illuminat, continuo quodam influxu ſine præſentia ſuppoſitali? Et ſimilia exempla ſunt plura. Quare nos hanc tationem omittentes, aliunde probabimus Dei immenſitatem, 1. ex *immutabilitate Diſp.* 26. aſſetta. Nullum immutabile poteſt eſſe diſtans ab aliquo loco. Deus eſt immutabilis.

Ergo

Ergo non potest esse distans ab aliquo loco; quod est esse immensum. Minor supponitur ex *disp. præced. Major. prob.* quia omne distans ab aliquo loco potest ad illum moveri, sive à seipso, sive ab alio motore: immutabile non potest moveri. Ergo non potest esse distans ab aliquo loco. 2. Ex *æternitate disp.* 25. asserta. Deus caret mensura temporis. Ergo & loci: atque adeo sicut omnibus temporibus, ita & omnibus locis est præsens: est argumentum à pari: neque ulla disparitatis ratio reddi potest. 3. Ex *infinitate* & *perfectione* Dei. In ente infinito debet esse in summo gradu omnis perfectio simpliciter: at posse esse præsentem alicubi, est perfectio simpliciter: quam enim involvit imperfectionem? debet autem esse in ente infinito in summo gradu: non esset autem in summo gradu, nisi tale ens esset aptum esse ac de facto esset præsens omnibus rebus & locis. Ergo. Atque hæc est *immensitas & ubiquitas.*

III. Demonstrata immensitate Dei, videndum est ulterius, *quo modo* sit immensus: *modus* certe, quo Deus est ubique, inexplicabilis fere est atque ineffabilis, ac facilius dicitur *quomodo non* sit ubique qui ubique est, quam *quomodo sit.* Modus immensitatis, omnipræsentiæ & ubiquitatis divinæ, non est 1. *quantitativus*, qui fiat corporeæ molis diffusione, aut quantitatis additione, extensione, multiplicatione, prout in corporibus contingere potest: Deus enim spiritus est. Neque est 2. *localis* aut *circumscriptivus*, ab ambiente seu continente corpore factus, ita ut extra illud continens non sit, qualis est præsentia corporum, loco ita circumscriptorum, ut extra illum non sint, nam talis præsentia spiritibus creatis denegatur, multo magis Deo: &, quod non est quantum, non potest circumscribi loco: &, quod circumscribitur loco, commensuratur loco: at Deus nec quantus est, nec loco commensurabilis. Quare Deus *non est in loco ut contentum, neque localiter aut circumscriptive*, sed ita ut sit ibi, ubi est illud, quod dicitur locus: quemadmodum (per impossibile) si duo corpora se penetrarent, unum quidem esset ubi esset aliud, unum tamen non esset locus alterius, neque unum esset in alio localiter: sic Deus est ibi ubi locus est, non tamen est in eo, quod locus est, localiter. Neque est 3. *definitivus* modus præsentiæ divinæ: quia hic modus ita definit rem in uno spatio, ut non possit ea esse præsens alteri. At Deus est ita præsens in hoc spatio, ut simul sit in aliis omnibus, ita in hoc mundo, ut, si infiniti essent, in omnibus quoque futurus esset. Sed 4. est *repletivus, indivisibilis, illocalis, inextensus, impermixtus*, juxta quem Deus est in omni re creata totus & in quavis ejus parte, sed totus negative.

IV. Solet alio modo etiam explicari Dei *ubiquitas* aut *immensitas*, aut *omnipræsentia*, juxta versiculum vulgatum: *Enter, præsenter, Deus est & ubique potenter.* Quod sic explicant *Commentatores* ad *Mag. Sent.* 1. *dist.* 37. Deus est in omnibus *per essentiam*, quatenus substantia ejus ab omnibus habetur, quatenus omnibus intime illabitur; *per præsentiam*, quatenus omnia sunt in ejus prospectu, & nuda atque aperta oculis ejus, sicut aliquis dicitur esse præsens in domo, cum omnia, quæ sunt in domo, sunt in conspectu illius; *per potentiam*, quatenus omnia facit & conservat, sicut rex dicitur esse in toto regno per potentiam, quia potestas ejus ubique operatur, quatenus regit omnia: duo hi posteriores modi sunt improprii & huc non pertinent, sed primus tantum.

V. Speculativa hic sese offert quæstio, à *Scholasticis & Metaphysicis* hic disputari solita, *An Deus non tantum sit in hoc mundo in universis locis realibus, sed etiam extra mundum in spatiis imaginariis?* ita quidem statuunt *Conimbricenses, l.* 8. *Phys.* 10. *quæst.* 2. *Fonseca l.* 3. *Metaph. c.* 15. *quæst.* 9. *s.* 4. multique alii. Nos cum iis quoque asserimus, Deum actu & vere esse extra mundum; & quoniam spatium infinitum imaginamur extra cœlum, vere Deus est in hoc spatio infinito imaginario: quia quod est immensum, aptum est replere & replet omnia loca vera & imaginaria: &, si Deus non esset in spatiis imaginariis extra mundum, tum si alium mundum conderet (quod non implicat) vel si hunc transferret in locum alium, aut non esset ibi,

aut acquireret novum locum & mutaretur, quod absurdum. Deus tamen extra hoc est universum, non tanquam in mundo hoc visibili, sed ut excedens universa & potens condere nova entia in istoc spatio imaginario, in quibus intime sit: nam cum Deus dicitur esse in spatiis extra mundum, *τὸ extra mundum*, potest accipi bifariam; vel sic, ut designet & determinet aliquid reale extra mundum, in quo Deus sit, & ita Deus non est extra mundum; vel potest accipi *τὸ extra* pro eo, quod est non intra, limitare, quo pacto Deus est extra mundum, quia non limitatur, non coarctatur; intra hunc mundum, non restringitur ad hoc universum, quia ab eo non continetur, non definitur, sed vero ipsum longe excedit. Atque ex hisce etiam intelligitur, Deum non esse in spatiis imaginariis extra res creatas secundum respectum continentis, quia hujusmodi respectus continentiæ fundatur in efficientia Dei, per quam ponitur in esse res, in qua dicitur existere, per modum, non contenti, sed continentis: ubi ergo nihil effecit, non existit istoc modo: at spatiis imaginariis nihil effecit Deus. Ergo. Est itaque Deus in istis, ut erat ab æterno antequam mundum conderet.

VI. Verumenimvero, ut hoc negotium de spatiis imaginariis, & quomodo in iis existat Deus, dexrre intelligatur, paulo fusius de eo philosophabimur: est enim difficile & dignum explicatu: procedemus à simili aut potius dissimili. Corpus alicubi existens duplicem respectum significare potest: Primus est contenti ad continens, ut est aquæ ad vas in quo existit: secundus est respectus replentis ad id quod erat de se vacuum, quomodo corpus dicitur esse in spatio, & totus mundus dicitur esse hic, tanquam replens hoc totum spatium: atque inter hos duos respectus advertenda est differentia: nam primus terminatur ad rem realem, continentem, distinctam à re contenta: secundus non item: sed est tantum motus quidam corporis, quo replet hoc spatium, & non aliud: ipsum enim spatium, quod repletur à corpore, non est res aliqua, sed est quædam distantia aut vacuitas, apta repleri corpore. Deus neutrum istorum respectuum habet proprie: habet tamen aliquid proportionaliter correspondens utrique. Deus non est in aliqua re tanquam contentus ab illa: sed est in omnibus tanquam continens illas virtute activa, qua eas conservat, quæ est eadem cum illa, qua creavit: & hunc primum respectum non habet Deus in spatiis imaginariis extra mundum, quia hujusmodi respectus fundatur in Dei efficientia, per quam res ponitur extra causas. Rursus, Deus est in aliquo spatio tanquam replens illud, sed non modo quantitativo instar corporis, quia Deus quantus non est; loco tamen hujus respectus debemus intelligere in Deo quandam præsentiam substantialem, qua per substantiam suam adest omnibus rebus quasi substantialiter replens illas, quia intime inest in omnibus: & hos duos in Deo respectus distinguit intellectus, & intelligit unum non esse alium: nam si (per impossibile) intelligeremus Deum non conservare hunc mundum & intelligeremus nihilominus Dei substantiam infinitam & immutabilem, possemus intelligere substantiam Dei præsentissimam rebus omnibus & esse intra omnes: nam substantia Dei infinita ubique est immutabiliter: &, si cessaret ejus actio conservandi res, & cessante conservatione posset manere creatura, nihilominus ibi & in creatura Deus esset ac maneret. Hisce animadversis, negamus Deum in spatiis imaginariis habere respectum primum continentis, qui fundatur in creatione & conservatione rerum ad extra; asserimus tamen Deum vere esse in iis præsentia substantiali repletiva: neque ad substantialem Dei ac repletivam præsentiam in spatio, est necessaria ejus operatio, neque requiritur respectus alicujus creaturæ, termini aut entis realis, quod terminet Dei præsentiam substantialem repletivam: & hoc probamus à simili: quia ut corpus repleat aliquod spatium, non est necessarius respectus continentiæ, id est, ut contineatur ab alio corpore: Ergo multo minus in Deo. Probatur antecedens. Nam totum hoc universum revera replet hoc spatium in quo est, non tamen continetur ab aliquo corpore, quia extra cælum extimum nullum est corpus ambiens, aut daretur progressus in infinitum: &, ponamus Deum condere hominem extra hunc mundum;

mundum; homo iſte repleret ſpatium & tamen non contineretur à corpore: ponamus, Deum annihilare totum aërem & aquam, terra nihilominus repleret ſuum ſpatium, licet contineretur à corpore: imo, concipiamus, Deum annihilare omnia ſublunatia intra concavum Lunæ, & ſibi eſſe decretum, perpetuo conſervare hoc vacuum, certe illud vacuum totum eſſet plenum ſubſtantia Dei: nam non poteſt concipi, quomodo ſit Deus præſens futurus toti cælo, niſi ſimul præſens ſit illi ſpatio intermedio: &, ſi oculis corporeis videri poſſet, videretur in iſto ſpatio. Quare iſte reſpectus ad ſpatium, quod repletur, non requirit rem diſtinctam extrinſecam ab ipſa re, quæ dicitur eſſe in ſpatio, ſed ſolum ſignificat modum intrinſecum ejus, qui non dependet ab aliqua efficientia, neque ab aliqua re extrinſeca: & ſive ſpatium, quod repletur, contineat aliud corpus, ſive non, hoc nihil facit aut pro aut contra hoc noſtrum inſtitutum.

VII. §. 1. Exceptio. *Illud ſpatium imaginarium eſt nihil, ergo non poteſt intelligi Deus eſſe in illo, quia eſſe in aliquo dicit habitudinem ad rem realem: confirmatur; nam ratio, cur Deus ab æterno non fuerit in mundo, eſt, quia mundus tunc nihil erat.* Reſp. 1. In genere, proferendo inſtantiam in corpore & mundo replente ſpatium; nam quæro quomodo in eo ſint, ſi ſpatium eſt nihil. 2. In ſpecie, negando conſequentiam, & ad probationem dicendo, quod eſſe in aliquo ſecundum reſpectum continentis & contenti, dicit habitudinem ad rem realem: at eſſe in aliquo tanquam replens illud, per ſuam præſentiam, non dicit habitudinem ad rem realem, diſtinctam ab ipſa re, quæ ibi dicitur exiſtere: ſed ſolum dicit in illa modum quendam ſe habendi, qui eſt in corporibus ubicatio paſſiva, in Deo immenſitas: ad confirmationem, falſum eſt illud antecedens, nam Deus ab æterno fuit in iſto ſpatio, quod nunc mundus replet: ſi enim incepiſſet eſſe in hoc ſpatio, cum mundum conderet demum, fuiſſet mutatus, quod abſurdum. §. 2. Exceptio. *In rebus poſſibilibus Deus non eſt, quia nihil ſunt, ergo nec in ſpatiis imaginariis, quæ pariter ſunt nihil.* Reſp. Eſt elenchus parium aut ſimilium. Deus eſt in rebus, prævia cauſalitate, & creandi & conſervandi, qua eas quaſi continet; at eam non exercet circa res poſſibiles, quamdiu manent tales & ſunt in potentia. Et ideo non eſt in rebus poſſibilibus, ut ſic. At in ſpatio non dicitur Deus eſſe media cauſalitate, ſed per ſubſtantiam ſuam, qua replet illud: at res poſſibilis repleri nequit. Ergo. §. 3. Exceptio: *Deus ſolum eſt ubi operatur: at in ſpatio imaginario non operatur. Ergo.* Reſp. Vid. th. 2. hujus diſp. deinde vera eſt major de modo exiſtendi in rebus per modum continentis, non de modo exiſtendi ſecundum præſentiam ſubſtantialem & repletivam. §. 4. Exceptio. *In ſpatio imaginario poteſt tantum eſſe aliquid imaginarie: at ut Deus ſit alicubi imaginarie, eſt abſurdum. Ergo.* Reſpond. Illud ſpatium dicitur imaginarium, in quantum illud fingimus & imaginamur per modum entis poſitivi, ut tale, ad ipſum explicandum: tribuuntur enim ei à mente noſtra quædam attributa, ac ſi ens poſitivum foret: in re tamen nihil poſitivum reale dicit: ac licet nihil ſit reale, eſt tamen ſuo modo, ut privationes ſunt: eſt enim privatio aut corporis aut rei, quæ in eo eſſe poteſt: eſt enim tanquam vacuum quoddam aptum repleri corpore: vacuum autem privationem ſignificat; & hoc ſatis eſt, ut res ſpatio iſto dicatur eſſe, ſicut res dicitur replere vacuum: interim reſpectu Dei omnia implentis non eſt vacuum, & Deus in eo eſt vere non imaginarie: Quod autem hoc vacuum ſpatium ac privatio illa ab æterno fuerit, nihil eſt abſurdi: ſicut non eſt abſurdum quaſdam relationes aut modos ab æterno fuiſſe.

Diſpu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, VIGESIMA-OCTAVA.

DE ORTU ANIMÆ RATIONALIS.

THESIS I.

CUm disputationum harum curriculum instituimus primum, promiscue nos de variis acturos esse materiis, nullo servato ordine, ad solum placitum & lubitum Respondentium, disp. pr. indicavimus: atque ita diversas jam sumus explicando persecuti. Inter disputationes jam ante habitas, sexta fuit *De Ortu animæ rationalis*, quam tunc *non ex traduce* sed à Deo esse κατασκευαστικῶς argumentis aliquot adstruximus: nunc visum est ἀνασκευὴν argumentorum, si non omnium, saltem præcipuorum, in partem contrariam, instituere, & solutionum fontes breviter proponere.

II. *Argumenta* pro rationalis animæ per traducem propagatione, dudum sunt generum. quædam *Theologica*, quædam *Philosophica*. Theologica ex variis Scripturæ locis desumta ad Theologos ablegamus, nisi quod unicum illud ac tritissimum & à *Traduciariis* fere pro insolubili habitum à peccato originali desumtum, bona Theologorum pace & venia, hic solvere, pretium nobis videatur operæ. 1. Hoc igitur esto decantatissimum pro traduce argumentum. *Si anima rationalis non propagetur à parentibus in liberos per traducem, ergo nec peccatum originale propagari aut traduci poterit: quia non potest accidens traduci aut propagari sine subjecto.* Ad hoc palmarium *Traduciariorum* argumentum variis modis responderi solet à Philosophis pariter ac Theologis: possunt videri variæ variorum solutiones in unum congestæ à *Rob. Baronio in Philosophia Theologia ancillantis Exercitatione secunda, art. 8. & sequentibus.* Nos, ne aliorum sententiis operose exponendis & tempus perdamus & chartam, sic hunc nodum solvimus. *Negamus consequentiam, & in probatione falsam adstrui hypothesin*; quod peccatum originale sit accidens, *dicimus:* atque ut totum negotium clarissime percipiatur, duas hasce quæstiones accurate inter se esse distinguendas censemus. 1. *Quænam concurrant ad peccati originalis propagationem?* 2. *Quænam sit causa proxima efficiens vel deficiens potius, per quam inexistat aut inhæreat peccatum originale, Petro aut Paulo immediate, ut ejus singulare peccatum?* Quemadmodum longe etiam differunt, quænam concurrant ad generationem? &, Quænam sit causa proxima geniti? Primam quod spectat quæstionem, concurrunt ad peccati originalis propagationem, 1. Adamus. 2. Singuli homines qui nascuntur. 3. Parentes. 4. Deus. §. 1. Adamus concurrit, ut caput & radix generis humani, quod ipse repræsentavit, dum peccaret. §. 2. Homo unusquisque, qui nascitur, concurrit ad propagationem peccati originalis, tum ut subjectum ejus, tum ut causa directe causans, deficiens, propria, proxima, emanativa hujus venenatæ qualitatis. §. 3. Parentes concurrunt per generationem, quæ est tantum causa sine qua non existeret peccatum originale in hominibus. §. 4. Deus concurrit ad peccati originalis propagationem, & ut creator, & ut justus judex, justa & efficaci providentia, primum efficienter procurando propagationem hominum, producendo corpus, creando animam: sine quo utroque nulla esset peccati originalis propagatio: deinde permittendo, ut omne peccatum, sic & originale, quod sit: denique non suppeditando donum imaginis suæ, quæ non est actio realis & positiva, sed cessatio potius ac deficientia ab actu in Deo ac justa hominis pœna? intelligimus hic deficientiam non moralem, qua Deus deficiat

deficiat ab eo quod debuit, sed naturalem (ut loquuntur) qua quis deficit ab eo, quod potuit, sed non, quod debuit: atque hæc omnia, quæ à Deo procedunt, sunt tantum antecedentia, respectu peccati originalis, quod propagatur, & non causæ, adeoque inferunt necessitatem consequentiæ tantum. Atque ut ad secundam quæstionem respondeamus quoque distincte, Deus nullo modo est causa, nec principalis, nec instrumentalis, nec meritoria, nec remota, nec proxima, cur peccatum originale sit in Petro vel Paulo, quamvis sit causa justæ subtractionis imaginis suæ & sit causa suæ permissionis, itemque productionis animæ ac corporis, ad quæ omnia peccatum originale sequitur, tanquam consequens ad antecedens. Sed nec parentes, qui generant, nec ipsa generatio, sunt causa per se, seu principalis, seu instrumentalis, sed merum sunt antecedens, sine quo non existeret peccatum originale in Petro, aut Paulo: per parentes & generationem enim producitur subjectum quidem peccati originalis, Petrus aut Paulus, non vero ipsum peccatum originale: simul ac tamen Petrus est productus aut Paulus, jam statim quoque hoc peccatum originale est, absque quo, ne momento quidem, illi sunt. Itaque proxima causa, non quidem efficiens proprie sed deficiens, per quam inexistat aut inhæreat Petro vel Paulo peccatum originale, est ipse Petrus vel Paulus, & unusquisque homo sui peccati originalis & principium & subjectum simul, & author & possessor est. *Ad probationem*, quod dicitur accidens non posse traduci aut propagari sine subjecto, *respondeo*, peccatum originale non esse accidens, neque tamen substantiam, sed privationem: ideoque non est quærenda positiva & realis causa, quæ reali actione hoc peccatum producat, nam actionis positivæ ac realis terminum oportet esse realem & positivum; sed illa, sive propagatio, sive traductio, peccati originalis à parentibus in liberos, privativa potius est ac moralis, quam positiva aut physica: & concipi debet eo modo, quo traducitur ac propagatur in prolem privatio privilegiorum, paupertas, infamia, propter crimen progenitoris. Atque ex hisce satis liquet inepte hanc quæstionem vulgo proponi; *aut per animam propagatur peccatum originale, aut per corpus?* Resp. Per neutrum; quæro enim similiter; aut per animam propagatur paupertas, aut per corpus? respondendum est haud dubie, per neutrum. Sed sicuti justitia originalis erat totius hominis, ita & peccatum originale: & sicut ista fuisset propagata à toto homine in totum hominem, etiam creante animam Deo, ita nunc & peccatum originale propagatur à toto homine in totum hominem, etiam creante animam Deo: absurde ergo quæritur, per utrum propagetur.

III. 2. Argumentum esto tale. *Si anima hominis non producitur virtute seminis, igitur homo non generabit hominem, sed tantum corpus ejus, quæ pars est hominis inferior atque ignobilior.* Resp. Homo vere generabit hominem etsi anima à Deo creetur; 1. Non quod tribuat ei corpus tantum, sic enim generat corpus hominis, non totum hominem, & generatio non est nuda materiæ suppeditatio. 2. Non quod disponat corpus ad receptionem animæ, quia hæc est tantum mutatio ad qualitatem & alteratio, generatio vero est ad substantiam. 2. Non quod ex materia educat aut in ea efficiat animam vegetativam vel sensitivam; nam sic homo non hominem, sed hoc vivens, & hoc animal, seu rudimentum potius utriusque, generaret. 4. Sed quia animam rationalem substantialiter unit, ut jam illa incipiat informare, inhabitare, implere totam materiam corporis: nam generare hominem, est, tribuere τὸ esse homini: at esse hominis, neque in anima, neque in corpore tantum, consistit, sed in unione ejus, ut homo vere constet anima & corpore, homo enim non est talis per alteram essentiæ partem, sed per totam essentiam, quæ non est nisi anima & corpore unitis. Instantia 1. *Deus creando animam unit. Ergo non est opus actione generantis, qua uniat.* Resp. Cum Deus creat animam, unit quidem, sed non se solo; verum simul cum generante, concurrendo cum eo per communem concursum ad actionem unitivam, quam generans virtutis seminalis interventu elicit. Instantia 2. *Nulla potest dari actio unitiva ex parte generantis, quia deberet esse spiritualis propter terminum ad quem talem:*

at hæc à potentia materiali, virtute seminali, proficiſci non poteſt. Reſp. 1. A potentia materiali poſſe elici actionem ſpiritalem, quando iſta actio non eſt productiva rei ſpiritalis, ſed ejus tantum unitiva. 2. Licet actio illa tendat ad animam rationalem, quæ eſt immaterialis, verſatur tamen circa eam, quatenus eſt unibilis corpori, &, quatenus ſic, habet anima rationalis aliquo modo eſſe materiale, & dependens à corpore, tanquam à materia in qua ſit & cui uniatur: quod ut melius concipiatur, notandum eſt, rationalem animam poſſe ſpectari abſolute quoad ſuam eſſentiam ſimpliciter, vel relative ad corpus cum quo unitur & cujus eſt forma: quoad eſſentiam, à corpore nullo modo dependet; at in quantum forma eſt, hactenus dependet à corpore, ut officium informandi & actuandi exercere nequeat, ut forma eſſe non poſſit, niſi cum corpore uniatur: & ſic atque ſub hoc reſpectu terminatur actio unitiva hominis in animam: itaque eſt actio quidem illa, reſpectu principii agentis, materialis; ſecundum quid, ratione termini uniendi, ſpiritalis; quatenus eſt conjunctio ſeu unitio formæ ſpiritalis cum ſubjecto materiali. *Thomas & Thomiſtæ* generationem ſubſtantialem viventis conſiſtere ajunt in pura quadam reſultantia ad formam ſubſtantialem & totum compoſitum terminata, ita ut non ſit actio diſtincta à præcedenti alteratione, ſed ut iſta reſultantia naturalis, & forma, & compoſitum, quæ reſultant, ſint termini alterationis ſecundarii, terminus vero ejus primarius ſit diſpoſitio ultima & reliquæ ultimam præcedentes: imo impoſſibile exiſtimant, ut forma ſubſtantialis aut totum compoſitum producatur ab agente actione, quæ directe ad ipſam ſubſtantiam terminetur, ſed produci volunt tantum indirecte per reſultantiam, ut dixi, naturalem, ratione nexus inter diſpoſitiones introductivas & ipſam formam. Videantur de hac ſententia, quam latius explicant & propugnant, *Complutenſes in lib. de Generat. & corrupt. diſp.* 2.

IV. 3. Argumentum eſt. *Quomodo producitur anima vegetativa & ſenſitiva, eo modo & rationalis; quia eſt una & eadem ſecundum ſubſtantiam & rem anima. Sed vegetativa & ſenſitiva anima producuntur ex ſemine. Ergo.* Reſp. Negamus, vegetativam, ſenſitivam & rationalem, eandem, quoad ſubſtantiam & ſecundum rem, eſſe animam: ſed vero hæ animæ in homine ſunt diſtinctæ, & anima vegetativa ac ſenſitiva formæ ſunt, non quidem hominis, ſed in homine, diſponentes ac ſubordinatæ, rationalis, principalis ac ultima, & non tantum in homine ſed ipſius hominis: quod quia alias eſt probatum, objectionem hanc ſolvemus. *Si in homine ſint tres animæ, vel omnes ſunt immortales ac ſeparabiles vel intellectiva tantum.* Reſp. Intellectiva tantum. Inſtantia. 1. *Hinc ſequetur, in reſurrectione non redire eundem hominem abſolute, ut qui duas novas animas accipiat.* Reſp. Non ſequi hoc, quod infertur. Quia novæ iſtæ animæ non magis diverſitatem inducunt, non magis unitatem & identitatem hominis tollunt, quam novæ formæ accidentales, quæ quotidie novæ inducuntur: & in reſuſcitatione erunt, novus calor, humiditas, temperies; erunt & novæ formæ corporeitatis ac mixti, & totales, & partiales: nam, quoad totales, forma corporis humani perit: accipit enim materia in reſolutione varias formas aliorum corporum, pulveris, vermium, &c. partiales quoque formæ, capitis, cordis, brachii, manus, &c. pereunt, quæ in reſurrectione novæ inducentur, & tamen erit idem numero homo: fundamentum hujus rei eſt, quod formæ diſponentes, ſive ſubſtantiales, ſive accidentales, identitatem numericam non mutent, licet ipſæ mutentur. Inſtantia. 2. *Sequitur novas illas animas damnari, licet nihil mali fecerint, vel ſalvari, licet nihil effecerint boni: quod cum juſtitia & veritate Dei nequit conſiſtere.* Reſp. Nullo modo ſequi illationem: nam nec anima vegetativa, nec ſenſitiva: ſunt ſubjectum præmii vel pœnæ, ſicut proprie non ſunt ſubjectum nec cauſa boni vel peccati, ſed anima rationalis, uti proprie peccat & bene agit, ita proprie illa punitur vel præmiatur: animæ iſtæ uti in peccando & bene agendo ſunt conditiones tantum & cauſæ ſine quibus non, aut ad ſummum inſtrumenta, ita & in præmiando & puniendo: certe, gloria illa cæleſtis non pertinebit ad partem ſenſualem aut vegetantem.

Deinde,

Deinde, non sequitur, si hæc temperies & hæ dispositiones sunt, cum pecco; ergo hæ ipsæ debent puniri, aut non idem numero corpus vel homo punietur: nam pone hominem quem peccare anno vigesimo, puniri centesimo, non sunt tum eadem in ipso temperies, aut eædem dispositiones, & tamen idem numero homo punitur: tota sunt temperies corporis humani omnesque ejus dispositiones in morte intereunt & novæ producentur in resurrectione, & tamen idem numero corpus ac homo punietur: ita etiam licet novæ animæ sint vegetativa & sensitiva, quam eæ in quibus homo peccavit, idem tamen homo punitur, quia habent se istæ animæ ad hominem, ut temperies ad corpus, utrobique ut dispositio, quæ unitatem ut non facit, ita nec aufert. Similiter de præmiatione est dicendum.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, VIGESIMA-NONA. DE SCIENTIA DEI.

THESIS I.

IN Disputationum harum curriculo vigesimam instituimus de scientiæ divinæ immutabilitate; in qua ejus, tum descriptionem, tum partitionem, suppositimus: nunc animus est, ipsam *Dei scientiam* nonnihil latius exponere. Disputat de ea *Aquinas* 1. *summ. Theol.* 14. & ibidem *Commentatores*, *Metaphysica & Pneumatica scriptores*, in attributis Dei explicandis; qui authores videri possunt: nos in compendium contrahemus, & paucis thesibus comprehendemus, quæ diffuse ab iis disputantur.

II. *Esse in Deo scientiam*; non quidem quæ sit qualitas, aut habitus, aut cognitio realiter ab intellectu deducta ex præmissis, uti scientia est in nobis, hæc enim omnia imperfectionem arguunt, quæ à Deo est removenda: sed eam dari in Deo, quæ sit certa & evidens cognitio, eadem cum essentia divina, sicuti & reliquæ sunt affectiones, & non realiter ex præmissis deducta, ex Scripturis est manifestum, at nos rationibus probatum dabimus. §. 1. Omne quod agit propter finem, aut sibi finem præstituit, aut ipsi finis ab alio præstituitur: sed agentia naturalia agunt propter finem, quia uniformiter & certo operantur: ergo aut ipsa sibi finem præstituunt, aut ab alio iis præstituitur. Sed multa agentia naturalia non possunt sibi præstituere finem, quia carent cognitione, ut ignis & aqua &c. Ergo ab alio præstituitur illis finis, in quem diriguntur: sed ille alius non potest esse nisi Deus, qui est causa illorum, & supra omnia illa. Ergo Deus ordinat illa omnia in suos fines. Sed ordinare alia in finem, nequit fieri absque intellectu, scientia, aut cognitione. Ergo Deus est substantia intellectualis, scientia & cognitione utens. §. 2. Omne agens agit propter finem. Deus est nobilissimum agens. Ergo. Hoc præmisso: vel iste finis est alius extra Deum, vel est ipse Deus. Si alius extra Deum, intendit eum, vel per cognitionem, & habemus intentum, vel absque cognitione; si hoc, dirigetur ab alio, quod est contra rationem principii primi, uti est Deus. Si Deus est finis sui ipsius, ergo cognoscit se & appetit se: alioquin non esset finis sui: nam finis non est finis, nisi appetatur, non appetitur nisi cognitus: est enim cognito conditio ad finis causalitatem exercendam necessaria. §. 3. Prima causa continet omnes perfectiones inferiorum in se, alioqui non esset causa eorum. At in inferioribus est scientia ac cognitio. Ergo & in Deo. Plures rationes videri possunt apud *Thom. Aquin. in summa contra Gentes l.* 1. *c.* 44. & apud *Ferrariensem in commentariis ibidem.*

III. Diximus ſtatim, *ſcientiam Dei eſſe ejus ſubſtantiam ſeu eſſentiam*, quod variis rationibus comprobatur ab *Aquin. contra Gentes l. 1. c. 45. & in ſumm. Theol. 1. part. quæſt. 14. art. 4.* pro omnibus hæ duæ ſufficiant. 1. Quicquid formaliter eſt in Deo, eſt ipſe Deus. Scientia formaliter eſt in Deo. Ergo. Conſequentia certa eſt: minor patet, quia ſcire eſt actio immanens, & manet in ipſo ſciente: & dicitur quis formaliter ſciens à ſcientia: at ſi ſcientia formaliter non eſſet in Deo, non poſſet intrinſece Deum denominare. 2. Si Dei ſcientia non eſſet eadem cum ejus eſſentia vel ſubſtantia, Deus haberet ſe per modum ſubjecti perfectibilis reſpectu ſcientiæ, à qua perfici poſſet, & ſic imperfectus foret. At hoc eſt abſurdum. Ergo. Ex quibus liquet ſcientiam ſe non habere in Deo, ut potentiam, vel habitum, vel ſpeciem impreſſam, quia hæc omnia diſtinctionem fere dicunt realem inter ſe & ſciendi actum.

IV. Si ſcientia Dei eſt eadem cum ejus eſſentia, ergo quouſque extenditur divinum eſſe, & eouſque expanditur divinum ſcire: unde quodnam ſit *objectum* ſcientiæ divinæ facile videre eſt, ſc. *Deus ipſe & id omne ad quod extenditur divinum eſſe:* at divinum eſſe extenditur extra ſe ad omnia: omnia enim à Deo acceperunt & eſſe & veritatem. Deus ergo, & *ſeipſum ſciet* ſive intelliget, *& omnia illa extra ſe:* imo, ſe ſciendo atque intelligendo ſimul etiam ſcit & intelligit omnia alia extra ſe: dum enim videt eſſentiam ſuam & bonitatem ſuam contemplatur, videt & intelligit, quot modis eſſe ſuum & ſua bonitas poſſit rebus communicari: res autem tam variæ in natura fiunt, quam variis modis divina eſſentia & bonitas communicatur. Itaque, per diſtinctam eſſentiæ ac bonitatis ſuæ cognitionem, res etiam omnes & earum naturas ac proprietates cognoſcit; nec tantum genera intelligit aut ſpecies, ſed & ſingularia atque individua in rebus.

V. Sed de *objecto* ſcientiæ divinæ paulo adhuc ſpecialius eſt philoſophandum. Solet illud à Scholaſticis dividi in *motivum & terminativum.* Objectum *motivum* ſcientiæ divinæ eſt *eſſentia divina:* nam quicquid Deus ſcit aut intelligit, per eſſentiam ſcit aut intelligit, tanquam per rationem & motivam cognoſcendi ſe & alia à ſe: objectum *terminativum* ſcientiæ divinæ eſt *primarium* vel *ſecundarium: illud* eſt ipſa *eſſentia divina*; *hoc* eſt *omne aliud*, quod non eſt eſſentia divina: hinc creaturæ ſunt objecta ſecundaria ſcientiæ divinæ, quia ſecundario terminant cognitionem divinam: & quamvis eas cognoſcat Deus ſecundum quod in ſe ſunt, nam cognoſcit homines ſecundum quod homines ſunt, non tamen prout in ſeipſis relucent, ſed prout relucent in eſſentia divina, quia eſſentia divina rectius repræſentat illos, quam ipſæ creaturæ ſeipſas repræſentant. Videatur de objecto ſcientiæ divinæ, tum motivo, tum terminativo, tum primario, tum ſecundario, *Ioh. de Rada controverſ. inter Thomam & Scotum parte prima, controv. 29. art. 1.*

VI. Poteſt & *objectum* ſcientiæ divinæ diſtingui in *poſitivum & negativum. Poſitivum* eſt ens reale, quod ſub ratione veri à Deo ſcitur ac cognoſcitur: cognoſcit autem Deus ens reale ſub ratione veri, ita ut entitas realis ſit quaſi materiale, ſive illud, quod cognoſcitur, veritas ſit τὸ formale objecti, ſive ratio ſub qua cognoſcitur: *poſitivum* hoc objectum eſt, tum *Deus*, tum *creatura*, vel producta, vel producenda. *Negativum* objectum, ſi ſic vocare liceat, quod vere objectum non eſt, illud eſt, quod intellectus Dei non ſub ratione poſitivi entis, ſed ſub ratione non entis apprehendit: eſtque *vel pure negativum vel quodammodo privativum*, (verba enim hic nobis deſunt fere ad exprimendum) *illud* eſt, quod cognoſcitur à Deo ſub ratione *puri non-entis*, id eſt, talis, quod neque ſit de facto, neque eſſe poſſit: & ita Deus cognoſcit *entia rationis* ſive *ficta* & impoſſibilia: *hoc* eſt, quod cognoſcitur à Deo ſub ratione quidem non-entis actualis, id eſt, talis, quod neque eſt, neque fuerit, neque futurum ſit, attamen deprehenditur in illo, ratio *entis poſſibilis*, id eſt, talis, quod Dei potentia producere poſſit: & ita Deus cognoſcit omnia *poſſibilia*, nunquam tamen extra ſe producenda.

VII. Sed enim incedamus per omnium, quæ ſcientiæ divinæ objiciuntur, claſſes.

§. 1. *Deus*

§. 1. *Deus scit seu cognoscit seipsum, tanquam objectum primarium.* Si enim Deus habet scientiam perfectissimam, ergo oportet ut seipsum primario cognoscat: nam perfectissimæ cognitionis objectum primarium debet esse perfectissimum. Scientia Dei est perfectissima, & Deus est objectum perfectissimum. Ergo Deus est objectum primatium suæ cognitionis. Ergo seipsum primo cognoscit. Hoc negotium accuratissime explicat *Iac. Carpentarius digress. 3. in Alcinoum pag. 257. & Radæ loc. cit. pag. 456.*

VIII. §. 2. *Deus cognoscit omnia alia extra se, seu omnes creaturas, quas vult extra se, ita ut vere sint objectum terminativum scientiæ divinæ.* Deus enim perfectissime cognoscit seipsum, ergo etiam virtutem suam: ergo perfecte cognoscit illa, ad quæ sese extendit ejus virtus. Ergo cognoscit alia à se, quia ad ista sese ejus virtus extendit. Vel sic. Deus cognoscit voluntatem suam, ergo etiam cognoscit omnia, quæ vult: quia voluntas adæquate non cognoscitur, nisi cognoscatur & actus & objectum ejus. At creaturas omnes extra se vult Deus. Ergo.

IX. §. 3. *Deus cognoscit res universales & singulares, spirituales & materiales.* Probatur. Deus cognoscit res per suam essentiam: atqui essentia Dei est repræsentativa omnium rerum, tum singularium, tum universalium, tum materialium, tum immaterialium. Ergo.

X. §. 4. *Deus cognoscit res, non tantum præteritas ac præsentes, sed & futuras, sive contingenter, sive necessario.* Quod res sciat Deus, & præsentes & præteritas, de eo non controvertitur: sed major est dubitatio de scientia futurorum contingentium divina, quam *præscientiam* alii vocant. Sed & eam asserimus contra nonnullos hic Sophistas, eam vellicantes & in dubium trahentes. Nam 1. si Deus non cognosceret res futuras contingenter, esset in potentia passiva cognoscendi eas: neque enim ulla est ab earum parte repugnantia ut possint cognosci: at Deus non habet potentiam passivam, quia est purissimus actus. Ergo. 2. Certum est, Deum res contingentes, quæ nunc existunt præsentes, cognoscere. Ergo, vel novit eas antequam existerent & cum essent futuræ, vel ignoravit: si prius, habemus quod volumus: si posterius, ergo, cum postea cognovit, factus est ex non sciente sciens, quod ejus perfectioni repugnat. *Vid. Rad. part. 1. controv. 30. art. 3.*

XI. §. 5. *Deus scit omnes creaturas possibiles, etiam eas, quas nunquam voluit producere.* 1. Deus cognoscit suam potentiam. At illa sese extendit ad omne possibile. Ergo cognoscit & omne possibile. 2. Si res possibiles à Deo non cognoscantur, ergo Dei scientia non extendet se ad omnia scibilia. Atqui hoc pugnat cum ejus perfectione. Ergo.

XII. §. 6. *Deus cognoscit etiam impossibilia.* Quia Deus non potest cognoscere possibilia, nisi eodem actu simul cognoscat ea, quæ non sunt possibilia: dum enim possibilia apprehendit, negative se sistere cogitur in aliquo impossibili: alioqui, vel omnia possibilia non posset, vel saltem accurate non posset. Atque hinc liquet, Deum non habere ideam impossibilium, ut Chimæræ, sed ex idea possibilium cognoscere impossibilia, per actum negativum: sic Deus cognoscit Chimæram, cognoscendo tales partes non posse simul conflari: & certe, Deus novit omne verum: at Chimæram non esse possibilem, est verum. Ergo.

XIII. §. 7. *Deus cognoscit entia rationis.* Nam Deus cognoscit omnem actum rationis humanæ & objectum in quod tendit. At entia rationis sunt per rationis actum & ejus objectum aut terminus potius. Ergo. Si dicas, *ergo Deus etiam facit aut fingit ens rationis.* Negamus sequi. Aliud est, facere & fingere ens rationis, aliud cognoscere illud fictum & factum. Posterius Deo adscribimus, prius non item: quia facere ens rationis est imperfectionis, est enim quia mens non potest simul & semel rem omnem & totam intelligere: at intelligere ens rationis, est perfectionis: imperfectio enim est, aliquid non intelligere.

XIV. §. 3. *Deus cognoscit mala, sive moralia, sive physica, sive culpæ, sive pœnæ.* 1. Deus circa mala speciales exercet actus bonitatis suæ, ea vel permittendo, vel ordinando, & in pœnam, & in bonum peccantium, &c.

Ergo novit. Deus enim scit, quod vult & agit. 2. Omnia mala sunt ptivationes bonitatis. Ergo Deus cognoscendo formas bonitatis, cognoscit etiam negationem bonitatis: nam privatio cognoscitur per habitum, ut cæcitas per visum; unde privationes per habitum definiuntur. D.ces. *Deus omnia cognoscit per essentiam, tanquam omnia repræsentantem: at peccatum non repræsentatur in essentia divina, quia hæc tantum est idea & fons bonitatis: sicut nec falsitas in veritate, nec nigredo in albedine repræsentari potest. Ergo.* Resp. Malum quidem non repræsentatur à bono tanquam ab exemplari ejus, nam sic bonum esset idea mali. Sicut neque falsitas repræsentatur à veritate, nec nigredo ab albedine: nihilominus per bonum intelligitur oppositum ejus, malum, quia oppositio modo sese habet: itaque per ideam boni cognoscit, quid sit recessus à bono, & per ideam rectitudinis, quid sit recessus à rectitudine, &c. Quæ de scientiæ divinæ modo & divisione disputari solent, sequens exhibebit disputatio.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

TRIGESIMA.

DE

SCIENTIÆ DIVINÆ MODO AC PARTITIONE.

THESIS I.

DIsputatio præcedens in *Deo esse scientiam* ostendit, & quodnam ejus sit *objectum* exposuit: nunc scientiæ divinæ *modum & partitionem* proponemus, exorsi à modo.

II. *Modus scientiæ divinæ est* §. 1. *universalissimus*, quia extendit sese ad omnia scibilia, quorum classes exhibuimus *disp. præced. §. 2. perfectissimus*, tum extensive, quia est universalissimus, tum intensive, quia, ut omnia attributa Dei, sic & scientia dicit perfectionem infinitam: hinc vocatur etiam *sapientia*, quæ vulgo dicitur objecti perfectissimi cognitio perfectissima. §. 3. *comprehensivus, quidditativus, adæquatus*, quia quodvis objectum sciendo exhaurit, ut nihil relinquat in eo sibi incognitum. §. 4. *clarus & distinctus*, nam vage & confuse cognoscere est imperfectionis: at Dei scientia ex §. 2. est perfectissima. §. 5. *verissimus*, quia rem videt eo modo quo est: & in Deo, qui est ipsa veritas, nulla potest reperiri falsitas. §. 6. *certissimus & infallibilis*, quia decipi est ex errore: at in Deum non cadit error, quia esset imperfectus. §. 7. *immutabilis*, quod demonstravimus *disp.* 20. §. 8. *simplicissimus*, quia uno actu & ictu intelligit quæcunque intelligit: & pugnaret actuum sciendi plurium successio cum ejus immutabilitate & æternitate. §. 9. *non per compositionem & divisionem*, quia compositio & divisio imperfectionem arguit & successionem dicit ac multiplicationem actuum. §. 10. *non per discursum*, quia, sive sit continuus, sive discretus, uterque implicat plures cognitiones, aliisque imperfectionibus est obnoxius. §. 11. *non à priori aut posteriori*, uti nos tali modo cognoscimus, quia Deus non cognoscit unum per aliud, sic enim ex cognitione unius deduceretur in cognitionem alterius, sed cognoscit, unum in alio aut cum illo, *non per speciem intelligibilem intellectui superadditam*, nam species intelligibiles intelligentem perficiunt & ad actum traducunt, notantque insuper variam imperfectionem, tum potentiæ passivæ, tum distantiæ agentis à passo, tum dependentiæ ab objecto; at hæc omnia longissime absunt à Deo, *sed est* §. 12. *per essentiam divinam immediate, omnia Deo repræsentantem perfectissime*, quo respectu illa habet rationem *ideæ*. Sed de *ideis divinis*, aut *essentia Dei, ut idea*, alias latius cum Deo dectetum est publicis disputationibus agere. Nunc ad *partitionem* scien-

scientiæ divinæ ab ejus *modo* nunc explicato transeamus.

III. *Scientia* Dei, utcunque in se sit *una* ac *simplicissima*, *pro diversitate* tamen *objectorum & respectuum ad objecta*, distingui solet in *scientiam simplicis intelligentiæ & visionis*: Nostro enim intelligendi modo scientia Dei, vel consideratur respectu possibilium, ut possibilia sunt præcise, quæ scientia determinari potest à voluntate Dei & à libero ejus decreto; vel consideratur non tantum respectu possibilium ut sic, sed etiam respectu futurorum quæ in aliqua differentia dutationis post jam factam detetminationem voluntatis futura erant: prior, quod ex vi solius intellectus & independenter à volunrate in Deo sit, *naturalis, abstractiva, indeterminata*, dicitur; altera quia quasi subsequitur liberum voluntatis divinæ decretum & per modum quendam intuitionis rerminatur ad res ipsas, quatenus pendent ex voluntate divina quantum ad futuritionem aliquam, quæ de se respicit existentiam certam, *libera, intuitiva, & determinata*, vocatur: præter has duas rertiam quandam in Deo scientiam excogitarunt *Iesuitæ*, eamque avide arripuerunt *Remonstrantes*, per quam ante omne decretum suæ voluntatis prædeterminantis actum futurum cognoscat, quid liberum arbitrium creatum facturum sit, si in talibus circumstantiis constituatur: oppositum cogniturus, si oppositum voluntas creata, ut potuisset, ita voluisset facere. Una igitur juxta hos est possibilium scientia, nempe simplicis intelligentiæ; sed duæ sunt futurorum, altera absolute, quæ vulgo *visionis*, altera sub conditione, quæ *conditionata* dici solet: hæc scientia conditionata, cum nec naturalia sit præcise nec libera, sed respectu objecti libera, respectu subjecti naturalis, *neutram & mediam* eam vocarunt, qui invenerunt: nam de genuino ejus parente, haud segnius ac de puero vivo coram Salomone meretrices, ipsi inter sese certant *Iesuitæ*, *Fonseca*, *Molina* & alii, dum quisque cerebello suo de partu tam generoso ambitiose gratulatur, ac alter alteri laudem præreptum it. Verumenimverò si monstrum hoc penitius inspexeris, nihil hic nisi Antiquorum terminos refigi, & Pelagianorum ac Semipelagianorum cramben reponi videbis, nam idcirco tanto molimine astruitur *scientia hæc media*, ut ei superstruatur prædestinario ex fide aut operibus prævisis, & Liberi Arbitrii idolum super Gratiam elevetur: Nimirum cum conditionatos humanæ voluntatis motus ab æterno sine ullo præcedaneo decreto præsciat Deus, quos bene usuros libero suo arbitrio videt, ad viram, alios ad mortem prædestinat, unde prædestinationis habes fundamentum, non in æterno ac gratuito Dei proposito quæsitum, sed domi in arbitrii libertate, ex parte salrem, natum & inventum. Sed enim operæ pretium fuerit variis argumentis monstrum hoc confodere: quod, omissis argumentis ex scriptura petitis, solidis ex Philosophia rarionibus effectum dabimus.

IV. §. 1. Objectum omniscientiæ infallibilis debet esse necessarium, quia omnis infallibilitas scientiæ fundatur in necessitate objecti; neque dari potest certitudo mentis sive subjectiva cirta omnem cerritudinem entis seu objectivam; omnis siquidem certitudo scientiæ præsupponit certitudinem existentiæ, si non realem & actualem, saltem idealem & causalem: At objectum scientiæ mediæ nullo modo est necessarium, neque necessitate consequentis, neque consequentiæ; non consequentis, quia nihil in re præcedit quod talem necessitatem causaret; non consequentiæ, quia sic Petrus positus in talibus circumstanriis & cum talibus auxiliis gratiæ, quæ non necessario aut efficaciter inclinarent ejus voluntatem (nam hæc est illis libertatis natura, ut positis omnibus ad agendum requisitis possit agere & non agere) infallibiliter nihilominus, necessario ac certo, convertetur: conversio enim ista ex conditione futura objectum est illis scientiæ divinæ ac infallibilis, nisi forte mediam suam scientiam in Deo esse infallibilem negare ausint: jam vero, hoc contradictionem implicat, ut effectus aliquis sequatur necessario necessitate consequentiæ aut infallibilitatis ex antecedente aut causa, quæ aliter & aliter se potest habere, ac deficere, & impediri per concursum aliarum causarum, nisi talis causa determinetur ad talem effectum ab

alia

alia causa superiori, quæ nec deficere potest nec impediri: Sed Deus non determinat causas defectibiles ac impedibiles ad particulares effectus nisi per decretum suæ voluntatis; ergo ante decretum ejus non est necessarium necessitate consequentiæ, aut infallibilitatis, ut voluntas creata, quæ ex natura sua est defectibilis & impedibilis, consentiat objecto sibi proposito, aut convellatur, si ponatur in talibus circumstantiis.

V. §. 2. Propositiones de futuro contingenti secundum se non habent determinatam veritatem, neque etiam sunt determinate falsæ; alioqui tolleretur contingentia, quia contingens, ut sic, se habet omnino indifferenter ad utrumlibet: ergo ante decretum divinæ voluntatis, prædeterminantis liberum arbitrium ad alteram partem contradictionis vel contrarietatis, non est scibile, quid in particulari faciet homo aut libere facturus esset, si constitueretur in talibus circumstantiis, sed solum quid facere posset, quia nihil est scibile, nisi sit determinate verum: itaque, si ante decretum voluntatis divinæ non est determinate vetum, quod Petrus consentiet si ponatur in talibus circumstantiis, neque id à Deo per scientiam mediam scibile erit. Sed ajunt, dictum hoc, de futuris contingentibus non est determinata veritas, esse falsum, effectumque determinate futurum non excludere indifferentiam causæ, quæ operari possit & non operari, verum actionis, quæ, si secutura sit, etiamsi potuisset antea omitti, aliter tum se habere non potest: At hoc non quæritur, an actio sequututa sit necessario futura, sed unde ista necessitas? an à terminorum connexione contingenti? an à Dei connectentis efficaci decreto? certe, propositiones hypotheticæ sortiuntur necessitatem ex infallibilitate illationis partium separatarum. At hæc consequentiæ aut connexionis necessitas in futuris conditionatis ante decretum Dei reperiri nequit, sicut nec determinata veritas, ergo non potest hic quæri certa aliqua scientia, quia illud sciri non potest, quod ex parte rei omnino non est cognoscibile.

VI. §. 3. Firmissimum argumentum deducitur ex dependentia inter causam primam & effectus, hoc est, inter creatorem & creaturas: impossibile enim est, ut aliquis effectus vel sit vel intelligatur futurus in aliquo casu, nisi dependenter à suprema causa efficiente. Entia enim omnia creata non sunt nisi tot emanationes à prima causa, qua dependent in esse & in operari, ut à sole radii: At posita hac scientia media, substernitur ei pro objecto libera voluntatis sub tali conditione determinatio, quæ à nulla causa superiori dependet, proficiscitur enim à voluntate creata, tanquam à principio ptimo determinante, in quam etiam, ut sic, effectus iste reducitur, nam resolvi non potest in decretum Dei ut in primum determinans, quia jam futurus cognoscitur ante decretum divinæ voluntatis factum, quod tamen prima est universalissima causa efficiens, à qua non minus quam à sua causa proxima dependet effectus omnis, sive fuerit is absolutus sive conditionatus: & certe ut se habet decretum Dei absolutum in ordine ad futurum absolute, ita se habeat necesse est & decretum conditionatum ad futurum conditionate; nam nulla hic est disparitatis ratio, nihil enim fit, futurum aut factum est independenter à decreto divino: Sed implicat contradictionem ex concessione etiam Adversariorum ut aliquid sit futurum absolute, nisi ex decreto Dei decernentis antea ut tale sit futurum absolute, ergo & implicat contradictionem, ut aliquid sit futurum conditionate nisi præcedat decretum Dei statuentis, ut futurum illud fiat si adimpleatur conditio: omne enim ens, sive sit futurum absolute, sive sub conditione, sive immediate proficiscatur à Deo, sive mediantibus causis aliis, intrinsece dependet ex decreto voluntatis Dei, quia ejus causalitas & providentia ad quodcunque ens in particulari se extendit: At sic scientia media, quæ omne decretum divinum statuitur antevertere, prorsus tollitur: si enim ante hujusmodi decretum res ne futura quidem sit, neque ut talis à Deo præsciri potest ante voluntatis istum actum. Adde, ex constituta tali rerum serie, hunc ordinem esse sequuturum, ut, quia facturus est homo, faciat & Deus, & quia causa secunda facit, faciat & prima, & non contra: cum tamen dicendum sit: Si Dominus voluerit, faciemus hoc aut illud.

VII. §. 4.

VII. §. 4. Scientia hæc media fatum inducit, ut sic loquar, Stoicissimum, atque adeo compedes injicit divinæ libertati & providentiæ: Nam si Deus ante decretum suum prævideat, quid reapse facturus sit homo in quocunque rerum ordine, si in eo collocetur, omnia evenient necessario & fatali quadam necessitate, vel à casu, respectu Dei: nam ex prævisione futurorum evenient; & prius est quod ipsa sint futura in re, & quod sint hæc aut illa, in tali aut tali rerum ordine, quam Deus illa prævideat, aut quam decernat de iis: Nam res non est eventura, quia Deus voluit aut scivit, sed scivit aut voluit quia eventura erat: itaque nihil potest disponere divina providentia & potentia, nisi præscito & prius habito voluntatis creatæ assensu, & expectata ejus ad operandum dispositione, atque adeo prævisa operatione ipsa jam futura: At sic Deus, qui ut agens liberrimum vult, statuit, decetnit, determinat hoc vel illud, neque ullam habet connexionem necessariam cum creatutis, omni plane libertate exuitur atque potentia: neque enim misereri poterit quorum vult, neque Christum revelare quibus vult, neque aliter disponere contingentia ista, quam sese disposuerunt ante ejus decretum: si enim velit & sinat voluntatem creatam esse liberam ac indifferentem, necesse est voluntatem suam ac concursum contemperet ei, & velit atque operetur hoc, quod ipsa voluerit, & sic ut voluerit; neque enim Deus nolle potest, quod liberum arbitrium, primum determinans, voluerit, salva ejus libertate, cui detractum nimis, si ipsum Deo subjiceretur, homines isti putarent, qui voluntatem creatam ut reddant liberam eam faciunt sacrilegam, primæ & infinitæ causæ limites præscribunt arctissimos, atque adeo Deum liberrimum durissima ac plane fatali necessitate constringunt, sic ut ipse non ordinare aut providere rebus, sed providentiam & ordinationem in rebus ipsis inventam ac prævisam acceptare tantum dicendus sit. Verum quia hæc Adversarios vehementer premunt, paulo etiam subtilius excutiamus.

VIII. §. 5. Si detur scientia media, qua Deus antecedenter ad omne decretum suæ voluntatis cognoscat futura contingentia conditionata, ergo essentia divina in ideis suis necessario ac naturaliter repræsentabit quædam ex his quæ libere sunt futura, quia repræsentabuntur, non in divinis decretis, sed antecedenter ad ipsa: At hoc absurdum est, & uno absurdo dato multa sequuntur: 1. quod creaturæ non pendeant ex libera electione voluntatis divinæ. 2. quod non possit Deus aliud facere quam facit. 3. quod tollatur omnis providentia & gubernatio libera circa creaturas: si enim creaturæ non libere sed necessario omnino repræsententur ab essentia Dei, & repræsententur ut futuræ cum omnibus suis modis, circumstantiis, accidentibus, & conditionibus, quis locus providentiæ aut liberæ gubernationi Dei? Sed dicunt, aliud esse, repræsentare, & aliud, esse: quod creaturæ sint, habent à divina voluntate, ac proinde libere dicuntur habere esse; quod vero repræsententur, id non habent à divina voluntate, sed ab immensa & infinita essentiæ divinæ capacitate, quæ, prout præintelligitur voluntati, præhabet in se totum illud, quod per universam durationem æternitatis habiturum est participium entis & rationem entis: sic aliquid regessisse sibi videntur Adversarii; Sed enim hoc aliquid nihil est: Quamvis enim divina essentia repræsentet antecedenter ad decretum realem illam diversitatem creaturarum & omnem modum entis cum suis conditionibus & accidentibus, quod libenter fatemur, hæc tamen repræsentatio est earundem creaturarum, quatenus sunt possibiles & possibiliter futuræ, secundum omnem illum modum, quem habent in ordine ad omnipotentiam Dei. Verumenimvero præter hoc quod possibiles sint creaturæ, aut possibiliter futuræ secundum omnes illas conditiones, etiam de facto sunt eventuræ in re secundum actualem existentiam, quod cum pendeat à voluntate Dei & decreto ejus libero, in quo actualem rerum futuritionem prævidet, negamus ante id in ejus essentia aut ideis repræsentari ullius rei veram futuritionem, aut actualem existentiam de facto eventuram: nam si Deus decrevisset nunquam producere creaturas, in hoc casu divina essentia non repræsentaret creaturas, ut

vere futuras de facto, cum ordine & habitudine ad realem existentiam earum, sed tantum repræsentaret eas, ut possibiles secundum omnes conditiones, quas habere possent.

IX. §. 6. Denique nec nodos solvit hæc scientia media in concilianda contingentia & libertate arbitrii cum infallibilitate divinæ providentiæ & prædestinationis ac gratiæ efficacia, sed potius implicat: nam posita tali scientia antecedenter ad decretum Dei prædestinantis bonum usum arbitrii futurum ex hypothesi, sequitur eundem bonum usum liberi arbitrii reducendum esse ad aliquid naturale, à quo determinetur, videlicet, ad constellationem, vel moralem persuasionem, vel individualem complexionem &c. nam quod Petrus v. g. sit potius consensurus quam dissensurus objecto sibi proposito, si constituatur in talibus vel talibus circumstantiis, non refunditur ad aliquod decretum divinæ voluntatis prædeterminantis ut hoc fiat, quoniam objectum scientiæ mediæ & scientia ipsa antecedit omne decretum divinum: nec etiam reducitur in ipsum auxilium gratiæ, quod tale esse volunt, ut non præmoveat efficaciter voluntatem creatam ad alteram partem, sed eam omnino indifferentem relinquat ad oppositа: in causa autem omnino indifferenti, ut sic, in quantum non est inclinata efficaciter ad alteram partem, non potest certo & infallibiliter cognosci determinatus effectus, quæ causa quoque est cur non possit reduci in liberum arbitrium sub illo gratiæ auxilio in talibus circumstantiis constitutum, sicut enim se res habet ad esse, ita ad cognosci: nam ab eo quod res est, vel non est, hoc vel illo modo, cognitio dicitur vera vel falsa, determinata vel indeterminata; ergo implicat contradictionem, dari scientiam determinatam, certam & infallibilem de eo, quod neq; in se, neque in causis habet esse determinatum, sed variabile & indifferens ad utrumlibet: nec reduci potest effectus, in objectum propositum voluntati, quia nullum objectum ita efficaciter agere potest in voluntatem, ut non maneat illa indifferens & indeterminata ad utrumque oppositorum, ne scilicet pereat libertas ejus; nec in alium actum priorem voluntatis: nam supponamus, quod ille sit primus actus liber, quid tum consilii? nihil ergo restat, in quod possit prædictus consensus liberi arbitrii in talibus circumstantiis constituti reduci ultimate, nisi in naturalem complexionem, aut proprietatem hujusmodi individui, puta Petri, aut in aliam causam naturalem: Ex quo sequitur, quod voluntas hujus hominis in talibus circumstantiis constituti esset per naturam seu naturaliter determinata ad unum, & sic revera tollitur ejus libertas; nam si naturaliter consentit, tum aliter facere non potuit, ergo non dissentire, ergo positis hisce circumstantiis non est libera. Quod dicunt, voluntatem ex se habere, quod possit se determinare ad alteram partem quæ sibi placuerit, difficultatem non aufert; nam licet voluntatis natura consistat in facultate ad utrumlibet, non tamen habet nec potest illi competere ex natura sua, quod se determinet ad consensum talis objecti potius quam ad dissensum, nam alioquin per naturam esset determinata ad unum saltem in talibus circumstantiis constituta.

X. §. 7. Cum ergo scientia media supponat pro objecto vel quod non est, vel quod nullo modo est scibile, effectum ponat non dependentem à causa prima, libertati divinæ ac providentiæ compedes injiciat, libertatem humani arbitrii destruat, tantum abest ut eam providentiæ ac prædestinationi divinæ conciliet, & difficultates omnes hactenus enarratæ facile evitentur, si dicamus præscientiam boni usus liberi arbitrii futuri, ex hypothesi quod illud in talibus circumstantiis collocetur, non antecedere in signo rationis, sed subsequi liberum decretum voluntatis divinæ, à quo participat creatura omnem suam libertatem, relinquitur ante decretum non esse in Deo constituendam talem scientiam mediam, sed eam esse purum putum humani, imo Jesuitici, cerebri figmentum, quod erat demonstrandum.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

TRIGESIMA-PRIMA.

DE

COMMUNICATIONE PROPRIORUM.

THESIS I.

IN curriculo harum disputationum, quarta à nobis fuit instituta de *Proprio*, quod conferri posse diximus, vel cum subjecto in quo est, vel cum subjecto in quo non est: Priori respectu, quæri solet: *An proprium possit separari à subjecto in quo est?* Posteriori respectu, quæri solet: *An proprium subjecto specie diverso, in quo non est, communicari possit?* Utramque quæstionem tum solvimus. Sed posteriorem, quia temporis & chartæ angustia vetabat prolixius pertractare, eam nunc, quod tum promisimus, paulo plenius persequemur, ut sic fidem datam liberemus: & meretur sane discuti hæc quæstio accuratissimè: est enim summæ utilitatis, & insignem lucem fœneratur gravioribus quibusdam controversiis.

II. Ut quæstio, ardua sane ac perdifficilis, *de propriorum & communicabilitate & communicatione*, feliciter decidatur, utrumque hoc vocabulum, & *communicabile*, & *communicatio*, accurate debent distingui; quæ utriusque vocabuli distinctiones, & statum controversiæ clarius figent, & fontes erunt multatum solutionum. *Communicabile*, ut à priori ordiar vocabulo, dicitur dupliciter, uno modo per identitatem, alio per informationem. Communicabile per identitatem est, quando illud, cui aliquid communicatur, est idem cum eo quod communicatur. Sic universale est communicabile & communicatur singulari, quia essentia universalis constituit essentiam singularis, & hujus essentia est eadem reipsa cum essentia illius: & sic concedimus, propria sc. & universalis, esse communicabilia, & de facto communicari singularibus; nam simul cum essentia & universalis propria ejus appropriantur singulari, sunt-que in eo subjective. Communicabile per informationem est, quando forma communicari potest & communicatur materiæ. Hic jam quæritur, *an forma, nempe accidentalis, ac propria, subjecti unius, possit communicari ac communicetur, unquam, subjecto alteri specie diverso?* Circa hanc quæstionem plerique facile largiuntur, id fieri non posse, si subjecta sint suppositaliter (ut loqui amant Scholastici) diversa; sic enim accidens migraret de uno subjecto in aliud, quod contra naturam est accidentis; nam migratio, vel in tempore fieret, vel in instanti: utrumvis dicas, accidentis naturam tollis: sed vero, si è duobus subjectis fiat unum per unionem realem, quæritur, an tum proprium unius subjecti possit communicari subjecto specie quidem diverso, sed jam arctissime juncto, ac de facto communicetur vi unionis. Multi affirmant; nam tum nullus videtur esse metus, ne accidens migret de uno subjecto in aliud, quia illa duo ante subjecta nunc sunt facta unum subjectum per unionem. Ita quidem tenent *Scheiblerus*, *Meisnerus*, *Iacobus Martini*, *Schroderus*, & omnes ubiquitatis naturæ Christi humanæ Patroni. Contraria tamen sententia verissima est, quæ ne ista quidem ratione communicari, ac nulla ratione posse communicari propria unius subjecti, alteri subjecti specie diverso, etiam unito tenet: quia, ut essentia unius subjecti uniti, non communicatur nec communicari potest subjecto alteri unito, ità nec proprium, quod essentiam immediate sequitur: & quod communicatur, etiam in tali casu, non est proprium: quia proprium esse & communicari tali modo sunt opposita: quæ duo argumenta, quia latius deduximus *th. 6. disp. 4.* inter hasce

ſelectas, non perſequemur fuſius; ſed vero Adverſariorum ſententiam deſtruemus potius: ea nititur falſo fundamento; quaſi illa, quæ vel eſſentialiter vel accidentaliter ſunt unita, ea de cauſa vi unionis unum faciant vel fiant ſubjectum commune accidentium propriorum utriuſque extremi quod unitur: nam non eſt menſurandum ſubjectum ex ſuppoſitalitate, nec unitas ſubjecti reſpectu accidentium & propriorum æſtimanda eſt ex unitate ſuppoſiti, quaſi ſubjectum ſtatim unum ſit ac fiat accidentium & propriorum quod unum eſt ac ſit ſuppoſitum: in exemplo res erit clarior. Ex igne & ferro fit unum, quatenus unita ſunt, & unum quidem compoſitum ac ſuppoſitum, ferrum ſc. ignitum, at ſubjecta manent duo: unum ignis, alterum ferrum: & neutrum alteri ſua propria communicat, non magis quam eſſentiam: ignis quidem in ferro producit calorem, quæ effectio eſt non communicatio, at calorem ſibi proprium retinet, neque magis unum fiunt ſubjectum per unionem, quam ignis & manus, quæ non uniuntur, quando ignis manum calefacit: utrinque ſubjecta ſunt duo: hic ignis & manus non unita; ignis & ferrum unita. Ex anima & corpore fit unum, & compoſitum & ſuppoſitum per unionem; at ſubjecta manent duo: neque corpus vi unionis ſua propria, palpabilitatem, viſibilitatem, &c. animæ, neque anima ſua propria, potentiam intelligendi, ſentiendi, movendi, corpori ideo communicat: itaque ſive ſuppoſitis ſint diſtincta ſubjecta, ſive unum ſuppoſitum ſint facta per unionem, ſemper migrabit accidens de ſubjecto in ſubjectum, ſi accidens unius ſubjecti communicetur alteri ſubjecto ſpecie diverſo: unio enim ſpecificum hoc diſcrimen non tollit. Et profecto, ſi proprium unius ſubjecti, ſive uniti ſive non uniti, poſſit communicari ſubjecto alteri, ſpecie, & quia ſpecie, etiam numero, diverſo, poterit una numero forma duas numero materias informare, quæ eſt mera contradictio; ſic enim duo unum forent: proprium enim, accidens eſt & forma accidentalis reſpectu ſui ſubjecti. Ergo non poteſt proprium, quod formæ accidentalis vicem tenet in ſubjecto, in diſtinctis numero aut ſpecie eſſe ſubjectis Reponunt Adverſarii, eſt in uno per ſe, in alio participative, ſed fumus tantum eſt ac fucus ad occultandam veritatem inventus, iſta diſtinctio. Nam non poteſt unum numero accidens eſſe in diverſis ſubjectis, in uno per ſe, in altero participative, niſi per ſe ſit unum & participative non unum: aut ſi ſubjectum ſit unum, vel eſt in eo per ſe tantum, vel participative tantum. Sic argumentamur: ubi eſt idem ſubjectum ſimpliciter, ibi idem eſt modus inheſſendi ſubjecto, & conſequenter idem modus prædicandi. At vero hic diverſus eſt modus prædicandi, quando dico, ignis urit, & ferrum ignitum urit. Ergo: Cum dico, ignis urit, eſt prædicatio per ſe; ferrum ignitum urit, eſt prædicatio per accidens ſeu per aliud: ferrum enim ignitum urit, quia in ferro eſt calor productus; aut cum ferro eſt ignis, qui urit: itaque concretum hoc, ferrum ignitum, involvit duo ſubjecta, ignem & ferrum, ut urere igni per ſe conveniat, ferro vel per accidens, ratione caloris, non communicati, ſed in ſe producti, vel per aliud, per ignem ſcilicet ſibi unitum: Nam utrum dicendum ſit, vix liquet: utrumvis tamen dicatur, nihil dicitur, pro ejuſdem numero caloris, qui inhæſive eſt in igne, tranſmigratione aut communicatione aut tranſitu in ferrum. Si quæras, an ferrum urat, an ignis? quæro item, an corpus hominis edat, incedat, ſcribat, &c. an anima? Actiones ſunt ſuppoſitorum, ſed ferrum urit, vel per calorem, quem numero diverſum in eo produxit ignis, vel per ignem poris veniſque ſuis acceptum arctiſſimeque ſibi unitum, quemadmodum ſpongia humectat per aquam in meatibus ſuis receptam: utrolibet modo loquaris, nihil dicitur pro communicabilitate propriorum.

III. Nunc altera vox *Communicatio* excutienda eſt & diſtinguenda. *Communicatio* non uno modo ſumitur, uti id accurate explicat *Suarez diſp. Met. 34. ſect. 5. n. 54. & ſeq.* cujus vitula nos arabimus. Eſt communicatio quædam extrinſeca, eſt quædam intrinſeca. Extrinſeca, vel intentionalis, vel realis. Intentionalis, per modum finis, quo ſenſu omne bonum dicitur eſſe ſui communicativum, ſui deſiderium & amorem excitando, appeti-

appetitumque eliciendo. Realis per modum causæ efficientis, quomodo causa efficiens dicitur se communicare effectui. Communicatio intrinseca est, vel realis, vel secundum rationem seu communitatem rationis: hoc modo posteriori superiora prædicata dicuntur communicari inferioribus, genera speciebus, species individuis: est autem illa communitas inferiorum in superiori communitas rationis. Scholastici dicunt, hoc modo esse aliquid communicabile, ut *Quod*, quia superius se totum communicat suis inferioribus, ut conceptus essentialis in quid dicatur de suis inferioribus, & quæcunque eum conceptum consequuntur. Unde communis est regula, Quicquid est in genere, id omne in singulis speciebus. Communicatio realis est, vel per modum identitatis, vel per modum unionis tantum. Communicatio per modum identitatis est in Deo, ubi una numero essentia communicatur tribus personis realiter inter se distinctis. Communicatio ratione unionis, sit, vel supernaturaliter, quomodo λόγῳ ita se communicavit naturæ humanæ, ut hæc subsistat in λόγῳ· vel naturaliter, qualis est communicatio unius rei respectu alterius rei per formalem unionem aut conjunctionem aliquam, ut forma communicatur materiæ, & materia formæ, pars toti, & sic de aliis: hoc sensu apud Scholasticos dicitur aliquid esse communicabile, ut *Quo*. Nunc hæc ad rem præsentem applicemus, statumque controversiæ recte enucleemus.

IV. Non quæritur, *An propria generum possint communicari speciebus?* vel *An propria specierum possint communicari individuis?* vel in genere, *An propria superiorum possint communicari inferioribus?* Quam communicationem *Aristoteles* μέθεξιν vocat, quando in *Topicis*, *l.* 4. *cap.* 1. *tex.* 8. inquit, *Species* μετέχειν *suorum generum.* De hoc genere communicationis quæstio non est. Quando enim proprium dicitur omni, soli, & semper, convenire subjecto, non excluduntur per vocula*m (soli)* subordinata seu inferiora: sic propria generis ita conveniunt soli generi, ut conveniant nihilominus speciebus & individuis sub hoc genere contentis. Quia enim genus totam suam essentiam communicat suis inferioribus, fieri nequit, quin simul cum essentia generis communicentur propria, quæ generis essentiam immediate consequuntur & ab ea separari nequeunt: is vero modus communicationis sequitur identitatem essentiæ & naturæ; quia enim genus non est aliud à speciebus, & species non est aliud à suis individuis, etiam communicatio hæc proprietorum generis ad speciem; aut speciei ad individua, non est ut ad rem aliam à se diversam sed ut eandem secundum naturam.

V. Non quæritur quoque, *de communicatione extrinseca*, secundum quam aliud agit in aliud, producendo aliquid, quod sit ejusdem speciei; quemadmodum calor ignis habet naturam quandam communicativam sui, sed communicatione extrinseca secundum quam multiplicat se, & sui similem, specie non numero, eundem efficit calorem: ut, si focus instructus communicet suum calorem conclavi & omnibus in eo existentibus. Verum hæc non est communicatio ejusdem proprii, sed productio similis secundum speciem.

VI. Nec quæritur, *An formæ effectum quendam formalem causent, vel in materia vel in composito?* aut, *An ab ea forma nascantur facultates & operationes, tanquam à sua causa efficiente?* Nam dans formam, dat etiam ea, quæ formam consequuntur: sequuntur vero formam, esse, distingui, operari: non ergo ad hanc facit quæstionem, quando forma vel actus formalis dicitur largiri esse specificum composito, & materiæ, ut sit hoc aliquid per formam: nam & hic, actus ille formalis non est subjective in forma, ut ita transeat de forma in materiam, vel in compositum, quæ esset proprie dicta communicatio; sed est influxus causalis, per quam forma esse confert & largitur ei, ad quod per naturam & à natura est ordinata, ita ut ille actus formalis sit à formæ & per formam; non vero existens formaliter & subjective in forma: itaque nec hic est communicatio propriorum.

VII. Nec quæritur, *An partes, concurrentes ad constitutionem totius, conferant toti, quicquid habent, vel essentiæ, vel virium, vel operationum?*

tionum? Neque enim hic communicatio est proprietatis de subjecto ad subjectum specie diversum: nam partes constituentes totum non sunt subjectum specie diversum à toto.

VIII. Sed quæstio est, *An proprium unius partis aut speciei, alteri parti vel speciei, communicetur? etiam quando uniuntur?* Nos negamus: & ex ipsa vocum vi probamus: aliud est uniri: aliud communicari. Uniri est, in unitatem totius compositi copulari: Communicari est, quando unum sibi sumit, quod est alterius. Anima unitur corpori, sed non communicatur. Partes uniuntur inter sese, sed non communicantur sibi invicem, multo minus proprium unius partis communicatur alteri parti. Itaque nec vita animæ communicatur corpori, sed vero anima ex se in corpore producit aliam numero vitam, quæ est hominis totius vita. Atque ex hisce liquet perperam vulgo vocem Græcam συνδύασιν aut συνδυασμὸν verti *Communicationem*, cum tantum significet *copulationem*, qua duę partes ad unius compositi constitutionem copulantur: neque unquam licet à συνδυάσῃ sive συνδυασμῷ argumentari ad κοινωνίαν, neque valet: Hæ partes & propria partibus aliis earumque propriis sunt copulata, Ergo communicata. Quare illa Communicatio proprii unius subjecti ad subjectum specie diversum merum est figmentum, ad erroris in rebus gravissimis defensionem excogitatum.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, TRIGESIMA-SECUNDA.

DE ABSTRACTIONE.

THESIS I.

VUlgatum est verbum, & illud verissimum, *solus est Philosophus, qui bene abstrahit.* Et in Philosophia moderna frequentissimus est sermo de *Abstractionibus.* Dicitur *Abstractio triplex* constituere triplicem Theoreticæ Philosophiæ partem: an bene, an male, nunc non disputo. *Abstractio objecti à materia singulari per rationem facta,* Physicę est propria: *objecti abstractio à materia communi per rationem facta,* competit Matheſi: *abstractio vero objecti à materia tum singulari tum communi, partim secundum rem, partim secundum rationem,* convenit Metaphysicæ: sic vulgo philosophamur. Dicitur genus abstrahi à speciebus, species ab individuis, universale à singularibus, subjectum ab accidentibus, relatio à relato, natura à re naturali, suppositalitas à supposito, abstractum à concreto, &c. Ea via ac ratione abstrahendi insuper habita, gravissimi existunt errores. Quare utilissimum fuerit *Abstractionis* naturam semel ob oculos ponere, quod hac disputatione conabimur.

II. *Abstractio* Græcæ ἀφαίρεσις, idem significat, quod *separatio:* estque *rei* vel *rationis,* vulgo, *realis* vel *mentalis:* per illam res à re separatur atque abstrahitur, piscis ab aqua, albor à pariete: per hanc, ea quæ in re conjuncta sunt, non reapse, sed mente, sed ratione, separantur & à se invicem abstrahuntur: & sic dividuntur: quod fit iterum dupliciter: vel, ut mens sive ratio unum ex iis, quæ conjuncta sunt, apprehendat, cæteris non apprehensis: vel, ut mens duo aut plura simul conjuncta simul apprehendat, sed apprehendendo, alterum de altero removeat, tollat, neget: *prior abstractio* vocatur *simplex seu præcisionis,* fitque apprehensione mentis simplici; *posterior* dicitur *composita seu negationis,* fitque complexa mentis apprehensione, aut divisione. Ex. gr. si quis hominem concipiat, qui quidem pater sit, non concepta relatione ad filium, dicitur illa abstractio *simplex:* at si quis hominem concipiat

concipiat non esse patrem, qui tamen sit pater, est abstractio *composita:* nam prior ille hominem solummodo concipit, & nihil amplius, at hic alter, & hominis conceptum format, & paternitatis, & hæc duo dividit, judicans, hominem non esse patrem, seu paternitatem homini non convenire. Composita abstractio falsa est, cum dividit ea, quæ conjuncta sunt: at simplex abstractio omni carer falsitate. Atque de hac abstractione simplici intelligendum est illud vulgatum, *Abstrahentium non est mendacium:* Quod axioma petitum est ex *Arist. l. 2. Phys. §. 18.* οὐδὲ γίνεται ψεῦδος τῶν χωριζόντων, id est, *non committitur falsum ab iis qui abstrahunt.* Sed *de abstractione simplici*, quæ omnium maxime nomen abstractionis meretur, nonnihil fusius nobis est philosophandum.

III. In abstractione simplici duo necessaria sunt. 1. Ut quæ abstrahuntur conjuncta sint. 2. Ut inter se aliquo modo sint distincta: conjuncta esse debent, quia quæ conjuncta non sunt nullo modo possunt abstrahi, sed reipsa jam sunt abstracta: nemo enim abstrahit nivem à nigrore, aut nigrorem à nive: quippe quæ inter se sunt separata; distincta debent esse, si non re, ratione saltem ratiocinata: quæ nullo modo distincta sunt, nullo modo abstrahi possunt: idem enim qua idem non potest abstrahi à seipso.

IV. Conjunctorum in re per mentis abstractionem simplicem divisio spectatur vel inter subordinata, sive inter superiora & inferiora, vel inter coordinata, sive inter subjecta & adjuncta, ac quæcunque simili modo sese habent: atque hinc oritur duplex *abstractio:* nempe vel *superiorum ab inferioribus*, vel *adjunctorum similiumve rerum à subjectis:* vulgo dicitur, *abstractio est ab inferioribus vel à connotatione subjecti.*

V. *Abstractio superiorum ab inferioribus* non solum locum habet in substantiis, sed & in accidentibus: Nam sicuti humanitatem considerare possumus, quæ quidem est in Socrate, Platone, aliisque individuis humani generis, non considerata tamen individuali differentia, qua Socrates à Platone & quodlibet individuum à quolibet individuo ejusdem speciei distinguitur: ita etiam concipere possumus colorem aut alborem in genere, non consideratis individuis coloribus aut alboribus, qui sunt in hoc aut illo individuo subjecto: sic alborem & colorem consideramus, cum dicimus colorem esse genus, alborem esse speciem. In hanc sententiam nobis præit *Arist. lib. 3. de Anim. §. 9.* cum ait. Ἄλλο ἐστὶ τὸ μέγεθος καὶ τὸ μεγέθει εἶναι, καὶ ὕδωρ καὶ τὸ ὕδατι εἶναι· ἕτω δὲ καὶ ἐφ' ἑτέρων πολλῶν, id est, *Aliud est magnitudo & magnitudinis essentia, item aqua & aquæ essentia: atque ita in aliis multis.* Ubi videt unusquisque, illum non in aqua solum, quæ est substantia, sed & in magnitudine, quæ accidens est, naturam designare, ab inferioribus abstractam, cum ait τὸ μεγέθει εἶναι καὶ τὸ ὕδατι εἶναι· istoc enim loquendi modo communem rerum naturam ab inferioribus abstractam designare consuevit. Sic dixit *l. 2. de Anim. §. 37.* τὸ ζῆν τοῖς ζῶσι τὸ εἶναί ἐστι· id est; *Vivere est viventium essentia*, in qua scilicet omnia vivenria conveniunt, quatenus vivunt.

VI. *Abstractio ab inferioribus fit per præcisionem vel differentiæ individualis vel differentiæ specificæ:* abstractio superiorum ab inferioribus habet locum in individuis, quando v. c. abstractis seu præcisis, i. e. non conceptis differentiis individuantibus, quibus natura humana restringitur ad Socratem, ea concipitur sine Socrate: ubi tamen nota, non abstrahi individuum, sed speciem infimam ab individuo: nam impossibile est concipi individuum qua rale, non concepta differentia individuali: at ista natura, quæ in Socrate est individua, potest abstrahi ab illis differentiis quibus ad eum restringitur & individuatur: abstractio superiorum ab inferioribus habet item locum in generibus & speciebus subalternis, imo & in generibus summis, quæ omnia à suis differentiis ac divisivis abstrahi possunt, in quantum concipi possunt iis non conceptis: dico notanter, *divisivis:* quia ut aliqua species concipiatur, non concepta differentia specifica constitutiva, impossibile est: at genus concipi, non concepta differentia specifica constitutiva, possibile est. Ex. gr. potest animal concipi non concepta rationalitate, differentia animalis,

malis divisiva: at ut homo concipiatur, non concepta rationalitate, differentia hominis constitutiva, fieri non potest.

VII. *Abstractio à subjecto seu connotatione subjecti*, convenit & formis rerum, & adjunctis, cujuscunque ordinis ac conditionis, sive sint positiva sive negativa, vel privativa, interna sive externa, absoluta sive relata: & licet forma sit de essentia rei formatæ, id est, totius compositi, ideoque ab illa non possit abstrahi, materiæ tamen communis adjunctum est, eique competit eodem fere modo, quo cætera adjuncta subjecto: Loquimur vero hic de forma materiali: immaterialis enim illa forma, hominis anima rationalis, non tantum à materia omni & communi abstrahitur abstractione mentis simplici seu præcisionis, de qua hic agimus, sed & complexa seu negationis, atque insuper abstractione reali: extra omnem enim materiam separata & abstracta reipsa existit, post mortem superstes: sed formæ materiales, quæ extra materiam omnem existere nequeunt, ac ne quidem abstrahi à materia communi abstractione complexa seu negationis, possunt tamen à materia abstrahi abstractione simplici ac præcisionis, non minus quam accidentia à substantiis reliquaque adjuncta à subjectis: possumus enim animam vegetantem considerare, non considerato hoc aut illo corpore, sicuti & circulum, non considerato ære aut ligno, aut quacunque alia materia, quemadmodum consideramus alborem non considerata nive aut cerussa, aut vestem non considerato corpore vestito, aut paternitatem vel causalitatem non considerato homine qui est pater vel causa: hoc sensu, Aristot. alibi dixit, *accidentia definiri ἐξ ἀφαιρέσεως, ex abstractione, in abstracto* dicunt vulgo, & *in idea sua.*

VIII. *In adjunctorum abstractione à subjecto, discerni debet inter adjuncta propria & communia. Propria* adjuncta hic appello, quæ soli alicui subjecto conveniunt: ut etiam omni & semper conveniant: hoc in loco non est necessarium. Quemadmodum vero formæ materiales aliter sese habent ad materiam, aliter ad rem formatam: ita aliter sese habent, in hoc negotio abstractionis, adjuncta communia, aliter propria: sicuti formæ non possunt abstrahi à rebus formatis (ea enim abstractio contradictionem implicaret) ita quoque non possunt adjuncta propria abstrahi à suo subjecto proprio, sed tantum ab iis quæ sub subjecto proprio continentur: simitas v. g. naso competit & soli naso, ideoque non potest concipi non concepto naso. Quare, sive simitatem dicas, sive simum, sive nasum simum, res eodem redit: ut vero sese habet nasus ad simitatem, ita omne subjectum ad suas proprietates: nulla ergo proprietas concipi potest, subjecto suo non concepto. Et certe, cum subjectum contineatur in definitione proprietatis (nam proprium dicitur de subjecto in secundo modo dicendi per se, *teste Arist. l. 1. Post. Anal. cap. 4. §. 31.*) si proprium abstraheretur à suo subjecto, abstraheretur à sua definitione, atque adeo à seipso, & à sua essentia: at definitum à sua definitione, à seipso, à sua essentia, homo ab animali & rationali, abstrahi non potest. *Quorsum ergo*, dicat aliquis, *Proprietatibus sunt tributa voces abstractæ, si non possunt abstrahi à suo subjecto ullo modo?* Resp. Voces istæ abstractæ significant proprietates, non quidem sine subjecto, sed sine subjecto particulari aut singulari, nam cum simitatem dicimus, voce abstracta curvitatem significamus, non quamcunque, sed eam solam, quæ est nasi, nec eam tamen quæ est in naso Socratis aut Platonis, sed quæ est in naso quocunque. At adjuncta communia, sicuti ad nullum certum subjectum determinata sunt, ratione cujus debeant definiri, ita quoque abstrahi possunt à subjecto quocunque. Interim, sicuti adjuncta, quatenus adjuncta sunt, subjectis suis differunt à se invicem, idque, vel specie, si sint propria; vel numeto, si sint communia: ita quoque abstrahuntur ab inferioribus atque à singularibus, quia & quatenus abstrahuntur à subjectis: ita ut, cum de adjunctis sermo est, abstractio à subjecto & ab inferioribus non magis differat, quam esse & inesse in accidentibus. Et proprietates quidem universales abstrahuntur à singularibus, atque omnino ab inferioribus, quando universale subjectum ab infetioribus abstrahitur. Sic simitas abstrahitur ab inferioribus, quando concipitur in naso generatim sumto, non in naso hoc aut illo singulati:

at

at adjuncta communia abstrahuntur à singularibus, quando concipiuntur, non tantum non concepto hoc aut illo subjecto singulari, sed etiam non concepto hoc aut illo subjecto in specie: ut si quis concipiat alborem aut sphæram, non tantum non concepto hoc singulari alboris aut sphæræ subjecto, sed nec considerato ligno, auro, argento, aut ullo alio determinatæ naturæ subjecto, in quo albor aut sphæra inesse solet. Ex quibus apparet, adjuncta communia esse magis abstracta, quam proptia: quoniam illa abstrahuntur ab omni subjecto determinati generis: hæc non item: includunt enim subjectum determinati generis, sed non hoc aut illud in individuo.

IX. Notandum hic est porro, *abstractionem à subjecto esse reciprocam*, ut sicuti adjunctum à subjecto, ita subjectum ab adjuncto possit abstrahi: at superiora ab inferioribus, sed non item inferiora à superioribus, abstrahi possunt; quia superiora dicuntur de inferioribus primo modo dicendi per se, *teste Aristot. l. 1. post. Anal. c. 4 §. 31.* Potest quidem concipi natura animalis non conceptis speciebus, homine videlicet & bruto: at homo aut bestia concipi non potest, non concepto animali, quia homo & bestia, est animal utrumque: contra, sicuti adjunctum potest concipi, non concepto subjecto, vel singulari, vel determinati generis: ita quoque subjectum potest concipi, seu singulare, seu determinati generis, non concepto adjuncto: nec refert sine adjunctum commune an proprium: nam sicuti potest concipi corpus non concepto nigrore, aut nix non concepto albore; ita Petrus aut homo potest concipi, non concepta ridendi facultate, aut non concepta similitate.

X. *Discrimen* tamen adhuc est aliquod *inter subjectum propriorum & communium adjunctorum.* Subjectum adjuncti proprii, sive singulare sive determinati generis, licet absque contradictione concipi possit non concepta proprietate, non potest tamen concipi ea negata: at subjectum adjuncti communis, sive singulare sive determinati generis, sine contradictione concipi potest, non solum adjuncto non concepto, sed & negato: atque in eo *adhuc differt subjectum proprii adjuncti à subjecto differentiæ specificæ institutivæ*, ut est species omnis, atque adeo ipsa proprietas à differentia specifica constitutiva: nam species, puta homo, non potest concipi, ne quidem non concepta rationalitate, at potest concipi non concepta risibilitate; & potest concipi non tantum non concepta, sed & negata eruditione. Hæc, quæ de Abstractione nunc sumus philosophati, inserviunt admodum illustrandæ disputat. trigesimæ & quartæ, *de proprio*, in harum select. serie: & in universum fœnerantur insignem lucem quæstionibus per universam Philosophiam difficillimis.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

TRIGESIMA-TERTIA.

DE

BONO.

THESIS I.

TEnentur homines omnes, ex naturali instinctu, *Boni* desiderio: pauci tamen cognoscunt rationem *Boni*, in quod feruntur. Operæ fecerimus pretium, si, quid sit *Bonum*, quod ita ab omnibus expeti solet, in aperto ponamus: at vero hoc ipsum præstare, difficultatis plenum est opus, propter variantium Philosophorum judicia: jaciamus tamen aleam, & rationis filum, quo nos ducit, sequamur. Explicabimus igitur post *vocem*, Boni *quidditatem*, in quo illa consistat, *proprietates*, & varias ejus *distinctiones*.

II. Quod nos hodie *Bonum* dicimus, veteres olim *Duonum* dixerunt. *Festus. Duo-*

num, Bonum: & è veteri poëta citat; simul *duona* eorum portat ad naves. Unde autem Duonum fuerit dictum, quod bonum nunc vocamus, optime explicat *Camerarius* in suis Problematibus, cum dicit *Duonum dici à duobus.* Acute sane: quia bonum duo dicit: & ipsam entitatem rei, quæ denominatur bona, & aliquid, quod bonitas connotat, ad quod prædicta entitas relata hanc ipsam denominationem boni sortitur, quæ relatio est propensio, inclinatio, capacitas, convenientia, aut similis connexio cum tali entitate. Sed hoc ex iis, quæ statim sumus dissertaturi, clarius patebit. *Bonum* græce καλὸν & ἀγαθόν. Καλὸν ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quia animos vocat & trahit, ad se appetendum: ἀγαθὸν quasi ἄξιον ἄγαν τοῦ θέειν, dignum valde ad quod curramus. *Hæc de voce.*

III. *Quidditas boni*, seu *ratio formalis* boni, in qua consistit, est *bonitas:* quæ *quid sit, & quid enti adjiciat*, (agimus enim de bono & bonitate transcendentali) tam multiplici sententiarum varietate est disputatum, ut vix invenias exitum. Nos primum, quid non sit, mox, quid sit, exponemus. §. 1. *Bonitas Transcendentalis non est ipsum ens quod bonum dicitur, nec novum ens ab ente bono distinctum. Non prius*, quia sic non esset affectio entis: essent enim bonitas & ens bonum, voces synonymæ Grammaticis dictæ: & abstractum diceretur de concreto: & foret prædicatio identica: quæ omnia falsa sunt. *Non posterius*, quia, si illa bonitas foret novum ens, iterum esset bona, quia omne ens bonum est, & hæc secunda bonitas iterum foret bona, quia ens, & sic daretur progressus in infinitum. §. 2. *Bonitas tamen transcendentalis includit ens*, quia ejus est affectio, *eique aliquid adjicit, non* quidem *ens novum*, ut dictum est, *multo minus qualitatem*, quæ accidens est & species veri entis; sic enim in bono, consequenter in Deo, foret compositio ex duobus entibus: *addit* tamen *aliquid*, *non* vero *nihil*, quia nihil non est affectio entis; præterea nihil non distinguit ens: bonitas distinguit ens. §. 3. *Illud aliquid, quod bonitas adjicit enti, non est privatio*, quia bonitas non dicit, quid ens non sit, sed potius quid ens sit: *non est denominatio externa*, quia non dicit, quomodo aliquid extra ens bonum se habeat ad ens bonum, sed potius, quomodo ens bonum se habeat ad se aut ad aliud, ut statim dicemus; *non est relatio rationis, aut ullum ens rationis*, quia bonitas est in rebus, & ens est bonum citra ullam fictionem vel operationem mentis nostræ; *non est modus*, quia non est attributum entis absolutum, sed respectivum, ut *th.* 1. indicatum & pluribus statim indicabitur: *sed est relatio realis*, quæ non dicit ens reale, sed aliquod non-ens, respectum scilicet, reperiri in ente reali, citra intellectus operationem. §. 4. *Hic respectus*, quem bonitas adjicit enti, *non consistit in entis boni ordine ac relatione ad voluntatem seu appetitum*, quæ *Scheibleri l.* 1. *Met. c.* 10. & multorum, ac fere communis est opinio; quæ ideo rationem formalem boni, ipsam puta bonitatem, constituit in appetibilitate, allegata hic *Arist. ex l.* 1. *Eth. c.* 1. authoritate, ubi inquit, *Bonum est, quod omnia appetunt.* Sed hæc opinio & authoritas facile refutantur. Quocunque enim in re aliqua, qua talis est, datur aliquid prius, illud non potest esse illius rei ratio formalis. Atqui appetibilitate in bono, qua tali, datur aliquid prius. Ergo &c. Et, effectus non potest esse de ratione formali causæ suæ. Atqui appetibilitas est effectus boni, Ergo &c. Minor utrimque probatur, quia non ideo quod quid appetibile est, bonum est, sed, quia bonum est, appetibile est: nempe omne bonum appetibile est, quia conveniens est ei qui appetit. Quod attinet authoritatem *Aristotelis*, notum est, eum *loco cit.* non à priori Boni essentiam per definitionem explicare, sed à posteriori per proprietatem aut effectum qualicunque modo declarare. §. 5. *Respectus, quem bonitas addit enti, atque ipsa formalis ratio boni, consistit in convenientia:* &, Ens est bonum quatenus est conveniens. *Sed quam & ad quid convenientiam* notet bonitas, non tam facile est explicatu. Nos in re obscura perspicuitati, quantum poterimus, studebimus.

IV. *Bonitatem esse sitam in convenientia*, communis loquendi modus demonstrat: dicimus enim, hoc aut illud esse alicui bonum, quia

quia ei conveniens est: eruditionem bonam homini, aquam bonam piscibus, quia illa homini, hæc piscibus est conveniens: præterea id sic demonstratur. Quicquid est ratio & causa appetibilitatis potentialis & actualis appetitionis, est ratio formalis boni. Atqui convenientia alicujus rei est ratio & causa &c. Ergo &c. Major nota est; ideo enim aliquid est appetibile & appetitur quia bonum est. Minor quoque certa est; nihil enim appetibile est vel appetitur, nisi quod & quia nobis est conveniens, vel aliis, quibus appetitur. *Sed qua aut qualis est convenientia, in qua ratio formalis boni consistit?* Præceptor noster *Cl. D. Burgersdicius l. 1. c. 20.* Bonitatem consistere ait, *in convenientia entis cum alio.* Sed quomodo Deus tum dici potuit bonus ante creationem, quandoquidem nihil fuit cum quo conveniret? *Ego malim sic dicere.* Convenientiam entis considerari, vel respectu sui, vel respectu alterius: quam distinctionem prolixe inculcat *Metaph. disp. 10. sect. 3. Suarez.* Illo modo bonum dicitur, quod est conveniens sibi ipsi; hoc modo bonum dicitur, quod est conveniens alteri. Utroque in modo convenientiæ formalis ratio boni consistit. Et sic Deus ante creationem bonus, & post creationem bonus, & creaturæ omnes bonæ dici possunt. Hæc mea de bono sententia, eadem est *Guinandi Rutgersii in Institutionibus Metaph. l. 1. c. 17.* cujus verba, quia explicationem continent suæ ac meæ sententiæ, non pigebit hic adscribere. *Hæc*, inquit, *convenientia, quam bonum connotat, consideratur quandoque in ente, respectu sui ipsius, quatenus videlicet per quandam reflexionem ejusdem ad se ipsum, concipimus entitatem rei, ut sibi ipsi convenientem & amabilem, juxta illud vulgatum ex* Arist. 8. Eth. c. 5. Amabile bonum, unicuique autem proprium. *Ergo etiam conveniens est & amabile, & quidem maxime quod maxime alicui est proprium, quale certe est ipsa entitas, qua unumquodque intime ac essentialiter constat: aliquando autem solet prædicta convenientia considerari respectu alicujus alterius, quod vere & à parte rei distinctum est ab eo quod bonum denominatur: utriusque exemplum potest esse in calore, qui denominatur bonus, 1. Quidem, quatenus ipsa entitas caloris sibi ipsi est valide conveniens & amabilis, ut qui expetit conversationem sui esse, quatenus illud tuetur ac defendit, si necesse est. 2. Denominatur calor bonus, quatenus est conveniens valdeque proportionatus igni. Et quidem juxta utrumque hunc modum convenientia denominatur ens bonum transcendentaliter, hoc est, tali bonitate, qua sit passio entis.* Hæc *Rutgersius*, cui adstipulamur.

V. *Proprietates* boni sunt; 1. *Appetibilitas & amabilitas*, quia omne bonum propter convenientiam suam est amabile & appetibile: & non tantum sui amorem excitat in aliis, ut appetatur, sed etiam seipsum amat, seipsum appetit, sibique in suo esse complacet: unde oritur 2. *Conservatio sui*, quia enim bonum se amat, studet etiam sese conservare. 3. *Communicabilitas*, quippe bonum est sui communicativum. 4. *Defensio sui & odium adversus corruptionem sui*; bonum enim se tuetur contra vim externam. 5. *Propensio in similia*: bonum enim amat sui simile: Ex hisce proprietatibus boni maxime considerabilis est appetibilitas, quæ habet se ad bonum, ut visibilitas ad colorem. *Appetibili respondet appetitus proportionatus*: appetibili *præsenti* appetitus *complacentiæ*: appetibili *absenti* appetitus *desiderii*, de quibus fuse *Rutgersius loco cit.* Hinc fluxit ista boni descriptio: *Bonum est quod omnia appetunt*; *Eth. 1. c. 1.* Est vero quadruplex *appetitus*, à quo bonum appeti potest. Est 1. *naturalis, rebus inanimatis proprius*: licet hunc in illis observare, quando similibus delectantur, quando se conservare nituntur, quando pro universi salute laborant. 2. Datur appetitus *innatus in corporibus animatis non sentientibus*, qui animæ vegetantis est appetitus: hujus operationes *in plantis* conspicuæ sunt. Cur brassica rutam adeo adversatur, ut juxta eam seri nolit? ex appetitu hoc est; quia enim sui desiderio tenetur, rutam ut sibi malam fugit. 3. Datur appetitus *animalis*, qualis est *brutorum*, qui cum imaginatione conjunctus est, & tanto boni desiderio tenetur, ut ne in somno quidem otiosus videatur. Hinc frigus si sentiant inter dormiendum animalia, tegumentum quærunt ac

loca calidiora. 4. Est *rationalis* appetitus, qui non tantum ad bona singularia, ut tres priores, sed & ad universalia sese extendit, sectaturque etiam ea, quæ à sensibus sunt remota: sic eruditionem appetit homo & summum bonum. *Respectu quadruplicis hujus appetitus bonum dicitur appetibile.*

VI. *Divisiones* boni admodum sunt variæ. 1. *Bonum est aliud per essentiam, aliud per participationem: illud* est, quod à seipso & per seipsum est bonum, diciturque bonum *infinitum, independens, increatum*, quale est *Deus*, qui à nullo suam bonitatem accepit: *hoc* est, quod à Deo bonitatem accepit, diciturque bonum *finitum, dependens, creatum*, quale est *creatura*: hæc licet *non* sit *per essentiam* bona, est *tamen secundum essentiam bona*, id est, essentia est principium bonitatis; bonitas enim sequitur essentiam: verum, ut essentia creaturæ, secundum quam est bona, à Deo est participata, ita & participata est ejusdem bonitas.

VII. 2. *Bonum* est vel *Theologicum* vel *Philosophicum: illud spirituale* est, & supra vires hominis collocatum: estque vel *summum*, absolutissima hominis felicitas: vel *intermedium*, ut dona spiritualia, regeneratio, justificatio, sanctificatio, &c. *hoc*, philosophicum puta bonum, est vel *naturale* vel *morale: illud* est, quod consentaneum est naturæ prout naturaliter operatur & operari potest, ut *sanitas: hoc* est, quod convenit rei ut libere operatur, ut *virtus*.

VIII. 3. *Bonum* est *verum* vel *apparens: illud* est, cui revera inest bonitas, quæ inesse existimatur: *hoc* est, cum non inest reipsa bonitas, quæ inesse existimatur. Hæc distinctio utilissima ad quarundam objectionum solutionem; ut cum malum appeti volunt quidam, quia mors expetatur: at illa, tum bonum apparens est.

IX. 4. *Bonum* est aliud *simpliciter vel in se*, aliud *alteri vel ad aliud*. Bonum *simpliciter* multis modis dicitur tale. 1. *Per ordinem ad apparens*; & sic idem est quod verum bonum. 2. *Per ordinem ad singulare*, & sic idem est cum bono universali. 3. *Per ordinem ad bonum per participationem*, & sic idem est cum bono per essentiam. 4. *Per ordinem ad inferius & subordinatum bonum*, & sic idem est cum bono summo. 5. *Hic* dicitur, quod *semper*, *absolute*, & *ubique*, atque *omni* est *bonum*. Bonum *alteri vel ad aliud*, quod *certo tempore* est bonum, *nec ubique nec omni* est bonum: sic quatuor pedes habere, bonum est asino vel bovi, non homini vel gallinæ: facere jacturam bonorum, bonum est, tempore tempestatis, ut vita servetur: vinum bonum est homini, sed non omni, neque enim convenit febricitanti.

X. 5. *Bonum est honestum, jucundum, utile. Honestum*, quod rationi rectæ est congruum, & ex se ac propter se expetitur. *Iucundum*, quod, quia amorem sui conciliat vel sensui vel rationi, expetitur. *Vtile*, quod propter aliud bonum, ad quod acquirendum inservit, expetitur. Sed de hac boni divisione & aliis, videantur *Authores Metaphysici*, *Systematici* & *Quæstionarii*. Hoc pro coronide moneo, has non esse divisiones omnes in diversas res & species bonorum, sed pleraque vel unius boni in diversas formalitates, vel ipsius vocis in plures significationes.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, TRIGESIMA-QUARTA.

Quæ est prima,

DE

FORMIS.

THESIS I.

NUllus in tota philosophia difficilior est locus, quam de *Formis*, ut jure merito *Iulius Scaliger Exercit.* 307. *sect.* 12. omnem *nostram* in Philosophia *scientiam*, propter *Formarum cognitionem rudem & confusam*, nihil aliud esse quam *umbram in sole*, dixerit. Hinc est, quod ab *Aristotelis* tempore in hunc usque diem tam ferventi partium studio agitetur de *Formis* controversia, quæ fere huc redit omnis; *An Forma in rebus naturalibus sit substantia, eaque diversa, ab altero rei naturalis principio, Materia.* Atque hæc de omnibus, *præter rationalem Animam*, Formis instituitur quæstio: quin enim hæc sit substantia immaterialis, à Corpore, substantia materiali, diversa ac distincta, & ex Scriptura per revelationem, & ex natura per ratiocinationem, sanioribus constat Theologis ac Philosophis. De reliquis itaque Formis & nos hanc quæstionem ventilabimus. Negantem plerisque ante *Aristotelem Philosophis antiquioribus* placuisse hic sententiam, affirmantem *Aristoteli* allubuisse, locis ejus adductis, referunt *Conimbr. l.* 1. *Phys. c.* 9. *quæst.* 10. qui cum omni caterva *Scholasticorum* eam quoque sequuntur. Fateor equidem ab aliquot jam seculis hanc *Affirmantium* opinionem invaluisse, atque illas egisse radices in multorum animis, ut, qui contra sentiunt, in ipsa censeantur Philosophiæ principia impingere, omnisque veritatis fundamenta subruere: Atque utinam hic stetisset judicium! longius itum est. Non erroris tantum aut falsitatis quibusdam præcipitantis nimium judicii hominibus habentur rei, qui *negantem* quæstionis propositæ partem defendunt, sed impietatis insuper: ac jam dubitari cœptum est & disputari, An cum bonis moribus & pietate opinio consistat negans? atque adeo fere excommunicationis fulmen negantibus pro terriculamento objicitur. Sed bene est, quod non isti morum & pietatis exactores & censores sint constituti. Dandum hoc est & condonandum nostri temporis vitio, quo homines quidam (qui, nisi quod ipsi sentiunt, nihil rectum censent) ex innoxiis in *Philosophia* opinionibus impietatem statim norunt exsculpere aut hæresin etiam: quam utramque, à sententiæ, Formas esse substantias (excepta semper Anima rationali, quod semel ac semper dictum esto) à materia diversas, negantis Authoribus, ut semel & serio amoliremur, visum fuit aliquot disputationibus ventilandas proponere pro Negante sententia rationes *Gulielmi Pembelii L. A. M. & Concionatoris* πεμπτικωτάτε, Collegii Magdalenensis apud Oxonienses quondam alumni, *viri*, ut titulus habet operum ejus Anglicorum, *divini*, &, ut habet titulus Enchiridii *ejus* Oratorii, *facundissime pii*, ex ejus *de Formarum Origine* tractatu. Nemo Authorem hunc, vel impium, vel hæreticum, nisi insigni & calumnia & mendacio, dicere fuerit ausus, quippe qui hæreseos fundamenta contra nostri seculi *Pelagianos* in suis *Vindiciis gratiæ* masculè destruxit, justitiam inhærentem contra nostri temporis *Pharisæos* in suis *Vindiciis Fidei* funditus subvertit, pietatis fundamenta contra *Atheos* in suo *de Providentia Dei* tractatu & gravissimis *in Ecclesiasten* & *Zachar. Prophet.* explanationibus variisque *concionibus*, solidissime jecit. Et ostendant semel, si possint,

sint, *Affirmantes*, quodnam fidei, pietatis, salutis, fundamentum evertat, in quod Decalogi aut verbi divini præceptum impingat sententia negans. Equidem tam pretiosa hic est *Negantibus* animæ suæ salus, tam chara fides, tam cordi veritas, tam curæ pietas, quam *Affirmantibus* esse possit. Sed tandem ipsum audiamus differentem *Pembelium*.

II. Vexatissima est illa inter *Physicos* Quæstio, *de Formarum* Origine, quomodo, quo principio, oriantur & Materiæ adsocientur. Quæ quantum & discentium ingenia exercuerit, testatum faciunt tot doctorum hac de re commentationes, atque, post tam claras, ut videbatur, huic veritati prælatas faces luminaque admota, summa animorum caligo & inscitia, qua adhuc cingimur. Hæremus in cortice, & *in natura vestitum externumque accidentium ornatum novimus*, & miramur, at *corpus ipsum* & intimam essentiæ medullam quærimus & *ignoramus*: vel potius, an non in scirpo nodum? illud anxia indagine vestigantes, *quod nisi in Philosophorum cerebris librisque, in Naturæ est nusquam*. Ita plane est, cæcutientes nimirum acute cernimus, atque *illud scire satagimus, quod nec esse Naturæ agnoscit*. Intelligo illud *Physicorum de Formis placitum*: quod etsi *Antiquitate & omnium Præjudicio* satis *confirmatum* videatur, tamen cum *potius ut Postulatum* quam ut demonstratum ab *Aristotele primo inventore*, ejusque Sectatoribus, sumatur, non erit immodesti sed φιλαλήθους, illud penitius introspexisse, atque examinasse, *quid firmitatis habeat* hoc fundamentum, cui tot in omni Philosophia dogmata innituntur.

III. *Aristoteles*, rejectis aliorum ante se placitis, *tria* rerum communia *Princip.* statuenda esse, docuit, *Constitutionis* duo, *Materiam & Formam*; *Transmutationis* unum, *Privationem*. Quam *triadem* Posteritas venerata est, & fere ἀβασανίστως retinuit. Merito autem erroris suspecta est hæc doctrina, & à multis contraitum; qui Privatione, de fede, quam occuparat, detrusa, binarium rantum Principiorum numerum agnoverunt. Quam hoc justa fecerint lege, sufficiet uno aut altero exemplo demonstrasse. *Privatio* est *principium transmutationis*, inquit *Aristot.* At quale principium? Intueamur exemplum, & *Naturam non Notiones sectemur*. Aqua mutatur in Aërem. Hujus mutationis *principium est Privatio*, *vel quatenus* est Absentia formę Aëris in Aqua, *vel quatenus* est Aptitudo in materia Aquæ ad recipiendam formam Aëris: ex istis enim duabus partibus conflatur definitio Privationis. *Non priori respectu*: nam Absentia formæ (fatentibus ipsis *Aristotelicis*) est merum Non-ens, nihil habens positivi: ipsum abesse est non-esse, nec magis ens est mera Absentia Formæ Aëris ab Aqua, quam absentia formæ Aëris ab Auro, hoc est, purum putum nihil. Quis autem sanus dicet, Non-ens esse principium transmutationis Corporum Naturalium? *Non posteriori modo*: quia 1. sic Privatio non est Privatio: merus est & Rei & vocis abusus, vocare aptitudinem & capacitatem subjecti, nomine privationis: perinde ac si dicas, *Carendi duæ sunt partes*, *Carere & Habere*: Illa enim *Aptitudo*, est qualitas vere positiva, quæ habetur & possidetur à subjecto: nempe, *vel una simplexque qualitas*, ut Potentia passiva Materiæ primæ, per quam vere disponitur ad recipiendam formam quamcunque, *vel mixta qualitatum congerie* in corporibus, sive mixtis, sive simplicibus, per quam ad unam formam magis quam ad aliam disponuntur, ut in Aqua humiditas & tenuitas faciunt eam aptam ad aëtis magis quam alterius corporis: Ar quis vel unam qualitatem, vel multarum debitam mixturam sine absurdirate vocaverit Privationem? 2. Etsi revera ista Capacitas & Aptitudo requiratur ad omnem transmutationem, ut Conditio necessaria in subjecto transmutando (nec enim ex quolibet ligno fit Mercurius) non tamen recte dicitur principium transmutationis. Anne ideo res mutatur, quia mutari apta est & capax? Minime certe, neque in artificialibus, neque in naturalibus. Sed hic recurritur ad solemnem distinctionem duplicis Principii. 1. *Effectivi* virtute sua agenris, & 2. *Occasionalis* ansam quasi præbentis: Et, hujus *posterioris farina* est *Privatio*. Sed hac distinctione parum consulitur huic causæ, ut ex sequentibus palam fit.

IV. §. 1. Non ferendum est hoc *Aristot.* πρόσλημμα, qui fundamenta totius Philoso-

phiæ

phiæ jaciens, & *principia*, tum conſtitutæ, tum tranſmutatæ, naturæ accuratæ inveſtigans, neglexerit *cauſam efficientem*, in qua virtus tranſmutativa corporum latet, atque ejus loco *occaſionem* tantum prehenderit, cujus nulla ex ſe eſt efficacia, non ἀρχὴ, ſed ἀφορμὴ dicenda fuerit Privatio. §. 2. Nec *Occaſio* quidem eſt, quod ad primam Privationis partem, cui tamen hæc diſtinctio ſolet applicari: *Sive* enim Aquam, *integra* adhuc ſua *forma*, *ſive* jam *corrupta*, ſpectemus, neutro modo Abſentia formæ eſt occaſio mutationis: *non primo*; nam Abſentia formæ Aëris, in Aqua adhuc manente integra, non magis Occaſio dici poteſt mutandæ aquæ in aërem, quam mutandæ illius in ignem aut terram: *non ſecundo*; nam Abſentia formæ Aëris in Aqua corrupta, non eſt Occaſio, cur introducatur magis forma aëris quam forma ignis: *nec* abſentia formæ Aëris, in aquam introducibilis, eſt Occaſio cur introducatur; nam & terræ quoque forma abſens eſt, & introducibilis, aliquandoque in aqua corrupta inducitur: *nec denique* abſentia formæ ſimpliciter Occaſio eſt, cur alia, qualis ſit, intromittatur: *illud enim figmentum eſt*, ut ſic oſtendi poteſt. In tranſmutatione Aquæ in Aërem, neceſſario ſecundum *Peripat.* doctrinam, dandum eſt aliquod Inſtans, in quo & non ante forma aquæ recedit: ut enim generatio, ſic corruptio fit in inſtanti, forma ſiquidem eſt indiviſibilis, & tota accedit receditque in momento. *Bene habet.* Ante illud igitur Inſtans in Aqua non erat ulla privatio. Jam vero, cum avolat forma aquæ, advenit Aëris forma, vel in eodem inſtanti, vel in diverſo. Si in eodem, nulla poteſt intercedere privatio, ſiquidem ante illud aqua non erat privata ſua forma, & in ipſo illo inſtanti admittit formam aëris. Itaque hoc pacto occidit privatio, ſed oritur interim major difficultas: *Quomodo in uno & eodem inſtanti, eadem materia aqua, poſſit habere duas formas ſpecificas Aquæ & Aëris.* Cujus difficultatis nulla plane ſolutio dari poteſt ſtante *Phyſices Peripatetica* conſtitutione. *Sin dicas*, hoc fieri diverſis inſtantibus, intercedente aliquo privationis tempore, ſuccuris hoc dicto *Phyſiologiæ Ariſtot.* fundamenta, quæ volunt impoſſibile eſſe, ut Materia vel ad momentum informis exiſtat. Quare *cedat foro Privatio*, nec amplius in Naturæ triumviris accenſeatur. *Aptitudo* quidem & *Capacitas* illa *Materiæ*, eſto aliquo modo *Occaſio* legum naturæ novandarum; *Principium non eſt: Privatio non eſt.* Hujus autem nothi loco ſubſtituatur γένεσιν illud omnium tranſmutationum principium effectivum, ſcil. *pugna contrariarum qualitatum*, quarum adverſa dimicatio, alternaque aut mutua victoria, & poſt eam concordi temperie, ſed diſpropottionata δυσκρασία, fons eſt & radix, unde exiſtunt omnes, quæcunque in natura naturaliter fiunt, generationes & corruptiones. Hoc clarius demonſtrabitur in ſequentibus, dum *ſecundum Peripateticorum Principium* diligentiori examine ſubjicimus: quod *Forma* eſt.

V. *Duo* ſunt *Conſtitutionis* rerum *Principia*, *Materia* ſcil. & *Forma*. *Materiam* agnoſcimus, de *Forma* quærimus: *Ea eſt* (inquiunt *Peripatetici*) *Principium activum, quod cum Materia conſtituit compoſitum ſubſtantiale.* Habes eſſentiam, vide ejus elogia & proprietates. *Eſt ſubſtantia, & quidem præcipua pars eſſentialis compoſiti: divinior & dignior natura quam Materia: compoſito dat eſſe, Agere, Diſtingui, Nomen: eſt generalis & corruptibilis: educitur de ſinu ſeu potentia materiæ; in ſenſus non incurrit: conſiſtit in indiviſibili: nec minuitur pro varia compoſiti quantitate: eſt immateriata & tamen materia neceſſitate ligata.* Cape quoque diviſionem. *Eſt forma, alia Prima reliquas antecedens, communis omnium corporum naturalium, quatenus ſunt naturalia: alia Secunda, primam ſequens, propria particularium corporum ſecundum diverſas ſpecies.* Hæc ſunt breviter, quæ *Phyſici* de *Forma* tradunt, pauca ea quidem, attamen ejuſmodi, quæ tum inter ſe, tum cum fundamentis naturalis ſcientiæ ab *Ariſt.* poſitis parum conſentiunt. Illud primo ſcrupulum injicit, ſubleſta hic agi fide, quod inter tot, de *Materia*, altero principio, controverſias, libros, diſputationes ultro citroque ſcriptas habitasque, parum aut nihil fere de *Formarum* natura reperias *in Phyſicorum* Commentariis. Aliquid in genere diſputatur in Communi *Phyſices* parte, ubi è regione *Materiæ forma* tractatur:

at sit ita leviter & perfunctorie, ut cognoscas eos umbram non veritatem petere, inter ipsas disputantium manus avolantem & evanescentem. In reliqua *Philosophia*, donec ad *Hominem* perventum erit, altum de ea silentium, exceptis quibusdam, de *Cœli* & *Elementorum Formis*, otiosis speculationibus. An hoc fit, quod *Formæ* natura & notitia magis in obscuro sit quam *Materiæ?* Nequaquam sane. Conferamus paritatem utriusque & privilegia *Formæ*. Forma in sensus non incurrit, neque Materia: utriusque cognitio ab intellectu solo pendet: fatentibus *Peripateticis*, & docentibus, materiam non cognosci nisi duplici instrumento. Probationis necessariæ à transmutationibus successivis commune aliquod subjectum requirentibus, & Proportionis ab arte factis ex materia varie effigiata constantibus. Quare mirum est eos, qui de *Materiæ* essentia proprietatibusque tam multa disputarunt & definierunt, noluisse *Formæ* naturam accuratius eisdem subsidiis inquirere. Nec erat, cur hic magis hebescerent oculi, si digniorem & clariorem *Formæ* naturam spectemus. Quid enim? Materia est perfectibilis, Forma perfectio: illa, potentia, nuda, pura passiva potentia (sic ajunt:) at Forma est Actus. Materia est debilis entitatis fere aciem intellectus fugientis; at Forma, divinum est quid, ipsam essentiam dans, nedum habens. Materiæ propria sunt, potentia patiendi & recipiendi quidvis, & quantitas interminata, at actio nulla, Formæ autem, mille sunt Actionum Qualitatumque differentiæ, quæ sensum intellectumque non leviter perstringunt. Quid igitur causæ esset, quod tot præsentibus auxiliis *tantillum* in *Formarum* cognitione profectum sit, in *Materiæ tantum*. His illud adde, quod qui de Angelorum essentia summa subtilitate & audacia pronunciarunt, quorum essentia ægrius à nobis percipitur, illi *Formarum* disquisitionem penitus ferè neglexerint. Verum ne suspicioni huic justæ nimium dedisse videamur, accedamus ad *rationes* quibus adversum receptam *Formæ* doctrinam sic argumentari possumus.

VI. *Forma* Corporis naturalis, est vel *Substantia*, vel *Accidens*. Si *substantia* sit, erit vel *Materialis* & *corporea*, vel *Immaterialis* & *spiritualis*. Hæ divisiones sunt immediatæ, & ex terminis oppositis, toto genere differentibus, constant: ita ut ineptè diverticulum quæratur, in distinctione *Substantiæ* in *perfectam* & *imperfectam*, aut in *Gradus* quosdam *intermedios* inter Substantiam & Accidens, inter Materiam & Spiritum, quos neque *natura* neque *Philosophia Peripatetica* ullo modo admittit: puritas enim purissima Materiæ non eximit rem è gradu rerum materialium, nec speciem variat: illa entitas *Media* inter substantiam & accidens ne concipi quidem potest, & certe novum requiret *Prædicamentum*. Nec illud de *Perfectione* aut *Imperfectione* Substantiæ magis è divisione Prædicamenti Formam quàm Materiam exterminat, qua imperfectius nihil. Sunt itaque secundum *Philosophiam Peripateticam*, & naturam quidem ipsam, distributiones illæ irrefragabiles: ex quibus sic procedo. *Forma, nec est substantia Materialis, nec Immaterialis: Ergo ne omnino quidem substantia est.* Probatio instituetur per partes.

VII. *Forma non est Substantia Materialis & corporea.* Ostendo his rationibus. §. 1. Quod materiam corpusque informat, illud non est materiale & corporeum. Atqui Forma materiam corpusque informat: est enim ejus officium informare. Ergo &c. Vis hujus argumenti in eo consistit, ut intelligatur, quid sit *Informare*. Hoc autem est, Omnes Materiæ partes ita permeare, atque omnibus vel minimis sese immiscere, ita ut unicuique essentiam & vires speciei convenientes tribuat. Dico impossibile esse, ut Substantia aliqua materialis, à materia corporum distincta, materiam illorum per minimas sui particulas ita pervadat. Contradicit hoc *Naturæ*, quæ vetat omnem penetrationem dimensionum, hic necessario concedendam, si materia (id est substantia materialis) materiam permeet, cum omnis materiæ, cujuscunque demum sit subtilitatis, quantitas semper sit accidens inseparabile.

VIII. §. 2. Omne materiale & corporeum est per se quantum & divisibile. Atqui Forma non est per se quanta & divisibilis. Ergo &c. *Major* manifesta est ex discrimine inter Corpus

pus & Spititum. *Minor est* ex omnium *Philosophorum* placito, qui statuunt, formas quantitatis esse expertes & in indivisibili consistere. Quam verum sit illud dogma, non opus est nunc exquirere, sufficit hoc loco has contrarias sententias inter se commisisse.

IX. §. 3. Nihil generabile & corruptibile est materiale & corporeum. Atqui omnis Forma (humana excepta) est generabilis & corruptibilis. Ergo nulla forma &c. Veritas *Majoris* clarissima est; tum ex communi *Aristotelicorum* sententia, asserentium materiam nullo modo generari & corrumpi posse, sed ortus & interitus immunem persistere in perpetuum; tum etiam experientia: fieri enim non potest in transmutationibus, ut vel minimus materiæ pulviculus corrumpatur in nihilum, vel generetur ex materia non præexistente. Quicquid in rebus est materiale (intelligo Essentiam, non inhærentiam, nam sic Accidentia sunt materialia) illud, sicuti divina virtute ex nihilo exstitit, ita nulla naturali vi in nihilum redigitur. At, quod *Minor* ait, Formæ quotidie corrumpuntur & annihilantur, atque de novo generantur, idque virtute agentium naturalium. Affirmant hoc omnes, atque ipsa etiam Transmutationis veritas. Nihil ergo in Formis materiale est.

X. §. 4. Evertitur hoc pacto illud *Principiorum κεφάλαιον* ab *Aristotele* positum, scilicet, *Principia debere esse contraria*, quia quicquid fit, fieri ex contrariis necesse est: ubi *per Contrarietatem* non intelligit illam propriè dictam (alibi enim dicit substantiam substantiæ non contrariari) sed talem diversitatem & distinctionem, per quam principia corporum constitutiva ita differunt, ut essentia propriisque iisdem non communicent: nam ex uniformi, aut duabus uniformibus substantiis, nihil nisi uniforme generatur. Atqui, si Forma quoque sit materialis, Materia & Forma, non tantum non contraria, sed ne diversa quidem dici possunt: eadem siquidem erit utriusque Essentia, gradibus tantum majoris aut minoris puritatis subtilitatis distincta; qui plane non sufficiunt ad tollendam uniformitatem.

XI. §. 5. Tollitur quoque hoc modo illud Formarum privilegium, quod sint *fons & origo omnium actionum*: Cum enim operationes sint à forma, formæ autem essentia sit materialis, necessario sequitur, materiam quoque esse activam & actionum principium: erit siquidem Forma, Materia quædam actuosa, vigoris & virtutis plena, per quam potens est Materiam corporis torpidam & ignavam actuare & excitare. At unde ista Virtus? necesse est, ut sit immediate ab ipsa formæ matetia: nam si ab alio oriatur, jam Forma non erit principium, quia datur aliquid prius. Sicut enim materia prima ex se habet quantitatem, sic & Forma vires ex se ortas, non ab alio mutuatas, possidet. Atque hoc plane repugnat omnium *Peripateticorum* consensui, qui docent à Materia, quæcunque demum sit, oriri meram Passionem, eamque esse omnis possibilitatis radicem.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

TRIGESIMA-QUINTA,

Quæ est secunda

DE

FORMIS.

THESIS I.

ITa fere cum *Philosophia* comparatum est hodie, ut, quæ dogmata à receptiori *Scholâ & Scholasticorum* abeunt sententia, magno cum supercilio fastidiri soleant. Quare

periculum est, ne hæc *Cl. Pembelii*, *nostra*, *aliorumque* formas *negantium*, opinio, vel eo ipso nomine, in reprehensionem sit incursura, quod novitatem quandam apud nostros Philosophos olere videatur. Sed vana hæc foret reprehensio. In rebus fidei ac *Theologicis*, ne quid detrimenti capiat, vel fides, vel pax, vel veritas Christiana, à novarum opinionum pruritu prorsus est abstinendum, imo ad certam hic regulam & normam est loquendum, ne verborum licentia errorem gignat aut impietatem. At vero in rebus naturæ ac *Philosophicis*, in pulvere Scholastico, ubi in nullius verba juratur, ubi citra, vel pacis, vel salutis, vel pietatis dispendium, in utramque licet ire partem, major est concessa, tum sentiendi, tum loquendi, libertas: Nec tam hic Authorum nomina, quam rationum momenta, sunt spectanda. Quod tamen non sic accipi velim, quasi non plurimum esset veri & rei, in *Antiquis Philosophis*. Sed hoc volo; *Ne unquam novitas veritati sit fraudi.* Veritas nunquam propter novitatem est deferenda aut repudianda. Quin contra, novitas veritatem commendat, & animus noster novæ opinionis admitatione excitatur. Et, quæ hodie vetera sunt, olim atque aliquando fuere nova. Præclare *Horatius*:

Quod si tam Grajis novitas invisa fuisset,
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet,
Quod legeret, tereretque viritim publicus usus?

Et non minus præclare hujus seculi *Poëta* eximius:

Si meruit veri vindex audire Novator,
Mome! Novatorum est primus Aristoteles.

Meo quidem calculo, vitium est maximum in *Philosophando*, vetustatis gratia, ea defendere, quæ aut vera non sunt, aut probanda minus. Illud *Pythagoræorum* (αὐτὸς ἔφα) procul abesse vult magnus dicendi Magister *Marcus Tullius Cicero l.* 1. *de Natura Deorum.* De litteris bene mereri cupientibus obest plurimum, uti & iis qui discere aut docere volunt, id ratum habere, quod à veteribus Philosophis indicatum acceperunt: Desinunt enim suum adhibere judicium. Quam magno animo *Aristoteles* ipse, omnium *Antiquorum*, atque ipsius adeo *Platonis*, opiniones impugnaverit, videre est *l.* 1. *Phys. & l.* 1. *Eth. c.* 6. & passim *in aliis lib.* Neque hoc unquam *Philosopho* imputatum ad culpam fuit. Neque unquam tot ac tanta ornamenta & adjumenta *Philosophiæ* subministrasset tantus *Author Aristoteles*, si destinatis veterum sententiis (quæ jam olim quandam quasi vim veritatis, authoritate sola & ætate, obtinuissent) sese addixisset: sed ut scriptum reliquit *Eth. l.* 1. *ad Nicom.* ita egit ac philosophatus est: *Amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas.* Ad hoc *Philosophi* dictum, quin & præceptum, me compono: ita sum homo & sic *philosophari* soleo, ut plus apud me valeat ratio quam Authoritas, etiam *Aristotelis*, qui amicus quidem, sed magis amica veritas. At ne *Aristotelis* quidem *Authoritas* nobis deest. Videatur *l.* 6. *Metaph. c.* 3. ubi postquam dixisset, *Substantiæ*, οὐσίας in Græco, *vocem dici quadrupliciter*, sic ait, μάλιστα γὰρ δοκεῖ εἶναι οὐσία τὸ ὑποκείμενον πρῶτον. τοιοῦτον δ', τρόπον μέν τινα, ἡ ὕλη λέγεται· ἄλλον δὲ τρόπον, ἡ μορφή· τρίτον δ', τὸ ἐκ τούτων· λέγω δὲ τὴν ὕλην, οἷον τὸ χαλκόν· τὴν δὲ μορφήν, τὸ σχῆμα τῆς ἰδέας· τὸ δ' ἐκ τούτων, τὸ ἀνδριάντα τὸ συνολον. *Videtur enim maxime esse substantia subjectum primum, tale autem modo quodam dicitur, materia: alio modo, forma: tertio, id quod ex his constat. Dico autem, materiam ut as, formam ut figuram speciei; quod autem ex his constat totum, ut statuam.* Assumo jam. Atqui figura statuæ non est substantia ab ære diversa. Ergo nec forma corporis naturalis ab ejus materia est substantia diversa. Unde statim post duas lineas: Νῦν μὲν οὖν τύπῳ εἴρηται, τὸ ποτ' ἐστὶν ἡ οὐσία, ὅτι τὸ μὴ καθ' ὑποκειμένου, ἀλλὰ καθ' οὗ τὰ ἄλλα. *Nunc igitur quasi figura* (id est, *rudi Minerva*) *dictum est, quidnam sit substantia*, scilicet, *id quod de subjecto non dicitur, sed de quo dicuntur cætera.* Assumo. Atqui illud quod de subjecto non dicitur est materia, de qua, & forma & accidentia dicuntur. Ergo materia est substantia, non forma nec accidentia. Et post duas iterum lineas. Εἰ γὰρ μὴ αὐτὴ (sc. ἡ ὕλη, οὐσία, τίς ἐστιν ἄλλη, λαφύγει. *Si enim illa* sc. materia, *non est substantia, qua erit alia, fugit nos.* At, si tibi forma fuisset, substantia à materia

materia diversa, non id quæsivisses, ô bone *Aristoteles:* namque habuisses aliam. Et, *materiam solam esse substantiam*, egregio probat argumento *Philosophus:* ἀφαιρεμένων γὰρ τῶν ἄλλων, ἃ φαίνεται ἐδὲν ὑπομένον. *Sublatis enim omnibus, nihil videtur remanens.* Quasi sic argumentetur *Philos.* Id quod omnibus sublatis manet, est substantia, quæ auferuntur, non sunt substantiæ; sed reliquis sublatis manet materia: quæ auferuntur sunt formæ & accidentia. Ergo &c. Unde disertis verbis post lineas 6. aut 7. concludit. Ὥστε τῶν ὕλων ἀνάγκη φαίνεσθαι μόνην οὐσίαν οὕτω σκοπουμένοις. *Quare materiam necesse est videri solam substantiam, hoc pacto considerantibus. Lib. 8. Metaph. c. 6.* verbis pæne ultimis. Ἔστι δὲ, ὥσπερ εἴρηται, ἡ ἐσχάτη ὕλη, καὶ ἡ μορφὴ, ταυτὸ, τὸ μὲν δυνάμει, τὸ δ' ἐνεργείᾳ· & paulò post: καὶ τὸ δυνάμει, καὶ τὸ ἐνεργείᾳ, ἐν πῶς ἔστιν. *Est vero, ut dictum est, & ultima materia, & forma, idem: illud quidem potentia, hoc actu. Et, quod potentia, & quod actu est, unum quodammodo sunt.* Quid clarius? materia autem potentia est, forma actu. Notetur autem, quod dicat *Aristoteles* materiam & formam esse ἐν καὶ ταυτό. Ταυτότης *Arist. lib. 4. Metaph. c. 9.* est, ἑνότης δ' εἶναι, *unitas essentiæ.* Ergo Materia & Forma unam habent essentiam: non ergo duæ sunt substantiæ distinctæ. Ergo &c. *l. 1. Phys. c. 7. t. 69.* Ὡς γὰρ πρὸς ἀνδριάντα χαλκὸς, ἢ πρὸς κλίνην ξύλον, ἢ πρὸς τὰ ἄλλα τὰ ἐχόντων μορφήν· οὕτως ἔστι ἡ ὕλη, πρὸς οὐσίαν ἔχει, καὶ τὸ τόδε τι, καὶ τὸ ὄν. *Ut enim statuam as, ad lecticam lignum, vel ad aliquid aliud eorum quæ formas habent; ita ipsa sc. materia ad essentiam se habent, & quod est hoc quippiam & hoc ens.* Assumo. Atqui æs tantum est substantia, lignum tantum est substantia, non vero statuæ aut lecticæ formam in æs aut lignum introducta. Ergo nec Forma in Materiam introducta substantia fuerit. Atque ea similitudine sæpius utitur alibi *Aristoteles.* Sed ab eo ad *Cl. Pembelium* redeamus, qui sic porro ratiocinatur, & postquam Formas non esse Substantias materiales demonstravit Disput. præcedenti, nunc nec esse immateriales aut spirituales, sic probat.

II. *Quod forma non sit Substantia immaterialis & Spiritualis*, evincitur firmissimis rationibus, desumptis à formarum generatione & corruptione.

§. 1. *A Formarum generatione.* Qua in re ridiculum plane est, quam misere se aliosque torserint *Philosophi.* Summa omnium in hoc negotio speculationum huc redit. *Formas non induci sed educi ex materia:* Nimis enim absurdum visum est dicere, formam auri, lapidis, plantæ, &c. primo extra Materiam factam esse ab æterno agente, deinde veluti vehiculum in materiam importari. Spinosis absurdis horret hæc opinio: posse formas rerum separatas existere, plus conferre agens externum quam semen in generatione, &c. Quare in eo fixus est baculus, *Formas omnes* (humanam excipe) *è materia educi.* Verum hic admodum sudatur in explicando hujus eductionis modo, nec adhuc certi quippiam statuitur. Nos breviter omnia comprehendentes sic argumentamur. *Si Forma educatur ex materia,* fiet hoc, *vel ex Aliquo* præexistente in Materia, *vel ex nihilo.* Si prius, erit *illud Aliquid, vel ipsa Materiæ Essentia, vel Accidentia* quædam illius. Per partes agamus.

III. *Forma non oritur ex Essentia Materiæ.* Contradicunt hæ rationes. 1. Quicquid ex materiæ Essentia oritur, illud necessario est materiale, uti, quicquid ex aëre nudo fit, illud est aëreum. At Forma non est materialis, uti demonstratum est, *Disp. super.* Ergo &c. Vel si Forma sit immaterialis, impossibile est ut fiat ex essentia Materiæ: fundamentum siquidem ponitur in *Philosophia. Immateriale ex Materiali per agentia Materialia* (ut sunt ea quæ Formas educunt) *generari non potest.* Illa enim materia, ex qua constituitur Forma, ad quemcunque demum puritatis, claritatis, & tenuitatis gradum, velut in alembico, elevetur, Materia tamen est & remanet. 2. Funditus subruitur illa altera *Principiorum* lex ab *Aristotele* & sectariis lata; *Principia ne fiant ex se mutuo.* Atqui fient, si ex Materiæ substantia confletur Forma.

IV. *Forma non oritur ex Accidentibus Materiæ.* Confirmant hæc argumenta, contra opinionem eorum omnium, qui dicunt, *Formas educi de potentia, de sinu, de gremio Ma-*

teria. Ubi intelligunt, credo, his terminis, *Accidentia & Qualitates* quasdam Materiæ. At non hinc Formis origo est. Nam 1. Substantia fiet ex Accidentibus: Forma substantialis ex Accidentalibus Materiæ proprietatibus. Quod absurdum quam dissonet, *Peripateticarum* aurium esto judicium. Aut, si ex Accidente nihil generetur nisi Accidens (quod verum est) Forma erit Accidens, utpote ex Accidentibus facta; at hoc quoque *Peripatet.* monstrum est. 2. Forma non erit primum principium corporis naturalis: siquidem ex priore facta est, videlicet, ex Accidentibus Materiæ, quæ potius, quam Forma, Principii loca habenda sunt. Hac quoque ratione evertitur altera *Principiorum* lex, *Principia ne fiant ex aliis.* At forma fiet ex Accidentibus. 3. Particularius quæratur, quænam sint hæc *accidentia* Materiæ, quæ *Gremii Sinusque* nomine vocantur. Certe, tria sunt, aut nulla. 1. *Potentia passiva.* 2. *Quantitas interminata.* 3. *Prævia dispositiones.* Quod ad duo priora, risu dignus est, si quis dicat, *Formas oriri* & fieri, aut *ex Potentia passiva* sive aptitudine & capacitate Materiæ ad Formas recipiendas, aut *ex interminata illius Quantitate.* Mera sunt ista deliria. Ergo forte *ex prævis dispositionibus* fit. Hoc verisimilius dicitur, sed hic caute advertendum est, nos hactenus *non de existentia, sed de substantia* Formarum quærere, non quo Agente in Materia existant, sed *ex qua essentia & substantia sint* & constituantur. Itaque etsi fortassis prævia dispositiones & qualitates in materia *secunda* præparata, ut in materia auri, lapidis, seminis, concurrant per modum Agentis ad productionem formæ Auri, &c. non tamen possunt concurrere per modum constituentis ad condendam illius substantiam & essentiam. Siquidem prævia dispositiones sunt tantum Accidentia: at Forma secundum Peripateticos est substantia & quidem Immaterialis, quæ ex Accidentibus tanquam materia constitui nequit: Aut si constituatur, erit quidem Forma Immaterialis, sed immateriale Accidens, non immaterialis & incorporea Substantia. Hæc de *priori parte Argumenti:* videl. *Formam non fieri ex Aliquo præexistente in materia:* sequitur *membrum posterius.*

V. *Forma non fit ex Nihilo.* Ita enim Formæ in Materia productio non esset generatio sed creatio: quod sine maxima absurditate concedi non potest: tolleretur enim discrimen inter Animam rationalem & Formas cæteras, quarum etiam vilissimæ opus haberent ad existentiam creatione essentiæ: daretur immediatus & supernaturalis Dei concursus ad omnem generationem, creando & infundendo formam, aut tribuenda esset naturalibus Agentibus vis creandi substantiam ex nihilo, quæ solius Dei est propria, præcipue in substantiis Immaterialibus (ut Formis) quarum essentia Materialibus longe dignior est. Atque hoc in loco *Philosophis* aqua plane hæret, *interrogatis*, sive *de* inanimatis, sive de animatis *Formis: Sintne actu in materia è qua educuntur?* ut Forma auri in materia ex qua generatur, Forma pulli in ovo. Hic æstuant & sudant. *Insunt, & non insunt. Existunt, & non existunt. Insunt*, sed *non actu.* Nam sic, *ajunt*, nihil de novo generaretur, cum Forma actu & Materia actu existant: *Neque* plane *non insunt*, nam sic crearentur. Ergo *insunt potentia.* Contradictio. *Insunt*, id est possunt inesse (*Insunt*, actum significat, *potentia*, actum negat) *Insunt in suis causis.* Et hoc ἀνπφαπικῶν. *Insunt in suis causis*, id est, causæ insunt, per quas possunt aliquando inesse. Rursus. *Insunt habitualiter, non actualiter*, ut scientia in Geometra dormiente. Inepta distinctio, quatenus huic negotio applicatur. Habitualis enim rei inexistentia actuali non opponitur: scientia enim in Geometra dormiente actu inest, etsi non quod actus & exercitia. Num & *Formæ* sic? *Substantia earum & actus primi actu insunt in Materia, sed operationes & secundi actus impediuntur & dormitant?* Nec hoc volunt, quia absurdum est dicere; Formam auri esse actu in Materia ex qua generabitur aurum: sic esset aurum antequam est, aut Formam æris esse actu in aqua transmutanda antequam actu transmutetur in æ̈rem, aut formam animalis esse actu in semine, nec tamen semen posse dici animal. Omnia hæc sunt ἀσύστατα, ut & tota ista *Philosophorum*

phorum de Formarum ſubſtantialium è materia eductione contemplatio. Perſequamur *alterum argumentum.*

VI. §. 2. *A Formarum corruptione*, qua omnes, quotquot præter animam rationalem ſint, damnantur. Unde ſic arguitur. 1. Nulla ſubſtantia immaterialis eſt corruptibilis. Omnes Formæ ſunt corruptibiles. Ergo nullæ formæ ſunt immateriales. *Majoris* (intellige eam modo naturali) probatio eſt invicta ex ipſo *Peripato* petita. Omne agens & patiens debent convenire in genere, id eſt in materia, inquit *Ariſtoteles.* Inter ea igitur, quæ differunt matetia, nulla eſt Phyſica actio aut paſſio. Atqui materiale & ſpirituale ſic differunt. *Ergo*, illud in hoc agere, hoc ab illo pati non poteſt. Fieri itaque non poteſt, ut aliquod agens naturale & corporeum, formas rerum immateriales, agendo corrumpat, totaſque penitus aboleat, & in nihilum reducat, virtute aliqua materiali. Ejuſdem virtutis eſt, ſubſtantiam è nihilo creare & in nihilum reducere. Quare in omni corruptione, aut concedendus eſt extraordinarius & ſupernaturalis Dei actus, in abolitione formæ, etiam muſcæ unius miſerculæ, aut affirmandum, ordinaria agentia naturalia habere vim agendi in formas eaſque annihilandi: *quod abſurdum eſt ipſis etiam Peripateticis.* 2. Cum omnis ſubſtantia immaterialis ſit excellentior materiali, in genere Formatum res contrario plane modo ſe habebit. Ignobilis enim & ignava materia ſtirmiorem ſtabiliotemque eſſentiam habebit quam vel præſtantiſſima bruti anima: Materia pulicis, nulla arte, nulla mutationum viciſſitudine, poteſt annihilari: at vel nobiliſſima leonis anima uno ictu occidit & in nihilum abit. Magnum hoc & notabile diſcrimen non levem ſemper mihi excitavit ſuſpicionem, *Formas, non inter ſubſtantias, ſed inter accidentia, eſſe numerandas*, quæ ut videmus, orrui & interitui in ſingula momenta ſunt obnoxia.

VII. Accedunt his à *generatione & corruptione* deſumris argumentis *alia rationes.* §. 3. Repugnat communi ſenſui & ſano intellectui & hæc formarum immaterialitas. Quis enim ſobrius dixerit, eſſe in lapide, in auro, ſubſtantiam aliquam ſpititualem, à materia diſtinctam. *Spiritus lapidis, Spiritus auri*, portenta ſunt in Philoſophia, niſi Chymico ſenſu capiantur. At *Spiritus hominis* recte dicitur.

VIII. §. 4. Omnis ſubſtantia diviſibilis eſt materialis & corporea: Forma eſt ſubſtantia diviſibilis. Ergo &c. *Major* eſt ex ipſius naturæ dictamine, diviſio enim ſequitur quantitatem: & quantitas eſt indiviſa materiæ comes. *Minor* manifeſta eſt in diviſione omnium totorum homogeneorum, ut auri, &c. nec non heterogeneorum quorundam, ut in avulſo ab arbore ramuſculo ex ſe recreſcente, &c. Quod ſi *objiciatur*, aliquid etiam incorporeum dividi poſſe, ut albedinem in chatta, omniaque accidentia ejuſmodi, quæ tamen quantitate & materia carent. *Reſpondemus*, longe maximum diſcrimen eſſe, inter ſpiritus immaterialeſque ſubſtantias & accidentia immatetialia: illarum enim eſſentia conſiſtit in indiviſibili, tam neceſſario nexu inter ſe colligata, ut recedente parte tota pereat (ſi *Metaphyſicis* credamus) at non ſic Accidentium. Sret itaque immota hæc reciprocatio. *Omnis Subſtantia Spiritualis eſt indiviſibilis:* &, *Omnis ſubſtantia Indiviſibilis eſt Spiritualis:* Quicquid ἀλόγως obſtrepant *Conimbric. 2. de Anim. c. 11. quæſt. 8. artic. 3.* Atque *è contrario, de ſubſtantia Materiali.* Cujus argumenti tanta vis eſt, ut *Formas è claſſe ſubſtantiarum in ordinem Qualitatis* videatur poſſe cogere.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, TRIGESIMÆ-SEXTÆ,

Pars prior, quæ est Tertia,

DE

FORMIS.

THESIS I.

Τοὺς περὶ ἀληθείαν φιλοσόφους μόνον τ' ἀληθῆς πιμᾶν, docet Philosophorum & Martyrum Sanctissimus *Iustinus & Philosophus & Martyr, in 2. pro Christianis Apologia.* Sola veritas ingenii humani pastus est. Veritatem attigit, qui de rebus incorrupte judicat. Vera sapientia est, rem existimare unamquamque qualis ipsa est. Quod nec faciunt, nec facere valent, qui *Affectibus* indulgent aut *Præjudiciis.* Utrisque liberandus est animus, quibus ad solidam rerum sapientiam, magnis passibus, grassari est propositum. *Affectus* dico hic eos animi motus, qui rationis jugum excutiunt, ab ejus tramite exorbitant, ei nebulas offundunt & caliginem. *Præjudicia* voco, de rebus sensibilibus per sensum solum, ante plenum perfectumque rationis usum, præhabita judicia. Quæ si veritatis acquirendæ sint obstacula, multo magis erunt, quæ à teneris formamus, de rebus in sensum non incurrentibus, ex proportione ad res sensiles aut etiam à contrario, judicia. Tale est, quod de *Formis* in sensum (ut placet *Peripateticis*) non incurrentibus receptum est apud omnes fere placitum: ac jam *gemina disputatione* debellatum: Hac *tertia*, quid pro hoc commento Antistites præjudicatæ Philosophiæ adferre valeant, *Pembelius* noster porro edisseret, ac postquam *Formas* non esse materiales substantias, *disp.* 34. nec immateriales, *disp.* 35. probavit, *hac, esse Accidentia*, probabit, & contraria argumenta refutabit.

II. §. *Omnis forma corporis naturalis* (anima rationali excepta) *est accidens aut accidentium multorum mixtura, Temperamentum vulgo dictum, & præterea nihil.*

III. Hujus Theseos veritas patet. 1. Ex remotione membri alterius oppositi in prima divisione, allata *Thes. 6. disp.* 34. Si enim Forma est, vel Substantia, vel Accidens, & evictum sit, ut est, eam non esse Substantiam, nec materialem, *disp.* 34. nec immaterialem, *disp.* 35. relinquitur ergo, ut sit Accidens. 2. Ex perpetua analogia inter Formas substantiales & Accidentia, quæ tanta est, ut errore aliquo Veterum sit factum, quod eorum naturæ eædem in dissimilem divisæ sint. Ecce paralleliſmum, §. 1. Accidentia generantur & corrumpuntur, de novo oriuntur & in nihilum abeunt, uti ratio & experientia dictant: Eadem quoque est Formarum lex in horas nascentium & evanescentium. §. 2. Accidentia diffunduntur per totum subjectum, & minimas materiæ particulas penetrant, atque pro ratione subjecti quanti & divisi, ipsa quoque quantitatem & divisionem sortiuntur: Non ovum ovo similius, quam hac in re Formæ Accidentibus; diffusæ item & divisæ per materiam. §. 3. Accidentia dependent à materia in esse & in fieri, ita ut extra subjectum ne ad momentum quidem temporis existere possint. An non & Formarum est eadem conditio, quæ, cum sint immateriales (uti & Accidentia) ita tamen cum materia quoad essentiam, & existentiam, τερᾶς ἀνάγκης nexu vinciuntur, ut extra eam plane Nihil sint: Atque, ut Accidentia, non migrant quoque de subjecto in subjectum. Ex quibus clarum est, non esse tantum Formæ & Accidens similitudinem, sed etiam identitatem.

IV. §. *Formas esse Accidentia & non Substantias,*

stantias, præter rationalem Animam, *liquet ex refutatione argumentorum*, quæ *in contrarium* adduci possunt, quorum præcipua sunt, quæ sequuntur.

V. 1. *Omne compositum substantiale requirit materiam, & formam substantialem, ex quibus componatur. Corpora naturalia sunt composita. Ergo habent materiam, & formam substantialem.* Resp. infirmitas hujus argumenti eluescit ex falsitate *Majoris propositionis*, quæ oritur ex male intellecta Compositionis natura: Cum enim duplex sit compositio, vel ex Substantia & Accidentibus, vel ex Substantia & Substantia; falso creditum est, omne corpus naturale componi, ex duabus substantiis genere diversis. Veritas breviter sic se habet. In Corporibus simplicibus, Cælo videlicet & Elementis, est nuda tantum compositio Substantiæ, Materiæ, scilicet, & Accidentium variorum, diversis *συζυγίαις* in materia unirorum. In Corporibus mixtis, sive animatis, sive inanimatis, est compositio, partim Substantiæ & Accidentium, partim diversarum substantiarum: *diversarum* dico, non essentia sed accidentalibus differentiis: ut sunt substantiæ quatuor elementorum, quorum materia, una essentiâ, qualitatibus quadruplex, concurrit in compositione mixtorum. Denique in homine solo, est compositio diversarum substantiarum genere differentium, videlicet Corporis, Substantiæ materialis, & Spiritus, Substantiæ immaterialis. Itaque dicimus, Corpora naturalia esse composita, & quidem substantialia, ab una parte, scilicet Materia, non utraque: Forma quidem inest sed accidentalis illa, non substantialis (Anima rationali semel & semper excepta.) Et revera, nulla potest dari ratio idonea, cur necessitas naturæ id exigat, ut corpus nequeat constitui, sine concursu duarum substantiarum essentialiter distinctarum. Sufficit plane unica materiæ substantia variis distincta & ornata Accidentibus, ut in Elementis.

VI. 2. *Quicquid materiam actuat, ponit in specie, existentiam eidem tribuit, illud est substantia. Atqui forma facit ista omnia. Ergo forma est substantia.* Resp. Vitium hujus argumenti est in *majore propositione*, quæ sententiæ est, aut ambiguæ, aut falsæ. Quid enim est *materiam actuare?* Quid est, *ponere in specie?* quid est, *existentiam dare?* Illo *actuandi* termino, necessario *intelligitur*; vel Formam dare materiæ esse actuale, ut sic actu Ens & substantia; vel Formam dare Materiæ esse actuosum, ut, quæ ex se nuda torpet, efficacibus induatur qualitatibus. *In priori sensu* falsum est, *Formam actuare materiam:* cum enim materia sit substantia, omnisque Substantia sit ens per se subsistens, utique Materia, per se, non per accidens, non per aliud, non per Formam, suam actualem subsistentiam habebit. Dico, *per* Formam: *cum* forma enim subsistit: ast ita Forma non magis actuat Materiam, quam Materia Formam, quæ non subsistit nisi cum Materia quoque. *Posteriori sensu* verum quidem est, omnem actuositatem & efficaciam esse in substantia Materiæ ab aliqua Forma superveniente: sed manet tamen dubium, *Quid illa Forma sit? & An necessario omnis actio & agendi vis debeat immediate à substantia aliqua profluere?* de qua quæstione in argumento alio dicendi locus erit. Atque hinc patet, quid sit, *Ponere in specie*, & *Existentiam dare?* Eo nihil aliud intelligitur, quam quod Materia rerum omnium, quæ ex se actu existit ad omnem effigiem formamque indifferens, variis vestita Accidentibus & accidentium temperamentis, existat tali modo & specie: nec secus ac massa ceræ, ex se existens: postea in varias imagunculas efficta, existit sub hac aut illa specie animalculi. Ubi, ut non est opus nova substantia ad novam & specialem existentiam, sed tantum inductione novi accidentis, figuræ scilicet, ita in materia rerum naturalium, communiter in mundo, existente, non opus est nisi mutatis & copulatis accidentibus ad dandam specialem sub hoc aut illo modo existentiam. Quod vero hic dicant nonnulli, *Materiam ex se actu non existere*, ridiculum est. Quasi dari posset aliqua Substantia, ex qua mundus sit, & quæ extra mundum non est, in mundo tamen actu non existat. Sed fallit particula *(ex se)* in eum detorta sensum, ac si, quod *ex se* existit, illud *separatum* existeret: Hoc vero ineptum est; materia existit conjuncta cum forma, *ex se*

tamen

tamen, *non à forma* habet exiſtentiam: imo, ſi verum dicere volumus, in genere rerum corporearum *ſola Materia ex ſe exiſtit:* Accidentia ſiquidem ex ſe neque eſſentiam neque exiſtentiam habent. Formæ, ſecundum *Peripateticos* ipſos, dependent à Materia & in eſſe, & in fieri, & in exiſtere. Sola igitur *Materia ex ſe & eſt & exiſtit*, etſi *non* exiſtat *ſola*. Nec hic dicendum: *ergo univerſale per ſe exiſtet:* ſiquidem Materia particularis eſt ſubſtantia in toto mundo una & unica.

VII. 3. *A quo omnes in Materia operationes proſluunt, illud eſt ſubſtantia. A Forma proveniunt omnes operationes. Ergo Forma eſt ſubſtantia.* Reſp. Hic quoque in *Majore* error eſt, inde, ut credo, ortus, quod *Philoſophi*, dum ex una parte Materiam per ſe torpeſcentem omnique deſtitutam vigore ſpectant, ex altera parte Accidentis naturam ut debiliorem levioremque deprimunt, putarint aliam quandam Naturam excogitandam eſſe, Virtutis & Virium plenam, quæ actionum omnium fons eſſet: atque hanc *Formam* nominarunt. At falluntur; neque opus erat recurrere ad Formam aliquam ſubſtantialem, ut ratio redderetur operationum, quæ fiunt à corporibus naturalibus: ſufficiunt ad hoc Accidentia. Dico enim, Accidentia immediate & *per ſe* poſſe agere, & *non in virtute alicujus forma ſubſtantialis:* quod clarum fiet inductione omnium primarum qualitatum, ex quarum temperie oriuntur ſecundæ. Lux diffundit ſe per perſpicua omnia & illuminat obſcura. In virtute cujus Formæ? Num Solis? Atqui & cæteræ ſtellæ lucent, quarum Forma eſt à Sole diverſa ſecundum *Peripateticos*. Num in virtute corporis luminoſi? Nugæ. Carbunculus, ignis, candela, omnia ſunt corpora luminoſa. An eadem horum omnium Forma ſubſtantialis? Non dicent, opinor. Si dicant eſſe, quatenus ſunt luminoſa: velim etiam dicant, quid ſit illa Forma corporis luminoſi quatenus luminoſum. An non Lux ipſa? niſi forte dicent, tot eſſe in corpore formas ſubſtantiales, quot reperiuntur Accidentia, ſcilicet, aliam eſſe Formam corporis quatenus Colorati, aliam quatenus Sapidi, &c. quod inſaniæ eſt proximum. Lux igitur, in quocunque corpore ſit, ſe propria virtute diffundit. Calor calorem generat ac urit; cujuſnam Formæ efficacia? Num Formæ ignis? Atqui, ut aqua Solis ardore calefacta calefacit, ſic & plumbum, lapis, aut aliud quodvis corpus ardori Solis objectum: inter quorum igniſque Formam, longum eſt intervallum. Ignis urit, ſic & ferrum non candens modo ſed & nigreſcens. Num ambo urunt virtute *ejuſdem* ſubſtantiæ? Minime. Alia ignis, alia ferri Forma eſt. At in ferro eſt ignis. Hem! Corpus in corpore! At eſt in poris ferri. Scilicet, in denſatiſſimæ chalybis aut in compactiſſimi denſiſſimique auri lamina pori ſunt, per quos igneum corpus penetret ferrum aurumque, idque per minutiſſimas utriuſque partes, ſiquidem nulla pars eſt ferri calefacti, quæ non urat: oſcitanter *philoſophantur*, qui poris iſtis ἄπορους rem ſalvam eſſe judicant. Quid ergo? Calor ubicunque eſt, propria & inſita ſibi virtute ſe exerit, calefaciendo & urendo, pro ratione gradus illius, quem obtiner, & ſubjectæ rei, in quam agit. Et ut obiter dicam, *ignis* nihil *eſt* aliud quam *calor intenſus in quocunque* tandem *corpore*. Dico, *intenſus*, non ſummus: infra enim ſummum gradum (quem neſcimus) ignis eſſe poteſt, quia alius alio calidior eſt in eadem quantitate: imo & deſcendendo vix novimus infimum gradum caloris, infra quem ignis nullus eſt, ſiquidem, quod unius rei reſpectu eſt ignis urens, id alterius reſpectu vix eſt calor tepefaciens. Sed hæc ſubtilius perſequi non eſt hujus loci. *Pergamus.* Frigiditatis in terra, in aqua, in glacie, in aëre hyberno, effectus ſunt iidem, extinguendi caloris, condenſandi corpora &c. At formæ in ſingulis ſunt diverſæ. Quare à nullius Forma dependet frigiditas, in exercitio propriæ virtutis ſuæ. Siccitas terræ & ignis (ſecundum *Peripateticos* ſicci) ſimiliter arefacit aquam injectam: ar Formæ hic quoque differunt. Idem eſt in humiditate Aquæ & Aëris. Denique deſcenſus communis eſt aquæ & terræ, adſcenſus aëris & ignis: ille à gravitate, hic à levitate ortus: in utroque genere principium motus erit immediate in Accidentibus, gravitate & levitate, non autem in Formis, quæ diverſæ ſunt in utroque Pari: qualitate

litate eadem manente. Plura addi possent, at hęc satis confirmant conclusionem, vid. *Operationes in corpore naturali posse effici ab Accidentibus solis in materiam impressis sine ope alicujus formæ Substantialis à qua virtus eorum dependeat.* Ita quoque huic argumento nervi inciduntur.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum;

TRIGESIMÆ-SEXTÆ;

Pars posterior, quæ est Quarta,

DE

FORMIS.

THESIS I.

DE *Formis* instituta à nobis disputatio, etsi à *Modernis* longius recedat *Philosophis* ac *Scholasticorum* gente, propius tamen ad *Aristotelem* & prisci *Lycei* proceres accedit, à quibus longissime absunt *Arabes & Latini Aristotelis Interpretes.* Quid quod penitus *Formas*, vulgo receptas, ignorarint ante *Aristotelem Philosophi*, qui eas introduxisse primus, sed male censetur, uti id *disp.* 35. est ostensum. Et non pertraxissent *Aristotelem* in hanc sententiam *interpretes*, si inter *Formas Physicas & Logicam earum definitionem* distinxissent. Sed ut pervetus hæc, *Formas esse Substantias* (Animam rationalem semper excipimus) *Negantium* opinio ab *Affirmantibus* impugnetur ulterius, ac *Cl. Pembelium* porro argumentorum ictus retundentem, videamus.

II. 4. *Quod essentialiter distinguit unam speciem ab alia, illud est Substantia. Sed Forma essentialiter distinguit &c. Ergo &c.* Resp. Solutio hujus argumenti facilis est. *Major propositio* fallit, quæ vult omnem *essentialem* distinctionem fieri per aliquod *Substantiale:* nam etiam *Accidentia* distinguuntur inter se *essentialiter*, ut virtus & color: sed & in *Substantiis* res clara est. Essentialiter distinguuntur, quæ differunt definitione. In definitione corporum naturalium duo sunt; *Genus*, id est Materia communis, in qua omnia corpora conveniunt; *Differentia*, consistens in Accidentibus materiam istam variantibus. Illud in definitione est Substantiale, hoc Accidentale, sed tale, quod sufficit ad essentialem distinctionem. Quid enim? cum dicunt Physici *(ignis est corpus simplex)* ubi genus & materia *(calidissimum & levissimum)* ubi differentia est ab accidentibus essentialibus; an non essentiale satis discrimen ponitur, inter ignem, & corpus frigidissimum & gravissimum? etsi enim *discrimen* sit *ab Accidentalibus, non* est tamen *Accidentale*, sed necessarium, internum, & *essentiale.* Quare dico, quod Accidentia sint primo & per se causæ distinctionum internarum in corporibus naturalibus, atque definitionem corporum naturalium essentialem ingrediantur, ut non opus sit, ultra Materiam & Accidentia, quicquam præterea in corpore naturali anxie quærere: quorum simplicem vim & mixturam si exacte haberemus perspectam, nescio, an aliquid deesset ad plenam naturæ cognitionem. Sed hinc fundi nostri est calamitas, quod *Philosophi*, dum omnium in natura virium & operationum originem, in Forma, nescio qua, Substantiali collocant, hujus autem Formæ scientiam impossibilem esse fatentur, sensu & experientia cogente, incuriosius se gesserint in contemplanda Accidentium natura, eorumque viribus & varietatibus indagandis, contenti scilicet, in quolibet corporis affectu effectuque paulo difficiliori, dixisse, *Est à Forma.*

III. 5. *Forma non suscipit gradus nec variatur. At Accidentia eorumque Temperatura*

 potest

potest variari & gradus suscipere. Ergo Forma, non Accidens, non Temperamentum est. Major inde confirmatur, Quia rei definitio variari non potest, qua tamen variata Forma necessario mutatur. R. *Majorem* plane negamus, &, quanquam antiquo errore principii fere loco habearur, ramen & convelli & refelli posse non dubitamus: ejusque etiam probationem rejicimus; affirmantes, ut *Formas*, ita & rerum definitiones, *consistere intra aliquam latitudinem*; non, ut vulgo volunt, in puncto indivisibili: Quod in omnibus corporibus, tum simplicibus, tum mixtis, tam animatis quam inanimatis, ostendi posset. Exemplo sit, elementorum & transmutatio in se invicem & mixtio, in corporibus oriundis ex iis: in utroque genere evincitur, illud, quodcunque sit in elementis, quod Formæ locum obtinet, necessario intensionis & remissionis gradus admittere. Terræ gleba macerata in aqua, antequam in eam muretur, varias & diuturnas requirit prædispositiones & præparationes, quibus omnibus peractis instar ipsum transmutationis instans. Quæritur hic, *An forma terræ post tot præparationes maneat tamen integra & invariata usque ad ipsissimum transmutationis momentum?* Quis sanæ mentis affirmaverit? cum sublatis aut diminutis propriis accidentibus Formæ integritas sibi constare nequeat; &, si in transmutatione elementorum mutua, qualitatibus fractis, Formæ non frangantur, etiam tum, cum eis pereundum sit per transmutationem; cur in mixtione, ubi Formæ manent, necessaria tamen esset refractio earum? deinde in mixtione concurrunt quatuor elementa & manent in mixto: *Manent igitur Qualitates an Formæ?* Utræque. Si enim periissent, unde quæso, ô bone, reviviscerent in resolutione mixti? Ar *manentne integræ & in gradu intenso?* Minime gentium. Ambæ contusæ & probe confusæ ad symmetriam & proportionem harmonicam rediguntur: &, Formas quidem necessario sic retundi, *ajunt*, quia, qualitates ab eis profluentes imminutas & debilitatas esse, sensus ipse testatur. At vero, *num Forma remitti potest, num substantia suscipiet magis & minus?* Hic res in luto hæret. Nec quisquam, qui veritatem ex puteo extrahat, prærer *Zabarellam* repertus est. Is expedit audacissimæ distinctionis funiculo, sic. *Substantia potest variari cum mutatione speciei, sed non sine mutatione speciei. Formæ elementorum variantur primo, non secundo modo.* Nihil extra est in nuce durum, si quid aliud intra hujus distinctionis latibulum cernas quam caliginem & renebras meras. *Forma elementi in mixto remittitur cum variatione speciei:* i. e. Exempli gratia, *Forma aquæ in mixto est minus Forma aquæ quam extra mixtum, & tamen est Forma aquæ, quia aqua cum sua Forma manet in mixto, & tamen in mixto non manet aqua nec aqua dicenda est, quia mutavit speciem*, i. e. *essentiam suam, & in aliud corpus transivit.* Quis tulerit crudas hasce contradictiones? Consulrius tamen putavit *Zabarella* in obscurissimæ distinctiunculæ specum se recipere, quam videri velle principia ab antiquis posita ad clariorem veritatis lucem examinare. Nobis hoc piaculum non est. Quare omissis jejunis istis speculationibus, quæ intellectum veri cupidissimum misere ludificanrur, asserimus, *Formas elementorum recipere gradus, & intra latitudinem aliquam intendi posse & remitti, & quia sic variantur, nullo modo esse substantias, sed meras qualitates earumque in debito gradu mixturam, supra vel infra quam proportionem elementa non sunt.* Frustra itaque sunt otiosæ illæ quæstiones, *de Formis elementorum, de earum integritate in mixto, de generatione & corruptione instantanea, seu de accessu & recessu Formæ Substantialis in momento.* Aqua non in instanti aut fit aut desinit esse aqua, sed in tempore, per gradus perfecta aut corrupta qualitatum Temperatura. Similiter *in Mixtis*; in ligno, lapide, pomo, carne, & in putrescentibus, ut corruptio procedit, per gradus, ita terminatur in temperamento: quod si ultra ultimum proportionis gradum vitietur, sequitur mixti dissolutio, soluto unionis vinculo: & hoc, fatentibus *Aristotelicis*, non Forma sed qualitarum mixtura est. Atqui, oggerunt, *variabuntur rerum definitiones, si varientur Temperamenta: illæ autem sunt constantes.* Resp. Pueriliter & absurde. Nempe hinc error, Definitiones rerum conduntur,

rebus

rebus ipsis in sua perfectione consideratis, inde mentis operatione abstractæ habentur, velut æternæ & constantis veritatis. At si res, prout in natura non ut in intellectu sunt, spectemus, an non variante natura variabitur Naturæ definitio? Notionalis illa & abstracta rei definitio manet, etiam re non existente, ut rosæ in hyeme: at realis aliqua applicatio fieri non potest, rebus aut non omnino aut aliter se habentibus. Quam absurdum hoc est affirmare, flores flaccidos, rosam marcescentem, pomum putrescens, lignum ad cariem pronum, carnes fœtidas, aut animal ægritudine & δυσκρασίᾳ tabescens, æque perfecte definiri, ac definiebantur in integritate sua? Hi somnia sua definiunt, qui res, non prout in natura existunt, describunt, sed pro suo ipsorum conceptu & imaginatione. Nunquid mutatis qualitatibus mutabitur essentia, & tamen variatis non variabitur? Nobis certo constat: quicquid est in elementis mixtive Substantiale aut Materiale, illud invariatum manere: quicquid Accidentale seu Formale, illud mutari, generari, corrumpi, per quosdam gradus, secundum quos rerum ipsarum definitio varianda est. Sed *quia insolens videtur, Animam vegetantem & sentientem, ad Accidentia & Temperamenta referre, quæ pro utriusque substantia produci possunt Argumenta*, dissolvenda sumsit speciatim *Cl. Pembelius.*

IV. 6. *Si anima sit Temperamentum, tum omne corpus erit animatum, quia in omni corpore est Temperamentum.* Resp. Levissimum est argumentum; cui hoc responsum sufficiat: procedit ex meris affirmativis in secunda figura: itaque est fœdus paralogismus.

V. 7. *Temperamentum mutatur pro ætate, loco, victusque ratione. Anima non mutatur. Ergo non est temperamentum.* Resp. Hoc argumentum ex parte *thes.* 3. attigimus, & de *Minore* in genere ostendimus, *Formas per gradus mutari & variari posse.* Sed hic amplius *duplex* est *error* notandus argumenti hujus. *Prior* est, quod non distinguatur inter *Totalem* seu *Essentialem* & *Partialem* seu *Gradualem Temperamenti mutationem.* In totali non tantum mutatio aliqua sed corruptio Animæ accidit. Quare nihil est ad rem. In *partiali*, secundum *Peripateticorum* principia, magis & minus non variant speciem. Esto exemplum in temperamento plantæ tenellæ & adultæ, in nativo & alieno solo consitæ. Hic temperamentum non mutatur in aliud aliquod diversæ speciei, sed variatio est in gradibus perfectionis eadem specie manente, & hoc non obstante, constat Formæ unitas, etsi non similis operationum vigor. *Alter* error est, quod ab homine ad alia viventia incommodus est, ut hic fit, trajectus: nempe, in homine, diversimode variato Temperamento corporis, Forma prorsus est invariabilis, quia alia est hominis & aliorum viventium Anima: non sic in cæteris, ubi anima cum Temperamento coincidit.

VI. 8. *Si anima sit temperamentum, tot erunt in planta aut animali animæ, quot diversa conspiciuntur temperamenta: alia ossis, alia nervi, alia carnis, alia corticis, alia ligni anima erit. Sed in vivente est unica tantum anima. Ergo anima non est Temperamentum.* Respond. *Minor propositio* est falsa, etiam secundum doctrinam quamplurimorum *Peripateticorum*, docentium, duas ad minimum in planta, & tres in omni animali animas essentialiter distinctas reperiri, formas vero inanimatas, sive (ut vocant) *Mixti*, etiam multo plures. Quare secundum illos, pluralitas Formarum & animarum Substantialium in uno composito nihil absurdi continebit: quoad nostram vero sententiam, multo minus, qui pluralitatem Substantiarum in Mixto non agnoscimus, sed sub identitate Materiæ diversitatem Temperamentorum sic ponimus, ut omnia interim vivifica *in plantis & animalibus* esse fateamur.

VII. 9. *Si anima esset temperamentum qualitatum in humoribus & spiritibus, tum non posset frænum injicere corporis perturbationibus ejusque impetum cohibere, sed eum semper sequeretur. Atqui ipsa experientia docet, animam esse corporis moderatricem. Ergo. &c.* Resp. Hoc argumentum nihil aliud evincit, quam in homine quidem dari Substantiam aliquam à corpore distinctam, *puta animam rationalem*, quæ facultates inferiores Vegetativas &

Sensivitas pro arbitrio suo regat & aliquo modo coërceat. At in plantis & brutis, ubi simile imperium plane non cernitur, illa Substantiarum diversitate non est opus. In his enim anima non solum sequitur, sed est ipsum Temperamentum: in homine sequitur quidem ejus propensiones *plerumque (juxta tritum illud, Mores animi sequuntur temperamentum corporis)* sed cursum moderatur quando vult.

VIII. *A quo sunt nobilissimæ illæ operationes Percipiendi & Iudicandi de rebus sensibilibus, Imaginandi & Memorandi, illud Accidens esse non potest. At ab anima brutorum sunt istæ operationes. Ergo* &c. Respond. Pro *solutione* hujus argumenti, notandum est breviter: Omnes istas operationes esse mere organicas atque in materiali aliquo subjecto fieri, & ab eo dependere: & propterea nullibi nec esse, nec esse posse, nisi ubi organum istud reperiatur: Organum vero illarum est *Spiritus animalis*, pura, clara illa, lucida, & agilis Substantia: hujus copia maxima & purissima est in capite, in hoc igitur & sedes est sensionis omnis. At quæritur de *Principio*. Dico, *spiritum* istum *animalem*, esse *non tantum organum*, *sed*, primum *principium* omnis sensionis: nempe in spiritibus duo sunt; *Materia* & *Qualitatum* vivacissimarum *mixtura:* In qualitatibus est prima causa & origo, in Materia est primum subjectum & organum sentiendi; in utriusque conjunctis consistunt omnes *Apprehensionis*, *Phantasiæ*, & *Memoriæ* vires, quas in bruris cernimus. *Dabitur hoc quidem*, Spiritus hosce esse immediarum instrumentum omnis sensionis, siquidem in spiritibus solis species rerum sensibilium imprimuntur & inhærent, per spiritus huc illuc deferuntur, & vel minima spirituum turbatio impedit, maxima corrumpit sensionem omnem: at vero nullam esse aliam substantiam in brutis, quæ his spiritibus utatur ut instrumentis sentiendi, ipsi vero sint prima sentiendi causa, *hoc non dabunt*. Sed *necessario dandum est:* illa enim alia Substantia, quam animam vocant, erit vel materialis vel immaterialis. Si materialis, erit vel purior vel impurior spiritibus. Non prius, quia spiritibus nihil est purius in genere rerum materialium: nec posterius verum est, quia absurdum est adscribere principium sentiendi impuriori materiæ & negare puriori. Si immaterialis sit, recurrunt omnia dubia *disput.* 35. allegata. Si instes, *esse supra naturam purissimæ Materiæ vel exquisitissimis Qualitatibus ornatæ*, *Iudicare*, *Meminisse*, *Appetere*, *Fugere*, &c. Dico, *quod non*. Neque id nobis magis mirum videri debet in perfectionibus animalium temperamentis, quam multa non minus admiranda effecta in ipsis inanimatis, quæ ab ipsorum temperamento procul dubio pendent, ersi sit imperfectius. Illud præterea *Aristotelis* axioma, *Nullum simile percipitur à simili*, hic locum non habet, cum talis sit spirituum, & puritas quoad materiam, & temperies quoad qualitates, ut in omnibus sensibilibus, quæ bruta possunt percipere, nihil simile reperiatur: neque eriam ubique veritatem obtinet *hoc axioma:* siquidem nec oculus oculum, nec anima animam, nec intelligentia inrelligentiam hoc pacto perciperet. Atque hæc sunt quæ de *Vegetante & sentiente*, *Animabus*, ac de *Formis*, in genere, differentem vidimus *Cl. Pembelum*, qui inde ad Animam transit rationalem, quam immorralem esse & cælitus infundi porro docet. Verum, quia de *ejus Origine & Ortu* ex professo disputarum est, in *selectarum* harum disp. curriculo, *disp.* 6. & 18. labore reliquo supersedemus.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, TRIGESIMA-SEPTIMA.

DE PRINCIPIIS CORPORUM NATURALIUM CONSTITUENTIBUS, ET PRODUCENTIBUS.

THESIS I.

DEstruximus receptam, sed contra *rationem* & contra *Aristotelem*, *Formarum* doctrinam, *disp. præcedentibus*, quod non aliquo contradicendi studio, non gloriæ aliqua cupidine, sed solius veritatis inveniendæ gratia, est factum: dux nobis fuit in hoc certamine Philosophico *Cl. Pembelius*, cujus sententiam *de Corporum naturalium constitutione* examinandam proponere, fuit visum, ut ἀναστόλη sequatur κατασκευή· facile enim est, recepta rerum destruere principia; at veriora adstruere, hoc opus, hic labor est. Hæc igitur *Cl. Pembelii* fuit mens, quæ sequitur.

II. *Principia* Corporum tria sunt: *Constitutionis*, duo; *Materia* sive Subjectum, & *Accidentia*: *Transmutationis* unum, *Accidentium contrarietas*.

III. *Materia* est, totum & omne illud, quod in corporibus naturalibus est Substantiale: estque indifferens ad omnia & capax omnium Accidentium, sed tamen non est simpliciter radix & fons eorum omnium: verum origo Accidentium est, quæ ipsius Subjecti, scilicet immediata creatio vel concreatio potius.

IV. *Accidentia Materiæ* sunt duûm generum. 1. Alia *consequuntur* illius essentiam & eidem coëxistunt ex interna naturæ necessitate, ut Potentia passiva, Extensio seu quantitas, Locus, Tempus seu duratio successiva. Atque horum Accidentium fons & radix dici potest Materia, quia proxime in illius essentia radicantur. 2. Alia *constituunt* existentiam illius in certa aliqua specie, ut omnes qualitates primæ & secundæ; quæ in Materia non inerant primum ex necessitate naturæ, sed ex arbitrio creantis; poterat Materia sine iis esse, sed inducebantur ad distinctionem illius in varias species: Utrumque genus Accidentis Materiæ imprimitur immediate, nec opus est substantia aliqua intermedia, qua interprete Accidens Materiæ societur. Ut vero qualitates inhærent immediate in Materia, ita à qualitatibus immediate profluunt operationes & operandi vires.

V. *Cæli Materia & Substantia* communis est, cum materia & substantia omnium corporum inferiorum, & Accidentia primi generis communia possidet: sed in Accidentibus secundi generis differentia est inter Cœlum & Sublunaria, videlicet, in discrepanti copula primarum & secundarum qualitatum, lucis, caloris, levitatis, & tenuitatis. At de *Cœlo* nihil fere certi adhuc norunt *Philosophi*.

VI. *Elementa* sunt tria, *Aër*, *Aqua*, *Terra*; nec pluribus est opus ad mixtionem corporum: imo duobus forte res ista peragitur, Aqua & Terra. Hæc elementa essentialiter inter se distinguuntur propriis & peculiaribus qualitatum συζυγίαις à Creatore immediate Materiæ inditis: in Terra copulantur, Frigiditas, Siccitas, Densitas, Gravitas, & Consistentia: in Aqua uniuntur, Frigiditas, Humiditas, Densitas remissior cum Gravitate & Fluore: in Aëre denique vinciuntur, Caliditas remissa, Humiditas debilis, Levitas, Tenuitas, & Fluor summus. Ignis nihil est nisi calor intensior, sive in aliquo elementorum sive in corpore mixto sit. Calor in Aëre & in omnibus mixtis (in quibus calore opus est) est partim implantatus in primæva creatione, partim infusus à Sole, vero ac solo, si quod sit, Elemento Ignis, & unico caloris fonte in inferio-

ribus: implantatus verò calor sine infuso citò marcesceret.

VII. *Compositio* rerum est duplex: prima est ex Materia nuda & qualitatibus primis secundisque simplicioribus, ut in Cœlo & Elementis; secunda, ex Materia sic qualificata, & novis qualitatum Mixturis, oriundis ex prioribus, ut in omnibus corporibus Mixtis. Qualitatum in Elementis illa est Copula quæ esse potest simplicissima: quare in eam semper fit resolutio. At qualitatum in Mixtis mixtæ sunt copulæ ex simplicibus: quemadmodum de coloribus vulgo ajunt, Albedinem & Nigredinem fieri ex mixtura varia perspicui cum opaco; medios autem colores oriri ex mixtura albedinis & nigredinis.

VIII. Mensura modusque omnium *Temperamentorum*, & Simplicium & Mixtorum, datus est & fixus in prima creatione: à quibus primitivis exemplaribus si natura erret excessu defectuve, monstrum & deforme quid fit.

IX. Generare sibi simile, non viventis solius sed generaliter omnium qualitatum activarum est proprium, sive simplices illæ & solitariæ sint, sive copulatæ in certa combinatione. Qualitates vero hæ ita sui diffusivæ & similium generativæ sunt, ut necessario Materiam sibi proportionatam efficiant, quo liberum habeant suarum virium exercitium; itaque vis plastica seu formatrix immediate & primò in ipsis qualitatibus fundatur, quæ, quo sunt simpliciores, eo simpliciorem & magis uniformem materiæ configurationem postulant; quo autem pluribus qualitatum diversarum mixturis complicatæ & compositæ sunt, eo magis variam & difformem partium materialium effigiationem requirunt & producunt. Mixtio, quo longius descendit à simplicitate, eo exquisitior est & subtilior, quia magni est artificii, tot qualitatum & combinationum differentias in unam κρᾶσιν vincire: atqui tanto infirmior est mixtura, quanto magis composita est, quia pluribus constat qualitatum contrarietatibus: hoc in metallis, plantis, animalibusque inter se invicem comparatis, cernitur.

X. In *viventibus* est reciproca temperamenti propagatio; ex Semine, Viventis; ex Vivente, Seminis. Vis prolifica & vivifica in semine, non est ab aliqua substantia immateriali & spirituali, quæ semini adhæreat vel inhæreat, sed à solarum qualitatum ingeniosa & subtili temperatura in Materia pura & spirituosiore: Hæc vis actu inest in semine sed tamen sopita est, nec actu agit, nisi admoto patiente aut potius coagente, in & à quo virtus ista excitetur; perinde, ut piper calidum est in se, non urit tamen nisi saliva admixtum; atque copiosi & fortes spiritus, qui in hordeo, tritico, aut quovis alio grano semineve latent, facile extrahuntur arte stillatoria, si aquam paculam admisceas ignemque admoveas.

XI. In *Plantis*, Terra seminibus foturam veluti in Matrice præbet, tum calorem à sole acceptum, tum humorem aptum suppeditando; quibus calidi humidique seminum spiritus acuuntur, & inflati turgent, materiamque extendentes partibus & proportionibus idoneis virtute sua effigurant.

XII. In *Animalibus Oviparis*, etsi sit opus Mare & Fœmina ad generationem Ovorum fœcundorum (nam subventanea fiunt à sola fœmina) ad generationem tamen Pulli sufficit quivis calor, sive animantis cujusquam, sive pulveris, fimi, solis, fornacis: quia enim in Vitello Humoris est satis ad Nutrimentum, opus tantum erit calore externo ad excitandas spirituum & Caloris vires generativas in albumine.

XIII. In *Viviparis*, opus est utroque sexu ad efficiendam unam seminis massam generationi idoneam: & mas & fœmina active concurrunt, ille magis, hæc minus; copulatis & exquisite mixtis utriusque seminibus, spirituosissima totius massæ substantia aucta & inflata per calorem uteri & humorem menstruum varie se commovet, dilatando, condensandò, effingendo reliquam materiam ignaviorem, pro qualitatum & operationum necessitate.

XIV. Ad generationem Viventis absolutè & simpliciter semine opus non est: sed sufficit Qualitatum Vivificarum mixtura & concursus, etiam in alia materia, ut patet in plantarum propagatione, in eatum, & animalium, ex materia putri genitura.

XV. Sum-

XV. Summatim, *Animæ, Vegetativæ in Plantis, & Sensitivæ in Brutis*, sive Generales illæ, quibus Plantæ & Animalia sunt, sive Speciales, per quas in species certas distinguuntur, *sunt tantum Temperamenta* nobiliora Qualitatum actuosiorum in Materia subtili, pura & spirituosa, sive illa semine propagata, sive alio modo conflata. Atque hæc est *Cl. Pembelii* de principiis Corporum naturalium sententia: quam eandem tenent *Hollandi Fratres Bootii* in *Philosophia Naturali reformata, Academiæ Lugduno-Batavæ* ante sexennium *inscripta, c. 2. sect. 2.* & *Gorlæus Vltrajectinus in Exercitationibus Phil. Exerc. 14.* Verum quia charta supersest, placet in aliorum quoque Philosophorum sententias circa naturalium corporum principia inquirere.

XVI. *Telesius in lib. de Natura rerum*, & *Campanella in Reali Philosophia Epilogistica*, *Calorem & Frigus* una cum *Materia* faciunt prima omnium corporum naturalium principia, ex eorumque actionibus omnia in Physicis derivant atque explicant. Asserunt; Deum in medio spatii vacui posuisse *Materiam*, i. e. corpus inconstructum, aptum ad constructionem recipiendam, eique appositisse duas causas agentes, *Calorem* & *Frigus*, quæ in communem Massam, ut suam efficerent, agentes, duo Mundi corpora prima effecerunt, *Calor*, *sc. Calum* ex Materia devicta & attenuata; *Frigus Terram* ex portione correpta & condensata: quæ sunt duo prima elementa, ex quibus secunda, *Aërem* & *Aquam*, & deinceps reliqua omnia pro sua sapientia condiderit rerum omnium conditor Deus. Quærat aliquis, quid de horum Italorum *Telesii & Campanellæ* sententia statuamus? Nos, ut *Materiam*, quæ omnium Philosophorum consensu Principium est, nec negari ulla ratione potest, quamvis non talis, qualem finxit *Arist.* libenter admittimus, *Formamque* rejicimus, nisi quis velit *Logico* secundæ notionis vocabulo hic esse contentus, ita non acquiescimus in solo *Calore* & *Frigore*, ut altero cum Materia principio utroque, rati, non sufficere illa, corporum naturis, proprietatibus, & operationibus explicandis, nec esse prima, ut decet esse principia.

XVII. *Franciscus Patritius in Nova*, quam condidit 1588. *Philosophia, sic philosophatus est.* Philosophia, studium est sapientiæ. Sapientia est Universitatis cognitio. Rerum universitas constat ordine. Ordo priore constat & posteriore. Si quis à posteris philosophari cœperit, rerum ordinem confuderit, eisque sibique tenebras offuderit. A primis ergo philosophandi initium nobis esto. A primis; cognitisne an ab incognitis? si ab incognitis incipiamus, sequentia incognita erunt omnia. De incognitis nulla nobis condetur Philosophia. A cognitis ergo initium sumendum. Cognitio omnis à mente primam originem; à sensibus exordium primum habet. Inter sensus, & naturæ nobilitate, & virium præstantia, & actionum dignitate, *Visus* est primarius. Visui prima & primo cognita, sunt; *Lux* & *Lumen:* Eorum ope & opera plurimæ patescunt rerum differentiæ. *Lux & lumen* statim natis sese offerunt. Per hæc prisci homines, sublimia & media, & ima conspexerunt: conspecta sunt admirati: admirando sunt contemplati; contemplando sunt philosophati. Philosophia ergo, luminis, admirationis, contemplationis, proles est verissima. A *Luce* ergo, ejusque prole *Lumine*, rerum sensibilium præstantia omni primis, primarioque sensui primo cognitis, *Philosophiæ* nostræ prima jaciamus *Fundamenta. Lux* in Corporibus quibusdam cernitur, in aliis non cernitur: corpora ergo distinguenda. Corporum igitur alia sui natura lucida sunt, Sol, Stellæ, Ignis. Alia sui natura sunt opaca, Luna, Terra, Nubes. Alia neque lucem habent neque opacitatem; utramque tamen in se recipiunt, neutram vero retinent, Æther, Aër, Aqua. Lucida, luce sua plena, alienis tenebris sunt impervia. Opaca, tenebris plena suis, alieno lumini non sunt pervia. Diaphana, propriis, & lumine & tenebris, carentia, alienis, & lumine & tenebris, permeantur, &c. Hæc fusius porro persequitur, qui præter *Materiam* corporum nullum aliud agnovisse principium videtur, quam *Lucem, Patritius.* Sed vero nobis non placet, qui Lucem pro substantia non agnoscimus, multo minus pro Forma substantiali, multo adhuc minus pro incorporeorum & corporum æque simulachro & imagine, ac natura media corpora inter & substantias incorporeas

corporeas, uti eam facit *Patritius l.* 1. *Panaugiæ.*

XVIII. *Comenius* in ſua *Phyſicæ ſynopſi*, Principia Corporum naturalium facit, *Materiam*, *Spiritum*, *Lucem. Materia* ipſi definitur, ſubſtantia corpulenta; per ſe bruta & tenebricoſa, corpora conſtituens. *Spiritus*, Subſtantia ſubtilis, per ſe viva, inviſibilis & inſenſilis, corpora inhabitans ac vegetans. *Lux*, ſubſtantia per ſe viſibilis, & mobilis, ac lucida, materiam penetrans, eamque recipiendis ſpiritibus præparans, atque ita corpora efformans. Ergo, quo quid plus habet Materiæ, eo plus habet corporis, opacitatis, & immobilitatis, ut Terra: quo quid plus habet ſpiritus, eo plus habet vigoris & durabilitatis, ut Angelus: quo quid plus habet Lucis, eo plus habet Formæ & mobilitatis, ut Sol. *Materia* in Mundo eſt primum ens: *Spiritus* primum vivens: *Lux* primum movens: & ſic omne Mundi corpus eſt ex *Materia*, per *Lucem*, in *Spiritu*. *Materia* eſt Principium Paſſivum mere; *Lux*, activum; *Spiritus*, anceps: reſpectu enim Materiæ eſt activum, reſpectu Lucis Paſſivum. Hæc *Comenii Philoſophia*, præterquam quod Lucem faciat ſubſtantiam, quod tamen deſtructum præter alios vide à *Wendel. in Phyſ. General.* Spiritum inſuper facit vivum, univerſalem Mundi corpotumque in Mundo formam atque animam, quod à *Wendelino in Coſmologia* refutatum, nobis quoque improbatur.

XIX. *Baſſo in Philoſ. naturali* ſua *l.* 1. *intent.* 1. *art.* 3. & 5. ad Corporis naturalis generationem ac conſtitutionem nihil requirit aliud, quam *minutiſſimas Particulas* diverſæ naturæ, ex quarum *conjunctione* res conſtruantur & fiant, & *ſegregatione* deſtruantur & intereant; has *atomos* vocat *art.* 6. & à Deo ponit creatas, ne fortuitum hic earum abſque Dei providentia concurſum quis fingat. Atque ex iiſdem, tanquam ſolis principiis corporum producentibus ac generantibus, inter ſe motis, varioque modo agitatis, conjunctis, ſegregatis, proprietates omnes naturæ atque operationes explicant, Baſſo, recentes duo, ſed nobiliſſimi, *Philoſophi, Ioh. Chryſoſtom. Magnenus Acad. Ticinenſis Profeſſor Medicus in ſuo Democrito redivivo*, & *Claudius Berigardus Lycei Patavini Philoſophus in Circulo Piſano.* Atque hæc ſententia, vel vera eſt vel veritati proxima.

XX. Sed enim, *qua cauſa eſt tot diſſenſionum & tantæ incertitudinis circa Corporis naturalis principia?* Reſp. *Radix & fons mali eſt* (ut verbis utar *Gerardi de Neufville* in præfatione ſuæ *Phyſicæ* generalis) *quod homines, qui veritati in Phyſica inquirendæ operam navant, non ſatis adhæreant ſenſui atque experientiæ, mediaque ab iſtis initiis rite ſcientiam excitandi non recte adhibeant, ſed, vel auctoritatibus aut præconceptis opinionibus præoccupentur, vel loco certorum principiorum vanas atque invalidas ratiunculas ſectentur, quæ ut plurimum numero non pondere æſtimantur:* Accedit ignava quædam in iis ſui *Diffidentia* & ſtulta *Credulitas*, ex quo *Ariſtotelem* nimium ſuſpexere, & rerum naturalium principia ab ipſo inventa ſuppoſuere: unde credentes omnia uni *Ariſtoteli*, nihilque aliud, quam quod ipſe noverit, noſſe volentes, dum hoc tyrannicæ ſervitutis jugum non excutiunt, ſpem ſibi præſcindunt optimorum inventorum, &, quod dolendum eſt ſerio, optima ſæpe ingenia à veri inveniendi ſtudio & via abſtrahunt, atque ſoli *Ariſtoteli* (atque utinam *Ariſtoteli* tantum, ac non ineptis & rerum omnium imperitis *Scholaſticis*, vocabulorum, terminorum, ac diſtinctionum Magiſtris) adhæreſcere compellunt, & aliquid ultra eos ſapere prohibent, quod ipſi ultra non ſapiant. Verum enim vero tollendum hoc eſt malum, idoneo medio ac remedio, quod fiet ſi ad *ſenſum*, *rationis*, *ac ſcripturæ* dictamen, *philoſophemur*, & Philoſophiam Peripateticam ac Scholaſticam, multis partibus defectam, multis modis intricatam, multa vocum barbarie fœdam, multis ambagibus prolixam, multis opinionibus erroneam, multis aſſertionibus infrugiferis repletam, reformemus, emendemus, reſtauremus, quod faciendum eſſe & quomodo, præter *Comenium in præfatione ſuæ Phyſicæ & Prodromo Panſophiæ*, atque illuſtrem *Verulamium in Inſtauratione magna & Augmentis ſcientiarum*, nobiliora hodie ingenia clamant, probant, tentant. Et cur hic non Patres potius antiquiores, qua Latinos, in *philoſophando* imitamur, quam ſequioris

quioris ævi nugaces, ac modernos Scholasticos? *Sancti Patres*, inquit *Fromondus in Anatomia hominis c.* 1. *Philosophiam Platonis prætulerunt Aristoteli:* & cur Vererum ante Aristotelem circa principia rerum naturalium opiniones non magis inquiruntur, & sola *Aristotelis* placita ut oracula accipiuntur? *Patres antiqui*, dicit *Claud. Berigardus*, *Circ. Pis.* 3. *in lib. de Ort. & Inter. Arist. Philosophia Aristotelis non utebantur, antequam Carolus Magnus eam in scholis explanandam proposuisset:* &, quia hæc in omnes scholas est invecta, usus obtinuit, ut ejus principiis utamur in philosophando, sed tanquam hypothesi, quemadmodum Astronomi, ad motus cœlestium corporum explicandos, utuntur hypothesi circulorum, concentrici, excenttici, epicycli, &c. at vero nemo Astronomorum hoc exigit, ut hisce hypothesibus Astronomicis fidem adstringamus: sic nec necesse est, ut hypothesibus Aristotelicis fidem obligemus, & cæca credulitate accipiamus pro principiis veris, quæ, vel non examinavimus, vel vera esse nondum deprehendimus aut clare percepimus. Quæ enim lex, quæ ratio, legis anima, hoc præscribere valeat? quidni liceat *Aristotelis* principia examini subjicere nobis, ut ipsi licuit Veterum ante se examinare principia? atque utinam examinasset tantum; ac veteres ante se Philosophos ratione vicisset, non imperio, non contemtu: quod eum feciisse integro libro ante sexennium demonstravit *Paganinus Gaudentius, Pisanus Professor*, in quo, *Aristotelem* passim contemtissime de *Antiquis sapientibus* fuisse locutum, in capita eorum dicta ac convitia projeciisse, falsas opiniones affinxisse, quo solus in regno Philosophico imperaret, per varias Philosophiæ partes fuse probat: atque hic Vererum contemtus causa est, cur hodie illorum opiniones, circa Naturalium corporum Principia, inquirere, vix operæ videatur pretium; & inquisitæ ac deprehensæ fere repudientur, quia ab *Aristotele* sunt rejectæ: quæ *Aristotelis* dictatura, si intra *Philosophiæ* cancellos sese continuisset, lenius ea ferri posset: at vero Theologiæ etiam fines perrupit; quod ex sequenti annexo liquet.

ANNEXUM.

ARistotelis *Philosophia, si ex solo hauriatur* Aristotele & Philosophi *dogmata ex* Græco *ejus contextu, propriisque verbis ac sententiis, colligantur, non ex mala sæpe ejus versione aut ineptis Interpretum, præsertim* Scholasticorum, *commentis, multum continet bonæ frugis, nunquam tamen ejus* Authoritas Rationi *est præferenda, multo minus divinæ Authoritati adæquanda, aut ei præponenda, ne dum ut ejus paganismi S. S. Theologiæ immisceantur, quod factum esse à* Thoma Scholasticorum *principe, reliquaque* Barbarorum *caterva, scripta eorum testantur: atque adeo invaluerat* Aristotelis *in* Theologia *Authoritas seculis istis caliginosis, ut pro axiomate haberetur, Nemo fit Theologus sine Aristotele; & qui* Aristoteli *contradiceret, Theologiam crederetur enervare: quod* Petro Ramo *suo tempore fuit objectum, adhuc ante seculum: unde factum est, ut magnus* Lutherus *Theologiam reformaturus initium fecerit à minuenda & infringenda* Aristotelis *in Theologia authoritate, quod epistolæ variæ* Lutheri *adhuc Cœnobitæ, ad socios* Johannem Langum, Georgium Spalatinum, Jodocum Isennacensem, *&c. annis* 1516. 1517. 1518. *datæ, satis superque significant, & præclara illa apud* Augustinianos *inclyta* Heydelbergæ, 6. *Kal. Maji* 1518. *ab ipso habita disputatio, in qua inter* 40. *positiones, tum Theologicas tum philosophicas,* 29. *hæc extat:* Qui sine periculo velit in Aristotele philosophari, necesse est ut ante bene stultificetur in Christo. *Videatur* tomus *quoque* primus Operum lat. *præsertim in* explic. 8. præcepti, *ubi hæc ejus sunt verba.* Miserum est genus hominum quod sese per Philosophiæ Aristotelis falsissimum nomen decipit & fatigat, cum Aristotelem neque intelligant ipsi neque doceantur; falsis interim & fictis commentariis pias in Christo animas occupant & onerant; imo illudunt potius, dum hoc esse Philosophiam prætendunt quod non est, merasque sectantur nugas. *Qui non* Lutherum *solum, sed ex Pontificiis ipsis non paucos, commovit nimia* Aristotelis *Authoritas. Vid.* Melch. Canum, Episc. Canarienf. in loc. Theol. edit. Col. 1574.

l. 10. Campanellam Monachum Ord. Præd. in prologo Instaur. Scient. Paris. 1637. Caramuelem Lobcovvitz, Abbatem Melrosensem in Præfatione Philosoph. rationalis & realis, edit. Lovan. 1642. Ludovic. Vivem, in septem de corruptis artibus, & quinque de tradendis disciplinis libris, Lugd. Batav. recusis, 1636. Franciscum Patritium in discussionibus Peripateticis, Basileæ 1581. Johannem Picum Patruum & Johannem Franciscum Picum Mirandulæ Comites in operibus editis Basil. 1601. præsertim in Examine vanitaris doctrinæ Gentium. Laurentium Vallam in sua reconcinnatione Dialecticæ & Fundamentorum universalis Philosophiæ, 1509. Apud Ascensium.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

TRIGESIMA-OCTAVA.

DE

DEFINIT. FORMÆ ARISTOT.

THESIS I.

DIxit præcedens circa finem Disputatio, *Aristotelis* Philosophiam, si ex Græco ejus textu propriisque proponatur & exponatur verbis, multum continere bonæ frugis. Quare, tres Definitiones *Formæ* quas diversis habet in locis *Philosophus*, ex ipso, missis Scholasticorum interpretamentis, explicatas dare nunc est animus, quo ejus hic mens planior fiat. *Definitiones* istæ tres extant, *Prima*, 2. *Post. Analyt. c.* 3. Forma est, τὸ τί ἦν εἶναι. Secunda, 2. *Physic. c.* 3. & 4. *Metaphysic. c.* 2. Forma est, λόγος ὁ τί ἦν εἶναι. *Tertia*, 1. *de Gener. Animal. cap.* 1. Forma est, λόγος τῆς οὐσίας. Quæ omnes tres definitiones sensu conveniunt, sed tertia est omnium clarissima: in qua duæ occurrunt voces explicandæ, λόγος & οὐσία. De singulis agemus singulatim, ac primum de posteriore, ὕστερον πρότερον.

II. Οὐσία ab εἶναι descendit, uti Latinum vocabulum, quod Græco respondet, *essentia*, ab *esse*: ita ut οὐσία proprie vi vocis significet *essentiam*, quamvis *Aristoteles* c. 5. *Categ.* & alibi non semel vocem οὐσίας restringat ad significandam ὕπαρξιν *substantiam*: & sic Accidentium non esset οὐσία· verba ejus cap. cit. sunt. Οὐσία δέ ἐστιν ἡ κυριώτατά τε, καὶ πρώτως, καὶ μάλιστα λεγομένη, ἣ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, &c. & paulo post, πᾶσαι δ' οὐσίαι δοκεῖ τόδε τι σημαίνειν. Quæritur, *Utro sensu vox* οὐσίας *sumi debeat in definitione Formæ?* Resp. Utrovis sensu sumas, nihil peccatur, neque aliquid exsculpitur, ad formas asserendas Substantias à Materia distinctas. Si vocem οὐσίας reddas per *essentiam*, cum Forma dicitur *ratio essentiæ*, eo non significatur, formam esse substantiam à materia distinctam; imo eo potius contrarium significatur: quomodo enim Forma dici queat ratio essentiæ ipsius materiæ, si habeat essentiam propriam à materia & ejus essentia distinctam? potestne fieri, ut ex duabus rebus diversa & distincta essentia præditis una res dicatur ratio essentiæ alterius rei? potestne leo dici ratio essentiæ equi? Si per vocem οὐσίας intelligas *Substantiam*, cum forma dicitur λόγος οὐσίας, idem est ac si dicas, *forma* est *ratio substantiæ*: quandoquidem vero forma est materiæ forma, eo ipso materia ponitur esse substantia, non forma: nisi quis rem ac substantiam cum substantiæ ac rei *ratione* & λόγῳ confuderit: sicut ratio entis, *essentia*, ipsa non est *ens*, ratio hominis, *humanitas*, non est *homo* (aut daretur progressus in infinitum) ita ratio substantiæ, sc. *Forma*, ipsa non est substantia. Sed hæc omnia clariora erunt ex iis, quæ de λόγῳ dicemus.

III. Λόγος varia significat apud Græcos, & ne

& ne omnes significationes recenseamus, interdum *sermonem* significat, eumque vel προφορικὸν, foras prolatum & *externum*, vel ἐνδιάθετον, intus conceptum & *internum*; interdum *rationem*. *Ratio* ista vel *in mente* nostra est vel *in rebus* ipsis. *Ratio* sive λόγος *in mente* nostra vel significat *ratiocinandi* aut intelligendi *facultatem*, veluti cum homo dicitur ζῶον λογικὸν, vel ipsum λογισμὸν *seu intelligendi* ac ratiocinandi *actum*. *Ratio* sive λόγος *in rebus* sumitur tripliciter: 1. pro argumento seu *termino medio* in syllogismo, veluti cum *Arist. c. 29. l. 2. Post. Analyt.* dicit omnem scientiam esse μετὰ λόγου, intelligentiam seu assensum principiorum esse ἄνευ λόγου. 2. *Pro* οὐσίᾳ *aliqua entis sine ulla vi inferendi* aut probandi, veluti cum ab *Euclide l. 5. Elem.* λόγος sive ratio dicitur, duarum magnitudinum ejusdem generis quædam secundum quantitatem habitudo, & Analogia rationum similitudo. Quod ab *Euclide* de quantitate, hoc de omnibus omnino rebus dici potest, ut ratio sive λόγος sit omnium rerum mutua quædam habitudo, & Analogia sit rationum in rebus similitudo. 3. *Pro modo quo res unaquæque menti objicitur cognoscenda.* Hæc postrema acceptio vocis λόγου latissime patet, & priorem suo ambitu comprehendit: diversa enim rerum habitudo efficit, ut aliter atque aliter res ab intellectu nostro concipiantur atque intelligantur. *Forma*, ut hæc omnia applicemus, *non* est λόγος τῆς οὐσίας, prout λόγος significat *sermonem*, *nec* prout notat *rationem* quæ est *in mente*, *nec* prout indicat *argumentum tertium*, sed prout indigitat *habitudinem variam materiæ*, *& modum*, *quo pro varia habitudine varie objici potest menti*. Et sic forma nihil est aliud ex hac definitione *Aristotelis* quam Barbarorum *Formalitas*, *quidditas*, *ratio formalis aut quidditativa*. Atque hinc liquet, quam inepte, ex hac formarum & rationum formalium multiplicatione, multiplicaverint totidem entia totidemque substantias, easque à materia diversas, *Scholastici*. Sed paulo adhuc ulterius de *Formis* & λόγοις τῆς οὐσίας est philosophandum.

IV. Quæritur, *Vnde hi* λόγοι τῆς οὐσίας, *tam varii*, *in re una*, *oriantur?* Resp. Ex humanæ mentis imperfectione, quæ cum tanta sit, ut nequeat mens uno conceptu distincte intelligere, quod in se unum est, fit, ut intellectura objectum suum, illud distrahat, &, quod unum est, quamvis unum sit, pluribus sibique invicem dissimilibus conceptibus intelligat. Quid magis est simplex, quam Deus? & tamen Deum concipimus, ut Deum, ut immensum, ut æternum, ut sapientem, ut misericordem, ut justum, &c. & concipimus, non solum pluribus, sed & dissimilibus multumque inter se diversis conceptibus: conceptus enim divinæ justitiæ multum differt à conceptu, quem facimus de divina misericordia, estque alter alteri prorsus dissimilis: & sic in aliis divinæ essentiæ attributis concipiendis, conceptus sapientiæ differt à conceptu omnipotentiæ, &c. Atque hæc omnia sunt totidem λόγοι τῆς οὐσίας in Deo: unde & dicuntur in Deo ab ipso distingui & inter se τῷ λόγῳ, *ratione*, quia licet in se & Deo omnia sint unum, sunt tamen objecta distinctorum conceptuum nostri intellectus, qui λόγοι seu *rationes* appellantur, quasi dicas, *rationes concipiendi*. Hinc & ipsa illa objecta, quatenus ratione differunt, externa denominatione, *rationes entium*, λόγοι τοῦ εἶναι, vulgo *conceptus objectivi* vocantur, quia scilicet τοῖς λόγοις sive *rationibus concipiendi*, id est conceptibus animi nostri, objiciuntur, indeque distinctionem capiunt. Atque hæ sunt *formæ ac rationes essentiæ in re unaquaque.*

V. Hæc Philosophia plane est *Aristotelica:* quippe *Aristoteles* non uno in loco docet, unius ejusdemque rei esse varias rationes & λόγους τοῦ εἶναι, seu τῆς οὐσίας. Sic dicit 1. *Phys. materiam & privationem esse unum numero*, *distingui vero τῷ λόγῳ seu ratione*, quia scil. alius est conceptus materiæ, ut est materia, & alius, ut est privata. Ex. gr. cum quis Musicus fit ex ἀμούσῳ, subjectum istius mutationis est homo, privatio ἀμουσία· homo enim ex ἀμούσῳ fit musicus: itaque licet homo & ἄμουσος sint idem numero, ἕτερον tamen τῷ ἀνθρώπῳ τῷ τῷ ἀμούσῳ τὸ εἶναι, ἑτερος ὁ λόγος τῆς οὐσίας, id est, *alia est hominis*, *alia ἀμούσου seu musicæ imperiti*, *essentia aut ratio*

essentia. l. 1. *Phys.* §. 67. Simili modo loquitur *Philosophus l.* 5. *Ethic. c.* 1. de Justitia & virtute universa: ἔστι μὲν γὰρ ἡ αὐτὴ, inquit, τὸ δ' εἶναι οὐ τὸ αὐτὸ ἀλλ' ἡ μὲν πρὸς ἕτερον, δικαιοσύνη· ἡ δὲ τοιαύτη ἕξις, ἁπλῶς ἀρετή. id est, *illa eadem quidem est, sed essentia non est eadem sed quatenus ad alium est, justitia: quatenus talis habitus, absolute virtus dicitur.* Similia loca extant apud *Aristotelem* plurima, quibus nihil significatur aliud, quam ejusdem rei esse plures λόγους seu *rationes* τ῀ οὐσίας. Etenim etiam eadem res est, quæ subjicitur formis & quæ iis privata est, ut homo & ἄμικτον· eadem qualitas est, atque idem habitus, qui & virtus & justitia universalis dicitur: *sed rationes essentiæ* λόγοι τ῀ οὐσίας τῷ τί εἶναι inter sese differunt.

VI. Verumenimvero, ulterius hic quæri potest, *Unde proveniat, ut quod in se est unum atque indivisum, pluribus iisque distinctis ac dissimilibus conceptibus concipi possit?* Resp. Id provenire ex comparatione unius rei cum alia: cum enim in illa comparatione apparet, quomodo unumquodque sese habeat ad aliud, mens istos modos seu comparationis capita distinguit, & unumquodque seorsim considerat, atque concipit. Singuli itaque isti modi, seu singula comparationis capita, sunt singulæ rationes, secundum quas una eademque res distinctis conceptibus intelligi potest: totidemque sunt λόγοι τ῀ οὐσίας vel τ῀ εἶναι. In comparatione spectatur *Convenientia, Diversitas, & respectus seu Relatio.* Quando ergo mens id seorsim concipit, in quo res cum aliis convenit, relicta differentia, vel id, in quo ab aliis differt, relicta convenientia; vel cum rem concipit cum relatione ad aliud, distinctos format unius & ejusdem rei conceptus, qui sunt totidem λόγοι τ῀ εἶναι τῆ τ῀ οὐσίας. Itaque omnes rerum λόγοι, vel *rationes essentiæ*, aut *in convenientia, aut relatione sunt sitæ*, quatenus res secundum eas à mente distingui & distinctis conceptibus intelligi possunt. Ex. gr. Homo, vel ut animal, vel ut homo, vel ut Pater, considerari potest: quatenus consideratur ut animal, cum bestiis convenit; quatenus ut homo, ab iis differt; quatenus ut Pater, ad filium refertur: atque hæc quidem sola ratione distinguuntur & λόγῳ τ῀ οὐσίας· licet enim homo sit una eademque res, tribus tamen distinctis modis, *rationibus*, seu λόγοις, objicitur menti, & tribus diversis dissimilibusque conceptibus concipitur: alius enim conceptus est hominis, cum concipitur ut animal: alius, cum concipitur ut homo: alius, cum ut pater. Ista ergo tria, hominem esse hominem, hominem esse animal, hominem esse patrem, & similia, quid esse possunt, quam λόγοι τ῀ οὐσίας in homine, *rationes essentiæ*, secundum quas homo dissimilibus notionibus ac conceptibus apprehenditur aut saltem apprehendi potest? Atque hi diversi in una eademque re λόγοι τ῀ οὐσίας, fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ, quæ innititur non nisi cujusque rei cum altera comparatione: qua fit, ut in eo, quod unum est, appareant quasi multa, quæ à se invicem abstrahi per mentem & distingui possunt, prout cum alia re conveniunt, aut ab alia re differunt, aut etiam prout vario respectu ad rem aliam referuntur.

VII. Ex hisce omnibus hoc inferimus, toto cælo errare illos, qui *formas quasdam substantiales distinctas à materia*, astructum eunt ex definitione formæ *Aristotelica*, qua definitur λόγῳ τ῀ οὐσίας, aut ex alia simili. Sed absurditas istius illationis satis patet ex iis, quæ jam disseruimus.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

TRIGESIMA-NONA.

DE

LEGE IN COMMUNI.

THESIS I.

NULLUM fecimus in harum disputationum cutriculo ordinem: sed prout in manus incidit, nunc hæc, nunc illa materia, ita eam pertractavimus, ad arbitrium fere Respondentium: postremo nos exercuimus in *Formarum* explicatione; quæ ad Physicam fere pertinet: jam ad *Politicam* deflectemus, & naturam indagabimus *Legum*, sine quibus nulla Respublica rite recteque administrari potest: Lex enim anima est Reipublicæ, cujus influxu vegetabili vivit, nutuque gubernatur magnum hoc corpus. Sed legum necessitatem, dignitatem, majestatem, *Rhetores* eloquantur: nos earum naturam *Philosophice* explicabimus, post ὀνοματολογίαν πραγματολογίαν subjiciendo, quod faciendo & de *Philosophis*, & de *Theologis*, & de *Iure-Consultis* bene merebimur.

II. Ὀνοματολογία legis absolvitur ejus *Etymologia*, *Synonymia*, & *Homonymia*. *Etymologiam* quod spectat, *lex* derivatur juxta nonnullorum sententiam à *legendo*, id est, *deligendo*; nam verbum *legendi* etiam significat *deligere*, teste *Varrone*, *l. 5. de Ling. Lat.* vel quod sit multorum consultatione & consensione *delecta*; vel quod ex multis, quæ possunt constitui, una *Lex* sit ad id, quod facto est opus, *delecta*. Hæc *Etymologia* placet *Ciceroni l. 1. de Legibus*, & *l. 2. de Nat. Deor.* Alii tamen *legem* dictam volunt à *legendo*, quatenus ab omnibus *legi* & cognosci debet: leges enim tabulis incisæ parieti affigebantur, ut à populo legerentur. Sic *Isidorus l. 2. Etym. c. 10.* & *l. 5. c. 3.* Alii, ut *Scholastici*, & inter eos *Aquinas* 1. 2. *quæst. 90. art. 1. legem* derivant à *ligando*, eo quod ad obedientiam vel pœnam *obliget lex*; & quod is, qui legem fert, subditos ita obstringat, ut agere cogat juxta id, quod sua lege constituit; nam *lege* condita tenentur, id est *ligantur* populi.

III. *Synonymiam* quod spectat, *Lex* græcè dicitur νόμος ἀπὸ τοῦ νέμειν, à *distribuendo*, quod suum cuique tribuat: *Picolom. grad. 10. Philos. de Moribus, c. 23.* notat νόμον à νόος vel νοῦς dici posse, vel quatenus lex à divina *mente* prodiens per humanam *mentem* in urbes emanat, unde & *mens urbium* dicitur, vel quatenus bona cum *mentis* observantia omnibus est tenenda: sed illa Græcæ vocis origo durior est & longius petita. Ebraicè dicta est תורה quod nonnulli derivant à תור, id est *ordinare*, *considerare*, *explorare*: תור enim est *ordo*, *ratio*, *ordinatio*: nam exploratio prudenter rem indagat, cum ordinatissime procedit: sed rectius alii deducunt à ירה, quod est *docere*, quia sc. *lex doceat*, quid sit agendum, quid fugiendum, ut sit *doctrina*, *institutio*, *præscriptio*, *ratio*, *dispositio*, *judicium*, *statutum*, &c.

IV. *Homonymiam* quod attinet, *lex* vocabulum valde est *homonymum*. In *Scripturis* sumitur, nunc pro forma Politiæ Judaicæ, nunc pro tota scriptura V. T. nunc pro lege morali, nunc pro secunda legis moralis tabula, nunc pro legis moralis rigore, nunc pro lege ceremoniali, nunc pro forensi, & multis adhuc aliis modis, de quibus consulantur *Theologi*. Apud *Philosophos* tribus fere sumitur modis: 1. significat quamvis *doctrinam* aliquid præscribentem, & quamlibet *conventionem* ac *conditionem*. 2. idem significat quod *jus*: unde sicut *jus*, ita quoque *lex* dividitur in *naturalem*, *divinam*, *humanam*, &c. de quo postea. 3. Sumitur *lex* strictius, ut est idem, quod *jus scriptum*, differtque à *consuetudine*, quæ vulgo dicitur *scriptum jus*. *Lex* hoc modo sumta aliquando

accipitur ut est *quodlibet jus scriptum*, id est jus vel jussum cujuslibet Magistratus, vel Principis, vel alterius potestatem habentis, sive sit jus *Canonicum* & Ecclesiasticum, sive sit *civile:* aliquando accipitur, prout à canone, id est Ecclesiastica constitutione seu decreto, distinguitur, & rum *lex* solum, est *jus scriptum civile:* quo sensu *Legistas* vocat vulgus *Iuris Civilis Interpretes*, *Canonistas juris Ecclesiastici Enarratores.* Jura civilia, vel sunt totius populi, id est Senatorum, Patritiorum, & omnium civium leges; vel sunt Plebiscita, vel Senatusconsulta, vel Principum constitutiones sive Rescripta; vel Magistratuum edicta, vel Prudentum responsa: aliquando accipitur *Lex*, *prout est jus scriptum civile*, *distinctum à Plebiscitis*, &c. Nos *Legem* hic impræsentiarum accipimus *sensu secundo.*

V. Προγμαθολογία, post *nomen* excussum, proponet nobis *Legis definitionem & divisionem. Lex Arist. in Rhetoricis ad Alexand.* c. 1. definitur, λόγος ὡρισμένος καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως· μιμνύων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα, id est, Ratio *communi consensu civitatis definita, ostendens quomodo unumquodq; sit agendum. Ciceroni l.* 1. *de leg. Certa ratio, quæ jubet ea quæ sunt facienda, prohibetque contraria. Aquinati* 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. *Regula & mensura, secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur: & art.* 4. *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. Papiniano IC. Commune præceptum, virorum prudentum consultum, delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coërcitio, communis Reip. sponsio.* Nobis videtur omnium optime, brevissime & accuratissime definiri, *præceptum æquum superioris, subditum ad agendum vel non agendum obligans. Præceptum, quasi genus* est: *æquitas*, excludit *injusta imperia*, quæ non nisi *per abusum leges* nominantur: *obligatio*, subditi promulgarionem, aliaque includit.

VI. Ut vero *Natura Legis* expressa definitione tanto capiatur melius, observandum est, legem omnem variis quasi ex partibus esse compositam: namque in ea est, *primo*, judicium sive actus intellectus legislatoris, quo judicat faciendum esse aliquid aut non faciendum, obligandumque esse subdirum: *secundo*, decretum seu actus voluntatis, quo eum obligare constituit: *tertio*, promulgatio, qua lex subdito indicatur: *quarto*, intelligentia subditi, qua obligationem suam agnoscit, vel sua culpa ignorat, si ignorat: *denique* est res ipsa seu objectum, circa quod judicium voluntasque ram legislatoris quam subditorum versatur. Hoc *objectum*, à Deo hominibusque cognitum, vocatur *Lex*, terminusque est divinæ jussionis, & humanæ obeditionis: quæ itaque vulgo hic dispurantur, *Sintne lex opus intellectus an voluntatis*, ea non sunt necessaria, quia lex utrumque complectitur: Deus enim aut superior quicunque legem fert, intelligit hoc esse imperandum, vult imperare, & imperat: lex imperata & demandata intellectum simul & volunratem hominis constringit ac dirigit & regulat: Ex hisce manifestum est Legem tribus spectari posse modis: 1. *secundum se.* 2. *ut est in Legislatore.* 3. *ut est in subdito.* Si *Lex in se* spectetur, nihil est aliud quam quædam regula seu mensura, quæ nos dirigit & obligat in nostris actionibus: ostendit enim quid agendum sit, quid omittendum, & simul obligat, ut, quod agendum est, agamus; quod omittendum, omittamus: iraque duo sunt *officia legis: unum* est, dirigere seu illuminare, *alterum*, obligare: *lex* enim *dirigit vel illuminat*, quatenus est regula humanorum actuum: *obligat*, quatenus tenemur eam regulam sequi ac servare: sive illa obligatio oriatur ex natura rei, ut in legibus naturalibus, sive oriatur ex voluntate & potestate superioris, ut fit in legibus positivis, de quo negotio postea. Si *lex* spectetur, *ut est in legislatore*, nihil est aliud, quam actus ille, quo Legislator judicat, vult, & imperat, ut hæc aut illa regula à subditis servetur. Si *lex* spectetur, *ut est in subdito*, nihil est aliud quam judicium practicum, quo subditus judicat hanc vel illam regulam esse servandam à superiore aut legislatore datam. Quando autem dicimus legem interdum spectari *secundum se*, non debet illud ita sumi, quasi nullo modo sit in superiore vel inferiore (est enim in illis *objective* seu per modum objecti cogniti

gniti & voliti) sed quod non consideretur, ut est in illis *subjective* per modum actus intellectus aut voluntatis, sicut considerantur 2. & 3. modo. Lex enim 1. modo spectata est proprie objectum intellectus practici voluntatis, non simplex, sed complexum: v. c. hoc complexum, *furtum est fugiendum*, est regula voluntatem dirigens in agendo, postquam intellectus eam percipit & judicavit esse sequendam: itaque *lex in se* spectata *fundamentaliter* est in rebus ipsis, *objective* in intellectu & voluntate, *subjective* in voce, tabulis, scripturis, tanquam in signo.

VII. *Definitionem* Legis excipit ejus *Divisio*, quæ multis potest institui modis. *Scholastici* legem dividunt in *æternam*, *naturalem*, *humanam*, *divinam*. *Æterna* sumitur, aut fusius & larius, aut pressius & strictius. *Latius* sumpta, est mens & ratio divina, quæ cuncta sapienter & recte dispositi constanti & certo ordine gubernat, ut constitutos sibi fines assequantur; cui legi universa, quæ sunt ex nihilo condita, subjiciuntur; *pressius* vero, est ratio divina, recta & bona præcipiens, prava & mala prohibens; & ab hac una lege universæ aliæ leges, sc. *naturalis & humana*, derivantur. *Naturalis* lex, est rectæ rationis præscriptum in bonis agendis & malis fugiendis. *Humana* lex, est certi alicujus hominis potestatem habentis jussum, idque vel *Canonicum* sive Ecclesiasticum, quod consistit in rebus ad bonam Ecclesiarum administrationem pertinentibus, vel *Civile*, quod consistit in rebus, quæ ad Civilem Reip. gubernationem attinent. *Divina* lex est, quam Deus per seipsum ad homines tulit: atque hæc duplex est, *Vetus* & *Nova*: *Vetus* triplicis generis præcepta continebat; *Ceremonialia*, de rebus sacris ad divinum cultum pertinentibus: *Iudicialia*, de rebus civilibus ad rectam populi curam & administrationem spectantibus: *Moralia*, ad singulorum hominum mores componendos juxta rationis præscriptum. *Nova* continet præcepta fidei, & quæ *Euangelica* vocant *Scholastici*: *Apostolo Gentium* dicitur *Lex fidei*, *ad Rom.* 3. 27.

VIII. Alii, præter *Scholasticos*, legem dividunt, sicut & ipsum jus, in legem, *Naturæ*, *Gentium*, *& Civilem*. *Lex naturæ* est id, quod ratio hominis (est enim ratio hominis natura) naturaliter (id est, ex principiis naturæ insitis & sua luce notis) præscribit, cujus tamen aliquod vestigium quasi est etiam in animantibus, vel cæteris quoque rebus, qui est instinctus à natura insitus: qualia sunt hæc, quæ sequuntur: *Vim vi repellere, seipsum tueri, sibi salutaria quærere & noxia fugere*, &c. *Lex gentium* est id, quod recta ratio naturaliter omnes gentes, id est homines omnes docet, præcipit vel prohibet: cujus vestigium nullum est in brutis animantibus rebusve aliis, qualia sunt, *religio & cultus Dei, honor vel obedientia parentibus præstanda, ac cætera Decalogi præcepta*: Hac lege sunt introducta rerum dominia & bella, civitates fundatæ, erecta fœdera, institutæ captivitates & servitutes hominum, constituti reges, creati magistratus, inita commercia, & contractus, depositi, mutui & commodati, locati & conducti, emptionis & venditionis, societatis, &c. *Lex civilis* est jus civile scriptum, quod constat ex partibus, nempe Legibus, Plebiscitis, Senatus-consultis, Edictis *Prætorum*, Constitutionibus Principum, Responsis Prudentum. *vid. Institut. Iuris Iustinian. l.* 1. *tit.* 2. Hic tenendum ac notandum est illud: *Iurisconsultos & Theologos*, si non in re, saltem in modo loquendi discrepare, circa *legem naturæ & gentium*. *Iuris-consulti* vocant *legem naturæ*, id quod homini commune est cum brutis: *gentium*, id quod hominibus solis inter se est commune: & sic *præcepta legis moralis ad gentium*, non ad naturæ *legem* pertinebunt, non enim sunt homini communia cum brutis: *Theologi legem naturæ* vocant id, quod instinctus naturæ docuit homines, quatenus sunt animalia rationalia (& hoc appellant alii, *jus naturale primævum vel primarium*) *legem gentium*, id quod natura docuit hominem quatenus est animal sociale (& hoc appellant alii, *jus naturæ ortum aut secundarium*) & sic ad *legem naturæ pertinebunt præcepta legis moralis*, quia obligant hominem simpliciter & in se consideratum, sive in societate aliqua constituatur, sive non: cum leges gentium non obligent hoc sensu hominem,

nisi

nisi quatenus est ὁμῶ. *Picolomineus grad.* 10. *c.* 23. *Philosophia de Moribus*, adhuc aliam habet legum *divisionem*; & alii forte adhuc alias. Sed missis omnibus, putamus commodissime *Legem* generaliter dividi, in *Æternam*, *quæ* notat sapientiam & decretum Dei de regimine rerum; *Naturæ*, quæ per generationem implantatur; *Humanam*, quæ à superioribus & Magistratu fertur; *Divinam*, quæ à Deo vel immediate vel per Mosem fuit mandata ac promulgata, juxta ea quæ sunt dicta th. 7.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

QUADRAGESIMA.

DE

LEGE ÆTERNA.

THESIS I.

DIvisimus *Disp. præced. th.* 7. & 8. *legem* in *æternam*, *naturæ*, *humanam*, & *divinam*, de quibus singulatim disseremus in posterum, excepta lege divina, quæ non Philosophici sed Theologici est fori; quare eam ad Theologos relegabimus. Atque ut ordine procedamus, impræsentiarum de *Lege æterna* agemus; ac primum ambiguitatem removebimus, ne illa in ipsius rei tractatione negotium faceſſat.

II. *Lex æterna* sumi potest duobus modis. 1. Pro quavis regula practica necessariæ & æternæ veritatis, ad quam naturaliter obligamur, ut, *Deum esse colendum, parentes esse honorandos, nemini esse faciendam injuriam*, &c. Hæ enim regulæ sunt leges omnino immutabiles, ac proinde æternæ, & hoc sensu multæ sunt leges æternæ. 2. Sumitur pro actu divinæ mentis, quo concipit & judicat illas regulas servandas esse à creatura cum voluntate eam obligandi. Hoc sensu legem æternam accepit *Thomas*, 1. 2. *qu.* 93. *art.* 1. cum ait, *eam nihil esse aliud quam rationem divinæ sapientiæ, secundum quam dirigit omnium creaturarum motus & actiones in suos fines.* Ut enim in Deo est ratio rerum creandarum, quæ dicitur Idea, sic etiam est in ipso ratio rerum gubernandarum, quæ dicitur lex æterna: &, sicut ratio rerum creandarum nihil est aliud quam conceptus divinæ mentis, quo concipit rem & judicat, quomodo illa sit facienda, sic ratio rerum gubernandarum, quam vocamus legem æternam, nihil est aliud, quam conceptus divinæ mentis, quo concipit & judicat quomodo unaquæque creatura debeat suas functiones obire, adjuncta simul voluntate eam obligandi vel imprimendi inclinationem ad suam regulam servandam. Profecto, si in Rege aut Principe particulari, multo magis in Deo, Rege & Principe universali, oportet esse quandam gubernandi normam & regulam, vel aliquam rationem, secundum quam omnium rerum administratio instituatur: Deus enim est sapientissimus: quare nihil agit temere: ergo quoque omnia ab æterno disposuit, & in seipso modum concepit, quo œconomiam mundi instituere & præsertim actus humanos moderari ac dirigere vellet. Cum vero omnis gubernandi norma generali sensu *lex* dicatur, non male quoque æternam istam, de Mundi regimine; rationem, in & à divina mente conceptam, Legem appellamus, & quidem æternam, quia mens divina nihil novum in tempore concipit, sed æternum habet de rebus omnibus conceptum; neque enim Deus primum post conditum mundum de ejus œconomia cogitavit, sed ab æterno, uti rerum creationem decrevit, ita creaturarum gubernationem disposuit. Hæc itaque ratio, in divina mente ab æterno concepta, de modo regendi mundum & dirigendi omnes actus creaturarum, dicitur & est *lex æterna.*

Atque

Atque hinc liquet, *Legem æternam à providentia divina, non re sed ratione sola differre: Lex* dicitur, quando ut norma gubernandi concipitur: *Providentia*, prout est universalis cura Dei, res omnes conservantis, & omnibus providentis, de mediis, ad operandum & finem suum consequendum, necessariis.

III. Cum *Lex æterna* sit ratio & norma divinæ gubernationis, facile liquet, quænam legi æternæ subjiciantur: scil. quæcunque divino regimini subduntur, ad legem æternam pertinent eique subsunt, quippe quæ tam late pateat atque ipsa Dei providentia. Versatur ergo lex æterna circa res creatas omnes, rationales & irrationales, circa actiones in communi, specie, & individuo, necessarias & contingentes, bonas & malas: nihil enim huic æternæ legi est exemtum: ratio est, quia, cum omnia gubernentur à Deo & ad fines suos dirigantur, etiam modum concepit ab æterno, quo omnia gubernari & dirigi debeant: quod nihil est aliud, quam *Lex æterna.*

IV. *Lex æterna*, utcunque respectu Dei sit una & simplex, respectu tamen diversarum rerum, quæ diverso & alio atque alio modo gubernantur, multiplex dici & aliqua ratione dividi potest: nempe in generalem & specialem: *Generalis* est ratio gubernandi creaturas omnes ut sunt creaturæ. Quarum si consideretur esse, oritur, ex lege æterna, conservatio: quæcunque enim creavit Deus, eadem ab æterno conservare constituit, atque in tempore conservat: si earum consideretur operari, oritur, ex lege æterna, concursus seu cooperatio, qua Deus ab æterno decrevit cooperari & in tempore concurrit cum creaturis operantibus, concursu tum prævio tum simultaneo, & ad agendum eas præmovendo & cum illis agentibus cooperando. *Lex æterna Specialis* est, ratio divina, aliquid in & cum creaturis efficiendi, vel aliquid simpliciter iis permittendi. Posset dici *Lex æterna effectiva & permissiva.* Illa circa bonas actiones, hæc circa malas est occupata. De actionibus bonis tria statuit lex æterna in Deo, 1. Præcipere eas ante opus. 2. Cooperari in ipso opere & coëfficere. 3. Remunerari post opus. De actionibus malis tria pariter decernit, 1. Eas prohibere antequam fiant. 2. Permittere ut fiant & cum fiunt. 3. Punire postquam factæ sunt. Atque hæc eadem sunt cum iis, quæ de *Providentia* Dei vulgo traduntur, à qua, ut diximus, lex æterna non nisi ratione differt: est enim illa vulgo, *generalis & specialis:* atque hæc *effectiva boni* ac *permissiva mali.*

V. Quæri hic potest, *Quomodo lex æterna cognoscatur?* Resp. 1. *In se* cognoscitur à solo Deo. 2. *In effectibus* cognoscitur à nobis, quia lex æterna & temporalis executio in objectis conveniunt: quando igitur observamus modum, quo Deus universum mundum omnesque creaturarum actus gubernat, colligimus facile & intelligimus, talem ab æterno fuisse in divina mente conceptum: quæcunque enim & quomodo in tempore Deus exequitur, ea & eo modo ab æterno exequi decrevit per rationes legis suæ æternæ: unde, quæ in tempore facit aut permittit, ea facere & permittere æterna lege constituit. 3. Cognoscitur *per impressionem*, mediante *lege* naturæ: Hæc enim partialis est expressio legis æternæ: quicquid enim requirit νόμος ἔμφυτος, *lex naturæ insita*, illud quoque sancivit νόμος ἀϊδιος, *lex æterna.* 4. Cognoscitur *per revelationem* ex libro scripturæ, in quo magna æternæ legis portio & ratio gubernandi res omnes patefacta est. Sed hic modus cognoscendi Legem æternam, ut est omnium perfectissimus, ita ab instituto Philosophico ac nostro est alienus & ad Theologiam pertinet.

VI. Quæri etiam hic solet; *Vtrum omnes aliæ leges deriventur ab æterna?* Resp. Affirm. cum *Thom.* 1. 2. *quæst.* 93. *art.* 3. & ratio ejus est, quia ut virtus secundi moventis derivatur à virtute primi moventis, sic omnis ratio gubernandi, quæ est in gubernatoribus inferioribus derivatur à ratione gubernatoris supremi: sed lex æterna est ratio gubernationis in gubernatore supremo. Ergo ab ea derivantur reliquæ leges, quæ sunt rationes gubernationis in gubernantibus inferioribus. Et hoc speciarim liquet in legibus naturæ ac positivis. Lex naturæ, prout in nobis est, derivatur à lege æterna, prout in Deo est: Est enim partialis, expressio legis æternæ: Nam lex naturæ est dictamen rectæ rationis, quo judi-

camus hanc aut illam regulam practicam æternæ veritatis esse servandam, ut, v. c. *Deum esse colendum:* at hoc dictamen derivatur ab æterno dictamine divinæ rationis, quo Deus ab æterno judicavit illas regulas practicas esse servandas, atque in hoc dictamine rationis divinæ consistit ratio æternæ legis. Ergo lex naturæ, prout est in nobis, derivatur à lege æterna, ut est in Deo. Omnes insuper *leges* positivæ derivantur à lege æterna, quia potestas humana, qua conduntur leges humanæ, est à potestate divina: & quid sunt humanæ constitutiones aliud, quam iniquæ ordinationes, nisi ab æterna lege deducantur?

VII. Quæri adhuc solet, *An lex aterna sit mutabilis?* Resp. Hoc ipso, quod lex æterna dicatur, immutabilis est: omne enim, quod æternum est, immutabile est, cum illa sit divinæ gubernationis norma, aliarum legum fundamentum & mensura, omnis boni fulcrum, si illa sit mutabilis, omnia pessum irent, omnis ordo, omnis salus universi, & verus Θ κόσμε κόσμ☉ tolleretur: nec tamen lex æterna dicitur, immutabilis ex parte objecti & rei, quam præscribit (quasi omnia, quæ per illam præscripta sunt, sint immutabilia) sed solum ex parte Dei, quia is ab æterno & invariabiliter præscribit, quod præscribit, etiamsi id ad tempus tantum sit duraturum: etenim, ut scientia Dei est æterna, & tamen non quicquid per illam cognoscitur est æternum, ita intelligendum quoque est, per legem Dei æternam aliquid nihilo minus temporale posse constitui: unde observationes veteris fœderis quamvis ad tempus tantum essent duratutæ, fuerunt tamen per legem Dei æternam constitutæ.

VIII. Denique & istud quæri amplius potest, *An lex aterna contingentiam auferat & necessitatem inducat?* Resp. Minime: etiamsi enim ea, quæ lege æterna sunt præscripta, fiant, & eo modo fiant, quo sunt præscripta, non tamen hinc tollitur è mundo à rebus contingentia: quippe lege æterna non tantum actus sancitus est, ut fiat, sed & modus, quo fiat: Deus enim ab æterno statuit, non tantum conservare omnia ac gubernare, sed vero insuper statuit id facere, congruenter naturis rerum singularum: qualis itaque est rerum natura, ut & convenienter ei operetur, res, lex æterna sancit, nimirum, ut necessaria agant necessario, libera libere, contingentia contingenter, & sic porro. Verum id quidem est, si id, quod fit, spectetur in ordine ad legem æternam, secundum quam fit, omnino fit necessario & eo modo quo lex æterna præscripsit, sed illa necessitas est tantum immutabilitatis, quæ contingentiam non tollit, quia hypothetica est & non absoluta necessitas: at nulla necessitas hypothetica contingentiam minuit vel aufert. Et necessitas, quæ oritur in rebus vi legis æternæ est ejusdem plane generis, atque est ea, quæ oritur in rebus præscientiæ divinæ aut decreti. At neutra harum contingentiam aufert. Ergo nec eam tollit necessitas oriens ex lege æterna? Et quid multis est opus? πρῶτον ψεῦδ☉ hic situm est, quod putetur nulla necessitas stare posse cum contingentia: quo nihil est falsius: imo contra omnis necessitas hypothetica, sive ex hypothesi antecedente, sive ex consequente, sive ex concomitante, convenit optime cum contingentia. At necessitas in rebus & actionibus humanis ex lege æterna est necessitas ex hypothesi antecedente. Ergo concludimus, eam nihil impedire contingentiam in rebus & causis secundis, quæ harum etiam respectu tantum est æstimanda.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

QUADRAGESIMA-PRIMA.

DE

LEGE NATURÆ.

THESIS I.

ÆTernam *legem* explicatam Disputatione præcedenti excipit *Lex naturæ*, quam hac Disputatione pertractabimus, primum *vocem*, mox *rem*, enucleaturi. Duæ hîc sunt voces: *Lex* & *Natura*. De priori actum est satis *Disp.* 39. Vox altera, dupliciter accipitur, vel pro *Natura universali*, quæ est series & ordo communium causarum, vel pro *Natura particulari*, nempe *humana*, seu pro naturali hominis constitutione & conditione. *Lex Naturæ universalis*, sunt communia Naturæ universalis statuta, quæ ipsa in rerum naturalium productione observat: *Lex Naturæ particularis*, sunt principia juris, homini innata & implantata. Illa naturalium; hæc moralium operationum est norma: illa parit discrimen monstrosi & perfecti; hæc turpis & honesti: illius exempla sunt: *Natura nihil facit frustra, non efficit per plura quod potest efficere per pauciora, operatur quamdu potest & quantum potest*, &c. Hujus exempla sunt: *Honeste vivendum est; nemo lædendus; suum cuique est tribuendum*, &c. Impræsentiarum *Legem Naturæ* sumimus, non Universalis, sed *Particularis*.

II. Quæritur primo, *An sit aliqua lex Naturæ eo sensu, quo diximus, per quam homo nonnulla de discrimine honesti & turpis absque prævia institutione cognoscat?* Resp. Nihil est decantatius in Philosophorum Scholis, quam *generalia* quædam *principia* homini per naturam esse nota, quæ vulgo appellantur κοιναὶ ἔννοιαι, communes notiones, notitiæ innatæ vel naturales, prolépses, notiones anticipatæ, prima & communissima axiomata, atque hæc quidem dudum statuuntur generum, quædam *theoretica*, alia *practica*, quorum illa γνώσεως, hæc πράξεως humanæ fundamentum censentur: *Theoretica* sunt, *esse Deum*, & quidem *unum, justum, potentem, providum*, &c. *quodlibet esse vel non esse, totum esse majus sua parte, qua sunt æqualia uni tertio, esse inter se æqualia. causam præcedere suum effectum*, &c. *Practica* sunt, *honeste agendum esse, Deum esse colendum, parentes honorandos, unicuique suum tribuendum*, &c. Quamvis autem horum principiorum veritas & origo naturalis, prorsus indubitata esse debeat, reperti tamen fuere, qui ea pronunciata omnia, vel per experientiam & inductionem, collecta esse, vel ad non per institutionem, famam, & traditionem hominum sibi perpetuo succedentium, perveniisse existimaverint. At plane aliter *Cicero in Orat. pro Milone. Est quædam, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam, non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus.* Agnoscimus ergo & nos, homini principia quædam, theoretica, & practica de Dei cultu & honestorum discrimine, sine institutione prævia, innotescere, partim ex creaturarum adspectu & per usum rationis proprium (quam vulgo vocant *notitiam naturalem acquisitam seu objectivam*) partim per impressionem naturalem & quasdam imaginis divinæ reliquias, menti humanæ à prima nativitate inhærentes & implantatas (quam vulgo dicunt *notitiam naturalem insitam seu subjectivam.*) Atque hæc *principia practica* sic cognita nobis, sunt *lex Naturæ*, quam esse, vel sola sufficienter probat naturalis peccatorum agnitio: omnes enim impii, etiam inter Gentiles, post perpetratum scelus, agnoscunt sese deliquisse, & timore corripiuntur ac metu pœnæ. Unde hoc, nisi quod legem aliquam sese violasse sentiant? At

quam? non ſemper latam & ſcriptam: cum & illi timeant, qui vel hac carent, ut barbari, vel non curant, ut præfiacti, vel in occulto peccant, ut doloſi: Neque Lex Moſaica hic allegari poteſt, cum Gentiles illa deſtituantur. Quare, ſequitur omnino, *legem aliquam dari connatam*, cujus tranſgreſſio in ſceleratis hominibus operetur iſtam anxietatem.

III. Quæritur ſecundo, *Quid ſit hæc Naturæ lex?* Reſp. In tres fere hic abeunt ſententias *Philoſophi*. Nonnulli eam eſſe *actum*, quidam *potentiam*, alii *habitum* eſſe, exiſtimant. Sed vero *actus eſſe nequit*, nudus ac merus: hic enim in fluxu conſiſtit ac tranſit: at lex naturæ non eſt tale ens fluidum ac tranſiens, ſed naturæ infixum ac permanens, & non minus inhæret in anima infantis quam adulti, dormientis quam vigilantis. At ab infantis & dormientis anima rationali nulli actus proveniunt. *An* ergo *lex naturæ* fuerit *potentia?* Sic quidem exiſtimant nonnulli, qui notitias quaſdam naturales dici volunt, non quod menti realiter, ceu quiddam diſtinctum, impreſſæ ſint, ſed quod intellectus, ab objectis excitatus, facultate propria, illas eliciat, & ſine præceptore, veluti formet. His lex naturæ nihil eſt aliud, quam δύναμις κριτικὴ circa principia iſta generalia, quæ ſeſe exerit, quam primum uſus rationis accedit: quo tempore, quia nonnulla ſtatim ut vera & bona apprehendimus, non aliter apparet, ac ſi animo ipſi naturaliter illa eſſent implantata, cum tamen, ut illi volunt, nihil ei inſit aliud, quam δύναμις illa κριτικὴ, & vis apprehendendi ac colligendi. Verum enim vero nobis *Lex Naturæ* à facultate iſta κριτικῇ videtur eſſe diſtincta, & ſignificare inſuper *connatum quendam & ingeneratum habitum, vel certe aliquid habitui* ἀνάλογον. Atque hoc ſic probari poteſt. Quod fuit Lex Naturæ in protoplaſtis, id quoque eſt in nobis: neque enim ante & poſt lapſum differt ἕξις ſed tantum perfectione, quod ibi perfecta fuerit & diſtincta, hic imperfecta ſit & obſcura. At vero Lex Naturæ in protoplaſtis ante lapſum non fuit facultas intelligendi aut κριτικὴ, ſed quiddam ab ea diſtinctum, & vel habitus, vel aliquid habitui ἀνάλογον: nam fuit in iis pars imaginis, quæ nec in anima nec in animæ facultatibus ſolis conſiſtebat, ſed in ſapientia & juſtitia ac ſanctitate, concreatis animæ: Ergo & in nobis Lex Naturæ, quæ imaginis illius rudera adhuc & ſuperſtites reliquias notat, non mera fuerit potentia, ſed vel habitus vel aliquid inſtar habitus, in intellectu reſidens, quo facilitatur ad aſſenſum præbendum principiis iſtis practicis, de quibus ante fuit ſermo.

IV. Quæritur tertio, *An Lex Naturæ diverſa ſit à lege morali Moſaica?* Reſp Conveniunt; 1. Efficiente generali; utriuſque enim author Deus eſt: 2. Materia; verſatur enim utraque circa bonum honeſtum & morale: 3. Forma; quod præcepta contineat utraque, quibus honeſtum præcipitur & turpe vetatur. Differunt; 1. Tempore; Lex naturæ prior eſt, Moſis poſterior: 2. Modo; Lex Naturæ non ſcripta, Moſis ſcripta eſt: 3. Subjecto; illa omnibus hominibus eſt lata, hæc ſolis Judæis: 4. Perſpicuitate; Lex naturæ eſt nonnihil obſcura & indiſtincta, Moſis perſpicua & diſtincta: Hinc lex etiam Moſis, quia perfectior eſt, peccatores magis convincit & accuſat, quam Lex naturæ. Hæc tamen utriuſque ab utraque diſcrepantia nihil impedit, quo minus *omnia præcepta legis moralis pertineant ad legem naturæ*, licet non eodem modo, nec eadem claritate, de lege naturæ eſſe deprehendantur.

V. Quæritur quarto, *An omnes actus virtutum per legem naturæ imperentur?* R. Actus virtutum conſiderantur, vel in genere, quatenus boni ſunt, vel in ſpecie, quatenus tales ſunt: imperantur omnes à lege naturæ, quoad genus, non quoad ſpeciem: lex naturæ ſuadet in genere, ut honeſte vivamus, & turpia vitemus: ad ſpeciales caſus & particulares actus virtutum, pro varia ratione circumſtantiarum, non deſcendit: nam quid opus fuiſſet lege morali & tot legibus humanis, ſi omnem actuum honeſtorum ſpecies à lege ſola naturæ præſcriberentur? 2. Actus virtutum ſunt, vel morales ſimpliciter, vel Euangelici: illos lex naturæ imperat, hos plane ignorat: ſuadet v. c. fortiter eſſe pro patria pugnandum, cuique ſuum tribuendum, Deum naturaliter eſſe colendum; at, in Chriſtum credere, non item: Quicquid enim ad noſtram ſpectat redemtionem, illud

tantum

tantum ex lumine, verbi revelati, non rationis naturalis, accipitur: ideoque *lex naturæ neminem salvat*, & qui lege naturæ quosdam Gentilium servatos aut servandos volunt, legis naturæ usum latius extendunt quam oportet.

VI. Quæritur quinto, *An lex natura apud omnes sit eadem?* Resp. 1. Aliud est, lex naturæ, aliud legis usus vel applicatio. Lex ipsa quatenus est habitus animo innatus atque inhærens, apud omnes est eadem, tam enim huic, quam isti aut illi ingeneratur, tantum numero differt, specie convenit: sicut enim omnes & singuli homines habent eandem specie animam, & easdem specie facultates, non autem numero, ita & easdem specie, non numero, notitias naturales æqui & iniqui, eundem principiorum habitum, eandem naturæ legem, omnes possident & singuli. Quod vero spectat legis usum & applicationem, magna hic est varietas: quia enim non omnes æqualiter educantur, nec omnes in virtutis studio pariter currunt, hinc fit, ut diversa sequantur judicia, actumque eundem, alii probent, alii improbent, non quod lex naturæ in se diversa sit, sed quia homines eandem naturæ legem non eodem modo applicant, & quia ex iisdem principiis diversas conclusiones eliciunt. 2. Circa usum legis naturæ duplices occurrunt notiones; quædam sunt primariæ, quas principia, quædam secundariæ, quas conclusiones, appellant. *Principia* sunt per se nota & apud omnes immota axiomata, *ut Deum cole, neminem lade, quod tibi non vis fieri id alteri ne feceris*, &c. *Conclusiones* sunt, quæ ex principiis illis interventu rationis per discursum colliguntur, suntque, vel communes, quæ immediate fluunt ex principiis, vel speciales, quæ longiore discursu egent, nec ultro sequuntur. Ipsa principia & conclusiones communes non variant inter homines: conclusiones speciales, propter corruptam hominum naturam, & educationis pravitatem, aliisve de causis, multum variant. Ut verbo absolvamus, *Lex natura* apud omnes *eadem* est *ratione sui*, in quantum est habitus, & *quoad communia principia, eadem non est*, ratione *applicationis* & quoad *conclusiones speciales* ex ea educendas.

VII. Quæritur sexto, *An lex naturæ mutari possit?* Resp. Tribus modis mutatio hæc intelligi potest. 1. *Per additionem*, ut, si aliquid addatur legi naturali, quo sensu, mutari & mutatam esse legem naturæ, nullum est dubium: nam addita est lex divina & humana. 2. *Per sui desitionem*, ut, si desinat obligare, & si non amplius legis rationem habeat: & sic mutari nequit, quia lex naturæ est particula voluntatis divinæ quæ immutabilis est: ut enim Deus essentiam non mutat, sic nec sententiam: at sententiam mutaret, si legem, quam naturæ nostræ inscripsit, ut esset norma operum nostrorum, abrogaret, & ab ejus obligatione nos liberaret: atque hoc est quod vulgo dicitur: *jus naturale non variatur tempore, sed immutabile semper manet*; unde *Aristot. lib. 4. Eud. c. 5. ἀκίνητον* dicitur, seu *immobile*, quia ubique eandem vim habet, quemadmodum ignis & hic & apud Persas urit. 3. *Per abolitionem & deletionem*, quatenus lex naturæ ex mente hominis tollitur: hoc pacto, lex naturæ mutata est per lapsum primorum parentum, non quod in totum sit abolita aut deleta, sed quod perfectæ legi naturæ successerint scintillulæ tantum aliquæ, quæ tamen amplius nec delentur nec abolentur, quia vult Deus in hominibus superesse legem, à qua semper ad mortem usque, si male agant, accusentur, si bene, excusentur: interim licet sic nunquam deleatur nec deleri possit, quoad principia & conclusiones communes, quoad speciales tamen deleri potest & sæpe deletur.

VIII. Quæritur septimo, *An circa legem naturæ possit fieri dispensatio? Resp. 1. Nulla hic potest fieri dispensatio ab homine.* Dispensare enim hic est, obligationem legis removere certo casu, extra quem alioquin obligaret. At ejus est tantum obligationem legis removere, cujus est legem ferre: nam destruere & astruere, figere & resigere, unius sunt ejusdemque. At lex naturæ non lata est ab homine, sed à Deo humanæ menti insita & impressa. Ergo nullus hominum circa eam dispensare potest. *Sed 2. Potestne id* Deus? Respond. *Dispensatio* proprie dicitur, aut improprie. *Proprie*, cum approbatur & præcipitur

actus, qui adæquate & secundum omnes suas circumstantias est contra legem: Et tali modo Deus non dispensat circa legem naturæ: quia sic Deus præciperet & approbaret peccata. Ex. gr. Lex naturæ monet, Deum esse colendum. Circa hanc legem si Deus dispensaret, posset omissionem cultus sui, actumque contrarium, puta odium sui, præcipere atque improbare; quod est impium. *Improprie* fit dispensatio, cum præcipitur & approbatur actus, qui quidem videtur esse legi naturæ contrarius quoad materiale, non tamen est, si circumstantiæ & conditiones omnes attendantur & examinentur: sic Deus interdum dicitur dispensare circa legem naturæ; v. c. Lex naturæ est, Non licet rem alienam accipere, quamdiu aliena est, invito Domino: attamen præcepit Israëlitis Deus, ut vasa Ægyptiorum auferrent; verum hic dispensatio facta fuit non proprie circa ipsum præceptum legis naturæ, quod semper obligat, sed circa materiale ipsius actus: nempe, quæ vasa erant Ægyptiorum, ea Deus, omnium rerum dominus, voluit esse Israëlitarum ex donatione libera, & auferri ut mercedem debitam, quam non exolverant Israëlitis Ægyptii. Atque hæc est *dispensatio improprie dicta*, quæ vim obligandi à lege naturæ non tollit: pari modo respondendum est ad exemplum Abrahami, cui contra naturæ legem, ut filium occideret, fuit à Deo mandatum: quippe, nec ibi fuit dispensatio proprie dicta, sed mutatio materiæ circa quam lex versatur: &, quæ vita Isaaci non erat subjecta potestati privatæ Abrahami, ea subjicitur ipsi ut instrumento divini beneplaciti ab eo, qui vitæ necisque est arbiter ac Dominus. Sed de lege Naturæ hæc nunc sufficerint.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, QUADRAGESIMA-SECUNDA. DE LEGE HUMANA.

THESIS I.

EXposita *Lege*, tum *æterna*, tum *naturæ*, sequitur exponenda *Lex humana*, quæ sic dicitur, quod *ab hominibus* feratur in salutem Communionis, vel civilis, vel sacræ: illa, Respublica, hæc, Ecclesia; illa Civium, hæc Fidelium est complexio: utraque certis gubernatur *legibus:* legis enim nervi sunt, quibus dispersa hominum multitudo in unum quasi corpus ligatur: Atque hinc *leges humanæ* oriuntur duplices, scil. *Politicæ*, & *Ecclesiasticæ*, quarum illæ mundanum & civile, hæ sacrum & divinum spectant regimen. Nos, omissis legibus Ecclesiasticis, de solis agemus *civilibus:* illæ enim ad Theologiam, hæ ad *Philosophiam* ac *Politicam* pertinent.

II. *Legem civilem* Jurisconsulti distinguunt à *Plebiscitis*, *Senatusconsultis*, *Prætorum edictis*, *Principum constitutionibus*, & *Iurisconsultorum responsis*, quod liquet ex *Instit. Iur. lib. 1. tit. 2.* ubi, quid singulis significetur, fusius explicatur. Nos impræsentiarum vocem *Legis* tam stricte non accipimus, sed latiori sensu, pro omni constitutione humana à civibus observanda. Itaque definitur nobis *Lex civilis*, *constitutio legi naturali conveniens*, *& habens publicam authoritatem*, *præscribens aliquid*, *quod sit à subditis necessario observandum in salutem & commodum communionis.*

III. Quæri hic solet §. 1. *An leges civiles condere utile sit & necessarium? An non melius Resp. ab optimo Rege quam ab optima lege administretur?* Atque de hac quæstione acriter inter se digladiantur *Politici*. Nos censemus, *melius & tutius Remp. administrari si secundum optimam legem à Magistratu regatur quam si ab*

si ab optimi Regis arbitrio sine lege ulla administretur: nam per id tutius administratur Resp. quod affectibus caret, quam quod affectibus agitatur: at lex nullis affectibus est obnoxia; Magistratus contra: adde, quod Lex sit norma & regula justitiæ, quovis Magistratu & Rege, etiam optimo, justior: Denique, nullum foret jus firmum & certum: quod enim uni videretur justum, alteri non item, & sic jus atque æquitas varie perturbaretur. Quare omnino utile & necessarium pronunciamus, ut leges condantur civiles, ac sententiæ nostræ fidem facit communis omnium Rerump. experientia, quæ docet, nullam exstitisse aut extare civitatem, quæ non leges suas habuerit ac constitutiones particulares: & legum necessitatem loquitur diversitas civium, quorum non omnes ultro virtutem sequuntur, sed maxima plerumque pars vitiis indulget: legibus ergo, pœnas minantibus, vel maxime opus est, ut improbi, si non virtutis amore, supplicii saltem timore à vitio deterreantur & in officio contineantur. Quin, ut mundus sine sole, corpus sine anima, ædificium sine fundamento, non consistit, ita nec Respublica sine legibus.

IV. Quæritur §. 2. *An decreta plebis pro legibus haberi debeant?* Movet hanc *quæst. Arist. l. 4. Pol. c. 4. & text. 32. 33. 34. 35.* negativam concludit. Nos *decreta plebis* distinguimus in *necessaria* & *non necessaria: illa* sic voco, quæ facit plebs, quando Magistratus dissentiunt & leges vel ferre vel exequi ex dissensione intermittunt: tali enim casu licet prudentioribus ex populo, reliquis consentientibus, decreta quædam ex tempore facere, & pro legibus ad tempus retinere: quæ, si postmodum confirmentur à Magistratu ad unitatem reducto, tum & ipsa mutantur & in legum naturam abeunt: *Non necessaria* plebis decreta appello, quæ legibus opposita & à populo factioso in Magistratus invidiam constituta sunt: quæ sane pro legibus nullo modo sunt habenda: nam leges in certis & universis, decreta populi in incertis & singularibus versantur: ideoque illæ firmæ sunt & immutabiles, hæc infirma & continuæ mutationi obnoxia: præterea, vulgus imperitum est, & affectum plerumque sequitur ducem, non rationem: & per decreta sua, non salutem promovet & tranquillitatem publicam, sed dominium affectat tantum, & Magistratus potentiam studet infirmare. Quare *decreta plebis talia pro legibus non habemus.*

V. Quæritur §. 3. *An consuetudo obtineat vim legis?* Resp. Per *consuetudinem* intelligitur, *frequentia longi temporis similium actuum in Rep.* Ea *est*, vel *vitiosa*, ac legibus & rectæ rationi contraria; vel *laudabilis*, legibus & rectæ rationi conveniens: *illa* vim legis non obtinet: neque enim multitudo errantium errori facit patrocinium: *hæc* si à Magistratu permittatur, neque claro quopiam edicto tollatur, paulatim vim legis acquirit, imo à lege tantum differt modo, quod *lex scripto* tradatur, *consuetudo usu* obtineatur. Duo interim hic extrema sunt vitanda: 1. *ne consuetudo aliqua subito recipiatur.* 2. *ne recepta subito immutetur.* Utrumque enim cum periculo est conjunctum: si enim consuetudo populi cito approbetur, licentiâ fit deterior; si approbata mox mutetur, seditionibus ansa datur. Notandum vero, consuetudinem nullam ex se habere vim legis, sed tum demum, si adsit Principis consensus, si sit rationabilis, si longo tempore recepta: quantum vero temporis requiratur, ut vim legis obtineat consuetudo, definitum non est.

VI. Quæritur §. 4. *An lex civilis ex hominis ratione prodeat, an vero ex naturæ deducatur fontibus?* Resp. Duo hæc non sunt divellenda, sed conjungenda: & utrumque debet concurrere *in lege civili*; & *naturalis æquitas*; & *humana ratiocinatio: illa* facit, ut lex civilis sit justa; hæc, ut ad Reip. conditionem aliasque particulares circumstantias sit accommodata. Lex civilis justa non foret nisi responderet legi naturæ: imo in tantum est lex & justa, in quantum de lege naturæ derivatur; quod vero spectat ejus specialem determinationem, illa est à consilio & ratione hominis; hic enim spectanda est conditio populi, cui fertur; attendendus finis, ob quem fertur, considerandæ circumstantiæ aliæ, ob quas fertur: omnia vero hæc expendere, *rationis* est.

VII. Sed

VII. Sed hic quæritur §. 5. *An cujusvis hominis Ratio possit legis politicæ esse effectrix?* Resp. Cum *Thom. Aquin.* 1. 2. *quæst.* 90. & *Scholasticis* negando: & ratio duplex dari potest. 1. *A fine legis civilis:* hic non est alius, quam bonum commune, & salus totius Reip. Hinc sic argumentamur. Quibus finem legum procurare incumbit, iis & leges, ceu media finis obtinendi, ferre competit: sed finem legum, curam gerere boni communis & salutem Reip. procurare, est, non cujusvis privati, sed magistratus: alioquin discrimen tolleretur inter magistratum & subditos, ac mera existeret confusio. Ergo & leges, ceu media ad istum finem, præscribere ac ferre, non est privati cujusvis, sed Magistratus. Sicuti exercitus dispergitur, si quivis miles gregarius locum suum deserere cæterosque instruere velit: ita Resp. brevi tempore nihil etit nisi dispersa multitudo, si cuilibet civium leges figere liceat, & refigere. 2. *A proprio legum*, quod est vis coactiva: hæc enim si deest, & sua deest legibus authoritas: quis enim observet legem, si ad servandam legem obligatus non sit, aut ab obsequium cogi non possit? At vero, *obligare & ad observationem legis cogere, non est privati sed magistratus:* ergo & *leges obligantes condere, non est privati sed magistratus.*

VII. Quæritur §. 6. *Num ad legem humanam requiratur promulgatio?* Resp. Affirmando: nam qui secundum normam aliquam agere debet oportet prius ejus notitiam possideat: quomodo enim civis conformabit actus suos regulæ quam penitus ignorat? quomodo pœnas dabit violationis, si lex neque sit proposita; neque ipsi cognita? non sane voluntatem Principis transgreditur subditus, cui ea nunquam est manifestata: hic valet illa Maxima: *Ubi nulla legis*, puta humanæ, *cognitio est, ibi nulla est prævaricatio*, scilicet voluntaria & cum obligatione ad pœnas conjuncta.

VIII. Quæritur §. 7. *An lex, sc. humana ac civilis, etiam obliget Principem ipsum & non solum subditos?* Resp. Quin *Princeps obligetur lege divina & naturali*, nullum est dubium: *illa* Principem Deo, *hæc* rationi rectæ subjicit. Quod attinet *leges humanas*, eæ sunt vel *communes* vel *speciales. Communes eas* voco, quarum observatio non solis convenit subditis, sed cadere etiam potest in Principem, ut de affinitatis gradibus jure humano prohibitis, & similes. *Speciales* dico eas, quarum observatio cadit in subditos ut privati sunt, quales sunt leges, de nonnullis contractibus, de processibus, & id genus aliis. *Hisce legibus Principem solutum*, asserimus. Princeps enim quorsum servaret legem, quæ personam ejus non tangit sed tantum subditos, ut privati sunt? *Quæstio* igitur tota est de *legibus istis communibus humanis*, an Principem obligent? Hic vis duplex legis est discernenda: una *coactiva*, altera *directiva. Vis coactiva est*, cum rigore & metu pœnarum facienda imperantur, ita ut, nisi quis obtemperet legi, gravem pœnam & animadversionem incurrat: hoc modo, Princeps legibus dictis non obligatur, sed solutus est: quis enim à Principe pœnas exigat? cum nemo sit eo superior aut potestatem in eum acceperit. *Vis directiva est*, quando lex agenda præcipit & ad agendum obligat non per interminationem pœnarum, sed eo quod se juti naturæ & rectæ rationi congruere ostendat, adeoque ad observationem sui civiliter invitat, non serviliter cogit. *Hoc sensu Princeps legibus humanis civilibus solutus non est:* quin bono potius exemplo ipsi præeundum est suis subditis, qui tanto erunt obsequentiores legibus latis, quo viderint, Principes ipsos earum esse observantiores. Huc spectat illud Catonis: Feras legem, quam ipse tuteris.

IX. Quæritur §. 8. *An leges humanæ obligent conscientiam?* Resp. Ardua est hæc quæstio, & quæ non sine explicatione potest decidi. Per *conscientiam* intelligimus, *internum testimonium animi & sensum judicii de nostris vel bene vel male factis, quem perpetuo comitatur vel lætitia vel metus. Obligare conscientiam, est*, legem talem præscribere, cujus transgressio lædit ipsum internum cordis sensum, ut quis proprio judicio convincatur se peccasse & pœnas promeruisse. Hæc *obligatio conscientiæ* fit, vel *proprie* sub metu offensionis Dei, vel *improprie* sub metu offensionis hominum. *Oblig. proprie dicta*, est vel *generalis* vel *specialis. Generalem* voco, cum lex, non ratione sui & in specie, obligat

obligat conſcientiam, ſed mediante tantum generali præcepto, quod conſequenter violatur, ſi lex aliqua ſpecialis non obſervetur. Sic, qui particulari ſtatuto Principis non obſequitur, ille tranſgreditur legem generalem de honorandis Parentibus & obedientia Magiſtratui debita, & conſequenter arque in genere ſuam lædit conſcientiam. *Specialem* nuncupo, cum lex aliqua ratione ſui & immediate obligat conſcientiam, qualis eſt lex, de non aſſumendo nomine Dei in vanum, de ſabbato ſanctificando, &c. Porro *conſcientiæ obligatio* eſt, vel *abſolutè*, vel *hypothetica*. *Abſoluta* eſt, cum lex ſimpliciter conſcientiam obſtringit adeo ut ſine offenſione Dei nullo reſpectu nullove in caſu omitti queat. *Hypothetica* eſt, quando non ſimpliciter ſed cum conditione obligat, nempe, ſi detur ſcandalum, ſi violetur ordo & decorum. Denique *obligatio conſcientiæ* eſt vel *directa* vel *indirecta*. *Directa* eſt, cum legis prævaricatio in ipſum Deum fertur & cultui divino directe ac per ſe adverſatur. *Indirecta* eſt, cum legis tranſgreſſio per ſe & proxime Deum Deive cultum non attingit, ſed remote tantum, quatenus generali ordinationi Dei reſiſtitur, ejuſque miniſtri contemnuntur: veluti, directa eſt offenſio, cum ipſa Principis perſona afficitur contumelia: indirecta, cum Legati perſona, in qua Princeps læditur. Sed & *leges civiles* diſtinguendæ veniunt. Quædam ſunt *graviores*, de rebus arduis inſtitutæ, & ſpectantes, aut pacem publicam, aut conſervationem ſocietatis politicæ, aut defenſionem puræ religionis, &c. Quædam ſunt *leviores*, ut de purgamentis urbium, de modo emendi & vendendi, de non gerendis armis, de non agendis excubiis, &c. His præmiſſis, quæſtionem ſic decidimus. 1. *Leges politicæ, ſive ſint leviores, ſive graviores, ſpecialiter, abſolute, directe, & proprie non obligant conſcientiam*; quia ſecundum ſpeciem, & proxime atque immediate, nec à Deo ſunt, nec de rebus agunt divinis; nec Magiſtrarus, qui illas leges fert, ullam poteſtatem accepit in conſcientias, qua iis dominari & per leges ſuas poſſit eas obligare cum comminatione mortis æternæ, niſi obediant: hoc enim eſt, *directe atque abſolute obligare conſcientias*. 2. *Leges politicæ, præſertim vero graviores, generaliter, hypothetice, & indirecte conſcientiam ſemper obligant*: quia Magiſtratus, leges ferens, eſt Dei ordinario, miniſter, Legatus, cui propter Dominum & conſcientiam eſt obſequendum: deinde, quia leges politicæ, ſi juſtæ ſint (tales enim tantum accipimus) fundantur in lege morali ac naturæ, & ſunt rivuli ex iſtis fontibus deducti: denique, ab iis pax publica & ſocietas humana dependet: & hanc utramque qui turbat, ſcandalum præbet, legem Dei violat, adeoque conſcientiam lædit.

Diſputationum ex Philoſophiâ ſelectarum, QUADRAGESIMA-TERTIA.

DE ANIMÆ RATIONALIS IMMORTALITATE.

THESIS I.

DE *Anima Rationali* frequens in Scholis ac Libris Philoſophorum inſtituitur Diſputatio; interdum de ejus *Eſſentia*, alias de ejus *Origine*, aliquando de ejus *Potentiis*: nobis nunc placuit in ejus inquirere *immortalitatem*, & eam probatam dare ac demonſtratam *ratione naturali*. Qui hoc negotium pertractarunt Philoſophi, & multi admodum ſunt & multa congeſſere argumenta, ex *ſacris*, *metaphyſicis*, *moralibus*, atque *authoritatibus* inſuper *Gentilium*, tum *Græcorum*, tum *Arabum*, tum *Latinorum*. Videatur ex multis, *Marſilius Ficinus in libris ſuis de Animarum immortalitate*; *Hannibal Roſſelius in*

Aſclepium Mercurii Triſmegiſti lib. 6. Commento 1. *Iohannes Cottunius de triplici ſtatu animæ*, ex noſtris, *Alſtedius in Encyclopædia, Pneumatica parte* 4. *c.* 2. *Crocius Syntagm. l.* 2. *c.* 3. qui fuſiſſime hanc rem ſunt proſecuti: Imo *Fortunius Sicatus* volumen in folio conſcripſit, quo, ſolius *Ariſtotelis* authoritate & ratiocinio, *Animæ Rationalis Immortalitatem* demonſtrat: Nos Authores illos omnes, eorumque atque aliorum ratiocinia, in ſuo relinquentes petio, *Animæ Rationalis Immortalitatem*, ex *Phyſica* ejus *operatione*, demonſtrabimus, ſi prius ambiguitatem hujus vocis [*immortalis*] removerimus.

II. §. 1. *Immortale*, aliud eſt *à parte ante*, quod de novo non eſt productum, aliud eſt *à parte poſt*, quod, licet de novo inceperit eſſe, in perpetuum tamen durabit: priori modo *Deus* dicitur *immortalis*, & quidem *ſolus*, 1. *Tim.* 6. 16. ſecundo modo *Animæ* hic quæritur *Immortalitas*. §. 2. *Immortale* eſt, vel *ſimpliciter*, quod nullo prorſus modo deſinere poteſt, quicunque demum is eſt, & vocatur à quibuſdam *immortale per naturam*, quatenus ejus naturæ repugnat ullo modo deſinere, quo ſenſu *ſoli* iterum *Deo* immortalitas eſt tribuenda; vel *immortale* eſt *ſecundum quid*, quod certo modo deſinere nequit ex ſe, ſcil. vi naturæ ſuæ, ſed poteſt tamen deſinere, ſi à Deo annihiletur, ac vocatur *immortale per gratiam*: hoc ſenſu *Anima rationalis* eſt *immortalis*. §. 3. Interdum dicitur *immortale*, *per naturam*, quod intra naturam nullum habet corruptionis principium; *per gratiam*, quod licet habeat intra ſe corruptionis principium; ſpeciali tamen Dei actione à corruptione conſervatur: ſic, *anima rationalis*, *eſt immortalis per naturam*; animal, mortale per naturam, quia non tantum ab extrinſeco ſed & ab intrinſeco corrumpi poteſt: nempe, quia in eo eſt calor depaſcens humidum, ex temperie indita ac inſita corrumpitur, etiamſi Deus influxum ſuum non inhibeat, aut ab extrinſeco id corrumpat: quare ſi animal, v. c. equus conſervaretur in æternum, eſſet immortalis per gratiam. Status Controverſiæ noſtræ eſt: *An Anima humana ſit Immortalis, à parte poſt, & non per gratiam, ſed per naturam, ſenſu poſteriori ac §. 3. ſcil. ut in ſe non habeat principium mortalitatis, mortis, aut corruptionis? Affirmamus* & probamus à propriis ejus operationibus, & ſic procedimus.

III. Quicquid eſt ſpirituale & à materiæ contagio liberum, illud eſt immortale. Atqui Anima rationalis eſt ſpiritualis & à materiæ contagio libera. Ergo &c. Conſequentia clara eſt. Si enim anima eſt ſpiritualis, non educitur ex potentia materiæ, nec ab ea dependet, non modo in fieri, ſed nec in eſſe, quia proprium & peculiarem ſubſiſtendi modum ſortitur: ergo ſeparata à corpore conſervari poteſt: ergo non moritur extincto corpore, proindeque eſt immortalis: confirmatur conſequentia: ſi anima eſt ſpiritualis, eſt expers contrarietatis, quia contrariæ omnes qualitates ſunt materiales: ergo nihil eſt, à quo ab intrinſeco corrumpi poſſit vel interire: denique, ſi anima eſt ſpiritualis, eſt ejuſdem naturæ cum Angelis, proindeque omnino ſimplex & indiviſibilis in partes ſeparabiles, ſive eſſentiales, ſive integrales. At quod ita ſimplex eſt & indiviſibile, eſt immortale & incorruptibile. Ergo & anima erit talis. Angelus licet ſit compoſitus, ex potentia & actu, genere & differentia, non tamen ex partibus ſeparabilibus, ſive eſſentialibus, materia & forma, ſive integrantibus; ſic nec anima: porro; corruptio & mors fit per diſſolutionem unius ab alio; v. c. corruptio ligni per diſſolutionem ac ſeparationem formæ ligni ab ejus materia, & mors equi per avulſionem formæ equi ab ejuſdem corpore; ergo ſupponit compoſitionem ex multis partibus ſeparabilibus. Quod igitur talibus partibus caret, id immortale eſt. At quod ſpirituale eſt, talibus partibus caret. Ergo, quod ſpirituale eſt, eſt immortale. Hæc fuit *Major*, ac jam probata. *Minor fuit*: *Atqui anima humana eſt ſpiritualis*. Ergo & immortalis.

IV. Reſtat, ut nunc hanc *Minorem* probemus, quod Anima humana ſit ſpiritualis. Id vero non melius probatur, quam ex ejus operationibus, quæ à poſteriori indicant, quale ſit principium à quo proficiſcuntur: quia, ſi hæ ſint independentes à corpore & ſpirituales, etiam ſine dubio, & anima fuerit (à qua oriun-

oriuntur) independens à corpore & ſpiritualis: ſi contra hæ ſint materiales & à corpore dependentes, & anima talis fuerit. Atque hoc fundamentum ſternitur ab ipſo *Ariſtotele lib. 1. de Anima, text. 13. Si eſt*, inquit, *aliqua animæ operatio propria, continget utique ipſam ſeparari: ſi vero nulla eſt propria ipſius, non utique erit ſeparabilis.* Hoc ergo eſt πρωτόθρον· *An anima rationalis nullam habeat propriam ſibi actionem & à corpore independentem? Nos affirmamus: Adverſarii negant*, & negationis ſuæ probationem inſtituunt ex alio loco *Ariſt. l. 3. de Anima, text. 39.* ubi dicit & docet, *neceſſario intelligentem ſpeculari phantaſmata.* Unde ſic argumentantur. Si ulla ſit actio propria animæ & independens à corpore, erit intellectio: Sed illa non eſt. Ergo &c. Probant Minorem: Si intellectio non fit ſine phantaſia aut phantaſmate; ergo vera eſt minor, quia phantaſia eſt facultas corporea, & exercetur corporis adminiculo, ſicut ipſum phantaſma eſt corporeum. Sed verum eſt prius. Ergo & poſterius.

V. Hujus argumenti ſolutio ſic ſatis exercuit Doctorum ingenia. *Cajetanus*, conceſſa majori, negat minorem, & inquit: *Anima rationalis nullam habet actionem ſibi propriam & à corpore independentem, dum eſt in corpore*, verum eſt; *extra corpus*, falſum eſt: *& ſic à corpore poteſt ſeparari.* Sed hæc diſtinctio, objectionem non ſolvit, ſed eludit, nec ad mentem eſt *Ariſtotelis*, qui vult inveſtigare, *An anima ſit ſeparabilis à corpore & immortalis?* atque utitur ejus *operatione* tanquam *medio* à poſteriori, quia formæ ex ſuis actionibus dijudicantur. At, quæſo, an animæ operatio poteſt eſſe aptum medium ad demonſtrandam ejus ſeparabilitatem, ſcil. ea, quam exercet à corpore ſeparata? egregius ſane demonſtrandi modus! probabit *Cajetanus*, animam eſſe ſeparabilem à corpore, quia ſeparata à corpore operatur ſine corpore: ſupponet ſeparatam, ut probet ſeparabilem: quia potius ea actione, quam anima exercet in corpore, tanquam medio à poſteriori & nobis notiori, ad animæ conditionem indagandam, uti debuiſſet. Sed, *quomodo talis actio elicita in corpore ſit animæ propria & à corpore independens*, hoc opus, hic labor eſt.

VI. Alii aliter ergo hunc nodum ſolvunt, & ajunt, *actionem* aliquam, puta *intellectionem*, aliunde, puta *à corpore*, *dependere* vel tanquam *à ſubjecto & efficiente*, uti viſio pendet ab oculo, vel tanquam *ab objecto & occaſione*, uti eadem viſio dependet à pariete viſo. Addunt, *animæ propriam* dici *actionem* illam, quæ à ſola anima *efficienter* fit, & in ea ſola tanquam *in ſubjecto* recipitur, uti eſt intellectio, licet tamen ex accidenti, & ratione ſtatus ſeu unionis cum corpore, non poſſit illa inſtitui niſi ad præſentiam alicujus materialis & *occaſione phantaſmatis* tanquam *objecti*: atque ita *intellectio* eſt *propria animæ*, quia ab ea ſola, & non à corpore, *efficienter* elicitur, & in ea ſola *ſubjective* recipitur, non autem in aliquo organo corporeo, licet *objective* dependeat *à phantaſmate* tanquam objecto. Et talem actionem, puta *intellectionem*, *eſſe actionem animæ propriam*, inde liquet: 1. Quia talis operatio eſt communis animæ & corpori, quæ à corpore dependet quoque tanquam à ſubjecto: quemadmodum viſio dependet ab oculo: at intellectio non dependet ſic ab ullo organo corporis ſubjective. E. 2. Illa eſt operatio communis animæ & corpori, quæ fit cum corpore; illa fit cum corpore, per quam corpus patitur: per illam corpus patitur, quam in ſe recipit: Ergo illa eſt tantum communis corpori & animæ actio, quæ pendet etiam à corpore ſubjective: hinc, quæ non dependet à corpore ſubjective, ea non eſt corpori communis, ſed animæ propria. Atqui intellectio non dependet à corpore ſubjective, quia ab ea corpus non patitur, &c. Ergo &c.

VII. Ad objectionis poſitæ th. 4. *Minorem* Reſp. negando, Majore conceſſa: ad *Minoris probationem* dicimus, ſi intellectio ſit à Phantaſia & phantaſmate abſolute, i. e. opus phantaſiæ tanquam cauſæ efficientis, aut in ea tanquam in ſubjecto, intellectio non erit animæ propria nec independens à corpore, quia phantaſia eſt facultas materialis. At vero (*quæ eſt ſolutio minoris in probatione*) *intelligere non eſt* actio *à phantaſia* elicita *efficienter*, *nec* dependet *ab ea ut à ſubjecto*, ſed efficitur à ſolo intellectu & in eo ſolo recipitur ut in ſubjecto, licet, propter unionem cum corpore,

anima non operetur per intellectum, quin prius operata fuerit per phantasiam, ita ut ex operatione per phantasiam, & ad phantasmatum præsentiam, excitetur ad operandum per intellectum: quæ mens est *Aristot.* dicentis, *oportet intelligentem speculari phantasmata.* Quare Minorem istam (*Intellectio non fit sine phantasia*) paucioribus verbis velim distingui, *initiative & conditionaliter*, concedo: *effective & subjective*, nego: vel sic, intellectio non fit, nisi prius phantasia operata sit, ejusque operatio, sc. phantasma, est conditio, ad cujus præsentiam fit intellectio, *circa res sensibiles externas, & singulares*, concedo: *circa alias*, nego: nam anima sine conversione ad phantasma seipsam, aliave sibi conjuncta, intelligere potest. Sed hoc ut intelligatur, ulterius progredimur.

VIII. Dicemus ergo, *non tantum intellectionem omnem animæ ita propriam esse in hac vita, ut non tantum à phantasia nunquam pendeat tanquam ab efficiente vel subjecto, sed insuper quædam ne dependeat quidem à phantasia seu phantasmate tanquam ab objecto aut occasione:* talis est *intellectio Dei, & Angelorum, & sui*, quæ fit ab anima: & pone, animam accepisse per infusionem, aliarum rerum quoque species, & aliunde fieri objectorum propositionem, quam per phantasiam, an non poterit fieri intellectio? Ad prius excipiunt *Adversarii: intellectum non percipere res spirituales, Deum, Angelos, seipsum, nisi ex analogia rerum corporearum & secundum objecta materialia, quæ in phantasia formantur, ergo non sequitur animam intelligentem, quia intelligit res spirituales, esse spiritualem.* Respond. sequela est optima: & ratio est, quia cum cognitio nihil sit aliud quam rerum imago in animo cognoscente expressa atque percepta, fieri nequit, ut animus noster aliquid cognoscat spirituale, immateriale, incorruptibile, nisi ipse sit spiritualis, immaterialis, incorruptibilis: potentia debet habere sibi subjectum proportionatum: ideoque, si intellectus foret potentia atque materialis, animus noster, ne intelligeret quidem immaterialia, & spiritualia: quod dicitur, *animum intelligere res spirituales, ex analogia materialium, & secundum objecta ac phantasmata corporea*; illud aut gratis dicitur & non ita fit, quod quis deprehendet, si in animi sui res spirituales intelligentis conditionem penitius intueatur, aut si fit, hinc est, quod magno cum errore de rebus spiritualibus fere corporeos formet mens humana conceptus. Quicquid sit: speculum, in quo relucet rei imago, oportet, cum ea re proportionem habeat, alioquin in ea exprimi non potest, sed intellectus noster, & animus cognoscens, instar speculi est, in quo imagines rerum etiam spiritualium imprimuntur. Ergo &c. Qui fit, ut in speculo corporeo rerum tantum corporearum imagines resplendeant, non autem spiritualium? neque enim imago animi nostri, speculo tali potest recipi, ut quidem recipitur corporis & faciei nostræ: ratio nulla est alia, quam quia non est proportio inter speculum corporale & animum spiritualem. Unde fit, ut oculus tantum corpora percipiat non spiritus? quia corporeus est & non spiritualis. Cum ergo animus humanus substantias spirituales & immortales intelligat ac contempletur, recte eum quoque esse spiritualem & immortalem, concludimus.

IX. Sed & ulterius demonstremus, *intellectum animi, dum adhuc corpori alligatur, in intelligendo ne dependere quidem à phantasmate tanquam ab objecto.* Quid enim? an non potest abstractis jam & habitis speciebus intelligibilibus, iisque apud se conservatis, sine ullo phantasmatum interventu ullave conversione ad ea, elicere aliquam intellectionem, puta simplicem rerum, quas apud se obtinet, contemplationem, independentem à corpore, non solum, ut à subjecto, sed & ut ab objecto? Sane non video quid obstet: cum nec intellectus sit impeditus; & cum objectum sit præsens; sc. species intelligibiles jam diu abstractæ & in intellectu existentes, in quibus objectum relucet. Præter hæc omnia, cum quispiam naturam universalem, *genus aut speciem*, intelligit: cum de uno aliquo universali aliud prædicat, ut *homo est animal:* cum contemplatur, *ens dicaturne univoce an analogice de substantia & accidente:* quodnam phantasma eo pertingit? quodnam est

phan-

phantasiæ hic ministerium? *cum phantasmata sint singularium, hæc sint universalia.* Denique, cum animus noster intelligit seipsum, qua phantasmatum ope eget? quippe intelligens species immateriales in se existentes, intelliget sui ipsius naturam immaterialem; adeoque, cum sibi intime præsens sit, nullis eget ad sui intellectionem phantasmatibus. Atque hæc sola sui cognitio, nuda, clara & intuitiva, absque ullo phantasmatum adjumento facta, est sufficiens argumentum, ad probandum, quod animæ rationali conveniat operatio propria & independens omni modo à corpore: unde & infero, spiritualem ei convenire essentiam, & consequenter esse immortalem, nam modus operandi sequitur modum essendi. Atque hoc argumentum præ omnibus aliis maxime urget in sua demonstratione *de animæ immortalitate doctissimus Sirmondus*, qui hoc egregie extendit, & ab exceptionibus Adversariorum solide vindicavit.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, QUADRAGESIMA-QUARTA.

DE

INGENIO.

THESIS I.

SI quid pulchrum, si quid amabile, si quid magnificum, in rerum natura suscipiunt mortales, præclarum est & excellens *Ingenium:* quod tamen, quid sit, etiam ingeniosissimi, qui eo sunt præditi, vix explicare, sunt vel aggressi vel ausi. *Alexander Aphrodisiensis*, Peripateticorum Princeps, per *ingenium* intellexit *Deum*, quem *intellectum* vocavit *agentem*, & immediate in nostro corpore operari voluit. A quo non abludit *Ovidius*, cum canit: *Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Averroës Intelligentiam* sive *Angelum* singulis hominibus assistere ad intellectionem promendam, ut nautam ad navim gubernandam, sensit. *Plato* existimavit, animam à Deo rerum omnium cognitione imbutam corpori alligari, quæ postmodum ejus deturpata commercio, obliviscatur omnium, ac per ætatis gradus denuo reminiscatur. *Astrologi* vim insitam cælestium corporum homini tribuere robur ad cogitandum statuerunt. Ex quibus omnibus palam fit, *Ingenium* supra naturæ fastigium ab illis *Philosophis* fuisse habitum & tanquam divinitatis particeps: Quare dignissimam judicavimus *Ingenii* contemplationem & in ejus naturam inquisitionem, licet illa in obscuro sit posita & multis difficultatibus perplexa: sed difficilia, quæ pulchra: & difficultatem hic compensat utilitas: quid enim est utilius, quam naturam ejus, quo omnia cognoscimus, bene cognitam habere? Sed ad rem ipsam.

II. *Ingenium* dicitur, quasi *ingenitum*, Græce τὸ ἔμφυτον, quod venit à φύομαι, *nascor:* unde τὸ πεφυκὸς, quod *aptum natum* vocat *Cicero* & *naturæ insitum*, quale est *Ingenium*, quod est *Ingenitum*, ideoque sic quoque appellatum, transsumta quasi denominatione ex *Genio*, qui à Veteribus *Deus* habebatur, custodiæ hominum adstans, & cum iis genitus, imo & parens illorum ac genitor: unde & *Generales Dii* profluxere, qui, quod cura illis rerum gerendarum commissa putaretur, postea & *Geruli* sunt appellati: duplex vero singulis *Genius* apud illos fuit, fuit bonus ac malus, à quorum altero impelli ad virtutes hominem, ab altero ad scelera inflecti, existimabant. Ex his igitur translato nomine vocatum est *Ingenium*, vis illa, in hominibus insita, intelligendi, agendi, seipsum & alios regendi, virtutes vel vitia perpetrandi, quibus in rebus sæpe alter alteri multum præstat. Hæc de *voce*.

III. Quid sit *Ingenium* & in quo sit situm, tam est obscurum, quam clarum est, illud esse: &, quia pauci admodum *Philosophi* ingenium, in ingenio explicando, exercuere, tanto id explicatu est difficilius. *Arist. Ethic. Nicom. l. 3. c. 5.* ait illud esse *vim eligendi ac discernendi recte, quod vere bonum est*; alibi videtur vocare solertiam, *l. 1. Post. Anal. c. ult.* inquiens, *eam esse virtutem inveniendi medium in tempore non perspecto. Cicero lib. 5. de Finibus, docilitatem & memoriam uno ingenii nomine* ait *contineri. Iulius Scaliger. de Subtil. Exercit. 1.* ingenium statuit esse *vim intellectus, qua difficilia cognitu facile comprehenduntur. Possevinus in Bibliotheca sua selecta lib. de Cultura Ingeniorum c. 10.* describit illud esse *Indolem, qua facile aut difficulter res aut artes addiscuntur.* In eo itaque videntur omnes convenire, *ut Ingenium consistat, in cognoscendi celeritate, promtitudine, ac facilitate.* Verum quot & quæ ad hanc facilitatem occurrant, equidem difficillimum est explicatu: non enim satis constat, *an hæc facilitas soli attribui debeat intellectui, an vero alteri etiam cognoscenti facultati, ut phantasiæ? an dependeat ejus vigor ab organo, an à solo intellectu?* &c. Ideoque explicandum videtur primo, *quomodo fiat intellectio?* ac tum secundo, *quomodo fiat facilis intellectio*, in qua *Ingenium* collocatur?

IV. Ut *modus intellectionis* teneatur, *sensionis* modum prius explicatum dabimus: nam uti recte docet *Arist. l. 3. de Anima text. 30. Sicut sensus se habet ad sensile, ita intellectus ad intelligibile.* Atqui sensus se habet ad sensile, ut potentia passiva patitur ab objecto: visio, v. c. non fit nisi color agat in visum, qui propterea dicitur à colore alterari, alteratione perfectiva non corruptiva, dum speciem coloris ad se transmissam recipit: eodem modo fit intellectio; nam & intellectus patitur ab objecto, & alteratur, alteratione perfectiva, dum speciem objecti in se recipit quoque: differt tamen à sensu, quod sensus determinatum quoddam entis genus sentiat, vulgo sensibile vocant ac singulare & materiale, at intellectus & sensibilia & insensibilia percipit, & universalia & immaterialia: deinde sensus in sentiendo dependet à corpore tanquam ab organo, & absque ejus adminiculo nunquam sentit, ita visus organo eget in videndo, oculi puta temperie: at intellectus in intelligendo, nec à corpore nec ab organo ullo ejusve temperie dependet: si enim intellectus in & cum organo intelligat, erit qualis, id est, cum aliqua corporis qualitate seu temperatura commixtus, quæ esset ei ratio & conditio recipiendi species intelligibiles, sicut temperies aquea oculi est ratio recipiendi species oculorum in visu, qui in & cum oculo operatur: at vero sic intellectus esset commixtus corpori; nec omnia intelligeret: & *Aristot.* merito *1. de Anim. text. 92.* ait, *ne fingere nos quidem posse, quam partem corporis occupet intellectus.*

V. Ut porro *intellectionis facilitatem* explicemus, iterum ad *sensionem* recurremus: hæc recta est & facile perficitur, cum & objectum in debita se habet ad sensum distantia, & medium est bene dispositum; & organon est bene temperatum: eodem modo si & intellectus medio uteretur & organo, intellectionis facilitas ex utriusque habilitate desumi deberet; nunc cum careat utroque, sola remanet intelligendi facultas & objectum, ex quibus intelligendi facilitatem possumus arguere: quando sc. ea maxime sibi invicem sunt proportionata, facillima etiam emergit intelligendi actio seu cognitio: ex parte quidem objecti, ingens ad intellectionem accedit facilitas si illud ita fuerit affectum ac dispositum, ut ex ejus obtutu statim possit intellectus cognoscere ejus essentiam: in illa tamen objecti aptitudine, ut quam facillime cognoscatur, non est proprie situm *Ingenium*, sed in aliqua insuper eminentiori etiam intellectus virtute, quod ex th. 3. ubi Ingenium collocatum fuit in intelligendi facilitate, sic probari potest.

VI. Si ingenium sit vis facile comprehendendi ac discurrendi, oportet eam vim ab anima ipsa promanare, quia vis seu virtus & potentia idem sunt: at potentia animæ ab ipsa anima promanat: si igitur ingenium sit talis animæ intellectivæ potentia, etiam ab illa emanabit, ut effectus à causa: ergo optimum ingenium à perfectissima anima intellectiva. Ergo ingenii, ac præstantis, causa non est sola objecti intelligibilis aptitudo, sed ipsius

animæ

animæ atque intellectus eminentia & præstantia. Si dicas: *ergo inter animas rationales ejusdem speciei una erit perfectior altera essentialiter, habebitque in uno individuo perfectiorem intellectum quam in altero, quia ingenium non est in omnibus idem, sed in uno præstantius, in altero minus.* Resp. Nihil hic est absurdi; & hæc sententia est præstantissimorum inter *Scholasticos, Magistri Sent. in 2. l. distinct.* 17. & *Thomæ Aquinatis*, 1. *part. quæst.* 85. *art.* 7. *Sum. Theol.* quos sequitur ex recentioribus *Ruvius l. 2. de Anim. c. 3. quæst. 3. & nos* cum ipso.

VII. Ex iis, quæ sunt dicta, patet, *Ingenium* in hominibus *nasci*, non acquiri: est enim *ingenium*, & excellentia intellectus ab ipso Deo, authore naturæ, ipsi animæ à prima creatione indita & concreata: ideoque differt ab *intellectu in habitu*, ut vocant, qui consistit in habilitate quadam frequentatis intelligendi actibus comparata, quam intellectus antea non habebat: intellectus enim frequenter intelligendo contrahit sibi habitum atque aptitudinem intelligendi, qua deinceps multo citius ac promtius circa rerum notitiam ac contemplationem versatur: sed hæc acquisita intelligendi celeritas differt ab innata, in qua ingenium consistit.

VIII. Sed hic quæritur, *An ingenium sit solus intellectus, an non etiam sit phantasia?* Resp. Quamvis intellectus ejusque connata in intelligendo celeritas, quæ *ingenium* dicitur, in quibusdam intellectionibus, rerum puta universalium, & immaterialium, Dei, Angelorum, ac sui, nullo modo à corpore dependeat, nec tanquam à subjecto nec tanquam ab objecto, ut superiore *disp. de Animæ immortalitate* est demonstratum, quia tamen in cognitiones singularium ac materialium speculatur phantasmata, & sic aliquo modo dependet à phantasia & à cerebri ac spirituum animalium imo & sensuum exteriorum recta dispositione, dici potest, hactenus *Ingenium* etiam pertinere ad Phantasiam, quatenus in iis rebus intelligendis, quorum phantasmatibus prius eget, multum celeritatis atque agilitatis confert recta organorum dispositio: nisi illa celeritas intellectui allata & illata ex bonitate phantasmatum, phantasiæ, & sensuum exteriorum, magis facere ad intellectum in habitu quam ad ingenium dicatur.

IX. Utut sit, sedulo cavendum est à sententia *Galeni, ne ita Ingenium Phantasiæ alligetur, ut à temperamento fluere & constitui dicatur:* sic enim & intellectus & anima ipsa rationalis à temperie pendebit: quod quomodo non consistat cum ejus immortalitate, *disp. præced.* est probatum. *Galleni* sententiam tenet *Iohannes Huartus Hispanus*, Vir subtilis, in *Scrutinio ingeniorum*, qui *omnem ingeniorum naturam ex organi temperie* vult *pendere, cap.* 2. imo *proprio intellectum organo potiri posse ad operandum, salva tamen ejus immortalitate*, demonstrare conatur, *cap.* 10. sed vero intellectum nulli organo adstringi posse, salva immortalitate, satis evictum est *disp. superiori.* Hoc impræsentiarum addimus: quod omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti: non debet intellectus esse immersus & immixtus materiæ, nec alligatus organo corporeo: quia sic corporea & materialia non intelligeret. Excipit *Huartes*, negando consequentiam: *quia idem sequeretur de parte animæ sensitiva, quod organica cum sit & annexa qualitatibus materialibus non posset objecta percipere materialia:* at, inquit, *falsum est id in tactu, cujus licet organum conflatum sit ex quatuor qualitatibus, calore, frigore, humiditate, siccitate, optime tamen singulas percipere valet:* idem ostendit *in oculo, qui licet coloratis sit præditus particulis, colores tamen omnes indistincte cognoscit: ergo pariter intellectus; licet sit alligatus organo, nec denudatus à materia, per hoc tamen non recte infertur, quin materialia possit intelligere.* Resp. ad *except.* 1. de tactu: quod in qualitatibus primis duo sint consideranda, ipsarum puta mediocritas & exuperantiæ: tactus organum consistit tantum in quadam ipsarum mediocritate, quam propterea nequit sentire, quia sic recipiens permixtum esset cum natura recepti: earum igitur exuperantiæ duntaxat à tactu percipiuntur, ut quibus organon ejus est denudatum, quippe quod sola illarum mediocritate perficitur; quæ est ipsa *Arist.* solutio, 2. *de Anim. tex.* 118. Ex tactus igitur actione manet in suo robore assumtum illud ex *Aristotele: Omne recipiens, debet*

debet esse nudatum à natura recepti. Sed nec infringitur *exceptione* 2. qua dicitur, *oculum, qui coloratus est, nihilominus recipere & percipere colores.* Resp. Oculum à prædominio esse aqueum & diaphanum, & ejus coloratio ab aqueo & diaphano tam est debilis ac tenuis, ut negare quis possit, esse colorationem, & oculum coloratum; quemadmodum multa dicuntur insipida, quorum sapor fere imperceptibilis est, non quod omni plane destituantur sapore: sic ipse *Arist. l. 2. de Anim. t.* 71. inquit, *illud vocari invisibile, quod videri vix potest.* Oculi itaque partes sunt tam debiliter coloratæ, ut externorum colorum perceptio & receptio, ab ipsarum colore removeri nequeat, aut impediri.

X. Sed videamus, quomodo *Huartes* probet *c.* 10. *intellectum gaudere posse organo, ut corruptioni tamen & mortalitati non sit obnoxius.* Summa quidem probationis vis in hoc argumento consistit. *Sicut Dæmones quibusdam se subjiciunt qualitatibus materialibus, per quas in corporibus degunt & agunt, nec tamen ipsarum temperamento destructo corrumpitur substantia Dæmonum; ita etiam anima rationalis, licet adstricta temperamento & organo, quia, instar Dæmonis, spiritualis est & incorporea, minime, abolito hujusmodi organo, corrumpetur.* Resp. Hoc de Dæmonibus assumtum simile, duplici de nomine indignum est hominis Philosophi acumine. 1. Quis ignorat, Dæmonem, cum propter infanda hominum scelera, & arcana, sed justa Dei judicia, permittitur ipsorum corpora obsidere, prævias nullas requirere dispositiones, quia est forma assistens & supernaturalis, diverso modo sese habens ab anima rationali, quæ est forma informans & naturalis: quare à forma assistente, ad informantem, nulla est sequela. 2. Dato, quod Dæmon, qui est forma assistens, obsessurus hominem, talem apparatum materiæ requirat, qualem exigit anima, quæ est informans; cuique tamen vel leviter erudito patet, quod aliud sit, existentiam formæ, aliud, operationem considerare: pro illa requiritur in materia apparatus necessarius, pro hac organum: Dæmon & anima, etiamsi indigeant illo, non tamen hoc; quia ille refertur ad totum corpus in quo existunt, hoc unam tantum notat corporis partem qua operentur; sed hoc organo, hac parte corporis, ad operandum non eget Dæmon: quia ne anima quidem, quod ex *Disp. priore* notum est, quia sic nulla ratione, vel Dæmonis, vel animæ mortalitas vitaretur. Citavimus *Disp. præced.* dictum *Aristotelis l.* 1. *de An. t.* 13. *Si contingit animam operari sine corpore, est separabilis: si non contingit, est inseparabilis:* & ratio est: quia dum anima utitur corpore seu organo, destructo organo cessat ipsius animæ operatio: ergo vel ipsa etiam desttuitur, vel manet otiosa: neutrum retum natura admittit. Ergo. Sed hæc ad argumentum *Huartis* suffecerint.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

QUADRAGESIMA-QUINTA.

DE

COGNITIONE.

THESIS I.

ACtum fuit *disp. præced.* de *Ingenio*, quod constitutum fuit in facilitate cognoscendi, nunc de ipsius *cognitionis ratione, modo, ordine, certitudine, incertitudine, evidentia & perfectione*, quædam proponere fuit visum, methodo arbitraria & tumultuaria: nulli enim ordini in hoc selectarum disputationum curriculo nos adstrinximus: ideoque nunc per θέσεις & ἀνθέσεις procedemus, cum alias per quæstiones fere incedamus.

II. §. 1. O-

II. §. 1. *Omnis cognitio fit per similitudinem.* ἐνθ. Id est: nulla potentia cognoscens aliquod objectum cognoscit, quin aliquam similitudinem de illo in seipsa formet: est enim cognitio nihil aliud, quam repræsentamen rei cognitæ in potentia cognoscente, seu assimilatio potentiæ cognoscentis & objecti cogniti: quæ tamen assimilatio non est naturæ (nam intellectus immaterialis cognoscit res materiales, quoad naturam sibi dissimiles) sed intentionis secundum speciem: *Scholastici* suis terminis ajunt intelligi, similitudinem objectivam & intentionalem, non entitativam aut physicam. Nonnulli distinguunt inter cognitionem positivam & negativam: illam volunt solam fieri per assimilationem, hanc per dissimilationem: Alii similitudinem faciunt, unam essentialem formæ ad formam, quo pacto homo unus convenit cum alio qui habet formam similem, & talis similitudo facit univocationem: aliam imitationis vel repræsentationis, quæ non causat univocationem, & talis sufficit ad cognitionem: quemadmodum inter imaginem pictam & hominem est similitudo imitationis aut repræsentationis, nec tamen sunt univoca: & ita Deus creaturam, intellectus humanus materialia cognoscit: licet isti cum hisce non conveniant univoce. Denique & illud hic noto; cognitionem non tam fieri per similitudinem, quam esse ipsam actualem *similitudinem* rei, quæ cognoscitur: quo sensu optime 3. de Anim. tex. 37. dixit *Aristoteles*; *intellectum intelligendo fieri omnia.*

III. *Intelligere est quoddam pati.* ἐνθ. *Hæc* thesis desumta est ex *Aristotele, l. 3. de Anima, text.* 12. & 1. illud *pati* debet capi non proprie sed æquivoce: non enim intelligere est motus physicus (qui est actus imperfecti) sed intentionalis: patitur ergo intellectus, dum species recipit: unde 2. patet, thesin non esse intelligendam de quolibet intellectu, sed de eo, qui est in potentia ad intellectionem, & speciem recipit, quæ objecti est similitudo: hinc, Dei intelligere, non est pati, cum intellectus divinus non sit in potentia ad intellectionem, & non intelligat per speciem. Licet vero intellectus non solum patiatur sed etiam agat, ipsum tamen intelligere, magis sonat causalitatem passivam quam activam, & magis vel materialem vel formalem quam effectivam. Nam intellectus denominatur intelligens, non quatenus elicit, sed quatenus recipit intellectionem, sicut paries non dicitur albere, nec aqua calere, qua efficiunt, sed qua recipiunt, seu quatenus habent alborem & calorem: & ob eam causam *Philosophus τὸ intelligere* magis per pati quam per agere descripsit. Videantur *interpretes* ad textum *Arist.*

IV. *Contingit multa scire, non tamen cogitare.* ἐνθ. Dictum est *Aristot. l. 2. Topic. c.* 10. *l.* 32. quod varias subiit explicationes. *Hurtadus de Mendoza disputat. 5. de Anima, sect. 7. §. 55.* sic exponit: ut *scire* ipsi habitum significet & *cogitare* actum: itaque comparat *Aristoteles* actus habitibus: non tamen negat plures actus simul, neque unum actum de pluribus objectis, sed ait in nobis existere plures habitus simul & de pluribus objectis, quam actus. Sic *ille Ruvius* dicit testimonium *Aristotelis* esse intelligendum de pluribus ut plura sunt, hoc est, ut diversa & nullo modo convenientia. Ex utroque juncto hæc interpretatio posset conflari: ut *scire* referatur ad habitualem cognitionem, *cogitare* ad actualem, &, illud sit plurium, quia intellectus habitualiter cognoscit plura: hoc non sit plurium ut plura sunt, quia, si quando contingit plura simul cogitari, cognoscuntur ut in aliquam unitatem coëunt, vel ratione habitudinis, vel ratione ordinis, vel ratione convenientiæ, vel alio aliquo modo, qui unitatem secum conferat: ut vero cognoscuntur, uti plura, deberent uno actu attingi prout plura. Alii simpliciter dicunt, non contingit plura simul cogitare diversis actibus, *verum est*, quia simul esse non possunt plures actus: at uno actu plura cogitari possunt objecta. Sed simplicissima videtur expositio, si dicamus *Aristot.* hoc tantum velle probatum, quod *scire* & *cogitare* non sit idem, quia contingit multa scire, nec tamen multa cogitare: nam potest quis scire omnes conclusiones *Euclidis*, nec tamen omnes cogitare simul: non tamen negat *Aristoteles*, quin aliquando plura cogitare possumus, præsertim si in unum coëant. Atque sic inter *scire* & *cogitare* idem

erit discrimen, quod inter *imaginari* & *simpliciter intelligere*, est nonnullis. Simplicitet intelligo & scio, chiliogonum mille lateribus constare, sed non possum mihi imaginari & ut præsentia cogitare ista mille latera, sicut possum triangulum & scire & intelligere quod tribus constet lineis, & imaginari omnes tres lineas & ut præsentes cogitare. Aut *scire* idem fuerit *Aristoteli*, quod *Scholasticis* est *apprehendere*, & *cogitare*, quod *comprehendere* est illis: contingit enim pluta apprehendere, sed non eadem semper comprehendere.

V. *Qui rem intelligit aliter, quam est, eam non intelligit: &, Qui rem intelligit aliter, quam est, intelligit falsum.* ἀνθ. Utraque thesis sano sensu vera est: prior, si τὸ *intelligit* sumatur de apprehensione simplici: posterior, si de complexa: nempe, qui rem aliter intelligit, quam est, eam non intelligit, quia, dum aliter intelligit, aliter repræsentatur; dum aliter ea repræsentatur, non ipsa intelligitur, sed aliquid aliud intelligitur: nam id intelligitur, quod intellectui repræsentatur: porro, qui rem intelligit aliter, quam est, falsum intelligit; quando rei intellectæ attribuit quod in ea non reperitur. Hoc est, quod vulgo dici solet: *primæ mentis operationi nunquam subesse falsum, sed quidem secundæ.*

VI. *Cognitio intellectiva certior est quam sensitiva.* ἀνθ. 1. Non ram respectu porentiæ (quia ita certo adhæret sensus suo objecto sensibili proprio, quam intellectus intelligibili) quam quidem ex parte objectorum: objectum enim sensus est multipliciter variabile, at vero objectum intellectus est magis invariabile, quia universalia intelligit & spiritualia, sensus cognoscit tantum singularia & materialia: quin & respectu substantiæ singularis, sensibilis, ac materialis, cognitio intellectus est certior quam cognitio sensus, quia hic solum extrinseca & accidentia attingit, ille vero intrinseca & intimam rei essentiam penetrat. 2. Si ipsæ etiam potentiæ, qua tales, spectentur, non in ordine ad objecta, adhuc intellectiva est simpliciter certior sensitiva: quia hæc in cognoscendo multis de causis impediri potest à certitudine, ne eam obtineat, nempe, vel à medii distantia, vel ab ejus propinquitate nimia, vel ab organi indispositione, &c. intellectus vero, licet decipi possit, non tamen tot de causis, nec tot deceptionibus subjacet: ne nunc dicam, nos per intellectum *scire*, id est, cognoscere ἀποδεικτικῶς, cognitione certa, infallibili, evidente, non item per sensum; de quo vide egregium *c.* 31. *l.* 1. *Post. Anal. Arist.* Atque hinc sequitur, certiorem esse in nobis notitiam necessariorum quam contingentium: cum enim certiora sint necessaria quam contingenria, cognitio, quæ est necessariorum, erit etiam certior, quam quæ est contingentium, quia cognitio proportionatur objecto; & certitudo *Mentis* seu *subjectiva* dependet à certitudine *entis* seu *objectiva.*

VII. *Certius cognoscitur, de quo non potest dubitari, quam illud de quo potest dubitari.* ἀνθ. Certitudo & dubieras privative opponuntur & se mutuo excludunt: sicuti ergo, quando omnis dubietas excluditur, cognitio est maxime certa: ita, quo magis excluditur, magis est certa, quo minus, minus: sicuti enim unum oppositorum magis tale fit, quo minus de opposito suo participat, ita & certitudo cognitionis est major, quo minus permiscetur dubietati, & illa maxima, quæ omnis dubietaris est expers. *Scholastici* hoc sic extulerunt. Certior est cognitio, quæ minus formidinis habet: quia formido repugnat cum certitudine: at dubitatio conjuncta est, cum formidine partis oppositæ: qui enim dubium assensum præbet conclusioni, formidat, ne pars opposita sit veta.

VIII. *Dubitare est ignorantis.* ἀνθ. Ideo enim dubitamus, quia nescimus rei certitudinem, & ignoramus, an ei subsit falsitas: hinc, quia in Deum non cadit ignorantia, nec dubitatio: &, ubi non est ignorantia, nec dubitatio esse potest: nihil minus dubitatio participar ignorantiam, non absolutam & secundum omnem gradum, sed secundum aliquem minimum assensus aut firmitatis in assensu gradum: nam dubitatio supponit aliquam cognitionem de illa re, de qua dubitatur; non enim dubitamus de eo, quod plane nescimus; hinc significanter dicimus, dubitationem participare ignorantiam aliquam, quia non omnem cognitionem excludit: hinc illud tritum:

critum: *De quo nihil ſcitur nihil dubitatur.* Vid. *Ariſt. l. 3. Met. text & interpretes.*

IX. *Ad id, quod eſt ſupra naturam, intellectus humanus non habet aliquod medium ad illud evidenter cognoſcendum.* ἀνθ. Quia illa evidenter cognoſcuntur, quorum cauſa videtur: at, quæ ſupernaturalia ſunt, cauſam in natura non habent, qua cognoſci poſſunt: ſic enim non eſſent ſupernaturalia. Unde nulla myſteria fidei evidenter cognoſcuntur, attamen certo, firmiter, & infallibiliter; quia omnis erroris & dubitationis expers eſt revelatio divina, per quam cognoſcuntur, cui falſum ſubeſſe nequit: præterea, ſi evidenter myſteria fidei cognoſci poſſent ab intellectu humano, etiam ab infidelibus cognoſcerentur, nec fides eſſet neceſſaria, atque adeo non eſſet ὑπόστασις τ μὴ βλεπομένων ſed τ βλεπομένων, contra naturam & deſcriptionem fidei ab ipſo Deo in ſacris litteris relictam.

X. *Tunc cognoſcitur res perfecte, cum, ſicuti eſt, attingitur.* ἀνθ. Perfecta cognitio conſiſtit in perfecta commenſuratione ipſius cum objecto; idcirco cognitio debet in ſeſe habere repræſentative etiam modum eſſendi ipſius objecti: nam rem cognoſci, ſicut eſt, nihil eſt aliud, quam repræſentari ſicuti eſt; tunc autem repræſentatur ſicuti eſt, quando intellectus tepræſentative continet eſſe objecti; unde tunc cognoſcitur perfecte, quando, ſicuti eſt, cognoſcitur: quod ut plenius intelligatur, non requiritur, ut intellectus aut ſcientia habeat modum exiſtendi, quem habet res; nam qui cognoſcit lapidem, non habet modum exiſtendi, quem lapis: itaque illud *ſicut* ſimilitudinem ſignificat, non *proprietatem:* uno verbo: oportet, ut res ita ſe habeat, quoad eſſe reale, ſicuti ſeſe habet cognitio in eſſe repræſentativo.

XI. *Nihil cognoſcitur niſi ſecundum modum, quo eſt in cognoſcente.* ἀνθ. Quia ea, quæ cognoſcuntur, non ſecundum ſui naturam cognoſcuntur, ſed ſecundum cognoſcentium facultatem: cognitio itaque non dicetur finita aut infinita à re cognita finita aut infinita: ſic licet Deus ab intellectu creato cognoſcatur, non ideo tamen objecto infinito cognitio correſpondens infinita eſt, quia cognoſcentis facultas & vis finita eſt: &, quodcunque recipitur, ad modum recipientis recipitur: cognitio eſt receptio rei cognoſcendæ ſecundum eſſe intentionale in cognoſcente. Ergo, &c.

XII. *Cognitio, an eſt, præſupponitur, ad quid eſt.* ἀνθ. Vulgatum eſt Axioma ex *Ariſt. l. 1. Poſt. Anal. petitum:* & ratio eſt, quia quæſtio, *an eſt*, eſt fundamentum omnium, quæ de re aliqua cognoſci poſſunt: præſupponitur cognitio, *an eſt*, vel in ſe vel in ſua cauſa: nec enim ſcire, *quid eſt*, ſemper præſupponit rem eſſe in propria exiſtentia, cum de rebus etiam non exiſtentibus ſciri poſſit, quid ſunt, ſed tunc præſupponitur cognitio exiſtentiæ, ſi non præſentis ſaltem vel præhabitæ, vel futuræ, ſi non actualis, ſaltem poſſibilis. Nunquam tamen Axioma illud extendendum eſt ad *quid nominis:* in eis enim, quorum natura occulta eſt, priuſquam ſciatur, an ſint, oportet ſcire, quid ſit, quod ſignificetur per nomen: hoc autem provenit, quia conceptus ſignificantur per nomina; cumque res in medium proferre nequeamus, earum loco verba ſubſtituimus; idcirco mediis nominibus in rerum cognitionem deducimur: unde & oportet nominum ac verborum ſcire notiones, antequam, an & quid ſint res, cognoſcatur.

XIII. *Prius cognoſcuntur magis univerſalia quam minus univerſalia, prius communia quam particularia.* ἀνθ. Utrumque verum eſt; ſed diverſo genere cognitionis & vario reſpectu. 1. Si ſingulare comparetur ad univerſale, prius ipſo cognoſcitur, quia intellectus aſſuevit fere ſequi cognitionem ſenſuum, qui verſantur circa ſingulare; ideoque & intellectus prius ordine intelligit ſingulare quam univerſale: quod confirmatur; quia univerſale fit ex præſuppoſita cognitione ſingularium, à quibus univerſalia abſtrahuntur; ergo prius debent cognoſci ſingularia quam univerſalia. 2. Si rationes univerſales individuatæ ſeu particulariſatæ comparentur inter ſe in ordine ad cognitionem diſtinctam, prius percipiuntur minus univerſales: ratio eſt, quia primo ab intellectu percipitur, quod primo ex vi cognitionis ſenſitivæ repræſentatur: ſed primo repræſentatur gradus infimæ ſpeciei, ergo

& prius cognoscitur: hinc, cum videmus Petrum, prius cognoscimus esse hominem quam esse substantiam. 3. Si rationes universales individuatæ & particularisatæ comparentur in ordine ad cognitionem confusam, prius cognoscuntur magis universales, quia, quo magis est cognitio confusa, eo minus distincte repræsentat objectum, ergo repræsentabit secundum rationes magis universales, quia cognitio distincta tendit prius in rationes minus universales: ergo quoad cognitionem confusam prius cognoscentur magis universalia, quam minus, & communia quam particularia.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, QUADRAGESIMA-SEXTA. DE CAUSA LIBERA.

THESIS I.

DIsputaturi de *Causa Libera*, primum vocis ambiguitates enarrabimus, mox rem ipsam explicabimus. *Liberum* dicitur, 1. quod non est subditum subjectumve alteri, libereque agere potest quod libet: quæ vulgo *libertas* vocatur *à servitute*. 2. *Liberum* est, quod à nemine pendet, vel, quod liberum est à cura & inspectione ac gubernatione alterius; quæ vulgo *libertas independentiæ* vocatur: his duobus modis solus Deus absolute est liber: unde ens liberrimum, plane ἀυτεξούσιον est ac dicitur, utpote supra quem nihil est, qui supremus omnium est Dominus, à quo creaturæ pendent, cujus majestati atque imperio & gubernationi omnia penitus subjecta sunt. Huic libero seu libertati geminæ opponitur *servum, subditum, servitus*. 3. *Liberum* dicitur, id, quod licite fieri potest, quod libere admitti potest vel omitti, τὸ ἐξὸν, quo libere uti vel frui possumus, quod non est interdictum, à quo non arcemur aut impedimur, quod in arbitrio nostro constitutum, permissum, concessum, licitum est: huic tertio generi libertatis opponitur *interdictum, prohibitum, illicitum*: hæc etiam libertas, qua quis legibus est solutus, non cadit in creaturam. 4. Accipitur *Liberum* pro immuni & vacuo, ut cum quis dicitur liber pavore, metu, &c. huc referenda est libertas à culpa & miseria, quæ vulgo dicitur *libertas gratiæ & gloriæ*, quarum illa est, qua quis vacat culpa, criminibus, & peccatis; hæc, qua quis immunis est à pœnis: sed nec hæc est libertas, quæ causam hic denominat liberam. 5. *Liberum* dicitur, quod est indifferens subjective, seu quod ad nullum oppositorum est determinatum aut definitum, sed quod se æque habet ad utrumque & utrumque recipere valet: hujusmodi libertate prædita dicitur materia prima, & vocatur vulgo *libertas* atque indifferentia *passiva*; quæ hic causam liberam non facit: causa enim libera est causa efficiens, non subjectum patiens. 6. *Liberum* dicitur, quod est ἀνάγκαστον, incoactum, non violentum, spontaneum, quod non cogitur, sicut se habet omne, quod per & secundum naturalem inclinationem & principium intrinsecum agit vel patitur: vocatur vulgo *libertas à necessitate*, verum improprie, quatenus necessitas sumitur pro coactione: sed enim hæc improprie est necessitas: tale genus libertatis convenit non tantum hominibus, sed & brutis, imo & rebus inanimatis, ut quidem vulgo loquimur, adeoque necessitatem omnem non excludit, nedum naturalem, sed coactionem tantum aut violentiam, cui opponitur. 7. Sumitur *libertas*, prout opponitur necessitati naturali, & *liberum* sic dicitur, quod non est definitum ad agendum, sed quod per se est indifferens, ut possit & differre & variare actionem, id est, ut possit agere & non agere,

agere, & aliter atque aliter agere, quia agit ex deliberatione & certo consilio: quæ libertas est hujus loci, & *causam* denominat ac constituit *liberam*: & hæc est libertas, quæ vulgo dicitur *libertas à necessitate physica & à bruta determinatione*. Hæc de voce.

II. Rem quod spectat, *Libertas à necessitate physica* has duas requirit in causa libera conditiones. 1. Ut causa libera sit indifferens ad varias actiones & effecta, non determinata ad hoc vel illud. 2. Ut, quicquid & quomodocunque agat, semper agat præeunte mentis judicio & consentiente voluntate: itaque *causa libera* bene definitur, *quæ consulto causat*, seu, *quæ potest agere, quando, quantum, & quomodo libet*. Quæ definitio ut intelligatur, paulo plenius de *Libertate* est philosophandum.

III. *Libertas*, à *libendo* dicta, est *facultas agendi quod libet*. Facultas, *non Ethica*, qua legibus aliquid alicui indultum est, quomodo quis habet facultatem navigandi mare (hoc enim nulli est vetitum) *sed Physica*, qua quis aliquid potest, vel animi, vel corporis adminiculo, vel ope illorum bonorum, quæ fortunæ vulgo, licet male, vocantur: sic homo robustior facultatem habet occidendi hominem minus robustum, non Ethicam, neque enim hoc legibus est permissum, sed Physicam, quatenus corporis robore alteri prævalet. Hæc autem *Physica facultas* est, quæ *libertatem constituit*, & *qua causa libera potest agere, quantum, & quomodo libet*: estque in homine adeoque omni creatura rationali tenuis admodum & valde imperfecta: in solo Deo amplissima & perfecta, ideoque summa libertas in Deo est summum ejus omnipotentiæ argumentum. Homo quicquid facit libere facit, quia pro libitu facit, sed, quia non potest omnia, imperfectam habet libertatem: agit tamen, ex iis quæ agere potest, quodlibet, quando & quantum, & quomodo libet. Deus quoque quicquid agit, libere agit, sed quia potest omnia agere, perfectam habet libertatem: homo tamen, etsi minus sit liber Deo, vere tamen est liber, quia vere dominium habet in suas actiones & vere ad agendum sese determinat, quod quomodo fiat, explicandum est porro.

IV. Duobus modis homo sese determinat, ad agendum vel non agendum, & ad agendum hoc vel illud: quod enim est determinatum, est indifferens ad plura, quæ inter sese opponuntur, vel contrarie, vel contradictorie: & ad utrumque sese determinat causa libera, sicut ad utrumque oppositionis genus est indifferens: indifferentia circa τὸ agere & non agere solet vulgo vocari *libertas contradictionis seu exercitii*, quia agere & non agere opponuntur contradictorie, sc. ut exercere actum & non exercere: indifferentia circa τὸ agere hoc vel illud, solet dici *libertas contrarietatis seu specificationis*, quia contraria sunt, agere hoc & agere aliud oppositum, ac specie differunt: ita est in homine potestas amandi objectum propositum vel non amandi, quæ est libertas contradictionis, quia potest homo amare vel non amare, id est, cohibere actum amoris, potest exercere actum amoris & non exercere: sed præter potestatem amandi & non amandi objectum propositum, etiam homo potest odisse objectum: est ergo in ipso etiam potestas objectum vel amore prosequendi vel odio persequendi, quæ est libertas contrarietatis, quia potest homo actus contrarios amoris & odii elicere, non quidem *in sensu composito*; quasi simul possit & amare & odisse objectum, quæ Scholasticis vulgo dicitur *potentia simultatis*, sed *in sensu diviso*, quia homo, qui nunc amat objectum, etiam tum, cum amat, potentiam habet idem objectum odio persequendi, cum lubebit, cum mens dictabit, quæ Scholasticis vulgo dicitur *simultas potentiæ*: & ista *simultas potentiæ*, id est, potestas agendi vel non agendi, agendi hoc vel contrarium, *in sensu diviso*, cum mens præscribet, *est vera ac mera libertas*, quæ non est in brutis aut ullis rebus, quæ agunt ex necessitate naturæ, sed in solo homine creaturisque rationalibus, quæ solæ, istam simultatem potentiæ, & indifferentiam utramque cum rationis præscriptione, possident.

V. Scholastici solent hanc indifferentiam & libertatem, tum contradictionis, tum contrarietatis, speciatim explicare *in actibus voluntatis*, qui sunt vel contrarii, ut *velle* & *nolle*, vel contradictorii, ut *velle & non velle*,

nolle & non nolle: differunt vero multum *non velle & nolle*: non velle enim nudam tantum dicit negationem volitionis, nolle præter negationem volitionis dicit insuper actum positivum contrarium volitioni: in quantum itaque voluntas potest velle & non velle, habet libertatem exercitii, in quantum potest velle & nolle, habet libertatem specificationis. Sed non est putandum, istam libertatem utriusque generis tantum reperiri in voluntate, quin reperitur quoque in intellectu, adeoque & facultatibus inferioribus: intellectus non tantum potest intelligere vel non intelligere, judicare vel non judicare, sed vero & intelligere hoc vel illud, judicare hoc vel illud: sic & locomotiva, inferioris animæ facultas, potest ambulare, vel non ambulare, & potest ambulare versus orientem vel versus occidentem, aut ambulare vel actum contrarium elicere: huc facit actionum causæ liberæ usitata Ethicis distinctio in *elicitas & imperatas:* aliud enim est ambulare, actio imperata, aliud judicare aut velle ambulare, actio utraque elicita: actiones elicitæ, sunt propriæ, intellectus & voluntatis, imperatæ, aliarum facultatum. In utrisque & elicitis & imperatis actionibus est libertas atque indifferentia ad utrumque oppositorum, sive contrarietatis, sive contradictionis: atque amplius *libertatis subjectum; non est sola voluntas*, ut vulgo statuunt, *non intellectus, sed totus homo*, licet interim libertas homini non foret tribuenda, nisi intellectu & voluntate esset præditus: itaque intellectus & voluntas, sunt libertatis subjectum primarium, quia primo iis inest, reliquæ facultates, secundarium, quia hisce libertas inest beneficio priorum. *Totus* ergo *homo liber* est *& Causa Libera:* non vero hæc aut illa facultas, sed vero totum suppositum: quia totus homo dominium habet in suas actiones, totus se determinat, cum ante esset indeterminatus: Quod adhuc ulterius est exponendum.

VI. Distinguendum hic est accurate, inter dominium, quod causa libera exercet ab objecto in quod dominium exercet: item, inter actum determinandi causæ liberæ & id quod determinatur. Imperium aut dominium, quod causa libera exercet, est actio elicita intellectus practici ac voluntatis: objectum, in quod dominium aut imperium exercetur, est actio imperata. Actio quoque eadem est & intellectus practici & voluntatis, qua causa libera ad agendum sese determinat: actio imperata est id, quod determinatur. Sed hic scrupulus oritur non levis de ipsa actione voluntatis elicita, de ipsa volitione, quid sit statuendum? An in ipsam quoque voluntas exercet imperium, seseque ad eam determinat; an vero actio voluntatis elicita aliunde determinatur; sic ut ipsa dominium non exerceat in suam actionem, sed vero alia facultas, puta intellectus practicus? Prius quidem, nempe voluntatem determinare se ipsam, ad volendum & non volendum, ad volendum hoc vel illud, & sic ipsam dominium exercere in suas actiones elicitas, statuerunt omnes illi, qui causam liberam definiverunt tantum per indifferentiam & non etiam per lubentiam cum ratione, qui causam liberam definiverunt simpliciter, quæ positis omnibus ad agendum requisitis indifferens manet ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud, hoc vel illo modo, &c. & sic omittunt præcipuam partem libertatis, in definiendo, quæ est, ut agat ex prævia deliberatione rationis, cum lubet. Sic *Suarez, Fonseca, Lessius, Molina,* & *Iesuitæ* omnes philosophantur, qui libertatem causæ liberæ collocant in sola ista indifferentia, qua positis omnibus ad agendum requisitis, posito etiam intellectus practici judicio ultimo, voluntas tamen potest agere vel non agere, & agere hoc vel illud, adeoque potest seipsam determinare: & hinc solam voluntatem formaliter liberam faciunt, actionesque ejus solas formaliter liberas dicunt, facultatum aliarum adeoque ipsius intellectus actiones vocant liberas per denominationem extrinsecam. Verumenimvero hæc sententia tam gravibus urgetur incommodis, ut facile defendi nequeat; quod alias ostendimus *Colleg. Ethic. disp.* 10. *de Motivo voluntatis,* & natura causæ liberæ hoc modo male explicatur: quocirca statuimus voluntatem non determinari à seipsa, sed vero à dictamine intellectus practici, ab ultimo ejus judicio, ad actiones elicitas, & tum demum causa erit vere libera, cum

cum aget quantum lubebit, id est, cum volet, quantum ex rationis præscripto est statutum: at si stante rationis judicio voluntas possit non velle, jam causa libera non aget, quantum lubet, quia non aget ex præscripto rationis, lubentia enim (ut sic loquar) respectum dicit ad rationem: Atque in hac lubentia rationis primario ac formaliter libertas est sita: illa enim cum adest, jam adest libertas, sive accedat indifferentia, sive minus. Quare cum *th.* 2. diximus duo esse, quæ libertatem causæ liberæ constituant, indifferentiam & lubentiam rationis, hoc sic capi volumus, ut lubentia rationis per prius & magis quam indifferentia libertatem constituat, cum indifferentia in rationis lubentia indeterminata, qua quod lubet intellectus dictamini agimus, fundata sit, & à causa libera abesse possit, rationis lubentia non item: potest enim intellectus esse determinatus, ut non possit non judicare, imo ut non possit non judicare hoc objectum esse prosequendum, & tamen potest esse causa libertatis in agenti libero, & facere potest causam liberam, quemadmodum sese habet intellectus Angelorum & Animarum Beatarum: Angeli enim & Beatæ Animæ non possunt non judicare, Deum esse amandum; & ex judicio determinato non possunt non amare Deum, & tamen libere Deum amant, quia plenissima rationis lubentia amant: nam amant, quia lubet: lubet, quia intellectus dictat, licet vi gratiæ confirmantis in isto statu glorificationis non possit non dictare. Ergo, ut concludamus, libertas non consistit proprie in ista indifferentia, in qua vulgo collocatur, sed præcipua ratio libertatis est sita in spontaneitate seu lubentia cum ratione, secundaria est in indifferentia, quæ tum locum habet, cum judicium intellectus est indifferens: at hoc non semper est indifferens, non sane circa finem ultimum, qui tamen libere expetitur. Ergo à libera causa abesse potest indifferentia, non autem lubentia cum ratione.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, QUADRAGESIMA-SEPTIMA. DE

CAUSA LIBERA.

THESIS I.

NAturam *causæ liberæ* exposuit Disputatio præcedens, eamque absolvi docuit spontaneitate seu lubentia rationis & indifferentia judicii, magis tamen illa quam hac. Sed quandoquidem de libertate hominis potissimum sumus philosophati, videndum restat, *an sub hac causa libera etiam comprehendi valeat Deus?* Quod Deus agat ex ratione, nulli est dubium, cum sit ipsa sapientia: & hactenus agit libere, non quod deliberet aut consultet ad modum hominis; sed vero, sine deliberatione aut discursu, ac simplici potius apprehensione, sapienter, & rationabiliter agit. Verumenimvero, *an Deo etiam convenit altera pars libertatis; sc. indifferentia?* Certe hic difficultas est aliqua, ac satis gravis. Cavendum enim est sedulo, ne indifferentia aliqua adscribatur. Hoc igitur hac disputatione explicatum dare conabimur, *quæ indifferentia Deo competat, quæ causis liberis creatis, Angelis & hominibus.* Quod ut præstemus, ante omnia oportet, indifferentiam, quæ libertatem causæ liberæ facit, distinguere, & distincte de Deo ac causis creatis libens enunciare.

II. Duplex est *indifferentia*, altera *negativa*, altera *privativa*. *Indifferentia negativa* indifferens dicitur illud, quod secundum se non est magis determinatum ad hoc objectum quam ad illud, ad operandum quam ad non operandum: & hoc modo Deus aut voluntas divi-

divina, antequam statuisset creare mundum (ut secundum signa rationis pro nostro concipiendi modo hæc distinguamus; nam de prioritate temporis hic non loquimur qui scimus Dei decreta non minus esse æterna quam ipsum Deum) in illo priori signo rationis antequam quasi statuisset actu creare mundum, erat Deus secundum se indifferens ad hanc partem vel illam, ad creandum vel non creandum, aut etiam ad creandum alium mundum quam hunc, quia non magis determinata erat divina voluntas secundum se ad unum quam ad aliud, decernendum de mundo creando, & sic creando, quam ad non decernendum. Hæc autem indifferentia non importat in Deo aliquam imperfectionem aut privationem alicujus perfectionis: nam Deus non perficitur in seipso per hoc, quod se determinet ad producendum aliquid extra se, sed tota perfectio ponitur in creaturis, quæ per divinam voluntatem ponuntur in esse. Et hinc Deus libere produxit creaturas, libere dilexit creaturas, quia creaturæ non habent necessariam connexionem cum bono divino, sic ut bonum divinum salvari possit ac salvetur citra creaturas: & sic recte dicunt Scholastici, *Voluntas divina quæ ex se necessitatem habet, quatenus naturaliter ac necessario determinata est ad amandum bonum divinum, libere determinavit se ad objectum ad quod habet habitudinem non necessariam.*

III. *Indifferentia privativa* dicitur indifferens illud, quod est aptum perfici ac determinari per aliquem, sive determinetur ac perficiatur à seipso, sive ab alio: & hujusmodi indifferentia præsupponit in ipsa potentia aliquam imperfectionem seu potentialitatem: unde & hæc indifferentia soli potentiæ creatæ convenire potest. Invenitur vero hæc indifferentia privativa in potentia creata aut passiva tantum, aut activa simul & passiva. Indifferentia, quæ adjungitur potentiæ passivæ tantum est sicut indifferentia, quam habet materia prima ad hanc formam substantialem vel illam, aut quam habet subjectum respectu albedinis vel nigredinis, quam recipit: hæc enim indifferentia est solum passiva, eo quod nec materia prima concurrat effective ad productionem formæ substantialis, nec subjectum concurrat active ad productionem albedinis, sed solum in genere causæ materialis, recipiendo ac patiendo. Indifferentia adjuncta potentiæ, quæ partim est activa, partim est passiva, sic dicitur, quod potentia sit indifferens, passive seu patiendo in ordine ad unum, active seu agendo in ordine ad aliud: sicut intellectus in ordine ad speciem intelligibilem ab objecto productam habet rationem potentiæ & indifferentiæ passivæ, quia recipit in se speciem illam, & indifferens est ad recipiendam speciem hanc vel aliam: idem intellectus in ordine ad actum intelligendi habet potentiam & indifferentiam activam, quia potest intellectionem exercere vel non, & exercere hanc vel illam: similiter voluntas, quatenus producit actus liberos volendi & non volendi & nolendi, habet potentiam & indifferentiam activam; quatenus eosdem actus immanentes, quos producit, recipit, habet potentiam & indifferentiam passivam, quia potest recipere & non recipere, & recipere hunc vel illum. Jam hæc applicemus.

IV. *Indifferentia privativa*, quæ dicitur *passiva*, *non est de ratione formali causæ liberæ*, si causa libera consideretur analogice secundum rationem communem, ut Deo tribuitur simul & creaturis intellectualibus, esse causam liberam: nam in Deo reperitur, quicquid est de ratione formali causæ liberæ: at ista indifferentia privativa passiva in Deo non reperitur, sicuti nec in eo reperitur indifferentia privativa, quæ partim est activa & partim passiva, ob eandem rationem, quia indifferentia passiva, uti & activa ac passiva simul, potentialitatem, quæ perfici potest, includit, quæ imperfectio est quædam: at omnis imperfectio à Deo longissime est removenda: sc. si in Deo daretur indifferentia, aut passiva tantum, aut passiva simul & activa, Deus non foret purus actus, & sic non esset infinite perfectus: interim tamen est in Deo vera libertas, quia libertas est perfectio simpliciter, ac per consequens formaliter in Deo, sicut sapientia est formaliter in Deo, quia est perfectio quoque simpliciter: formaliter vero nihil est in Deo nisi quod pertinet ad Dei formalem, essentialem,

lem, & intrinsecam rationem: cum ergo indifferentia passiva non sit in Deo, nec passiva quoque & activa simul, in quo tamen Deo formaliter est libertas, ultro sequitur, neutram esse de ratione formali libertatis ac causæ liberæ.

V. Præter indifferentiam negativam, & privativam, quæ vel est passiva tantum, vel passiva & activa simul, utraque imperfectionem involvens, datur *indifferentia* quædam *activa tantum*, sicut est indifferentia, quam habet artifex aliquis ad faciendum opus aliquod artificiale vel non faciendum, & ad faciendum hoc opus artificiale vel aliud. Hæc indifferentia activa, quæ importat posse agere & non agere, & posse agere hoc vel illud, ut & indifferentia negativa, nihil imperfectionis ex natura sua involvunt, & sunt de formali ratione libertatis & causæ liberæ, quando & quoties illa est indifferens; neque enim causa libera semper est indifferens, licet omnis aliquando circa quædam objecta sit indifferens, quod disputatione præcedenti fuit ostensum. *In Deo*, ut causa libera, reperitur *indifferentia negativa & activa*, *in creaturis* rationalibus *insuper passiva*, quia creaturæ sunt; nam omnis causa libera creata, cum non sit purus actus, nec sit libera per essentiam, sicut est Deus, verum per participationem, habet aliquam potentialitatem, quæ potest perfici per diversos actus; sed omnis potentialitas, quæ potest perfici per diversos actus, habet aliquam indifferentiam passivam in ordine ad eosdem actus. Ergo in omni causa creata libera, est præter indifferentiam activam aliqua indifferentia passiva, in Deo non est. *Sed qua ratione, esse causam liberam, & libertas, atque adeo indifferentia, Deo debeat tribui, & Angelis, & Homini, speciatim videamus.*

VI. §. 1. Deus, ut solus est perfectissimæ intelligentiæ, ita solus est perfectissimæ libertatis, nec ab ulla alia causa dependet: Angeli & homines ita sunt liberi & actionum suarum domini, ut nihilominus à Deo dependeant, ejusque nutu regantur ac flectantur: unde creaturis quidem liberis, Angelis & Hominibus τὸ ἐξούσιον, Deo autem soli τὸ ἀυτεξούσιον competit: libere igitur agere in creaturis rationalibus, non est, independenter seu ex nullius gubernatione agere, aut esse primum sui movens, sed est ἐκ προαιρέσεως agere, motu voluntatis spontaneo, secundum rationem, ex prævio consilio & judicio: at in Deo libere agere, est independenter agere. §. 2. Liberrima Dei voluntas ex perfectione naturæ suæ, quæ volendo, eligendo, à vero bono aberrare non potest, ab æterno immutabiliter ipsa sese determinavit ad unum genere, puta bonum tantum: ad unum vero specie aut individuo, h. e. ad hoc vel illud bonum, contingenter quidem, ita nimirum, ut ex libertate sua ad aliud vel aliud bonum sese determinare potuerit, ex hypothesi vero æterni consilii, immutabiliter ejus voluntas est determinata: unde in Deo cum absoluta libertate consistit absoluta immutabilitas: in creaturis vero quibusdam invenire est quoque aliquam necessitatem immutabilitatis stantem cum libertate, sed non in omnibus nec semper: sc. Angeli boni ex perfectione gratiæ ac gloriæ, in qua sunt confirmati à Deo, immutabiliter voluntates suas bonas determinant ad unum genere, hoc est, ad bonum tantum; licet ad unum specie vel individuo contingenter sese habeant: contra Angeli mali ex perfecta & completa malitia immutabiliter voluntates suas malas determinant ad unum genere, i. e. ad malum tantum; contingenter vero ad unum specie vel individuo, i. e. ad hoc vel illud vel aliud malum: liberrime igitur illi bene, hi male, volunt & agunt; atque in utrisque libertas cum necessitate immutabilitatis est conjuncta. Quantum ad Hominem, de eo distincte respondendum est, pro distinctione status illius; ante lapsum, qui creationis, integritatis, & innocentiæ dicitur; post lapsum, qui defectionis, peccati, ac corruptionis dicitur; post regenerationem, qui gratiæ & refectionis; post resuscitationem, qui vel gloriæ vel condemnationis dicitur: pro hoc, inquam, diverso hominis statu, libertas ejus subjecta fuit necessitati immutabilitatis & non fuit: in statu creationis & gratiæ non est ulla in eo necessitas immutabilitatis, quo vel bonum tantum, vel malum tantum, utrumque immutabiliter velit: sed in statu peccati ac condemnationis est necessitas im-

mutabilitatis ad malum tantum, in ſtatu gloriæ ad bonum tantum. Verum quandoquidem hoc negotium de natura cauſæ liberæ recte intellectum eſt fundamentum graviſſimarum in Theologia quæſtionum de natura Liberi Arbitrii recte decidendarum, age, diſtinctiſſime per claſſes, *utrumque libertatis atque indifferentiæ modum, tum quoad exercitium ſeu contradictionem, tum quoad ſpecificationem ſeu contrarietatem, de Deo, Angelis, Hominibus, enunciemus.*

VII. De Deo obſervandæ ſunt hæ propoſitiones. 1. Quoad libertatem aut indifferentiam contradictionis ſeu exercitii, non fuit, nec eſt voluntas Dei ad actum volendi, quatenus eſt actus abſolute & in genere ſumtus, indifferens, nec illum ſuſpendere potuit: Deus enim nunquam eſſe potuit ſine actu volendi. 2. Nec fuit, nec eſt, ad actum volendi, indifferens Dei voluntas, quatenus notat ordinem ad objectum Dei intrinſecum & abſolute neceſſarium, puta illius eſſentiam, ſapientiam, bonitatem, &c. nam Deus, nec poteſt, nec potuit, hæc non velle. 3. Quoad libertatem aut indifferentiam ſpecificationis ſeu contrarietatis, h. e. velle & nolle, eligere & repudiare, prout velle & nolle & ſimiles actus Dei notant ordinem ad objectum externum, ſc. creaturas, earumque exiſtentiam, hi actus Dei non ſunt abſolute neceſſarii, ſed indifferentes: potuit enim abſolute res, quas voluit, nolle, &, quas noluit, velle, quas elegit, potuit repudiare, quas repudiavit, eligere; quamvis ex hypotheſi, poſtquam & quatenus eas ſemel voluit vel noluit, propter immutabilitatem ſuæ voluntatis, non poſſit non velle, non poſſit non nolle. 4. Quoad contrarietatem aut ſpecificationem in ordine ad actus malos vel bonos, circa hos non eſt voluntas Dei indifferens uno eodemque actu, quia Deus, qui eſt ſummum bonum, tantum poteſt moraliter bona & juſta velle, ſicut moraliter mala & injuſta tantum poteſt nolle, & quidem utrumque tantum bene: quamvis ad hæc vel illa bona facienda vel non facienda, ad hæc vel illa mala impedienda vel non impedienda, abſolute indifferens ſit ac fuerit.

VIII. De Angelis hæ propoſitiones notandæ veniunt. 1. Ratione libertatis atque indifferentiæ, tum contrarietatis, tum contradictionis, circa bonum & circa malum, Angeli boni ante confirmationem in gratia, & mali ante confirmationem in malitia, fuerunt indifferentes, tam ad velle quam ad non velle aut nolle, tam ad eligendum quam ad repudiandum, tam mala quam bona, tam male quam bene. 2. Poſt confirmationem, in gratia quidem, Angeli boni amiſerunt indifferentiam contrarietatis circa bonum & malum: nam determinantur ad bonum tantum, in malitia vero, Angeli mali amiſerunt quoque indifferentiam contrarietatis circa bonum & malum: nam determinantur tantum ad malum: retinent vero utrimque hactenus indifferentiam contrarieratis, quatenus boni ad hoc vel illud vel aliud bonum in ſpecie & individuo, mali ad hoc vel illud vel aliud malum in ſpecie & individuo, indifferenter ſeſe habent.

IX. De homine ſunt tenendæ hæ propoſitiones. 1. In ſtatu creationis & gratiæ ſeu regenerationis, voluntas hominis quoad utramque ſpeciem indifferentiæ & contrarietatis & contradictionis, circa bonum vel malum, indifferens eſt, & indeterminate ſeſe habet. 2. In ſtatu peccati, item condemnationis, indifferens non eſt ejus voluntas circa bonum & malum, ſed determinata ad malum: ſimiliter in ſtatu gloriæ indifferens quoque non eſt ad bonum & malum, ſed determinata ad bonum; & hactenus amiſit indifferentiam contrarietatis. 3. At tetinuit eandem contrarietatis indifferentiam, quatenus in ſtatu peccati & condemnationis, ad hoc vel illud vel aliud malum in ſpecie atque individuo volendum, in ſtatu gloriæ ad hoc vel illud vel aliud bonum in ſpecie atque individuo volendum, indifferenter ſeſe habet. Sed hæc de natuta *Cauſæ Liberæ*, hac & præcedenti diſputatione, diſſeruiſſe ſufficiat.

Diſpu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, QUADRAGESIMA-OCTAVA.

DE ENTE REALI.

THESIS I.

NIhil est tritius voce *Ens:* nullus in Philosophia terminus usitatior, quam *Ens reale:* & tamen quid sit *Ens* atque *Ens reale*, quid vocibus istis debeat intelligi, tam est obscurum quam quod est obscurissimum. Videtur fere nihil esse notius ente atque adeo ente reali: & tamen nihil fere est ignotius. Edidit de *Ente & Essentia* tractatum *Thomas Aquinas:* in hunc, commentarium conscripsit *Thomas Cajetanus:* in hujus commentarios alios iterum commentarios evulgavit *Raphaël Rypa:* agunt de *Ente* & *Ente reali, Suarez, Fonseca*, & qui ex hisce duobus omnia solent compilare, moderni Metaphysici initio Metaphysices, cum de objecto Metaphysices philosophantur, agunt idem de eo multi ex *Logicorum* filiis, cum objectum Logicæ utentis remotum docent esse Ens & non-Ens: & tamen, si dixero, neminem hactènus ex isto Philosophorum vulgo exposuisse clare & distincte, quid ens & ens reale sit, quid sub istis vocabulis concipi debeat, fortassis à veritate non aberravero: Et, si dicendum est, quod res est, quia clarus ac distinctus *Entis* atque *Entis realis* conceptus ex receptis hodie Philosophis haberi nequit, id in causa est multarum & confusionum & tenebrarum in Philosophia. Nos *vocem* primum, mox rem ipsam more nostro, quantum poterimus, perspicue explicabimus.

II. *Ens*, ut hinc ordiar, deductum est à verbo *sum*, ad imitationem Græcorum, apud quos τὸ ὂν deducitur quoque à εἶναι· Sæpe autem fit, ut τὸ ὂν relicta significatione *participii* induat usum ac rationem *nominis*; ac præcipue in *Philosophia:* veluti cum *Aristoteles* ait, scientiam quandam esse, quæ speculatur τὸ ὂν, ἢ ὂν ἐστι. *l.* 3. *Met. c.* 1. sic dicitur *lib.* 1. *Eth. c.* 6. Τ' ἀγαθὸν ἰσαχῶς λέγεσθαι τῷ ὄντι, bonum tot modis dici, quot ens. Et *Plutarchus lib.* 1. *de Plac. Philos.* ἀναγκαῖον τὸν τέλειον ἄνδρα καὶ θεωρητικὸν εἶναι τῶν ὄντων καὶ πρακτικὸν τῶν δεόντων. *Oportet perfectum virum*, i. e. Philosophum, *ea contemplari quæ sunt, & facere quæ facienda sunt.* Ad istum modum factum est, ut *Latini Philosophi*, invita Latinitate, à verbo *sum* participium *Ens* formaverint, quod tantundem fere valet atque existens, idque postea quoque, relicta significatione participii, usurpari cœpit ut nomen, pro eo, quod *Res* latine dicitur amplissimo significatu, sub quo etiam Personas, actiones, & id genus alia includit: nam aliàs, *res* à personis & actionibus distinguitur, ut in *Iure* & passim alibi. Sed, dicat aliquis, si *res* idem significat, quod *ens*, quid attinebat vocem hanc fingere invita Latinitate? *Resp.* Fortasse, quia minus ambiguitatis est in voce barbara *Ens*, quam in voce Latina *Res:* Et licet hæc ratio non sit satis urgens, ut ego quidem existimo, nunc tamen fieri non potest, ut hac voce *Ens* abstineamus, quandoquidem apud omnes hodie Philosophos usu recepta est: & notum est illud, *Verba valent usu.*

III. Cum ens sumitur, ut participium, non est idem significatione, ac cum sumitur ut nomen: nam cum sumitur, ut participium, pertinet ad quæstionem Ἆρ' ἐστι, *an sit:* at cum sumitur, ut nomen, referendum est ad quæstionem Τί ἐστι, *quid sit:* cum enim quippiam dicitur Ens notione participii, nihil aliud dicitur, quam illud esse sive existere, quo solvitur quæstio, *an sit:* at si vim habeat nominis, *esse ens*, non significat esse aut *existere*, sed *non esse non-ens*, quod ad quæstionem, *quid sit*, referendum est: Cum autem definitio tribui possit etiam iis, quæ non sunt, h. e. quæ non existunt,

sequitur, ens positum pro nomine latius patere, quam quando acceptum pro participio significat id solummodo, quod actu existit.

IV. Porro, cum ens sumitur notione participii, ea solum entia dici possunt, quæ actu existunt: at cum sumitur ut nomen, iis etiam ttibuitur, quæ non actu, sed potestate atque in suis causis tantum sunt; & quæ ita sese habent, ut rosa tempore hyberno & mundus antequam esset conditus: Ea enim entia sunt, sumta voce *Ens* ut nomen, quæ intelligi, quæque definiri possunt: At rosa tempote hyberno intelligi ejusque essentia concipi ac definiri potest, & Deus mundum nondum conditum cognovit ab æterno: Ergo entia etiam tunc, cum non sunt actu, dici quoque possunt, ac revera quoque sunt entia, licet revera actu non sint.

V. Hic tamen observandum est illud, cum ea, quæ actu non sunt entia dicuntur, enunciationes ejusmodi, etiamsi forma sint categoricæ, sensu tamen esse hypotheticas: cum enim dicimus, *Rosa aut mundus est ens*, propositiones istæ habent hunc sensum: Rosa aut Mundus, si sit, aut cum est in rerum natura, est ens: atque hoc modo judicandum est de omnibus enunciationibus ἓ καθ' αὐτὸ, sive sint primi, sive secundi modi: quæstio enim, qua quæritur, *an res sit*, prior est ea, qua quæritur, *quid aut qualis res sit*; ut docet *Aristoteles lib. 2. Post. Anal. cap. 2.* Itaque nihil potest pronunciari de quopiam, quod pertinet ad quæstionem *quid sit* aut *qualis sit res*, nisi constet aut saltem supponatur *rem esse:* ideoque cum ens pertineat ad quæstionem, qua quæritur *quid res sit* (distinguit enim rem ab omni eo quod non ens est) non potest illud de quopiam affirmari, nisi quod actu sit aut supponatur esse: at si ens, quod non actu sed potestate tantum est, in se consideretur, atque ut est in potestate, haud magis dici potest ens absolute, quam cadaver hominis dici absolute homo. Quî enim dicatur ens, quod non est, & quidem tunc atque eatenus, quando & quatenus non est? Atqui, quod non actu sed potestate est, revera non est: esse enim absolute & esse potestate, opponuntur, ut esse & non esse. Ergo quod non actu sed potestate tantum est, quatenus consideratur, ut est potestate, non potest dici ens absolute, sed tantum ens in potentia.

VI. Et hoc insuper notandum est, vocem *Ens* cum nominis significationem habet, interdum *late* sumi pro eo omni quod non est omnino nihil, ita ut etiam entia rationis, rationes entium, privationes, corruptiones, & id genus alia, entia dicantur istoc significatu: sic accipitur *lib. 3. Metaph. c. 3.* ubi *Philosophus* sic ait. Τὰ μὲν γὰρ, ὅτι οὐσία, λέγεται, τὰ δὲ ὅτι πάθη οὐσίας, τὰ δὲ ὅτι ὁδὸς εἰς οὐσίαν, ἢ φθορὰ, ἢ στερήσεις, ἢ ποιότητες, ἢ ποιητικὰ, ἢ γεννητικὰ τῆς οὐσίας, ἢ τῶν πρὸς τὴν οὐσίαν λεγομένων, ἢ τούτων τινὸς ἀποφάσεις, ἢ οὐσίας, id est, *Quædam dicuntur entia, quoniam substantiæ sunt, quædam quoniam sunt affectiones substantiæ, alia quoniam via sunt ad substantiam, aut corruptiones, aut privationes, aut qualitates, aut quia vim habent efficiendi vel gignendi substantiam, aut ea, quæ ad substantiam dicuntur, aut quia horum alicujus negationes sunt vel etiam ipsius substantiæ.* Interdum vox *Ens strictius* sumitur, pro eo, quod vere est in rerum natura, quod veram, realem, ac sibi propriam essentiam habet; vulgo *ens reale* dictum: atque hoc sensu, entia rationis, rationes entium, privationes, corruptiones, generationes, & id genus alia, entia dici nequeunt. Atque eundem fere ad modum de Ente philosophatur *Aquinas lib. de Ente & Essent. c. 1.* & præsertim *Summ. Theol. p. 1. quæst. 48. art. 2.* ubi cum quæsivisset, *Vtrum malum inveniatur in rebus?* & sibi objecisset: *Ens & res convertuntur. Si ergo malum est ens in rebus, sequitur, quod malum sit res quædam: Quod est contra prædicta,* sic respondet. *Ad secundum dicendum, quod sicut dicitur in 5. Metaph. Ens dupliciter dicitur: uno modo, secundum quod significat entitatem, prout dividitur per decem prædicamenta & sic convertitur cum re, & hoc modo nulla privatio est ens, unde nec malum. Alio modo dicitur Ens, quod significat veritatem propositionis quæ in compositione consistit, cujus nota est hoc verbum, EST. Et hoc est Ens, quo respondetur ad quæstionem, An est: Et sic cæcitatem dicimus esse in oculo vel quamcunque aliam privationem, & hoc modo etiam malum dicitur ens.*

ens. Propter hujus autem distinctionis ignorantiam, aliqui considerantes, quod aliqua res dicuntur malæ, vel quod malum dicitur esse in rebus, crediderunt, quod malum esset res quædam. Hæc *Thomas:* sed de *Voce* satis, nunc ad *Rem* ipsam accedamus.

VII. *Ens stricte sumtum* seu *reale*, *non* est unicum quid, quemadmodum id statuisse *Parmenidem* & *Melissum* docet *lib.* 1. *Phys. c.* 2. *Aristoteles:* quin contra, ens reale multiplici varietate est diversum: atque hoc tam est manifestum, ut nesciam an aliquid dici possit manifestius. Quid enim? si omnia sint unum, nec quicquam à quopiam diversum est, nullus erit ortus aut interitus, nulla mutatio, nullæ causæ, ac proinde nulla quoque scientia. Deinde sic argumentatur *Aristoteles.* Ens est ex eorum numero, quæ dicuntur πολλαχῶς (nam vel substantiam significat, vel quantitatem, vel qualitatem, vel aliud quid eorum, quæ de substantia prædicantur) ergo non potest ita unum esse, ut careat omni multitudine: Qui enim dicunt omnia esse unum, aut intelligunt omnia unum esse nomine tenus, aut quoad rem. De nomine non est controversia, sed de reipsa. Si ergo ens velint esse reipsa unum; vel intelligunt unum genere, vel specie, vel numero: priora duo non tollunt multitudinem, siquidem utrumque dicitur de multis. Si omnia velint esse unum numero, vel substantiam intelligunt sine accidente, vel accidens sine substantia: non substantiam sine accidente, quia quædam substantia, scilicet finita, nunquam est sine accidente: non etiam accidens sine substantia; quia nullum accidens potest existere sine substantia; si verò intelligant substantiam accidente vestitam, jam erit quædam entium multitudo ac diversitas. Hæc est sententia fere Disputationis, quam *Aristoteles* instituit contra *Melissum Parmenidemque lib.* 1. *Phys. c.* 3.

VIII. Vetumenimverò non deest fortasse, quod reponi posset, si quis *Melissi Parmenidisve* causam susciperet ac pattocinium. Dici enim posset, omnia substantiam esse, accidentia non esse entia, sed modos tantum, aut λόγους aut σχέσεις *substantiarum.* Et certe mihi vix dubium est, quin quantitas eadem sit reipsa cum substantia corporum & sola ratione ab ea differat. Qualitates motus dici possent substantiæ, vel extensæ, vel intelligentis, & utrobique modi operandi: Relationes, actiones, passiones, & quæ sequuntur rerum in categoriis classes, jam diu à multis Philosophorum ex censu & numero entium sunt remotæ ac proscriptæ. Itaque τὸ πολλαχῶς λέγεσθαι quod enti ab Atistotele tribuitur, non videtur satis firmum argumentum ad probandam entium multitudinem, nam τὰ πολλαχῶς λεγόμενα, significant quidem multa: sed probandum erat porro, illa multa reipsa & non sola ratione distingui. Ut igitur argumentum firmum sit, probandum est, aut accidentia esse entia vera & reipsa à substantiis diversa (quod & ante *Aristotelem* olim & nunc temporis à multis negatur) aut ipsas substantias reipsa à se invicem esse diversas. Quod posterius quidem tam est manifestum, ut multa probatione non egeat: nam, ut accidentia prætream (quæ an sint entia distincta à substantiis, jam nunc disputare non libet) substantiæ saltem aliæ ab aliis sunt diversæ: alia est substantia intelligens, spiritus, alia est extensa, corpus: aliud est Deus, & aliud sunt res à Deo factæ: aliud est homo, aliud lapis: quid enim? an homo non est ens? an non & lapis? & tamen homo non est lapis: an non Deus est ens? an non & spiritus? an non creatura est Ens? an non & corpus? attamen Deus non est creatura; & spiritus non est corpus: nec vice versa. Est ergo aliqua entium multitudo.

IX. Sed si hoc tam manifestum est, dicat quispiam, quis credat veteres illos sapientes ac Philosophos, *Parmenidem Melissumve*, similesve heroas, cordatos mehercule mortales, tam pueriliter inepteque philosophatos fuisse, ut omnia ens unum esse statuerint? Me quidem quod attinet, non tam sinistre sentio de viris tam præclaris, iisque assentior, qui existimant *Aristotelem* non satis candide veterum dogmata recensuisse, & adversus verba potius quam adversus sententiam eorum disputasse. Quid ergo voluerunt, cum dixerunt omnia esse unum tantummodo? Nihil aliud profecto, quam quod verissime dici potest,

esse, unum tantummodo *ESSE*, idque sempiternum, immutabile, ac divinum; cæteraque omnia in perpetua generationum ac corruptionum vicissitudine esse posita, ideoque nunquam proprie dici posse *esse*, sed semper fieri, gigni, interire; indeque concludebant, non posse ea proprie dici *entia*, siquidem *Ens* ab *esse* dicitur; nihilque vere *ens* dici potest, nisi quod potest dici esse. Sed quicquid sit de Veterum sententia, de qua videatur inter Græcos *Aristotelis* interpretes *Simplicius ad cap.* 2. *&* 3. *l.* 1. *Phys.* illud constat, & jam evictum est, ens non esse unicum, sed vere dari in Ente reali diversitatem & multitudinem. Cætera de *ente reali* sequens absolvet disputatio.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

QUADRAGESIMA-NONA.

DE

ENTE REALI.

THESIS I.

QUæ præcessit Disputatio, ea *Ens non unicum*, sed *Entia esse plura*, demonstravit: multa enim sunt quibus nomen & natura Entis convenit: sed videndum nunc est, *in quo sit sita illa communis natura & ratio Entis*, qua plura sub suo complexu continet ac comprehendit; *& quomodo ad inferiora contrahatur:* quod quidem explicatu tam est difficile, quam quid est in universa Philosophia: hic enim omnia sunt plena caliginis, ut vix videre detur, ubi pes figi possit, & fundamentum solidum poni. Nos in re obscura perspicuitati pro virili studebimus.

II. Ante omnia statuendum est, Entia realia omnia, modo revera sint talia, uno conceptu ac notione comprehendi posse, quæ non repræsentet certam entis realis speciem aut certum ens in specie, Deum aut creaturam, substantiam aut accidens, sed quæ repræsentet aliquid, in quo hæc omnia conveniunt. Atque hoc nobis notissimum est; ipsa enim nos docet experientia, audita voce entis mentem nostram à multitudine retrahi & ad quandam unitatem reduci, intellectumque nostrum formare unum communemque omnibus entibus conceptum, ac repræsentantem ens, non ut tale est aut tale in specie, sed ut est ens simpliciter. Præterea voces istæ, ὄν & ens, primum sunt adhibitæ, non ad significandum substantiam aut accidens, aut aliam naturam determinatam vel contractam, sed ad significandum id, in quo omnia entia conveniunt. Quare cum voces sint σύμβολα τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων, i.e. *notæ affectionum*, sive conceptionum, *quæ sunt in anima*, uti loquitur *Aristoteles c.* 1. *de Interpret.* omnino sequitur, hisce vocibus respondere unum conceptum in mente, quo intelligitur id, quod proxime atque immediate per hasce voces significatur. Si dicas, voces hasce ambiguas esse, ideoque non unum quippiam sed multa simul significare, ac proinde non esse necesse, ut iis unus respondeat conceptus: id quidem facile confutari potest. Demus enim eas voces esse ambiguas: hoc solummodo observandum est, eas non fuisse adhibitas primum ad significandam hanc vel istam entis speciem, mox ad significandam entis speciem aliam, & sic forte fortuna totum entis ambitum hisce vocibus fuisse comprehensum: sed vero statim atque hæ voces, ὄν & ens, in usu esse cœperunt, harum vocum primo usu, quicquid est, fuit designatum: quod fieri non potest, si mens unum conceptum communem omnibus entibus non formaverit.

III. Porro, quod si mens nostra non dividatur nec distrahatur in conceptus plures, concepto eo, quod nomen & notio entis importat, sed unum ac communem omnibus entibus formet conceptum, facile videre est, quod

quod omnia ergo entia aliquo modo inter sese conveniant, quippe uni conceptui necesse est ut respondeat unum objectum: debet enim esse proportio ac convenientia inter conceptum & objectum quod concipitur: ideoque si τὸ *ens* uno conceptu concipiatur, quo aliquid repræsentetur omnibus entibus commune, utique oportet à parte entis aliquid dari in quo omnia entia conveniant & uniantur, alioqui repræsentatio falsa foret. Sed verum est prius, *ex thes. præced.* E. & posterius. Hanc nostram ratiocinationem tali tibicine fulcit *Vir Cl. præceptor ac prædecessor noster*, *D. Fr. Burgersd. Metaph. l. 1. c. 2. th.* 10. Aut enim, *inquit*, communis illius omnium entium conceptus objectum, erit communio quædam omnium entium *inter se*, aut aliquod ex propriis particularium entium, *puta*, *Substantiæ & Accidentis*, *Dei & creaturarum*, rationibus, collectum & aggregatum: Hoc posterius manifesto falsum est: nam cum objectum ex multis particularibus objectis aggregatum est, *sc. absque aliqua communione aut unione*, conceptus quoque mentis aggregatus esse debet ex multis conceptibus, quorum singuli singulis objectis respondeant: *conceptus enim debent objectis suis esse similes, eaque sic repræsentare, ut sunt, & non aliter quam sunt.* Ergo concedenda est quædam omnium entium communio ac convenientia, secundum quam uno aliquo conceptu promiscue possint ab intellectu apprehendi.

IV. *Suarez*, & vulgus *Philosophorum*, qui ipsius vitula arant, hanc doctrinam sic efferunt. Ajunt, dari *unum conceptum entis*, tum *formalem*, tum *objectivum*. *Conceptum formalem* vocant ipsum mentis actum sive notionem, qua rem objectam apprehendit atque cognoscit: *conceptum objectivum* appellant rem ipsam, quæ conceptu formali cognoscitur, atque in mente repræsentatur, & quidem quatenus menti objicitur atque ab ea concipitur. Ex. gr. si quis hominem concipiat certo quodam modo, puta, qua animal est, illa notio, quæ in anima formatur, cum hominem concipit, ut animal, est conceptus formalis: homo vero ipse, quatenus ut animal concipitur, vocatur conceptus objectivus. Quamvis autem res eodem redeat, & sententia nostra à nobis *th.* 3. exposita non sit diversa à sententia *Suarezii* aliorumque, sub istis tamen terminis eam non proposuimus, quia abstinendum judicamus, quantum fieri potest, ab ineptis vocibus & insulsis loquendi modis, quibus *Philosophia* recepta tota est deformata: in illo sane numero est illa conceptus distinctio: omnis enim conceptus est conceptus formalis, h. e. forma quædam mentis, qua res sibi objectas immateriali modo refert ac repræsentat: res objecta nullo modo conceptus est, nec conceptus dici potest, ne externa quidem denominatione: denominationes externæ dicuntur de rebus oratione obliqua & παρωνύμως, non autem oratione recta & συνωνύμως: non enim dicimus, *miles est vestis aut gladius*, sed *est vestitus aut gladiatus*. Ad istum quoque modum, res objecta menti non potest dici conceptus, sed concepta παρωνύμως, h. e. id quod concipitur. Sed pergamus.

V. Constat ergo, dari omnium entium quandam communionem atque convenientiam in eo, quod sint entia: hic nunc quæritur, In quo hæc communio & convenientia omnium entium sit sita? Errant, qui eam ponunt in sola communione nominis, quod τὸ ὄν & ens de omnibus entibus prædicetur: nam hæc nominis communio non sufficit ad efformandum unum conceptum omnibus omnino entibus communem: Nec melius sentiunt, qui entis naturam communem collocant in aliquo, quod sit extra rationem entis: nam quod extra rationem entis est, id nihil est, aut certe non-ens; at entia non possunt in nihilo aut in non-ente convenire: nam si sumas ens late acceptum, illud & nihil opponuntur contradictorie, tanquam ens & non-ens: si ens sumas stricte pro ente reali, quemadmodum nos impræsentiarum sumimus, etiam ens reale & non ens reale contradictorie opponuntur. Restat ergo, ut omnium entium realium convenientia & communio generalis in ente, collocetur in proprio entis actu, per quem ens reale revera est ens & tale, per quem distinguitur non solum ab eo quod est nihil, sed & ab eo quod non est ens reale: nam dari quippiam, quod tametsi non sit revera ens reale,

reale, non tamen est nihil, quod medium vocant negationis inter ens reale & nihil, evincunt relationes, denominationes externæ, entia rationis, rationes entium, modi existendi & operandi, actiones omnes, &c. Consistit ergo communis ratio entis realis in proprio ejus actu: hic est *ESSE*: *ens* enim & *esse* sunt conjugata: Sed cum duplex sit *esse*, vel *essentia*, vel *existentia*, entis realis actus proprius consistit in τῷ esse essentiæ: potest namque Ens reale abstrahi ab esse existentiæ, ab esse essentiæ non potest, ideoque omne Ens reale est secundum esse essentiæ, & quicquid est secundum esse essentiæ, illud est Ens reale: sicuti è converso, non Ens reale, non est secundum esse essentiæ, & quod non est secundum esse essentiæ, illud est non Ens reale. Notandum vero hic à nobis intelligi, *esse* secundo adjectum, veluti cum dicimus, Deus est, Homerus non est sed fuit: nam esse tertio adjectum, nihil est aliud quam copula prædicati cum subjecto, quæ etiam non-enti reali & τῷ nihil competit: veluti cum dicimus, nihil est non-ens, cæcitas est privatio, & id genus alia.

VI. Sed hic scrupulus oritur gravis. *Si esse secundo adjectum iis solummodo conveniat, quæ actu sunt in rerum natura sive quæ existunt, non est ratio communis entis realis quod ab existentia abstrahi per mentem potest. Sed verum est prius. Ergo & posterius. Prob. min. Quia non recte dicitur, Rosa est, cum nulla rosa existit: certe Logici docent, quod esse secundæ adjectionis sit idem quod existere: Ergo, si diceretur rosa esse, cum non existit, diceretur esse, cum non est: jam vero ens reale non tantum comprehendit ea quæ actu sunt, sed & ea quæ sunt potestate, h.e. quorum natura non repugnat, actu esse. Esse secundi adjecti, ut loquuntur vulgo, non videtur esse ratio communis, in qua omnia entia realia conveniunt.* Ista objectio sic solvi potest: τὸ εἶναι sive esse secundo adjectum, idem sane est quod existere: nec tribuitur iis, quæ non sunt actu seu quæ non existunt; & quæ actu non sunt, solemus vulgo vocare non entia, id est non existentia: eadem tamen quæ non existunt, possunt dici *esse*, id est entia realia, ex hypothesi; quia tunc sunt entia realia, cum actu sunt, aut cum fuerunt, aut cum erunt. *Ens* igitur *reale*, & proprius ejus actus, *esse essentiæ*, abstrahi quidem potest ab esse existentiæ abstractione præcisionis, sed non item negationis: at quæ sunt non entia realia, abstractione negationis abstrahuntur, & ab esse existentiæ & ab esse essentiæ: illud autem esse seu esse essentiæ, in quo entis realis actum ponimus, nihil est aliud, quam quo Ens veram habet essentiam & est in rerum natura; tale autem est, quod est extra mentem, nec situm est in respectu, voce aut modo.

VII. Communis illa natura & ratio entis realis, in qua omnia entia realia conveniunt, determinatur & contrahitur ad inferiora, & in suas quasi species dividitur per convenientes differentias: quæcunque enim inter se in communi aliqua natura conveniunt, si ea inter se quoque distinguuntur, per differentias distingui debent, quæ communi naturæ adjiciuntur: istæ differentiæ entis realis non sunt entia realia, neque communem rationem entis realis includunt: *Genus non attribuitur differentiis, sed iis, de quibus differentia dicitur*, ut docet *Aristoteles l. 6. Top. c. 6.* Ideoque cum ens reale sit, quod dividitur, differentiæ dividentes non possunt esse entia realia. Et certè, si differentiæ entis realis sint entia realia, in eo quod sint & quatenus sunt entia realia, inter se conveniunt: in quo ergo inter sese differunt? aut si non differant, quomodo possunt ens in species dividere? si entia sint realia & tamen differant, per alias differentias differre debent, & illæ rursus per alias, atque ita vel in infinitum est progrediendum, vel dandæ erunt differentiæ, quæ entia realia non sunt. An ergo differentiæ istæ nihil omnino sunt? Ne hoc quidem: nam quæcunque inter se conveniunt, non possunt à se invicem distingui per illud, quod omnino nihil est. Quæ enim distinguuntur τῷ nihil, ne distinguuntur quidem, sed sunt reipsa unum: superest ergo, ut entis realis differentiæ, cum ipsæ nec sint entia realia nec nihil, sint aliquid medium, & quidem negationis, inter ens reale & nihil. *Si dicas, tale medium non dari:* Resp. ergo non tantum nullæ erunt entis realis differentiæ, sed nullæ quoque communes ejus affectiones, nulla ejus principia, quibus affectiones de ente reali demon-

monstrentur: quinimo tota everteretur Metaphysica, ac verborum tantum erit scientia, non rerum. Verum quia non-nemini fortasse paradoxa videbitur hæc opinio, una atque altera ratione eam confirmabimus.

VIII. §. 1. Una affectio entis realis differt ab alia; puta unitas à veritate, veritas à bonitate: nam licet verum sit, quicquid unum est, & bonum sit, quicquid verum est, unitas tamen veritas non est, nec veritas bonitas, nec illa prædicatio identica est, qua dicitur unum esse verum, aut verum esse bonum. Atqui unum, verum, bonum, non distinguuntur per id, quod revera est ens reale (nam ens reale in iis omnibus & ex æquo includitur, in eoque inter sese conveniunt) non etiam distinguuntur eo quod nihil est (nam quæ distinguuntur eo quod nihil est, omnino non distinguuntur.) Ergo concedendum est; aliquid includi in affectionibus entis realis, quod nec ens reale sit, nec nihil. Neque vero solum in rebus Metaphysicis, sed & Mathematicis & Physicis sic est philosophandum.

IX. §. 2. Mathematicæ scientiæ versantur circa definitam quantitatem: hæc subjectum est. Affectiones, quæ de quantitate demonstrantur, ab ipsa quantitate aliquo modo distinguuntur: non sunt ipsa quantitas; neque nihil omnino; nec tamen entia sunt realia ab ipsa quantitate diversa, nam si essent entia realia, vel substantia forent vel accidentia: atqui substantiæ non sunt affectiones accidentium, imo ne substantiarum quidem: si sint accidentia, quantitati inhærebunt, quia accidentis esse est inesse illi, cujus accidens est: atqui affectiones quantitatis non inhærent quantitati; quia accidens non inhæret accidenti: quantitas autem accidens est, ex communi sententia. Si respondeas, quantitatem non distingui à re quanta; ex eo inferam, affectiones quantitatis quoque non distingui reipsa à quantitate: ac proinde non esse entia realia à quantitate diversa; nec tamen nihil sunt. Ergo concedendum est quippiam, quod non sit nihil omnino, nec tamen ens reale, quod erat demonstrandum. Simili modo liceret argumentari ex Physicis; sed charta vetat, & hæc suffecerint.

X. Totum hoc negotium, ceu in tabella, sic repræsentari potest. *Ens*, ut nomen, *significatione lata*, est idem quod *aliquid*, & opponitur contradictorie τῷ *nihil*, quod idem est ac non *ens*; neque hic datur medium negationis. *Ens late* sumtum, subdividi potest, in ens *stricte* sumtum, vulgo *reale*, & *aliquid* quod non est ens reale sed ei oppositum, nec tamen nihil, quod impræsentiarum vocamus *medium negationis* inter ens reale & nihil, aut non-ens reale. Atque hoc non est unius conditionis, sed multiplici varietate diversum; adeo ut difficilius sit hanc non-entium realium, quam verorum entium realium multitudinem ad certas classes revocare; præsertim cum in entibus digerendis habeamus, quos sequamur; at in explicandis & distinguendis hisce non entibus per invia sit eundum. Sed de iis alias agere licebit: nunc de *Ente reali* gemina disputatione hæc discussisse satis esto.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum, QUINQUAGESIMA. DE ENTE RATIONIS.

THESIS I.

DIsputationem geminam de *Ente reali* non incommode videtur exceptura una de *Ente rationis*, quod à *ratione* nomen habet, quia ad *rationem*, h. e. mentem seu intellectum nostrum dicit aliquem respectum & habitudinem, non quod à *ratione effectione* aliqua reali fiat, nec quod *rationi ut subjecto* insit, sed quod rem consequatur in quantum *rationi* nostræ cognoscenda proponitur: nam ens rationis trifariam dicitur, prout trifariam

pendet à ratione. Quædam enim entia rationis dependent à ratione *effective*, sive tanquam à causa efficiente; qualia sunt, quæcunque ab aliquo mentis actu vel habitu proficiscuntur: huc pertinent primum, omnes tes artificiosæ: deinde, quæcunque ad mores pertinent, ut virtutes & vitia moralia, eorumque effecta: his opponuntur ea, quæ necessitate naturæ eveniunt, aut casu: hæc enim non à ratione, sed sine ratione, vel etiam præter aut contra rationem, fieri dicuntur. Alia dependent à mente sive ratione *subjective*, seu tanquam à subjecto, ut disciplinæ aliique similes habitus, & qualitates, quæ menti ut proprio subjecto inhærent. Alia denique dicuntur à mente dependere *objective*, nimirum, quia rebus competunt easque consequuntur, quatenus & quoties menti seu *rationi* cognoscendæ objiciuntur. Si entia rationis sumantur prima ac secunda significatione, quæ vel *effective* vel *subjective* dependent à mente, sunt entia realia, vere ac proprie sic dicta: nam & τὸ εἶναι proprius entis realis actus, τὸ esse, & τὸ τί ἐστὶ, & τὸ τί ἦν εἶναι seu essentia, illis convenit. Præterea affectiones entis realis in iis repetiuntur, unitas, veritas, bonitas. Sed vero entia rationis tertia significatione accepta, nec essentiam habent veram nec existentiam: eorum enim esse in mentis consistit fictione: oriuntur enim ex eo, quod res unaquæque menti objiciatur, & ab ea certa ratione cognoscatur.

II. Dati *entia rationis objective*, haud difficulter probari potest, si observetur, dudum genetum esse ea, quæ rebus tribuuntur: nam longe alia rebus conveniunt, ut sunt, & alia, ut res à nobis intelliguntur & cum aliis rebus comparantur. Quæ rebus conveniunt, *ut sunt, entia sunt realia:* quæ veto iisdem conveniunt, ut à mente apprehenduntut, sunt *entia rationis*. Ex. gr. homo, *ut homo*, est animatus, sensu præditus, bipes, risibilis, &c. sed ut ab intellectu intelligitur, tanquam pars quædam animalis, quæ ei subsit, dicitut esse subjectum & species animalis: illa priora, *esse animatum, esse bipedem*, &c. sunt *entia realia: esse speciem, esse subjectum*, &c. sunt *entia rationis:* non enim hæc conveniunt homini, quatenus homo est, sed quatenus ab anima intelligente intelligitur, & cum animali comparatur. Similiter virtus, qua virtus, est habitus, & mediocritas, & qualitas: at si ab intellectu comparetur cum fortitudine, temperantia, justitia, & cum iis, quibus communiter ineft, & quibus attribuitur, attributum earum & genus dicitur: priora hic itetum, *esse habitum, esse mediocritatem, esse qualitatem*, sunt *entia realia*; posteriora veto, *esse attributum, esse genus*, sunt entia rationis.

III. Porto cum mens nostra prius fetatur in res ipsas, quam in earum cum rebus aliis comparationes, ideo rerum ipsarum conceptus apud *Logicos* dicuntur *intentiones primæ*, sed conceptus eorum, quæ rebus conveniunt: quia ab intellectu intelliguntur, vocantur *intentiones secundæ:* nempe, quia mens nostra primum aciem intendit suam in rem ipsam, ut est; secundo autem loco, in ea, quæ illi conveniunt, ut intelligitur. Et vocabula, quibus primi conceptus significantur, vocantur *nomina intentionis primæ*, πρωτονοημάτων· illa vero, quibus significantur conceptus secundi, *nomina secundæ intentionis*, δευτερονοημάτων· *homo, animal, bipes*, sunt voces primæ intentionis; *genus, species, subjectum, attributum*, secundæ intentionis. Sed de his consulantur *Logici* vereres & recentiores.

IV. Ut vero natura entium rationis conditioque intelligatur melius, explicandum est, *quo modo in rebus mentis ope oriantur.* Intellectus ergo author est entium rationis, eaque gignit ac producit intelligendo, i. e. formando conceptus sive notiones objectarum rerum. *Notiones* vulgo dividuntur in primas & secundas. *Primæ* reptæsentant res ipsas ita uti sunt in se: *secundæ*, ptout certa ratione menti objiciuntur, ab eaque concipiuntur, vel potius repræsentant modum ipsum, quo res concipiuntut: jam vero, facit entia rationis mens, non secundis, sed primis notionibus, & facta secundis apprehendit atque intelligit, cum in seipsam reflexa concipit, quomodo primis notionibus res objectas conceperat: itaque rationis entia recte dicuntur effecta primarum notionum & objecta secundarum.

V. *Notiones primæ*, vel *absolutæ* sunt vel *comparatæ*. *Absolutas* voco, cum intellectus unam-

unamquamque rem seorsim & sine ulla habitudine ad alias concipit: *comparatas dico*, cum concipit, quomodo res unaquæque se habeat ad alias: non fiunt autem entia rationis absolutis sed comparatis notionibus: hujus tamen comparatæ intellectionis terminus non est ens rationis, h. e. ex hac comparata intellectione non oritur ens rationis ita, uti calor ex calefactione: sic enim entia rationis forent entia realia: sed comparatæ intellectionis terminus proprius, atque internus, est conceptus ipse sive notio prima objectum certa ratione repræsentans: hujus enim repræsentationis vi oritur ens rationis in ipso objecto. Ex. gr. cum intellectus Petrum apprehendit & Paulum, apprehensos inter se comparat, ex comparatione deprehendit utrumque esse hominem; rejectis deinde attributis iis, quibus inter se differunt, humanitatem seu naturam humanam in abstracto concipit; tum ista conceptione dicitur in & de homine formare illud ens rationis, quod *speciem* vocant *Logici*: *speciem* enim *esse*, non convenit humanæ naturæ aut homini in & per se, sed vero naturam humanam consequitur, cum intellectus eam, ab hominibus singulis eorumque differentiis individuantibus abstractam, in communi ratione concipit, in qua singuli homines conveniunt & quodammodo unum sunt: ubi jam intellectus repercussus & in seipsum reflexus, secunda vice intelligit se intelligere naturam humanam, eo, quo dictum est, modo, h. e. à singulis hominibus abstractam, dicitur formare *notionem secundam*, quæ naturam non repræsentat humanam, sed vero modum illum sive rationem, qua naturam humanam conceperat, h. e. qua promiscue sese habet ad Petrum, Paulum, aliosque singulares homines. Quod de natura dico humana, id pariter de omnibus rebus accipiendum est, quæ pluribus rebus sunt communes: unum enim idemque rationis ens multis admodum rebus ac pene omnibus attribui potest, quia nimirum uno eodemque modo pleræque res cum aliis comparari possunt: nam ut homo se habet ad Petrum & Paulum; ita se habet canis ad Phylacem & Melampum; pirus ad hanc vel illam pirum; justitia ad justitiam Aristidis & Socratis, & sic porro.

VI. Entia rationis totuplicia sunt, quotuplices sunt rationes entium, sive quotuplici modo res unaquæque cum alia re conferri ac comparari potest; itaque sicuti rationem illam, qua res est pluribus communis, *speciem* vocamus; ita rationem illam, qua res est communis speciebus pluribus, appellamus *genus*; rationem illam, qua res nullam habet communitatem, nuncupamus *individuum*; qua ab alio pendet, *effectum*: qua aliquid confert ad alterius rei ortum, *causam*; qua alii subjicitur, *subjectum*: qua alteri adjungitur *adjunctum*, &c. Neque vero singula duntaxat rationis entia, sed multa simul, reperiri possunt in rebus singulis: una enim eademque res genus esse potest, subjectum, causa, totum, & quid non? nimirum, quia una res potest multis modis cum alia conferri, ideoque diversimode intelligi.

VII. Ex hisce ita expositis facile liquet, entia rationis non fingi aut formari ab intellectu nostro temere ac pro libero arbitratu, sed certo modo ac lege, sequitur enim in efficiendis entibus rationis λόγους ἔναι seu rationes entium, quæ sunt sitæ in σχέσει sive respectu & habitudine rei objectæ cum rebus aliis. Res sic se habet. Quotiescunque mens nostra res sibi oblatas percipit, quæ σχέσιν seu habitudinem aliquam habent & quatenus habent, toties efficit ens rationis secundum rationem istius σχέσεως seu habitudinis: vel, ut clarius loquar, toties ens rationis in re intellecta resultat ex eo, quod intellectus eam sub ista ratione sive cum ista σχέσει conceperat atque apprehenderat. Quid igitur tandem fuerit ens rationis? an intellectio ipsa? neutiquam: an conceptus, qui in mente per intellectionem formatus? nequaquam: an res concepta? minime: an σχέσις rei intellectæ cum rebus aliis, seu ratio, qua menti objicitur? ne hoc quidem. Quid ergo? Ens rationis, præter hæc omnia est aliquid aliud, quod oritur in re intellecta, ex eo quod intellectus res primum apprehendat, apprehensas comparet, comparatas secundum certam σχέσιν, habitudinem, ac rationem intelligat: ideoque

entia rationis non sunt, nisi quando intellectus operatur, & intelligit: ac si intellectus desinat intelligere, desinit quoque esse ens rationis: ita in totum à ratione dependet ens rationis: ideoque non immerito sic dicitur.

VIII. Hæc omnia cum sic se habeant, cavendum est sedulo, ne *entia rationis* & *rationes entium* inter sese confundantur: nam multum adhuc differunt: quippe rationes entium sunt in rebus citra & ante omnem mentis actum, imo sunt propria mentis in intelligendo objecta, aut modi potius, sub quibus res menti objiciuntur: at entia rationis mentis nostræ operationem sequuntur, eaque mediante rebus accidunt: itaque rationes entium fundamenta sunt, quibus entia rationis sunt innixa. Rationes enim entium sunt modi, quibus res certis conceptibus objiciuntur, & quando res secundum modos illos ac rationes intelliguntur, entia rationis in illis vi istius intellectionis otiuntur & resultant, itaque sicuti conceptus intellectionesque nostræ sequuntur rationes entium, sic entia rationis sequuntur conceptus intellectionesque nostras; ideoque hosce modos, sub quibus res cognoscendæ menti objiciuntur & ab ea cognoscuntur, *entia rationis* consuevimus appellare, non solum, quia mentis operatione fiunt quæ *ratio* quoque dicitur; sed etiam, quia entia rationis sequuntur *rationes rerum* mediante intellectione: Philosophorum vulgus diceret, entia rationis & à *ratione ratiocinante*, quæ est intellectio, & à *ratione ratiocinata*, nominari, quæ est ratio in rebus.

IX. Atque ex hisce omnibus satis apparet, quam perpetam *Suarez* & ejus compilatores plutimi, *Negationes*, *privationes*, atque *entia ficta*, ut Chimæras, Centauros, inter entia rationis retulerint ac referant. 1. Quod nihil est, non est ens rationis: quia nihil discrimen nullum infert in rebus: at entia rationis discrimen in rebus inferunt: Atqui negationes omnino nihil sunt, quatenus sunt negationes. 2. Privationes, licet non sint omnino nihil, attamen nihil ponunt, sed aliquid auferunt à re; sed entia rationis aliquid ponunt in re: nam de rebus affirmate dicuntur, ut rationes entium, relationes, denominationes externæ, modi, &c. & ideo, in quantum entia rationis veris entibus affirmate tribuuntur, in tantum quoddam quasi esse positivum habent: quemadmodum enim quædam sunt *quasi* entia, ita quoque illis non quidem esse, sed *quasi* esse competit: at privationes nullum habent esse positivum; imo illis nec esse nec *quasi* esse tribui potest, sed potius non esse. 3. Entia ficta, aut spectantur secundum hypothesin, aut extra hypothesin, juxta quam finguntur: si ficta considerentur secundum hypothesin esse hoc, quod finguntur esse, entia sunt vera proptieque dicta: sin conderentur extra illam hypothesin, non sunt vera entia, sed omnino nihil: illud enim, quod fictio repræsentat, omnino nihil est: quin imo si non sit, nihil non erit ens fictum.

X. Sed enim, ut tandem defungamur in natura Entium rationis indaganda. Quid denique erit ens rationis? Resp. uno verbo. *Non* est *nihil*, *non ens reale*, *sed medium negationis*, inter utrumque, quale dari *disp. præcedens* evicit. *Non est ens reale*, quia in rebus oritur solummodo vi mentis rationes entium distinguentis singulasque singulis conceptibus apprehendentis, prout illud nunc fuse est explicatum. *Non est nihil*, quia intelligi potest: at nihil, qua nihil, intelligi nequit: deinde unum ens rationis, distinguitur ab alio; aliud enim est ens rationis, quod *genus*, aliud quod *species* appellatur, aliud quod *subjectum*, aliud quod *prædicatum* dicitur, &c. At in nihilo nullum potest esse discrimen. Si objicias *entia rationis intelligi atque inter se distingui*, *non quatenus sunt entia rationis*, *sed quatenus distinctis rationibus entium innituntur*; non est difficile, exceptionem istam confutare: licet enim entia rationis sequantur rationes entium, ab iisque habeant diversitatem, adeo ut sine iis, nec esse, nec intelligi, nec distingui possint; non sequitur inde tamen, quod nihil omnino sint: imo sequitur, quia entia rationis rationes entium mentisque nostræ conceptus sequuntur, ea non esse nihil, sed aliquid à rationibus entium mentisque nostræ conceptibus diversum. Atque hæc naturæ *Entium rationis*, de quibus tam frequens in *Philosophia* est sermo, enucleandæ satisfecerint.

FINIS.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

VOLUMINIS SECUNDI,

PARS SECUNDA.

DE

INHÆR. ACCID. ACTUALI.

THESIS I.

EXposuimus disquisitioni publicæ quinquaginta variis de materiis *disputationes, ex Philosophia* selectas, in unum postea volumen redactas: sed quia tam fertilis est utilissimarum quæstionum *Philosophia*, ut nunquam desit nova disputandi materia, ne animus & ardor *Philosophiæ Studiosorum* sufflaminetur, visum fuit de novo alias iterum *materias seligere*, aut jam ante disputatas uberius persequi, aut multas ante κατασκδαστικῶς pertractatas, nunc ἀναστδαστικῶς easdem tractare: utemur vero jure nostro ac libertate consueta, in manus sumendo, nunc hanc, nunc illam, nunc aliam materiam, prout inciderit; & nulli nos adstringendo, nisi soli & uni rationi, servando semper heroicum illud *Aristotelis* dictum, *Amicus Socrates, amicus Plato, (amicus*, addo, *ipse Aristoteles) sed magis amica veritas.* Asseruimus *Disp. select. vol. præliminari secunda, inhærentiam actualem* & non aptitudinalem, *esse essentiam accidentis*, idque *rationibus* probatum dedimus: quia vero in hanc veritatem incurrunt, *Eustachius, Raco, Toletus, Conimbricenses, Suarez, Hurtadus, Arriaga, Oviedo*, &, qui hodie manibus juventutis teruntur, ex *Scholasticorum & Philosophorum vulgo*, omnes, ut illa adversus impetum *adversæ partis* præmuniatur, *argumenta contraria nunc dissolvemus:* præsertim quod hæc *Adversariorum* opinio tanto molimine ab iis defendatur, ut in suo *Transubstantiationis* figmento, *accidentia panis & vini post consecrationem sine suo subjecto, consequenter sine inhærentia actuali, existere & manere divinitus*, tueantur. Sed rem aggrediamur.

II. §. Obj. 1. *Essentia rei cujusque prior est existentia. Inhærentia actualis non est prior existentia accidentis. Ergo, &c.* Resp. 1. *Neg. maj.* & ratio est, quia essentia respondet quæstioni quid sit, existentia quæstioni an sit; ut ergo τὸ quid sit, præsupponit, an sit, ita essentia supponit existentiam; imo nihil potest dici essentiam habere, nisi aut existentiam habeat, aut habere, aut habuisse, vel habiturum, supponatur: ita ut essentia non possit concipi sine existentia: de actuali essentia, seu ea, quæ tribuitur rebus actu existentibus, nihil est dubium: de potentiali essentia, seu ea, quæ tribuitur rebus, non actu sed potentia existentibus, certum quoque est, quia licet essentia rerum possibilium abstrahatur ab existentia actuali, non tamen negat eam, sed connotat, ac semper respectum ad eam dicit; ita ut essentia rebus possibilibus non tribuatur, nisi cum respectu ad existentiam, quatenus res scil. possibiles existere possunt aut supponuntur. Resp. 2. *Neg. min.* quia inhærentia actualis non est tantum, qua accidens actu inhæret cum existit, sed & qua inhærere actu concipitur, cum existere concipitur: sicut ergo prius est, concipere, rem esse, id est, habere essentiam, quæ eam actuet ac constituat in certo entium ordine, posterius vero est, concipere rem essentiatam, actuatam, extra causas poni, ita prius est, concipere, accidens esse, id est, habere essentiam, quæ accidens actuet & constituat in ordine accidentium, non substantiarum, quod facit inhærentia actualis,

posterius vero est, concipere, accidens esse positum extra causas, seu existere: Et sic inhærentia actualis est prior existentia accidentis.

III. §. Obj. 2. *Relatio aut respectus non est de essentia absoluti. Inhærentia Actualis est relatio aut respectus. Ergo non est de essentia absoluti. Sed accidens est absolutum quid. Ergo. &c.* Resp. *ad maj.* Relatio prædicamentalis non est &c. Vera est maj. Ad min. Inhærentia actualis est relatio prædicamentalis. Neg. min. est enim transcendentalis, qualis est inter causam & causatum, subjectum & adjunctum, &c. hoc autem modo omne ens, non tantum accidens, sed & substantia, est relatum quid, quia saltem ad Deum refertur tanquam ad causam. At hæc relatio transcendentalis nihil impedit, quo minus talia relata vere sint entia absoluta: at vero esse ens absolutum & esse relatum prædicamentale pugnant, quia hujus essentia tota consistit in referri ad aliud, illius non item: idem autem non potest simul referri ad aliud & non referri.

IV. §. Obj. 3. *Si inhærentia actualis potest abstrahi ab accidente, Ergo non est essentia accidentis. Sed potest abstrahi. Ergo.* Resp. *Neg. min.* non potest, nec abstractione præcisionis, nec negationis. *Prob. min. Quorum unum potest concipi, altero non concepto, ea possunt à se invicem abstrahi, saltem præcisive: Sed accidens potest concipi non concepta inhærentia actuali. Ergo.* Resp. *Neg. min.* Potest quidem aliquid concipi & intelligi de accidente, affectio aut attributum aliquid, non concepta inhærentia actuali accidentis; sed non potest accidens in sua natura conceptu essentiali intelligi qua accidens, non concepta aut non inclusa in illo conceptu inhærentia actuali; sicut non potest concipi homo, nisi in conceptu illo includatur τὸ rationale. *Prob. min. Quantitas est accidens. Quantitas potest concipi non concepto subjecto. Mathematicus enim abstrahit quantitatem à subjecto. Ergo aliquod accidens potest concipi non concepto subjecto, seu quod idem est, non concepta inhærentia actuali in subjecto.* Resp. Ad hunc syllogismum multa responderi possunt. 1. Quæstio est de Accidente in genere, an hoc intelligi possit non intellecta actuali inhærentia in subjecto: hoc autem argumentum agit de accidente in specie, de quantitate. 2. Mathematicus non cognoscit ipsam quantitatem, naturam puta illius accidentis in specie, hoc enim facit Physicus, qui eam cognoscit, ut est affectio corporis naturalis; Sed Mathematicus quædam tantum attributa cognoscit, de quantitate, quæ de ea demonstrat. At nos agimus impræsentiarum de cognitione ipsius Accidentis naturæ. 3. Malè confunduntur ista duo; sc. Accidens potest cognosci aut concipi, non cognito vel non concepto subjecto, &, accidens potest concipi non concepta inhærentia in subjecto: nam aliud est, cognoscere subjectum, aliud, cognoscere τὸ esse in subjecto: non requiritur ad cognitionem accidentis cognitio subjecti, sed hoc tamen necessario cognosci debet, quod sit in aliquo ut in subjecto. 4. Distingui potest inter conceptum confusum & distinctum: potest quantitas cognosci aut simile accidens confusa cognitione, non concepto subjecto, sed ejus natura distincte cognosci nequit, nisi cognito aliquo subjecto, & eam esse accidens cognosci nequit, nisi simul cognoscatur eam esse in aliquo subjecto. Disputari hic posset, an quantitas sit verum accidens: Verum illud nunc supponimus, quod tamen falsum esse seq. disp. demonstrabimus.

V. §. Obj. 4. *Si inhærentia actualis sit essentia accidentis, Ergo accidens necessario semper inest subjecto. Sed hoc est falsum. Ergo & illud.* Resp. 1. *Neg. min.* Nam accidens necessario in aliquo semper est subjecto, sc. cum est, cum enim non est, nihil mirum est, quod non sit in subjecto. 2. *Neg. maj.* Nam non sequitur: si actualis unio cum materia sit essentia formæ, Ergo necessario forma semper unitur: si actu per se existere sit essentia substantiæ, Ergo necessario semper substantia actu per se existit: sed id sequitur: quod substantia, cum erit, actu existet per se; forma, cum erit, actu unietur: sic & accidens, cum erit, actu inhærebit subjecto. Et notandum est, quando essentia aut pars essentiæ dicitur de essentiato, animal aut rationale de homine, per se existere de substantia,

ſtantia, eſſe in ſubjecto de accidente, quod inde non ſequatur, res illas neceſſario exiſtere, quia veritas talium enunciationum neceſſariarum non fundatur in exiſtentia ſed in connexione neceſſaria extremorum, & neceſſitas talium enunciationum non eſt abſoluta ſed hypothetica: non enim dico, hominem neceſſario exiſtere, cum dico, homo eſt animal, ſed cum exiſtet, extiturum animal, & non aliam entis ſpeciem: ſic non dico, accidens neceſſario exiſtere in ſubjecto, aut ſubſtantiam extra ſubjectum, cum dico, accidens actu inhæret ſubjecto, aut, ſubſtantia ſubſiſtit per ſe, ſed dico, cum accidens exiſtet, inhærebit actu, &, cum ſubſtantia exiſtet, ſubſiſtet per ſe.

VI. §. Object. 5. *Exiſtentia non eſt de eſſentia alicujus entis. Inhærentia actualis eſt exiſtentia accidentis* (aut modus ſaltem exiſtentiæ) *Accidens eſt ens creatum. Ergo &c.* Reſpond. Ad hoc argumentum, ſic ſatis intricatum, nonnulli reſpondent, negando majorem cum diſtinctione eſſentiæ, dicunt: Exiſtentia non eſt de eſſentia actuali alicujus entis creati, falſum eſt. Exiſtentia non eſt de eſſentia poſſibili entis creati, verum eſt. Sed mihi quidem iſta diſtinctio non ſatisfacit: Nam eſſentia poſſibilis ſeu entis in potentia eſt eadem cum actuali ſeu entis actu: eadem enim eſt eſſentia roſæ nunc non exiſtentis, & æſtate exiſtentis. Quare ſi exiſtentia ſit de eſſentia actuali entis creati alicujus, erit de poſſibili ejuſdem eſſentia. Ego malim dicere ad majorem, eam male proponi: Nam quid hoc eſt dicere? exiſtentia eſt de eſſentia entis creati. Aut ſignificat, idem eſſe exiſtentiam rei creatæ, quod eſt eſſentia ejus, aut, idem concipi concepta eſſentia, quod concipitur concepta exiſtentia: utrumvis dicant, niſi multum diſtinguant, inepte loquuntur, ſi non falſo. Eſt quidem exiſtentia idem cum eſſentia, quatenus non eſt res aut modus alius diſtinctus ab eſſentia, non tamen idem ſignificat eſſentia quod exiſtentia: nam eſſentia reſpondet quæſtioni, quid eſt; exiſtentia, an eſt, quæ ut diverſæ ſunt quæſtiones, ita diverſimode ad eas reſpondetur per eſſentiam & exiſtentiam. Deinde eſſentia indifferenter competit enti in actu & in potentia: exiſtentia non niſi enti in actu: unde, ſecundum ſi dicant, idem concipi concepta exiſtentia, quod concipitur concepta eſſentia, falſum dicunt: ſunt enim plane diſſimiles & diverſi conceptus eſſentiæ & exiſtentiæ in rebus creatis, quæ diſſimilitudo & diverſitas fundatur in indifferentia iſta eſſentiæ ad τὸ actu eſſe & potentia, quæ non item convenit exiſtentiæ, & in diverſitate quæſtionum, an ſit & quid ſit. Reſp. 2. Neg. prius membrum minoris: Nam inhærentia actualis non ſumitur hic à nobis hoc ſenſu, quaſi ſignificet abſolute, accidens ſemper inhærere; ſed hypothetice, cum eſt, tum inhærere: nam cum non eſt, tum non inhæret: itaque actualis inhærentia non ſignificat actualem conſtitutionem accidentis extra cauſas, ſed ſignificat naturam modumque accidentis, qualis ſit natura accidentis futura, cum illud extra cauſas conſtituetur, quomodo ſe ſit habiturum, an per ſe ſit extiturum, an in alio ut ſubjecto futurum. Clarius & uno verbo: Inhærentia actualis dicitur, aut qua actu inhæret accidens, cum ſc. exiſtit, aut qua actu inhærere concipitur, cum non quidem exiſtit, ſed exiſtere aut extiturum concipitur. Atque ex hiſce haud difficulter ſolvitur ſequens argumentum.

VII. §. Obj. 6. *Si inhærentia actualis ſit eſſentia accidentis, Ergo quando actu non inhæret, non habebit eſſentiam. Sed hoc eſt abſurdum, quia entia, cum actu non ſunt, habent tamen eſſentiam; hæc enim abſtrahitur ab exiſtentia.* Reſp. *Neg. conſeq.* Quia per inhærentiam actualem, quam dicimus eſſe eſſentiam accidentis, intelligimus, non tantum inhærentiam, qua actu & de facto inhæret ſubjecto, cum eſt atque exiſtit, ſed &, qua actu ineſſe concipitur, cum exiſtere aut fore concipitur: Inhærentia enim actualis dicitur eo ſenſu, quod omnis eſſentia nonnullis Philoſophis dicitur actualis, non quod omnis eſſentia ſemper exiſtat, (eſt enim eſſentia quædam potentialis, quam res non-exiſtens habet) ſed quia omnis eſſentia ſemper actuat, ſive ſit entis in potentia ſive entis in actu, i. e. eſſe & eſſe tale largitur in certa ſpecie, licet res eſ-

sentiata nondum existat, quod patet exemplo rosæ & hominis, quæ per essentiam actuantur, i. e. in certa classe collocantur entium, licet nondum existant: sic inhærentia dicitur actualis, quia de facto ac revera actuat accidens, i. e. in certo genere entium reponit, utcunque nondum existat. Et, ut summatim omnia complectar, Essentia accidentis dicitur consistere in inhærentia actuali, non hoc sensu, quasi accidentis essentia sit, semper actu esse atque existere, & sic actu inhærere, sed sensus est, ut ante dixi, hypotheticus, sc. Accidens si est, cum est, est in subjecto actu: cum dicitur essentia hominis consistere in actuali unione animæ & corporis, non ea phrasi significatur, animam semper actu uniri corpori, aut hominem semper existere, sed hoc tantum innuitur, quod non possit concipi hominis essentia, nisi concipiatur unio (non possibilis, tum nondum concipitur homo) sed actualis, quemadmodum non potest concipi formæ materialis essentia, nisi ejus concipiatur actualis quoque cum aliqua materia unio: ita quoque inhærentia actualis est essentia accidentis, quatenus hæc concipi nequit, nisi concipiatur ejus inhæsio actualis in subjecto, quod erat demonstrandum. *Eustachii, Raconis, Conimbricensium* Objectiones alias refutat Ecclesiæ Cleracensis in Gallia Pastor, Vir Doctissimus, *D. Petrus Fitanus Solon, in divinæ ac transnaturalis suæ Philosophiæ Exercitationibus nobilissimis, quæ non satis possunt commendari.*

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

SECUNDA.

DE

QUANT. IDENT. CUM MAT.

THESIS I.

SUppositum *disp. præced. Quantitatem esse accidens entitate ac re ipsa destinctum à substantia:* quæ quidem vulgaris est *Philosophiæ* sententia. Verumenimvero, ut multa sunt in eâ recepta quidem, non tamen protinus vera, ita sese res quoque hic habet: neque enim *quantitas* (intellige continuam, de qua nobis sermo est tantum) *realiter nobis distingui censetur à materia, neque diversum ab ea ens esse videtur: quod* κατασκευαστικῶς probatum imus.

II. §. 1. Si quantitas sit ens realiter distinctum, oportet istius distinctionis realis assignare aliquod fundamentum. Sed illud assignati non potest. Ergo. *Prob. min.* Vel enim fundamentum illud est, in separatione reali quantitatis à materia, vel est in diversitate conceptuum realium. Sed neutrum dici potest. Ergo. Min. prob. Quia quantitas sine materia, aut materia sine quantitate reperta nunquam fuit, quin ne reperiri quidem potest: Nam quod hic rarefactionis & condensationis exemplum proferant quidam, ad id dicimus, vel quantitatis tantum terminos mutati, manente eadem quantitate ipsa, vel rarefactionem fieri per appulsum novarum particularum aut corpusculorum, & condensationem per earundem aut eorundem expulsionem, & sic manere eandem corporis, quod rarefit aut condensatur, quantitatem, quæ fuit prius. Et sane, si quantitas aut existit aut existere potest separata ab omni materia, atque illa fuerit accidens ex sententia *Adversariorum*, utique accidens existet aut existere poterit extra subjectum suum, cujus contrarium, & *Disp. select. Vol.* 1. *Disp. præliminari secunda*, & *hujus Vol. Disp. præced.* est demonstratum. Si materia potest existere aut existit sine quanti-

quantitate, ſubjectum poterit exiſtere aut exiſtet ſine proprietate. Sed ſubjectum & proprietas ſepatati nequeunt, quia ſeſe mutuo ponunt & tollunt; habent enim ſe ut cauſa emanativa & effectum; quod alias fuit oſtenſum. Ergo. Si realis diſtinctio quantitatis à materia fundetur in diverſitate realium conceptuum, profecto ex hac diverſitate conceptuum, non poteſt deduci diverſitas eſſentiarum; nam de re una eademque poſſunt formari conceptus reales vel realiter diverſi; Deus enim poteſt concipi, ut ens, ut bonum, ut verum, ut ſapiens, ut vivens, neque tamen entitas, bonitas, veritas, ſapientia, vita, dicunt diverſa in Deo entia. Sic Petrus concipitur, ut homo, ut animal, &c. neque tamen, humanitas & animalitas &c. dicunt diverſa in Petro entia. Itaque diverſitas conceptuum non arguit diverſitatem rerum, ſed modorum tantum, aut, ut loquuntur vulgo, formalitatum, ſeu rationum formalium, aut quidditatum.

III. §. 2. Si quantitas ſit ens à materia realiter diſtinctum, aliquam entitatem ſuperaddet ſubſtantiali entitati materiæ. At quæ hæc erit? vel ſuperaddet materiæ partes, vel diſtinctionem partium, vel diviſibilitatem, vel extenſionem. Sed nihil horum. Ergo. *Non ſuperaddit materiæ partes* Quantitas, licet ſic ſentiant plerique *Thomiſtarum*: quia materia ex ſe & per ſe ſeu per ſuam entitatem, non autem per aliud ens à ſe diſtinctum realiter, partes habet: alioquin materia ex ſe & per ſe ſeu per ſuam entitatem eſſet ſimplex & indiviſibilis, quia ſimplex dicitur, ens partibus carens, & indiviſibile, quod non habet partes, in quas poſſit dividi. At materia ex ſe & per ſe, ſeu per ſuam entitatem, non eſt ſimplex & indiviſibilis: ſic enim in eſſentia ſua non diſtingueretur à ſpiritu, & corpus, materia hominis, quoad entitatem, non diſtingueretur ab anima rationali: & totius Oceani materia non haberet plures partes quam una maris gutta, ſc. utraque ex ſe: nam quod nullas partes habet ex ſe, ut materia, ex ſententia Adverſariorum, illud non habet plures partes, quam aliud: & materia Oceani eſſet tota in toto & tota in qualibet parte: nam quod indiviſibile eſt, ubi eſt, ibi eſt totum per eſſentiam: & materia elephantis non erit capax recipiendi plures partes quantitatis, quam materia muſcæ; ſi enim materia eſt ex ſe ſimplex & indiviſibilis, æqualem habet capacitatem recipiendi quantitatem: & quales erunt iſtæ partes, quas materiæ ſuperaddet quantitas? vel ſubſtantiales, vel accidentales? Si ſubſtantiales, Ergo quantitas ipſa non erit accidens, ſed ſubſtantia, aut ſaltem identificabitur cum ea, neque erit ens diſtinctum ab ea: quod enim eſt accidens, illud non poteſt dare eſſe ſubſtantiale ſubſtantiæ, ſc. formaliter, uti hic fieret. Si accidentales, Ergo materia erit accidens: nam partes identificantur cum toto, vel adæquate, vel inadæquate: accidens autem nullo modo poteſt identificari cum ſubſtantia.

IV. *Sed nec quantitas dat materiæ diſtinctionem partium.* Nam quod ſubſtantia, quæ eſt ſub quantitate manus, ſit alia & diſtincta, quam quæ eſt ſub quantitate pedis, (una enim poteſt corrumpi altera permanente) id non eſt à quantitate, diſtincta ab ipſis ſubſtantiis illis partialibus corporis: quia, ſicut res quælibet per ſeipſam eſt ens, ita per ſe ipſam eſt unum ens, i. e. indiviſum in ſe, & diviſum, ſeu diſtinctum, à quolibet alio: nam ens & unum non diſtinguuntur reipſa: ideoque, cum quælibet pars materiæ per ſeipſam ſit ens, etiam eſt una per ſe ipſam; atque adeo per ſe ipſam eſt indiviſa in ſe, & diviſa à qualibet alia parte materiæ: ergo non per quantitatem diſtinctam à ſe realiter. Et, quid eſt, eſſe res diſtinctas? nihil aliud, quam, hanc eſſe hanc, & illam eſſe illam: At partes materiæ per ſe ipſas hãbent, ut hæc ſit hæc, & illa ſit illa, atque adeo hæc non ſit illa. Ergo partes materiæ per ſe ipſas diſtinguuntur, & non per quantitatem realiter ab iis diſtinctam.

V. *Sed nec quantitas addit materiæ diviſibilitatem:* atque hoc fluit ex præcedenti: ſic enim argumentamur. Quicquid habet partes diſtinctas ex ſe & non per aliud, illud eſt diviſibile in eas per ſe & non per aliud. Sed materia habet partes diſtinctas per ſe & non per aliud. Ergo & eſt indiviſibilis in eas per ſe & non per aliud; conſequenter, diviſibilitas non eſt à quantitate, ut illa eſt ens aliud diſtinctum à materia.

VI. *Sed nec quantitas superaddit materiæ extensionem.* Quia per se ipsam est extensa materia, & non per aliud à se distinctum: nam quantumvis illa mutetur, quin annihiletur atque auferatur quodcunque est in materia, calor, color, odor, & omne quod in ea invenitur ac cogitari potest, modo remaneat materia, manebit & quantitas, quia manet extensio: & hæc manet, quia manent partes extra se invicem: & hæ manent extra se invicem, quia, annihilato quocunque tandem alio, partes materiæ, v. c. ceræ, aut corporis humani, remanebunt eodem loco, quo erant ante annihilationem. 1. Excipit *Ruvius l.* 1. *Phys. c.* 3. *quæst.* 2. annihilata quantitate alicujus materiæ, puta ceræ aut corporis humani, eas confluxuras in punctum. Resp. Annihilationem, sicuti & creationem, fieri in instanti. Ergo annihilata quantitate alicujus materiæ, ejus partes, v. c. corporis humani caput & pedes, confluerent in punctum in instanti: punctum vero illud distat à capite ac pedibus: quomodo ergo possunt partes fluere ac moveri (nam hic motus aliquis concipi debet localis) ad punctum à se distans in instanti? hoc explicet *Ruvius*. Non fit, nec fieri potest, transitus ab uno extremo ad aliud, nisi per medium: &, fluxus iste partium materiæ ablata quantitate ad punctum distans, cum sit motus localis, necessario erit successivus: Ergo non fit, nec fieri potest in instanti. Et punctum illud imaginarium tantum est ac Mathematicum: neque alicujus substantiæ materialis, nedum plurium materiæ partium, capax, neque plures partes materiæ intra angustias Mathematici puncti contineri possunt: &, cum punctum sit indivisibile, quomodo id continebit plures materiæ divisibilis partes divisas? 2. Excipit *Suarez Disp.* 40. *Metaph. sect.* 4. *Hurtadus Disp.* 13. *Metaph. sect.* 4. *Arriaga Disp.* 5. *Metaph. sect.* 1. & Jesuitæ alii. Ablata aut annihilata quantitate, partes materiæ, v. c. corporis humani, remanebunt eodem loco atque antea, & retinebunt extensionem, non quantitativam sed entitativam: aut si partes ponantur in eodem loco, & se se penetrent, non retinebunt extensionem externam, actualem, in ordine ad locum, sed tantum internam, aptitudinalem, in ordine ad se. Resp. 1. Extensio interna, apposite ad externam, est extensio ficta & chimærica. 2. Nec extensio entitativa, oppositæ ad quantitativam, datur in rerum natura. 1. Extensio externa est multitudo partium actu diversa loca occupantium: unde vocatur extensio partium in ordine ad locum. Extensio interna est multitudo partium in eodem loco existentium, unde vocatur extensio partium in ordine ad se. Sed hæc posterior contradictionem dicit in adjecto, & ponit oppositum in appositio: Nam extensio non est extensio, nisi partes sint extra se invicem, una extra aliam, & sic ab omnibus Philosophis definitur: sed quæ extenduntur tantum extensione interna, non habent partes extra partes, sed intra partes: nam non occupant spatium divisibile, sed sunt in puncto indivisibili: at in puncto partes non sunt extra se invicem: & implicat, partes, materiæ, v. c. humani corporis, esse extensas, & esse in puncto: stultum quippe est, ponere pedes ubi est caput, &c. quare illa sive interna, sive aptitudinalis, sive partium in ordine ad se extensio, est σιδηρόξυλον, figmentum, contradictionem involvens. 2. Extensio entitativa est illis multitudo partium naturaliter penetrabilium: quantitativa est multitudo partium naturaliter impenetrabilium. Sed Resp. 1. ad hominem argumentando. Quantitas est entitas, & ens, & accidens, distinctum à substantia & materia, ex hypothesi *Adversariorum*. Ergo extensio quantitativa est entitativa: Male ergo opponuntur. 2. Corpus & spiritus in hoc potissimum distinguuntur, quod spiritus sit penetrabilis cum qualibet alia re, quia caret quantitate, corpus sit substantia impenetrabilis, quia habet quantitatem; At, si corpus esse possit cum sola extensione entitativa, non erit substantia impenetrabilis: nam illa penetrationem non impedit: & sic nullum erit discrimen inter substantiam materialem & immaterialem, quod est absurdum. 3. Hæc duplex extensio utrimque distincta, plena est absurditatum & contra omnem rationem. Quandoquidem extensio entitativa non impedit penetrationem, ut volunt *Sophistæ*; ponamus, Deum annihilare quantitatem hujus mundi, nihil

nihil novi agendo circa ejus ſubſtantiam, quam faciunt realitet diſtinctam à quantitate; mundus ita remanebit eodem loco, ut tamen omnes ejus partes ſeſe invicem penetrare poſſint, nec loco aut ſpatio diſtinguantur; ſic poterit totus mundus cum omnibus partibus ſuis poni ſub ungue meo; & mons ac camelus poterunt intrare per foramen acus, quod tamen ἀδύνατον cenſetur in Euangelio: & unus homo poterit ebibere univerſum mare, ſi ponamus, maris omnes partes ſeſe invicem penetraſſe, quippe, quæ tum omnes contineri poſſunt uno ſcypho; ſi enim in puncto, multo magis in ſcypho: atque idem homo poſſit ſimul comedere centum boves, ſi ponamus iterum eorum partes entitative tantum extenſas ſeſe invicem penetraſſe, aut penetraſſe fruſtum panis; & ſic vel centum alias abſurditates ex hac fictitia extenſione entitativa colligere datur. Quin & contra ſenſum eſt: ſupponamus enim ferrum aliquod, habens extenſionem entitativam, non quantitativam, omnibus tamen qualitatibus ſuis præditum, atque inter eas ponamus in ferro duritiem. Dutum autem definitur id, quod difficile cedit tactui; & quod reſiſtit manui prementi: ſicuti molle definitut id, quod facile cedit tactui, nec reſiſtit manui prementi. At, ſi ferrum illud penetrare poſſit manum tangentem ipſum & ptementem, non reſiſtet manui prementi nec tactui: & ſic durities ejus ſenſu percipi nequibit. Iterum, ponamus terram tantum entitative, & non quantitative extenſam: ponamus omnes ejus partes penetrati inter ſe & cum nuce aliqua: tota terra erit incluſa nuci: at cum terra ſit gravis, omnes equi, boves, cameli, & omnia animalia ſimul juncta, non poterunt trahere aut de loco movere iſtam nucem, propter reſiſtentiam, quam faciet, terræ, nuci incluſæ, gravitas. Denique hoc ratiocinio rem conficiamus. Si detur duplex extenſio, una entitativa, quam habet materia ex ſe, altera quantitativa, quam habet à quantitate realiter diſtincta, cur non liceat fingere duplicem ſubſiſtentiam, unam entitativam, quam habeat ſubſtantia ex ſe, & per quam conſtituatur in eſſe ſubſtantiæ, per ſe ſubſiſtentis; alteram qualitativam, quam habeat à qualitate realiter diſtincta, & per quam ſubſtet accidentibus, aut aliis prædicatis? cur non liceat fingere duplicem rationalitatem, unam entitativam, quam homo habeat ex ſe & per quam conſtituatur in eſſe hominis, alteram qualitativam, quam habeat à certa quadam qualitate, & per quam ratiocinetur? Si ridiculum eſt, uti revera eſt, ponere duplicem ejuſmodi ſubſiſtentiam aut rationalitatem, æque eſt abſurdum, ponete duplicem talem extenſionem. Ergo, ut concludamus, una tantum eſt extenſio, & ea actualis, externa, quantitativa, partium in ordine ad locum, & non diſtincta realiter, nec diverſum ens ab ipſa materia: quod utrumque ut demonſtrandum erat, ita nunc demonſtratum eſt. Argumenta decem *Pererii, l.* 10. *c.* 1. *ſua Phyſica generalis*, & aliorum, refutabir ἀναπόδη.

Diſputationum ex Philoſophiâ ſelectarum,

Voluminis Secundi,

TERTIA.

DE

ARISTOT. SUMMI BONI & VIRT. DEFINITIONE, & VIRTUTUM CONNEXIONE.

THESIS I.

DUplex fere res *Ethicas* tractandi eſt ratio, παραινετικὴ & ἀποδεικτικὴ: illa inſtituitur per virtutum & vitiorum παραδείγματα, & per præcepta, hortationes, ac monita, quæ,

quid sit faciendum, quid fugiendum, proponunt: hæc virtutum vitiorumque definitiones, divisiones, causas, effecta, adjuncta, oppositа, & quæcunque ad accuratam explicationem faciunt, adducit. Priorem agendi rationem secuti sunt *Socrates, Plato, Epictetus, Plutarchus, Cicero, Seneca*, & historiarum, apologorum, comœdiarum, ac tragœdiarum scriptores: posteriorem viam ingressi sunt, *Aristoteles, Thomas, Bonaventura, Scotus, Cajetanus*, & tota *Scholasticorum, Summistarum* ac *Sententiariorum* caterva. Horum originem ac naturam diligenter perscrutati, subtiliter de virtute & vitio disputant: illi virtutem & vitia non tantum explicant, sed præsertim ad illam adhortantur, ab hisce dehortantur, mortale hominum genus. Quamvis autem inutilis sit *Philosophiæ Practicæ* docendæ modus, qui nec vitia amolitur, nec virtutes format; quemadmodum Medicinæ nullus est usus, quæ valetudinem non expellat adversam, nec reducat prosperam; (est vero Ethica animi humani pharmacum veluti & Panacea) mos tamen nunc obtinuit ferme, ut magis de rebus moralibus disputetur, litigetur, quam ut de iis ad vitam recte instituendam præcepta tradantur: atque hæc consuetudo invaluit magis, postquam *Carolus Magnus*, Authoribus aliis rejectis, *Aristotelem* solum in *Scholas* introduxit atque *Academias*, quas vel fundavit, vel privilegiis bonisque auxit ac locupletavit, duratque etiamnum, postquam in *Aristotelem* eundem, tanquam in *Philosophando Ducem*, & *Philosophorum* veluti *Deum* quendam, conversæ sunt *Academiæ* omnes atque *Scholæ Illustriores*.

II. Possem hic multis istud κατηγόρησις detegere, & noxam revelare: nam Philosophia moralis, non mentis est exercitatio, sed perturbationum medicina: est ratio recte vivendi, non subtiliter disputandi: diligens contemplatio passionum, non pellit timores, non temperat cupiditates, non reprimit iras: nec minutæ in perveſtiganda essentia Virtutis subtilitates, nec acutæ difficultatum de Virtutis subjecto spinæ & tricæ, animum à morbis suis & vitiis extricant aut liberant, nec homines reddunt fortes, temperantes, mansuetos, justos: *Philosophus* vero *Moralis*, intet sapientiæ suæ opera detinetur, non inter vocabula, mavultque juste agere, quam de justitiæ propria & dilucida definitione litigare; & revera, rimari definitiones, solvere objectiones, distinguete ambiguitates, neminem facit meliorem: hic tamen *Ethica* finis est scopusque. Sed vero quam sit infelix *Aristoteles* dux in rebus ipsis *Moralibus* tractandis, quam ad ejus ductum non possint sese hodie componere docentes ac discentes, uno alterove specimine explicatum dare, operæ fuerit pretium: quod non odio insectandi *Philosophum* fiet, sed ut eorum hodie tantum sententiam explodamus, qui soli *Aristoteli* consecrari, tanquam mancipia, *Philosophos* omnes, volunt, in *Philosophia* tam *Theoretica* quam *Practica*: quod, quam fiat injuste in posteriori, age ostendatur.

III. Ordimur à *fine ultimo* & *Summo bono*. Hoc secundum *Aristotelem*, est *actio virtutis*. Sed vero *actioni secundum virtutem cum vera & suprema felicitate nihil est commune*. Felicitas illa est stabile quid, & ut *Aristoteles* loquitur ipse, μόνιμόν τι, permanens quid: sed actio statim evanescit: atque ea desinente, homo desineret esse felix, felicitatemque veluti vestem deponetet, alia actione tesumturus. Felicitas est bonum τέλειον, omni ex parte integrum atque perfectum: sed virtutis actio non est talis, neque enim omnis simul est, aut tota eodem tempore exercetur, sed una actio alteri succedit. Felicitas est ultimus finis: sed actio non est finis, verum via ad finem, cum sit motus: at omnis motus habet aliquem finem, sc. terminum, ad quem tendit: unde hic potius est finis; & actio, non felicitas, sed via est ad felicitatem, &, si liceat sic loqui, felicitatio. Et ipse *Aristoteles* hoc fundamentum jecit in proœmio *Ethicorum*, cum dicit, *Omnis actio bonum quoddam expetere videtur*: atque hoc fundamentum non debebat postea convellere, sui oblitus, ponendo felicitatem in actione, sed ponere eam debuisset in illo bono, quod per actionem expetitur, & acquiritur, ac possidetur: & sane, nemo agit, ut agat, sed ut aliquid consequatur; nec bibit quis, ut bibat, sed ut sitim pellat; nec fortiter quis pugnat, ut pugnet, sed ut provideat civium saluti & Reip.

Reip. bono. Quare non actio consentanea virtuti est felicitas, sed aliud quid.

IV. Sed videamus, an felicius *medii* ad summum bonum obtinendum, sc. *Virtutis*, naturam exposuerit *Aristoteles*. Ait, *Virtutem esse habitum cum recta ratione electivum*: sed hic itetum ex se ipso refutari potest: nam si felicitas est actio secundum virtutem, ergo virtutem debuisset definire habitum agendi, seu activum, non eligendi, seu electivum, ad felicitatem comparandam: præterea non ex pluribus electionibus, sed ex pluribus actionibus *Aristoteli* generatur Virtus; neque tamen excludi volumus, habitum eligendi aut electionem, à virtute, nam qui habet agendi habitum, habet etiam eligendi; sed hoc est quod dicimus, non in habitu eligendi sed in habitu agendi esse sitam virtutem, quippe inter electionem rectam & actionem, ut quidem illos actus distinguunt, unum ut elicitum & internum voluntatis, alterum ut imperatum & externum, *Aristotelici*, impedimentum potest cadere, interveniente sc. cupiditate, vel ira, vel simili affectu: Et in homine incontinente, ut eum describit *Philosophus*, est recta ratio & recta electio (nam recte cognoscit rectequè eligit,) non tamen est virtus, quia aliter agit, quam cognoverat & elegerat.

V. *Dices.* Extat alia definitio Virtutis apud *Aristotelem*: definitur enim ipsi, *Mediocritas circa perturbationes & actiones.* Sed hæc descriptio potius est qualiscunque. Ac *primo*, mediocritas circa actiones non est differentia virtuti propria, sed ei cum artibus omnibus communis. omnes quippe artifices excessum vitant & defectum in agendo. *Secundo*, non est virtus mediocritas circa passiones, nisi ex accidenti. Quemadmodum enim medicina non est proprie mediocritas circa medicamenta & alimenta, sed habitus restituendi valetudinem, ita v. c. mansuetudo non est mediocritas inter multum & parum irasci, sed est habitus recte tuendi sese ab externis injuriis. Addimus, mediocritatem hanc nihil esse aliud, quam privationem excessus & defectus: sed privatio, habitus forma esse nequit: &, forma virtutis est posita in conformitate quam habet ad suam regulam, rectam rationem, aut legem naturæ: hæc vero conformitas, nec semper, nec solum, nec præcipue, consistit in mediocritate: denique virtus non admittit excessum, qua talis est, neque enim potest nimis intendi: nam quod dicant, *virtutes quasdam modum excedere, cum exercentur, quando non debent, in quod objectum non debent, loco & tempore, quo non debent, &c. Resp.* ibi excessum committi, vel in materiali illo, quod virtus commune habet cum vitiis, vel in circumstantiis tantum actionis: At dicunt, *Virtus est mediocritas circumstantiarum, & in iis tenenda.* Sed hæc plane instabilis ratio est mediocritatis; cum virtutis ratio stabilis & fixa debuisset assignari: nec satis erat, dicere, *agendum esse ubi, quando, & quantum oportet, &c.* Sed docendi erant homines, quonam modo esset agendum: quod non facit *Aristoteles*, sicut idem quoque de *consultatione* differit quidem & *electione*, sed non docet, quomodo consultandum sit aut eligendum: itaque si voluisset *Philosophus* nos certis fixisque vestigiis quasi manu ducere ad cognitionem perfectam virtutis, titubantem istam, vagam & inconstantem mediocritatem, à circumstantiarum variantium varietate dependentem, tanquam vinculo aliquo constringere, figere, & claris ac constantibus notis eam reddere intelligibilem, debuisset: quemadmodum in medicina, non tantum dicitur, activa esse applicanda passivis, contraria esse contrariis curanda, sed docetur insuper, quænam sint uni morbo, quænam alteri tollendo necessaria: ita in *Ethicis* dicendum non tantum est, agendum esse, ubi, quando, & quantum oportet, sed & docendum est, quo modo in singulis virtutum actionibus sit procedendum: ut merito justissimoque jure de se ipso dixerit *Philosophus*, se in libris suis, non pinxisse virtutem, sed ut figuram quandam; pingui tantum Minerva, adumbrasse. Atque hæc si sic sese habeant, quam præclare locaverit fundamenta Philosophiæ moralis *Aristoteles*, qui nec finem ultimum vere assignavit, nec medium ejus, virtutem, vere explicavit, cæcus est qui non videat: quid exspectandum est, de toto ædificio & structura integra *Ethicæ doctrinæ*, cujus fundamenta tam male sunt jacta? sed specialia erroris in *Aristotelis* moralibus specimina,

mina, extant non pauca: pro multis unum ſumamus.

V. Docet *Ariſtoteles*, *Virtutes omnes ſtabili connubio eſſe inter ſeſe junctas ac connexas, ut qui unam habet, habeat & reliquas.* Sed hæc ſententia ab ipſa experientia, à communi hominum opinione, & à recta abhorret ratione: nam experientia non tantum in ſingulis hominibus, ſed in populis totis, alias atque alias exiſtere virtutes demonſtrat. *Spartani* fortes erant ac temperantes, ſed injuſti; *Maſſilienſes*, juſti ac temperantes, ſed non fortes; *Romani* fortes ac juſti, ſed non temperantes. *Alexander* fortis fuit, ſed intemperans. Sed & ratio repugnat, ex ipſa *Ariſtotelis* hypotheſi deducta: ſi enim virtutum habitus ex frequenti actuum exercitio fiunt, pauper aliquis per totam vitam, evadet quidem temperans, ſed nunquam liberalis; & alius, cui per omnes vitæ annos occaſio deeſt fortiter aliquid agendi, nunquam evadet fortis: & cum tam multæ & tam diverſæ ſint virtutes morales, quis in omnium & ſingularum actibus exerceri poſſit, præſertim, cum multis natura, multis materia, multis occaſio deſit, eas exercendi. Dicunt, *omnes virtutes, una prudentia, tanquam communi vinculo, copulari:* ſed hoc probandum prius erat, eſſe unam prudentiam, qua ceu communi vinculo copulentur virtutes: quid ſi dicamus, in tot ſpecies prudentiam eſſe dividendam in quot dividitur ipſa virtus, & aliquem eſſe prudentem in bello, qui non ſit in eroganda pecunia, & alium eſſe prudentem in cibo potuque uſurpandis, qui non ſit in ſuum cuique tribuendo: itaque tam diverſi ſunt prudentiæ gradus & ſpecies quam Virtutis, & falſum eſt, prudentiam, virtutum Moralium omnium normam ac directricem, eſſe unam ſecundum ſpeciem ſpecialiſſimam: ſed dato, non conceſſo, quod ſit talis: non ſequitur, ideo virtutes omnes eſſe inter ſeſe connexas: ſicut non ſequitur, omnes lineas ducibiles ad idem centrum, eſſe connexas, quia poteſt fieri, ut non actu ducantur; ita quoque poſſunt omnes virtutes eſſe copulabiles cum prudentia, ut tamen non omnes actu copulentur, quia non omnes virtutes acquiruntur à nobis in hac vita, imo ne fieri quidem poteſt, cum ſic reddemur perfecti: at ne ſanctiſſimis quidem hoc contingit, quia regeneratio in hac vita eſt imperfecta: ſed hanc ignoravit *Ariſtoteles*, ideoque virtutes omnes actu connecti dixit 7. *Eth. c.* 1. ſi non in gradu *continentiæ*, aut *temperantiæ*, ut loquuntur *Scholaſtici*, ſaltem in gradu *excellentiæ* ſeu heroico: unde iidem gradus Virtutis aſſignant tres, unum *incipientium*, alterum *proficientium*, tertium *perfectorum:* in primo ſtatu, paſſiones vehementer inſurgunt in rationem, ſed ipſa vehementer quoque reſiſtit; in ſecundo pacatiores ſunt paſſiones, minorque eſt earum & rationis pugna: in tertio plane repreſſæ ſunt & ſubactæ paſſiones, & nulla amplius eſt earum & rationis lucta. Atque ut ſic *Gentilis* philoſophetur *Ariſtoteles*, condonari poteſt, qui corruptionem naturalem ignoravit, ſed ut ſic *philoſophentur Chriſtiani*, uti fecere *Scholaſtici*, atque utinam non alii quoque & quidem Reformati, peccatum eſt irremiſſibile: niſi funditus hi homines labem tollant originalem, quod facere videntur, cum perfectionem in bene faciendo, quam lex exigit, & ultra quàm exigit, homini, in operibus puta ſupererogationis, attribuunt: hunc tamen errorem non aliunde hauſerunt quam ex *Ariſtotele*, cui nimium mordicus inhærent.

VII. *Ariſtoteles* quidem 6. *Eth.* ad perfectionem actionis rectæ moralis requirit, 1. Ut ratio practica vere judicet expetendo & fugiendo. 2. Ut appetitus cum illo vero judicio conſentiat, id eſt, ut appetitus proſequatur, quod ratio expetendum præſcribit, ut averſetur idem, quod fugiendum eadem jubet: quoties hæc duo concurrunt, *perfecta* eſt *virtus.* Contra, ſi ratio occæcata judicat turpia eſſe proſequenda & honeſta fugienda, atque appetitus cum illo erroneo judicio conſentit, *perfectum* eſt *vitium:* ſed evenit plerumque, ut ratio & appetitus diſſideant, & ut, cum ratio recte judicat, appetitus tamen repugnet & reluctetur: quod ſi in illo conflictu ratio vincit, & appetitum, licet renitentem, ſibi parere facit, eſt *ſemivirtus*, quæ *Ariſtoteli* vocatur *continentia:* ſi ratio vincitur, & paſſiones faciunt contrarium rectæ rationi, eſt *ſemivitium*, & vocatur *Ariſt. incontinentia:* ſic ex quadruplici combi-

combinatione rationis & appetitus, derivat *Aristoteles* virtutes & semivirtutes & semivitia, & *Scholastici* suum triplicem virtutis statum, continentiæ seu incipientium, temperantiæ seu proficientium, excellentiæ seu perfectorum.

VIII. Verum non ex qualibet combinatione principiorum cogitabili per intellectum exsistit principiatum, sed tantum ex combinatione possibili à parte rei. Atqui illa prima combinatio rationis rectæ & appetitus recti, quæ tollit omnem pugnam eorum inter se, & virtutem collocat in statu *excellentiæ*, hominesque reddit *perfectos*, non reperitur in ullo subjecto, ne in sanctissimis quidem, qui tantum habent exilia initia hujus perfectionis: &, est *virtutis* tantum *idea*, & perfectio, non possibilis, sed excogitabilis tantum, & *non reale ens*, sed *ens tantum rationis*, ab ea fictum factumque, qualis est resp. *Platonis* in 10. ejus libris descripta: at vero philosophandum fuerat *Aristoteli* & *Scholastico* de Virtute, non uti erat in idea & imaginatione, sed ut invenitur in hominibus. Et qui hanc *Aristotelis* & *Scholasticorum* retinent opinionem de virtutum connexione ex Philosophis nostratibus, illi imprudenter ea collocant fundamenta in *Philosophia*, quæ sunt nocumenta in *Theologia*: quod sedulo est cavendum. Alia specimina & plura *Aristotelis* errorum circa res Morales nunc exponere non libet.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUARTA.

DE

ACCID. DISTINCT. à SUBST.

THESIS I.

QVantitatem *continuam* seu *Magnitudinem*, *non esse accidens aut ens à substantia quanta seu materia realiter distinctum* demonstravit hujus Curriculi *Disputatio Secunda*; nunc idem de *Quantitate discreta seu Numero*, *Tempore*, *Qualitatibus*, *cæterisque Accidentium speciebus*, *demonstratum imus.*

II. Ac *Numerum* quidem ex numero verorum entium, & Accidentium realium, exemerunt multi ex ipsis Peripateticis: ex antiquioribus *Aureolus* & *Gregorius Ariminensis*, ex modernis *Fonseca l.* 5. *Metaph. cap.* 13. *quæst.* 4. *Suarez disp. Metaph.* 42. *Conimbr. ad cap.* 3. *l. de Categoriis qu.* 2. *art.* 1. Horum ratiocinia eo contendunt, ut probent, numerum quantitatem non esse, nec veram ejus speciem, aut quia non sit ens reale, aut quia non sit ens per se unum: at quod in aliqua Categoria, ut species, collocatur, debet esse ens reale & unum per se. Numerum non esse ens reale, probant sic. Quod ex puris negationibus constat, non est ens reale. Sed numerus ex puris constat negationibus. Ergo. *Prob. Min.* Quod ex meris constat unitatibus, constat ex meris negationibus: quia unitates sunt negationes: nam ideo unumquodque unum dicitur, quia est non-divisum ac non-distinctum à se: esse autem non-divisum, aut non-distinctum, est negatio. *Assumo.* Atqui numerus constat ex unitatibus. Ergo. *Adversarii*, ut numerum ens reale tueantur esse, ajunt, *eum esse speciem quantitatis tanquam accidentis realis*, *non quidem univocam*, *sed tamen analogicam.* Resp. 1. supponunt, omnem quantitatem esse ens & accidens reale; quod est τὸ κεκρυμμένον, imo falsum: nam si continua non sit talis, ut probatum est *Disp. sec.* nec discreta sit talis, ut jam probamus, utique nulla est talis. 2 Juxta doctrinam *Aristotelis* & *Aristoteli*cam, species Analogæ in Categoriis non recipiun-

recipiuntur: Ergo ne tum quidem numerus erit verum ens & reale accidens, etsi quantitas in genere talis esse ponatur, quia sub quantitate, ut species univoca, non continebitur. 3. Quomodo numerus, obsecro, erit species quantitatis tanquam entis realis, sive univoca, sive analoga? an secundum materiale suum, an secundum formale? At neutrum dici potest. Ergo. Materiale numeri est unitatum collectio: Formale vero est unitatum collectarum ordinata quædam dispositio. At neque hæc collectio unitatem, neque earum dispositio & ordo, species quantitatis dici possunt, si quantitas sit ens reale, quia modi sunt, qui ab entibus realibus contradistinguuntur: sed quantitatis species modi esse nequeunt, verum debent esse entia realia (& dici solent secundum Aristotelicos) si ipsa quantitas sit ens reale.

III. Sed ulterius sic argumentamur. Si numerus sit ens & reale, ergo tale invenietur in Deo. Sed hoc est absurdum. Ergo. Certe in Deo reperitur Personarum numerus ternarius, ex communi fide & verbo Dei. Unde ortum duxit vocabulum, *Trinitas*. Excipiunt *Adversarii, hunc Personarum in communi essentia divina numerum ternarium esse transcendentalem & non prædicamentalem*, sed hoc est, rem vocum distinctione eludere, quod Sophistis nostris solenne est: ita cum relationem esse accidens negat sanior & purior Philosophia, quia illa invenitur vere in Deo: est enim Pater verum relatum, Filius verum correlatum, generatio verum fundamentum, juxta illud ex Sacris notum, *Ego* hodie *genui te*, ubi & *relatum* & *fundamentum* & *correlatum* vere indicantur: & clamitant in adversum insani & impuri Sophistæ, non est relatio prædicamentalis. Quid igitur? an transcendentalis? Sed tam impudentes non erunt, ut hoc dicant: nam transcendentales relationes (sunt verba *Suarezii disp. Met. 47. sect. 3. num. 10.*) *non ad certum aliquod prædicamentum, sed ad omnia genera entium pertinent*. An ergo paternitas ad omnia genera entium pertinebit, & esse Patrem, tribuetur Quantitati, Qualitati, &c. At, inquiunt, *Paternitas in Deo est relatio divina & supernaturalis, ideoque non est prædicamentalis, & quæ est accidens & ens reale*. Contra. Quare non sit prædicamentalis relatio, paternitas in Deo, etsi sit divina, ac supernaturalis cum habeat omnia ad prædicamentalem relationem requisita, subjectum, fundamentum, terminum, proprie & vere dicta? Sed hoc negotium alias discutiemus. Redimus ad *Numerum*: & porro dicimus, ex vulgato Axiomate, *Entia non sunt multiplicanda sine necessitate*: nullam hic esse necessitatem, ut duplicem admittamus numerum, prædicamentalem ac transcendentalem: si dicant, *nos cogi, quia numerus prædicamentalis est ens reale, quale in Deo admitti non potest*, mera est petitio principii: hoc enim in quæstione est, imo ipsum illud quod negamus, numerum sc. prædicamentalem esse ens reale; quia contra dicimus, eum esse affectionem ac modum, qui entia aut entium potius collectionem consequitur. Ita *numerum* ex verorum entium numero nunc exegimus: & *magnitudinem* Disp. secunda: verbulo & *Tempus* ex verorum entium choro ejiciamus.

IV. *Tempus non esse ens reale*, facili opera probatur: Nam aut sumitur Metaphysice, pro temporalitate, & sic omni enti, atque etiam Deo, convenit, cui tamen accidentia non conveniunt. Tempus Metaphysicum existentiam sequitur, quæ vel maxime est in Deo. Deus enim existit in omni tempore, creaturæ tantum in aliquo, vel præterito, vel præsenti, vel futuro. Aut Tempus sumitur Physicè, pro numero seu mensura motus; sic non magis erit reale, quam ipse numerus, vel, quem mensurat, motus, qui cum sit actio, tantum est modus entis realis in fieri; sic ergo concludimus. Quemadmodum numerus non est ens reale, quia unitates, ex quibus constat, non sunt entia realia, hæ non sunt entia realia, quia unitas in genere non est ens reale; hæc non est ens reale, quia est affectio transcendens entis realis; alioquin iretur in infinitum: sic nec tempus est ens reale, quia sequitur existentiam, nec hæc est ens reale, quia est principium transcendens entis realis in genere, alioquin iretur iterum in infinitum.

V. Sed ad *Qualitatem* transeamus. Ejus quatuor vulgo ponuntur species satis notæ. Secun-

Secundam & quartam ex entium realium ambitu ptoſcripſere ante me multi, præſertim *Nominales* ac *Scotiſta* inter *Scholaſticos*, quod videre eſt apud *Faventinum*, *Hurtadum*, *Arriagam*, & non ita pridem *Prædeceſſor* ac *Præceptor venerandus*, *D. Burgerſd. in Metaph. l. 2. c. ult. th. 12.* Sed ad primam & tertiam Qualitatis ſpeciem ipſe offendit, offenderunt & reliqui. *Nos omnes in univerſum Qualitates, eſſe vera entia à ſubſtantiis diſtincta, negamus*, & ordine ſuo probamus.

VI. *Habitus* eſt qualitas adventitia ad operandum bene vel male, ſumendo voculas illas, tum Ethice, tum Phyſice: eſtque vel corporis, vel animi. *Corporis*, ſi detur, (neque enim hoc nunc diſputamus) comprehendit ſanitatem, morbum, &c. At ſanitas & morbus conſiſtunt in recto aut vitioſo temperamento partium, in δυσκρασία & κακοκρασία earum: at hæc diſpoſitio non eſt aliud, quam modus iſtarum partium, qui à partibus tanquam ſubſtantiis modificatis non diſtinguitur ut ens reale: quippe modus negat ens reale, alioquin idem modificaretur per ſe ipſum. At potiſſima difficultas eſt in habitibus *animi*. Hi ſunt vel *acquiſiti* vel *infuſi*: at *neutri ſunt entia realia*: quod idem dicendum de concreatis, & connatis, ſi ſint, de quo alias diſputandi erit locus. *Habitus animi* acquiſiti, ſunt vel *intellectuales* vel *morales*: utrique acquiruntur crebris actionibus, quæ ipſæ cum non ſint entia realia, neque habitus iis acquiſiti poſſunt eſſe tales: nihil quippe eſt in effecto niſi quod ſit in cauſis, vel formaliter in cauſis univocis; vel eminenter in cauſis æquivocis: ſed actiones, cauſæ habituum acquiſitorum, neutro modo ſunt entia realia: ergo nec habitus tanquam effectus iis acquiſiti ſunt ejuſmodi. Sed in *infuſis animi habitibus* accidentium realium & entium à ſubſtantiis diſtinctorum præſidium reperietur. Imo vero, nihil minus. Nam ſi acquiſiti tantum ſunt modi operandi, ideoque non entia realia: nec infuſi erunt entia realia, quia quoque tantum ſunt modi operandi: omnis enim habitus, ſeu acquiſitus, ſeu infuſus, largitur tantum facilitatem in agendo: at facilitas illa quid eſt aliud quam modus? ſed modus nullus eſt ens aut accidens reale, nec eſſendi nec operandi, quod demonſtratum vide à *Burgerſd. cap. 7. lib. 1. Met.* & nos brevi demonſtrabimus in harum diſputationum ſerie. Neque tamen modus, aut id quod eſt modus, ſeu eſſendi, ſeu operandi, nihil eſt aut nihil addit ſubjecto quod modificat: hoc enim ſi verum foret, figura nihil adderet quantitati, & figurâ rei quantæ variatâ, *nihil* eſſet variatum: ſeſſio, Petro antea ſtanti *nihil* adderet, & cum mutatur ſeſſio Petri in alium ſitum, ut ſcilicet evadat ſtans, *nihil* mutabitur, adeoque totum prædicamentum *ſitus nihil* continebit, ſi modus ſit nihil, nam *ſitus* eſt tantum *modus* partium in corpore; exiſtentia cum ſuperadditur eſſentiæ, *nihil* ſuperaddetur; ſubſiſtentia cum ſuperadditur enti, ut ſit vel ſubſtantia ſimpliciter, vel ſubſtantia prima, prout illa vox ſumitur vel latius vel ſtrictius, *nihil* ſuperadditum enti fuerit; finitas cum ſuperadditur enti reali ut ſit creatura, *nihil* quoque ſuperadditum fuerit; actus, potentia, contingentia, neceſſitas, &c. *nihil* fuerint, ſi modus *nihil* eſt aut *nihil* addit enti. Et niſi *modi* atque alia quædam admittantur, quæ nec ſint ſubſtantiæ, nec accidentia, nec entia realia, nec nihil; ſed quæ ſint media negationis utrimque interjecta, actum eſt de tota *Metaphyſica*, quippe Entis in genere principia, eſſentia & exiſtentia, & ejus affectiones, unitas, veritas, bonitas, localitas, temporalitas, ſuntne ſubſtantiæ, ſuntne accidentia, ſuntne entia realia? quicquid dixeris, erraveris. At ſuntne nihil? Neque hoc dici poteſt. Quin perierit quoque *Matheſis* tota ſimul & *Phyſica*, ſi non admiſeris medium aliquod inter ſubſtantiam & accidens, inter ens reale & nihil: nam affectiones, quæ de quantitate continua ac diſcreta, & quæ de corpore demonſtrantur, nec ſunt ſubſtantiæ, nec accidentia, imo ne quidem entia realia, neque tamen nihil ſunt. Sed de hoc negotio alias latius: ſufficit demonſtraſſe impræſentiarum, non valere hanc conſequentiam; Quod non eſt accidens, eſt ſubſtantia: nec hanc, Quod non eſt ens reale, eſt nihil: & habitum omnem, ſive acquiſitum ſive infuſum (eadem eſt ratio connati & concreati) licet non ſint accidentia, non ideo fore ſubſtantias, licet non ſint entia realia, non ideo

esse nihil. Potentiam & impotentiam naturalem proxime sequens examinabit & ex munere Accidentium & Entium realium eliminabit disputatio.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUINTA.

DE

ACCID. DISTINCT. à SUBST.

THESIS I.

REmovimus ex *Accidentium & Entium realium* censu, *Quantitatem*, & Qualitatis speciem primam, *Habitum*; transimus ad secundam, quam faciunt *Potentia & impotentia Naturalis*. Definitionem utriusque aut divisionem multiplicem hic non exponemus, sed supponemus: adeoque simpliciter, potentiam *nullam esse Accidens & Ens reale distinctum à Substantia*, probabimus.

II. §. 1. Si potentia naturalis sit ens reale & accidens distinctum à substantia, aut erit *activa* aut *passiva*. Sed neutra est, quia res possunt agere & pati per se ipsas aut per suas entitates. Ergo. Verum utrumque divisionis membrum penitius inquiramus. Si potentia *passiva* est ens reale & accidens distinctum à substantia, vel est *objectiva*, vel *subjectiva*, id est, vel illa potentia respiceret efficientem, vel formam, seu substantialem seu accidentalem. Si *objectiva potentia passiva* sit ens reale & accidens distinctum à substantia, ergo erit in aliquo subjecto: at potentia objectiva ubi collocatur, ubi nullum est subjectum: est enim potentia rei nondum existentis: v. c. Mundus antequam existeret aut creatus esset, erat in potentia objectiva, respectu Dei creatoris; *objiciebatur* enim ipsi, ut creabilis aut creandus potius, quod utrumque respectu mundi significat potentiam passivam. Hæc ergo potentia objectiva, qua poterat à Deo mundus condi ante sui creationem, vel erat in Deo, vel extra Deum. Non in Deo, quia nihil est in Deo passivum: omnis enim potentia, quæ Deo adscribitur, activa est: Non extra Deum, quia nullum ante creationem mundi existebat ens reale, in quo tanquam in subjecto hæc potentia inhæsisset. Ergo neque potentia illa fuisset: tantum abest, ut accidens esset à substantia realiter distinctum. Præterea potentiæ objectivæ respondet existentia seu actus entitativus. Sed nullum ens reale aut verum accidens præcedit actum entitativum seu existentiam rei, sed potius eam præsupponit. Ergo.

III. Si *potentia passiva subjectiva* sit ens reale & accidens distinctum à substantia, *vel erit materia ad suam formam substantialem, vel subjecti ad suam formam accidentalem. Non prius:* nam 1. Potentia & Actus sunt in eodem genere juxta *Aristotelem & Aristotelicos*, ita ut, si actus aliquis sit substantia, & potentia erit substantia; si actus aliquis sit accidens, & potentia erit accidens. Sed actus ille, quem respicit subjectiva materiæ potentia, est forma substantialis, ut volunt *Peripatetici*, & altera pars compositi. Ergo & potentia illa ad illum actum erit substantia, non accidens: & hoc est fortasse, quod barbarus voluit *Commentator, Averroës*, cum dixit, *Materia substantiatur per posse*. 2. Argumentamur ad hominem. Actus & potentia, ex sententia *Adversariorum*, opponuntur tanquam habitus & privatio. At habitus & privatio, ex sententia *eorundem*, ad eandem reducuntur Categoriam. Ergo cum forma substantialis sit substantia, sic asserentibus *iisdem*, & potentia subjectiva ad eam talis erit. Ergo non accidens.

IV. Si *potentia passiva subjectiva substantiæ ad*

ad formam accidentalem, sit accidens & ens reale à substantia distinctum, *vel erit respectu omnis forma accidentalis*, id est, accidentis, *vel respectu alicujus. Non respectu omnis*, quia sic ipsa hæc potentia, de qua impræsentiarum agimus, quæ *Adversariis* est accidens, aliam quoque potentiam, quæ pariter foret accidens, ante se requireret in subjecto, & sic daretur processus in infinitum, à quo natura abhorret. Præterea & quantitas, prinsquam in subjecto reciperetur, potentiam quandam, ut accidens realiter à substantia distinctum, requireret: at quantitas juxta *Peripateticos* immediate & proxime inhæret materiæ, absque ulla præcedanea potentia. Ergo. *Si talis potentia passiva subjectiva, ut accidens realiter distinctum, exigitur ad quædam tantum accidentia recipienda*, quæro, si unum accidens possit inhærere subjecto & informare substantiam sine media potentia passiva subjectiva, cur non omnes? nulla enim major videtur esse ratio in uno quam in alio accidente, ut ad unum recipiendum in subjecto requiratur potentia quædam passiva subjectiva distincta à substantia, & non requiratur ad aliud. Et, si hæc talis potentia requiratur, ut ratio receptiva accidentium in subjecto, aut erit quantitas, aut accidens aliud. Prius nolunt. Si posterius volunt, quandoquidem hæc potentia statuitur in ordine ad varia accidentia & genere distincta, non erit hæc potentia prædicamentalis, aut qualitas, aut secunda tantum species qualitatis, sed transcendentalis, & per omnes qualitatum, imo accidentium, vagabitur species. At potentia transcendentalis, ne ipsis quidem Peripateticis, est accidens aut ens reale. Ergo, &c.

V. Si *potentia activa sit ens reale & accidens distinctum à substantia, vel erit entis increati, vel creati:* non *increati*, quia repugnat ejus simplicitati ac perfectioni, ut in Deo sit ens reale & accidens ab ejus substantia distinctum: *non creati*, quia *vel incorporei erit, vel corporei: si incorporei*, vel erit, *Angeli* vel *Anima rationalis:* sed neutrius natura exigit: utriusque enim eadem hic est ratio. Quod *Angeli* non exigant potentiam activam distinctam à sua substantia vel essentia, sic evincimus: nam hæc, vel faceret ad Angelorum perfectionem, vel ad eorum imperfectionem: omnis enim entitas realis alteri adjuncta, vel illud perficit, vel ejus perfectionem minuit. Sed *non facit* ad *perfectionem Angelorum potentia activa realiter distincta ab eorum substantia*, quia Deus, qui est agens perfectissimum, sine talibus potentiis intermediis operatur: unumquodque autem eo est perfectius, quo accedit propius *ad Deum*. Si *ad imperfectionem Angelorum facit ista potentia activa*, removenda potius est: deinde, quælibet forma statuitur vulgo, subjectum, in quo est perficere. Ergo hæc dici nequit facere ad imperfectionem Angelorum. Denique, si essentia aut substantia Angelorum requirat à se distinctam potentiam activam, ergo & formæ accidentales, quæ sunt agentia imperfectiora, requirent tales potentias. Atqui hæ non requirunt, sed immediate agunt. Ergo. Et quo indicio innotescit hæc activæ potentiæ ab Angelorum essentia distinctio realis? an sensu? sed nec Angelorum essentia, nec potentia, est objectum sensus. An ratione? sed ratio magis contrarium colligit. Nam natura nihil facit frustra. Sed frustra est ponere potentiam activam, cum essentia Angelorum sufficiat. Sed hoc ipsum negant *Adversarii:* imo negant *ullius rei creatæ essentiam, esse immediatum principium operationis, aut posse producere ullam immediate à se ipsa actionem.* At enim quæro, quomodo rei creatæ aut Angelorum essentia producat potentias activas realiter à se distinctas? vel enim oportet intermedias & priores potentias ponere, quarum interventu potentiæ activæ producantur, vel hæ potentiæ activæ producuntur immediate. Si prius, erit progressus in infinitum. Si posterius, quidni & operationes ipsæ immediate producantur, æque atque potentiæ activæ, ab essentia aut substantia? nam æque facile producentur à natura cujusque rei immediate operationes, ac potentiæ. Et hoc eodem argumento *omne discrimen reale potentiarum intelligendi & volendi ab anima rationali* tollitur, quod fusius deduceremus, nisi id jam fuse factum esset à *Scoto* & *Scotistis*. Vide inter alios *Fabrum Faventinum* in Theorematibus *Logicis* & *Physicis* ad mentem *Scoti*, & *Iohannem de Rada* in suis controversiis inter *Thomam* & *Scotum*.

VI. *Si potentia activa in ente requiritur corporea, ut ens reale & accidens distinctum à substantia seu essentia, vel requireretur, tanquam conditio & dispositio & præparatio agentis, vel tanquam causa agens aliqua intermedia.* Si *prius dicant*, hoc probandum prius foret, non gratis dicendum: nam non videtur nobis esse opus tali dispositione, quia, ut diversa agentia inter sese distinguuntur essentiis, sic ad diversas operationes determinari possunt per sese sine præparatione prævia aut media: Cur enim magis fuerit alienum à ratione, essentiam ex sese immediate ordinari ad proprias suas operationes, quam eandem ex sese immediate ordinari ad proprias suas potentias? Præterea, hæc potentia activa entis corporei illud disponens ac præparans, vel est natura prior ipsa essentia & substantia, quam disponit ac præparat ad operandum, vel simul est cum ea, vel est ea posterior ac sequitur; si primum dicant, effectus erit prior causa: si secundum, substantia non erit prior naturâ accidente, contra proprium illorum axioma: si tertium, potentia hæc activa, essentiam seu substantiam entis corporei disponens ac præparans, est supervacanea: eum enim in finem in agentibus hæc collocatur potentia, ut illa disponat, præparet, ac determinet ad operationem talem, vel talem: sed si hæc potentia sequitur essentiam aut substantiam entis corporei agentis, jam hæc fuerit præparata, disposita, determinata, ante adventum talis potentiæ: itaque frustra ponitur. Postremo, ex ipsa hominis notatione videtur colligi posse, hasce potentias esse modos tantum & non accidentia aut entia realia: appellantur enim dispositiones, præparationes, conditiones, determinationes, ad operandum. At vero, quid aliud sonant ista vocabula, quam modum operandi?

VII. *Si potentia activa requiritur distincta ab entis corporei & agentis essentia seu substantia, ut causa agens aliqua intermedia*, in absurdum incidunt, quod ante tetigimus: nam, dum ipsam potentiam agendi producit essentia aut substantia agentis, vel immediate producet, quod ipsi negant cadere in ullam creaturam, vel in infinitum dabitur processus, quod à Philosophia & ratione recta est alienum. Atque ex hisce omnibus conspicuum est, *nullam esse necessitatem ponendi potentias vegetativas & sensitivas realiter distinctas ab anima utraque.*

VIII. *Cl. D. Burgersdicius L. 2. Met. c. ult. th.* 13. Potentias naturales in duas classes dispescit: quasdam oriri dicit ex primis qualitatibus, ut sunt vires corporum vita carentium, & has, vera accidentia, atque entia realia à substantiis distincta, facit: quasdam nihil habere commercii cum primis qualitatibus asserit; uti sunt potentiæ Angelorum & Animæ rationalis, & has à substantia ejus rei, cujus sunt potentiæ, distingui negat. Quod spectat potentias vegetativas & sensitivas & circa eas vacillat, tandem tamen eas easdem cum ipsa animarum substantia concludit: quod ex primis qualitatibus non oriantur quidem, sed in operando tantum spiritu utantur vitali & animali, qui ex elementaribus qualitatibus oritur ac gignitur uterque. Sed enim, nihil est necesse, potentias etiam illas, quæ ex primis oriuntur qualitatibus, & sunt corporeæ, facere entia realia atque accidentia distincta ab essentia & substantia corporum. Nam, si ipsæ qualitates primæ, ex quibus oriuntur istæ potentiæ, non sint accidentia vera aut entia realia, nec erunt potentiæ naturales ex iis ortæ. Sed verum est prius, uti hoc probabimus *Disp. seq.* Ergo.

IX. *Si potentia naturalis nulla, nec activa, nec passiva, nec subjectiva, nec objectiva, nec Dei, nec creaturæ, nec Spiritus, nec corporis, sit ens reale aut accidens à substantia & essentia distinctum, multo minus erit impotentia naturalis:* nam aut intelligitur istac voce, privatio potentiæ, aut potentia imbecillior. Si prius, nulla privatio est ens reale aut accidens verum. Si posterius, non aliis opus est argumentis, quam quæ sunt allata contra potentiam naturalem simpliciter: quod enim verum est de potentiâ fortiori ac majori, id quoque de diminuta & minori verum esse censendum est. *Quomodo ergo potentiæ naturales, si non sint entia realia & vera accidentia, distinguuntur à substantia seu essentia? An ratione ratiocinata? an modaliter? an formaliter?* Resp. omnibus istis distinctionum generibus, prout voces

voces istæ & termini diversimode accipiuntur. Cæteras Qualitatis species, non esse entia realia nec vera accidentia à substantiis distincta, docebit *Disp. seq.*

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

SEXTA.

DE

ACCID. DISTINCT. à SUBST.

THESIS I.

JAM duas Qualitatum species profligavimus, & ex Entium realium numero ejecimus, *Habitum* & *Potentiam Naturalem*; ad *reliquas debellandas, atque extra Accidentium chorum relegandas, nos accingimus.* Offert sese primum, *Patibilis qualitas*, atque in ea *lux sive lumen, color, sonus, odor, sapor, qualitas tactilis, color, frigus, &c. Lucem seu lumen* non esse qualitatem, nec accidens, sed substantiam ac corpus quoddam tenuissimum, jam ante Aristotelem docuere Veteres, Empedocles, Democritus, Epicurus, aliique, & Recentiores omnes, qui generosius philosophantur, nec cæca ducuntur Aristotelis obedientia. Lux enim velocissime movetur: moveri autem est proprium corporum: celeberrime reflectitur à speculo communi aut alio corpore; sed sola corpora reflexionem patiuntur: lux quoque refringitur: at hoc quoque est corporum: partes lucis coëunt & congregantur in certis speculis & disgregantur in aliis: congregari autem & disgregari, solis corporibus convenit. Nec aliena est hæc sententia ab *Aristotele*, quod vel ex unico *Probl.* 12. *sect.* 15. liquet, ubi quærens Philosophus, cur solis umbra extrema videatur tremere, respondet, id fieri corpusculorum concursione, aut forte quod solis motus sit incertus: unde putant aliqui Aristotelem voluisse, quod lumen constaret corpusculis volatilibus, quæ celerrime moverentur & agitarentur. *Colorem* formaliter sumtum, non distingui realiter à luce vel lumine, sed esse ipsum lumen receptum in corpore opaco, patet, quia oriente lumine oriuntur, occidente occidunt, variante variantur colores, & pro varia refractione aut reflexione lucis varie colorata videntur objecta, quod experientia est comptobatissimum, & patet in prismate seu trigono vitreo, in phiala, quæ aquis limpidis est repleta, & in aliis corporibus, varios colores exhibentibus, pro luce diversimode reflexa aut refracta. Et quid aliud sunt Iridis colores, quam varie reflexum aut refractum lumen? neque ullus negare potest, ipsam lucem esse, quæ colores creat in collo columbæ, in cauda pavonis, in nube rorida, cum istiusmodi res non habeant in se varios colores illos: nec est, quod dicas, ejusmodi colores, sive iridis, sive colli columbæ, sive caudæ pavonis, sive trigoni vitrei, esse tantum apparentes & cito transeuntes, qui differunt à veris & fixis coloribus existentibus in aliis corporibus: nam, vel omnes sunt veri, vel omnes sunt apparentes tantum, cum omnes à luce formentur; nam res non illuminatæ nullum habent colorem, nullusque in tenebris est color; usque adeo verum est illud Poëtæ, *nox abstulit atra colorem.* Et hanc ob causam corpora opaca in superficie tantum habent colorem, quia ibi tantum recipiunt lucem vel lumen (neque enim hæc distinguimus) in interioribus partibus non item: unde secto pomo oritur color in partium superficie, propter receptum lumen, qui antea non erat. Lumen autem recipi in superficie corporum & ab ea reflecti, ipsa evincit

experientia. Si enim soli ex adverso opponatur corpus læve, in superficie ejus lumen receptum apparet: sol si per vitrum micet, lumen consistere conspicitur in pariete. Qui autem vulgo dicuntur veri colores & alii apparentes, ii non diversas colorum species arguunt, sed majorem tantum minoremve luminis incidentis durationem. Si ergo lux aut lumen fuerit substantia, & talis erit color.

II. *Sonus* qualitas non est, nec accidens: sed est ipse aër attritus formatusque in parvas moles, vel, nihil est aliud, quam corpuscula innumera exigua, consimiliter figurata, organique Auditus consimiliter feriendi capacia, quæ à pulsatis corporibus magno cum impetu exiliunt. Quemadmodum enim lumen nihil est aliud, quam corpuscula tenuissima nervum opticum impellentia; ita sonus nihil est aliud, quam subtilissimæ aëris, aquæ, alteriusve corporis particulæ, à quibus impelli potest & solet auris membrana. Corporeitas, ut sic loquar, soni probatur, quia sola corpora reflexionem patiuntur: at sonus sæpius reflectitur, quod docet Echo: deinde sola corpora moventur & progrediuntur: at sonus progreditur & regreditur: præterea, sonus habet vim afficiendi auditum, & efficiendi vel voluptatem vel dolorem, prout concinnus est aut inconcinnus: atqui illa voluptas vel dolor ex eo oritur, quod corpuscula aërea mota deliniant vel exasperent organum audiendi, pro conditione lævitatis vel asperitatis, qua configurantur: & hanc configurationem agnovit *Aristoteles*, cum in Problematibus dixit, vocem tantum esse aërem configuratum. Denique sonus imminuitur & aliquando confusus evadit, ob corpusculorum diductionem in longo progressu, & divaricationem in transitu per septum densius: quæ omnia sonum esse corpus, sed quod motum est, vel movetur, satis commonstrant.

III. *Odores* esse spiritus seu halitus odoriferos, atque adeo substantias subtiles ex corporibus fragrantibus prodeuntes, Antiqui olim docuere, docent Recentiorum multi: docet Experientia: quin *Aristoteles* ipse *lib. de sensu & sensili*, odorem vocat fumidam exhalationem. Et si odore medicamenti quidam purgari solent, si alii odore alimenti nutriri possunt, certe substantias esse nemo dubitaverit: quippe quæ ab odoribus fieri non possent, nisi substantiæ quædam forent corporeæ: quomodo enim alimentum converteretur in substantiam viventis? Adde, quod odores progrediuntur ac moventur lentius sono, movent olfactum, eumque afficiunt voluptate aut dolore, imminuuntur progressu: ipsæque res odoratæ detrimentum aliquod substantiæ patiuntur, per exhalationem odorum, qui magis effluunt, cum res odoriferæ sunt fractæ, contritæ, aut per ignem resolutæ, quam cum sunt inregræ: quæ omnia, fumos halitusque illos non esse nisi subtiles substantias prosilientes & effluentes ex rebus odoratis, satis superque evincunt.

IV. *Sapores* esse substantias corporeas, si odores sint tales, certo certius est, quia adhuc crassiores sunt odoribus, iisque adeo conjuncti, ut, ubi unus est, ibi & alter sit, neque sunt nisi in corporibus mixtis: etiamsi enim terram misceas cum aqua, nunquam inde exurget, vel odor, vel sapor: si dicas, corpus non nunquam alium habere saporem, alium odorem; respondeo, illud fieri, vel quia nares & lingua sunt diversi temperamenti, ut, quod huic gratum est, illi sit ingratum; quemadmodum hic & ille homo diversum habent in linguis temperamentum, quia qui sapor huic placet, illi displicet; vel quia diversæ sunt in corpore partes, tenuiores & crassiores, & hæ aliud habent temperamentum quam illæ: est enim odor in partibus tenuioribus, sapor in crassioribus: Uterque nihil aliud quam corpuscula quædam varie configurata & mota, olfactum gustumque afficientia.

V. Restant expendendæ *qualitates tactiles, calor, frigus, &c. Calor* est nihil aliud, quam, corpusculorum insensibilium motus varius & celer. *Frigus*, eorundem motus minor ac remissior. Intelligimus, actualem calorem, & actuale frigus. Qui illum definiunt, qualitatem activam homogenea congregantem & heterogenea disgregantem, & hoc, qualitatem homogenea & heterogenea congregantem, à posteriori describunt utrumque (an vere, nunc non

non est inquirendi locus) nam illa vel congregatio vel segregatio vi majoris vel minoris motus instituitur. Calor & frigus, tactiles dicuntur qualitates, quia tactu percipiuntur: cum enim particulæ insensiles alicujus corporis varie celeriusque moventur, quam nostri corporis particulæ, sentitur calor; cum moventur tardius, sentitur frigus. *Humiditas*, puta actualis, est, cum particulæ aquæ vel alterius liquoris sensibilis, in corpore stabili, ita ejus poris insunt, ut ipsis inhæreant. *Siccitas* actualis est, cum stabilium corporum pori nullis particulis sensibilis liquoris replentur, sed solo aëre vel subtili materia. Tangitur humiditas, cum corpora stabilia percipiuntur perfusa liquore sensibili: tangitur siccitas, cum nullo sensili liquore prædita esse percipiuntur. *Crassities & tenuitas*, sequuntur majorem vel minorem magnitudinem particularum insensibilium, ex quibus corpora crassa & tenuia componuntur. *Densitas & raritas* respiciunt poros seu intervalla, quæ inter particulas insensiles interjacent, diciturque densitas, cum inter illas corporis particulas paucula sunt intervalla; raritas, cum multa: oritur utraque, tum à calore, tum à frigore. *Gravitas & levitas*, nihil est aliud, quam motus tarditas & celeritas motus, in particulis materiæ crassioribus & compactioribus, variaque figura affectis: quæ cum à subtiliori materia ad celeriorem compulsionem sunt aptæ, celeriusque moventur, dicuntur graves; cum ad tardiorem compulsionem magis sunt idoneæ, tardiusque moventur, dicuntur leves: unde gravia corpora deorsum tendunt vehementius; levia imbecillius, cum alterutrum fieri à tactu percipitur, sentitur vel gravitas vel levitas. *Durities* oritur ex particularum insensibilium firmissima adhæsione; *Mollities*, ex earum adhæsione minus firma: unde dura corpora sunt magis stabilia; mollia, minus stabilia. *Stabilitas* existit, ex quacunque tandem particularum in corpore insensibilium adhæsione: *fluiditas* contra, ex earundem disjunctione. Estque vel *aquositas*, quæ oritur ex partibus fluidis, sed lævibus & oblongis, inter se repentibus; vel *oleaginositas*, quæ ex particulis iisdem, sed ramosis, existit; vel *viscositas*, quæ indicat, particulas illas ægre, lente, ac difficulter à se invicem disjungi. *Lævitas* sequitur particularum motum in corporis superficie æquali. *Asperitas*, in inæquali. Sed longum foret nimis omnes qualitates tactiles in specie hic recensere, & quomodo ex solo motu, figura ac magnitudine particularum insensibilium in corporibus existant, exponere, & id fecit luculentissime doctissimus Regius in fundamentis Physices, c. 5. Ergo ad *quartam speciem* Qualitatis transeamus, *formam & figuram*.

VI. *Figura* vulgo definitur, *qualitas orta ex terminatione magnitudinis*. Sed enim, si magnitudo non sit accidens, nec ens reale, si nec termini ejus sint talia, si nec ipsa ejus terminatio, multo minus fuerit ens reale, aut accidens, figura, quæ inde oritur. Atqui nec magnitudo nec ejus termini sunt entia realia aut accidentia, quod ostensum disp. 2. hujus curriculi, nec ejus terminatio; hæc enim vel est relatio vel actio: sed neutra est ens reale aut verum accidens. De priori liquebit disp. 7. de posteriori, disp. 8. *Forma* est figura cum colore: sed si nec figura nec color est ens reale aut verum accidens, ergo nec forma fuerit. Sed verum est prius, ex hac disp. Ergo & posterius. Atque ita qualitates omnes ex entium realium verorumque Accidentium numero exclusimus. Sed dicet quis, Hæc nova sunt, & contra Aristotelem. Resp. utrumque falsum esse, & hanc Philosophiam esse antiquiorem ipso Aristotele, quin esse ipsius Aristotelis, præ aliis ostendit Claudius Berigardus in Circulo Pisano. Quid multis?

Si meruit veri vindex audire novator,
Mome! novatorum est primus Aristoteles.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

SEPTIMA.

DE

ACCID. DISTINCT. à SUBST.

THESIS I.

DE solio deturbavimus Entium realium, *Quantitatem* & *Qualitatem*: minus difficultatis erit in reliquis Accidentium speciebus ex numero Entium realium removendis. De *Relationibus* quidem id jam ante multos ostendimus annos *disp. select. vol.* 1. *disp.* 5. *th.* 7. Verum quia hoc obiter tantum est actum tum temporis, jam paulo plenius idem tractandum nobis censuimus.

II. §. 1. Omne ens reale simplici & incomplexa mentis apprehensione concipitur, unoque mentis actu & ictu intelligitur: Sed relatio non sic concipitur aut intelligitur. Ergo non est ens reale. *Major probatur.* Quod in se est simplex & incomplexum, id etiam simplici & incomplexa mentis apprehensione intelligitur ac concipitur: siquidem objectum potentiæ debeat esse proportionatum: At ens omne reale est simplex in se atque incomplexum: nam omne ens reale est unum; quippe unum & ens reale reciprocantur; habent enim se ut subjectum & proprium: atqui quod est unum, est indivisum in se: porro quod est indivisum in se, est simplex & incomplexum: Quod vero ens incomplexum & in se simplex simplici mentis actione percipiatur, non complexa, vel Tyronibus Logicæ constat, ex definitione thematis simplicis & complexi; complexum enim est, quod pluribus notionibus affirmatione aut negatione copulatis intelligitur verum vel falsum: simplex contra, quod unica mentis actione apprehenditur & non judicatur verum vel falsum; simplici enim mentis apprehensioni falsum subesse nequit, ut recte Metaphysici docent. *Minor* syllogismi primi sic *probatur.* Quod collativo actu mentis intelligitur, id non simplici & incomplexa mentis actione concipitur: sed relatio collativa mentis actione intelligitur. Ergo &c. Minor iterum probatur. Quis enim intelligit conjugium, nisi maritum & uxorem intelligat, & inter se conferat? neque enim potest σχέσις & habitudo duorum mutua intelligi, nisi duobus extremis intellectis & inter se collatis: Nam ex hac collatione demum ipsa extremorum σχέσις & habitudo intelligitur. At ubi duo extrema concipiuntur & eorum inter se σχέσις & habitudo mutua, ibi complexam actionem intellectus, non simplicem; ibi operationem mentis secundam, & judicium, & affirmationem & negationem, non primam, seu simplicem apprehensionem, locum habere, quis non videt? Jam vero, relatio nihil est aliud, quam duorum extremorum, mariti puta & uxoris, σχέσις & habitudo mutua, unde & relata vocantur Arist. τὰ πρός τι, quæ ad aliud, sc. referuntur: ideoque relatio intime includit extrema, quæ ad se invicem, unum ad aliud, referuntur. *Excipiunt*, præcisiva mentis operatione, seu abstractione simplici, abstrahi relationem à subjecto & termino, extremis, & sic cognosci intellectione incomplexa. Resp. Illud fieri non posse: nam nihil abstrahitur à sua essentia aut ratione formali & essentiali, sed essentia relationis ejusque ratio formalis & essentialis est, ut sit habitudo ad aliud, subjecti ad terminum, relati ad correlatum, ac vice versa, quod fuse & invicte demonstravimus Disp. 5. vol. 1. Ergo non potest abstrahi abstractione præcisionis ac simplici à subjecto & termino, extremis suis.

III. §. 2. Nullus ordo est ens reale. Sed relatio omnis est ordo. Ergo nulla relatio est

ens

ens reale. *Major* aperta est. Ordo corporum in mundo, hominum in Ecclesia aut exercitu, præceptorum in arte, librorum in Bibliotheca, rerum in prædicamentis, personatum in Trinitate, non est ens reale: & sic de omni ordine dicendum. Neque scio quenquam Philosophorum hic contrarium statuere, neque ut statuat, ratio recta permittit. Sed relatio est ordo: sive enim σχέσιν dicas, sive ordinem, sive habitudinem mutuam, idem dicis. Ergo &c.

IV. §. 3. Nullum ens reale collocandum est in Deo, præter Deum: nihil enim, i. e. nullum ens reale, est in Deo, quod non sit Deus. Sed in Deo sunt relationes, & personales & essentiales, & propriæ singulis personis & omnibus ac toti essentiæ communes. Ergo &c. *Primum*, est ordo & σχέσις mutua in Deo: inter Patrem, qui genuit ab æterno, & Filium, qui genitus est ab æterno: inter Patrem, & Filium, spirantes, & Spiritum Sanctum, qui processit ab utroque, utrimque ab æterno. Neque hic *exceptio* valet, quam profert vulgus Philosophorum, esse hanc divinam relationem supernaturalem, atque alterius ordinis: nam resp. Est quidem supernaturalis, quatenus nobis non innotescit naturali intellectus lumine, sed fide ac revelatione supernaturali: est quoque divina, quatenus est in Deo, & relatio, ideo vulgo barbaris dicta, ad intra, attamen est vera relatio prædicamentalis, non minus, atque relatio Patris ad Filium & vice versa in Philippo & Alexandro. Nam subjectum hic est verum, Deus Pater, terminus verus, Deus Filius, fundamentum verum, generatio, definitio relationis vera, est enim σχέσις hic & habitudo mutua unius ad alium, Patris ad Filium: est enim alius Pater, alius Filius, licet non aliud & aliud. *Deinde* & relationes essentiales sunt in Deo, quas, barbara *Scholasticorum* gens, ad extra vocat; est enim Deus creator: & hoc vere de eo dicitur, estque subjectum, quod refertur Deus; terminus est creatura, ad quam refertur vere, & non per mentem: fundamentum est creatio, in Deo activa, in creatura passiva: Creatorem autem & creaturam esse relata, nemo inficias iverit, nec tantum secundum dici sed & secundum esse: Quare enim Pater & Filius magis sint relata secundum esse, quam creator & creatura? An non creator, hoc ipsum quod est, creaturæ est? an non creaturæ est creator? An non totum esse creatoris est, referri ad creaturam, ut totum esse Patris est referri ad Filium? Ne *Scotus* quidem, *Doctor subtilis*, hic discrimen invenerit. Sed dicent fortasse, esse relationem transcendentalem creaturæ ad creatorem. Quid? ergone hæc relatio omnes pervagabitur categorias? Etgone etiam quantitas & qualitas una creabit aliam, & altera creabitur ab altera? At ego didiceram, creationem soli Deo esse propriam, ac ne homini quidem aut Angelo, nedum quantitati aut qualitati, aut ulli alterius Categoriæ enti, competere. Sed *ulterius*, etiamsi relatio Creatoris & creaturæ foret relatio transcendentalis, necdum tamen ens reale foret; nam ne relationes quidem transcendentales sunt entia realia: est relatio transcendentalis inter ens & unitatem, veritatem, bonitatem, attributa sua, tanquam inter subjectum & adjunctum proprium. At quis dixerit, eam relationem esse ens reale? cum ne ipsæ quidem illæ affectiones, unitas, veritas, bonitas, sint entia realia: si enim forent, affectiones esse non possent, nec de ente prædicari; aut ibitur in infinitum; & unitas, & veritas, & bonitas, habebunt aliam unitatem, veritatem, bonitatem, cum hæ affectiones omni enti reali conveniant, & cum eo reciprocentur: &, cum relatio transcendens causæ ad effectum, accedit ad Philippum generantem, Petrum ædificantem, &c. anne novum accedit ens reale ad utrumque? sunt hæc deliræ mentis somnia.

V. §. 4. Omne ens reale, præter Deum, producitur aliqua actione. Sed relatio nulla producitur actione. Ergo. *Major* certa est: si enim relatio in genere sit ens reale, cum non sit idem quod Deus, qui, ut sic, est ens absolutum, & ens improductum, debet illa aliqua actione produci, & ab alio: nullum enim ens reale à seipso fit vel est. *Minor* probatur: 1. Authoritate Aristotelis, quæ maximi est roboris apud ejus sequaces & adulatores *Scholasticos*, 5. *Phys. c.* 2. ubi dicit; *ad relationem non esse motum.* 2. Nato Alexandro, à quo produci-

ducitur illa paternitas in Philippo? Non ab Alexandro, qui nondum agere potest, cum nascitur aut simul atque natus est: non ab ipso Philippo: si enim Philippus paternitatem producit in seipso, pater esse posset, antequam gigneret Alexandrum: quid enim impediret? non Alexander: necdum enim agere potest in Philippum. Sic, dum litteram scribo in aliqua charta, quamdiu est una atque unica, nulli potest esse similis aut dissimilis; sed si alteram scripsero, erit ptior huic vel similis vel dissimilis. A quo producitur hæc similitudo vel dissimilitudo? Non à littera posteriori; nulla enim esse aut cogitari potest actio in litteram priorem: quomodo hæc posterior producet relationem, ens (ut volunt Adversarii) reale, in littera priori, subjecto alio, & quidem quod ab ipsa posteriori littera distat? Non à manu, nam hæc, cum produxit litteram posteriorem nullam exercuit actionem in priorem: at omne ens reale per actionem fit. *Dicent*, produci à priori littera relationem similitudinis in se ipsa: at prioris litteræ nulla est actio: ut non dicam, nihil posse esse causam efficientem realis entis in se. *Dicent*, relationem oriri per resultantiam quandam. Sed omne ens reale producitur actione transeunti, non per resultantiam naturalem. *Excipiunt*. Atqui potentiæ naturales & proprietates, ut risibilitas, per resultantiam naturalem oriuntur, Ergo & relationes sic possunt oriri. Resp. 1. Eas ex entium realium numero ejecimus disp. 4. hujus curriculi. Quate nulla est consequentia, ab illis ad relationes, si hæ sint entia realia. 2. Licet potentiæ natutales & proprietates essent entia realia, dici potest, quod sint adjuncta suorum subjectorum, & non effecta suarum causarum; multi enim Philosophorum, nec male, causam emanativam, qua effectum produci volunt per resultantiam naturalem, ex numero causarum ptoscribunt. 3. Adhuc tamen istæ potentiæ & proprietates aliqua actione producuntur, si non causæ emanativæ, & subjecti, in quo sunt, proximi, saltem causæ remotæ & superioris: quæ enim causa dat ac producit formam, dat ac producit consequentia ad formam: & sic qua actione producitur anima, eadem producentur potentiæ, & proprietates ejus. *Dicent denique*, eadem actione produci relationes, qua producuntur termini. Resp. absurdum est, unam eandemque individuam ac simplicem actionem, terminari immediate, & ad terminum relationis & ad ipsam relationem, si & terminus & relatio sit ens reale: &, facile quidem est, concipere mutationem & motum in littera secunda, tanquam termino similitudinis vel dissimilitudinis inter se & primam, cum illa secunda scribitur à manu; sed quomodo quis concipere valeat, eadem actione scribentis manus, produci adhuc unum ens reale, relationem similitudinis vel dissimilitudinis inter litteram utramque? sic facile est, concipere mutationem & motum in Alexandro tanquam termino paternitatis, quæ est in Philippo, imo & facile est, concipere mutationem & motum in Philippo, qui per generationem Alexandri ex non generante fit generans; sed quomodo quis concipere valeat, eadem actione generantis Philippi, produci adhuc duo entia realia, relationem Patris ad Filium in se, & relationem Filii ad Patrem in Alexandro? Si unquam valet hoc Axioma valet hic; *Entia non sunt multiplicanda citra necessitatem*. Quare recte ait *Burgersd. Met. l. 1. c. 6. relationes pleraque suboriri aliqua mutatione sed qua vel est in termino, vel, si sit in subjecto, relationem ea esse posteriorem*. Et sane, non mutatur res, quia fit relata; sed fit relata, quia mutatur.

VI. §. 5. Pariter possumus argumentari à corruptione. Nullum ens reale à seipso potest corrumpi naturaliter. Sed relationes sunt entia realia, ex mente Advetsariorum. Ergo. Quando ergo defuncto Hectore Priamus desinebat esse pater, à quo istud ens reale, si diis placet, paternitas in Priamo est extincta? an ab Hectore? An fortassis ab Achille, qui interimendo Hectorem simul intetfecit paternitatem in Priamo; qui longe ab Achille aberat, & sic una actione interfecit duo entia realia, alterum, substantiam, Hectorem alterum, accideus, paternitatem in Priamo. Sed hæc tam fatua sunt, ut refutationis me pigeat, recensionis pudeat.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

OCTAVA.

DE

ACCID. DISTINCT. à SUBST.

THESIS I.

SCilicet, is nunc supereſt labor, ut receptæ Philoſophiæ, pro *Actionis*, *Paſſionis*, *Vbi*, *Quando*, *Situs*, *Habitus*, entitate reali, copias diſſemus, quod faciemus uno halitu: Hoc tanto nobis erit facilius, quanto ad ipſam veritatem accedunt propius Adverſariorum nonnulli, qui haſce Categorias ſex, non niſi modos, aut relationes, aut denominationes externas, continere aſſerunt, & ſic ipſi ex Accidentium verorum numero ejiciunt: quippe nec modi, nec relationes, nec externæ denominationes, entia ſunt realia, multo minus, accidentia: nam ſubſtantias non eſſe ea, in confeſſo eſt.

II. *Actionem & Paſſionem, non eſſe entia realia*, ſic probamus, (nam inter ſeſe non diſtingui realiter, ipſi confitentur Peripatetici.) Si actio & paſſio ſunt entia realia, vel ſunt entia neceſſaria, vel contingentia: non neceſſaria, quia aliquando non fuerunt, & poſſunt aliquando non eſſe; &, ſic forent Deus, quia ſolus Deus eſt ens neceſſarium. Erunt ergo contingentia: ſi ſic, habuerunt ſuum produci & producere: quia entis cujuſcunque contingentis natura hæc eſt, ut aliquando non fuerit, ideoque aliquando factum ſit; at non poteſt eſſe factum, niſi aliquando datum ſit ejus fieri: hoc ejus fieri, eſt paſſio, &, ejus facere, eſt actio. De illo ergo fieri & facere, produci & producere, iterum quærendum eſt, an ſint entia realia? ſi ſic, redibit eadem quæſtio, dabiturque progreſſus in infinitum, qui ut evitetur, ſtatuendum eſt omnino Actionem & Paſſionem non eſſe enria realia: quod tanto magis confirmatur; quia nihil ſunt aliud, quam ipſum rerum fieri & fluxus ejus quod fit: nunquam enim ſunt, ſed ſemper fiunt, & earum exiſtere, eſt fieri. Atqui entia realia aliquando ſunt & exiſtunt. Ergo, cum actio & paſſio nunquam ſint & exiſtant, ne entia quidem realia dici poſſunt.

III. Actio & Paſſio, ſi ſint entia realia, habent aliquod eſſe: illud eſt vel increatum, vel creatum. Increatum non eſt, quia actio & paſſio ab aliquo ſunt, & initium habuerunt. Si eatum eſſe ſit creatum, & creatio erit ens creatum: nam creatio eſt actio & paſſio, unde vulgo in activam, quæ Dei eſt, & paſſivam, quæ creaturæ eſt, diſpeſcitur. Si creatio, activa & paſſiva, i. e. creare & creari, eſt ens aut eſſe creatum, præſens erit præteritum: quippe creare & creari ſignificant tempus præſens: at ens vel eſſe creatum, connotat præteritum: ſed ut idem ſit præſens & præteritum, contradictionem implicat.

IV. Porro, ſi actio & paſſio ſunt entia realia, vel ſunt abſoluta, vel relata, vel partim abſoluta, partim relata. Si relata, non ſunt realia entia: nam relata, qua talia, ſeu potius, ipſas relationes, non eſſe entia realia, diſp. præced. 7. eſt oſtenſum. Si actio & paſſio ſint duo entia abſoluta, cum non ſint futuræ ſubſtantiæ, erunt accidentia: ſi ſic, vel erunt ambæ in agente, vel ſimul in patiente; vel, altera in agente, altera in patiente. Non poteſt dici primum, quia ſic idem agens, & agens eſſet propter actionem, & patiens propter paſſionem, & duas oppoſitas rationes ſimul ſuſtineret. Conſequentia eſt clara, quia omne accidens ſubjectum, in quo inhæret, denominat. Ergo, ſi actio & paſſio, ut duo vera accidentia, inhæreant agenti, agens denominabunt & ut agens & ut patiens. Non poteſt dici ſecundum, quia eadem redibit difficultas. Nec

potest dici tertium, vel actio erit in agente & passio in patiente, vel vice versa. Non prius, quia hoc contradicit *Aristoteli*, quod non patiuntur Adversarii: nam *Philosophus in Physicis* dicit, motum seu actionem esse actum hujus in hoc: contradicit rationi: Nam, quod est ab aliquo, non est in illo. Actio est ab agente: Ergo non in agente. Et, vulneratio ac verberatio sunt actiones: at quis dicet eas esse in vulnerante ac verberante? posterius vero dicere, ut actio inhæreat patienti, passio agenti, omni absurditate est absurdius. Sed, nec esse, partim absoluta, partim relata entia, actionem & passionem, omnes confitentur, & per se est manifestum.

V. Denique, nullus motus est accidens verum aut ens reale distinctum à termino ad quem. Sed actio & passio sunt motus. Ergo. Major est *Peripateticorum* plerorumque: qui enim ex iis, inter motum & terminum, realem adhuc ponunt distinctionem, illi tamen non ita inter se distingui eos volunt, ac si duo essent entia realia inter se distincta, sed duas tantum esse realitates asserunt, sic ut distinctionem realem intet ea non denominent à parte extremorum, quasi extrema distinctionis, motus & ejus terminus ad quem, sint duo entia realia, sed eam sic vocant, quod non sit per mentis operationem distinctio inter motum & terminum ad quem; est enim inter ea distinctio, qualis est inter modum separabilem & rem modificatam aut modificandam: quia vero modus non est nihil, nec ipsum, quod modificatur per motum, non est nihil, sed utrumque est res, saltem sumpta voce hac in significatione latiori, prout idem est quod *aliquid* seu *ens* late acceptum, pro eo quod non est nihil, ideo bene dicitur distinctio inter motum & terminum ad quem realis: duæ vero realitates, i. e. quidditates (ut loquuntur barbari) vel formalitates, vel rationes formales aut quidditativæ, non faciunt entia realia distincta. Ergo nec motus fuerit ens reale distinctum à suo termino ad quem. Ergo nec actio aut passio, quia nihil sunt aliud quam motus, termini ad quem, & modus, quo fit: quæ erat *minor*; nec probatione egèt, quia per se manifesta est, & ab omnibus admittitur.

VI. Atque hæc, quæ diximus, maxime premunt *Peripateticos*, si vera sunt, quæ disputavimus, *disp. præced.* 2. 4. 5. 6. Nam, si actio & passio non sunt nisi motus termini ad quem, nec motus distinguatur à termino ad quem, si terminus ad quem non sit ens reale verumque accidens, nec motus erit: si motus non fuerit; nec actio aut passio erunt. Sed terminus ad quem motus, non est ens reale, nec verum accidens. Ergo nec motus erit, qui cum eo identificatur. Minor probatur: Nam *Aristoteles* agnovit tantum motum, ad Quantitatem, qui dicitur Accretio vel Diminutio; ad Qualitatem, qui dicitur Alteratio; ad Ubi, qui dicitur Motus localis seu Latio. Sed nec Quantitas est verum accidens aut ens reale, ex *disp.* 2. nec Qualitas, ex *disp.* 4. 5. 6. nec Ubi, ut statim demonstrabitur. Motum ad substantiam non agnovit *Aristoteles*, nec *Aristotelici*, sed generationem & corruptionem vocant *mutationes* momentaneas. At, licet motus forent, non tamen ideo actio & passio generandi & corrumpendi, essent entia realia aut accidentia vera, sed modi tantum, quibus substantiæ fierent atque interirent naturaliter. Sed modus nullus, non essendi, multi minus operandi, qualis hic est uterque, est ens reale aut accidens distinctum. Hoc enim si admittas, & in Deo posueris entia realia & vera accidentia, quod est impium, & omnem simplicitatem sustuleris ex rerum natura, atque adeo omne ens erit compositum, ex entibus realibus, subjecto & accidente, si omnis modus sit ens reale, & accidens verum, quod est absurdissimum: nam nullum datur ens reale, quod non sit unum: at unitas modus est: nullum datur, nisi, vel per se subsistat, vel sit in alio ut in subjecto, vel dependeat ab alio ut ab efficiente, vel à nullo dependeat tali modo, vel sit necessarium vel contingens: At vero hi sunt modi existendi. Actio autem & passio sunt modi operandi: At hi tam parum sunt entia realia quam modi essendi, cum minoris & adhuc exilioris sint entitatis, quam isti.

VII. Sed tempus est, ut *Vbi, Quando, Situm, & Habitum*, ex entium realium & verorum Accidentium libro deleamus, quod faciemus

ciemus una & communi situra. Si hæc quatuor forent entia realia, vel absoluta essent, vel relativa. Non absoluta: quia omne ens absolutum, vel aliqua actione transmutativa producitur, vel ab alio ente jam producto emanat: omne enim ens productum aliquam exigit causam producentem. Hæc vero quatuor actione aliqua non producuntur: Nam qualis illa foret, vel generatio, vel corruptio, vel acctetio, vel diminutio, vel alteratio, vel motus localis? at hæc quatuor non sunt producta per generationem vel corruptionem, quia sic forent substantiæ: Nam hæ actiones ad substantiam terminantur: nec per accretionem & diminutionem, quia sic forent quantitates: hæ enim actiones terminantur ad quantitatem: nec per alterationem, quia sic forent qualitates; hæ enim actiones terminantur ad qualitates: nec per motum localem, quia hæ actiones tantum terminantur ad Ubi: Ergo non ad Quando, nec ad Situm, nec ad Habitum. Dices. Ergo saltem Ubi erit ens reale & verum accidens, quia actione transmutativa producitur. Resp. negando consequentiam, quia Ubi est tantum modus existendi in loco, quo res finitæ alicubi esse dicuntur: &, omne quidem ens reale actione transmutativa producitur; sed non omnis actio transmutativa terminatur in ens reale. Atque ex hisce patet, Ubi, Quando, Situm, & Habitum, non esse entia absoluta: sed nec sunt telata, nisi secundum dici aut transcendentia. Sed nec relata, qua talia, nec relationes, sive sint secundum esse, sive secundum dici, sive sint prædicamentales, sive transcendentales, sunt entia realia aut accidentia vera, ut seq. disp. demonstratur. Ergo, nec Ubi, nec Quando, nec Situs, nec Habitus, sunt entia realia, aut accidentia realia: quod erat demonstrandum.

ANNEXUM.

Tria sunt, quæ humanam scientiam absolvunt. Dei, Naturæ, Artis, cognitio: quæ quærenda est homini Philosopho, quantum in hac vita fieri potest, perfecta: perfecta est, cum vera est: vera est, cum res cognoscuntur uti sunt: ita cognoscuntur, cum cognoscuntur, uti factæ sunt: res qualibet facta est ad ideam suam, i. e. ad certam quandam rationem, per quam id esse potuit, quod est: omnia ergo, quæ fiunt, ad ideas fiunt, sive sint opera Dei, sive Naturæ, sive Artis: Ars ideas operum suorum mutuatur à Natura; hæc à Deo; Deus à semetipso: Deus igitur effingendo mundum, seipsum effigiat, ut omnino proportionata sit creatura Creatori: ideæ itaque rerum in Deo sunt, ut in Archetypo; in Natura, ut in Ectypo; in Arte, ut in Antitypo. Hisce bene cognitis, omnia cognita erunt, quæ naturæ lumine cognosci possunt: & circa hasce explicandas, versandum est Philosopho & Philosophiæ.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

NONA.

DE

USU PHILOSOPHIÆ IN THEOLOGIA.

THESIS I.

EA rerum præstantissimarum est conditio, ut, quanto præclarior illarum est usus, tanto pernicioſior earundem sit abusus. Quid Euangelio, Deique verbo præstantius? hoc ipsum, bene utentibus est odor vitæ ad vitam, male utentibus est odor mortis ad mortem. Nihil salubrius valetudini est usu vini; nihil magis noxium ejus abusu: ita & *Philosophia* insignem habet sui usum in Theologia; sed, si quis ea abutatur, in

venenum convertitur. Quanta sit *Philosophiæ* in Theologia *utilitas*, ad terminos bene explicandos, res distincte proponendas, disputationes rite instituendas, Doctissimorum, hac de re, Virorum testimonia, Theologorum scripta Polemica, & quotidiana experientia, satis superque ostendunt, ut hoc in dubium vocare hominis sit parum in facultate utraque versati. Quantum vero Theologiæ nocuerit *abusus Philosophiæ*, hæreticorum & sectariorum libri abunde demonstrant. Et quis nescit, omnia hodie, & à multis retro seculis, in Theologia disputari sub *terminis Philosophicis*, quos si quis rejecerit in totum, metus est, ut unquam feliciter sit cum Adversarum partium ulla congressurus. Quare decretum est hac disp. *Philosophiæ usum* in rebus Theologicis aperire.

II. Ut terminos, quemadmodum oportet, explicemus primum: Per *Philosophiam*, non intelligimus impræsentiarum, otiosarum quæstionum, ineptarum altercationum, inutilium nugarum, barbarorum terminorum, futilium distinctionum, gentilium, hujus vel illius Erhnici, sive *Aristotelis*, sive *Platonis*, commentorum farraginem; sed verò ea voce denotamus, *rerum divinarum & humanarum notitiam, quanta haberi potest naturali intellectus lumine*; vel, *artium, scientiarum, & prudentiarum, compagem*: atque hanc *Philosophiam* spectamus, non in aliquo subjecto, vel in concreto, sed *in abstracto*, &, ut loquuntur, *in idea sua*: ne Philosophorum vitia, quod vulgo fieri solet, imputentur Philosophiæ. Per *Theologiam* intelligimus, non simpliciter fidem & Religionem Christianam, quæ omnibus fidelibus, doctis pariter & indoctis, est communis, sed *Doctrinam de Deo rebusque divinis, ab ipso Deo traditam, qua Religionis Christianæ dogmata, & explicat, & probat, & propugnat ac contra oppugnatores defensitat.* Hæc *Theologia*, vel est *extraordinaria*, per immediatam Sp. Sancti illuminationem & revelationem accepta, qualis fuit in Propheris & Apostolis, vel *ordinaria*, quæ per diligentem verbi divini inquisitionem, sedulam scrutationem, continuam meditationem, & Theologiæ scriptorum lectionem, studio & labore cum adminiculo Sp. Sancti est acquisita. *Ad hanc Theologiam*, hoc posteriori modo sumptam, esse *non utilem solummodo, sed & necessariam Philosophiam, asserimus*, idque, rum *subjecti cognoscentis*, tum *objecti cognoscendi* ratione, illud præparando, hoc illustrando.

III. *Subjectum* Theologiam *cognoscens* est *homo*, qui triplici fere modo versatur circa res Theologicas, sc. vel eas simpliciter percipiendo, vel perceptas probando, vel probatas propugnando & defendendo. Hisce enim tribus circumscribitur Theologus & Theologia actibus: atque in iisdem Theologiæ studiosum mirum in modum juvat *Philosophia*, dum hæc ingenium ejus in percipiendo reddit promtum, in probando solidum, in defendendo & propugnando acutum & expeditum. Quem usum sui cultoribus *Philosophia* præstat per nobilissimum illud omnis scientiæ comparandæ organum, *Divinam Logicam*, quæ mentem nostram dirigit in cognitione rerum, sive eas apprehendamus simpliciter, sive apprehensas enunciemus, sive enunciatas probemus, sive probatas propugnemus & defensitemus. Atque *hunc Philosophiæ*, animum nostrum ad Theologiæ studium felicius instituendum *præparantis*, *usum* larius ostenderem, nisi ipsa experientia, atque ipsissima hæc Academia nostra, id satis probatum darent: videmus enim, quam difficulret res Theologicas percipiant, quam hæsitent, titubent, balbutiant atque inepte sese gerant, in earum veritate probanda, quam turpiter sese dent, ac causam deserant, & cum rubore & dedecore ex arena se subducant, cum, adversus Adversarii cujuspiam oppugnationes, fidei dogmata & religionis Christianæ articulos sunt propugnaturi & defensuri, qui Philosophiæ cultu animum suum non præparaverint. Contra, quam sine molestia ac difficultate difficillimas & molestissimas in Theologia quæstiones percipiant, quam dextre proponant, quam accurate probent, quam ordinare argumenta disponant, quam solide defendant veritatem impugnatam, quam mascule solvant Adversariorum objectiones, qui Philosophiæ nostræ notitia, non tincti leviter, sed plene imbuti sunt.

IV. *Obje-*

IV. *Objectum cognoscendum* sunt *res* seu *materiæ Theologicæ*, quæ occupant Theologiæ studiosum, vel circa sui διδασκαλίαν vel circa sui ἔλεγχον, id est, *vel* veniunt apprehendendæ per terminos simplices, & apprehensæ enunciandæ per terminos complexos, & enunciatæ probandæ per syllogismos, *vel* veniunt propugnandæ & ab Adversariorum oppositionibus vindicandæ. Quod spectat *terminos simplices*, ii vel *in Bibliis* inveniuntur, vel extra Biblia, in *Patribus*, *& Scholasticis*, *ac Theologis*, Theologiam excolere, & nunc & olim, consuetis. Qui *in Bibliis* inveniuntur; vel *tantum* sunt *Biblici*; ut, *Iehova*, *Christus*, *Mediator*, *Spiritus Sanctus*, *Electio*, *Iustificatio*, *Vocatio*, *&c.* ad quorum intellectum Philosophia nihil confert; vel ita in Bibliis reperiuntur, ut *simul* occurrant & *explicentur in Philosophia*, ad horum intelligentiam quam maxime utilis est Philosophia. Ita *Exod.* 3. 14. אהיה אשר אהיה & *Apoc.* 1. 8. ἐγὼ εἰμὶ ὁ ὤν. Et *Gen.* 1. *vers. ult.* Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde *bona*. Ubi occurrunt duo termini Metaphysici *Ens & bonum:* & quam frequens extat in sacris litteris mentio *cælorum*, *stellarum*, *aëris*, *aquæ*, *terræ*, *nivis*, *grandinis*, *pluviæ*, *nubium*, *fluminum*, *metallorum*, *gemmarum*, *piscium*, *animi*, *animantium*, *ciborum mundorum & immundorum*, *aliorumque terminorum Physicorum?* Quis *situm urbium*, *montium*, *ac regionum* describet, quis *descriptionem terræ sanctæ* intelliget, quis, quid *Orion*, quid *Plejades*, in *Iobi historia*, explicabit, nisi *Mathematis* adjutus? Et, *Virtutum* omnium, *Fortitudinis*, *Temperantiæ*, *Liberalitatis*, *Iustitiæ*, *Veracitatis*, & oppositorum *vitiorum* nomina, an non sunt *Ethici* fori? Quæ de *conjugio*, *marito*, *uxore*, *liberis*, *servis*, *de rege*, *regno*, *magistratu*, *subditis*, *legibus*, *præmiis*, *pœnis*, *bello*, *pace*, &c. in verbo Dei differuntur; an non sub terminis *Oeconomicis & Politicis* enarrantur? Atque ad hosce omnes, tum ex Theoretica, tum ex Practica Philosophia desumptos terminos explicandos, maximam utilitatem confert *Philosophiæ* cognitio. Qui extra Biblia, tum apud *Patres*, tum apud *Scholasticos*, aliosque *Theologiæ scriptores*, occurrunt *termini simplices*, ad res Theologicas explicandas adhibiti, sunt admodum multi, & fere innumeri, & accepti ex omnibus Philosophiæ partibus, præsertim ex *Metaphysica*, *essentiæ*, *existentiæ*, *subsistentiæ*, *inhærentiæ*, *substantiæ*, *suppositi*, *personæ*, *accidentis*, *potentiæ*, *actus*, *effectus*, *dependentiæ*, *subordinationis*, *principii*, *totius*, *partium*, *causæ moralis*, *physicæ*, *meritoriæ*, *impulsivæ*, *instrumentalis*, *entis positivi*, *privativi*, *concreti*, *abstracti*, *finiti*, *infiniti*, *completi*, *incompleti*, *simplicis*, *compositi*, *universalis*, *singularis*, *communicabilis*, *incommunicabilis*, *subjecti*, *adjuncti*, *signi*, *signati*, *relationis*, *actionis*, *unitatis*, *distinctionis*, *&c.* à quibus nec abstinet, nec abstinere quidem, etsi vult, ullus potest Theologus: pariter termini Philosophici sunt, *localitas*, *temporalitas*, *dimensionum penetratio*, *animæ potentiæ vel facultates*, *liberum arbitrium*, &c. Quos omnes ex *Philosophia* mutuo sumit Theologia, & à studioso jam cognitos supponit: unde Philosophiæ usus satis est clarus circa simplices terminos. Ut hi termini Philosophici tuto & absque omni erroris periculo applicentur rebus Theologicis explicandis, tria circa eos sunt observanda; eorum 1. *Abstractio.* 2. *Analogia.* 3. *Imperfectionis remotio.* Omnes enim termini Philosophici simplices, cum sunt applicandi Deo & rebus divinis, 1. *Abstrahi* debent à statu in rebus creatis. 2. *Analogice* tantum conveniunt Deo & creaturis. 3. *Liberari* debent *ab omni imperfectione:* atque tum tuto & pie possunt adhiberi, quia non eadem ratione applicantur Deo & creaturis. Considerentur termini *Metaphysici*, *Ens ac Substantia:* qui ambo conveniunt Deo & creaturis: sed non est eadem ratio, vel entis, vel substantiæ, in Deo, quæ est in creaturis; in illo est independens, in hisce dependens. Spectentur termini *Physici*. *Generatio* tribuitur Deo in Sacris & corpori naturali in Physicis: sed non est eadem ratio generationis in Deo & corporibus naturalibus. Attendantur termini *Ethici*. *Iustitia*, *misericordia*, *pœnitentia*, *ira:* &c. hi aliter tribuuntur Deo, aliter creaturis, quod nemo ignorat: & sic de aliis quoque terminis est judicandum. Sed speciatim tribus regulis instruam Theologiæ studiosum, ut pie & Christiane terminis utatur in rebus Theologicis, & sic tuto philosophetur.

V. Cir-

V. Circa *abstractionem* hæc teneatur regula. *Natura terminorum non est judicanda ex conditione creaturarum, sed ex conceptu universali.* Terminus universalis duplicitet potest considerari: 1. secundum conceptum proprium. 2. secundum statum in certo subjecto. Multa conveniunt termino ratione subjecti, quæ in ejus conceptu universali non requiruntur. Sic in termino, *Persona*, duo possum considerare, 1. Conceptum universalem, qui definitione personæ exprimitur. 2. Conditionem in certo subjecto, v. c. in homine. Jam vero, Personæ in homine convenit, quod unam numero ab aliis distinctam essentiam importet; ita Petrus persona est, & habet unam numero essentiam ab essentia Pauli distinctam: at hoc non convenit Personæ secundum conceptum universalem. Idem judicandum est de termino, *Generatio*, qui in conceptu proprio, quem definitio exprimit, plane non importat essentiam generantis ab essentia generati distinctam; interim, prout consideratur in rebus finitis, semper cum illa distinctione essentiæ est conjunctus. Philosophus vero Christianus de terminorum natura, non ex conditione hujus vel illius subjecti judicat, sed abstrahit naturam in se considerandam; atque ex hoc principio optime novit occurrere hæreticis, quando generaliter aliquid de termino enunciant, quod ipsi tantum convenit, quatenus in ente finito reperitur, uti faciunt in hisce enunciationibus: *quot sunt substantiæ singulares, tot sunt personæ: quot sunt personæ, tot sunt essentiæ: ubi una numero est essentia, ibi una tantum est persona: omnis natura individua est incommunicabilis: unum numero singulare non potest esse tribus commune: unitas essentiæ numericæ & generatio consistere nequeunt: communicabilis essentiæ communicabilis quoque est subsistentia*, &c. Quæ omnia similiaque effata verificantur in creaturis, sed illegitime ad essentiam individuam ac personam generaliter referuntur, cum, à speciei attributione ad genus universaliter, non valeat consequentia: uti non valet; Omnia animalia, quæ sunt homines, sunt rationalia: Ergo omne animal est rationale. Uti ergo conceptus animalis universalis non includit rationalitatem, licet in homine semper rationale cum animali conjungatur; ita generatio in suo conceptu universali non includit diversitatem essentiæ generantis & generati, licet in rebus finitis cum ea conjungatur.

VI. Circa *Analogiam* hæc teneatur regula. *Termini Metaphysici analogice de Deo & rebus divinis usurpantur:* intelligitur vero analogia attributionis, qua Deo absolute & optimo competunt, creaturis secundatio & per habitudinem ad Deum. Ita cum dicimus, *Deum esse ens & substantiam*, analogice hoc explicandum est, quod nimirum Deus sit ens & substantia, independenter & absolute, reliquæ res sint entia & substantiæ dependenter.

VII. Circa *remotionem imperfectionis* hæc teneatur regula. *Termini, qui respectu nostri ac ratione impositionis, primo conveniunt creaturis, cum Deo & rebus divinis debent applicari, prius sunt liberandi & purgandi ab omni imperfectione.* Ratio patet, quia infinita est distantia Dei tanquam entis perfectissimi, à creatutis: ideoque imperfecti nihil ipsi attribui potest. Si ergo terminus, qui primo est impositus creaturis, ideoque aliquid imperfectionis involvit, debet attribui Deo, omnis imperfectio ab eo est removenda prius: ita cum loquimur de Dei attributis, quod in Deo sit *justitia*, *sapientia*, *bonitas*, removeamus, quicquid imperfectionis hæ creatutæ important, nempe, *esse in alio*, *ut accidens*, *crebris actionibus acquiri*, *distinctum esse ab essentia justi*, *sapientis*, *boni*, &c. Cum dicitur, *personam in divinis generare personam*, removeatur omnis imperfectio, quæ invenitur in generatione humana: quod ubi factum fuerit, in fumum abibunt omnes ratiunculæ, quibus generationem, in divinis, hæretici impugnant. Et profecto, cum necesse habeat Philosophus, etiam in iis versans, ad quotum cognitionem mens humana naturaliter potest pervenire, ut terminos ab imperfectione libetet, antequam Deo attribuat, multo magis, cum in arduis fidei mysteriis terminos, primo creaturis impositos adhibet, labem imperfectionis auferre tenetur: quod nisi fiat, rerum fit confusio, & nefanda divinis mysteriis infertur injuria.

VIII. Nunc

VIII. Nunc *usum Philosophiæ* videamus circa *Themata complexa*, ex terminis simplicibus conflata, sive sint simpliciter *enuncianda*, sive *probanda*. *Enunciantur*, vel *terminis mere Biblicis*, vel *ex parte Philosophicis*. Unde nata est *quæstionum* Theologicarum *distinctio* in *puras*, & *mixtas*. *Puræ* quæstiones, ex *terminis solum Biblicis* constantes, atque iisdem enunciatæ, ex Bibliis solum probantur, quamvis quoad modum probandi, quoad illustrationem earum à similibus, quoad rationes quasdam secundarias, aliquis Philosophiæ circa eas usus esse possit. Sed *mixtarum*, & termino Theologico partim, partim Philosophico constantium, & sic enunciatarum, *intelligentia*, *ex parte* etiam *ex Philosophia* accipi debet, atque *probari* etiam ex ea potest. Sic v. c. *ipsum Trinitatis mysterium*, ex Philosophia, nec cognosci, nec probari potest, sed hæ circa illud mysterium quæstiones, ex Philosophia & cognosci debent, & probari possunt. Sc. *An persona Trinitatis sint modi existendi, an relationes? An realiter, an ratione, an modaliter, distinguantur inter se & ab essentia divina?* sic & plures circa Deum & res Theologicas sunt quæstiones. *An existentia Dei sit de ejus essentia? An dua naturæ in Christo faciant duas hypostases? An substantia possit esse sine propria subsistentia? An propria unius naturæ sint alteri in Christo communicabilia? An Deus sit peccati author vel causa? An peccatum originale sit ipsa corrupti hominis substantia? An habitus? An privatio? An quid positivum? An Deus concurrat cum actionibus omnibus creaturarum etiam malis? An Scriptura sit perfecta norma ac mensura fidei? An reprobatio & electio sint absoluta an conditionata? An decreta Dei sint libera an contingentia, an necessaria & immutabilia? An Christi corpus vere ac realiter sit præsens in pane & vino, atque in illa mutatum, vel sub illis lateat, & sic sit in pluribus locis?* &c. quæ omnes quæstiones & *Metaphysica* & *Physica* auxilio egent ad intelligentiam sui. Sed & *Philosophia practica* in partes venit & subsidium enodandis hisce similibusve quæstionibus Theologico-Philosophicis tum intelligendis, tum confirmandis: verbi causa. *An liberum arbitrium sit eadem facultas cum intellectu & voluntate? An detur summum in hac vita hominis bonum? An detur status heroicus & excellentia virtutum, in quo plene perfecteque ratio dominetur affectibus? An virtutes omnes sint inter se connexæ? An parentum tutorumque consensus sit de necessitate conjugii, an de honestate tantum? An separatio quoad thorum & mensam faciat divortium? Quousque in linea collaterali sit prohibitum conjugium? Quod regiminis genus maxime conveniat Ecclesiæ militanti, Monarchicum, Aristocraticum, an Democraticum? An Christianis liceat bellum & Magistratum gerere*, &c. Quas quæstiones nec intelliget, nec confirmabit, Philosophiæ rudis.

IX. Sed nunc Philosophiæ usum circa τὸ ἔλεγχον quæstionum Theologicarum videamus, ut eæ non tantum propugnentur, sed ab exceptionibus Adversariorum vindicentur, eorumque objectiones refutentur: certe, qui vel obiter inspexit veritatis & Religionis Christianæ hostium libros, & argumenta eorum perlustravit, negare non potest, quin arma sua petant, tam ex Philosophiæ promtuario, quam ex Bibliorum penu. Instar omnium sint, inter Pontificios, Bellarminus & Becanus: inter Socinianos, Goslavius & Crellius: inter Arminianos, Vorstius & Episcopius: inter Lutheranos, Meisnerus & Hesselbenius: quorum sophismata & argumenta ut quis solvat, citra Philosophiæ auxilium, frustra sperabit. Concludimus ergo, Philosophiam, si legitime applicetur, utilissimam esse & maxime necessariam Theologiæ, quod erat demonstrandum.

ANNEXA.

1. *Philosophia ex Theologia est perficienda, non contra.*

2. *Non de recta ratione, ex cujuscunque hominis, nec de Philosophia, ex hujus vel illius Philosophi mente, judicandum est.*

3. *Sæpe fit, ut idem terminus aliter accipiatur in Theologia, aliter in Philosophia.*

4. *Philosophia dogmata fidei non demonstrat, sed illustrat.*

5. *Quousque se extendit ratio, eousque & Logica.*

6. *Principia universalissima vera sunt in omni disciplina.*

7. *Non facile principii alicujus universalitati fidendum est.*

8. *Quando propositio aliqua dubia est, tum prima ratio est habenda Sacræ Scripturæ.*

9. *Philosophus, de posse novit quidem in rebus supra naturam, esse autem ignorat.*

10. *Axiomata specialium disciplinarum ultra objecta suarũ disciplinarum non debent extendi.*

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

DECIMA.

DE

ABUSU PHILOS. IN THEOL.

THESIS I.

USum Philosophiæ in Theologia exposuit *Disputatio præcedens*; *abusum* ejus *hæc* exponet. *Per Philosophiam ac Theologiam* quid intelligatur, explicatum est *th.* 2. *Disp. præced.* Atque eodem sensu, utraque hic à nobis sumitur vox: ac sub illa significatione, multiplicem *Philosophiæ in Theologia abusum*, hac *disp.* ostendemus.

II. §. 1. *Abusus Philosophiæ in Theologia est pessimus*, cum ejus Principia, axiomata, definitiones, canones, præcepta, adhibentur ad demonstranda mysteria fidei, ad fidem ipsam circa ea stabiliendam: sed enim, quæ sunt meræ revelationis, ea per Philosophiam demonstrari, eorumque fides per illam stabiliri, nequit. Per quod medium fides circa mysteria salutis excitatur, per idem stabilitur. Sed non excitatur per Philosophiæ præcepta cognita aut demonstrationes Philosophicas. Ergo nec iis stabilitur. Quid? quod magis iis destruatur. Nulli enim magis adversati sunt fidei in Christum & mysteriis nostræ salutis credendis, quam inter Gentiles Philosophi. Et ab omni ævo id deprehensum est, idiotas, & cætera ignaros homines ac simplices, nudo Dei verbo contentos, longe fuisse aptiores ad credendum mysteriis fidei, quam subtilissimos Philosophos. Hic valet illud *Apostoli, Animalis homo non capit ea, quæ sunt Spiritus Dei:* &, *Ratio captiva ducenda est sub obsequium fidei*; & illud *Chrysostomi, Christianos volentes accipere firmitatem fidei veræ ad nullam rem confugere decet, quam ad sacram Scripturam.* Itaque frustra sunt, qui Trinitatem, extra Dei verbum, ex Philosophia demonstrari posse existimant, atque hoc agunt, sed in vanum. Impudentissimi sunt *Scholastici*, qui cum *Magistro sententiarum, Petro Lombardo in l.* 1. *sent. & Thoma Aquinate in* 1. *part. summ. Theol. & contra Gentiles*, tam irreverenter, in Mysterium illud admirandum atque adorandum S. S. Trinitatis irruunt, & tam audacter ex Philosophia determinant multa, non aliter ac si Mysterium illud penitissime inspexissent. Equidem non possum illud premere aut celare, exhorrescere animum, quotiescunque in *Commentatoribus ad Lombardum & Thomam* lectito disputationes ab illis institutas circa Deum ac Trinitatem. Inspiciat quis *Suarezium, Vasquezium, Valentiam, Smisingium*, ac si non mecum detestabitur, audaciissimas, quin & profanas ac divina majestate indignas, eorum decisiones, quovis pignore decertavero.

III. §. 2. *Pessimus item Philosophiæ in Theologia abusus est*, quod circa alia fidei dogmata atque articulos, circa quæstiones & controversias (præter mysteria fidei ac salutis) Theologicas illa sibi magisterium assumat, cum ministerium ei conveniat: non debet Philosophia instar Heræ dominari Theologiæ, sed instar ancillæ servire: Theologia instar Satæ est, Philosophia instar Hagar. Theologia regina est omnium facultatum & disciplinarum, Philosophia pedissequa. Itaque invertunt

tunt ordinem, *Lombardus*, *Aquinas*, *Scotus*, & omnes de grege illo *Scholastici*, qua veteres qua recentiores, dum articulos fidei probaturi, quæstiones Theologicas decisuri, rationes *Philosophicas* atque authoritates *Aristotelis* præmittunt verbo *Dei* & *Authoritati divinæ*, atque ita *dominum Aristotelem* sequitur non passibus æquis *Dominus Israëlis*. Non me contineo, quin referam, quod relatu tamen est impium, sed ex quo dominium Philosophiæ in Theologiam nimis quam clare videre est. Cum ante annos præterpropter centum in Parisiensi Academia res sacræ disputationis incudem subirent, ac calide disputarentur, quotiens ex sacris litteris divinus allegaretur inter opponendum textus, promptum erat ac paratum effugium, Christianis autibus atque ore indignum: *Spiritus Sanctus in verbo Dei captui se plebejo attemperat, familiarius loquitur ac simplicius*; & (horresco referens) *sacræ litteræ, nasi instar cerei, quovis flecti possunt ac traduci*. Verum quotiens sacer *Aristotelis* textus adduceretur, totiens pertutbati omnes stare ac perculsi dispicere, ut veritati *Theologicæ* ac divinæ profanum conciliarent *Philosophum*. Sudatum tum fuit ac laboratum, non aliter quam si Hannibal ante portas. Eousque caput extulerat supra *Theologiam Philosophia*. Quod ita quoque commovit magnum istum Philosophiæ reformatorem *Petrum Ramum*, ut non tantum doluerit ac detestatus fuerit istam impietatem, sed maximo molimine, rerum omnium, famæ, bonorum, ac capitis etiam periculo, tam impiæ Philosophiæ obviam iverit: unde inter crimina, in ipsum intentata, objectum fuit maxime, *quod contradicendo Aristoteli Theologiam enervaret*. O tempora, ô mores! Audiebatur ex Sorboniſtarum pulpitis ac personabat hæc vox, *nemo Theologus evadet sine Aristotele*: Quod dictum etiam tempore *Lutheri* in Germaniæ obtinebat Academiis, qui *Tom.* 1. *Lat. oper.* contrarium confidenter asseruit. *Error est*, inquit, *dicere*; *sine Aristotele non fit Theologus: imo Theologus non fit, nisi sine Aristotele*. Verissime profecto, si Aristoteles sic honoretur, sic doceatur, sic narretur, sic explicetur, uti tempore *Lutheri* & *Rami* factum fuit. Atque utinam hodie non idem fieret apud Pontificios. Si *Aristotelis & Philosophorum* authoritas in rebus Theologicis fuisset plus imminuta, longe felicius negotium Reformationis processisset. Dignissima observatione omni sunt verba *Lutheri* adhuc *Cœnobita*, *in Epistola quadam ad Iodocum Isennacensem scripta* 1518. *ex Monasterio Erfordensi*. *Ut me resolvam*, inquit, *ego simpliciter credo, quod impossibile sit reformari posse Ecclesiam, nisi funditus Scholastica Philosophia, uti nunc habetur, eradicetur, & alia studia instituantur. Tibi videor non esse Logicus, nec forte sum: id autem scio, quod nullius Logicam timeo, in defendenda ista sententia*, &c. ac similia habet in aureis illis *Epistolis*, quas ad socios & alios Monachos scripsit, paulo antequam magnum illud Reformationis opus aggrederetur.

IV. §. 3. *Pessimus Philosophia in Theologia abusus est*, cum articuli fidei vel negantur, vel in alienum sensum detorquentur, quia non conveniunt cum definitionibus aut axiomatibus rerum Philosophicarum, cujus criminis rei sunt *Sociniani*, qui principia rationis ac Philosophica faciunt normam ac mensuram fidei ac credendorum, qui S. S. Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis ejusdem numero carnis, aliaque salutis mysteria, & fidei dogmata, rejiciunt, quod cum *Philosophicis* definitionibus ac principiis non conveniant: quasi vero Philosophia sit decempeda, amussis, ac libella, ad quam exigenda sit fides. Ita, quia *Aristoteles universale definivit*, *quod de pluribus sua natura prædicari aptum est*; *singulare*, *quod de uno tantum*, negant Deum natura sua prædicari de pluribus personis, quia singulare est ens, & sic Trinitatem tollunt: eandem evertunt ex retentis definitionibus *convenientiæ realis & rationis*, ex *Aristotele*, qui ait, *illam esse*, *qua quasi plura conveniunt in eodem tertio*; *hanc*, *qua actu plura*: At, si Trinitas sit, inquiunt Antitrinitarii, cum personæ tres sint de facto & revera atque actu plures, convenient in essentia divina convenientia rationis, quod Trinitarii non admittunt; aut, inquiunt, si personæ tres in Trinitate conveniant in essentia divina convenientia reali, & non per mentem, ut volunt Trinitarii, non erunt actu plures, sed quasi plures, quod ite-

rum non admittunt Trinitarii. Et sic in aliis fidei articulis malunt isti homines potius sartam tectam servare veritatem *definitionum* ex *Aristotele Philosophicarum*, atque abnegare veritatem articulorum fidei, quam ut iis rejectis dogmata fidei admittant ac credant. At ego malim totum *Aristotelem*, cum omnibus suis atque omnium *Scholasticorum* definitionibus & principiis Philosophicis, abjicere & abjurare, quam vel hilum vel pilum detrahere, de ullo articulo, mysterio, vel dogmate fidei credendo. Itaque aut conciliari debent principia Philosophica cum dogmatibus & rebus fidei, aut, si non possint, rejicienda sunt potius, quam vel tantillum derogetur fidei ac veritati revelatæ.

V. §. 4. *Pessimus est Philosophiæ in Theologia abusus*, cum ea ponuntur istic fundamenta, quæ hic sunt nocumenta, cum istæ opiniones & sententiæ afferuntur ac defenduntur in Philosophia, quæ sunt semina & occasiones & causæ errorum in Theologia. Ita autem hodie fit in libris Philosophorum, quos nocturna diurnaque manu versat Philosophiæ studiosa juventus. Inspiciantur, *Eustachius*, *Raco*, *Conimbricenses*, *Ruvius*, *Toletus*, *Arriaga*, *Oviedo*, *Hurtado*, *Suarez*, *Fonseca*, &c. an non ad Theologiæ suæ *Pontificiæ & Antichristianæ Idololatriæ patrocinium* Philosophiam suam instituerunt ac reliquerunt. Quid quod *Tellez* titulum suæ Philosophiæ audacter ponat, *Summa Philosophiæ universæ cum Theologicis quæstionibus, quæ hodie inter Philosophos agitantur, Logica & Metaphysica Scheibleri*, *Philosophia sobria Meisneri*, an non ea tradunt, quæ erroribus circa veritates Theologicas tuendis inserviunt? Qui vel hos, vel illos, inspexerit tantum, næ ille mecum pronunciabit idem, modo ab omnibus præjudiciis & affectibus liber sit ac vacuus. Unde quæso tot hæreses, sectæ, dissidia, & opinionum in rebus Theologicis monstra, ab antiquis ac recentioribus arrepta, ac pertinacissime defensa? An non ex fundamentis in Philosophia male collatis? ut non male id genus *Philosophi Tertulliano* dicti sint *Patriarchæ hæreticorum*. An non ex Philosophiæ vanæ, barbaræ, inficetæ, falsæ, *Scholasticorum* penu atque armamentario, arma in Theologiam ac Religionem Reformatam atque in nos depromunt, quibus pugnant, *Pontificum Adulatores*, *Lojolitæ*, ac reliqua *Monachorum* turba, qui uti nec *Papæ*, ita nec *Aristotelis* authoritatem, eripi sibi patiuntur. An non ex ejusdem corruptæ *Philosophiæ* pharetra tela in nos jaculantur & vibrant *infausti Socini* θεομάχοι *defensores atque hyperaspistæ?* An non hinc copias suas instruunt, qui *Sacramentario* tot jam annorum bello, *pro ubiquitatis* Helena, tanquam pro aris dimicant ac focis? Quid? Quod illi etiam ipsi, qui ex *Reformatæ* Ecclesiæ matris suæ gremio egressi, *quinquarticulanæ suæ crambes condimenta ex hujus Philosophiæ* thecis quærunt? Quod ex *scientia eorum media*, *liberi arbitrii* ἀδιαφορίᾳ, *decretis conditionatis*, aliisque id genus gemmis, ex sterquilinio hoc erutis, cuivis est notissimum. Sola *Suaresiana Metaphysica* Lectio, imprudenter nimis, & nimio animi affectu, instituta, in turpissimos ac pernicioſissimos errores abripuit *Conradium Vorstium*, quod tam putida, de compositione, quantitate, accidentibusque in Deo, aliisque nunc non recensendis, Philosophemata, ultro legenti testantur. Tantum valent *Philosophorum Scholasticorum* scripta, nisi proba ab improbis, quæ longe maximam faciunt partem, secernantur: scilicet, multa sunt axiomata *Philosophica*, non ex rei veritate deducta, sed in *Scholasticorum*, hominum otiosorum, cerebro nata, pravum in sensum detorta, male ac cum Philosophantium gravissimo, in rebus Theologicis, damno, accepta & arrepta; qui Philosophiæ in Theologia abusus non est postremus.

VI. §. 5. *Pessimus Philosophiæ in Theologia abusus est*, quod novi termini ac phrases novæ ex Philosophia in Theologiam introducantur, citra ullam necessitatem, sub quibus nova sæpe latent, atque erronea foventur dogmata. Nam, *Qui fingit nova verba, simul nova dogmata fingit.* At vero sicut entia non sunt multiplicanda præter necessitatem, sic, nec vocabula, nec modi loquendi, præsertim in rebus Theologicis, ubi caute est loquendum, &, ut animos fidelium, ita & voces easdem eorum esse, oportet. Atque hic iterum videas luxuriantes *Scholasticos*, qui innumeram

ram farraginem terminorum, phtasium ac distinctionum novarum, & absque necessitate, in Theologiam induxere atque intulere. Quid? Quod innovandi terminos studium in ipsa improbetur Philosophia; nedum in Theologia. Multis minus placet *Campanella Philosophia*, quod novos invehat terminos: cujus culpæ reatu quoque tenetur *Caramuel Lobcomitz in sua Philosophia*. In *Theologia* sane loquendum est cum *Deo* & verbo ejus: comprehendit enim τὰ λόγια & θεῦ. Nolim tamen proscribi receptos ex Philosophia, ac præsertim Logica, terminos ac τεχνολογήματα, sine quibus controversiæ Theologicæ, nec intelligi, nec decidi possunt, à quibus abstineri nequit, vel ob illam solam necessitatem, quam nobis faciunt Adversarii religionis ac veritatis Christianæ, qui sub iis controversias Theologicas proponunt ac pertractant, & sæpe venenum propinant incautioribus. Quare illorum, sive Terminorum, sive τεχνολογημάτων, usus, sed sobrius, & ex hypothesi, per Adversarios, necessarius, retinendus omnino est.

VII. §. 6. *Pessimus Philosophiæ in Theologia abusus est*, cum axiomata specialium in Philosophia disciplinarum ultra objecta earum, ad res Theologicas, & non sui circuli, extenduntur: atque hinc producitur Axioma, *quod aliquid possit esse verum in Philosophia, & idem esse falsum in Theologia, ac vice versa.* Sed enim si fines ac limites serventur utrimque qui servari debent, si Philosophia intra pomœria, septa atque sphæram suam, sese contineat, nec indiscriminatim ac promiscue, absque distinctione, axiomata Philosophica applicentur rebus Theologicis, deprehendetur idem esse verum in Philosophia, quod est verum in Theologia: & contra: Verumenimvero consonat, nec pugnat veritas revelata cum veritate demonstrata: ac multa sunt supra rationem, quæ non statim sunt contra eam. Verum est in Philosophia & secundum naturæ ordinem; *Virgo non parit:* sed & verum est in Theologia & supra naturæ ordinem; *Virgo parit.* Atque hoc totum negotium optime exposuit *Keckermannus in præcognitis Philosophicis.* Quid restat? Nisi ut Philosophia, optimo Dei dono, recte utamur in Theologia, secundum regulas præscriptas *disp. præced. 9.* abusum ejus sedulo caveamus ex iis, quæ nunc à nobis sunt *hac disp.* dicta ac dissertata.

ANNEXA.

1. *Philosophia Theoretica nullis conjecturis niti debet: Sed ejus veritates catenatim ex principiis evidentissime deduci necesse est.*

2. *In prima mentis operatione, simplici sc. apprehensione, nulla datur falsitas, ideoque falsum, nec clare, nec distincte, percipi potest.*

3. *Ratio illa est bona, recta, sana, quæ ab omnibus præjudiciis & affectibus pravis est vacua, atque non in vitæ communis usu, non circa res fidei, sed in contemplando & inquirendo certam rerum extra se positarum existentiam ac veritatem simplicem, omnia à teneris per sensus de iis facta judicia in dubium primum vocat, ut ex dubitatione dehinc certi quid eliciat: quæ sententia, Aristotelis authoritate l. 3. Metaph. c. 1. exemplo, ac praxi in variis libris, est comprobata.*

4. *Quia sensus deficit sæpe & aberrat, ejus judicia examinanda & corrigenda sunt à ratione.*

5. *Veritas revelata rationis examini non est subjecta.*

6. *Fides & scientia possunt esse simul, de eadem propositione, in eodem intellectu.*

7. *Deum esse, lumine naturæ perspicuum est.*

8. *Deus sua essentia existit.*

9. *Omnia creata positivo Dei influxu conservantur.*

10. *Deus non est causa errorum, nec ullius mali.*

11. *Essentiæ rerum sunt immutabiles.*

12. *Mens non indiget semper Phantasmatis ad suas perceptiones.*

13. *Mens corpori non tantum assistit, sed ei unita est.*

14. *Existentia rerum corporearum nullo modo est dubia, recte Philosophanti.*

15. *Scepticorum Philosophandi ratio, qua dubitant & in dubitando persistunt, nec unquam ex dubitationibus ad rerum veritatem emergunt, à vera Philosophia est alienissima.*

16. *Vera Philosophiæ & solida rerum scientia est, cum res sensu apprehensæ, mente ac ratione adjudicantur, atq; sic cognoscuntur, uti sunt, certo.*

17. *Cognitio omnis fit per ideam, quæ non est una, sed multiplex, alia innata, alia acquisita, alia ficta.*

18. *Sensus, cum tantum versentur circa accidentia, in nullius substantiæ notitiam Philosophantem inducunt.*

19. *Sensus tantum docent, quod sit id, quod calorem, lucem, odorem, &c. vocamus, non vero quid sint.*

20. *Certa rerum cognitionis fundamentum est rerum analysis vera, qua res per suos & genuinos artus & in partes resolvitur.*

21. *Partes rei cujuscunque cognosci possunt, non tantum resolvendo, sed & componendo, & cum aliis conferendo.*

22. *Vnde triplex est cognoscendi, qua mens utitur, Methodus, Analytica, Synthetica, Syncritica.*

23. *Analysis, incipit à toto compositio & desinit in particulas minimas ac simplicissimas.*

24. *Synthesis, incipit à minimis & simplicissimis, desinitque in compositissimis ac toto.*

25. *Syncrisis, confert integra integris, partes partibus, περιληπτικῶς.*

26. *Vsus triplicis hujus intellectualis Methodi est, clara & distincta rei cujusque perceptio, qua ut habeatur, jungenda sunt hæ methodi in cognoscendo, non confundenda.*

27. *De re, vel non vel negligentius, cognita, vel non expensa, vel non cum aliis collata, judicium prolatum, judicii abortus est.*

28. *Præjudicium, est judicium de rebus sensibilibus habitum per sensus ab ipsa infantia ante plenum perfectumque rationis usum, vel pronuntiatum ante rationis examen.*

29. *Hæc infantiæ ac pueritiæ præjudicia à Philosophante & veritatis studioso, jam rationis adultæ ac judicii firmati, ut cognitionem veritatis incomplexæ de rebus sibi comparet, abjici debent, ac possunt.*

30. *Hæc unica est, vera, germana, solida, Philosophandi ac veritatis inveniendæ via, & ratio omnem dubitationem funditus ex animis Philosophorum, hominumque omnium, eradicandi.*

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

UNDECIMA.

DE USU METAPHYSICÆ IN DISCIPLINIS ALIIS, AC PRÆSERTIM THEOLOGIA.

THESIS I.

VSum Philosophiæ in Theologia exposui *Disp.* 9. abusum *disp.* 10. nunc visum fuit *Philosophiæ primæ usum* speciatim ostendere, non tantum in *Theologia*, sed & *in aliis disciplinis*; ut ejus studium, quod nimium (proh dolor) multis pro vili habetur sub pedibusque jacet, excitetur, atque animi Philosophiæ studiosorum inflammentur, ad eam serio seduloque excolendam.

II. *Vtilissima est Metaphysica, quinimo necessaria, ad plenam perfectamque Physicæ ac Mathematicæ cognitionem, utpote quibus objecta & principia sibi sua largitur ac demonstrat.* Atque ut de *objecto* sive *subjecto* dicamus primum, quoniam omnis scientia sumit subjectum suum esse, & esse hoc, sive hanc ejus esse definitionem, ut docet *Aristoteles lib.* 1. *Post. Analyt. cap.* 10. §. 75. atque hæc non sint ita nota per se, quin aliqua indigeant declaratione vel probatione, oportet, declarationem istam aut probationem petere ex aliqua priori scientia. At ex qua, si non ex Metaphysica? Hæc igitur definitiones *confirmat*, quibus explicatur quid sit illud, quod unaquæque scientia tractat, siquidem definitiones istæ, ex terminis prioribus atque universalioribus, quos sibi vendicat

cat Metaphysica, necessario debent esse conflatæ. *Probat* etiam uniuscujusque scientiæ subjectum esse, sed ita ut in illa sine demonstratione sumitur: non sumitur autem actu existere in rerum natura (id enim ad scientiarum constitutionem non est necessarium, nisi in ea, quæ de Deo est) sed hoc sumitur tantummodo, ut sciatur in quo rerum gradu ac genere ejusmodi subjecta collocentur. Hoc ergo Metaphysica *declarat* ac *probat*, cum tradit rationem entis atque essentiæ, & insuper diversa entis genera ac gradus distinguit, sub quibus scientiarum subjecta continentur: illius autem subjectum, qua parte agit de ente in genere, à nulla priori scientia demonstrari aut declarari potest, quia nihil est ente superius.

III. Quomodo Metaphysica *probat reliquarum scientiarum principia*, vel etiam *sua*, paulo difficilius est explicatu: Nam principiorum notitia νῦς dicitur *Aristoteli*, isque in nobis non demonstratione, sed inductione, atque ἀπὸ λόγου gignitur; ut docet *Aristoteles lib.* 2. *Post. cap. ult.* Ut igitur hæc res intelligatur, observandum est primum & ante omnia, duo esse genera principiorum, quæ in scientiis usurpantur: quædam sunt prorsus ἄμεσοι & ἀναπόδεικτα· alia mediate quidem, sed adhibentur ac si immediata forent, eo quod jam ante demonstrata sint. Nihil autem ad scientiam interest, sintne propositiones, quæ sumuntur inter demonstrandum, protsus indemonstrabiles, an jam ante demonstratæ: hoc liquet ex ipsa definitione demonstrationis, apud *Aristotelem lib.* 1. *Top. c.* 1. Nihil etiam refert, an hæc secundi generis principia in eadem scientia demonstrata sint (veluti cum Matheseos atque aliæ quoque scientiæ ex prioribus suis propositionibus, jam demonstratis, sequentium demonstrationem instituunt) an in scientia priori Metaphysica: Itaque Metaphysica dicitur demonstrare principia scientiarum reliquarum, quoniam illæ propositionibus in Metaphysica demonstratis utuntur pro principiis: Ex. gr. Metaphysica demonstrat, Nihil à seipso fieri: hoc Physicus habet pro principio. Itaque in his principiis nulla est difficultas.

IV. Quod reliqua spectat, quæ omnino sunt ἀναπόδεικτα, notandum est, quid discriminis sit, inter modum, quo νῦς, & inter eum, quo Metaphysica, dicitur versari circa principia. At νῦς quidem versatur circa principia, ut principia sunt, sine ullo discursu aut ratiocinatione, sed simplici apprehensione veritatis quæ in iis est: At Metaphysica non versatur circa principia, ut principia sunt, sed ut aliquo modo induunt naturam conclusionum, eorumque veritatem apprehendit intercedente aliquo discursu, quo mens in ea assensione, quam jam principiis adhibuerat, juvatur ac confirmatur.

V. *Discursum* istum instituit Metaphysica tribus modis: Nam *primo* accuratam instituit explicationem illorum terminorum, ex quibus principia constant: ideoque illa evidens atque distincta terminorum notitia est veluti medius terminus, quo principiorum veritas probatur: Ex. gr. cum proponitur hoc principium, *Totum est majus sua parte*, non potest certe fieri, ut intellectus ei non assentiatur: attamen cum Metaphysica hoc accurate explicat, quid nomine *totius* & *partis* significetur, intellectum in ista assensione non parum confirmat: Nam cum axiomatum notitia in animo nostro generetur ex notitia terminorum, omnino sequi videtur, ut quanto distinctius intelliguntur termini, tanto etiam magis ac firmius mens amplectatur principiorum veritatem. *Alter* modus probandi principia est δι' ἀδυνάτου, per deductionem ad absurdum; Omnia enim probari possunt per hoc axioma: Fieri non potest, ut idem de eadem re simul affirmetur & negetur. *Tertiò* modus est probandi per quandam reflexionem mentis in se ipsam: sic colligimus principia vera esse, atque etiam ἀυτόπιστα & ἀναπόδεικτα, quia sentimus sine ulla demonstratione à natura nos trahi ad iis assentiendum. Atque his quidem modis dicitur Metaphysica confirmare principia, alioquin ἀναπόδεικτα, non quod assensionem, qua mens sine discursu principiorum veritatem jam ante admiserat, reddat evidentiorem aut certiorem, sed quod novum assentiendi modum priori adjiciat, nempe assensum ἀμεσωτικὸν, cum prior sit νοητικός.

VI. Atque hoc quidem modo versatur Metaphysica circa principia sibi propria, quæ perti-

pertinent ad totum entis ambitum ; at nondum apparet, quomodo hac in parte præsit cæteris scientiis particularibus, ratione principiorum, quod erat explicandum. Respondeo, particulares scientias, Physicam & Mathematicam, universalibus istis principiis Metaphysicis uti ad demonstrationes suas firmandas aut constituendas: quibus enim Metaphysica utitur in tota entis ac sua latitudine, ea reliquæ scientiæ applicant ac restringunt ad suum singulæ subjectum. vid. *lib.* 1. *Post. Anal. c.* 10. *lib.* 3. *Met. c.* 3. *lib.* 11. *Met. c.* 4.

VII. *In Philosophia practica* minus appareret, *quem usum Metaphysica discentibus præstet:* est tamen aliquis, si non alibi, saltem ea in parte, in qua de pietate sermo est: nam licet plena perfectaque descriptio pietatis non aliunde quam ex sacris litteris haurienda sit, ad Philosophiam tamen moralem pertinet ostendere, quid ex principiis sua natura notis possit de pietate sentiri ac statui absque revelatione. Hæc principia in Metaphysicis traduntur: nam cum pietas oriatur ex eo, quod quisque de Deo sentit, primum oportet animum imbui veris, de Deo ac rebus divinis, opinionibus: atque hæ ex Metaphysica debent hauriri, ut quæ de Deo agit & rebus divinis, quatenus lumine naturali debent innotescere: si objicias, multos Metaphysicos fuisse impios, id nullius est momenti: Nam hoc non fit vitio Metaphysices, sed hominum Metaphysica præditorum.

VIII. *Nulla autem disciplinarum plus debet Metaphysica quam Logica.* Hujus enim munus est, mentem dirigere in cognitione rerum occupatam. Ad eam rem opus est instrumentis quibusdam, quibus mens dirigitur: ista instrumenta sunt omnino quatuor, definitio, divisio, syllogismus, & methodus. Horum instrumentorum natura ususque doceri non potest, nisi multis rebus assertionibusque Metaphysicis assumtis. Ex. gr. nemo potest definire, dividere, aut argumentari absque cognitione causarum. Itaque ex Metaphysica debet petere Logica, quid & quotuplex sit causa; & quæ sint in unoquoque genere differentiæ. Eodem modo de rebus aliis, quibus res ad se ipsum referuntur, statuendum videtur: sunt enim omnes istæ considerationis *Metaphysicæ*, quas *Logica*, quantum ad instrumentorum confectionem & usum necessarium, id est, omnes mutuatur à *Metaphysica*, & sine operosa probatione admittit ac præsupponit: nempe eo modo, quo Medicina plurima sumit ex Physica, quæ ad artis suæ finem atque usum sunt necessaria cognitu: unde vulgatum illud: ubi Physicus desinit, ibi Medicus incipit. Ut ergo Medicina ars quædam est quæ ex Physicis propositionibus derivatur, ita quoque rationis ars sive Logica ex Metaphysicis fontibus deducitur.

IX. *Quin ipsi adeo Theologiæ est utilissima scientia Metaphysica:* nam tametsi omnia illa, quæ sunt creditu, factu, speratu, necessaria, perfectissime sint in sacris libris revelata, nihilominus tamen præclara quædam res est, & jucunda, & utilis, si quis intelligat ea, quæ in sacris litteris credenda præcipiuntur, cum recta ratione consentire, aut certe cum ea non è diametro pugnare: neque enim iis assentiorqui, cum se ab Adversariorum laqueis expedire nequeunt, huc se recipiunt, ut dicant, non omnia esse vera in Theologia, quæ sunt vera in Philosophia, aut vice versa: quo nihil potest dici ineptius: una enim est & simplex veritas, quæ secum nunquam pugnat. Ad illam veritatis harmoniam in omnibus rebus intelligendam, haud dubie valde necessaria est *Metaphysica.*

X. Atque ut hoc non premam, quid faciendum erit, si nobis res sit cum ejusmodi hominibus, qui Scripturæ Sacræ authoritatem defugiunt? Certe, si hos erudire velimus, non ex sactis litteris, sed, ex natura rerum disputandum erit: quod nemo melius præstare poterit, quam *Metaphysicus.* Atque in eo imitabimur *Apostolum Paulum*, qui hoc præsidio usus fuit adversus *Epicureos & Stoicos Philosophos*, ut patet *ex Actorum cap.* 17. *& adversus omnes gentes cap.* 1. *& 2. ad Rom.* Si quis autem eo redigatur, ut probare debeat, Deum esse; indigebit haud dubie Philosophia aut *Metaphysica*; nam Theologia non probat, sed supponit, Deum esse, aut si probat, in eo Philosophia ac *Metaphysica* utitur: nam quicquid Theologia probat, qua talis, id sacrarum litterarum

tarum authoritate probat: hæ enim principia sunt & norma Theologiæ. Atqui sacræ quoque litteræ præsupponunt, Deum esse: habent enim authoritatem suam, atque ἀξιοπιστίαν, ex eo, quod sint divinitus inspiratæ. At, cui non est persuasum esse Deum, ei quoque non potest esse persuasum, sacram Scripturam esse θεόπνευστον, nec patietur ille se ejus authoritate constringi.

XI. Sed ut profanos omittam homines, inter eos ipsos, qui sacrarum litterarum authoritatem recipiunt, admodum necessaria est Metaphysica, præsertim in disputationibus, cum de sacræ scripturæ sensu movetur controversia: licet enim non sit melior aut certior interpres scripturæ quam ipsa scriptura, cum de locorum quorundam sententia ambigimus; quando tamen de scripturæ controversa sententia non potest inter partes convenire ex scriptura, solent singuli ad rationes concurrere Philosophicas sive *Metaphysicas*, in quibus si quis parum versatus fuerit, nescio an satis idoneus dici debeat divinæ veritatis patronus. Si enim de Omnipræsentia corporis Christi sermo sit, aut de Transsubstantiatione, non contemnenda præsidia peti possunt ex Philosophia, præsertim ex *Metaphysica*, ad ejusmodi opinionum monstra profliganda. Contra, cum Trinitatem Hæretici oppugnant, Christi satisfactionem, unionem hypostaticam, resurrectionem ejusdem numero corporis, ex Philosophia petitis copiis, quis se iis opponet, quis profligabit, si *Metaphysica* sit ignarus? sed quid verbis opus est? cum videamus, eos ipsos, qui *Metaphysicam* improbant, imo oppugnant, inter quos est *Amesius*, valde perite Metaphysica uti, cum id Adversariorum importunæ objectiones postulant, atque etiam aliàs; quod clarum est documentum, & argumentum ad hominem, quo probatur, Metaphysicam esse summe necessariam Theologo, quod erat demonstrandum.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

DUODECIMA.

DE CAUSÆ EFFICIENTIS DIVISIONE, IN PROCREANTEM ET CONSERVANTEM, EMANATIVAM ET ACTIVAM.

THESIS I.

CUm scire sit rem per causam cognoscere, & is sit felix, qui rerum potuit cognoscere causas, & inter causas sit præstantissima *Efficiens*, non inconsultum erit, aliquot disputationes dare, expendendis *hujus causæ divisionibus. Causa efficiens* multis modis *dividitur*, pro varia efficiendi ratione, ordine, ac modo: hinc enim omnis efficientis causæ divisio petenda est, præter unam, quæ petitur ex causato, & non ex causandi modo: atque hæc est *divisio causæ efficientis in procreantem & conservantem*, ubi causa conservans eadem sæpe causalitate conservat, qua procreat, ut Deus, qui eadem causalitate & creat & conservat, in causato tamen est aliquid discriminis: nam causatum causæ procreantis est esse, quatenus opponitur τῷ non-esse; causatum causæ conservantis est esse continuatum, quatenus opponitur τῷ esse incipienti: procreans dat esse incipiens, conservans dat esse continuatum: quantum ergo discriminis est inter initium rei; & ejus continuationem, tantum discriminis est inter causam procreantem & conservantem. Procreans ergo causa efficit rei existentiam, conservans rei existentis durationem.

II. Ex dictis videre est errorem *Timpleri & Keckermanni*, eliminantium causam conservantem ex numero causarum efficientium, quasi non det esse effectui, cum omnis causa aliquod esse effectui largiatur: certa causa

conſervans dat veta cauſalitate eſſe effectui, ſi non novum, dat eſſe continuatum, quod per procreationem non fuit productum, & aliquomodo diſtinctum eſt ab eo eſſe, quod per productionem fuit tributum. Res ſic ſe habet. Quod procreatur, habuit ante procteationem non-eſſe, nunc habet eſſe: quod procreatum eſt, non poteſt procreatione continuari; ergo hic datur conſervatio, & conſervationi reſpondens eſſe, quod per procteationem non fuit productum, nempe eſſe continuatum: per conſervationem vero non debet intelligi negatio nuda corruptionis, quaſi conſervare nihil ſit aliud, quam non-corrumpere, ut quidem *Taurellus*, ſed impie, exiſtimavit, qui non alio modo Deum conſervare mundum putavit, quam quod non corrumperet: nam plus dicit conſervatio: dicit influxum perpetuum in hoc eſſe, quod per procreationem fuit productum: alioquin ego poſſem dici Petri, vel Pauli, vel alterius conſervator, nempe, quia cum habeam potentiam occidendi illos, non Ethicam quidem ſed Phyſicam, non facio tamen, ſiquidem non corrumpo eſſe illorum, quod poſſem tamen; ſed non poſſum idcirco dici conſervare Petrum aut Paulum in ſuo eſſe. Sol cum conſervat lumen, non tantum non deſtruit illud, ſed vero perſeverat influendo in illud per radios ſuos: itaque conſervans cauſa vere influit & eſt vera cauſa.

III. Ex cauſandi modo varie ſolet dividi cauſa efficiens: prima *diviſio* nobis erit *in activam & emanativam*, quam nunc pertractabimus. *Emanativa* eſt, quæ ſua exiſtentia cauſat, à qua effectum immediate emanat. *Activa* eſt, à qua effectum producitur mediante actione. Inter cauſam emanativam & effectum nulla intercedit media cauſalitas; ita ut hic tantum duo ſint, cauſa, cauſatum: in activa tria ſunt, cauſa, cauſalitas, cauſatum, & hæc inter ſeſe diſtincta. In emanativa, ipſa cauſæ exiſtentia eſt ejus cauſalitas, & contra: itaque cauſa emanativa poſita, impoſſibile eſt non poni effectum: at vero cauſa activa poſita, non ſtatim effectum poni eſt neceſſe; & ratio eſt, quia cauſæ activæ exiſtentia ſalva eſſe poteſt, & cauſalitas ejus, actio puta, inhiberi, & impediri, ita ut maneat cauſa activa quoad exiſtentiam, non tamen opetetur: at vero in cauſa emanativa ad id fieri nequit, quia ipſum τὸ exiſtete cauſæ emanativæ, eſt cauſare; exiſtere enim, & cauſare, in cauſa emanativa, eſt unum & idem: ideoque Deus non poteſt concurrete ad conſervandam exiſtentiam cauſæ emanativæ, quin ſimul conſervet ejus cauſalitatem, ſiquidem cauſalitas ejus diverſa non eſt ab ejus exiſtentia; poſita autem cauſalitate in cauſa, effectum non poni, eſt impoſſibile: cauſalitas enim non convenit cauſæ niſi cum actu cauſat: at cum actu cauſat, effectum quoque actu eſſe debet, ſi non in facto eſſe, ſaltem in fieri? itaque contradictio eſt in adjecto, cum nonnulli aſſerunt, proprietates poſſe ſeparari à ſubjectis, ſalvo manente ſubjecto, cum proprietates emanent à ſubjecto, ejuſque exiſtentia cauſentur: imo, Deo ipſi hoc impoſſibile, ut ſtatim demonſtravimus: quamdiu enim conſervatur exiſtentia, conſervatur cauſalitas; quamdiu conſervatur cauſalitas, conſervatur effectum: atque hinc contradictio eſt, ut ferrum non ſit grave, ignis non ſit calidus; calor enim & gravitas tolli non poſſunt, niſi ferrum & ignis tollantur, cum exiſtentia horum ſit exiſtentia proprietatum, quæ ab iis emanant: at vero effecta ſeu actum ſecundum iſtarum proprietarum (urere & moveri deorſum) tolli, nihil vetat.

IV. Quæritur hic, *An cauſa emanativa ſit cauſa procreans, an vero conſervans?* De cauſa activa nihil eſt dubium, quin illa ſit & procreans & conſervans. De cauſa emanativa dubitati poteſt. Reſp. eam eſſe tantum cauſam conſervantem. Ex. gr. lux, quæ emanat à ſole, non procreatur à ſole, ſed conſervatur tantum: cauſa vero procreans lucis eſt cauſa procteans ſolis: eadem enim & ſubjecti, & proprietatis, eſt cauſa procreans: ſubjectum ipſum eſt tantum cauſa conſervans ſuæ proprietatis, non quaſi Deus cauſa procreans à conſervatione excludatur: ſed Deus eſt cauſa procreans & conſervans lucis ſimul; ipſe Sol eſt cauſa, non procreans, ſed conſervans tantum ſuæ lucis: ignis quoque eſt cauſa conſervans tantum caloris ſui in ſe; cauſa procreans caloris eſt eadem quæ ignis, nimirum ille, qui ignem genuit ac produxit: gravitas à generante

rante procreatur ista actione, qua rem gravem producit; causa conservans gravitatis est ipsa res gravis: itaque causa procreans causæ emanativæ est causa eriam effecti, quod emanat: non per actionem aliquam aliam, sed per eandem, quatenus ex actione causæ procreantis, quæ causam emanativam producit, necessario per simplicem quandam atque internam emanationem, resultat ac sequitur effectum causæ emanativæ: unde ipsa actio causæ producentis, respectu effecti causæ emanativæ, quod producit producendo causam emanativam, *resultantia* vulgo dicitur, atque à propria actione distinguitur, qua ipsa causa emanativa à causa procreante producitur. Exempla jam dedimus in productione subjecti & ejus proprietatum; ex quibus illud quidem, pura subjectum, dicitur fieri per propriam actionem causæ procreantis; hæ vero, puta proprietates, dicuntur fieri per actionem ex priore actione ejusque termino, nimirum subjecto, naturaliter resultantem; quæ resultantia proprie, propter intrinsecam ac necessariam connexionem cum priore actione ejusque termino, & quia est ab eodem agente principali (nam qui dat formam, dar consequentia ad formam) & quia ordinarie in eodem instanti cum priore actione ejusque termino conjuncta est, ut propria & per se actio, non reputarur, & ideo, ur à priori distinguatur, dicitur *resultantia*. Hujus resultantiæ seu emanationis, quæ causam emanativam denominat ac constituir, natura satis profecto est obscura, & nonnihil adhuc in aperto poni meretur.

V. Requiritur ad resultantiam seu emanationem, de qua loquimur, ut effectum, quod emanat ac per ejusmodi actionem resultantem producitur, tanquam terminus, ab eo, à quo resultare dicitur, id est, à subjecto suo proficiscatur per modum principiati à suo principio, ut effectum sit principiatum, subjectum sit principians: non enim sufficit nuda successio, quando uni pereunti aliud succedir; alioquin etiam ex forma corrupti resultare dici posset & emanare forma geniti, & contra, quod est absurdum: nec tamen quævis consecutio talis formæ aut effecti, resultantia dicitur, sed præterea necesse est, ut sit Physica, h. e. vere sit in rebus: nam Metaphysica consecutio, quæ tantum est in nostris conceptibus, qua sc. inter res, quæ actualiter & reipsa idem sunt, una à nobis concipitur tanquam alterius ratio (ut, si dicam, in Deo esse intellectuale, sequitur, esse spirituale) hæc, inquam, consecutio non est vera resultantia, quia inter principium & principiatum hic non est vera ac realis distinctio, sed virtualis tantum seu rationis cum fundamento in re: verum ne sic quidem adhuc qualiscunque inter res distinctas consecutio sufficit ad constituendam resultantiam seu emanationem, sed requiritur ulterius, ut ista consecutio sit causalis, h. e. per propriam efficientiam: nam si sit illativa tantum, videlicet, quia posito uno ponitur alterum, propter naturale debitum, ut loquuntur *Scholastici*, i. e. quia ita fieri debet per naturam, quæ sic constituit, quo pacto quantitas vulgo consequi dicitur materiam, non tam proprie resultantia, aut emanatio, quam connaturalitas dicenda est, ex mente Scholasticorum: dicitur tamen vulgo emanare à materia aut resultare quantitas, quia aliter exprimi nequit modus, quo à materia quantitas oritur: & sane quare non debeat sic dici, nisi fortasse quis velit, inter materiam & quantitarem intercedere potius notionem & relationem subjecti & adjuncti potius quam causæ & causati, atque ideo voces resultantiæ & emanationis refugiat, quod causalitatem & vim aliquam significent, qua quantitas à materia efficiatur.

VI. Nunc *causam* spectemus *activam, quæ causat per actionem, cujus causalitas est actio, distinctum quid ab ipsa existentia causæ*: hoc in dubium trahitur, an verum sit? sed probari facile potest. Causalitas causæ est hoc ipsum per quod causa attingit effectum effectique productionem, per quod constituitur actu causans & influens in effectum producendum: jam vero actio est id, quo causa efficiens activa attingit effectum effectique productionem, quo constituitur actum causans, & influens in effectum producendum. Ergo. Probatur minor. Cum efficiens solum habet potentiam agendi, nondum est actu causa: at vero cum illam potentiam exequitur, est actu causa: non autem potest exequi, nisi per actionem:

nihil enim fingi potest, præter ac supra potentiam agendi in efficiente, quam actio. Ergo actio constituit efficientem causam activam actu causantem. Ergo actio est causæ efficientis activæ causalitas. Certe quicquid est ante actionem, id insufficiens est, ut efficientem activam denominet actu causam: quicquid est post actionem, eo omni nondum existente, sicut nondum existit, quamdiu causa efficiens adhuc operatur, adhuc tamen causa efficiens activa est actu causans: si ergo omne, quod ante actionem est, omne, quod post actionem est, non possit causam efficientem activam denominare actu causam, relinquitur, ut id, quod causam activam actu causam denominat ac constituit, nihil sit aliud quam actio ipsa; atque adeo actio ipsa sit causalitas causæ activæ, quod erat demonstrandum.

VII. Objici potest; *ipsam actionem esse effectum causæ; pendet enim ab efficiente: ergo non potest ejus esse causalitas, cum distinctio sit inter causalitatem, rationem qua effectum producitur, & ipsum effectum, quod producitur.* Ad hoc dupliciter responderi potest: 1. κατ' ουσιώσιν, *concedendo* actionem esse effectum, & tamen dicendo, quod esse possit ac sit efficientis causalitas: hoc enim verum est de aliarum quoque causarum causalitatibus, nempe & quod à suis causis pendeant, & quod sint ratio activa per quam producantur effectus: atque hoc patet exemplo unionis: quæ & à forma est pendetque, & formæ causalitas est: unde sicut ad producendam unionem, quæ formæ causalitas vulgo dicitur, forma non exigit causalitatem, hac priorem, per quam unio fit ab illa, ita actio ab efficiente activa est, & est causalitas ejus; nec prærequirit causalitatem aliam in efficiente activa, per quam ab efficiente producatur aut ab ea fluat potius. 2. κατ' ἄρνησιν, *negando* actionem esse effectum; actio non est effectum, sed via ad effectum: agens enim non agit ut agat, sed ut agendo aliquid diversum ab actione producat: alioqui dabitur progressus in infinitum, si actio, ut effectum, producatur per causalitatem aliam, illa causalitas iterum actio erit, & illa actio, ut effectum, aliam causalitatem requiret, quæ iterum erit actio, & sic porro in infinitum: nescio tamen, an utraque responsio satisfaciat.

VIII. Totum hoc negotium paulo penitius inspiciamus. Actio causatur à causa activa, & quidem immediate, absque ulla alia priori actione. Ergo causa activa aliquomodo est causa actionis: sed non est actionis causa activa, quia daretur progressus in infinitum. Ergo erit actionis causa emanativa, quod nemo hactenus dixit: aut concedendum est tertium genus causæ inter emanativam & activam. Profecto, ut verum fatear, si hæc divisio causæ efficientis in activam & emanativam sit immediata, ut non detur tertium genus causæ efficientis medium, est difficultas maxima: nam calefactio certe causatur ab igne, ergo, vel ut à causa activa, vel ut ab emanativa: si ut à causa activa, dent actionem priorem, qua calefactio producatur: quam si quis dederit sine processu in infinitum, erit mihi magnus Apollo: si ut à causa emanativa, ergo calefactio ab igne tolli non potest salvo igne: at vero tolli posse nemo hactenus negavit, cum sit actus secundus & operatio. Ego sane, quo me huc vertam, nescio. Post serium rei totius examen fere huc devenio, ut dicam, non actionem tolli, sed actioni in subjecto sive patiente impedimentum poni, quo minus sentiatur: nam calor est proprietas ignis, & ita quidem ut semper sit principium activum: itaque putem ab igne semper emanare calorem, à calore semper etiam emanare actionem, quæ non potest esse alia quam calefactio aut ustio: & quotiescunque calefactio aut ustio separari videtur à calore aut igne, ut factum videtur esse in fornace Babylonis, tum non revera calefactionem aut ustionem separari à calore, à quo emanat, uti nec ipse calor, qui emanat ab igne, separatur ab eo; sed puto, tantum poni impedimentum in subjecto patiente, & positum fuisse à Deo in corporibus juvenum trium in fornacem Babylonicam injectorum: nam eodem tempore potest fieri, ut objectum unum calefiat & comburatur, at alia objecta non item: sicut, eodem instanti, qui extra fornacem Babylonicam steterunt, & calefieri & comburi potuerunt, non potuerunt calefieri ut nec comburi tres juvenes in eam injecti, ut testatur historia *Dan.* 3. quæ calefactio ac com-

combustio, eodem instanti, tum separata fuerit ac non separata in eodem igne: quod est impossibile & contradictorium: nempe separata fuerit, quatenus ignis non combussit injectos juvenes; non separata, quatenus ignis combussit injicientes. Itaque *fortassis* accedunt proxime ad veritatem, qui sustinent causam activam sic dici respectu effecti per actionem producti, eandem dici causam emanativam & esse respectu actionis, quæ à se emanat, & qua effectum producit. Sed, *fortassis*, dico: quia ego, ut sum liberioris ingenii ac judicii, cogitationes meas tantum propono, sententiam unicuique relinquo liberam.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

DECIMA-TERTIA.

DE

CAUSA IMMAN. ET TRANS.

THESIS I.

IMmanens causa est, *qua producit effectum in seipsa. Transiens, qua producit effectum extra se:* idque, vel ex nihilo, seu subjecti, seu termini, estque *creans*, vel ex præcedente materia habili, estque *immutans*, atque hæc pro ratione termini ad quem variis insuper dividitur modis, de quibus *Physici. Aristoteles* immutantem causam tantum agnovit, quia semper *efficientem* definit in ordine ad motum, *qua primum movet, qua principium motus est:* Creantem non agnovit: quia mundus apud ipsum æternus est: an immanentem agnoverit, dubium est.

II. Vulgaris multorum *Philosophorum* error est, *causam immanentem & emanativam confundere*, cum tamen inter se multum distinguantur: nam immanens est causa activa, & distinctam habet ab existentia sua causalitatem: causa emanativa distinctam ab existentia sua causalitatem non habet: cæterum hoc habet causa immanens commune cum causa emanativa, non quidem omni, sed aliqua, nempe interna, ut simul sit agens & patiens, id est, producens effectum & recipiens idem in se ipsa. Ex. gr. Intellectus conceptus format & formatos conceptus recipit in se: unde actus causæ immanentis, si causa immanens consideretur ut causa efficiens, dicuntur actiones; si causa immanens eadem consideretur, ut subjectum patiens, dicuntur qualitates: sic intellectio & volitio sunt & actiones & qualitates: in quantum producuntur ab intellectu ac voluntate, sunt actiones; in quantum in iisdem subjectantur, sunt qualitates.

III. Longe alia ratio est causæ transeuntis, cujus effectum est extra ipsam causam, sive effectum post actionem causæ transeuntis permaneat, sive non permaneat, modo fuerit in alio subjecto, quam in quo est causa. Adducam exempla aliquot, ubi, & distinctum in causa immanente ac transeunte agendi modum, & hujus divisionis usum videre licebit. In generatione & corruptione alia actio locum habere nequit, quam transiens; nihil enim seipsum generat; nihil sui interitus causa est. In alteratione, quæ ad corruptionem tendit, similiter actio transiens deprehenditur, quia necesse est, ut qualitas inhæriens per contrariam qualitatem expellatur: in alteratione vero, qua res perficiuntur, actio immanens frequentius animadvertitur; ita actio immanens est, qua res quælibet suæ conservationis studiosa pro qualitatum suarum integritate pugnat, ut cum aqua pristinum frigus recuperat. In accretione & diminutione videtur utraque actio concurrere, & immanens, & transiens. Denique in motu locali & actio transiens sese offert, & deprehenditur in infe-

rioribus, quatenus motum cœli sequuntur : at quando gravia & levia suum locum repetunt, *videtur* hoc fieri per actionem immanentem: dico, *videtur*, quia incerta hic sunt multa & obscura. Sed causæ transeuntis naturam paulo penitius inspiciamus.

IV. *Causa Transeuntis* vulgo assignari solent tres *conditiones*. 1. est; quia causa transiens semper producit effectum in alio, ideo à patiente semper debet esse realiter distincta. 2. est; debet esse conjuncta cum patiente. 3. est; debet patienti esse dissimilis.

V. §. 1. *Causa transiens debet reipsa distingui à materia, subjecto, seu patiente.* Ratio est, quia causa transiens est causa activa, quæ agit cum motu: at in motu movens à mobili reipsa distinguitur: *Quicquid enim movetur, ab alio movetur:* est axioma receptissimum ex *Arist. l. 7. & 8. Phys.* Cujus axiomatis hæc reddi potest ratio; *Nihil simul actu esse potest & potentia.* At vero, quod movet, actu est, quod movetur, potentia est. Ex. gr. Quod calefacit, actu calidum est, vel actu saltem est: nam agere præsupponit esse: quod calefit, potentia calidum est: si quid ergo moveretur à seipso, id actu simul & potentia tale esse deberet, id est, deberet esse tale & non tale. Ergo si idem non possit moveri à seipso, quia idem non potest simul esse actu & potentia; causa transiens quoque non potest esse eadem cum patiente, sed necessario est aliquid diversum ac distinctum ab eo, *vel ut totum à toto, vel ut pars à parte, vel ut pars à toto*; nam non est existimandum, quod distinctio causæ transeuntis à patiente, sit diversitas tanquam inter duo supposita: quinimo sufficit, si sit inter duas partes unius suppositi realiter inter sese distinctas; ita, licet suppositum idem fuerit, actio nihilominus partium diversarum inter se mutuo, non immanens, sed transiens erit. Ex. gr. loqui & ambulare sunt actiones transeuntes, non quod agens & patiens sint diversa supposita, sed unius suppositi partes utrobique sint distinctæ: in ambulando, pars una corporis movet aliam: in loquendo, phantasia impellit spiritum, spiritus musculos, musculi diaphragma, diaphragma pulmonem, pulmo aërem, aër dentes, qui sonum edunt: hîc causa transiens est diversa à patiente, ob partium in uno supposito diversitatem à se mutuo.

VI. Quæri hîc solet & potest non incommode, quousque extendi debeat hoc axioma *Aristotelis*; *Quicquid movetur, ab alio movetur.* Quod generaliter sine ulla exceptione sumi non debeat, puto satis esse clarum: 1. enim non habet locum in causis *emanativis.* 2. neque in *immanentibus.* 3. non liquet, *quomodo gravia & levia moveantur* ab alio, cum moventur motu progressivo. Qui existimant sufficere, ut agens à patiente distinguatur secundum rationem agendi & recipiendi, non esse necessarium autem, ut distinguantur secundum entitatem absolutam, sic ut fieri possit, ut una eademque res sit agens & patiens, sed per facultates ac rationes diversas, sive illæ sint inter se realiter diversæ, sive se habeant ut includens & inclusum, qui hoc, inquam, statuunt & sic opinantur, illi frustra sunt, & à mente *Aristotelis* longissime aberrant; is enim citatum axioma adhibet ad demonstrandum primum motorem, quæ demonstratio infirma fuerit, nisi axioma accipiatur de reali distinctione inter movens & mobile. Ut ergo hujus axiomatis sensum assequamur, distinguendum est, inter *principium principale seu remotum, & minus principale seu proximum.* Deinde sunt constituendæ 4. distinctæ causarum efficientium classes: 1. est earum, quæ causant *per emanationem.* 2. quæ agunt *actione immanente.* 3. quæ agunt *actione spiritali*, seu ut alii loquuntur, spirituali, ut sunt motiones locales Angelorum. 4. quæ agunt *actione Physica*, ut sunt corpora naturalia, materialia, & quanta. Denique *potest aliquid* duobus modis *moveri:* 1. *per se*, uti moventur corpora naturalia. 2. *per accidens*, quæ moventur ad motum corporum, ut accidentia. Hîc nunc sermo est, de priori genere motus, non de posteriori. Hæc applicemus.

VII. In *emanatione proximum efficiens à passo distinctum non est*, potest tamen effectum ejusmodi reduci in efficiens remotum, quod realiter à passo distinctum sit. Quicquid enim rei debetur necessario in primo instanti sui esse, id à generante non minus proficiscitur, quam res ipsa: Atqui quod per emanationem proce-

procedit ab aliqua re, id rei debetur necessario in primo instanti sui esse. Ergo effectum, quod emanat, non minus à generante aut creante proficiscitur, quam principium à quo emanat: sed de hoc negotio actum est *disp. præced.* Porro in actionibus *immanentibus & spiritualibus* motionibus, *agens, neque proximum neque remotum, realiter à patiente distinguitur: non proximum*, eadem enim facultas ejusmodi actiones elicit ac recipit: *non etiam remotum*, quia hæ actiones, non generanti, sed ipsis formis ac facultatibus, à quibus proxime procedunt, adscribendæ sunt; siquidem non necessario debentur rebus in ipso generationis momento, neque ex vi generationis rebus conveniunt. *In solis ergo actionibus Physicis*, id est, causarum transeuntium, *agens à patiente distinctum est*, idque vel proximum, vel remotum, & vel ut totum à toto, vel ut pars à parte, vel ut pars à toto, & distinctum realiter.

VIII. Opponit se huic axiomati *Scotus*, & adversus rationem allatam ait, verum illud quidem esse, quod nihil possit esse in actu & potentia formaliter, *sed potest idem esse in actu virtuali seu eminenti & in potentia formali.* Ita *Scotus*, merum σκότος & caliginem per terminos suos barbaros oculis objicere solet: hoc vult: potest idem habere vim eminentem ad efficiendam aliquam formam, & capacitatem simul ac potentiam ad eam formam recipiendam; ut, si motus, qui actu & formaliter calidus non est, sed virtute & quasi eminenter, calorem producat, quem ipse motus aut potius principium movens suscipere queat; nam ponamus sic, ut mentem ejus explicemus. Resp. ut aliquid in se agat, & non moveatur ab alio, non sufficere, ut habeat actum virtualem & potentiam formalem, quemadmodum *Scotus* loquitur; quod patet experientia in vino & pipere: vinum enim & piper habent vim aut virtutem eminentem ad calorem efficiendum & potentiam etiam formalem, sed non calefaciunt tamen, nisi vinum commisceatur cum intrinseco calore animalis, & piper quoque, nisi prius alteretur & excitetur, conjunctione cum patiente quod ab utroque diversum est: deinde nulla omnino res est in actu virtuali, ad illam formam quæ ipsi est naturalis, ut hoc effugium *Scoti* sit vanum.

IX. §. 2. *Causa transiens debet esse conjuncta patienti, quod fit duobus modis, vel propinquitate seu immediatione suppositi, vel propinquitate seu immediatione virtutis: priori modo*, agens conjunctum est passo, cum duo corpora se mutuo tangunt, ut cum aqua manum abluit: *posteriori modo*, cum duo corpora distantia in se mutuo agunt diffusa virtute per medium, ut cum Sol calefacit hæc inferiora diffuso calore per aërem. *Immediatio virtutis iterum duplex est:* 1. ut actio agentis per intermedium diffundatur ad extremum, non ex necessitate causalitatis partis proximæ patientis in partem remotam, sed solum ex necessitate ordinis, id est, ut clarius loquar, non quia agens postulat, ut pars proxima patientis concurrat secum ad actionem in partem remotam, sed quia passum applicatum agenti, necessario patitur prius in parte propinqua quam in parte remota. 2. ut agens prius agat in partem propinquam passi, & per partem propinquam, tanquam per instrumentum, in partem remotam. Hæc applicemus.

X. Dico 1. *Non semper requiri propinquitatem aut immediationem suppositi inter agens & patiens in actione transeunte.* Atque hoc multis experientiis clarum est: sufficit illa de Sole, qui supposito hæc inferiora non attingit, in quæ agit. Dico 2. *dari non posse actionem in distans, nisi prius actio recipiatur in medio: & probatur.* Agere præsupponit esse: itaque agere certo loco præsupponit esse illi loco conjunctum, vel supposito, vel virtute: alias nulla ratio dari posset, cur non possit agens naturale agere in distans per passum vacuum, quod tamen Philosophi plerique impossibile judicant; negant enim motum in vacuo fieri posse. Dico 3. *necesse esse, ut agens eadem virtute atque actione continua, qua agit in distans, incipiat agere in medium sibi propinquum & per totum medium actionem suam diffundat usque ad passum distans:* Si enim agens ageret alia actione & virtute in medium, alia in passum distans (ex. gr. si ignis ageret per siccitatem in medium, per calorem in passum distans) tum essent duo agentia, non materialiter, sed formaliter saltem diversa, quia actio siccitatis in medium per accidens plane cohæret cum calore,

lore, quo agit in distans, ignis: ideoque dico, *plane necesse esse, ut sit una eademque virtus, una eademque actio continua, qua agens agat in distans pariter & in medium*: cum dico *unam virtutem*, non intelligo unam entitatem, sed unum principium adæquatum unius actionis, etiamsi coalescat cum pluribus formis, vel subordinatis, vel coordinatis: similiter, cum dico, *actionem continuam*, non intelligo continuitatem Physicam, sed vero continuitatem secundum ordinem causalitatis: sic Sol eadem virtute eademque actione continua agit, in visceribus terræ, & in toto medio, licet in corporibus sibi proxime subjectis producat tantum lumen, in aëre lumen & calorem, in terræ visceribus calorem tantum. Dico 4. *probabile esse medium, per quod agens agit in passum remotum, sæpe esse instrumentum, non instrumentum separatum, sed conjunctum in causando.* Dico 5. *fieri posse, ut agens per propinquam partem agat in remotam, non tanquam per instrumentum, sed tanquam per medium, necessarium tantum ad continuitatem actionis.*

XI. §. 3. *Agens patienti debet esse dissimile, in actione transeunte.* Dissimilitudo hæc intelligitur bifariam, *aut quoad speciem, aut quoad gradum. Quoad speciem* agens patienti dissimile est, cum patiens habet qualitatem specie distinctam à qualitate agentis, ut si patiens sit frigidum & agens calidum: *quoad gradum*, quando agens habet eandem qualitatem specie quam habet patiens, sed tamen gradu differentem, ut, si agens sit calidum, ut sex, patiens calidum, ut duo; Cum alterutra harum dissimilitudinum obtinet, jam datur actio, in causa transeunte: si neutro modo agens patienti est dissimile, nulla actio dari potest, ne tum quidem etiam, cum agens habet majorem agendi vim & efficaciam; ita fertum candens non agit in flammam, licet sit efficacius, & ratio est, quia non est calidius; nam pono calorem utrobique intensissimum.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

DECIMA-QUARTA.

DE CAUSA LIBERA.

THESIS I.

DE *Causa libera* actum est *disp. select. vol. primi disp.* 46. & 47. atque ibi *Causæ liberæ notionem veram* ac definitionem, *Disp.* 46. & quomodo *esse Causam liberam, Deo, Angelis ac homini*, competat, *disp.* 47. exposuimus. *Libertas causæ liberæ* vulgo in duobus collocatur, in *indifferentia & lubentia rationis*: est enim, quæ *potest agere quicquid, quando, & quantum lubet: quicquid, quando, & quantum*, significant *indifferentiam: lubet*, significat *rationis lubentiam.* Atque hæc magis constituit libertatem, quam differentia, quia indifferentia in rationis lubentia indeterminata, qua, quod lubet intellectus judicio ultimo, volumus atque agimus, fundata est. De *rationis lubentia*, quam alii vocant spontaneitatem cum ratione, satis est dictum *disp. cit. & Collegii Eth. disp.* 9. 10. & 11. Ostendimus ibi, causam liberam ideo agere libertime, quia agit id, quod lubet, lubet vero id quod ratio dictat, pro judicio suo, quo aliud etiam dictare potest ac judicare, & ista judicii indifferentia, omnis indifferentiæ in causa libera, in ejus voluntate & actionibus, est radix, voluntas enim tum est indifferens quando & quoties intellectus est indifferens in judicando, qui non semper est talis, non in nobis circa finem ultimum, non in Christo fuit respectu obedientiæ Patri præstitæ, non est in Angelis aut Beatis Animabus respectu amoris, quo Deum venerantur, quin intellectus indifferentia sublata, quæ ante fuit, ac posito jam dictamine

ne determinato, & lato, omnibus circumstantiis expensis, judicio ultimo, non est voluntas adhuc indifferens, sic ut possit non velle aut aliud velle, ac de facto non velit aut aliud velit, quam intellectus dictavit: hanc tamen voluntatis indifferentiam, etiam sublata intellectus judicantis indifferentia & posita jam ejus determinatione, ad libertatem Causæ liberæ exigit *vulgus Philosophorum*, quam vocant *indifferentiam in sensu composito*, quia illa in voluntate simul componatur cum determinatione & non-indifferentia intellectus: ita volunt, posito dictamine ultimo intellectus practici, nisi voluntas in sensu composito possit contrarium actum elicere, ac nisi actu sæpe eliciat, volunt & statuunt eam non fore liberam: pariter concludunt omnes *Patroni Liberi Arbitrii, Veteres & Novi Pelagiani, Iesuita, & qui eorum vitula arant inter egressos ex medio nostri*, nisi voluntas humana, posita jam præmotione Dei præsente ex præcedaneo ejus decreto, non tantum in naturalibus, moralibus, civilibus, sed & in spiritualibus ac supernatutalibus, adhuc possit aliud velle, quam quod Deus decrevit ut illa vellet, & ad quod volendum eam movet, non fore liberam: sc. malunt isti homines aliquid derogare Dei potentiæ, ut non sit omnipotentia, quam vel tantillum detrahere huic voluntatis indifferentiæ Certe, si Dei motioni præsenti in voluntatem humanam ad hoc volendum resisti possit à voluntate pro innata sibi libertate, ut hoc non velit, jam Deus non omnia poterit; non enim poterit, ut voluntas humana illum actum producat, ad quem eam ex decreto suo æterno movet, quia, scilicet, læderetur ejus libertas; nempe, hæc ἀδιαφορία, indifferentia, pro qua, tanquam pro *Helena*, ita pugnant, ut salva maneat hæc *Regina*, etiamsi *Regi Regum Deo* aliquid detraheretur. Itaque visum fuit operæ pretium, & utilissimum ad naturam *Causæ liberæ* intelligendam, penitius dispicere, *quo sensu hæc indifferentia sit admittenda, quo non, & quatenus in ea libertas consistat, quatenus non:* ne juventus Philosophiæ studiosa errores imbibat ex Philosophia vulgari, qui obsint Theologiæ salutari: nam certum est, illos omnes, qui *Liberi Arbitrii*, & olim & nunc circa spiritualia & supernaturalia, exiterunt Hyperaspistæ, ejusque vires hîc defenderunt, id fecisse *ex falsa notione libertatis*, arrepta ex Philosophis vulgaribus, qui omnes collocarunt libertatem in sola ἀδιαφορία, indifferentia, qua causa libera, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere, aut ita agere unum, ut & contrarium agere possit, etiam in sensu composito, i. e. ut sæpe contrarium agat: Quæ libertatis ac causæ liberæ descriptio, in *Iesuitarum* cerebro nata, nec *Aristoteli*, eorum in Philosophiâ, nec *Thomæ Aquinati*, in Theologiâ, *Dictatoribus ac Papis*, fuit cognita. Sed rem ipsam agamus, &, *quo sensu & quando aliqua indifferentia in voluntate & causa libera poni debeat*, excutiamus: nam, ut vulgo à receptis proponitur *Philosophis*, tolerari nec potest, nec debet.

II. Sententia Adversariorum hæc est. *Indifferentia causæ liberæ est, ut positis omnibus requisitis antecedenter ad actum liberum, etiam dictamine intellectus practici ultimo, & influxu actuali, quo Deus influit in liberum hominis arbitrium, voluntas tamen creata possit etiam, in sensu composito, operari illum actum & non operari, possit*, dico, *positis iis omnibus, suspendere illum actum aut etiam elicere contrarium:* itaque dicunt ulterius; esse necessarium ad veram libertatem & usum illius, *ut dictamen quo intellectus voluntatem ad hoc, & motio, qua Deus movet voluntatem ad consensum, possint stare ac simul esse & componi in eadem causa libera, in eodem libero arbitrio ac voluntate creata, cum actu voluntatis ad aliud & dissensu contrario:* & sic intelligitur illis *sensus compositus*, cum juxta eum, positis omnibus prærequisitis, causam adhuc liberam, & voluntatem liberam manere asserunt: sed vero intelligitur pessime; quod ut demonstremus, duo sternemus fundamenta.

III. §. 1. Fundamentum primum petemus ex ipso *Aristotele 9. Met. & Thoma Aquin. ad istum locum*, ideoque rejici ab Adversariis non potest: nempe hoc est; *quod in omni causa libera simul sit potentia ad utrumque oppositorum, non tamen est in ea potentia ad opposita simul habenda:* ita in homine est simul potentia ad ambulandum & sedendum, ad assentien-

dum & dissentiendum, quæ sunt opposita disparate vel contrarie, ad volendum & non volendum, operandum & non operandum, quæ sunt opposita contradictorie, sed non est in homine potentia ad ambulandum & sedendum simul, ad assentiendum & dissentiendum simul, ad volendum & non volendum simul, ad operandum & non operandum simul: & ratio est: nam potentia ad unum actum non repugnat potentiæ ad actum disparatum vel contrarium, imo nec repugnat actui disparato vel contrario: sed duo actus disparati vel contrarii repugnant inter se, nec possunt de eodem subjecto singulari verificari, sunt enim, ut Scholastici loquuntur, incompossibiles: sicut nec duæ enunciationes contradictoriæ verificari possunt de eodem subjecto singulari: sed vero verificari possunt de eodem subjecto singulari, potentia ad actum hunc & actus disparatus vel contrarius: itaque causa libera creata, ut est liberum arbitrium hominis, non solum antequam determinetur ad unum actum, i. e. in sensu diviso, sed etiam in ipso instanti, in quo à Deo determinatur, & in quo per intellectus practici judicium ultimum voluntarem determinat suam, ad hunc actum, i. e. in sensu composito, simul habet potentiam, qua potest libere producere actum alium: & sic sensus compositus bonus est ac verus: sed non habet potentiam tamen ad actum oppositum simul habendum; & sic sensus compositus est malus ac falsus, quia duo actus oppositi simul eodem tempore, in vel ab eadem potentia, esse non possunt, sed tantum successive: & hinc ortum traxit illa vulgo à *Theologis & Philosophis* recepta distinctio, de simultate potentiæ & potentia simultatis: Est in causa creata libera, simultas potentiæ ad operandum vel non, & ad operandum hoc vel ejus oppositum: nam per hoc, quod causa libera operetur unum actum, non destruitur libera ejus facultas, nec tollitur indifferentia suæ potentiæ, quam habet ad operandum actum oppositum si velit, vel quam habet etiam ad non operandum: similiter per hoc, quod non operetur pro hoc instanti talem actum: non amittit ideo potestatem operandi talem actum. Verum non est tamen in causa libera, nec esse potest potentia simultatis ad actus disparatos, contrarios, vel contradictorios; nam hi sunt incompossibiles, id est, simul in eodem subjecto, aut ab eodem, esse nequeunt: & sic patet, quis sit sensus compositus, quis divisus. Verum quia hi termini in hoc negotio & alibi frequentissime usurpantur, paulo plenius eos excutiemus.

IV. *Sensus compositus*, est proprius enuntiationi modali compositæ. *Sensus divisus*, est proprius enunciationi modali divisæ. *Enunciatio modalis composita est*, in qua dictum subjicitur & modus prædicatur: & hæc facit sensum compositum, ut, *Album esse nigrum, est possibile. Modalis divisa est*, in qua modus interponitur inter partes dicti: & hæc enunciatio modalis facit sensum divisum, ut, *Album possibile est esse nigrum.* Hinc facile patet, ad veritatem modalis enunciationis compositæ seu in sensu composito, de modo possibili, requiri, ut extrema, quæ ponuntur in dicto enunciationis modalis, sint compossibilia in eodem subjecto: hac enim ratione enunciatio talis de possibili, dicitur composita, aut in sensu composito, quia nimirum extrema dicti componit seu simul ponit in eodem subjecto, mediante copula de possibili; ut in enunciatione, quam proposui, *Album esse nigrum, est possibile, dictum* modalis hujus enunciationis est totum illud, *Album esse nigrum*, cujus dictum unum extremum est, *Album*, alterum, *Nigrum.* Ut ergo hæc propositio sit vera in sensu composito, necessario requiritur, ut sit possibile, idem subjectum singulare simul esse album & nigrum; & propterea ista propositio, quam posui, est falsa in sensu composito, quia scilicet propositio de inesse, per quam hæc modalis immediate regulatur & probatur, sc. *Album est nigrum*, est falsa & prorsus impossibilis: ideoque, quando ex ista pura enunciatione fit modalis de possibili composita, fit enunciatio falsa: At, si fiat enunciatio de possibili divisa, vera erit, quia sensus divisus est iste, quo forma, quæ significatur per unum extremum, ponitur in subjecto, & dicitur forma, quæ per alterum significatur extremum, divisim, successive, & tempore alio, in subjecto poni posse,

posse, non vero simul, aut eodem tempore: sic, *Album possibile est esse nigrum*, i. e. subjectum, quod nunc formam habet albi, potest formam nigri suscipere & esse nigrum, tempore alio. Hæc applicemus. *Dicimus ergo*, Causæ liberæ competere indifferentiam in sensu diviso, non vero in sensu composito, quomodo hic sensus nunc est explicatus, i. e. dicimus, causam liberam creatam, jam motam à Deo, ad assentiendum aut operandum, non posse in sensu composito, aut dissentire, aut non operari, uti & voluntas mota ab intellectu practico non potest, in sensu composito, non velle, & tamen, causa libera est talis ac manet talis, & voluntas est ac manet libera, quia utrumque potest in sensu diviso: nam motio illa Dei actualis & actualis dissensus creaturæ (idem dicendum est de motione intellectus practici & volitione actuali voluntatis) non possunt simul poni eodem tempore in eadem causa libera, quia est sensus compositus: sed motio illa Dei ad assentiendum & potentia dissentiendi, omnino simul poni possunt, & hic est sensus divisus: nam motio Dei actualis & actualis assensus, non tollunt à causa libera potentiam dissentiendi, i. e. indifferentiam in sensu diviso, sed tollunt actualem dissensum, i. e. indifferentiam in sensu composito; quod ulterius sic probatur.

V. Sensus compositus non est ille, quo forma importata pet unum extremum ponitur in subjecto, sed quo duæ formæ importatæ per utrumque extremum simul ponuntur in eodem subjecto: sicuti cum dicimus, *Album potest esse nigrum*, in sensu composito, non significamus, quod albor sit aut esse possit in aliquo subjecto seorsum, vel quod nigror sit aut esse possit in aliquo subjecto seorsum, sed sensus est, quod albor & nigror simul sint compossibiles in eodem subjecto: & propterea illa enunciatio in sensu composito est falsa, quia impossibile est, ut aliquid sit simul album & nigrum. Pariter quoque cum dicimus, *causam liberam motam à Deo ad assentiendum, non posse dissentire in sensu composito* (idem dicendum est de voluntate mota ab intellectu practico ad volendum) non significamus, quod motio ista Dei sit aut esse possit in causa libera, & quod dissensus seorsum sit aut esse possit in eadem causa libera, qui sensus est divisus, & admittitur à nobis: sed hoc significamus, quod motio ista Dei ad assentiendum & dissensus actualis non possint esse simul in eadem causa libera, qui sensus est compositus, & à Nobis negatur, ab Adversariis ponitur, motionem Dei ad assentiendum & dissensum actualem simul esse posse asserentium; sed pessime, quod ex ipsis Adversariis, argumento ad hominem, ut vocant, probabimus.

VI. Quoties *Adversarii* premuntur vi argumentorum, quibus vulgo probari solet, cum infallibilitate præscientiæ divinæ non posse stare arbitrii humani libertatem (nam supposita præscientia, qua Deus præscivit, Petrum esse consensurum, impossibile est, ut Petrus dissentiat, alioquin Dei præscientia falli posset) quoties, inquam, *Adversarii* sic premuntur, solent respondere, id esse impossibile in sensu composito, quia videlicet repugnat, hæc duo simul esse vera, quod scilicet Deus sciat Petrum consensurum & nihilominus Petrus non consentiat aut dissentiat; & tamen volunt, per præscientiam divinam, quando jam Petrus consentit, non tolli ejus, aut liberi arbitrii, aut causæ liberæ, libertatem; similiter ergo & ego dico, Causam liberam ad assentiendum motam à Deo (idem semper intelligendum est de voluntate mota ab intellectu practico, quod semel monitum esto) non posse in sensu composito dissentire, & tamen libertatem non tolli à causa libera: sensus est, quod implicet contradictionem, hæc duo simul esse vera, sc. ut Motio Dei ad consentiendum sit in homine & homo dissentiat, quamvis semper possit dissentire: & hæc est ejus libertas, &, si quæ in illo est, hæc ἀδιαφορία seu indifferentia, ut homo, posita determinatione Dei atque intellectus sui ad assentiendum, possit dissentire, qui est sensus divisus ac noster, non vero actu dissentiat, qui est sensus compositus & advetsariorum. Sed hæc adhuc clarius patent ex sequentibus.

VII. § 2. Secundum fundamentum hoc est, quod, cum *causa libera* ab Adversariis definitur; *quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere, agere hoc vel illud*, in

ſenſu compoſito, illud dupliciter intelligi poſſit: 1. ita, ut compoſitio fiat inter requiſita ad operandum & ipſam operandi & non operandi potentiam: & tunc ſenſus compoſitus eſt, quod potentia operandi & non operandi ſtet ſimul in eodem ſubjecto cum antecedenter requiſitis ad talem talis potentiæ operationem certam: & hic ſenſus compoſitus eſt veriſſimus, & eum libenter admittimus. Sed 2. ita poteſt intelligi, ut compoſitio fiat inter requiſita antecedenter ad talem actum certum & inter carentiam talis actus certi aut actum contrarium: & tum ſenſus compoſitus hic eſt, quod omnia prærequiſita; & ex parte Dei, & ex parte intellectus practici, ad operandum talem actum particularem, & carentia ejuſdem actus aut actus contrarius, poſſint eſſe atque aliquando ſint ſimul in eodem ſubjecto, in eadem cauſa libera. Et hic ſenſus compoſitus admittitur ab Adverſariis, à Nobis rejicitur. Nos hactenus admittimus, ſenſum compoſitum, quatenus in eadem cauſa libera ſimul cum Prærequiſitis & motione Dei prævia ac ſimultanea conſiſtit & conſpirat amice facultas ſeu potentia, qua poſſit operari vel non operari & operari hoc vel illud, ſed ut ſimul ſtet, quod poſitis iis omnibus de facto non operetur aut operetur contrarium, diſerte negamus, ac fieri non poteſt. Sane nullum ex prærequiſitis, quin ne motio quidem Dei, ſeu prævia ſeu ſimultanea, qua efficaciter determinatur cauſa libera ad agendum ac de facto agit, & agit hunc actum particularem ac certum, tollit ab ipſa facultatem aut potentiam ad non agendum aut agendum oppoſitum, ſed tantum hoc efficiunt prærequiſita, decretum & præſcientia ac motio Dei, tum prævia, tum ſimultanea, ut cauſa libera, cum poſſit operari & non operari, & operari hoc vel aliud, infallibiliter tantum & nihilominus libere operetur hunc actum certum & particularem: itaque compoſitionem inter prærequiſita & carentiam talis actus certi aut actum contrarium non admittimus, & tamen ſervamus libertatem cauſæ liberæ ſartam tectam, ac, quod plus eſt, ſervamus indifferentiam, quouſque ſervari poteſt ac debet: nempe, hæc ſunt incompoſſibilia, ut pro eodem inſtanti temporis in eadem cauſa libera omnia ſint antecedenter requiſita ad productionem talis actus, & cauſa libera iſtum actum non producat aut producat contrarium, & nihilominus cum hac incompoſſibilitate ſtat vera ſimul libertas, imo & indifferentia cauſæ liberæ, quia licet maneat compoſitio inter prærequiſita & ipſam potentiam agendi, in ſenſu compoſito, hæc tamen compoſitio & hic ſenſus compoſitus indifferentiam à cauſa libera non auferunt, quia non tollunt potentiam agendi, ſed vero eam ponunt, nam actum tantum contrarium aut actus negationem ſolum eunt ſublatum; manet quoque indifferentia in ſenſu diviſo, ut fuit explicatum.

VIII. Quia vero exempla valde illuſtrant, exemplo totum hoc negotium declarabimus. Cauſa libera, puta homo, producat actum dilectionis vel fidei: inter prærequiſita eſt efficax Dei decretum, quo Deus decrevit, ab æterno, ut homo talem actum produceret, & ejus motio in tempore, qua hominis voluntatem præmovet ad eundem actum: in ipſo enim movemur, & ille efficit τὸ velle & operari: ſed cum efficaci decreto ac motione Dei non ſtat ſimul, ut cauſa libera non producat illum actum vel dilectionis, vel fidei, aut ut eliciat actum contrarium, vel odii, vel infidelitatis, & tamen libere producit iſtum actum, imo etiam ea libertate, quæ eſt ſita in indifferentia; poteſt enim in ſenſu diviſo illum actum non producere, quatenus, ſi non poneretur decretum aut motio efficax, eum non produceret: poteſt etiam in ſenſu compoſito illum non producere, qnatenus, cum jam producit eum ex prædeterminatione decreti ac motionis divinæ, retinet nihilominus potentiam non producendi: nam iſta potentia per decretum & motionem divinam non auferitur, ſed tantum actus contrarius illi, odium aut negatio dilectionis, infidelitas aut negatio fidei in actu ſecundo, ſeu negatio & credendi.

IX. Atque hæc maximi ſunt uſus & momenti in Theologia: v. c. impoſſibile eſt, hæc duo eſſe ſimul vera: Spiritus Sanctus vult aliquem movere ad actum dilectionis aut fidei, & ille tamen non diligit nec credit: At vero ex ſententia Adverſariorum hæc ſunt veriſſima:

ma: quia illis motio Spiritus Sancti & negatio actus eliciendi aut non elicere actum, simul componi & stare possunt, nimirum, ut liberi arbitrii ἀδιαφορία, indifferentia in sensu composito, salvetur: hinc dicunt; resisti posse operationi Spiritus Sancti per vires liberi arbitrii: hinc dicunt, hominis cor moveri posse à Deo cum intentione ut gratiam consequatur, ut convertatur, & tamen de facto, posse non consequi gratiam, posse non converti: nimirum, alioquin homo non foret causa libera, non foret ei liberum arbitrium. Sed vero, Nos, negando illam sensus compositi in libero arbitrio ἀδιαφορίαν, decreti, scientiæ, motionis divinæ, infallibilitatem ac certitudinem, adstruimus, nec tamen naturam liberi arbitrii destruimus, ut illi quidem, sed falso existimant, licet actus secundos ejus & vires exercitas negemus: Manet enim libertas causæ liberæ, quamdiu manet lubentia rationis, quin hic amplius est, & duplex quidem indifferentia, una in sensu diviso, altera in sensu composito, quatenus est compositio inter prærequisita quæcunque, etiam prævias Dei operationes, & inter potentiam ipsam agendi & non agendi, non vero, quatenus est compositio inter prærequisita & inter ipsum actum contrarium aut negationem actus, ut Jesuitæ volunt & omnes qui pro libero certant arbitrio. Ergo nos non omnem à causa libera indifferentiam ubique & semper excludimus, sed vero duplicem agnoscimus: tertiam, sensus compositi Jesuitici, rejicimus. Nunc porro videamus, unde indifferentia causæ liberæ, cum in ea reperitur præter spontaneitatem cum ratione, ortum ducat.

X. Causæ liberæ indifferentia tota fundatur ac radicatur in indifferentia intellectus practici, qua judicat objectum propositum, esse vel amandum vel fugiendum, prout convenientiam habuerit cum agente vel non, prout ad finem ultimum vel adducit vel abducit: nam qui istam indifferentiam in sola locant voluntate, ut faciunt illi, qui voluntatis libertatem perire putant, nisi indifferens maneat, ad volendum vel non, & ad volendum hoc vel contrarium, etiam posito dictamine intellectus practici ultimo, in sensu, ut ajunt, composito, illi toto errant cœlo: nam in voluntate nulla est indifferentia, nisi illa prius fuerit in intellectu: nam voluntas intellectum sequitur, ab eoque ad volendum ac nolendum determinatur; ideoque ita se habet ad objecta & actiones suas, prout ab intellectu ducitur ac regulatur: cum igitur intellectus est indifferens, & voluntas quoque est: cum intellectus non est indifferens, nec voluntas est: intellectus non est indifferens circa res omnes, sic nec voluntas: intellectus non est indifferens circa finem ultimum, sic nec voluntas: intellectus enim non potest non judicare, finem ultimum esse amandum, & voluntas quoque non potest non eum amare: sic & nulla utriusque est indifferentia circa media, quæ necessariam cum fine ultimo seu summo bono dicunt & habent connexionem: at vero circa illa media, quæ non habent necessariam cum fine ultimo aut summo bono connexionem, indifferens est intellectus & indifferens quoque voluntas: itaque, quas res esse bonas vel malas judicat intellectus ἀπροβουλεύτως, sine deliberatione, ab iis necessario movetur ac determinatur: ab intellectu determinato non potest non determinari voluntas: quæ vero res sub deliberationem cadunt circa eas à tali determinatione liber est intellectus, & indifferens, liberrimeque pro judicii sui indifferentia præscribit eligendum voluntati hoc vel illud medium, quod cæteris præstare judicat, voluntas ex præscripto intellectus judicantis agit, & vel hoc vel illud medium eligit, quod ab intellectus judicio aliis est prælatum. Voluntas cum sic agit, potentiam non agendi non amittit, sed eam retinet, ac potest, etiam cum agit, non agere, si intellectus non præscribat, aut aliud agere, si intellectus aliud præscribat: si nulla res inter propositas intellectui placeat, omnes rejicit, & voluntas nihil appetit, quia intellectus nihil suo judicio præscribit. Quare, ut concludam, causa libera est indifferens, quando ex indifferenti rationis practicæ judicio agit; quod si, non indifferens, sed determinatum fuerit, adhuc manet libera, modo agat, ut agit semper, quod intellectui lubet, videtur, approbatur, judicatur.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

DECIMA-QUINTA.

DE CAUSA EFFICIENTE PER SE ET PER ACCIDENS.

THESIS I.

NOn inter postremas est *Causæ Efficientis* divisio, in eam, quæ est *per se*, & eam quæ est *per accidens*. Causa Efficiens per se est, *quæ effectum producit naturâ suâ aut consilio consentaneum:* causa efficiens per accidens est, *quæ effectum producit naturâ suâ aut consilio dissentaneum.*

II. Notandum est, τὸ *per se* & *per accidens*, duobus modis de causa efficiente enunciari, eique tribui: *vel ratione ipsius causæ, vel ratione effecti.* Τὸ *per se causæ efficienti adscribitur, ratione ipsius causæ*, cum illa effectum producit, qua est talis, i. e. ea ipsa virtute, à qua denominatur: *clarius*, cum effectum refertur ad principium tale, à quo ipsa causa nomen habet, v. c. si Architectus ædificet, aut Musicus canat, uterque est causa per se, ut τὸ *per se* referatur ad ipsam causam, quia causat uterque effectum, qua est talis: τὸ ædificare enim proficiscitur à peritia ædificandi, principio tali in Architecto, quod ipsum Architectum denominat; ita τὸ canere proficiscitur à Musico, per se, ratione Musici, quia proficiscitur à tali principio, quod Musicum talem facit ac denominat. Τὸ *per accidens Causæ Efficienti tribuitur, ratione ipsius causæ*, cum illa effectum producit, non qua est talis, i. e. non ea virtute, à qua denominatur, sed alia, quæ per accidens causæ efficienti superveniat; *clarius*, cum aliquod attributum additur causæ efficienti, præter virtutem propriam, à quo tamen effectus non est: v. c. si aliquis, qui Architectus est vocatione, simul Musicam calleat, & canat, & dixero, Architectus canit, aut, qui Musicam profitetur, ædificet, uterque causa est efficiens per accidens, ut τὸ per accidens referatur ad causam, Architectus in canendo, Musicus in ædificando, quia actio & scientia canendi adjungitur ei, qui per se ædificat, est enim is Architectus, & actio ac scientiæ ædificandi adjungitur ei, qui per se canit, est enim is Musicus: itaque, quando Musicus ædificat, proficiscitur à Musico, causæ per se canendi, ædificatio, quæ tamen non est à Musico, aut peritia canendi, quæ ipsum Musicum denominat, sed aliunde, nam Musicus quidem ædificat, sed non qua est Musicus, ideoque per accidens causa est ædificationis; sic Architecto, causæ per se ædificandi, cum canit, per accidens actio canendi oritur ab Architecto, quia non oritur à peritia ædificandi, quæ ipsum denominat Architectum, sed aliunde: nam Architectus quidem canit, sed non qua Architectus, ideoque per accidens causa est cantationis.

III. Τὸ *per se causæ efficienti adscribitur, ratione effecti*, quæ fine suo potitur; Τὸ *per accidens*, cum fine suo frustratur: Illa finem assequitur, cum effectum producit, quod intenderat, si fuerit causa libera, aut quod naturæ suæ & inclinationi naturali convenit, si fuerit causa necessaria: hæc fine suo excidit, cum effectum producit, quod, aut cum intentione sua ac consilio, aut cum natura sua ac naturali propensione non convenit. Ergo. Τὸ *per se* causæ efficienti tribuitur, ratione effecti, cum causæ agenti, juxta intentionem voluntariam aut propensionem naturalem, effectus respondet, ut sic & principio agendi conveniens; τὸ *per accidens* eidem tribuitur, ratione effecti, cum effectui, per se ex intentione aut propensione causæ agentis producto aut producendo, adjungitur effectus alius, præter aut intentionem aut propensionem: sic piscatoris effectum per se est piscari, & piscationis piscium que capturæ causa per se est piscator, ratione effecti, quia hoc effectum respondet ejus intentioni, intendit enim piscari: at huic piscationi per se intentæ opponatur effectus alius, non intentus, veluti extractio aurei tripodis; hic

effectus

effectus etit per accidens, quia oritur præter intentionem causæ, & piscator est causa per accidens, ratione effecti; sic natura, cum producit effectum sibi simile, est causa per se, ratione effecti, quia effectum respondet propensioni naturali & qua agit, & quo protendebat ipsa; at, si monstrum producat, est causa per accidens tatione effecti, quia illud non respondet propensioni ejus naturali, neque enim illa propendebat eo ut monstrum produceret, sed monstri effectio, ut effectus alius, præter propensionem causæ naturalem, adjungitut effectui per se intento.

IV. *Causa efficiens per accidens ratione effecti*, subdividi solet in *fortuitam & casualem*, vulgo *fortunam & casum*. Effectum per accidens, quod adhæret effecto per se causæ liberæ, est effectum fortuitum: effectum per accidens, quod adhæret effecto per se causæ necessariæ, est effectum casuale. *Causa* ergo *fortuita, est causa libera per accidens*, in quantum effecto ejus per se intenro annectitur effectum aliud non intentum, sic causa fortuita inventi ttipodis est piscator. *Causa casualis, est causa per accidens necessaria*, in quantum effecto per se causæ naturalis apponitur aliud effectum præter naturalem propensionem causæ, ut cum tegula decidens de tecto lædit præteteuntis capur; nam præter propensionem naturalem lapidis id est, ut lædat prætereuntem, & tamen hoc ipsum est conjunctum cum effecto lapidis per se, quod est moveti ad centrum suum.

V. *Casus* interdum sumitur *late* pro omni causa per accidens, & sic *fortunam* sub se comprehendit, &, sic, quicquid est à fortuna, à casu est; non vero omne quod à casu est à fortuna; interdum sumitur *stricte* prout fortunæ opponitur; & tum casu agit causa, quæ, quando per se agit, non tamen agit per intellectum ac voluntatem, sed per propensionem naturalem tantum; fortunâ agit causa, quæ, quando per se agit, per intellectum agit & voluntatem: ideoque hæc, quando per accidens agit, effectum producit præter aut scientiam aut voluntatem, i. e. quod aut non præscivit aut non ante decrevit; illa, quando per accidens agit, effectum producit, ad quod ante non propendit.

VI. Quæri hic commode potest: *An Deus possit dici efficiens per accidens ullius effecti?* Resp. Deus nullius effecti est causa per accidens, sed omnium, quotum est causa, est causa per se: quia hoc derogat summæ Dei sapientiæ, ut aliquis effectus dicatur fieri à Deo, præter ejus, aut scientiam, aut intentionem: Qui dicunt, *Deum esse causam per accidens aliquorum peccatorum*, solent proferre, quod Deus condiderit voluntatem in homine, & voluntas sit causa peccati: quod vero est causa causæ est causa causati, si non per se, saltem per accidens: & sic Deus, qui est causa voluntatis peccantis, erit saltem per accidens causa peccati; absit blasphemia dicto. Sed enim isti homines non satis percipiunt, quid sit causa efficiens per accidens. Causa enim per accidens, quæ producit effectum præter consilium atque intentionem: itaque, quando causa libera producit aliquid aliud, quam quod producere intendit atque decrevit, est causa per accidens: atqui Deus sapientissimus nihil præter intentionem producit; quæ enim præter intentionem *eveniunt*, præter exspectationem eveniunt & minime opinantibus, quod ignorantiam arguit: at eam Deo tribuete, impium est: *Deus igitur nec peccati nec ullius rei est causa per accidens*, sed quæ producit omnipotentissimus, eorum omnium est causa pet se: peccati vero causa est, nullo modo, nec per se, quia malum non facit, (nec enim à lege deficit; cum lex ei non sit posita; at malum est ἀνομία illegalitas) nec sua efficientia positiva terminari potest in privationem; at malum privatio est bonitatis moralis; neque per accidens, quia nihil accidit præter ejus notitiam, consilium, intentionem, decretum. Sed vero Deus multa efficit per se, ut actiones omnes naturales, etiam eas, ad quas peccata esse secutura, aut potius quas peccata esse concomitatura novit, & novit, quia decrevit, ut sequerentur aut concomitarentur, non quidem se efficiente (neque enim omnia, quæ decrevit fore, efficit, neque argumentatio valet ab efficacia decreti ad efficientiam rei decretæ) sed se permittente: itaque actionum, quæ substernuntur peccato, seu ℨ materialis, ipsius peccati, Deus est causa per se; at veto ipsius peccati, seu malitiæ, vitiositatis, illegalitatis, irregularitatis (& ut barbare loquar cum Barbaris)

baris) peccaminositatis in actionibus, Deus, nec per se causa est, nec per accidens, quia plane causa non est: interim quod in actione hac aut illa hominis peccantis sit peccatum in abstracto sumtum, id non est præter Dei aut notitiam aut intentionem; Deus enim non tantum præscivit, sed & voluit, imo præscivit quia voluit, peccatum fore, & licet oderit peccatum, ut malum inhonestum, ut privationem rectitudinis moralis actionibus humanis inesse debitæ, ut transgressionem legis suæ, ut aversionem à se tanquam summo bono, illud tamen decrevit fore, ac voluit, existere in rerum natura suo modo, nam existentia proprie est entis realis & à causis efficientibus, at peccatum est non ens reale & à causis deficientibus, quæ male vocantur causæ, quia virtutem aut vim proprie nullam conferunt, sed eam negant (voluit, inquam, existere, tanquam medium illustrandæ misericordiæ suæ in illo condonando & justitiæ in puniendo: nam τὸ fieri peccati, à Deo est volitum decretumque, tanquam bonum utile, & ex natura sua ordinabile, & à Deo ordinatum, ut medium conducibile ad finem, gloriam manifestandam suæ misericordiæ ac justitiæ: novit enim ex tenebris eruere lucem: creatio mundi fuit à Deo volita, ac decreta est, tanquam medium illustrandi suam potentiam, bonitatem, & sapientiam) nec tamen Deus ullo modo aut sensu, nisi cum summa ejus injuria aut blasphemia, potest dici causa per se peccati, quia non intendit aut voluit ipse facere, cum ne facere quidem possit, sed, ut ab aliis fieret, tantum permittere: quod permittere, non est aliquid conferre ad peccati productionem, sed aliquid non conferre, & negare gratiam specialem ad peccatum vitandum necessariam, quam cum conferre Deus non tenetur, cum ab ea conferenda deficit, deficientia est non moralis aut culpabilis, qua quis deficit ab eo quod debet, sed Physica, qua quis deficit ab eo, quod potest, licet potentiam istam ad actum traducere non tenetur: At vero causa efficiens per se est, quæ ita vult & intendit aliquid, ut ipsa faciat illud. Ergo, ut concludam, cum Deus peccatum non faciat, nec facere possit, utcunque ab æterno voluerit atque intenderit peccatum fore ac fieri, atque ipsam malitiam actionis malæ decreverit extituram, ut medium utile fini suo obtinendo (qui est gloria sua) peccati tamen causa per se dici non potest: & multo minus causa per accidens, 1. quia causa ejus est nullo modo, cum non faciat illud, sed tantum ex decreto suo fieri permittat: at causa per accidens vere facit, efficit, producit, effectum, licet præter intentionem suam: piscator vere extrahit aureum tripodem, hoc est, effectum illud vere producit: at Deus peccatum non producit ullo modo. 2. causa per accidens, præterquam quod vere agat, ita tamen agit, ut agat præter intentionem: Atqui, ut vere agere respectu peccati, i. e. vere producere peccatum, non convenit Deo, ita nec convenit ipsi, agere præter intentionem. Prius in sanctitatem Dei impingit, posterius in sapientiam ejus incurrit & omniscientiam tollit: Quæ omnia sunt blasphema & horrenda.

VII. Restat, ut *fortunam* & *casum* cum providentia Dei conciliemus: nam hic quoque nonnulli faciunt naufragium veritatis, dum sic argumentantur. *Si omnia fiant juxta Providentiam Dei, ergo nulla datur fortuna aut casus, & per consequens, male ad causas per accidens referuntur.* Resp. A positione Providentiæ divinæ ad fortunæ aut casus eversionem, nulla est sequela: Nam quod respectu causæ primæ, Dei, fit consulto ac destinato & ex prævio ejus consilio, idem tamen respectu causæ secundæ, creaturæ, fieri potest inopinato, ex improviso, & præter ejus vel intentionem vel propensionem naturalem: Nam casus & fortuna, seu causa per accidens fortuita ac casualis, tantum sic dicuntur & dividuntur respectu causarum secundarum, non primæ: nam Dei respectu, qui omnia, quæ fiunt, quocunque modo fiant, bene vel male, necessario vel contingenter, ex intentione creaturæ aut propensione aut præter eam, ab æterno decrevit ac prædeterminavit, atque hinc præscivit futura & tali modo futura (nam Deus non tantum ab æterno prædefinivit rerum futuritionem sed & modum futuritionis) nihil potest dici fieri fortuna vel casu, nihil quoque per accidens, sed quæcunque fiunt, quocunque modo fiunt, Dei respectu per se, non quidem Deo illa semper efficiente, sed quædam

tantum

tantum interdum permittente, ut hoc jam fuit dictum. Atque hinc natus est Canon Logicorum ac Philosophorum. Omnis effectus per accidens, respectu scilicet causarum secundarum, reducitur ad aliquam causam per se, sc. primam, Deum, à quo intenduntur & cognoscuntur effectus omnes fortuiti & casuales, ad quos concurrit effective, & defectus morales, ad quos concurrit permissive. Sed quia, ob hunc canonem assertum in *Systemate Logico*, laboriosissimus & doctissimus *Keckermannus Scheiblero* misere vapulat, operæ est hunc breviter ad partes vocare & examen.

VIII. *Hæc sententia satis Calviniana est*, inquit *Scheiblerus Lutheranus Top. cap. 3. num. 72.* pergit. *Imprimis enim aliquando effectus per accidens sunt peccata, quæ, non nisi Calvinistice, ad primam causam tanquam causam per se reducuntur.* Sed in hac crassa atque invidiosa ac falsa *Scheibleri*, sola invidia & *Calvini ac Calvinianorum* odio turgentis, censura multa reprehendi possunt. Non dicam, inepte ipsa peccata effectus ab ipso dici, cum non habeant causam sui efficientem, sed deficientem, quæ non est causa proprie dicta, sed fortassis causa sine qua non aut conditio antecedens, quemadmodum sol deficiens ab Horizonte nostro illuminando non est causa proptie dicta tenebrarum, sed causa tantum sine qua non seu conditio antecedens: sed hoc transeat cum cæteris ejus erroribus: Verum nego ipsi, à *Keckermanno, Calvino, aut quoquam Calvinianorum*, peccatum, hoc sensu, reductum unquam ad Deum, tanquam ad causam efficientem per se, sed tantum ad Deum tanquam permittentem in tempore & permittere volentem ab æterno: itaque hæc est mens *Keckermanni*, & omnium, quos odioso Calvinianorum nomine proscindit; quod, peccata fieri, non est præter Dei noritiam aut intentionem, quia permittit: alioquin permitteret, quod nec sciret nec vellet fieri: at Deus, & novit, & voluit, peccatum fieri, se non efficiente, sed permittente: quo sensu non per accidens se habet Deus ad peccata, cum fiunt, sed per se, non tamen quatenus causa proprie dicta efficiens, sed ut deficiens, & causa sine qua non & per modum antecedentis ad peccatum ut consequens, non tamen per vim causalitatis; nam peccata non fierent, nisi Deus fieri permitteret, Deus non permitteret, nisi permittere decrevisset ac præsciviset: at Decretum Dei permissivum mali, tam est efficax & immutabile, quam est effectivum boni, & præscientia mali futuri tam est infallibilis, quam futuri boni: hoc tantum est discriminis, quod Decretum Dei circa bonum sit ejus causa efficiens per se accedente divina potentia, at decretum Dei circa malum non sit causa per se efficiens ejus, sed tantum conditio & hypothesis antecedens absque causalitate ipsam permissionem & malum permissum, quod quia nec fit, nec permittitur, præter Dei voluntatem decernentem aut intellectum præscientem, non potest vel fieri vel permitti per accidens respectu Dei. Sed hæc ad retundendam *Scheibleri* calumniam, & de Causa per se & per accidens, sufficerint.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

DECIMA-SEXTA,

DE

DIVISIONE CAUSÆ EFFICIENTIS IN PRINCIPALEM ET MINUS PRINCIPALEM.

THESIS I.

SI quæ est *Divisio Causæ efficientis* explicatu difficilis, ea est *in Principalem & minus principalem:* Nam difficulter explicari potest, in quo ratio formalis utriusque consistat, &

quomodo à se invicem distinguantur. Certe *Suarez*, *Disp. Met.* 17. *sect.* 2. *explicaturus rationem* formalem causæ efficientis principalis, suo more prolixissime rem agit, qui videri potest. Nos, omissis variorum sententiis, mentem nostram breviter explicabimus.

II. *Causa efficiens principalis* est, quæ effectum producit virtute propria, & ex se proportionata ac sufficienti, ad productionem effecti, ut non egeat virtute alterius causæ secundæ, à qua elevetur, adjuvetur, præmoveatur, promoveatur, utpote quæ existat cum effecto ejusdem ordinis vel etiam superioris, nunquam deterioris, quia ejus virtus tanta est, qua effectum producit, ut in ea contineatur quicquid in effecto est. Dicitur autem continere effectum in virtute causæ dupliciter, vel formaliter, vel eminenter. *Formaliter*, cum effectum & causa efficiens sunt ejusdem naturæ specificæ. *Eminenter*, cum non sunt ejusdem naturæ specificæ. Cum effectum continetur in sua causa efficiente formaliter, vocatur illa causa univoca, cum eminenter, æquivoca; utraque principalis: at cum neque formaliter, neque eminenter, continetur in causa effectum, dicitur illa causa, minus principalis.

III. *Causa* definitur vulgo *Vnivoca*, quæ producit effectum sibi similem specie, ut ignis ignem. *Æquivoca*, quæ producit effectum alterius speciei, ut Sol Murem: illa, sc. univoca, quatenus talis est, determinata est ad unum effectum in specie; alioqui non erit univoca: hæc, sc. æquivoca, potest esse universalis in causando plures effectuum species: itaque, ut causa dicatur æquivoca, duo vulgo requirunt Philosophi; unum ex parte causæ, alterum ex parte effecti. Ex parte effecti, ut effectum sit alterius speciei quam causa, uti est mensa & arcularius, cœlum & Deus: ex parte causæ, ut causa æquivoca sit ordinis eminentioris quam effectum: Deus enim est aliquid eminentius quam cœlum, & arcularius quam mensa. Sed enim non videtur secunda hæc conditio esse vera. Quid enim? an Sol, qui ad generationem viventium concurrit, ut causa æquivoca, est eminentioris ordinis, quam effectum? an non vivens dignius est vivente? imo unica Musca aut Scarabæus est dignior Sole, licet ad productionem Muscæ aut Scarabæi Sol concurrat, ut causa efficiens principalis æquivoca. Scilicet, vivus canis est præstantior mortuo Leone; & generatim, quicquid vita est præditum, longe est excellentius & præstantius eo, quod vita destituitur: itaque gratis hoc dicitur, causam omnem æquivocam esse eminentioris ordinis quam est effectum, cum hoc fallat in Sole, in cœlo, & aliis, si intelligatur de entitate seu essentia, tum causæ, tum effecti.

IV. Causa minus principalis vulgo dividitur in impellentem & instrumentalem: illa, in procatarcticam & proëgumenam. Procatarctica est, quæ efficientem extrinsecus impellit ad agendum. Proëgumena, quæ intrinsecus efficientem causam, in qua est, impellit, proritat, disponit, ad agendum. Instrumentalis est, quæ per virtutem insufficientem improportionatam influit in effectum, & non nisi elevata, præmota, ac promota, ad agendum, à virtute alterius causæ principalis secundæ.

V. Quæri hic potest, *An bene Deo, causa in agendo principali, adjungatur causa procatarctica, quæ extra Deum, ipsum tamen ad agendum impellat*; nam quin proëgumena ipsi recte adscribatur, nullum est dubium: ita recte dicimus, Bonitatem & Misericordiam Dei esse causam impellentem proëgumenam, ob quam voluerit redimere genus humanum; siquidem id, quod impellit hic Deum, in ipso est. At vero, an aliquid, quod extra Deum est, recte eum impellere dicatur ad hoc aut illud agendum, & respectu Dei se habeat ad modum causæ procatarcticæ, quo sensu nonnulli Theologorum in locis suis communibus dicunt, miseriam humani generis fuisse causam impulsivam externam in Deo, ad Christum dandum in mortem, Meritum Christi esse causam procatarcticam justificationis, inquiri non sine causa potest, & an non tutius & rectius loquendum sit; præsertim cum videamus, hanc loquendi formulam, ob humanæ mentis in Divinis imbecillitatem, & linguæ balbutiem, hactenus toleratam, in prætextum errorum verti atque eorum defensionem trahi. Hinc enim est, quod Heterodoxi quidam Philosophi ac Theologi, statuentes aliquid extra-

extra Deum tanquam causam impulsivam externam, electionis statuerint causam procatarcticam, fidem ac perseverantiam in fide prævisam; reprobationis vero, infidelitatem & impœnitentiam finalem similiter prævisam: alii merita & bona opera asseruerint causam impellentem externam respectu Dei eligentis ac justificantis: quod tam longe abest à rei veritate, ut ne Meritum quidem ipsius Christi causa fuerit in Deo externa impellens, vel electionis vel justificationis: ita libertas loquendi abiit in licentiam. Sed vero, nullam dari causam proprie impulsivam externam extra Deum, quæ ipsum impellat ad volendum hoc vel illud, quodcunque tandem fuerit, sic probamus.

VI. Si detur extra Deum causa procatarctica seu impellens externa, ob quam velit hoc aut illud, oportet illud sit creatura, aut aliquid creaturæ, creatum, aut concreatum. Sed hoc est absurdum; nam sic aliquid creatum melius foret & majus Increato illo Ente, quia eo esset prius, & Ens Increatum esset minus & posterius. At Deo nihil est prius, & eo nihil majus aut melius cogitari aut esse potest. Ergo & absurdum est illud, sc. Voluntatem Dei habere causam extra se, à qua ad volendum impellatur. Et Scholastici optime dixerunt, nullam esse causam assignandam Divinæ Voluntatis ex parte actus volendi, licet possit assignari ratio ex parte volitorum, in quantum sc. Deus vult unum esse propter aliud, ita ut sit ordo causalitatis & prioritatis inter ipsa objecta volita, non tamen sit ordo prioritatis & causalitatis inter objectum volitum & volitionem divinam, incipiendo ab objecto volito & progrediendo ad ipsam volitionem: hoc sensu rectissime dicunt, Deus vult, hoc esse propter hoc: sic, unum, quod vult, est causa alterius, quod vult, sed unum non est causa, ob quam velit alterum; & male loquuntur, qui sic dicunt, Deus propter hoc vult hoc, propter fidem vult vitam æternam electis conferre; Deus vult quidem, propter unum esse aliud, sed cur velit unum esse propter aliud, neutrum causa est volendi, sed ipse sibi: itaque vult Deus, vitam æternam esse, & conferri electis, propter Christum & fidem in Christum: sed nec Christus, nec fides in Christum, est causa ipsius volitionis, qua & ob quam velit, vitam æternam dare electis, verum Christus & fides in Christum, est causa rei volitæ, sc. vitæ æternæ, quam vult Deus electis dare motus & impulsus ad hoc volendum, non ab aliqua causa externa, aut Christo ipso aut fide in Christum, aut meritis bonorum operum, sed à bonitate sua, quæ interna impellens causa seu proëgumena dici solet: ideoque, nec Christus mediator, nec fides in ipsum prævisa, nec bona opera, possunt dici causa impulsiva electionis ad vitam æternam, istius sc. volitionis, qua Deus salutem voluit nonnullis, voluit tamen iis salutem & vitam æternam contingere, propter Christum & fidem in Christum, quin & propter bona opera; id est, voluit, ordinem causalitatis & prioritatis, in rebus istis volitis esse atque inter eas, ut Christus sit causa salutis, volitæ electis, & fides itidem esset causa salutis, volitæ iisdem, imo & bona opera essent quoque causa salutis, volitæ à Deo suis; unaquæque causa in suo ordine, sed causa tamen: nihil tamen istorum trium est causa volitionis, qua Deus salutem voluit quibusdam. Quod bona opera causam etiam facio salutis, nemini mirum videri debet, quia loquor hic & nunc de salute possidenda, non impetranda: at salutis possessio tam parum obtineri potest sine bonis operibus, quam sine fide, imo quam sine Christo: ad vitam enim æternam non sufficit, ut quis fidem habeat in Christum, sed & ut bonis operibus fidem istam exprimat.

VII. Ad causam procatarcticam referri solent hæc 4. *Objectum*, *Occasio*, *Causa Meritoria*, & *Author sive causa moralis*. *Objectum* tum demum huc spectat, cum non tantum est terminativum actionis, sed & motivum, ut cum dicimus, Objecta movent sensus: at si ratio terminandi tantum spectetur in objecto, non item movendi, ad adjunctum pertinet externum; objecta terminantia solum sunt tribuenda Deo, non item moventia. Sic objectum creationis, conservationis & providentiæ divinæ, est mundus cum omnibus in eo contentis. *Occasio* vix causæ nomen meretur aut titulum, quia vix est invenire ullam

ejus causalitatem, nisi talis dicatur loci temporisve commoditas, (quemadmodum dicimus occasio facit fures,) quæ ipsa tamen ad adjuncta potius externa pertinet. Est enim, præter objectum & signum, illa ejus species, quæ circumstantia dicitur. *Meritum* hactenus causa dici potest, quatenus qui bene meretur de alio, eum obstringit ad retaliandum, redhostiendum, & gratias agendas. *Author sive causa moralis* dicitur, quæ dat effectui esse, non quidem realiter & effective in eum influendo, sed vel applicando activa passivis, vel saltem non impediendo effectum, cum debeat ac possit, vel inducendo causam aliam & inclinando eam per rationem moralem, hortationem, dehortationem, suasionem, dissuasionem, precationem, comminationem, &c. ad aliquid agendum vel non agendum: Huic morali Causæ, minus principali, impellenti, externæ, opponitur Causa Physica, quæ per realem influxum dat esse effectui, ut causa principalis, ut cum Deus creat Angelum.

VIII. Quæri sub explicatis statim terminis solet, *Vtrum Deus sit causa conversionis, Moralis tantum, an vero etiam Physica?* Veritatis & sanæ Philosophiæ hostes, moralem tantum causam conversionis faciunt Deum, ut partes aliquas relinquant libero arbitrio, cui hac sua sententia potiores in conversione partes quam ipsi Deo tribuunt: Si enim Deus sit causa conversionis, tantum moralis, erit tantum ejus causa, minus principalis, impulsiva, externa, procatarctica; & liberum hominis arbitrium, si sit conversionis causa Physica, erit ejus causa principalis (sc. Deus deprimendus est, ut liberi arbitrii idolum, in negotio salutis, erigatur) quin & homo plus faciet in conversione sui, quam Deus, quia Deus tantum aget moraliter, docendo, suadendo, hortando, dehortando, comminando, precando, &c. homo se converteret Physice & reipsa. At vero Scriptura Sacra Deo adscribens conversionem nostri, dicit eum in nobis creare cor novum, præscindere præputium cordis, largiri Spiritum novum, &c. quæ actionem designant Physicam: & eadem, Deum omnia facere in conversione, asserit, hominem nihil, quando dicit, nos ex Deo nasci, ex Spiritu Sancto regenerari, vivificari, qui eramus mortui, Deum eximere nobis cor lapideum, dare cor carneum, legem inscribere cordibus nostris, &c. quæ ostendunt, Deum in conversione agere solum, cum ista nusquam tribuantur homini, ac contra nihil ei tribuatur, quam quod non sit idoneus ex se vel ad cogitandum aliquid boni. Sed manum de tabula, ne in messem Theologicam falcem immittamus nostram.

IX. *Instrumentum* est, quod agit supra vires, & per virtutem, sibi quidem inhærentem, sed insufficientem & improportionatam effectui producendo, ideoque eget adjumento, elevatione, præmotione, promotione, & applicatione, alterius causæ, puta principalis secundæ, ad talis effectus productionem: unde vulgo dicitur agere in virtute causæ principalis, qua phrasi non significatur, quod causa instrumentalis aliquam virtutem à principali accipiat, qua sibi communicata operetur, etiam absente causa principali, ut instrumentum tamen ejus; hoc enim de ratione instrumentalis causæ nullo modo est: sed, sive à causa principali virtutem suam accipiat, sive aliunde acceperit, id nihil facit ad rationem instrumenti, sed vero agere in virtute causæ principalis secundæ & elevari ab ea, est agere supra vires, supra virtutem, supra qualitates inhærentes, & causæ principalis secundæ, auxilio, motione, directione, præsentia, adjuvari.

X. Distingui solet vulgo instrumentum, in *conjunctum* vel *separatum*: atque intelligitur utrumque, *vel quoad suppositum atque entitatem, vel quoad virtutem seu causalitatem. Instrumentum conjunctum causæ principali quoad suppositum sive entitatem dicitur*, quod causæ principali unitum est, vel per contactum, vel per realem unionem, vel per aliam præsentiam, ut manus homini. *Separatum quoad entitatem & suppositum* est, quod illo modo, quoad suum esse sc. non est unitum causæ principali, ut lumen receptum in medio, instrumentum est secundum esse separatum à sole, sed conjunctum tamen Soli quoad causalitatem, quia ad illuminandas partes aëris remotiores indiget influxu actuali Solis. *Conjunctum secundum virtutem aut causalitatem instrumentum* dicitur,

tur, quod indiget actuali influxu agentis principalis, ut penna eget influxu manus. *Separatum quoad causalitatem aut virtutem* est, cum absente agentis principalis influxu operatur, ut semen à generante decisum uteroque receptum. Verum enim vero, tale instrumentum quoad activitatem separatum ab agente principali, quod tamen ut instrumentum ejus agat, licet in Moralibus forte detur, in Physicis datur nullum: & seminis exemplum id non probat, quod cum operatur & agit, jam utero receptum, in conformatione fœtus, patre, vel absente, vel distante, vel extincto, non agit amplius, ut instrumentum generantis, sed ut causa principalis: nam instrumenti ratio hæc est, ut non agat, nisi motum ab alio: sunt diserta verba *Arist. l. 8. Phys. c. 5. l. 37.* Atqui aliud illud, sc. generans; à quo moveri deberet semen in conformatione fœtus, abest, distat, extinctum est. Ergo non agit ut ejus instrumentum: itaque ex hoc exemplo, instrumentum Physicum à causa principali separatum, quoad activitatem, causalitatem, virtutem, non evincitur, nec ullo alio exemplo aut ratione evinci potest: quod in conflictu, si necesse est, ostendere sumus patati.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

DECIMA-SEPTIMA.

DE CAUSÆ EFFICIENTIS DIVISIONE IN PRIMAM ET SECUNDAM.

THESIS I.

EX variis *Causæ Efficientis divisionibus* non est postrema, qua dividitur in *Primam & Secundam. Prima est*, quæ non pendet à priori. *Secunda*, contra. *Prima* est vel *absolute talis*, vel *in suo genere. Illa est*, quæ à nulla plane alia pendet, & à qua omnes aliæ pendent, non tantum quatenus operantur, sed & quatenus fiunt ac sunt, estque solus *Deus: hæc*, à qua pendent omnes aliæ Causæ ejusdem generis & ordinis: sic *Cælum* est prima causa in genere & ordine causarum naturalium & materialium. *Causa*, quæ pendet ab alia, dicitur *inferior*: & illa, à qua pendet, *superior. Dependet* vero una *causa ab alia* triplici modo; vel *dum fit*, vulgo, in fieri, ut Filius à Patre; vel *dum existit*, vulgo, in esse, ut lumen à Sole; vel *dum operatur*, vulgo, in operari, ut calamus à manu; *vel omnibus tribus modis*, ut creaturæ à Deo. Hæc Causarum efficientium dependentia à se invicem, inferiorum à superioribus, vulgo dicitur *subordinatio*: estque ea duplex, *essentialis seu per se*, & *accidentalis seu per accidens*: *illa est*, qua causa inferior dependet à superiori, non tantum quando causat, sed quatenus causat effectum tale, ac sub talibus circumstantiis singularibus: hæc est, quando vel causa inferior non dependet à superiori in causando, sed tantum in fiendo aut essendo, vel, licet dependeat à superiori, etiam in operando, non tamen dependet ab ea, quatenus operatur effectum tale ac sub talibus circumstantiis singularibus. In Causis essentialiter & per se subordinatis, valet receptissimus ille Canon, *quod est causa causæ, est causa causati*; *in causis* accidentaliter seu per accidens subordinatis, non item.

II. *Dependentia causarum secundarum à prima*, creaturarum à Deo, ratione *fieri*, dicitur *creatio*, ratione *esse*, *conservatio*, ratione *operari*, *cooperatio seu concursus*: & fundatur hæc triplex creaturarum à Deo *dependentia* in triplici earundem *indigentia* seu *imperfectione*: scilicet, 1. Res creatæ non sunt puri actus: talis enim solus est Deus: entia autem non pure actualia possunt esse sub esse possibili, & aliquando fuerunt: ad hanc

igitur actualitatem, quam habent, postquam actu sunt, devenire nequeunt, nisi extrahantur primum de potentia objectiva seu de esse potentiali, aut possibili, aut potestativo, quacunque vocum barbararum uti placuerit: illa autem rerum de non esse ad esse traductio fit per creationem, & sic occurritur primæ creaturarum indigentiæ, qua, cum non sunt, indigent & esse, ut sint sive existant. 2. Res creatæ, postquam factæ sunt, indigent Deo, ut retineant illud esse, quod acceperunt per creationem, nam hoc illico amitterent iterum, nisi aliunde sustentarentur. Huic indigentiæ atque imperfectioni, qua ne ad momentum quidem persistere valent ex se & sibi relictæ creaturæ, succurrit Deus per conservationem. 3. Res creatæ, sicut seipsas nequeunt producere, sicut ex se non sufficiunt, ut persistant in esse accepto, ita multo minus sufficiunt, ut ex se & per se solas operentur: ideoque non minus in operando, quam in persistendo, aut fiendo, à causa prima dependent; & huic indigentiæ atque imperfectioni creaturarum in agendo, quatenus nulla est primum se movens, sed agit mota ab alio, obviam it Deus cooperatione sua seu concursu. Verum quia dubitari solet, *Vtrum hac triplex creaturarum à Deo dependentia in τῷ fieri, esse, & operari, ratione naturali possit innotescere*, singulatim eam probabimus.

III. §. 1. Quicquid est, hoc ipsum quod est, per participationem, illud etiam est ab eo, cui per essentiam convenit esse tale: Ex. gr. ferrum ignitum, quia per participationem est tale, habet illud esse ignitum ab igne, qui per essentiam est ignitus. At vero omnia alia, præter Deum, sunt id ipsum, quod sunt per participationem, non sunt suum esse, ut Deus, sed participant illud. Ergo habere debent illud esse ab eo, quod habet esse per essentiam, qui est Deus; Hic enim solus est ens per essentiam: si esse aut essentiam habent ab eo, sc. Deo; ergo datur creatio: aut detur alius modus, quo exponatur defluxus & dependentia & esse participati, ab eo quod habet esse per se. Dicitur autem id habere esse per se, quod ita est actu, ut non possit non esse; & hinc dicitur illud existere per essentiam, quia ita essentiale est ipsi τὸ existere quam quævis alia prædicata: quod sic existit, à seipso est, nec ullo indiget ut existat: tale ens est Deus. Cætera omnia, cum ex se possint esse & non esse, non existunt per essentiam: quod autem est ejusmodi, ab alio est: & à quo, nisi à Deo? Nam deveniendum est ad unum, quod à nullo est, nisi quis processum velit admittere in infinitum, quo nihil absurdius. Si à Deo sunt cætera omnia, quomodo? non nisi per creationem. Aut ostendatur via alia, per quam res sint, quæ ante non erant, qua esse suum participarint. Nam cum ex se illud non habeant, omnino aliunde accipere debent. At qua ratione accipient nisi per creationem? Ergo datur creatio.

IV. §. 2. Sed enim, postquam res suum esse à Deo acceperunt per creationem, nulla videtur causa, cur tum adhuc amplius ab influxu ejus actuali dependeant. Nulla enim res semetipsam privat suo esse, quia, postquam semel facta est, studiose se conservat, modo per actionem contrariam non destruatur. Ergo nulla videtur esse opus conservatione Dei. Verum eam dandam esse, naturali ratione sic probamus. Deus potest omnes suas creaturas, quas fecit, annihilare: ad Omnipotentiam enim Dei spectat, ut possit res, quas condidit, in nihilum redigere, si velit. At vero res annihilari nequeunt actione positiva, quia actio positiva tendit ad aliquod esse, & non ad aliquod non esse, in quod tamen tendit annihilatio. Ergo annihilari tantum possunt influxus positivi subtractione, ablatione, negatione. Sed annihilatio ista fieri non potest per solam subtractionem influxus, nisi res à tali influxu positivo ante penderent. Ergo datur influxus positivus Dei in esse creaturarum, quamdiu sunt. At hic nihil est aliud quam conservatio. Et modus essendi sequitur modum fiendi: ideoque, quemadmodum creaturæ dependent ex intrinseca sui necessitate à Deo dum fiunt (nihil enim seipsum facere potest, sic enim idem esset & non esset) ita non minus dependent à Deo cum jam factæ sunt & existunt: quia tam sunt entia per participationem, cum sunt, quam cum fiunt: &, quam parum semetipsas facere valent, tam parum

seipsas

seipsas possunt conservare citra Dei influxum: nam si creatura se ipsam se solâ posset conservare, vel quoad horæ quadrantem tantum, potest quoad horam; si quoad horam, potest quoad diem; si quoad diem, potest quoad annum; si quoad annum, potest quoad seculum; si quoad seculum, potest quoad plura; & sic se possit facere æternam. Et impium est, ullam entitatem vel ad momentum temporis subtrahere conservationi divinæ, quia ens omne, si sibi relinquatur, statim in nihilum ruit, & redit in nihilum quod fuit ante nihil.

V. §. 2. Ex stabilita, naturali intellectus lumine, tum creatione, tum conservatione, sic probamus Dei cooperationem seu concursum. Modus operandi est proportionatus modo essendi & fiendi: hinc, si omnes causæ secundæ dependent à prima in fieri & esse, etiam dependebunt ab ea in operari, ita ut non minus hæc influat in illarum operari, quam in earum fieri & esse. Sed verum est prius ex th. 3. & 4. Ergo. Ratio hæc confirmatur ab absurdo. Si Deus non influit in actionem causæ secundæ, ergo actio causæ secundæ, ut sit, non postulabit influxum Dei. Atqui hoc est absurdum: nam actio causæ secundæ ens est suo modo, si non ex se, saltem beneficio termini ad quem, cum quo identificatur & à quo non distinguitur realiter. Sed omni enti, ut sit, necessarius est influxus Dei seu causæ primæ: omne enim ens & quicquid habet rationem entis, quod diversum est à Deo, dependet ab eo: hoc enim est enti omni, præter Deum, essentiale & specificum, in quo à Deo, qui solus est independens, omne ens aliud distinguitur. Ergo & actio seu operatio causæ secundæ dependet à prima. At hæc dependentia creaturæ in operando à Deo, nihil est aliud quam Dei concursus seu cooperatio.

VI. Tria hic proferri solent, quæ breviter solvi debent. §. 1. Si detur influxus Dei in actionem causæ secundæ, aut idem erit cum ea aut diversus: Non idem, quia impossibile est, eandem numero actionem produci à duobus immediatis agentibus numero distinctis: non diversus, quia per eum, aut totus effectus causæ secundæ produceretur, aut pars ejus: si totus, actio causæ secundæ est frustranea; si pars, ergo partim erit effectus à causa prima, partim à secunda, eruntque causæ partiales, nec agent secundum idem. Resp. Influxus causæ primæ & actio causæ secundæ est eadem actio, & tota est à Deo, & tota à creatura, non partim ab illo, partim ab hac, & ab iis simul, tanquam à duabus causis totalibus, non partialibus, sed subordinatis, non coordinatis: quando autem ex duabus causis concurrentibus, una est universalis, altera particularis, una prima, altera secunda, aut una alteri quovis modo subordinata, potest unus idemque effectus & actio procedere à duobus agentibus, & quidem immediate: nec sequitur causam secundam esse frustraneam, si actio tota & effectus producatur à causa prima: nam eadem tota & idem totus producitur à secunda, ab illa ut universali & prima, ab hac ut particulari & secunda.

VII. §. 2. Si detur influxus Dei in actionem causæ secundæ, perit hujus libertas: quia hoc influxu posito, necessario movetur voluntas, nec ei relictum est, velle & non velle, agere & non agere, & sic actum est de ejus libertate. Resp. Tota hæc objectio fundatur in mala intelligentia libertatis, quæ vulgo collocatur in indifferentia ista, volendi & non volendi, agendi & non agendi, etiam posito influxu Dei, & prævio & simultaneo: sed pessime, uti disp. 14. hujus Curriculi est ostensum, &, Consequens falsum est, posito concursu Dei, libertatem voluntatis tolli, nec ratio subjuncta vera est; nam necessitas, qua voluntas mota à Deo per influxum actualem, necessario vult & agit, quia hypothetica est, profecta ex hypothesi externa concursus, tum prævii, tum simultanei, libertatem non tollit, quam sola aufert necessitas interna, quemadmodum id disp. cit. fuse est explicatum.

VIII. §. 3. Si causæ secundæ nihil agerent, nisi actu cooperante prima, sequitur, omnes causas secundas esse instrumenta Dei. Hoc est absurdum. Ergo & illud. Resp. Neg. majorem. Causæ enim secundæ, in stricta & propria significatione instrumenti, uti de eo egimus disp. 17. hujus curriculi, non operantur ut instrumenta Dei, licet ejus influxu adi

ad operandum egeant, sed sunt suarum actionum causæ principales, quia vires sufficientes habent ad operandum in ordine causarum secundarum, nec producunt actiones, & effecta se nobiliora, nec ab aliis creaturis ad agendum elevantur, applicantur, determinantur, licet præmoveantur à Deo. At in causa instrumentali, præter prævium Dei & simultaneum influxum, requiritur, ut ab alia causa secunda & sui ordinis ad agendum attollatur & ad effectum se nobilius, quod se solâ attingere nequeat, & ad quod vires sufficientes non habeat. Sed de hoc negotio disp. præced. actum fuit.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

DECIMA-OCTAVA.

DE DIVISIONE EFFICIENTIS CAUSÆ IN PRIMAM ET SECUNDAM.

THESIS I.

Disputatione præcedenti asseruimus & probavimus, *Causa prima* actiones tres, *Creationem, Conservationem, & Concursum.* De *Creationis æternitate impossibili*, actum fuit gemina *Disp.* in *Curriculo Disp. select. vol. primi, sc.* 19. per duas ejus partes. Nunc inquirere placet in quæstionem hanc: *An ulli creaturæ possit tribui creatio, vel ut principali causæ, vel ut instrumentali?* Sunt *Philosophi*, qui utroque modo id fieri posse existimant. Ita sensit, qui hodie omnium fere Philosophiæ studiosorum manibus teritur, *Carolus d'Abra de Raconis*, in *tertia parte suæ Philos.* qui postquam pronunciavit, *Creaturam posse causam esse instrumentalem creationis*, hanc insuper propositionem format; *Potest Creatura esse causa principalis creationis alicujus entis creabilis:* Quæ verba miror à *Christiano*, ut haberi vult hic *Philosophus*, & quod plus est, *à Concionatore Regio*, ut se scribit esse, proficisci potuisse. Quid enim hoc est aliud, quam ex creatura facere creatorem, ex causa secunda primam? sed solenne est *Pontificiis* ἀποθεώσεις instituere, & creaturas, ut sic loquar, Deificare. Alii *Philosophorum, creaturam posse creare ut causam principalem, negant, ut instrumentalem, admittunt.* Ita præter impium *Draconem Philosophi* fere omnes vulgo tecepti, etiam illi, qui *Reformati* audiunt: inter quos quoque est *Scheiblerus:* nimirum, ut *Sacramenta operari physice per modum causæ instrumentalis in gratia regenerantis productione, quæ ipsis est creatio, sustineant.* Hoc enim est argumentum *Scheibleri. Ejusdem est*, inquit, *Virtutis, κτίζειν καὶ ἀναπτίζειν, creare & regenerare: quia igitur creatura, ut Sacramentis, competit regenerare instrumentaliter, etiam iis competit creare instrumentaliter.* Videre hinc est, quam caute sint legendi vulgares *Philosophi*, quibus mos est fere ut talia dogmata cudant in Philosophia, quæ patrocinentur suis erroribus & opinionibus in Theologia. Nos adversus utrumque hunc errorem juventutem Philosophicam muniemus.

II. §. 1. *Nulla datur virtus finita, quæ sese extendat ad omne objectum creabile.* Quia nulla datur creatura tantæ perfectionis, quin dari possit creatura usque perfectior ac perfectior, nulla tamen tam perfecta, ut Deus. At virtus, quæ se extendit ad omne ens creabile, debet esse tantæ perfectionis, ut ea non possit dari perfectior, quin imo requiritur perfectissima, adeoque infinita, quia extendit se ad omne ens creabile. Amplius; Omnis virtus finita, creata est: Ergo si detur virtus finita, quæ possit se ad omne objectum creabile extendere creando, poterit & seipsam creare, & in seipsam terminari creando, quo nihil potest cogitari absurdius.

III. §. 2.

III. §. 2. *Nulla datur virtus finita, quæ possit absque dependentia à causa infinita virtutis quicquam agere, nedum creare.* Quia omnis virtus finita est creata: sed omnis virtus creata est causæ secundæ: atqui omnis causa secunda dependet à prima, non tantum in fieri & esse, sed & in operari, uti hoc *Disp. præced.* est ostensum. Sed dicent *Adversarii*, dicimus creaturam dependere nihilominus à Deo, etsi eam faciamus causam principalem creationis, si non omnis, saltem alicujus entis creabilis. Dico ergo.

IV. §. 3. *Nulla datur virtus finita, quæ per modum causæ principalis proxime dependentis à prima possit creare certum ordinem & certam speciem rerum creabilium.* Quia uti ad producendum aliquid ex potentia passiva ad actum entitativum requiritur aliqua virtus activa, ita quo remotior est potentia illa magisque distat ab actu, eo major requiritur virtus agendi. Sed in creatione respectu entis creabilis nulla supponitur ac præcedit potentia passiva: est enim creatio productio substantiæ ex nihilo, vel subjecti vel termini ad quem producendi. Ergo, si eo major requiritur virtus finita, quo minus præcedit potentiæ passivę ad rem producendam, ergo ubi nihil potentiæ passivæ præcedit, ibi requiritur virtus producendi maxima adeoque infinita: At in creatione nihil præcedit potentiæ passivæ. Ergo. Hæc consequentia fundatur in distantia, inter ens creabile & nihil. Quæcunque habent finitam distantiam, habent aliquam inter se rationem ac proportionem. At ens creabile & nihil non habent aliquam inter se rationem aut proportionem. Ergo non habent inter se distantiam finitam. Ergo infinitam. Ergo opus est virtute infinita, ut aliquid ex non ente ens fiat, seu ut aliquid ex nihilo producatur, vel creetur. *D'Abra de Raconis* cum *Iohanne Duns Scoto*, ex quo hoc mutuatus est, dicit esse *falsum, quod detur distantia infinita inter ens creabile & nihil:* & opponit, *quod ens infinitum longius distet à nihilo quam ens finitum, ac proinde creatura, quæ est finita, non differt infinitè à nihilo: & distantia inter Deum & nihil, est utrimque infinita, & à parte Dei positive, & à parte ℈ nihil negative: At distantia inter ens creabile, quia finitum est, & inter nihil, infinita est tantum à parte ℈ nihil & negative, sed non à parte entis creandi & positive.* Resp. Sufficit, si infinita sit distantia inter ens creabile & nihil à parte ℈ nihil, qua nihil in infinitum removeatur & abeat ab ente creando, ut nullus entitatis gradus in τῷ nihil includatur, ut nihil omnem entitatem entis creandi neget, & actualem & potentialem: nam τὸ nihil dicit infinitam abyssum nihilitatis, omnem entitatem & entitatis gradum excludens. Sed potest etiam aliunde roborari & alio tibicine fulciri nostrum argumentum, ut vis consequentiæ nostræ non tam nitatur distantia infinita inter ens creabile & nihil, quam proportione, ut sic dicam, quæ est inter ens & non ens, aut potius, ut loquar rectius, quæ nulla est inter ens seu virtutem producendi, & nihil seu terminum à quo productionis; ut hoc sit fundamentum, quo fundetur consequentia nostra, quod nulla sit proportio inter virtutem finitam & nihil; & ideo virtus finita non potest creare, i. e. producere rem ex nihilo: & tum hoc erit argumentum. Omni passivæ potentiæ respondere debet activa virtus ei proportionata; ideoque, quo remotior est potentia ista, eo major debet esse virtus agendi, ut statim fuit dictum. Ergo, ubi potentia passiva sine ulla proportione recedit ab actu, uti fit in eo quod est nihil, ibi etiam virtus activa sine ulla proportione debet augeri, i. e. debet esse infinita. Atque ut hoc argumentum tanto sit robustius, hoc fundamentum substernimus. Quod omnis virtus finita servet aliquam proportionem ad aliam finitam. Hoc posito, sic pergimus. Sicut inter ens & nihil nulla est proportio, saltem ex parte ℈ nihil, ita inter virtutem activam, quæ producit aliquid ex nihilo, & inter eam, quæ producit aliquid ex ente, nulla est proportio. Sed inter quælibet agentia potestatis & virtutis finitæ est proportio. Ergo agens ex nihilo oportet esse infinitæ virtutis, siquidem ad illud agens finitæ virtutis nullam dicit proportionem, sed tantum ad agens aliud virtutis finitæ. Atqui esse agens infinitæ virtutis in nullam cadit creaturam. Ergo neque in creaturam cadit, aliquid producere ex nihilo, i. e. creare. Et profecto, cum ipsum nihil sit infi-

nitum & indeterminatum negans, continens totum & omne non esse, nulla res aut causa potest habere vim, virtutem, jus, potestatem, facultatem, efficaciam, in ipsum nihil, nisi ea res quoque sit infinita & indeterminata positivè, continens in se totum & omne esse. At talis res & causa, quæ totum & omne continet esse, est solus Deus, ut qui solus est infinitus & indeterminatus positive (nam qui materiam primam & in ea quantitatem faciunt indeterminatam & infinitam, intelligunt id negative, quatenus est neque quid, neque quantum, neque quale, &, qui mundum statuunt indeterminatum & infinitum, aut potius indefinitum, id intelligunt respectu mentis humanæ & rationis nostræ, quæ fines & terminos mundi assignare nequit, non respectu entis & ipsius mundi, nam corpus, materia, & quantitas, infinitæ molis, sua mole ruunt.) Ergo, solus Deus creare potest, nulla vero creatura, quod erat demonstrandum. Præterea, sicut Deus aliqua ex suis attributis communicat creaturis, ut sapientiam, justitiam, sanctitatem, bonitatem, &c. quædam vero minime, ut esse independens, immensum, æternum, ita verisimile est, præter actiones, quas Deus communicat creaturis, uti sunt, velle, intelligere, aliquam esse actionem propriam Dei, ut Deus est, incommunicabilem creaturis, qualis est, aliquid producere ex nihilo, seu creare. Quid? quod per creationem, ut sibi propriam, ab aliis rebus omnibus se distinguit Deus, quæ creare non possunt uti videre est *Iob.* 38. 4. *& seq.* atque alibi. Sed Sacra non attingimus, contenti Philosophicis egisse rationibus.

V. Denique per inductionem sic argumentamur, pro eo quod nulla creatura possit creare ut causa principalis creationis. Omnis creatura est, vel materialis, vel spiritualis. Neutra creare potest. Ergo. Substantia materialis, si creare potest, vel per materiam faceret, vel per formam, vel per accidentia. Non per materiam, partim, quia hæc non est activa; partim, quia tanta perfectio, quantam creatio indicat, plane pugnat cum tanta imperfectione, quantam materia præ se fert: neque etiam per formam creare potest substantia materialis, quia forma illa esset principium creandi, aut materiam, aut formam aliam, aut compositum: non posset creare materiam, quia forma est posterior materia, & ordine naturæ supponit illam, ut ipsa esse possit: non formam aliam, quia produceret, aut spiritualem, aut materialem; non spiritualem, quia non potest excedere suum ordinem; non materialem, quia producere formam materialem, est, producere formam dependentem, à materia, seu à subjecto; sed creare est actio, quæ à nullo subjecto aut materia dependet, saltem à nullius materiæ aut subjecti potentia: non potest ergo forma substantiæ materialis creare, vel materiam, vel formam: ergo nec compositum, quia hoc creari non potest, nisi ab eo qui etiam potest creare materiam & formam: Non etiam potest substantia materialis esse principium creationis, per sua accidentia, quia si forma materialis non potest esse principium creandi, propter naturalem dependentiam, quam habet, à materia, multo minus poterit accidens esse principium creationis; quod & magis est dependens à materia & minus perfectum. Ergo substantia materialis nullo modo potest creare. Sed an potest substantia immaterialis creare? si ulla potest, hæc potest: sed neque hæc potest. Si posset creare Angelus; aut per naturam posset, & sic crearet necessario; at creatio non est actio necessaria aut naturalis; aut libere posset, si libere, ergo media intellectione & volitione; at non potest creare Angelus, per intellectionem & volitionem; nam intellectio & volitio, sunt accidentia aut modi saltem accidentales, & actiones internæ: sed accidens aut modus accidentalis, non potest esse principium creandi substantiam, & creatio est actio externa; præterea intellectionis & volitionis Angelicæ terminus est intra Angelum; at creationis terminus est extra creantem. Ergo neque Angelus potest creare. Si non possit Angelus, multo minus poterunt creare substantiæ aliæ immateriales; ut Animæ rationales. Ergo nulla substantia, nec materialis, nec immaterialis, creare potest, ut causa principalis, quod erat demonstrandum contra Raconem & alios.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,
Voluminis Secundi,

DECIMA-NONA.
DE
DIVISIONE CAUSÆ EFFICIENTIS IN PRIMAM ET SECUNDAM.

THESIS I.

PRobavimus *Disp. præced. nulli creaturæ creationem tribui posse, ut causæ principali:* restat, ut nunc expendamus, *an creatio ei tribui possit, ut causæ instrumentali?* Resp. Quod non. §. 1. Nam instrumentum, ut proprie sit activum, necesse est, ut habeat formam aliquam ac virtutem activam, qua activè agat in suo ordine, quod patet in serra, securi, & aliis instrumentis artis; in calore naturali animalis, cum operatur ut instrumentum ignis in producendis carnibus: & ratio id docet; actus secundus necessario præsupponit actum primum, operatio formam ac virtutem activam à qua egreditur: sed nulla forma aut virtus activa creaturæ potest attingere creationis terminum, etiam instrumentaliter. Ergo. *Prob. min.* quia illa forma aut virtus agendi instrumentalis creaturæ, vel erit materialis, vel immaterialis. Sed neutra potest esse creationis principium, ut *thes. ult. disp. præc.* est ostensum: quod licet probatum ibi sit de causa principali creationis, non minus tamen verum est de instrumentali: nam hoc manet, sive principalis fuerit causa creationis, sive instrumentalis, creatura, cum sit futura forma & virtus activa creaturæ, quæ ad creandum concurrit, finita tantum erit. At forma & virtus activa finita non potest attingere terminum creationis, qui est infinitus, ut ostensum est *th.* 4. *disp. præced.* quod si id non possit præstare creaturæ virtus ut causa principalis, multo minus ut instrumentalis.

II. §. 2. Instrumentum non adhibetur à principali agente, nisi ut per propriam suam actionem aliquo modo disponat materiam ad productionem effectus, quem agens principale intendit, ut patet in malleo & instrumentis aliis. Sed ad productionem ejus, quod creatur in instanti ex nihilo, nulla dispositio potest præcedere: ubi enim reciperetur? an in nihilo? At deberet præcedere subjectum, in quod operari valeat dispositive instrumentum. Sed nihilum, quod præcedit rem, quæ creatur, & ipsam creationem, negat subjectum. Ergo. Si dicas, esse materiam inhabilem, nihilominus virtus causæ instrumentalis ad istam inhabilitatem tollendam non assurgit. Concludimus itaque, creaturam ne quidem instrumentaliter concurrere posse ad creandum.

III. Objectio hic quædam solvi debet. *Creatura potest cooperari Deo per modum instrumenti in faciendis miraculis. Ergo & in creatione: nam tam illic quam hic requiritur virtus infinita. Estius in Mag. sent. l. 2. dist.* 1. respondet, quod motus creaturæ, cujus opera utitur ad miraculum Deus, sit operatio ejus dispositiva, ad effectum causæ principalis, non quidem naturaliter ei competens, sed quatenus ad hoc à Deo assumitur. Sed enim ego dicerem, ne quidem per potentiam obedientialem elevatam à Deo, ullam creaturam, ut instrumentum adhiberi in miraculis. Instant. *Christus adhibuit lutum & salivam, cum cæco visum restituit.* Resp. Inde non sequitur, illa fuisse instrumenta: sed contra, sequitur, illa non fuisse instrumenta, quia illa, quæ adhibuit Christus, nullo modo potuerunt operari dispositive ad visus restitutionem, & ideo non fuerunt instrumenta, nec esse potuerunt: quin visum potius sustulissent, quam ut ejus restitutionem promovissent: ideoque tanto magis virtus Christi divina in isto miraculo eluxit: quemadmodum enim interdum nihil est usus

ad facienda miracula, ut ostenderet virtutem suam divinam, ita interdum adhibuit illa, quæ nullo modo poterant esse instrumenta, ut & hic vis sua divina pateret. Instant. *Apostoli & Prophetæ miracula patrarunt. Atqui hi fuerunt virtutis finitæ. Ergo.* Resp. Non fuerunt causæ physicæ in faciendis miraculis, sed morales vel causa sine qua non: nam orando, sive externe, sive interne, vi suæ fidei à Deo impetrarunt, ut Deus per illos, ad illorum verba, præsentiam, vel tactum, miracula fecerit, non tanquam per instrumenta cooperantia Physice sed moraliter tantum. Alii respondent, verba Prophetarum & Apostolorum, ad quæ facta sunt miracula, fuisse tantum signa indicantia, quid Deus faceret, non vero instrumenta physice operantia. Instant. *Verbum Dei est instrumentum regenerationis, nam illud dicere hic nudum signum, nimis est crudum. At regeneratio nostri tam fit ex nihilo quam creatio: est enim nova creatio: præterea, productio gratiæ, quam quoque vocant vulgo creationem, instrumentaliter attingitur à creaturis.* Resp. Et verbum Dei, & is, qui illud proponit, ambo sunt instrumenta moralia tantum, in nostri regeneratione: ipse Deus est causa ejus Physica, aut, ut rectius loquar, hyperphysica. Sacramenta sunt gratiæ signa ac sigilla eam confirmantia, non instrumenta Physica eam producentia. Instant. *Si homines scelesti possunt vera miracula facere, ut instrumenta physica. Ergo non requiritur hic virtus infinita. Sed possunt. Patet in historia Pharaonis: & in Euangelio, dicuntur in nomine Iesu ejeciisse Dæmonia.* Resp. 1. Distinguatur inter miracula & mira. Miraculum est quod præter ordinem totius naturæ creatæ fit: & hoc à solo Deo proficiscitur. At cum aliquid fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ, per virtutem creatam, nobis ignotam, id quidem mirum est in oculis nostris, & miraculum dicitur apud vulgus hominum, non tamen est tale respectu Dei: Hinc multa fiunt à Magis ipsisque Dæmonibus, nobis mirabilia, non tamen in se miracula, sed admiranda tantum, quia non excedunt vim omnem naturæ. At Miraculum proprie dictum est actio Dei, evidens ad sensum, universæ naturæ creatæ vim excedens. Quare in historia Phataonis, mira quidem sunt præstita à Magis, sed non miracula proprie dicta, præsertim cum fuerint facta in mendacii stabilitionem: at Deus gratiam miraculorum concedere non solet in falsæ fidei confirmationem, quia veritas ipsa, ut mentiri nequit, ita mendacium miraculis comprobare non potest: mira v. faciunt Dæmones, 1. per motum localem, quia mirabili celeritate pollent, & vi ac fortitudine supra omnes humanas vires. 2. applicando activa passivis, eaque commiscendo per causas naturales: sed 3. mira fiunt à Dæmonibus per Magos, commovendo spiritus, sanguinem, & humores in corporibus humanis, unde spectra, imagines, & simulachra rerum, quæ in his conservantur, in ipso motu coram phantasia seu imaginatione feruntur, & ea ratione atque ordine, quo turbator spiritus ea connectit: ac sic fere præstigiis suis & circulatoriis deceptionibus, ope Dæmonum, ludunt & illudunt sensibus humanis mendaci specie Magi, ut, quæ facta minime sint, homines decepti facta existiment. Atque tribus fere modis hic agit Dæmon, mutando, aut objectum, ut si ex aëre vel aliis elementis corpora effingat quædam, quæ talia judicentur esse, qualia apparent; aut medium, illud aliqua qualitate inficiendo, ut species per medium delatæ objectum, non quale est, repræsentent; aut organon, phantasiam hominum valide commovendo ac perturbando, ut existiment se videre & audire, quod non existit, quemadmodum & in somniis nobis contingit. Certe per vitiatam phantasiam, etiam ex morbo solo, varie illudi hominibus experientia docet, quanto magis si vitiatam ad phantasiam accedat Dæmonis operatio fallax. Resp. 2. Deum uti scelestis hominibus, ut instrumentis moralibus, in quibusdam effectis, ut, v. c. in prædicatione Verbi sui, in administratione Sacramentorum, quidni iisdem eodem modo utatur in miraculis patrandis, v. c. in ejectione Dæmoniorum, cum miracula sint quid minus, quam prædicatio Verbi aut administratio Sacramentorum; quandoquidem Verbum, & Sacramenta sunt media salutis, miracula non item.

IV. Secundam Causæ primæ actionem fecimus *disp.* 17. hujus curriculi *Conservationem*,

nem, quæ distingui solet in *directam vel indirectam*, *positivam vel privativam*, quam alii vocant *negativam*, alii *permissivam*. Illa fit per influxum realem, hæc consistit in non destructione. Quæritur, *in utro consistat Conservatio divina? Nicolaus Taurellus*, Philosophus in multis egregius, sed in hoc negotio imprudenter impius, Deum non aliter conservare mundum scripsit, in suo *Metaphysica Triumpho*, & alibi, quam quatenus eum non privat suo esse, quod habet. Verumenimveto, conservat Deus non tantum permittendo, ut res sint ac maneant eo statu, quo semel creavit, sed positive insuper influendo & continuando illud esse, quod semel dedit, omnino sicut Sol conservat lumen suum, quod primum procreavit, continua radiorum sparsione. *Prob.* Si Deus non conservet res influxu positivo & directo, non poterit Deus res annihilare. At potest res annihilare. Ergo. *Conseq. prob.* Annihilatio non consistit in aliquo positivo, quia tendit ad non esse rei simpliciter: qui enim rem annihilat, facit ut non sit: consistit ergo annihilatio, in aliquo privativo: si annihilatio privat subjectum, aliquo privabit; nam privatio dicit alicujus, & quidem positivi, negationem. Atqui annihilatio non privat rem, nisi eo, quo conservabatur in esse. Ergo illud, quo conservabatur in esse, erat aliquid, & quidem positivum; conservatio ergo influxus est positivus, ipsa vero annihilatio est istius positivi influxus privatio, negatio, absentia.

V. Quæri hic solet, *An conservatio & creatio Causæ primæ sint duæ diversæ numero actiones?* Resp. quod non: sed est una eademque numero actio, unde etiam conservatio optime dicitur continuata creatio: & *prob.* Conservatio nihil addit creationi nisi permansionem in influxu inchoato: hæc permansio non est nova entitas: alioqui tot novæ entitates & conservationes erunt fingendæ, quot sunt momenta, quibus res conservatur: at hoc absurdum est. Ergo. Quemadmodum, quando incipio videre aut intelligere, & permaneo in videndo & intelligendo, est una eademque visio & intellectio, quæ postquam cœpit, aliquamdiu durat: ita creatio est inchoatio influxus divini, conservatio tantum est permanentia in influxu inchoato. Porro, si creatio & conservatio sunt actiones distinctæ, creatio primum cessaret, antequam conservatio inciperet: quod si fieret, rogo: vel eodem momento incipit conservatio, quo cessat creatio, vel alio: non eodem, quia tum res simul crearetur & conservaretur, i. e. eodem momento acciperet esse & haberet, i. e. haberet & non haberet: non haberet, quatenus crearetur; haberet, quatenus conservaretur: si conservatio incipiat in momento sequenti post creationis cessationem, cum inter duo momenta sit interjectum tempus, res, isto intermedio tempore, nec crearetur, nec conservaretur. At hoc est absurdum. Ergo & absurdum est, ut creatio & conservatio sint duæ actiones Dei diversæ: aliqua tamen inter eas est distinctio, sed rationis tantum ratiocinatæ seu cum fundamento in re; atque hoc patet, vel ex ipso loquendi modo diverso: nam 1. res non dicitur conservari in primo instanti, in quo creatur, nec creari post primum instans reliquo tempore, quo conservatur. 2. creatio connotat novitatem essendi (est enim hæc de ratione ejus) sed conservatio non item: creatio significat negationem esse præhabiti, conservatio notat possessionem esse præhabiti: esse autem rationis tantum discrimen, probatur ex termino utriusque, & creationis, & conservationis, eodem: nam creatura ut existens in primo instanti, cum creatur, & eadem, ut existens reliquo tempore, cum conservatur, ratione tantum à se ipsa potest distingui: idem est dicendum de creatione & conservatione, quæ eadem est actio, sed ratione à se ipsa distinguitur, prout ipsi termini: nam quæ ratio est terminorum ad quos, eadem est actionum, quia illi cum his identificantur. Dices. *Quare ergo diversa sortiuntur nomina, creatio & conservatio, si sint eadem actio.* Resp. Ob respectus diversos & diversam connotationem ad creaturæ esse, vel inchoatum, vel continuatum. Dices. *Si conservatio est idem quod creatio, Ergo res semper erit in fieri. Atqui hoc est absurdum. Ergo.* Resp. Tò fieri interdum significat novitatem essendi, i. e. de novo incipere, & sic verum est, creaturam non semper fieri: interdum.

significat actualem dependentiam creaturæ in esse, sic creatuta semper fit, quia semper actu dependet à Deo, & servat esse sibi continuum per continuum Dei influxum.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

VIGESIMA.

DE DIVISIONE CAUSÆ EFFICIENTIS IN PRIMAM ET SECUNDAM.

THESIS I.

Divisionem *causæ efficientis in Primam & Secundam*, *Disputationibus tribus* persecuti sumus, & *Disputatione* quidem 1. *Causa prima* adstruximus *actiones* tres ex lumine naturæ, *Creationem*, *Conservationem*, & *Concursum*. *De Creatione*, præter ea, quæ erant disputata *disp.* 19. *partibus duabus Curriculi prioris*, disputavimus insuper *disp. hujus Curriculi*, 18. & 19. *de potentia creandi*, *possitne illa communicari creaturis*, *per modum causæ*, *seu principalis*, *seu instrumentalis?* & utrumque negavimus, ac negationem nostram probavimus. De *Conservatione* quæsivimus, *utrum illa consistat in positivo & reali influxu*, *an vero tantum in non destructione?* & *sitne eadem cum creatione*, *an diversa numero actio?* *disp.* 19. nunc *hac* 20. restat ut circa *concursum Causæ primæ* quædam inquiramus. Ac quamvis materia hæc videatur fere exhausta nobis *disp.* 7. 8. 9. 10. 11. *in priori Curriculo* de ea institutis, attamen ejus fertilitas aliquid adhuc reliquit pro spicilegio. *Dari concursum causæ primæ disp.* 7. *prioris Curriculi*, *quid sit*, *disp.* 8. *quod præter simultaneum detur prævius*, *disp.* 9. 10. explicatum est: & contra prævium, objectiones, quæ adferri solent *disp.* 11. solutæ sunt. *Quod Dei concursus sit determinans*, & *non determinabilis*, *particularis*, *non universalis*, expositum est *disp.* 10. & 11. Nunc, circa concursum prævium, Analecta quædam sunt colligenda, *hac disp.* Duobus ergo tibicinibus, præter allata olim fulcra, concutsum Dei prævium fulcimus.

II. §. 1. Si, quoties voluntas creata aliquid non vult, ideo non vult, quia Deus non determinat eam ad volendum, concursu sc. prævio, ut velit, ergo, quoties aliquid vult, ideo vult, quia Deus eam determinat concursu prævio, ut velit. *Consequentia manifesta & per se nota est:* contraria enim contrariorum sunt consequentia: Unde bene demonstravit *Bravvardin.* in præclatis illis de *Causa Dei contra Pelagium libris*, Quod, sicut in omni non actione Deo & creaturis communi, prius est, Deum non velle, quam creaturam, ita in omni actione iis communi, prius est, Deum velle, quam creatutam. *Assumo itaque.* Sed, quoties voluntas creata non vult aliquid, ideo non vult, quia Deus concutsu suo prævio eam non determinat, ut velit. Ergo, quoties voluntas aliquid vult, ideo vult, quia Deus concursu suo prævio eam determinat, ut velit. *Datur itaque Concursus Dei prævius.* *Minor* ab Adversariis negabitur, quam oportet ut confirmemus: Quod si fecerimus, vicerimus. Si quoties voluntas creata non vult, sequitur 1. Quod Deus eam non determinet ad volendum. 2. Quod simul verum sit, quod hæc suspensio determinationis divinæ causa sit sine qua non & antecedens, cur non velit: Ergo quoties voluntas non vult aliquid, ideo non vult, quia Deus non determinat eam, ut velit. Sed quoties voluntas creata non vult aliquid, sequitur, 1. Quod &c. 2. Quod simul verum sit, quod &c. Ergo &c. *Consequentia iterum manifesta est*, quia posita causa sine qua non aut posito antecedente ad quod necessario sequitur consequens, ponitur effectus aut defectus

fectus potius: quemadmodum posito recessu solis à nostro horizonte necessario consequuntur tenebræ: si itaque suspensio determinationis divinæ sit causa sine qua non & antecedens ad quod necessario sequitur, quod voluntas non velit, certe quoties voluntas non vult, ideo non vult, quia Deus suspendit determinationem suam, i. e. quia negat concursum prævium & prædeterminantem. Sed *minor* iterum nobis probanda venit: ea *bimembris* est. *Prius* quidem *membrum* per se notum videtur, nec multa probatione indigere, sc. quoties voluntas creata non vult aliquid, Deum non determinare eam ad volendum: si enim determinaret eam, jam vellet: Deo enim determinanti quis restitit, aut resistere valeat? Ergo, quando non vult, id signum est, eam non determinari hoc tempore à Deo ad volendum. Sed *alterum minoris membrum* unice nobis probandum est: sc. suspensionem determinationis divinæ esse causam sine qua non, & antecedens, cur quis non velit. Aut hæc est causa &c. cur quis non velit, sc. suspensio &c. aut danda est alia causa sine qua non, & antecedens, ex parte Dei, aut omnino nulla datur: hoc est, ut clarius me exprimam, aut Deus omnino non poterit antecedenter voluntati creatæ efficere, ut ea non velit; aut, si poterit, non tamen hoc faceret, suspendendo determinationem suam in voluntatem creatam, sed alio modo: aut, concedendum est, meram suspensionem determinationis divinæ sufficere ad hoc, ut voluntas creata non velit aliquid. At horum primum dici non poterit, quia hoc derogat omnipotentiæ divinæ, quæ extendit se ad omnia, quæ non implicant contradictionem. Sed hîc nulla implicatur contradictio. Verum, præterquam quod inconveniens sit omnipotenti Deo derogare istam potentiam, qua possit antecedenter voluntati creatæ efficere, ut ea non velit, probo insuper, Deo istam potentiam denegandam non esse. Potest Deus antecedenter voluntati creatæ efficere, ut ea velit: habet enim imperium, ut in omnem creaturam, ita præsertim in voluntatem humanam: neque hoc à *Suarefio*, *Arminio*, aut quocunque concursus prævii, particularis, & determinantis, hoste, neque ab ullo mortalium, negari potest. Quæ enim Dei, qui omnia potest, erit potentia, si tantum non possit antecedenter voluntati creatæ efficere, ut illa velit? Si vero id possit Deus, poterit, &, ut non velit: nam qui potest efficere, ut quis faciat aliquid, proculdubio & potest efficere, ut idem non faciat: imo hoc posterius aliquanto minoris est potentiæ quam illud prius; nam multo facilius potero cohibere proximum, ne aliquid faciat, quam illum impellere, ut illud faciat, imo hoc sæpe non potero, & prius potero. Ergo omnino poterit Deus antecedenter voluntati creatæ id effectum dare, ut ea non velit. Sed jam *quæritur ulterius*. An hoc præstaret, suspendendo suam determinationem, vel alio modo. Non potest hoc præstare alio modo, quod sic probo. Si Deus non efficeret antecedenter voluntati creatæ, ut ea non velit, suspendendo suam determinationem, sed alio modo, tum vel, quia omnino non faceret hoc actione suspensiva, sed potius id faceret positiva actione, vel, quia licet hoc faceret actione suspensiva, qua aliquid suspendit, id est, negat, non tamen hoc faceret, suspendendo, i. e. negando determinationem suam, sed suspendendo, i. e. negando aliquid aliud. Atqui horum neutrum dici potest. Ergo Deus hoc faceret, sc. ut voluntas non velit suspendendo suam determinationem. *Probo minorem*, sc. neutrum modum Deo convenire in efficiendo, ut voluntas creata non velit: non priorem, sc. ut Deus dicatur actione positiva efficere, ut illa non velit: nam, si per actionem id præstaret positivam, tum actio Dei positiva terminaretur ad non ens, sive, ad negationem entis alicujus, puta, actus volendi, requireretur actio positiva. Sed hoc est absurdum: quippe, si positio actus divini requireretur ad non-velle creaturæ, ergo à contrario, negatio actus divini requireretur ad τὸ velle creaturæ, quo nihil potest cogitari ineptius. Sed nec secundus modus efficiendi, ut creatura non velit, Deo convenit, sc. ut id præstet, actione quidem suspensiva, verum non suspensione suæ determinationis, sed alterius alicujus: Nam quod voluntas creata non velit, ex parte Dei, fiet per suspensionem, aut concursus divini,

vini, aut alicujus tertii: non fiet per suspensionem concursus divini, quia is tantum simultaneus agnoscitur ab *Adversariis*, & sic non fieret ista suspensio concursus divini antecedenter voluntati creatæ, sed subsequenter potius aut saltem simultaneè ac concomitanter, quia ipse concursus divinus expectate actionem voluntatis humanæ, sequi, aut saltem concomitari, illis dicitur, unde & nomen simultanei & concomitantis concursus illi est inditum. Tertium aliquid dati præter concursum Dei, cujus suspensione fiat, ex patte Dei, ut creatura non velit, sub nullius imaginationem hactenus cadere potuit, & veto fingi non potest. Restat etgo ultimum Minoris *membrum* concludendum, sc. ut Deus dicatur efficere antecedenter voluntati creatæ, quod ea non velit, sola suspensione, determinationis suæ, seu concursus prævii determinantis, & non actione positiva, nec suspensione alicujus altetius tertii. Etgo *concludo repetito primo syllogismo.* Si suspensio determinationis divinæ, seu concutsus prævii determinantis, sit causa sine qua non & antecedens, cur voluntas cteata non velit, ergo ipsa determinatio divina seu concursus prævius determinans erit causa, cur eadem velit. Sed verum prius ex jam probatis. Ergo & posterius. Ergo datut talis concursus, quod erat demonsttandum.

III. §. 2. Alterum pro concutsu Dei ptævio, patticulati, determinante, argumentum nostrum hoc est. Si Deus concutsu prævio non determinet voluntates nostras, nec erit omniscius, nec omnipotens. Consequens est absurdum. Ergo & antecedens. *Probo majorem, quoad prius membrum*, sc. de omniscientia. Si Deus non certo scit actus liberos voluntatis nostræ futuros, nisi à se prædeterminentur, ergo si eos concursu suo prævio non prædeterminet, non certo eos sciet, & sic non erit omniscius. Sed Deus non certo scit, &c. Ergo &c. *Consequentia clara est. Minor sic prob.* Nosse actum liberum futurum v. c. voluntatis meæ, est, nosse, me tale quid voliturum, atque adeo est, nosse, me ad istam volitionem pro certo tempore determinatum. Sed Deus non novit istam determinationem, sublato concursu ptævio, ptædetetminante. Ergo eodem sublato, non novit, quod ego sim libere voliturus, & sic non erit omniscius. *Major hujus syllogismi certa est, Minor probatur.* Aut Deus, sublato concursu prævio & ptædetetminante, novit voluntatis meæ determinationem in seipsa, atque adeo in me, aut in determinatione voluntatis suæ, atque adeo in se: Non in determinatione voluntatis suæ, quia sublato concursu prævio aufertur voluntas Dei detetminans; si enim Deus non concurrit ptævie determinando me, neque voluit me ptædeterminate; si enim voluisset, fecisset; omnia enim, quæ voluit, fecit; si non voluit me prædetetminate concutrendo, non potest nosse aut scire determinationem voluntatis meæ in voluntate sua detetminante, quæ non est: Etgo novit voluntatis meæ determinationem in seipsa, id est, in me: aut, si hoc est absutdum, ut est absurdissimum, eam plane non novit, & sic non erit omniscius. *Probo* verò esse absutdissimum, ut quis dicat, Deum voluntatis meæ determinationem nosse in seipsa, id est, in me: quia absurdissimum est, ut Deus scientiam suam mutuetur à creaturis, ut creaturæ ipsi sint objecta motiva cognitionis: sed si alitet non novit detetminationem meæ voluntatis, quam in se ipsa, i. e. in me, mutuatut scientiam suam à cteatutis, sc. à mea voluntate, suntque ipsi cteaturæ, i. e. mea voluntas se detetminans ad volendum, objectum motivum cognitionis. Ergo, cum non liceat dicere, quod Deus cognoscat actum liberum volunratis meæ fututum, in determinatione voluntatis meæ, nec, quod eum cognoscat in determinatione voluntatis suæ, quæ nulla est, concursu prævio & prædeterminante sublato, etgo plane non cognoscit, consequenter, non est omniscius. *Probo nunc alterum membrum Majoris*, de omnipotentia. Qui non potest omnia, quæ non involvunt contradictionem, is non est omnipotens. Sed si Deus non detetminet concursu prævio voluntates nostras, non poresr omnia, &c. Ergo &c. *Probo minorem.* Deus, sublato concursu prævio & determinante, non potest ptoducere consensum meæ voluntatis, faciendo certissime, ut consentiam & velim id, quod

id, quod ipse voluerit, ergo non potest omnia. *Probo Antecedens.* Deus tantum potest producere, quod in se habet & continet. Sed consensum meæ voluntatis, suppositâ sententia *Adversariorum*, negantium prævium Dei & prædeterminantem concursum, non habet nec continet in se, quod probo: unumquodque est, in quantum est determinatum: sed determinatio meæ voluntatis non est in Deo; quia, ex hypothesi *Adversariorum*, Deus non determinat meam voluntatem: ergo consensus voluntatis meæ, ut hoc velim, non est in Deo. Ergo non potest eum producere. Ergo non est omnipotens.

IV. Ad argumentum hoc thesi 3. propositum, gemino cornu, quod Adversarios non ferit sed conficit, nihil potest responderi aut excipi, quam hoc unicum, quod vulgo adferri solet, Deum scil. per tubum opticum scientiæ mediæ penetrare & cognoscere quid sit facturæ voluntas humana, si sub hac aut illa conditione ponatur, & inde Deo esse cognitum, quid ipse possit. Sed vero exceptio falsum supponit, & fingit scientiam mediam inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, quam immanem belluam, *Iesuitarum & Remonstrantium* Helenam, multis telis confodimus, *disp. 3. Curriculi prioris disp. select.* Stet ergo, maneat, æternumque perseveret, *Causa prima influxus prævius & prædeterminans.*

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

VIGESIMA-PRIMA.

DE CAUSÆ EFFICIENTIS DIVISIONE IN PRIMAM ET SECUNDAM.

THESIS I.

UTi *disp. præced.* Concursum causæ 1. prævium & prædeterminantem, olim *vol. 1. Disput. select. 9.* aç 10. assertum, & 11. ab *Adversariorum* Objectionibus vindicatum, duobus insuper tibicinibus fulcivimus; ita eundem, ut particularem, & influentum, in esse actionis physicæ, non tantum genericum, sed & specificum, atque individuale, & non determinabilem à causa secunda, sed determinantem ipsam, *disp. 10. cit.* adstructum, & ab impugnationibus contrariæ partis liberatum *disp. 11. cit.* denuo sub examinis incudem vocare est animus, præsertim, quod hoc monstrum concursus divini, illimitati, indeterminati, indifferentis, communis, & universalis, in *Pelagianorum* veterum cerebro natum, à recentioribus tenerrime exceptum, non possit satis configi, ne *Philosophos & Philosophantes* in posterum transversos agat. *Concursus ergo divini, universalis, sive determinationem, sive contractionem, sive limitationem, ad certam in specie, quin ad unam numero, actionem, Philosophice examinemus.* Nam *Philosophia* ab una parte usum, ab altera parte abusum, videre hic licebit: sic procedo.

II. Omnis limitatio & contractio naturæ communis, ad certam speciem, est, vel Metaphysica, seu, ut alii loquuntur, Logica, vel Physica. Limitatio Physica, est materiæ per formam. Metaphysica, seu Logica, est contractio generis per differentias. Metaphysica seu Logica concursus Dei universalis limitatio & contractio, ad certam actionis speciem, hic locum habere nequit; neque enim concursus Dei, genus est; sed est influxus quidam specialis & singularis à Deo proveniens in causam secundam; ejusque actionem: præterea, concursus causæ secundæ, ut volitio nostra, est etiam quid singulare: at duo singularia ut sunt concursus divinus & humanus, non possunt concurrere in unum, ut genus & differentia ad constituendam speciem unam: Si

ergo hæc contractio & limitatio Metaphysica seu Logica, locum habet in concursu Dei generico, universali, indifferente, limitando, contrahendo, determinando, oportet dicere, quod concursus Dei sit genus contrahibile, concursus causæ secundæ differentia contrahens, & hinc unum specie concursum ad unam specie actionem, v. c. ambulationem, conflari: quod nemini absurdum videri non potest, & ab unoquoque Philosophiæ Tyrunculo refutari. Notum est ex Logicis, quod omnis species sit unum per se: omne unum per se constituitur ex actu & potentia: ex duobus actu existentibus constituitur unum per accidens: sed concursus Dei & Creaturæ actu existunt: ergo ex iis constituetur unum per accidens. Rursus, quod ex genere & differentia oritur, est quiddam universale: atqui universale, ut sic, non existit in rebus extra animam. Sed concursus Dei & Creaturæ sunt concursus particulares, in rerum natura existentes: ideoque ad speciem constituendam coalescere non possunt. Non potest ergo concursus causæ primæ, universalis, & indifferens, contrahi aut limitari, per concursum causæ secundæ, contradictione aut limitatione Metaphysica vel Logica, quæ est generis per differentiam in species: sed fortasse contrahetur ac limitabitur, contractione & limitatione Physica, à concursu causæ secundæ particulari & determinato, sicuti forma limitat materiam: sed neque hoc dici ullo potest modo: Nam, si concursus Dei sit veluti Materia, concursus creaturæ veluti Forma, multo dignior foret & nobilior concursus causæ secundæ quam primæ; forma enim præstantior censetur materia, & materia appetit formam, ait Aristoteles, ut fœmina appetit esse mas. At hoc iniquum est, dicere, quod concursus causæ secundæ longe sit nobilior concursu causæ primæ. Præterea, limitatio materiæ per formam tantum habet locum, in generatione corporum, non autem actionum, quæ simplices sunt formæ & neutiquam admittunt compositionem. Adhæc, materia prima est genericum quid, & ex natura sua indifferens, concursus Dei non est quid genericum, sed ex natura sua singularis, à principio singulari procedens, & ad singulare quid terminatus. *Concludo.* Concursus ergo Dei, nullo modo contrahi aut limitari potest: &, Concursus Dei, ut contrahibilis, ut universalis, ut indifferens, ut determinabilis à concursu creaturæ, commentum est, præter omnem rationis sobrietatem, excogitatum, & nullibi in Philosophia fundatum.

III. Sed cum concursus Dei à concursu creaturæ determinari nequeat, determinatione Physica, nec Metaphysica aut Logica, videamus, an aliud genus determinationis detur, quod melius quadret huic negotio. Philosophantur nonnulli hîc de determinatione activa & passiva. Consideremus utramque, an præsenti negotio accommodari valeat. Activa determinatio fit, quoties artifex determinat instrumentum, in illud agendo. Sic non potest dici causa prima determinari à secunda, sed contra: nam prima non est instrumentum secundæ. Passiva determinatio fit, quoties materia determinat actionem agentis. Ex. gr. Lignum parum idoneum ad formam ab artifice intentam recipiendam, actionem artificis determinare dicitur, ad enormitatem formæ, nam non ex quolibet ligno fit Mercurius, ut habet vulgatum verbum: sic charta humida determinat scriptoris actionem ad scriptionem deformem & incompositam: sic eadem Solis operatio, pro varia materiæ dispositione, ceræ videlicet aut luti, determinari dicitur ad varios effectus, vel liquefactionem vel indurationem: in hisce materia determinat operationem Solis, non tamen agendo in Solem aut operationem ejus, sed patiendo tantum à Sole ejus influxum juxta capacitatem atque naturam suam, sine renisu tamen aut reluctatione contra operationem Solis, quemadmodum materia sæpe renititur operationi artificis, quia Sol sc. non intendit aliter agere quam secundum Naturam rei uniuscujusque suam. Videamus, an concursus Dei utrolibet modo determinari possit à concursu creaturæ? Non potest determinatione activa, quia sic causa secunda ageret in primam. Atqui causa secunda non agit in primam, neque voluntatem Dei Physice movet ad producendum actum voluntas crea-

creata: nam sic fieret, ut causa prima subjiceretur causæ secundæ in operatione Physica, & consequenter, non prima foret, sed secunda, quia non obtineret in agendo partes primas sed secundas. Verum super hæc, quomodo hoc faciet voluntas creata, ut Deum determinet active in concurrendo ad certam actionis speciem? vel id faciet volendo, vel aliquid aliud agendo. Non faciet id volendo, nec facere potest, quia actus volendi est actus immanens: determinatio Dei, qua determinaretur à creatura active, actus transiens: volitio nullam habet vim transeundi in aliud nisi imperando: at vero imperat facultatibus inferioribus corporisque membris, non Deo: ergo hæc activa determinatio, qua concursum Dei determinat voluntas creata, non potest esse volitio. Sed nec actio alia esse potest: nam à voluntate nulla alia proficiscitur immediate, quam volitio: &, quænam, quæso, actio creaturæ transiret in Deum, eumque ad agendum determinaret? quomodo ageret in concursum Dei? cum actio, puta Dei concursus, non possit esse subjectum aut objectum determinationis creatæ. Sed videamus, an non hîc obtinere valeat determinatio passiva, ut sic Deus in agendo à creaturis determinetur. Verumenimvero ne hoc quidem ullo modo dici potest: Nam, si voluntas creata determinet concursum Dei indifferentem determinatione passiva, quo modo cera actionem Solis diffetentem determinat ad liquefactionem, ergo Deus statuetur agere, aut in ipsam voluntatem creatam, aut in voluntatis creatæ influxum, quod Sol agit in ceram, dum cera eum determinat, aut dum ille determinatur à cera ad liquefaciendum. Sed ipsi Adversarii negant, Deum tali modo agere, in voluntatem creatam, aut in ejus influxum: dicunt enim, Deum concurrere, non influendo aliquid, in causam secundam, aut in ejus actionem, non operando aliquid in ea, sed operando aliquid cum ea: si enim agnoscerent, Deum aliquid operari in causa secunda, vel in ejus actione, jam concursum prævium admitterent, quem rejiciunt: nam statuunt, Deum tantum operari cum causæ secundæ actione: exspectans enim operationem creaturæ, quam per tubum opticum scientiæ mediæ prævidet aliquando futuram, si hæc in hisce aut illis conditionibus ponatur, cum ea adest, suum concursum conjungit solummodo, & simul cum illa operatur, ac proinde non potest determinari à concursu causæ secundæ determinatione passiva, ut determinatur Solis actio à cera; nam tum deberet Deus, prius natura, non tempore, (nam de prioritate temporis hic nunquam loquimur) deberet, inquam, prius natura influere in causam secundam, aut in ejus actionem, ut ab ea determinari suus concursus & influxus possit. Sed hoc non admittunt Adversarii: quare & rejiciant necesse est, istam concursus divini determinationem passivam, velint, nolint, utpote qui in influxu Dei in causam secundam ejusque actionem fundatur, & non in ista simultanea divinæ operationis conjunctione.

IV. Sed pergamus ulterius, & probemus insuper, posito influxu Dei, in ipsam causam secundam, & in actionem causæ secundæ, (unus enim idemque influxus est, pro terminorum diversitate, ad quos respectus dicit diversos, juxta nostrum concipiendi modum, distinctus tantum) posito, inquam, isto Dei influxu, quem *disp. prac. & in priori curriculo disp. select.* astruximus, adhuc tamen non est dicendum, quod concursus Dei à causa secunda determinetur determinatione passiva, nec ratione ejus, quod Deus influat in ipsam voluntatem creatam, nec ratione ejus, quod influat in actionem ejus.

V. Quod Deus influendo in ipsam causam secundam, non determinetur ab ea, determinatione passiva, sic probo. Si Deus influat in voluntatem creatam, ergo non determinatur ab ea passive, sed vero ipse illam determinat active. *Prob. conseq.* Quia creatura non potest reniti aut resistere creatori. *Dices. At sic cogetur voluntas.* Resp. Minime: nam Deus non potest agere in voluntatem contra naturam ejus, eam destruendo: At voluntas cogi non potest: quia voluntas coacta non est Voluntas, estque contradictio in adjecto: ideoque, sive Deus voluntatem creatam moveret ad volendum, sive ad nolendum, hæc

tamen convenienter naturæ vellet aut nollet id, ad quod, vel volendum, vel nolendum, esset à Deo determinata. Sed, *dicent Adversarii, hoc fieri secundum voluntariam Dei dispensationem, quippe qui vult operationem suam modificare per concursum Voluntatis creatæ, & sic Deus ab ea determinatur passive, quemadmodum Solis actio modificatur à cera in liquefactione, & ab ea ad liquefaciendum determinatur.* Resp. Est elenchus parium: hæc enim à parte Dei & Solis non habent se similiter: Nam quæro ex illis, qui istam concursus divini modificationem & passivam à concursu creaturæ determinationem statuunt; utrum Deus creaturam moveat, tantum ad agendum in genere, ita ut voluntas creata à seipsa accipiat & habeat, quod moveatur hoc motu in specie, ut Adversarii volunt, an vero à Deo moveatur, tum ad agendum in genete, tum ad agendum hac specie motus, qua agit, uti nos statuimus. Prius, quod Deus creaturam tantum moveat ad agendum in genere, & non ad speciem actionis, jam *disp.* 10. *&* 11. *vol. prioris disp. select.* refutatum est olim, & omnino falsum est: tum, quia creatura tam indiget moveri ad agendum in specie, quam in genere, cum species perfectior sit genere: tum, quia influxus Dei, cum sit influxus singularis, non potest terminari ad naturam genericam: tum denique, si voluntas creata non indigeat influxu & concursu Dei ad agendum actum secundum speciem actus, vel non indiget eo, ad agendum actum secundum speciem actus, vel in genere Naturæ, vel in genere Moris. Non potest dici prius, quia quisquis indiget concursu & influxu Dei ad naturam actus generica producendam, etiam indiget eo ad producendam actus naturam specificam, quia natura actus generica produci nequit nisi producta natura ejusdem specifica, utpote in qua includitur; universalia enim existunt & continentur in particularibus & singularibus, genera in speciebus, & species in individuis. Posterius quod spectat, speciem puta, aut naturam specificam actus, in genere Moris, negamus, bonum & malum esse species actus moralis, licet vulgo sic dicantur, uti id refutatum est, *vol.* 1. *disp. select.* 11. sed sunt tantum accidentia actionum naturalium, quæ extrinseca solum denominatione actionibus conveniunt: omnis enim actio denominatur, aut bona, aut mala, quatenus fit, vel conformiter legi, vel ei difformiter, actionem eandem aut præcipienti, aut vetanti: ideoque, si constiterit, Adamum eguisse influxu & concursu Dei ad comestionem, certam in genere naturæ speciem actionis, ante interdictum Dei, quî fieri potest, ut non indiguerit eodem influxu & concursu Dei ad comestionem eandem, ut est species actionis in genere naturæ, post interdictum Dei? Ergo Deus, non tantum movet in genere, sed & in specie atque etiam in individuo, ad agendum hunc actum naturalem, particularem, singularem. Quod si verum est, ut verum esse demonstravimus & nunc & alias, infero ergo: Ergo Deus nullo modo determinatur passive à causa secunda, dum eam præmovet ad actum, non tantum, in genere, sed & in specie, atque in individuo, in genere natutæ, verum ipse determinat active causam secundam; nam ista præmotio, iste influxus in causam secundam, est ipsa Dei, causam secundam prædeterminantis, prædeterminatio: tantum abest, ut ejus influxus passive determinetur ab ipsa causa secunda.

VI. Verum enim vero, nec Deus determinatur in concursu suo passive à causa secunda, ratione ejus, quod influat in actionem ipsam causæ secundæ: quod fuit membrum posterius *th.* 4. & sic probo contra omnes illos, qui in concursu simultaneo concurrentis Dei & causæ secundæ existimant aliquid esse in concursu Dei, quod determinetur à concursu creaturæ. Si concursus actualis Dei, ac simultaneus, determinatur ab actione causæ secundæ concurrentis, ergo actio causæ secundæ prior erit, non quidem tempore, sed natura saltem, ipso concursu Dei simultaneo, quia determinans prius natura est determinato. Atqui actio causæ secundæ non est prior, ne natura quidem, concursu Dei simultaneo, quia una eademque est actio concurrentium, Dei & creatutæ, qua v. c. ambo concurrunt ad ambulationem, ac proinde una non est prior altera; consequenter, non potest actio causæ primæ

primæ determinati ab actione causæ secundæ. Quod non sint duæ actiones, sed una eademque actio, concursus Dei & creaturæ, licet ratione agentium, à quibus proficiscuntur, diversæ concipiantur, alias & alibi fuit demonstratum. Cette actio sumit distinctionem à termino; est enim via & motus ad terminum: ac proinde, ubi fuerit unus & idem terminus, uti est hic in concursu Dei & creatura, una tantum est actio.

VII. Sed, quærat aliquis, *si concursus Dei simultaneus non determinetur à concursu creaturæ, an ergo concursus creaturæ determinetur à concursu simultaneo Dei? quemadmodum ostendimus, creaturam determinari ad agendum active à concursu Dei prævio, an non pariter eam determinet, cum influit non tantum in potentiam ejus agendi, sed in actionem ipsam?* Resp. Nullo modo: & fictitia tantum est determinatio, quæ statuitur à quibusdam, qua Deus concurrendo concursu simultaneo creaturam dicitur determinare: Nam par est utriusque concursus & divini & humani, simultanei ratio, quia una eademque est actio Dei & creaturæ concurrentium; &, uti in ista actione creatura non determinat Deum, ita nec Deus determinat creaturam actuali & simultanea cooperatione, quia neutrum hîc altero prius est: probo vero, ratione concursus simultanei, Deum non determinare causas secundas ad agendum. Concurrere & cooperari, aut simul agere cum aliquo ad producendum effectum, non est, determinate agens illud: nam, & creatura concurrit cum Deo, nec tamen determinat Deum, ut statim vidimus, ergo nec Deus simul concurrens cum creatura operante, eam ad operandum determinat: nam concursus simultaneus, nihil dicit aliud, quam, alio producente, illum effectum simul comproducere: sed hoc non est, determinare: quemadmodum, cum duo homines eundem lapidem volvunt, aut duo equi simul idem plaustrum, aut eandem navem, trahunt, uterque cum altero concurrit, sed neuter, vel hominum, vel equorum, alterum determinat: sic nec Deus simul cooperans cum creatura, istac actione creaturam determinat, multo minus creatura Deum. Ergo, ut omnia concludam uno verbo, Deus nullo modo determinatur in agendo à creatura, nec Metaphysice seu Logice, nec Physice, nec active nec passive, sed ipse concursu prævio active determinat creaturam ad agendum, & in genere, & in specie, & in individuo. Itaque, concursus Dei cum nullo modo determinari possit, contrahi, limitari, non est indifferens, universalis, indeterminatus, contrahibilis; sed est determinatus & determinans, particularis, restrictus, quod erat demonstrandum.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

VIGESIMA-SECUNDA.

DE CAUSÆ EFFICIENTIS DIVISIONE IN PROXIMAM ET REMOTAM, TOTALEM ET PARTIALEM.

THESIS I.

OCcupavimus nos aliquot *disp.* in explicanda divisione Causæ Efficientis in primam & secundam, sed præter hanc & ante explicatas, dividitur illa quoque in *Proximam & Remotam.. Proxima est, qua producit effectum immediate. Remota est, qua producit effectum media causa propinquiore.* Quæ utraque definitio, quo sensu sit intelligenda, seq. thesi sic explicamus.

II. Quando causa proxima dicitur *immediate* producere effectum, vel intelligitur hoc sic, ut nihil omnino interveniat inter ipsam

& effectum, nec causa alia, sive ejusdem, sive diversi, ordinis, nec virtus ulla, nec conditio ad causandum requisita, sed quæ ipsa sua existentia effecto conjungitur, ac sic illud attingit, quæ est *causa absolute proxima*; vel intelligitur illud *immediate*, sic, ut inter causam proximam & effectum non interveniat causa alia ejusdem ordinis & speciei, licet intervenire possit causa media diversi ordinis & speciei, licet & interveniat media virtus seu causalitas, licet interveniat media conditio ad agendum requisita, quæ est debita approximatio agentis ad patiens, & hæc est *causa efficiens proxima in suo genere*, ac posteriore hoc sensu, *causa proxima* propriè hic sumitur cum opponitur remotæ, ut *remota* dicatur impræsentiarum, quæ producit effectum, mediâ, non tantum virtute, quomodo opponitur causæ *absolute proximæ*, sed & mediâ causâ aliâ, non tantum diversi ordinis & speciei, sed & ejusdem ordinis & speciei, quo modo opponitur causæ *proximæ in suo genere*; &, hæc remota causa, *neque existentia*, ut causa absolute proxima, *neque virtute*, ut proxima in suo genere, cum effecto conjuncta est, & neutro illud attingit modo. In exemplo res utrimque est manifesta. Causa absolute proxima est emanativa omnis: ignis respectu caloris, qui est in se; anima rationalis respectu risibilitatis, & forma omnis substantialis respectu proprietatum, quia inter ignem, ut causam, & calorem suum, ut effectum, nihil intercedit medium, nec causa ulla, nec virtus ulla vel causalitas, nec condirio ad agendum requisita, quin, ignis sua existentia effecto conjungitur, quia sua existentia calorem suum intra se producit, ut emanativa omnis: pariter se res habet in anima rationali respectu risibilitatis, & forma qualibet substantiali respectu suæ proprietatis. Ignis quoque est causa proxima caloris externi extra se producti in alio, pater liberorum, non absolute; nam inter causam uttamque & effectum intercedit media virtus, & approximatio agentis ad patiens, quin intercedit media causa, sed altetius ordinis, quæ nihil impedit, quo minus sua virtute effectum attingat causa utraque, & proxima dici possit, sed in suo genere, non vero absolute; inter ignem enim & calorem exrra se productum interceditmedia calefactio & calor ignis internus, inter patrem & filium semen; at calor ignis internus & semen, altetius sunt ordinis & speciei causæ efficientes, nimirum instrumentales, quam ipse ignis & pater, qui sunt principales, & quia calor internus ignis & semen sunt instrumenta quoad existentiam & activitatem causis principalibus conjuncta, censentut una eademque causa cum causis principalibus, nihilque impediunt, quo minus causa principalis utrobique dici possit proxima, licet interveniant hæc ut instrumenta: At causa remota est avus respectu neporis, qui producitur, quia hîc inter avum & nepotem intercedit alia causa media principalis ejusdem ordinis & speciei cum avo, nimirum pater. Duplex ergo est oppositio inter causam proximam & remotam: nam, si causa proxima sumatur pro ea, inter quam & causatum nihil plane intercedit medium, ne quidem virtus ulla, jam etiam illa, quæ dicitur causa proxima in suo genere, remota erit, utpote inter quam & effectum media intercedit virtus; sed si causa proxima sumatur pro ea, inter quam & effectum non intercedit ejusdem ordinis & speciei causa efficiens, jam illa tantum remota erit, inter quam & effectum alia ejusdem ordinis & speciei causa intercedit, quo pacto nos causam Remotam definivimus.

III. Causa absolute proxima semper tantum est unica in uno effecto: estque, vel in eodem subjecto, in quo est effectum, vel non est: si sit, vocatur interna; si non sit, externa. Quia anima rationalis, causa proxima absolute, risibilitatis, effecti, est in eodem homine, in quo est risibilitas, est causa absolute proxima, interna: sed interpositio terræ inter Solem & Lunam; quia non est in ipsa Luna, in qua est effectum ejus, tanquam causæ absolute proximæ, dicitur causa absolute proxima, externa.

IV. *Causa efficiens alia quoque est totalis, alia partialis. Totalis est, qua per se sola in suo ordine & specie totum effectum producit*; ut ignis est causa totalis producendi alium ignem, quia non indiget alia causa efficiente particulati,

lari, principali, i. e. sui ordinis & speciei causa ad alium ignem producendum, licet indigeat cælo, ut causa universali, quæ est alterius ordinis & speciei oppositæ, licet indigeat materia, diversi generis causa, licet indigeat calore, ut instrumento, alterius quoque speciei causa. Partialis, *quæ per se sola in sua specie & ordine totum effectum producere nequit, sed quæ jungi debet causis aliis & sociis ejusdem ordinis ac speciei, atque unaquæque ex parte tantum causatum producit*: ut sunt duo homines portantes idem pondus, ad quod neuter est sufficiens. De hac utraque causa quæri solet, *An plures causæ efficientes, seu totales, seu partiales seu ejusdem speciei, seu diversæ, conjungi possint in effecti ejusdem productione?* Quæ quæstio quia est ardua, & peculiarem habet usum in Theologicis, circa quæstionem, *An Deus & homo sint causæ sociæ & conjunctæ in hominis conversione, quin & in omni bono opere?* per distinctos meretur decidi paragraphos.

V. §. 1. *Possunt sociæ esse & conjunctæ causæ plures efficientes ejusdem effecti & ad id producendum concurrere, ejusdem ordinis & speciei, sed partiales.* Idem numero filius à patre procreatur & matre simul, ut causis efficientibus particularibus, partialibus: idem pondus trahitur à duobus equis, causis pariter talibus: neutrobique enim una causa sine altera sufficit ad effectum utrobique producendum, & sunt utrimque ejusdem ordinis & speciei causæ. Notandum autem est, has causas semper esse coordinatas, non subordinatas, quia neque quoad existentiam, neque quoad causalitatem, neque quoad utrumque, una causa dependet ab altera, nec parens à parente, nec equus ab equo, sed uterque existentiam & causalitatem possidet neutri mutuo debitam.

VI. §. 2. *Possunt esse plures causæ efficientes sociæ & conjunctæ & concurrere ad ejusdem effecti productionem, diversi ordinis, sed totales.* Possunt ad idem effectum concurrere causæ efficientes, v. c. superiores & inferiores, universales & particulares, principales & instrumentales, proximæ & remotæ, aliæ aliis semper subordinatæ, omnes tamen totales, quia singulæ in sua specie, sine auxilio alterius causæ ejusdem speciei, totum producunt effectum: sic scriptio tota est à calamo, & tota à scriptore, solus enim calamus, ut instrumentum artificiale, scribit; & solus scriptor, ut causa principalis, scribit, & calamus scriptori subordinatur, quia quoad causalitatem, ut scribat calamus, à scriptore dependet. Habet hæc res insignem usum in concursu divino explicando, quando quæri solet: An Deus & homo concurrant ad eosdem actus, naturales, morales, imo & supernaturales, ut causæ partiales & ejusdem ordinis, an ut causæ totales & diversi ordinis; aut, an concurrant, ut causæ coordinatæ, quod volunt *Iesuitæ & Remonstrantes Philosophi*, an vero ut subordinatæ, quod volunt *Thomistæ* & quicunque sincerius philosophantur, & nos adstruximus *disp. de concursu Dei*, hoc & priori *select. Disp.* volumine habitis?

VII. §. 3. *Non possunt plures causæ totales ejusdem ordinis sociæ & conjunctæ concurrere ad idem effectum.* Quod ita verum esse censent *Thomistæ*, contradictionem ut implicet illis, idem numero effectum produci simul à duabus causis totalibus ejusdem ordinis inter se conjunctis, atque adeo non tantum naturaliter id impossibile, sed & supernaturaliter, esse asseverent. Ratio certe desumta ex vi definitionis, qua definitur causa totalis, id fieri non posse clare evincit: nam causa totalis est, quæ sola in sua specie & ordine totum effectum producit. Si ergo plures causæ totales in eadem specie concurrerent ad ejusdem effecti productionem; vel cæteræ omnino nihil causarent, quia una sufficeret; vel, si cæteræ causent, frustra causabunt; agent enim quod est actum, producent id, quod est productum, efficient effectum, quod nunc est, quia, ut esset, una solum causa totalis sufficiebat, quæ cooperatur; at natura nihil facit frustra. Deinde, si plures concurrerent causæ totales ejusdem speciei ad idem numero effectum producendum, plures etiam erunt actiones totales: illis enim multiplicatis & hæ multiplicarentur. At hoc fieri non potest: unus enim numero effectus fieri non potest, nisi per unam numero actionem totalem, quia actio est via ad effectum, seu effectum in fieri: ideoque unum numero effectum postulat

ſtulat tantum unum numero influxum ex natura ſua & unam tantum ex ſe actionem, per quam fiat; nam eſſe unum poſtulat tantum unum fieri adæquatum. Quod ſi ergo non poſſunt eſſe plures actiones totales, quibus unum numero effectum producatur, Ergo nec poſſunt eſſe plures numero cauſæ totales ejuſdem ordinis, quod erat demonſtrandum.

Diſputationum ex Philoſophiâ ſelectarum,

Voluminis Secundi,

VIGESIMA-TERTIA.

DE

CAUSA FINALI.

THESIS I.

PLacet impræſentiarum Philoſophicam *de Cauſa Finali* inſtituere ventilationem. *De Cauſa* dicimus *Finali*, & *non de fine*, ut ambiguitatem evitemus, qua finis interdum ſignificat extremum aut terminum quemvis, ſeu magnitudinis, ſeu durationis, interdum extremum aut terminum perfectum, bonum, atque adeo cauſam finalem. Hoc ſenſu *finem* definimus, *Cauſam externam, propter quam ſeu cujus gratia res eſt: vel, quæ cauſam efficientem impellit ad agendum, adeoque ad conſecutionem ſui.* Quæ definitio ut tanto intelligatur clarius, hæc quatuor jam nunc diſcutiemus. 1. *Quanam ſit ratio formalis, ſecundum quam finis cauſat?* 2. *Quanam ſit conditio ad finalizandum, barbare, ſeu ad cauſandum in fine requiſita?* 3. *Quanam ſit ipſa finis cauſalitas?* 4. *Quodnam ſit cauſatum finis?*

II. Quod ſpectat *rationem formalem*, ſecundum quam finis cauſat, ea eſt, uno verbo, *bonitas:* finis enim omnis, ſeu ultimus, ſeu ſubordinatus, bonus eſt, vel per ſe, vel per aliud: omne autem ens poteſt induere aliquam rationem finis, quia omne ens aliquam bonitatem habet. *Bonitas ergo formalis ratio* eſt cauſæ finalis, ſive ea ſit vera, ſive apparens: non enim omnis finis ſemper revera bonus eſt; ſemper tamen bonus, ſi non revera, ſaltem apparenter. Ratio hujus rei hæc eſt. Quod finaliter cauſat, id amari debet atque appeti: appetitus autem objectum, bonum eſt, aut verum, aut apparens: nemo enim, intendens ad malum, operatur, & malum, qua malum, appeti non poteſt, uti habent axiomata vulgata. Cum ergo malum non poſſit appeti, non poteſt exercere cauſalitatem finalem, ideoque nullum malum formaliter ſumptum, qua tale, poteſt eſſe finis; quamvis mala multa, materialiter ſumta, id eſt, res, quæ malæ ſunt, finis rationem habere poſſint, non tamen, quatenus ſunt malæ, ſed quatenus habent rationem boni: ita, explere libidinem, poſſidere bona aliena, res ſunt malæ, & tamen fines ſunt, libidinoſi & avari; ſed vero res malæ, non ut tales, ſed ut bonæ, ab iis conſiderantur. Finis ergo & bonum ſunt idem, id eſt, eadem res eſt finis & bonum; diſtinguuntur tamen formaliter, quatenus eſt alia definitio & ratio formalis, *Scotus* diceret, formalitas boni, alia finis.

III. Nunc ſecundum ac tertium ſimul videamus, nimirum: *Quanam conditio requiratur ut finis cauſet? & quanam ejus ſit cauſalitas?* Ut hoc utrumque explicemus, obſervandum eſt, finem conſiderari poſſe dupliciter, vel ut intentum, vel ut obtentum: ut enim bonum conſiderari poteſt, vel in quantum intenditur & necdum exiſtit, vel in quantum obtinetur & exiſtit, ita quoque finis conſiderari poteſt, vel in intentione, vel in executione. Finis conſideratus in executione, prout jam productus eſt, & actu exiſtit, effectum eſt, ut ſanitas, in aliquo, qui ægrotus fuit: & ſic de eo, ut effectum eſt, hic non agimus; ſed, in quan-

quantum causa est, eum hic consideramus; est autem causa, in quantum est in intentione: sic autem consideratus finis, in quantum est in intentione, prout intenditur à mente, duplex quasi esse habet, unum in se & à se, alterum in mente & à mente: prius esse, quod scilicet sanitas intenta à mente, ut finis, in se habet, solent Scholastici vocare esse reale possibile, quia possibile est, ut sanitas, quæ nondum actu existit, actu existat, &, licet nondum existat, habet tamen esse reale, quia, ut rosa quæ jam non existit, habet tamen esse reale & verum, illud sc. quod definitione exprimitur, sic & sanitas: ens enim in potentia tam est ens reale, quam ens in actu, quia tam definiri potest illud, quam hoc: esse vero seu essentia nihil est aliud, quam id quod definitione exprimitur. Quodcunque ergo vere definiri potest, id habet esse reale ac verum: sanitas nondum acquisita, sed intenta adhuc seu ut finis in intentione, definiri potest: ergo sic quoque habet esse reale ac verum; possibile tamen, non actuale: at esse possibile est esse, uti ens in potentia ens quoque est. Jam vero hoc modo movet & causat causa finalis. Quod vero motio causæ finalis ab ente in potentia possit oriri, patet in simili exemplo desumto à cognitione nostra: movent enim intellectum etiam ea, quæ adhuc in causis suis latent. Cur non & appetitum ea movere possint? Et hoc quidem est prius esse, quod finis in intentione consideratus habet in se & à se, sc. reale possibile. Sed deinde habet etiam finis in intentione consideratus, esse aliquod in mente & à mente, quod Scholastici vocant esse intelligibile, seu esse cognitum. Hoc esse intelligibile seu cognitum est conditio necessaria, ad exercendam causalitatem finalem requisita: sicuti ad causalitatem efficientis necessaria est passi propinquitas, seu debita approximatio agentis ad patiens, ita ad causalitatem finalem necessarium est, ut finis ejusque bonitas cognoscatur: quia autem hæc cognitio diversas rationes formales appetitui proponit, pro ejus varietate varie movetur appetitus; unde sequitur, hanc finis notitiam, non esse speculativam, sed practicam; imo illud ipsum est dictamen intellectus practici, à quo voluntas seu appetitus determinatur. *Hoc* igitur *esse cognitum seu intelligibile, est conditio sine qua non in fine ad causandum requisita.*

IV. *Causalitas finis consistit in motione metaphorica*, seu *in amore, quo agens fertur in finem, ex injecto finis desiderio.* Sed enim hoc paulo clarius est dicendum. Quando finis, sub ratione boni propositus agenti, desiderium sui in illo excitat, atque ad se agentem allicit, dicitur agentem movere metaphorice, non quia illa motio non sit vera motio aut non sit realis, sed quia non est physica: quod enim est ens in potentia, id actionem physicam edere nequit, motus enim physicus fit à movente actu existente; ideoque actio, qua movet finis, cum sit entis existentis in potentia, non potest esse physica, atque ob eam causam dicitur metaphorica. Debet vero hæc motio metaphorica intelligi in actu secundo, i. e. ita ut voluntas actu moveatur: ex quo sequitur, quod hæc motio simul sit & causalitas finis & effectum voluntatis: neque hoc est absurdum: nam & actio & passio, licet sint unus idemque motus, diversæ tamen sunt causalitates, actio, efficientis, passio, materiæ. Neque tamen dicendum est, quod nonnulli ex *Scholasticis* dixere, idcirco finem causare secundum esse intelligibile, quasi causalitas finis in esse intelligibili consistat: minime gentium: hactenus tantum admitti debet illa propositio, quando finem dicunt, causare in esse intelligibili, quatenus res illa, quæ causalitatem finalem exercet, eam exercere non potest, nisi accedat hæc conditio, ut cognoscatur vel apprehendatur ac potius judicetur à *mente agentis*. *Quod* vero ipsa *causalitas finis non consistat in hoc esse intelligibili*, seu, *quod finis non sit causa in esse cognito vel intentionali*, facile probari potest.

V. 1. Finis, qui movet, proponitur nobis, ut acquirendus. At finis, secundum esse intelligibile seu intentionale, præsens est & non proponitur acquirendus. Ergo secundum esse intelligibile non movet. 2. Finis in executione retinet esse intelligibile & tamen desiit causare, ergo causalitas finis non est ipsum ejus esse intelligibile, quia alioqui manente isto esse intelligibili, tanquam causalitate,

maneret finis, tanquam causa. At manet esse intelligibile in fine in executione: finis in executione non est causa. Ergo &c. 3. Voluntas non intendit finem consequi in esse intelligibili, sed in esse reali, ergo non movet secundum esse intelligibile, sed secundum esse reale. Confirmatur hoc argumentum. Finis est tale quid, ut propter illud res seu causatum sit & sic alliciat agens. At propter illud esse intelligibile res non est, nec ista cognitio finis allicit agens, sed vero esse reale possibile ipsius finis cogniti. Solent alii hanc rationem sic instituere. Cujus præsentia desiderium nostrum impletur, ejus, absentia ad concupiscendum incitatur. Sed non adimpletur animus noster præsentia finis intentionalis. Ergo neque incitatur animus absentia finis intentionalis. Ergo finis sic non movet. Exemplo rem declaremus. Medicum movet sanitas ægroti, ut medicinam faciat: sed quæ? non intentionalis sane, sed realis. Non prodest ægroto sanitas intentionalis, id est, cognitio sanitatis, sed sanitas realis cognita, & huic restitui cupit, non alteri: hæc, ut possibilis, movet eum ad remedia adhibenda, hæc acquisita voluntatem satiat, non vero intentionalis sanitas aut cognitio sanitatis. Quod si aliquando alicujus objecti cognitionem appetimus sub ratione finis, veluti, cum desideramus videre Deum, cognitio tum spectatur secundum esse reale: secundum quod appetitur.

VI. Quartum restat explicandum *quodnam sit causatum finis?* Resp. uno verbo, *media:* quatenus hæc vox *actiones* quoque *circa media* complectitur. Quia vero vis causæ finalis clarius dignoscitur in creatura rationali, hominem adhibebimus pro exemplo, in quo *causatum finis* declaremus. Notum est, in homine duûm generum actiones repetiri, elicitas & imperatas: imperatæ actiones mediate tantum à fine causantur, intervento nempe actionum elicitarum. Actiones elicitæ, vel circa finem sunt, vel circa media. Circa finem, velleitas, intentio, fruitio. Circa media, consultatio, electio, imperium. Actiones circa media, sine dubio à fine causantur; omnes enim ex intentione finis proficiscuntur, & in finem ditiguntur. Actiones immediate circa finem occupatæ, à fine quidem proficiscuntur, non tamen ut à causa finali, sed ut ab objecto exercente causalitatem causæ efficientis procatarcticæ. Finis enim non causat finaliter, nisi in intentione. At velleitas intentionem etiam præcedit: deinde intentio non potest esse causa sui ipsius, i. e. finis intentus non potest causare intentionem: denique, fruitio versatur circa finem in executione, ita ut habeat potius rationem effecti, & finis rationem objecti, non moventis, sed terminantis. Causatum ergo *finis* proprie etunt *media & actiones circa media.*

VII. *Finis* causat media, nec causat solummodo, sed *dat illa bonitatem, mensuram, & ordinem. Dat mediis bonitatem finis,* quia nulla nobis appetuntur media, ut in se bona, aut propter se, aut ratione sui, sed bonitatem suam derivant à fine, & propter hunc expetuntur; quemadmodum, quod Rhabarbarum nobis bonum sit, & à nobis expetatur, ideo est, quia conveniens nobis est, & expetitur sanitas, ad quam acquirendam conducit, absque qua si foret, omnes Rhabarbarum averteremur, nec ut bonum appeteremus: deinde finis etiam ordinem ponit mediis ac mensuram; quemadmodum Medicus non quolibet pondere, sed certa dosi ac mensura, exhibet medicamenta, & suo ordine varia pro ratione ægri præscribit, ita tota illa præscriptio & exhibitio medicamentorum, ut mediorum, causatur à sanitate ægro restituenda, ut fine. Unum hic notandum venit, cum dicunt Philosophi, *media accipere bonitatem à fine*, non esse hoc intelligendum de bonitate morali aut honestate, quasi finis, si moraliter bonus sit aut honestus, faciat media quoque esse talia, sed intelligitur sic, quod medium; ut sic, in se, per se, propter se, non sit expetibile agenti, nec ab eo ametur; sed quod ab agente habeatur pro bono, diligatur, atque expetatur, inde est, quod sit utile ac conducibile ad finem assequendum, quem agens expetit.

Disputa-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

VIGESIMA-QUARTA.

DE

CAUSA FINALI.

THESIS I.

CAusa Finalis in causando *rationem formalem, conditionem requisitam, causalitatem,* & denique *causatum,* exposuit disputatio præcedens: hæc exponet, *quænam agentia, & quomodo propter finem agant.* Resp. uno verbo, omnia agentia, quæcunque tandem, agunt propter finem, sed non eodem modo. Atque hîc sese jucundissima offert contemplandi materia, & multa hîc sunt, quæ in pleniorem notitiam, tum Dei, tum nostri, nos adducant. Quare operæ fuerit, paulo plenius hoc totum negotium ob oculos ponere.

II. §. 1. *Res omnes naturales agunt propter finem, aut potius aguntur ad finem, quatenus à Deo diriguntur ad finem singulis præfixum.* Per *res naturales* intelligo res inanimatas & animatas anima vegetante, & oppono res naturales rebus animatis anima sentiente aut rationali, seu agentibus cum cognitione, aut sensuali, aut intellectiva: & sic, *res naturales* voco, corpora naturalia, tam simplicia, quam mixta; tam inanimata, quam animata non sentientia, ut sunt plantæ. De quibus omnibus si quis dubitet, an etiam revera propter finem agant, eum remitto ad ordinem rerum pulcherrimum, & varias actionum vicissitudines, certasque leges à quibus in agendo non recedunt: agunt enim, tum res inanimatæ tum plantæ, uno eodemque modo, singulæ, & pro incolumitate sua summo studio pugnant. Et, cum conscia sint sui interitus, cui singularia sunt obnoxia, in specie sua æternitatem quandam consequi annituntur, & magis de universi quam de sui ipsius salute sollicitæ esse videntur, quia quasi noverunt ex universi corruptione majus malum secuturum esse. Quis vero adduci poterit, ut credat, ista omnia fortuito fieri & temere, ac non potius statuat, hæc omnia agentia vel maxime propter finem agere. Hæc ut certa sunt, ita pulcherrima de iis oritur dubitatio. Diximus enim *Disp. præced. ut causalitatem finis exerceat,* necessariam esse conditionem τὸ esse intelligibile, finis, seu, *necessario intercedere cognitionem practicam finis. At rebus naturalibus, tum inanimatis, tum plantis, finem suum cognoscere, non est datum. Ergo non agunt propter finem.* R. Verum est, in iis rebus ipsis nullam esse cognitionem finis, non tamen agunt sine prævia, imo perfectissima, cognitione finis, quæ, utcunque non proficiscatur ab ipsis, proficiscitur tamen ab ente perfectissimo, à quo diriguntur: hactenus enim res naturales propter finem agunt, quatenus ad finem à Deo sibi præfixum tendunt, ex Supremi Numinis ordinatione ac directione. Et hæc est pulcherrima speculatio, qua ad Dei ipsius cognitionem adscendimus. Enimvero, cum causa naturalis (loquor de rebus inanimatis ac plantis) finem suum non cognoscat, & tamen neque frustra neque temere agat, necessum est, naturam quandam dari superiorem, quæ naturam in actionibus suis recte informet, & ad optatum finem deducat. Hæc causa nequit alia esse, quam quæ infinita virtute sit instructa, & summa sapientia prædita. Quomodo enim alioqui tam pulchram, tam constantem rerum varietatem, adeo artificiose digessisset, & constanti adhuc lege conservaret. Fateri cogimur, quod sapientissimi artificis manus hæc omnia formaverit, atque etiamnum ad fines à se præstitutos res naturales cognitionis expertes ducat ac dirigat: Ita Dei providentia, ex hac *de fine* Philosophia, innotescit. Quisquis ita philosophatur, ut Deum, Deique Attributa, proprietates, & operationes,

ex Philosophia, quantum fieri potest lumine naturæ, cognoscat, is demum vere ac sobrie philosophatur, & ex Philosophia animi veram voluptatem capit, nam Dei cognitio nostra est perfectio: A quo fine quam longe abeat Philosophandi consuetudo, in vanis tantum & infrugiferis ac barbaris quæstionibus constituta, boni; & qui veritatem vere amant & sectantur, omnes vident & deplorant. Sed querelæ isti non est nunc locus. *A rebus naturalibus & plantis*, quæ propter finem agunt ex prævia cognitione & directione Dei, *transeo ad* ea agentia, quæ agunt ex propria cognitione finis; atque hic primum occurrunt *Bruta*.

III. §. 2. *Bruta propter finem agunt perfectius, quam res naturales, quia ipsa finem cognoscunt, id est, cognoscunt rem istam, quæ est finis, cognoscunt hoc bonum quod est finis, non tamen cognoscunt finem quatenus est finis*; qui modus agendi propter finem soli agenti rationali convenit. Bruta ergo animantia adhuc imperfecte agunt propter finem, ac perfectam causalitatem agendi propter finem causæ etiam debent primæ, quæ concurrit cum fine ad ejus causalitatem exercendam, & à qua diriguntur non minus quam res naturales inanimatæ & plantæ: cognoscunt Bruta bonitatem quidem objecti, sed non cognoscunt rationem finis: finis autem causalitas, & propria ejus motio, hoc exigit, ut bonitas mediorum cum fine conferatur, & ut ope discursus media ad finem referantur: hoc autem in Bruta animantia, quia ratione carent, non cadit: ideoque motio & causalitas finis in iis quodammodo imperfecta est, & à prima causa perficitur: hinc est, quod Bruta animantia ad unum eundemque finem, eodem modo, naturali instinctu, tendant, nec cum deliberatione aliqua agant, sed quodam naturæ impetu, quem iis indidit Supremum Numen, in appetendo fine gubernentur ac dirigantur.

IV. §. 3. *Creatura rationalis sola à fine perfecte movetur, quia ratione est prædita, & per hanc intelligit bonitatem finis, non simpliciter sed novit insuper discernere inter bonitatem finis ac mediorum, & dijudicare habitudinem mediorum ad finem.* Soli homini datum est, de mediis deliberare, &, si una via res non processerit, alia ratione ad finem pervenire, juxta Terentianum illud, hac non processit, alia aggrediemur via: & hoc maxime facit ad nostri notitiam (quæ præter notitiam Dei est altera pars fœlicitatis humanæ in hac vita) ut recte perpendamus, quantum nobis concesserit naturæ author Deus, præ brutis & rebus inanimatis ac plantis, qui finem cognoscimus & nobis proponimus, & media ad finem ipsi dirigimus, postquam deliberavimus & decrevimus, quænam media ad finem obtinendum maxime conducant. Scholastici barbaris suis terminis hoc totum negotium sic solent Efferre. Res inanimes & plantæ agunt propter finem virtualiter, id est, in virtute Dei dirigentis, Bruta materialiter, i. e. agunt propter rem à se cognitam, quæ est finis, Homines formaliter, i. e. agunt propter rem cognitam à se, non tantum, quæ est finis, sed & cognitam, qua est finis.

V. §. 4. *Inter Creaturas omnium perfectissime propter finem agunt Angeli, quia omnium perfectissime cognoscunt finem:* Neque hoc ulteriori explicatione eget, quia satis est notum.

VI. §. 5. *Deus, uti infinitis parasangis superior est omnibus creaturis, ita modo eminentissimo agit propter finem, non qui extra se sit, uti agunt propter finem creaturæ, sed qui ipse sit sibi.* Sed hoc negotium explicari meretur. Duûm generum actiones sunt considerandæ in Deo, immanentes & transeuntes. Actiones immanentes Dei non sunt ullo modo propter finem, quia sunt ipsa essentia divina: quatenus autem actiones Dei immanentes libere tendunt in creaturas, nullam quoque habent entitatem distinctam ab essentia divina, ac proinde, nec ab efficiente, nec à fine causantur. Cum ergo Deus dicitur amare creaturas propter se ipsum, non est hoc sic intelligendum, quasi Deus amore sui ipsius moveretur ad amorem creaturarum, sed quod amor sui ipsius sit ratio amandi creaturas. Quod attinet operationes transeuntes Dei, illæ à fine recte causari dicuntur: atque hoc sensu recte dicitur Deus fecisse omnia propter semetipsum: nam cum actiones hæ externæ ponant distinctam aliquam entitatem in creaturis, diversam ab essentia

essentia divina, necesse est, ut efficientem causam habeant, proinde & finem.

VII. Quærat hîc aliquis. *An Deus moveatur à fine?* R. Non est hoc de ratione finis in genere, ut moveat efficientem, sed hoc tantum est de ratione finis creaturarum, quæ se non possunt ad agendum applicare nisi per realem motionem, & mutationem, & causalitatem proprie dictam: Deus autem, qui sine ulla sui mutatione, sine dependentia aut causalitate, modo quodam eminentissimo ac perfectissimo, ad agendum se applicat, agere potest propter finem, etsi ipse à fine non moveatur. Causalitas ergo finis in Deo respectu actionum & effectuum ad extra, ut loquuntur, consistit in eo, quod amore suæ bonitatis effectum producat extra se. Et hoc sensu capiendum est hoc; Deus omnia fecit propter se: Nam Deus omnia fecit propter aliquid: atqui extra Deum nihil erat, nisi ipse: fecit ergo omnia propter se, non quod istis, quæ fecit, indigeret, (sic enim proprie moveretur à fine instar hominum) sed ut rebus istis, quas fecit, suam bonitatem impertiret: quod Scholastici enunciarunt hoc modo; Deus omnia fecit propter finem, non indigentiæ, sed assimilationis, qui est, quo agit quis, non ut sibi commodum quærat, sed ut bene aliis faciat, quæ sunt extra se, rebus. Ita Deus nihil sibi quærit ex eo, si quid faciat: quid enim ipsi accedere possit, qui est perfectissimus? sed, si quid facit, id facit, ut bene faciendo cognoscatur, non gratia sui; nam sive Deus cognoscatur, sive non agnoscatur à nobis, nihil inde commodi ad eum redit, sed ut agnoscatur gratia nostri & bono nostro.

VIII. Receptum est & maximi usus Axioma de fine. *Finis, quo posterior est in executione, eo prior est in intentione, & contra.* Ratio axiomatis est, quia sese habent plene contrario ordine rerum intentio & executio: nam intentio oritur à maxima perfectione, & executio in maximam perfectionem desinit: maximam perfectionem appello, tantam, quanta ab efficiente causa obtineri potest, & consentaneum est, ut obtineatur. Huic axiomati affine est illud. *Finis est prior in intentione quam media.* Ratio est, quia media sunt propter finem & non finis propter media: unde quoque sequitur, decretum de fine prius esse decreto de mediis. Qui hæc duo axiomata bene intellexerit, non facile errabit in explicanda Prædestinatione, neque eam fidei aut operibus prævisis adscribet; quia enim salus & vita æterna est posterior in executione, quam fides & bona opera, debuit illa esse prior in intentione. Quotiescunque ergo quæritur, *Vtrum Deus ex eo nos elegerit ad vitam æternam, quia crediturí eramus & in fide perseveraturi: an vero ex eo, quia nos elegit ad vitam æternam, elegerit nos quoque ad fidem & perseverantiam in fide?* facile videt unusquisque, quid sit respondendum; sc. *posterius dicendum est, & non prius.* Ratio est ex hoc axiomate, *quia finis prior est in intentione quam media, & finem prius volumus quam media, quia propter finem media volumus.* At vero vitæ & æternæ & salutis consequendæ sunt media, fides & perseverantia in fide: ergo prius vult & decernit Deus vitam & salutem æternam, ut finem, cum eligit, ac tum vult & decernit fidem & perseverantiam in ea conferre, ut media; prout nos homines, secundum varia instantia rationis, ordinem Decretorum divinorum digerimus.

IX. Objiciunt Adversarii adversus axiomata posita. *Vti quid Deus facit in tempore, ita ab æterno decrevit. Atqui vitam dat æternam in tempore, nec dat, nisi prius credant. Ergo ita decrevit, sc. prius dare fidem & tum dare vitam æternam.* Resp. 1. *in genere*, esse ignorationem elenchi: neque enim hæc quæstio est; Utrum Deus decreverit credentibus (de adultis loquimur) vitam æternam conferre: sed hoc est in quæstione, Anne Deus propterea voluerit vitam æternam ac decreverit, quia crediturí eramus, an vero voluerit nos credere & fidem decreverit, quia vitam æternam daturus erat. Nos posterius asserimus, Adversarii prius. 2. *In specie*, ad majorem. Verba ista; *Vti Deus ab æterno decrevit facere, ita in tempore facit, vel contra*, duplicem sensum admittere possunt; vel hunc, quo ordine Deus decrevit res ab æterno, eo etiam ordine facit in tempore; vel hunc, quas ab æterno res decrevit facere & quales, has facit in tempore & tales; ita ut prior sensus accipiatur de ordine quo Deus

vult & decernit quædam ab æterno, posterior sensus accipiatur de natura rerum volitarum & decretarum, de earum qualitatibus & circumstantiis: prior sensus admitti non potest, quia sic Deus prius finem exequeretur, & postea media, prius enim decernit finem quam media: at hoc ne in homines quidem cadit, nedum in sapientissimum Deum: non enim homines, quod prius decernunt, prius executioni mandant. Decerno Amicum invisere, qui est Hagæ, tum decerno media, quibus hunc finem obtinere valeam, currum conscendere aut navem &c. sed non, ut prius decerno Amicum invisere, post currum conscendere aut navem, ita ago aut exequor; nec enim prius Amicum invisо, & tum currum aut navem conscendo, sed contra, quod in decernendo postremum est ordine mihi, primum est in executione, & quod in decernendo est primum, est postremum in exequendo: ptius decerno Amicum invisere, postremum invisо: posterius decerno currum conscendere aut navem, prius hoc facio. Ergo hic sensus, *Quo ordine res Deus decrevit ab æterno, eo in tempore exequitur*, est falsus. Deus prius ordine decernit finem, & postremo obtinet, post decretum finem decernit media, & ea primo adhibet: sic primum decernit vitam æternam ut finem quibusdam, tum decernit media, fidem & perseverantiam in ea, &c. hæc media primo adhibet in executione, & vitam æternam postremo confert. Sensus posterior *Majoris* nihil ad rem facit, quia quas res decrevit ab æterno & quales decrevit facere, eas & tales in tempore facit: nihil enim est verius: ita decrevit dare quibusdam fidem & perseverantiam in ea, ut medium vitæ æternæ obtinendæ, & sic quoque facit & dat in tempore. Sed Meditationum de *Fine* hic esto *Finis*.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

VIGESIMA-QUINTA.

DE

SUBJECTO ET ADJUNCTO.

THESIS I.

TItulus hujus disputationis duo proponit ventilanda, *Subjectum* & *Adjunctum*: cum enim sint relata, ut totum & pars, causa & causatum, arque omnia argumenta topica, & per se mutuo definiuntur, & simul tractari solent, ac debent. *Subjectum est, cui aliquid præter aut extra essentiam adjungitur. Adjunctum est, quod alicui præter aut extra essentiam adjungitur.* Subjectum multis modis dicitur in Philosophia. Est subjectum quoddam *prædicationis*, quod alii vocant *denominationis*, seu *intrinsecæ*, seu *extrinsecæ*: est quoddam *inhæsionis*, quod alii vocant *recipiens in se*: & aliud *adhæsionis*, quod nonnulli vocant *recipiens ad se*: est & *occupationis*: quod alii vocant *subjectum occupans*, alii *objectum*, quod tamen alii contra *adjunctum* vocant: invenias & *subjectum informationis, considerationis, operationis*, in artibus & prudentiis, & *adæquationis* ac *perfectionis*, in scientiis; atque in iisdem, *subjectum materiale & formale*. Et quis omnes *subjecti* acceptiones recenseat Scholasticis usitatas? Filo opus foret Ariadnes, ut quis ex hoc Labyrintho sese expediat. Nos sic procedimus.

II. *Subjectum*, vel est *affectio thematis simplicis*, & tum dicit relationem ad *adjunctum*, vel est *affectio thematis complexi*, & tum dicit relationem ad *prædicatum P. Ramo* prius *subjectum* vocatur *Topicum*, posterius *Axiomaticum*. Prius est, vel *inhæsionis*, vel *adhæsionis*, vel *occupationis*, prout *adjuncta vel inhærent*, vel *adhærent*, vel *occupant subjectum: posterius* dicitur vulgo *prædicationis* vel *denominationis*.

Et ad

Et ad hasce classes omnes aliæ *subjecti* nomenclaturæ possunt referri. Prius est angustius posteriori, & posterius est latius priori. Multa sunt *subjecta prædicati*, quæ non sunt *subjecta adjuncti*, quamvis omnia *subjecta adjuncti* sint *subjecta prædicati:* nam modus prædicandi sequitur modum essendi. Quæcunque enim prædicantur de aliquo *negate*, ut, *homo non est planta*, vel *falso*, ut *liber est lapis*, vel *essentialiter*, ut, *brutum est animal*, in iis quidem reperire est *subjectum prædicati*, sed non item *subjectum adjuncti:* quod tum reperitur, quando aliquid prædicatur de alio, *affirmate, vere, præter aut extra essentiam* ejus, de quo dicitur, &, ut *Scheiblerus* loquitur, *extra essentialiter*, & sub illis conditionibus tantum idem sunt, *subjectum topicum & axiomaticum*; extra hos casus, *subjectum* quidem dabitur *axiomaticum*, sed non item *topicum*. Nihil autem refert, sive de *subjecto topico* aliquid prædicetur *prædicatione externa*, sive *interna*, sive *absoluta*, sive *limitata*, modo prædicetur *prædicatione accidentali*, & non *essentiali*, *vera* & non *falsa*, *affirmata* & non *negata*.

III. *Subjectum* & *Adjunctum* iisdem *dividuntur* modis, quia *relatum* sunt & *correlatum:* Utrumque ergo dividi potest in *absolutum & limitatum*, *internum & externum*. *Subjectum absolutum* dicitur, cui adjunctum convenit simpliciter & absque restrictione. *Limitatum*, cui adjunctum convenit quadantenus, id est, secundum certam naturam, partem, circumstantiam loci aut temporis, aut certo respectu. Notandum hic est, *nunquam adjunctum limitatum enunciandum esse absolute de subjecto, nec absolutum limitate:* quod si fiat, *enunciatio*, aut *falsa* est, & committitur sophisma *Aristotelis*, *à dicto simpliciter ad dictum secundum quid*, vel vice versa, aut est *synecdochica: falsa* erit, ut si dixeto *simpliciter*, *Æthiops est albus*, quia id tantum verum est *secundum quid*, puta dentes: *Synecdochica*, ut in *loco communi de Persona Christi*, & in *Scripturis Sacris*, cum *Christus* dicitur *natus ex Maria Virgine:* ubi τὸ *nasci ex Maria Virgine*, quod convenit *Christo secundum naturam humanam tantum*, enunciatur de ipso *absolute*, *non* tamen *falso*, quia sacra pagina falsitatis est expers, sed licet *vere*, attamen *improprie*, *figurate*, *tropice*, *synecdochice*, per *synecdochen partis*, qua, quod convenit parti, enunciatur de toto, secundum istam tamen partem intellectam. Hanc *synecdochicam adjuncti* de *subjecto absolute* enunciationem, in negotio personalis unionis duarum naturarum in Christo, *Theologi* vocant κοινωνίαν ἰδιωμάτων, *communicationem idiomatum*, quando attributa unius naturæ in Christo propria in enunciatione tribuuntur toti personæ θεανθρώπῳ, idque vel absolute, vel ab altera natura denominatæ: *absolute*, ut cum dicitur, *Christus est mortuus: ubiquitas* est *adjunctum* Christi *limitatum* (modo hic adjuncti vocem tuto usurpare liceat: sed ita loqui solent *Theologi* in locis communibus) item & *mors:* illud, *divina natura*, hoc, *humana*, est attributum; prædicantur tamen de Christo *absolute*: at cum *Deus* dicitur in sactis monumentis Ecclesiam *redemisse suo sanguine*, aut *Dominus gloriæ crucifixus*, non tantum *adjunctum naturæ humanæ* ttibuitur *Christo*, ut *subjecto absolute*, sed insuper, *ut denominatur à natura altera*, scil. *divina:* neque enim dicitut in textu *simpliciter*, *Christus est crucifixus*, *aut ecclesiam redemit suo sanguine*, sed *Dominus gloriæ est crucifixus*, &, *Deus ecclesiam redemit suo sanguine:* quod utrumque Christo convenit secundum naturam humanam tantum, quæ sola sanguine est prædita & crucifigi potest, & tamen utrumque per synecdochen ttibuitur toti Christo, etiam ut ab altera natura denominatur, sed, quod notandum est accurate, *in concreto*, *non in abstracto*. Neque enim dicitur, *Deitas Ecclesiam redemit suo sanguine*, aut *divina natura*, *quæ est domina gloriæ*, *est crucifixa:* neque enim, quæ de Christo dicuntur, ut toto, & in concreto, possunt enunciari de singulis ejus partibus aut naturis, & in abstracto: ideoque, quamvis liceat dicere, *Christus homo est ubique*, non tamen licet dicere, *Christi humanitas est ubique:* sic verum est, *Christus Deus est passus*, *crucifixus*, *mortuus*, *sanguinem effudit*, non est verum, *Deitas est passa*, *mortua*, *crucifixa*, *sanguinem effudit*, neque hæc *communicatio idiomatum* est *realis* in Chtisto, sed *verbalis* tantum, quia non potest proprium naturæ divinæ in humanam, aut humanæ in

divinam

divinam transfundi, ut in subjectum; sic enim propria quarto modo communicarentur subjectis specie diversis; quod monstrum jam ante multis debellavimus *Disp. sect. vol. disp.* 4. Atque hæc omnia accurate sunt tenenda contra Ubiquitistas.

IV. *Subjectum internum* est, cui adjunctum inhæret. *Externum* est, cui adhæret, adjacet, circumstat, seu ad quod ordinatur illud. Hinc oritur duplex *denominatio*, *intrinseca*, cum adjunctum internum, *extrinseca*, cum externum de subjecto dicitur. Non debent hic temere confundi, *subjectum* & *substantia*, *adjunctum* & *accidens*, quasi illa pari passu ambulent: nam & dantur accidentia, quæ sint subjecta aliorum accidenrium, & quidem inhæsionis, & dantur substantiæ, quæ sint adjuncta aliarum substantiarum: superficies in pariete est subjectum alboris, & intellectus ac voluntas sunt subjecta habituum: formæ substantiales sunt adjuncta materiæ, arma adjunctum militis. *Adjunctum externum*, est, vel *objectum*, vel *signum*, vel *circumstantia*.

V. *Objectum est*, circa quod res, i. e. subjectum operando versatur. *Ramo*, *Scheiblero*, aliis, non *adjuncti*, sed ipsius *subjecti* species est, & vocatur *subjectum occupans*. Sed in hoc negotio parum est situm, modo *objecti* natura bene intelligatur. *Objectum* proprie competit actionibus circa se occupatis; nam in ordine ad illas definitur: substantiis, potentiis, habitibus, non tribuitur, nisi per & propter actiones. *Objectum* aliud est *terminativum tantum*, aliud *terminativum & motivum simul*. *Terminativum tantum*, in quo sistitur solum actio agentis, uti charra, scriptoris, rabula, pictoris, est objectum: hoc sensu, actionibus divinis tribuitur objectum, creationi & conservationi hoc universum, cooperationi actiones creaturarum: absit, ut unquam Deo agenti tribuamus objectum *motivum*, quod non tantum rerminar actionem agentis, sed agentem movet ad agendum: ac Deus à nullo movetur exrra se: atqui objectum, tam *motivum*, quam *terminativum*, est exrra agens. *Objectum terminativum tantum*, est species adjuncti externi: *motivum simul*, si moveat potentiam cognoscentem vel intellectum, vel sensum, ut, cum dicimus, *objecta movent sensus*, habet rationem causæ Procatarcticæ? si moveat potentiam appetentem, sensitivam aut rationalem, habet rationem causæ finalis, vel subordinatæ, vel ultimæ. *Objecti divisiones*, in *materiale & formale*, *totale seu adæquatum*, & *partiale seu inadæquatum*, *per se & per aliud*, similesve alias, impræsentiarum omittimus, quia, & facile intelliguntur, & apud *Scheiblerum*, *Keckermannum*, *Alstedium*, *Burgersdicium*, aliosque videri possunt.

VI. *Signum* est, quod seipsum sensui externo, & id, cujus signum est, vel phantasiæ, uti in brutis, vel intellectui, ut in homine, offert. In signo omni itaque tres sunt respectus, 1. ad rem significatam tanquam adjuncti ad subjectum. 2. ad sensum externum, quicumque sit, quia in aliquem debet incurrere. 3. ad Phantasiam aut Intellectum, quia alterutri debet repræsentare aliquid, quod in sensus extetnos non incurrat, vel quod absit, vel quod sit occultum. Neque hæ tres σχέσεις temere debent confundi.

VII. Quæri hic solet, *An signatum de signo enunciari possit in casu recto?* Resp. Non posse prædicatione propria alterum de altero affirmari, quia sunt relata (an prædicamentalia, an transcendentalia, nihil refert) at relata sunt opposita, quæ de se invicem in casu recto prædicari nequeunt, uti nec de eodem tertio singulari: quemadmodum non licet dicere, *Pater est Filius*, respectu scil. ejusdem, ita non licet dicere, *hedera suspensa est vinum*, aut *iris est diluvium*, improprie ramen & figurata loquutione per metonymiam adjuncti seu signi, potest signatum dici de signo, quod licet nonnulli negent, admittere tamen coguntur, velint nolint, convicti authoritate & vi sacrarum litterarum, ubi Gen. 40. *Tres propagines sunt tres dies*. 41. *Septem boves & septem spicæ sunt septem anni*, & alibi, *Petra erat Christus*, & in institutione Sacræ Cœnæ, *hoc*, i. e. hic panis, *est corpus meum*, & circa alterum N. T. Sacramentum, *Baptismus est ablutio peccatorum*, & passim extant enunciationes, in quibus signatum de signo enunciatur in casu recto: quæ tamen enunciationes falsæ dici nequeunt aut pro falsis haberi, nisi quis falsi

falsitatis arguat verbum Dei, nec tamen propriæ sunt; nam spicæ aut boves non erant anni, Petra non erat Christus ipse, nec panis, quem Apostolis distribuebat, erat ipsum corpus Christi, quo accumbebat mensæ, &c. Fateor & axioma ab omnibus receptum esse & pro verissimo habeti, *Nulla opposita, consequenter, nec relata, possunt de se invicem affirmari in casu recto, ita nec disparata*, attamen video extare tales enunciationes in sacris litteris. De *relatorum* mutua enunciatione in casu recto, exempla protulimus: de *disparatis* extat Joh. 1. 14. *Verbum caro factum est, Deus est homo*; quæ quidem vulgo habentur pro disparatis: rectene an secus, nunc non disputo. Quicquid sit, Alterutrum hic cedat, oportet, aut axioma in Philosophia receptum, aut verbum Dei. Utrum rejicietur, ut falsum? Canon Logicus aut Metaphysicus, ab hominibus errori obnoxiis procusus, an Sacra Pagina, à Deo fallere & falli nescio profecta. Ego sane malim cuicunque demum axiomati Philosophico fidem detrahere, quam vel tantillum derogare veritati sacrarum litterarum. Quid? quod is sit genius linguæ Ebrææ, ut alio modo loqui nequeat, cum signatum prædicabit de signo; nam non habet verbum, quod respondeat *Græco* σημαίνειν, aut *Latino significare*, sed cum dicturi essent Ebræi, *ista imago significat*, σημαίνει, *principem*, dicerent, *ista imago est princeps*, qui modus loquendi & nobis Belgis est usitatissimus, quibus tamen vocabulum Belgicum, *Beteeckenen*, suppetit.

VIII. *Divisiones* signi, in *naturale & arbitrarium, formale & instrumentale, notificans, memorans, & certificans*, &, si quæ sint aliæ, consulto omittimus, quia facile intelliguntur; & in *Logicis ac Metaphysicis, Keckermanni, Alstedii, Scheibleri, Burgersdicii*, libellis extant, atque etiam in aliis.

IX. *Circumstantia* est, quicquid, præter objectum & signum, rei, i. e. subjecto, adjacet, circumstat, appensum vel appositum est ullo modo; atque latissime sese extendit.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

VIGESIMA-SEXTA.

DE SUBJECTO ET ADJUNCTO.

THESIS I.

Subjecti & Adjuncti naturam exposuit *disputatio præced.* hæc usum horum terminorum in variis ostendet quæstionibus, iisque gravissimis. §. 1. Quæri potest, *An Deus possit dici subjectum suorum attributorum*, v.c. *omniscientia, omnipotentia, &c. ut hæc dicantur adjuncta?* Quam quæstionem obiter tetigimus *th. 3. disp. præced.* Affirmat *Scheiblerus* cum multis aliis, & est phrasis recepta *Philosophis ac Theologis*. Verumenimvero, si definitio *subjecti & adjuncti* obtineat, quæ poni solet, & à nobis posita est & exposita, *disp. præced.* imprudenter, ne dicam, falso, quicunque, & quarumcunque etiam sint partium, seu *Philosophi*, seu *Theologi*, sic loquuntur. *Adjunctum* præter essentiam ad *subjectum* accedit. Sed omniscientia, omnipotentia, &c. præter essentiam ad Deum non accedunt. Quare errandi ansam præbere queant hæ notiones Logicæ & termini Metaphysici, cum Sanctissimo Enti, Deo, tribuuntur, nisi primum purificentur. *Quasi subjectum & quasi adjunctum* dici hic malim, ad morem *Iurisconsultorum*, qui loquuntur de *Contractu & quasi contractu*. Quod vere & proprie est *adjunctum*, id est, extra rationem & essentiam *subjecti:* secus est in iis; quæ explicantur *per modum adjuncti, ac si essent adjuncta*, quæ possunt esse idem cum subjecto essentialiter: ita exemplum habemus in *ente* cujus *quasi adjuncta* sunt, *unitas, veritas,*

bonitas, non tamen vere & proprie *adjuncta*, quia non sunt extra essentiam entis; quia tamen de ente prædicantur, ut attributa quoque divina de Deo, possunt utrobique *quasi adjuncta* dici: & certe, quando dico, Deus est omniscius, est omnipotens; Ens est unum, verum, bonum; Dispositio terminorum seu utriusque extremi Logica proxime accedit ad dispositionem subjecti & adjuncti; non tamen dicendum est, voces istas proprie Deo convenire. Nam hoc in errorem abduxit *Vorstium*, qui hinc in Deo finxit compositionem ex subjecto & adjuncto, seu ex substantia & accidente, quæ impia est & simplicitati divinæ repugnat; ista enim *quasi-adjuncta* seu attributa Dei, sunt idem realiter cum Deo, ut affectiones entis sunt idem realiter cum ente.

II. §. 2. Quæri hic potest: *An natura humana Christi θεανθρώπου in ipso possit dici adjunctum τῷ λόγῳ seu natura divina?* Negat hoc strenue *Scheiblerus*, & flagellat eam ob causam vehementer affirmantes *Calvinianos*, *Goclenium*, *Keckermannum*, *&c.* qui misere ipsi vapulant. Sed nulla causa est, cur ita sæviat hic homo in *Philosophos* illos. Videamus, an non primas partes in ipso teneant, odium, invidia & calumniandi libido? *Adjunctum* est extra essentiam ejus, cujus adjunctum dicitur, seu subjecti sui. Quare ergo non possit dici natura in Christo humana adjunctum τῷ λόγῳ seu divinæ naturæ, cum extra essentiam ejus sit, si scil. spectetur simpliciter ante incarnationem. Distinguere debuerat *Scheiblerus* inter λόγον ἀσαρκον, & σύνθετον· λόγῳ simpliciter spectatus, si conferatur cum natura humana, nihil obstare videtur, quominus, ipse *subjectum*, hæc *Adjunctum*, dici possit, vocibus illis Metaphysice seu transcendentaliter aut etiam Logice acceptis: sed λόγῳ incarnatus, θεάνθρωπῳ, & humana natura, *non* respiciunt se proprie *ut subjectum & adjunctum*, *sed* magis *ut totum* mysticum & *pars*. Ergo sic velim dici. Humana natura in Christo est pars τῷ λόγῳ συνθέτῳ, est *adjunctum* τῷ λόγῳ simpliciter considerati; quemadmodum, ut crassiori exemplo hoc illustrem, surculus est adjunctum stirpis & pars arboris. Quod *Scheiblerus* clamitet, λόγον *nullatenus subjectum dici debere naturæ humanæ*, *aut naturam humanam adjunctum* τῷ λόγῳ, *quia caro Christi assumta sit in ipsam ὑπόστασιν* τοῦ λόγου, ista ratio non concludit: nam manet tamen extra essentiam τοῦ λόγου simpliciter considerati: ita ut nec eam constituat, nec aliquam causalitatem ad eam constituendam conferat: aliud est, *recipi in personalitatem & subsistentiam alicujus*, aliud est, *venire in communionem essentiæ alicujus*: hæc distinguere debuerat *Scheiblerus*, qui in aliis tricis distinguendis sæpe nimium est accuratus: Hoc decepit eum, quod ad discrimen istarum phrasium non attenderit. Τὸ *venire in communionem essentiæ alicujus*, quando negatur de adjuncto respectu subjecti, hoc significatur, adjunctum ad essentiæ subjecti essentialem constitutionem nihil seu nullam causalitatem conferre. Sed *Scheiblerum* cum *Scheiblero* committamus, & ipsum ex sciipso refutemus.

III. In *Topicis Logicis cap. 7. numero marginali 2.* docet *Scheiblerus*, τὸ *adjungi*, seu *adjunctum* esse, complecti hæc duo: 1. esse posterius. 2. aliud se prius, extra-essentialiter afficere vel denominare. In *Metaphys. lib. 1. cap. 23. n. marg. 8.* dicit, illa omnia esse adjuncta, quæ essentiam rei consequuntur vel eidem superveniunt. Sed rogo *Scheiblerum*, An non natura humana est posterius quid τῷ λόγῳ persona ac natura divina? An non extra-essentialiter (ut ipsius termino utar) τὸν λόγον, personam ac naturam divinam, afficit & denominat? nam non constituit essentialiter eam, nec aliquid confert ad essentialem illius constitutionem. An non consequitur, τὸν λόγον, personam & naturam Christi divinam eique supervenit? Cur ergo non dicatur adjunctum. Imo vero dicatur, vel invito *Scheiblero*, & ringentibus vel omnibus *Lutheranis*, ex propria *Scheibleri* descriptione allata: præterea in *Log. cap. cit. n. 39.* in *Metaph. cap. cit. n. 25.* dicuntur attributa divina *Scheiblero* adjuncta, quæ tamen certum est, participare divinam essentiam, cum ab ea non distinguantur: cur non licebit, naturam humanam in Christo dicere adjunctum divinæ, cum essentiam divinam sic non participet, ut attributa, nec sit eadem realiter cum illa, uti qui-

quidem sunt attributa. Hæc solvat *Scheiblerus*, antequam ita duriter excipiat miſellos *Calvinianos*. Dicimus ergo contra illum, quod natura humana seu caro supervenerit vel adjuncta sit τῷ λόγῳ, per se & in se essentialiter & perfecte completo: λόγος recepit carnem & naturam humanam in suam ὑπόστασιν, & ratione hujus assumtionis potest dici caro particeps facta Deitatis, quatenus venit in consortium naturæ divinæ: & sic ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, sed non potest inde concludi à *Scheiblero*, quod sic venerit caro, in essentiæ τοῦ λόγου participationem, ut adjunctum ejus dici non debeat: nam, profecto, non est caro de constitutione τοῦ λόγου essentiali, utcunque subsistentiæ τοῦ λόγου per unionem personalem sit facta particeps, & cum λόγῳ seu persona divina unum constituat ὑφιστάμενον, suppositum seu personam. Quicquid autem rei in essentia perfectæ adjungitur, id omnino *adjunctum* dici potest ac debet. Ergo &c.

IV. Objicit *Scheiblerus* 1. *Si humanitas aut natura humana esset adjunctum* τῷ λόγῳ, *λόγος non posset dici homo, sed humanus, non in abstracto, sed in concreto, non συνωνύμως, sed παρωνύμως, non substantive, sed adjective, sicuti dicimus, homo est sciens, non scientia, est vestitus non vestis.* Resp. Enunciationem illam, *λόγος est homo*, esse quidem in abstracto, synonymicam, atque substantivam, quoad sonum; sed esse in concreto, paronymicam, atque adjectivam, quoad sensum; effertur sane, si terminos spectes, substantivum de substantivo, & ut videtur, in abstracto; sed si attendatur ratio prædicationis & enunciatio resolvatur, ut sensus appareat, patebit, esse dicendum, quod prædicatio fiat revera, in concreto & quasi per adjectivum & παρωνύμως, non συνωνύμως. Inter synonymicam & paronymicam enunciationem medium dari nequit, eo quod oppositæ sint contradictorie, ut essentiale, & non essentiale, vel, *termino Scheibleriano*, extra-essentiale. Analysis seu resolutio hujus enunciationis, *λόγος est homo*, non potest esse alia, quam hæc, *λόγος est personaliter idem, quod homo:* ratio est, quia fundamentum enunciationis, quo nititur connexio subjecti & prædicati, est personæ identitas, non vero naturarum, divinæ & humanæ, essentialis unitas: nam, *λόγος est homo*, non significat, *natura divina est humana*, sed *persona divina est homo:* Unde liquet, prædicationem fieri, non in abstracto, sed in concreto; in abstracto enim dicendum esset, *natura humana*, pro *homo*, &, *λόγος est homo*, haberet hunc sensum, *natura divina aut personæ divina, est natura humana*, quasi essentialis foret unitas naturæ humanæ cum persona aut natura divina, quo nihil est absurdius. At vero cum hic est sensus, *λόγος est homo*, id est, *λόγος est personaliter idem qui est homo*, verus est & concretus sensus, qui nititur identitate personæ, in cujus hypostasin assumta est natura humana. Sed *Scheiblerum* iterum secum committamus: Attributa divina vere sunt Dei adjuncta *Scheiblero*, quamvis impie, & tamen in abstracto prædicantur de Deo, ut cum dico, *Deus est veritas.* Ergo aliqua adjuncta possunt in abstracto prædicari de subjectis. Quidni & *natura humana*, *seu humanitas*, quæ abstracta sunt, *aut homo*, si illud abstractum sit, uti non est. Quin, ne in exemplo quidem allato ego dicerem, revera in abstracto fieri, prædicationem, sed videri tantum, & quoad sonum esse, non quoad sensum: nam fit revera in concreto, quod præter habitudinem extremorum docet analysis, hæc sc. Deus est realiter idem quod veritas.

V. Objicit 2. *Scheiblerus. Si humanitas est adjunctum* τῷ λόγῳ, *vel inhæret, vel adhæret ei. Non inhæret, quia hoc tantum est accidens: non adhæret, instar vestis, armorum aut rei similis, quæ adhæret homini: nam in his est* περίθεσις *vel* παραχώρησις, *non* περιχώρησις, *quæ tamen est in* λόγῳ *ratione naturæ humanæ. Tertia vero species præter adjunctum inhærens nulla datur.* R. ex ipso *Scheiblero*, non omne adjunctum importare inhærentiam internam aut adhærentiam externam; edocent & evincunt hoc, attributa Dei & Entis, quæ neque accidentia sunt aut inhærent, neque Deo aut Enti adhærent, & tamen *Scheiblero* sunt adjuncta. Hunc nodum solvat non secet aut frangat *Scheiblerus.* Quid? quod forma adjunctum sit materiæ, quæ ideo dicitur subjectum formarum; forma enim est extra materiæ essentiam, eique supervenit, licet non sit extra essentiam

compositi, cui quidem est essentialis, non item materiæ: at forma non est accidens materiæ inhærens (loquimur de forma substantiali) neque extrinsecus materiæ adhæret secundum aut παρύστασιν aut περιχώρησιν, sed materiam potius intrinsece perficit, eique unitur secundum ἀνυπόστατον, non quod dicere velim, naturam humanam esse formam τῦ λόγε, sed ista instantia tantum volui ostensum, *majorem Scheibleri* non esse universaliter veram. Et, quid si modus, quo natura humana adjungitur τῷ λόγῳ, nos lateat, anne *ideo adjungi* aut adjunctum esse eam negabimus? Quod adjunctum sit, jam ostendi, quia præter essentiam τῷ λόγῳ simpliciter considerato supervenit, quomodo adjungatur ei, ignoro: licet per analogiam dici magis posset *adjunctum internum* quam externum; non instar accidentis, quomodo accidens inhæret subjecto, quod male infert *Scheiblerus*, sed instar formæ, quomodo forma inhæret materiæ: non quod hic similitudo sit æqualis, sed quia proxime huc accedere videtur, nam verba hic deficiunt; quin & deficit intellectus ipse in concipiendo modo, quo adjungitur interne caro seu natura humana, τῷ λόγῳ, scil. modus iste supernaturalis est & μυστηριώδης, & à nobis comprehendi non potest, multominus enunciari: non tamen ex incomprehensibili & ineffabili modo adjunctionis, rem ipsam aut naturam humanam Christi adjungit τῷ λόγῳ, aut esse adjunctum, negari debet.

VI. Objicit 3. *Scheiblerus. Subjectum non est in suo adjuncto. Sed λόγ@ est in carne. Ergo λόγ@ non est subjectum carnis aut caro adjunctum.* R. Quod subjecti & adjuncti denominatio dependeat à diversa rerum consideratione, comparatione, habitudine, dispositione, ideoque non sit absurdum, eidem rei, modo *subjecti*, modo *adjuncti*, denominationem aut nomenclaturam imponere: sic *objectum*, interdum dicitur *subjectum*, interdum *adjunctum*, respectu ejusdem rei, quæ circa illud occupatur; *subjectum, Rameis, adjunctum, Aristotelicis*: sic *locus* illis *subjectum* est, his *adjunctum* est, respectu rei locatæ: sed amplius dico contra *Scheiblerum*, dicendam potius carnem esse adjunctum τῦ λόγε, quam λόγον carnis: ratio est, quia caro accessit ad λόγον, non contra, & λόγ@ recepit carnem, non contra: nec enim caro est ϑεοδόχ@, active, sed ϑεόδοχ@, passive, non assumpsit λόγον, sed assumpta est à λόγῳ, in conjunctionem atque unionem personalem, nam finitum non est capax infiniti, active, sed capi potest ab infinito, passive. Quod adducat loca Scripturæ *Scheiblerus*, quæ dicunt, *Christum venisse in carnem, esse manifestatum in carne*, ipsius intentum non evincunt, quod à *Theologis* nostris satis est ostensum. Finio cum monito. Discat Philosophiæ studiosa juventus ex hac dissertatione, cum judicio & attentione legenda esse scripta Philosophica, *Scheibleri*, addo *Meisneri*, *Iacobi Martini*, *Calovii*, aliorumque *Lutheranorum*, item, *Eustachii*, *Raconis*, *Conimbricensium*, *Ruvii*, *Toleti*, *Suarezii*, *Fonsecæ*, aliorumque Pontificiorum, ne legendo incaute imbibat errores in *Philosophia*, qui noceant in *Theologia*.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

VIGESIMA-SEPTIMA.

DE CONVENIENT. ET DISTINCT.

THESIS I.

CIrcumfertur vulgo in Scholis *Philosophorum*, quos *Scholasticos* vocamus, *Axioma, Quæcunque conveniunt realiter, ea ratione distinguuntur*, &, *Quæcunque distinguuntur realiter, ea ratione conveniunt*. Utrumque hoc verum censet, & pro *Axiomate*, quod sit ἀξιόπι-

τον, obtrudit *Philosophorum* vulgus. Verum enim vero accuratius hanc *Convenientiæ* & *Distinctionis* comparationem intuenti, neutrum quidem mihi (pace & venia Venerabilium Magistrorum Nostrorum) verum esse videtur, si realis & rationis distinctio sumatur eo, quo solet, modo, ut realis sit, quæ rebus competit per se, ex natura sua, absque ope, operatione, aut respectu intellectus, quæ aliis dicitur distinctio rei aut ex natura rei, rationis vero sit, quæ à mente proficiscitur, vel pure, quam rationis ratiocinantis vulgo vocant, & ego ex classe & numero distinctionum expungo, neque enim nomen meretur distinctionis, vel cum fundamento in re, quam rationis ratiocinatæ vulgo appellant. Hoc sensu, dico & assero, neutrum comparationis institutæ membrum, ita generaliter sumtum, esse verum. Non nego, ne quis erret, multa esse, quæ conveniant realiter & ratione differant, ut v. c. animal & homo, homo & Petrus, & realiter conveniunt, & ratione differunt. Pariter, non nego, multa esse, quæ realiter differant & ratione conveniant, ut v. c. Socrates & Plato, homo & bestia, & realiter differunt, & ratione conveniunt, in superiori, priores in *homine*, posteriora in *animali*. Verum, ut omnia, quæ conveniunt realiter, distinguantur ratione, aut, ut omnia, quæ distinguuntur realiter, conveniant ratione, id vero nego ac pernego: imo, dico contra, *quæ differunt realiter etiam realiter convenire posse*, & *quæ conveniunt realiter*, *differre realiter posse*, quæ contradictio videbitur esse nonnullis, non est tamen, modo res bene intelligatur; quod sic ostendo.

II. Quorum una numero est essentia ante omnem intellectus operationem, ea realiter conveniunt. Ex. gr. animalis & hominis eadem est ante omnem intellectus operationem essentia generica animalis: nam animal est substantia, corporea, vivens, sentiens, & homo est substantia, corporea, vivens, sentiens: sic homo & Petrus ante omnem mentis operationem conveniunt in eo, quod utrumque sit animal rationale. *Assumo*. Atqui multa sunt, quæ realiter seu re, seu ex natura rei, non ratione, differunt, quorum una numero est essentia ante omnem mentis operationem. *Ergo* multa sunt, quæ realiter differunt, quæ realiter quoque conveniunt. *Minorem probo*. Modus & res modificans possunt esse una eadem numero essentia: modi, re & non ratione, distincti, quin & oppositi, possunt esse ejusdem numero essentiæ, ut conveniant in una eademque numero essentia, & quidem citra mentis fictionem, ante omnem operationem intellectus; modi, dico, non quidem omnes, sed aliqui saltem, separabiles puta. *Unde sic concludo*. Omnis modus separabilis differt realiter, re, & non ratione, à re modificata: nam separabilitas aut actualis separatio est optimum signum distinctionis realis, seu ex natura rei. *Assumo*. Omnis modus separabilis convenit realiter reipsa, cum re modificata, quia convenit ante omnem operationem intellectus. *Ergo* aliquid, quod convenit realiter cum re modificata, differt realiter à re modificata. *Ergo* convenientia realis stare potest cum distinctione reali. Porrò distinctio realis, i. e. citra mentis operationem, est inter modum & modum, præsertim, si sint oppositi, qui tamen possunt esse ejusdem numero essentiæ. Sed hæc omnia demonstremus exemplis.

III. Posse modum & rem modificatam convenire realiter & differre realiter, sic ostendo. Unio formæ & forma, personalitas & natura finita, differunt realiter, quia separari possunt reipsa, quemadmodum v. c. unio animæ rationalis cum corpore separatur ab anima in statu separationis, & personalitas humanæ naturæ in Christo ab eodem separata est in actu personalis unionis; nam humana natura Christi assumta est in personalitatem τῦ λόγυ seu secundæ Trinitatis personæ: attamen unio animæ rationalis & anima ipsa, personalitas humanæ naturæ & ipsa natura humana, licet distinguantur realiter, & non per rationem, nihilominus sunt ejusdem numero & singularis essentiæ, & quidem ita, ut sint illa ipsa singularis essentia, ideoque in illa conveniunt realiter. Quod autem sint una numero essentia, patet: nam unio animæ non obtinet peculiarem entitatem distinctam ab anima, nec personalitas est res quædam peculiaris & distincta à natura humana, sed unio, animæ, personalitas, naturæ, entitatem intime includit,

dit, ita ut, unio animæ & ipsa anima, sint una eademque res, personalitas & natura, sint una eademque res: scil. unio & anima, sunt ipsa anima, in quantum est unita corpori; personalitas & natura, sunt ipsa natura, in quantum per se subsistit, sumta hac phrasi, non late, pro ratione formali substantiæ, sed stricte, pro ratione formali personæ. Quid? quod essentia unioni aut personalitati non conveniat, quia modi sunt: at essentia est entis, prout ens contra modum distinguitur; nam modus ens non est, puta reale (alioqui daretur progressus in infinitum) ideoque essentiam non habet, sed est medium negationis inter ens reale & nihil, cui non convenit, essentiam habere: unio igitur ex se essentiam non habens, eandem essentiam animæ participat, sic & personalitas, naturæ.

IV. Porro modi quidam realiter inter se distinguuntur, illi scil. quorum unus separari potest ab alio, aut potius, quorum unus separari potest à re modificata, alter non potest: v. c. personalitas naturæ humanæ, & dependentia ejusdem à prima causa, differunt realiter, quia personalitas à natura humana separari potest, & de facto separata fuit in mysterio Incarnationis, dependentia ejusdem à causa prima separari non potest: at hi modi reperiuntur in una numero essentia singulari, & quidem ita, ut non obtineant singularem & propriam entitatem, sed ut intime entitatem naturæ includant, adeoque una cum natura unam singularem essentiam absolvant: etenim tum personalitas, tum dependentia, sunt ipsa natura dependens & sua personalitate subsistens: præterea, cum sint modi, distinctam essentiam ab essentia rei modificatæ nullam habent, nec habere possunt, quia non sunt entia realia, quibus solis essentia competit.

V. Denique, modos oppositos distingui realiter, & non per rationem, certum est, ex vi oppositionis. At vero, quod non repugnet, dati modos suppositos, qui conveniant realiter in essentia eadem singulari, ita ut sint illa ipsa essentia singularis, ac proinde, ut & realiter distinguantur inter se, tanquam modi oppositi & sibi invicem incommunicabiles, & realiter conveniant in eadem essentia numero, & communi, patet in modis subsistendi divinis & essentia divina, in SS. Trinitatis Mystetio: nam Pater, Filius, & Spiritus S. conveniunt in una eademque essentia divina realiter, citra mentis ullam operationem (sunt enim unus ille verus Deus, nemine cogitante) & tamen distinguuntur inter se realiter (alius enim est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, nemine cogitante) per Paternitatem, Filiationem, Spirationem, modos oppositos & incommunicabiles alteri aut sibi invicem.

VI. Dicet quis ex *Infausti Socini* progenie. *Si Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, conveniant realiter in eadem essentia divina, ergo convenientia realis non erit quasi plurium, sed revera plurium: nam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt revera plures. Atqui cum extrema sunt revera plura, & conveniunt in eodem tertio, illa est convenientia rationis.* Resp. Malle me negare definitionem *Convenientiæ* ex *Arist. Metaph.* l. 4. c. 9. acceptam; qua Convenientia definitur, plurium aut quasi plurium unio, & qua, plurium unio, dicitur convenientia rationis, quasi plurium, realis: quàm ut admittam, aut personas divinas non differre realiter inter se, sed tantum esse quasi plures, aut personas divinas non convenire realiter in essentia divina, sed tantum ratione: Nam certe, cum definitionum Philosophicarum veritas non potest applicari rebus divinis, rejici potius debent definitiones, quam ut veritati in rebus divinis quicquam derogetur. Neque ergo miror, hanc, similesque rerum Logicarum, Metaphysicarum, aut Philosophicarum, definitiones, ex *Aristotele* aliisque Philosophis, non Christianis, sed Paganis & infidelibus, acceptas, minus quadrare Deo & rebus divinis, quia illi ut Trinitatem non cognoverunt, ita cogitare non potuerunt, de Personarum in SS. Trinitate, vel reali convenientia in essentia divina, vel reali distinctione inter se: &, quod accuratissime notari velim, & fideliter hic moneo, ex eo nati sunt omnes errores *Infausti Socini & Vorstii*, & eorum, qui utriusque vitula arant, quod, cum viderent, axiomatibus Philosophicis, & rationi naturali, quæ ista axiomata procudit, aut etiam definitionibus sæpe Aristotelicis, non convenire

res

res divinas, Tres Personas in essentia singulari unius Dei, duas naturas in una Persona Christi, generationem unius Personæ in SS. Trinitate ab alia æternam, resurrectionem eorundem numero corporum, similiaque fidei, tum mysteria, tum dogmata, maluerint, res sacras & in sacris manifestatas rejicere, quam aut suæ rationi (quam non tantum sciendorum sed & credendorum faciunt normam, sed pessime, cum fides sit ὑπόστασις τ῀ μὴ βλεπομένων) aut axiomatibus Philosophicis aut definitionibus, ex *Aristotele* aliisque Gentilium acceptis, nuncium mittere. Ego contra nihil miror, quod rationi eorum, omniumque insuper hominum, utpote corruptæ, videantur contradicere res sacræ & mysteria fidei: sed illi corruptionem naturæ humanæ, mentisque in spiritualibus caliginem, adeoque peccatum originis, non agnoscunt. Atque hinc est, quod in negotio præsenti, negent posse convenire realiter in una essentia divina singulari Personas, quæ inter sese distinguuntur realiter. Sed argumentum videamus, quo Trinitatem evertere conantur ex Philosophia, homines Antitrinitarii.

VII. *Si*, inquiunt, *essentia Divina est realiter eadem cum tribus personis realiter inter se distinctis, sequitur, unam rem esse eandem tribus rebus distinctis: quod vero idem est cum tribus rebus distinctis, id tres res esse, necesse est. Quare essentia divina, simul, & una res erit, & tres res.* Resp. Non est, quod metuat quis vim istius argumenti: salva res est, &, salva nihilominus Trinitas. Fallunt illi *Sophistæ*, ambiguitate terminorum & phrasium, *idem esse realiter*, &, *distincta esse realiter. Idem realiter dicitur*, vel quod una tantum res est, non res plures, vel in quo non sunt plura diversa, quæ plus quam ratione differunt. Pariter, *distincta realiter vocantur*, vel stricte, quæ sunt res plures vel latius, quæ ante mentis operationem distinguuntur à parte rei & entis. Quæ ergo priori sensu idem sunt realiter, ea sane nequeunt esse distincta realiter priori quoque sensu, stricte loquendo: id est, clarius. Quæ sunt res tantum una, ea nequeunt esse res plures; & sic largimur, Personas divinas in SS. Trinitate, quia sunt unius essentiæ & naturæ divinæ, tanquam rei unius, non esse res plures, non esse plures essentias aut naturas divinas, id est, non esse plures Deos: & hoc tantum sensu, quidam ex nostris *Philosophis* ac *Theologis*, negarunt Personas distingui realiter in SS. Trinitate, & recte: nam calumnia est, non sententia nostra aut ullius ex nostris, tres Personas divinas esse tres res distinctas: sed vero, si posterioti sensu accipiatur, identitas realis & distinctio realis, negamus, essentiam Dei ita esse realiter eandem cum personis tribus, ut in ea non dentur, plura extra mentis operationem distincta, plures personæ realiter distinctæ inter se: è contra dicimus, dari plura distincta tealiter in essentia divina eadem realiter, id est, citra mentis operationem. Ergo bene dicimus, & sine contradictione, identitatem rei seu realem stare cum diversitate rei seu reali: eadem enim tes, eadem essentia divina est, in qua conveniunt tria realiter distincta suppositа, tres realiter distinctæ personæ, verùm non tres distinctæ res (quæ est illatio *Socini* & *Sequacium*,) sed ut tres, ejusdem realiter essentiæ divinæ, modi divini subsistendi, realiter inter se distincti: quod contradictionem nullo modo involvit. Veritatem hujus nostræ assertionis probamus hoc ratiocinio.

VIII. Quæcunque diversitas non multiplicat essentiam, ea non tollit realem convenientiam, seu identitatem rei. Atqui diversitas realis trium subsistendi modorum seu personalitatum in S.S. Trinitate, non multiplicat essentiam divinam; nam eadem essentia Dei unius tribus istis hypostasibus communis est absque sui multiplicatione, & sic statuitur à nostris & ab omnibus, qui Trinitatem agnoscunt. Ergo diversitas realis trium subsistendi modorum aut personalitatum in SS. Trinitate non tollit identitatem essentiæ divinæ seu earum convenientiam realem in eadem essentia divina. Itaque nulla est hîc contradictio. Et manet æternumque manebit, Personarum in Deo Trinitatem & distinctionem inter se realem optime stare cum convenientia reali unius ejusdemque numero essentiæ divinæ. Denique, si modi natutæ humanæ & finitæ distincti, & distincti ante omnem mentis

opera-

operationem, personalitas, dependentia à causa prima, præsentia localis finita, eandem tamen essentiam naturæ humanæ singularis modificant, quidni & idem præstent tres modi subsistendi naturæ divinæ & infinitæ, ut eandem singularem essentiam divinam modificent, illi realiter inter se distincti, hanc realiter in se unam? Ergo falsum est, Quæcunque distinguuntur realiter, ea conveniunt ratione, & contra. Quod erat demonstrandum.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

VIGESIMA-OCTAVA.

DE CONVENIENTIA PRÆSERTIM SIMPLICI.

THESIS I.

DEus Opt. Max. *Author* omnis entitatis, veritatis, bonitatis in rebus creatis, idem author est omnis in iisdem ordinis; est enim *Deus ordinis, & non confusionis:* Ordo rerum patet ex mutua earum inter se habitudine: hæc se manifestat, in rerum inter se convenientia & diversitate: nam & *frigida cum calidis pugnant, humentia cum siccis*, & nihilominus amice inter se conspirant. In præsens *Convenientiam* rerum contemplabimur, præsertim *simplicem*, exorsi ab utriusque definitione.

II. *Convenientia* vulgo definitur, *affectio entium, qua plura aut quasi plura uniuntur.* Hanc eandem definitionem habet *Arist. 5. Metaph. c. 9.* Sed loco convenientiæ usurpat vocem, *identitas*, ταυτότης, inquit. Ex quo factum, ut Philosophi fere omnes, moderni saltem *Scholastici*, Aristotelem in usu vocum, non minus quam in sententiis, secuti, *identitatem* dixerint loco *convenientiæ*, & illa fecerint vocabula æquipollentia. Verumenimvero accuratius consideranti istæ voces non æquipollent: nam omnis quidem identitas, convenientia est, sed non vice versa: *identitas* enim proprie est *convenientia in essentia.* Sed enim, uti nunquam, ita nec hîc difficilis fuero in vocibus usurpandis: nam nihil refert quoque *convenientiam in accidentibus*; causis externis, effectis, subjectis, adjunctis, *identitatem* vocare: & sic *Scholastici* loquuntur de *identitate accidentali, causali, effectiva, subjectiva*, &c. Et profecto, in hisce ac similibus magna pars Philosophiæ & hodiernæ consumitur, dum disputati solet, an voces latius vel prestius sumi debeant? v. c. *An identitas convenientiam significet, non tantum in essentia, sed & in rebus aliis?* sic &, *An distinctio realis debeat dici ex natura rei, necne?* &c. Res ipsa potius spectetur, & ex rerum natura voces usurpentur, non vero ex arbitrio rantum, cujuscunque tandem, seu *Aristotelis*, seu *Thomæ*, seu *Scoti.* Naturam ergo *Convenientiæ* paulo penitius inspiciamus.

III. Natura *Convenientiæ* in *unione* consistit, aut, ut loquuntur alii, in *unitate. Extrema*, quæ uniuntur, sunt *plura*, aut *quasi plura*, i. e. aut multa à parte rei aut multa per rationem: Unde nata est *distinctio Convenientiæ in realem & rationis. Convenientia realis, est convenientia quasi plurium:* id est, quando illa, quæ revera unum sunt, apprehendentur ut multa, interposita distinctione rationis ratiocinatæ, quo modo Socrates senex convenit cum se ipso puero. *Convenientia rationis, est convenientia plurium*, id est, quando illa, quæ uniuntur, revera plura sunt, sed per rationem, seu mentis operationem, tantum unum fiunt, quo modo homo & bestia dicuntur, convenire aut uniri in communi conceptu animalis, seu esse unum animal. Hæc *definitio & distributio convenientiæ* rebus creatis applicari potest: S. S. Trinitati increatæ non debet, ut hoc *disp. præced.* est ostensum.

IV. *Con-*

IV. *Convenientia* est, vel *simplex*, vel *analogica*. *Simplex, est convenientia unius cum alio in eodem tertio. Analogica, est convenientia plurium cum pluribus in eadem habitudine.* Hinc liquet, in convenientia analogica geminam convenientiam simplicem comprehendi. In convenientia simplici duo semper sunt extrema, seu re, seu ratione, distincta, quæ conveniunt in eodem tertio. In convenienta analogica quatuor sunt extrema, quorum bina in tertio semper peculiari, sed simili tamen aut uno quoad habitudinem, conveniunt.

V. Receptus est circa convenientiam simplicem Canon: *Quæcunque in uno tertio conveniunt, ea inter se quoque conveniunt:* aut, *Quæ sunt eadem uni tertio, ea quoque inter se sunt eadem.* Hoc canone abutuntur pessime *Antitrinitarii*, cum ex eo, quod tres personæ realiter idem sint cum essentia divina in mysterio Trinitatis, *argumentantur*, etiam eas realiter esse idem inter se, & sic omne discrimen personarum tollunt, adeoque, ut nos unam essentiam, ita illi simul unam ponunt personam, *Patrem* solum: eodem abutuntur *Thomistæ* in controversia de Animæ rationalis identitate cum suis facultatibus. Si, *inquiunt*, potentiæ animæ sint idem uni, puta, animæ substantiæ, sequitur, illas quoque esse idem inter se, ac proinde nullo modo distingui; & sic intellectus erit voluntas, &c. Varii varias excogitarunt hujus regulæ limitationes, quas non omnes referam, sed distincte agam & compendio.

VI. *Convenientia simplex* accipitur tripliciter; vel de *æqualitate* (sic, quæ eadem sunt uni tertio, id est, æqualia, sunt eadem, id est, æqualia, inter se:) vel de *similitudine* (sic quæ eadem sunt uni tertio, id est, similia, sunt eadem, id est, similia, inter se:) vel de identitate, id est, convenientia in essentia: nam æqualitas est convenientia in quantitate, & similitudo est convenientia in qualitate. Quando hoc *axioma* intelligitur de *identitate*, proprie sic dicta, quæ est convenientia simplex duorum in eodem tertio, quod sit essentia aut pars saltem essentiæ, tum vel maxime & accuratissime debet limitari, nec absolute sumendum est, uti quidem, cum intelligitur de æqualitate aut similitudine.

VII. Vulgata explicatio est, requiri ad veritatem *Canonis*, quando intelligitur de convenientia in essentia, seu identitate, ut aliqua sint eadem uni tertio *singulari*, & sic, quæ sunt eadem uni tertio *singulari*, sunt eadem inter se: nam fieri posse, ut aliqua sint eadem uni tertio universali, nec tamen inter se sint eadem, facile patet: nam homo & brutum sunt eadem animali, homo enim est animal, & brutum est animal; nec tamen sunt eadem inter se: quippe, nec homo est brutum, nec brutum est homo: eadem est ratio omnium, quæ specie differunt, sunt enim idem cum genere, inter se tamen non sunt idem. Ergo sic limitari volunt hoc *axioma*. Quæ sunt eadem uni tertio, sc. *quod est res individua*, quæ nec est res plures, nec eadem reipsa cum illa, quæ est res plures, sunt eadem inter se. Verum ista limitatio non sufficit: namque sic manet objectio *Socinianorum*. Etenim personæ divinæ sunt idem cum essentia divina, quæ est aliquid singulare, nec tamen sunt inter se idem. Ergo addendum est hoc: quod ita illud tertium debeat esse singulare, ut sit *incommunicabile*. At vero, licet essentia divina sit singularis; quia tamen est communicabilis tribus personis, ideo, illæ personæ non sunt idem inter se, licet cum essentia idem sint. Nempe, licet essentia divina sit singularis, refert tamen naturam universalis in eo, quod, sicut universale prædicatur de pluribus, ut homo de pluribus & diversis suppositis, Petro, Paulo, Johanne, &c. sic essentia divina prædicetur de pluribus realiter distinctis suppositis aut personis, contra ingenium aliorum singularium, per hoc tamen non constituitur essentia divina nec numerari debet inter res universales, sed est & manet singularis, imo & singularissima; quia de natura universalis est, ita prædicari de pluribus, ut in illis, de quibus prædicatur universale, natura ejus multiplicetur, sicuti natura humana multiplicatur in Petro, Paulo, Joanne, &c. sunt enim in illis tres distinctæ naturæ humanæ, & ipsi sunt tres homines: at divina essentia non multiplicatur in tribus personis, non enim sunt tres essentiæ divinæ, nec tres dii, sed tres personæ: sic ergo dici potest; illa esse eadem

inter se, quæ sunt eadem uni tertio singulari, sc. quod ita est singulare, ut non accedat ad naturam universalium in eo, quod de multis prædicetur: & hoc est, quod alii dicunt, ut illud singulare sit incommunicabile. Verum, quia hæc pugnantia videntur esse, singulare dici & communicabile, ut sunt quidem in rebus crearis, age, dicamus sic, & limitemus nos hoc modo: Tertium illud, in quo duo aut plura conveniunt, posse esse simpliciter, vel communicabile, vel incommunicabile: & canonem esse intelligendum de tertio incommunicabili, sive sit singulare, sive non sit, modo sit incommunicabile, hactenus salvatur *Canonis* veritas. Ex. gr. Apostolus gentium & Paulus, convenient in uno tertio incommunicabili, hoc sc. individuo: Messias promissus & Jesus Nazarenus, in eodem incommunicabili singulari Christo: at Petrus & Paulus conveniunt in natura humana, ut in tertio, sed ut communicabili: natura enim humana, ut in se sit una, est tamen communicabilis; & hinc Petrus & Paulus non sunt idem individuum, nec idem homo, licet conveniant in natuta humana: Ratio manifesta est, quia, si id, in quo conveniunt plura, est pluribus commune, per se liquet, ista plura non esse unum: contra, cum aliqua conveniunt in tertio incommunicabili, ea inter se oportet esse eadem, eo quod tertium sit incommunicabile ad plura: causa ergo proprie hujus rei, non est ipsa singularitas, vel, quod aliqua in tertio singulari conveniant, sed vero incommunicabilitas, quod illud tertium, in quo conveniunt plura, sit incommunicabile ad plura; ideoque ea necessario sunt idem realiter, quæ in isto tertio incommunicabili conveniunt. Et hoc modo rectissime respondetur *Socinianis* objicientibus, quod sequatur, Filium esse Patrem, & S. S. utrumque, si statuantur convenire in eodem tertio, sc. essentia divina: Neque enim hoc sequitur; quia tum demum sunt illa, quæ conveniunt in eodem tertio, eadem inter se, si tertium illud sit incommunicabile: atqui essentia divina communicabilis est pluribus suppositis; & suppositi diversa, ea de causa, minime sunt inter se eadem, quod in essentia communi & communicabili conveniant, quia identitas essentialis non tollit diversitatem suppositalem.

VIII. *Socinani* negant, hunc canonem restringi debere, quia ejus ratio sit universalis: nisi enim hoc admittatur, *inquiunt*, sequitur contradictio aperta, nempe, *unum idemque esse eandem rem & plures*. Sed Resp. ad id, *nullam* hic esse contradictionem: fieri enim potest, ut una eademque res absoluta sit plures res respective: mons v. c. una est eademque res, & tamen est acclivis & declivis: verum eo modo, quo res est una, non est plures, & quo est plures, non est una. Omnis error *Socinianorum* ex eo fluit, quod existiment, fieri non posse, ut una res indivisibilis pluribus rebus distinctis conveniat; atqui ex sola Mathesi hoc addiscere potuerant: unum idemque indivisibile est punctum, quod est in Sphæra exacte rotunda & Plano perfecte plano, quod tangitur à sphæra, &, licet in rebus creatis nullum posset dari exemplum, non tamen ideo hoc negandum est de Deo. Quod metuant hic contradictionem aliquam *Trinitatis hostes*, si una numero essentia divina communicetur pluribus numero distinctis personis, & sic essentiam divinam fore rem unam & res plures, vanus omnino est metus, ac contradictio hîc est nulla: sed ambiguitas est in voce, *res*, in qua ludunt *Sophistæ*.

IX. Argumentum illorum tale est. *Si in essentia divina eadem, tanquam in uno tertio, conveniant tres numero distinctæ personæ, ergo essentia divina erit una tantum res & simul res plures:* quæ est contradictio. Resp. Concedo consequens sequi ex antecedente, si vox, *res*, eodem modo sumatur: nego autem nunc sequi, quia vox, *res*, eodem modo non sumitur: ideoque & nego, esse contradictionem ob ambiguitatem in voce, *res:* ostendam ad oculum. Vox, *res*, accipitur hîc aliter, quando dicitur essentia divina esse, *una res*, & eadem esse *res plures*. Est *res* una, si accipiatur vox illa *absolute*, pro *natura:* Deus enim est *una essentia, natura, res: Est res plures*, si accipiatur vox illa *respective*, pro *modo & relatione substantiali:* Deus enim est *res plures*, id est plures modi & relationes substantiales ac personales. Ostendant *Sophistæ*, si possint, esse contradictionem, unam

unam *essentiam*, seu *rem*, *absolutam*, esse *tres modos respectivos*, seu *relationes personales*, seu *tres res relativas*. Qui vero ex Theologis nostris, quod hîc monitum velim, negant, *personas tres esse tres res*, vocabulum *res* strictissime sumunt pro *essentia* aut *ente reali*: neque enim tres personæ in S. S. Trinitate sunt tres essentiæ, tria entia realia; sunt tamen tres *res*, si vocabulum illud late sumas pro eo, quod est *aliquid* seu *ens late sumtum*, quale est omne illud, quod non est nihil, & comprehendit præter alia sub se & ambitu suo quoque *relationes* & *modos*: at si *res* & *ens* stricte sumas pro *ente reali*, cui soli convenit *essentia*, quale est, vel Deus, vel creatura, vel Substantia, vel Accidens, jam ex ambitu *entis realis* & *rei* excluduntur relationes & modi: & sic nulli Theologorum dicunt, tres Personas in S. S. Trinitate esse tres res, sed esse tres modos & relationes, reales, substantiales, personales: dicuntque insuper, recteque dicunt, distingui inter se realiter, id est, non per operationem rationis.

X. Quod attinet dubium, *de facultatibus anima rationalis*, motum *th.* 5. quod ex hoc canone non possint esse idem cum anima, illud facile solvitur: Nam, qui statuunt, facultates esse idem realiter cum anima rationali, ut *Scotistæ*, illi dicunt, reipsa illas inter se quoque esse idem, v. c. intellectum esse re ipsa voluntatem, & contra, & animam esse eandem cum utraque sua potentia. Et hæc sententia mihi semper visa est probabilior, qui odi tot entia, accidentia, potentias, habitus, &c. multiplicari absque necessitate: nec tamen sequitur, nos intelligere cum volumus, aut velle, cum intelligimus; nam adhuc distinctio operationum manet, propter diversa objecta, circa quæ versatur anima rationalis operando, ad quæ dicit diversos respectus: aliter anima occupatur circa verum, & tum intelligit, aliter circa bonum, & tum vult: & intercedit adhuc inter animam, intellectum, voluntatem, distinctio rationis ratiocinatæ, fundata in diverso respectu ad diversa objecta & inde consequentibus diversis operandi modis.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

VIGESIMA-NONA.

DE DISTINCTIONE RERUM.

THESIS I.

VExatissima est inde usque à Scholasticæ Philosophiæ exortu de *Distinctionibus rerum* Controversia, & adhuc lis ea sub judice est, dum alii plures, alii pauciores, distinctionis modos adstruunt, omnes vero ex fundamentis quibusdam novis, mirabilibus, fictis & excogitatis, (quorum ne vestigium quidem ullum apud *Philosophos Græcos*, *Academicos*, *Peripateticos*, *Stoicos*, extet) hæc distinctionum genera stabiliunt: hinc tot sententiarum divortia, in quot abiere *Scholastici*, qua Veteres, qua Recentiores, dum alio modo *Thomas*, alio modo *Scotus*, alio modo Alii, distinctionis modos concipiunt: sicubi varietas est, sic ubi anfractus sunt ac mæandri, hic eos reperire est. Et tamen, licet *de variis rerum distinctionibus* quæstio barbararum sit vocum sordibus fœda, subtilitatum tricis impedita, superstitionis nubibus obscurata, ea tamen per *Philosophiam* universam, per disputationem omnem ac commentationem ita sui usu diffusa est, ut nulla alia ex tam infinitis quæstionibus ac disputationibus in hodierna *Philosophia* motis, cum hac, *de varia rerum distinctione*, usus amplitudine certare possit. Verum, uti utilissima hæc est doctrina, ita est obscurissima, quia nihil fere est, ubi pedem figere liceat: & ex industria videntur

hic in partes abiisse, ut haberent, de quo inter se dimicarent homines contentiosi: Nos vero tandem videamus, quomodo ex hoc distinctionum labyrintho nos expedire valeamus.

II. Post varias de hoc negotio cogitationes, non videtur melius, brevius, distinctius, *generalis notio distinctionis* exprimi aut ejus natura ac ratio formalis proponi, (quæ tamen à pleriſque, si non omnibus, omissa est,) quam si *definiamus distinctionem* in abstracto, *esse illud, quo unus conceptus non est alius.* Ego quidem sic omnium commodissime definiri posse existimo, si dicamus: *Distinctio est id, quo unus conceptus non est alius.* Per *conceptum* intelligo hic, *& formalem & objectivum.* Sensus est definitionis, *quod Distinctio* formaliter & in abstracto *consistat in eo, ut unum non sit aliud, sive in natura, sive in intellectu: cum unum non est aliud in natura, res dicuntur differre conceptu objectivo: cum unum non est aliud in intellectu, res dicuntur differre conceptu formali.* Verum hanc Distinctionis definitionem paulo fusius declarare oportet. Ordiemur rem vero altius, & à primis repetemus principiis.

III. Duo sunt principia apud omnes certa: scil. 1. *impossibile est, idem, simul esse in natura, & cum aliis confusum esse.* 2. *impossibile est, idem, simul esse in mente, & cum aliis confusum esse.* Ratio utriusque est aperta: nam uti Deus & natura, ita quoque mens nostra, abhorret ab omni confusione: proinde, omnia, quæ sunt in natura, distincta sunt à se invicem: &, omnia, quæcunque sunt in mente, distincte repræsentantur: ita ut, quemadmodum distinctio objectorum extra intellectum id infert, ut unum non sit aliud, hoc non sit illud, sic distinctio notionum & noëmatum in intellectu hoc itidem infert, ut unum in intellectu non sit aliud. Itaque liquet, ad formalem rationem distinctionis in abstracto hoc pertinere, ut unum non sit aliud, sive in natura, sive in intellectu. Quocirca cum distinctio ita late pateat, debent extrema distinctionis designari tali termino, qui sub ambitu suo complectatur, quicquid uspiam datur, vel concipi potest: qualem terminum non novi in hoc negotio commodiorem, quam *conceptum:* nam communis *Philosophorum* usus obtiner, ut voce *conceptus* exprimatur, tum objectum quodvis, quod cognosci potest, *πᾶν νοητὸν*, tum ipsa cognitio, & hinc duplicem statuerunt *conceptum, objectivum & formalem. Conceptus objectivus*, aliis *materialis*, est res ipsa, quæ intellectui objici potest, ipsum, dico, objectum: *conceptus formalis*, est ipsa actualis cognitio objecti: jam vero in genere omnis distinctio versatur inter conceptum & conceptum, seu objectivum, seu formalem: adeoque bene definitur, meo judicio, *Distinctio, esse id, quo unus conceptus non est alius, sive objectivus, sive formalis:* & hinc infero, *distinctionem rationis ratiocinantis non esse distinctionem*, & tantum *ὁμωνύμως* sic dici: nam in tali distinctione vix ac ne vix quidem dantur diversi conceptus formales, v. c. cum polyonyma distinguuntur, nedum ut dentur distincti conceptus objectivi. Ego ergo, ut à generali definitione distinctionis ad ejus modos transeam, sic procedo.

IV. 1. *Rationis ratiocinantis distinctionem non agnosco*, neque sub definitione distinctionis à me posita comprehendo. 2. *Divido distinctionem in realem seu rei, & notionalem seu rationis*, scil. *ratiocinatæ*, quam ut *formalem* alii vocent, aut quocunque placet nomine, per me licet. *Distinctio realis seu rei* est, qua distinguuntur conceptus objectivi. *Distinctio notionalis seu rationis ratiocinatæ* est, qua distinguuntur saltem conceptus formales, licet objectivus conceptus idem sit seu eadem res: nam vel distinguuntur objecta vel non: si distinguantur objecta ipsa, *distinctio est realis*, si vero non distinguantur objecta ipsa, quæri potest de noëmatibus ipsis seu conceptibus formalibus, an illi distinguantur, necne? i. e. Utrum idem objectum sub diversis conceptibus inadæquatis sistatur intellectui, necne? *Inadæquati conceptus dicuntur, qui rem, nec plene, nec eodem modo, repræsentant:* si diversi sint conceptus formales de objecto uno eodemque, vocatur *distinctio formalis, notionalis, vulgo, rationis ratiocinatæ:* si vero ne quidem diversi conceptus formales dentur, proprie locum non habet distinctio; communiter tamen,

men, vel ob nomina diversa, vel ob alium quemcunque respectum, constituitur *distinctio*, quam vulgo vocant, *rationis ratiocinantis*.

V. Ex hisce ita explicatis multa nobis innotescunt; ac 1. facile jam intelligitur, *Utrum ex natura extremorum, an ex habitudine mutua eorum petenda sit distinctionis ratio?* Resp. à posteriori: nam quod non sit attendendum, ad realitatem, sed tantum ad cognationem & habitudinem extremorum, vel inde manifestum est, quod ad distinctionem realem satis sit, si extrema distinguantur, si distinguantur ipsa objecta, sive objecta ista sint entia realia, sive rationis & ficta, sive positiva, sive privativa, dummodo distinctio eorum non dependeat à formali conceptu intellectus. Pariter, ad distinctionem rationis perinde est, sive objectum, de quo ratio distinctos format conceptus, reale sit & extra intellectum, sive sit intentionale & ab intellectu unice dependeat, sive sit positivum, sive privativum, dummodo intellectui sub diversis conceptibus idem repræsentetur.

VI. 2. Manifestum est, *in quo consistat ratio distinctionis realis & rationis:* scil. uno verbo. *Distinctio realis est*, qua conceptus objectivus, (quicunque ille sit) alius est ab alio conceptu objectivo. *Distinctio rationis est*, qua conceptus formalis alius est à conceptu alio formali, manente eodem objecto (quodcunque illud sit) sub diversis istis conceptibus repræsentato.

VII. Ex utroque hoc Corollario, quod ex rebus jam explicatis deduximus *th. 5. & 6.* sequitur, *non esse necessariam distinctionem tertiam, diversam à reali & rationis*; quam *Modalem* vocant, aut quocunque nomine veniat. Nam 1. Distinctionum species nomen non sumunt, *ut jam ostensum* est, à natura extremorum, sed à mutua eorundem habitudine. At hæc vulgo recepta *Modalis* quorundam Distinctio nomen ab extremis sumit: ideoque membra essent inæqualis naturæ: etenim, si species distinctionum tantum sumendæ forent à natura extremorum, ut fit in *modali distinctione*, tum *realis* distinctio *tantum* esset *inter entia realia*, & *rationis* esset *tantum inter entia rationis*. Sed utrumque hoc falsum est: & dari deberet mista distinctio, ac nova ex reali & rationis conflata, qua ens reale distinguatur ab ente rationis: Et, quid opus est distinctione hac modali, cum commode reduci possit, vel ad realem, vel ad rationis, prout modi vel re vel ratione à re modificata sunt distincti? Certe, uti non est peculiare genus distinctionis excogitatum, quo explicetur distinctio inter ens & privationem, aut inter privationes inter se, ita multo minus excogitanda est distinctio nova, ut explicetur discrimen inter modum & rem modificatam, aut modos inter se. 2. Distinctio realis & rationis, prout à me explicantur, per conceptum alium atque alium, vel objectivum, vel formalem, opponuntur immediate, ac proinde non datur tertium genus distinctionis: antecedens patet, quia, quæ distinguuntur per diversos conceptus objectivos, distinguuntur ante mentis operationem; quæ distinguuntur per diversos conceptus formales, non distinguuntur ante mentis operationem: at distingui ante mentis operationem, & non distingui, opponuntur contradictorie, ergo immediate, quia contradictio caret omni medio: ideoque, si ante mentis operationem, aliud sit modus, aliud res, quam modificat, distinctio illa modalis est distinctio realis; si ante mentis operationem, non sit aliud modus, & aliud res, quam modificat, distinctio modalis est distinctio rationis: ergo modalis distinctio videtur mihi superflua. Uno verbo. Aut supponit hæc distinctio in re plura distincta, ita ut conceptus objectivi differant, aut non supponit in re plura distincta, sed ponit unum in re diversis tantum conceptibus formalibus apprehensum; si prius, est realis; si posterius, est rationis distinctio: nam entia non sunt multiplicanda sine necessitate, & ista citra necessitatem multiplicatio distinctionum tot difficultates nobis in *Philosophia* peperit: hac enim *modali* distinctione rejecta, cadit & illa, quæ Scoto *ex natura rei*, quæ aliis *formalis*, aliis *virtualis*, aliis *eminentialis*, aliis alio nomine venit: ruunt multæ divisiones distinctionum, quas videre est operose per suas classes deductas apud *Guilielmum Vrsinum in peculiari Disputatione de distinctionibus rerum.*

VIII. Verum, dicet aliquis, *si tantum duo admittis distinctionum membra, realis & rationis, debebis, omnia, quæ distinguuntur, ad alterum horum posse revocare.* Resp. id fieri posse, pro meo judicio, distinctionis realis & rationis subdivisione qualicunque instituta. Quomodo fiat, docebit Disputatio sequens.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

TRIGESIMA.

DE DISTINCTIONE RERUM.

THESIS I.

EXposuit *Disp. præcedens* duas *distinctionum* classes, *rei* & *rationis*, rejecta *modali:* supereſt, ut, quod promisimus *thesi* 8. *Disp. præced.* nunc præstemus, & omnia, quæ ullo modo distinguuntur, ad alteram harum classium revocemus. Sic ordimur.

II. §. 1. *Distinctio realis est, inter rem & rem*, id est, inter res plures diversas, idque, sive sint suppositа ejusdem speciei, ut Petrus & Paulus, sive sint suppositа diversarum specierum, ut Alexander & Bucephalus, sive sint genera diversa, ut substantia & qualitas, sive sint species diversæ, ut spiritus & corpus, sive quæcunque tandem individua diversa, sive corpora diversa, sive accidentia diversa, sive tota diversa, sive partes diversæ, quæ, aut de facto separatæ sunt, aut, si de facto separatæ non sint, separari tamen possunt citra contradictionem.

III. §. 2. *Distinctio realis mihi esse videtur inter modum & modum*, id est, modos plures diversos, sive sint modi existendi, sive sint modi operandi; *etiam inter relationes diversas*, quæ modorum nomine sæpe veniunt, ut inter causam & causatum, actum & potentiam; itaque huc pertinet distinctio *inter relationes personales divinas*, quæ sunt *modi subsistendi*; hinc realis distinctio est inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

IV. §. 3. *Distinctio realis mihi esse videtur inter rem & modum rei*, si non modum quemlibet, aliquem tamen, *qui scil. separari potest à re modificata*, ut inter calorem & gradum caloris aliquem, calor enim potest amittere gradum aliquem caloris, & tamen manere calor, nec amittit speciem suam aut essentiam; quæcunque vero separari possunt, ea realiter distinguuntur, nam quorum unum potest esse sine altero, ea non sunt prorsus idem, quia nihil potest in re dividi à seipso, quia, si divideretur, non esset prorsus idem, sed statim essent multa entia; divisio enim gignit multitudinem: at non potest aliquid esse, & multa entia, & unum ens. Ergo, cum modus separari, quidam saltem, possit, à re modificata, distinguitur ab ea realiter, & ante omnem operationem mentis: in multis sane, aliud est modus, aliud res modificata: *in multis*, dico; nam sunt modi quidam inseparabiles, qui à re modificata non distinguuntur realiter, sed ratione tantum, ut unitas, veritas, bonitas, ab ente. Sed quid dicendum est de distinctione horum modorum inter se: estne illa realis an rationis? Disquiri permittimus.

V. §. 1. *Distinctio realis datur inter privationes & negationes, sive cum rebus positivis, sive inter se invicem, comparentur:* sic differunt realiter, tenebræ & lux, cæcitas & surditas.

VI. §. 5. *Distinctio realis est inter entia rationis, sive illa conferantur inter se, sive cum ente reali*, v. c. sic distinguuntur realiter, subjectum & prædicatum, Chimæra & Mons aureus, Tragelaphus & Homo.

VII. Hæc quidem omnia realiter mihi videntur distingui. Nunc quæ ad rationis distin-

ſtinctionem referri queant, pariter explicandum venit.

VIII. §. 1. *Diſtinctio rationis, ſive notionalis, ſive formalis, eſt inter diverſas formas ſive rationes concipiendi rem eandem, in genere de quovis objecto:* nam in omni objecto poteſt intellectus partiri diſtinctos conceptus inadæquatos, ſub quibus objectum ipſum repræſentetur; ſcil. poteſt formare conceptum generícum, & differentialem, & ſpecificum, item communem & proprium: ſimiliter poteſt intellectus concipere diverſas facultates vel virtutes, ratione effectuum & operationum, ubi in re ipſa non dantur diverſæ virtutes; & in hiſce omnibus eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, ut loqui *vulgo* amant.

IX. §. 2. *Diſtinctio rationis eſt, inter diverſas formas ſeu rationes concipiendi rem eandem de objecto reali*, quod extra fictionem mentis eſſe habeat, quocunque nomine veniat: de ente, dico, reali quolibet, poſſunt diverſi conceptus formari, vel quoad rem ipſam, vel quoad modos rei, licet in objecto ipſo nulla detur diverſitas: ita diſtinguuntur animal & homo in eodem homine, vis calefaciendi & exſiccandi in eodem lumine, aliaque ſunt exempla ubivis obvia.

X. §. 3. *Diſtinctio rationis, ſpeciatim locum habet in Deo, de quo licet formare diſtinctos conceptus*, quibus, tum attributa ab eſſentia, tum unum attributum ab altero, tum perſonæ ab eſſentia actuſque perſonales ab eadem, diſtinguuntur, ſalva manente eſſentiæ divinæ ſimplicitate ſumma: ita v. c. differt juſtitia Dei ab ejus infinitate, omniſcientia à juſtitia, paternitas & filiatio ab eſſentia Dei, generatio & ſpiratio ab eſſe divino. Compoſitio ergo ex ſubjecto & attributo, attributo & attributo, natura & ſuppoſito, ſimplicitatem Dei non evertit, quia hæc omnia in Deo ſunt unum & idem, & ratione tantum diſtinguuntur.

XI. Ita quidem diſtinctionem rei ſeu realem, & rationis ſeu notionalem, ex mente noſtra *diſp. præced.* expoſuimus, hac *præſenti* illuſtravimus; nunc pariter, quæ ſint *ſigna* & genuina *indicia* diſtinctionis, tum rei, tum rationis, videndum eſt. Varia quidem conſtitui ſolent, ſed multa ſpuria & adulterina. Ego certiſſima notabo. Sunt autem τεκμήρια ſeu *ſigna realis diſtinctionis*, quædam *generalia*, quædam *ſpecialia*.

XII. §. 1. *Signa generalia diſtinctionis realis* ſunt, 1. *eſſentiæ diverſitas:* quæ enim diverſas habent eſſentias, ea citra controverſiam realiter diſtinguuntur. 2. *Separabilitas:* quæcunque enim ſeparari poſſunt citra contradictionem, ea differunt realiter: nam cum ſeparantur, uti poſſunt, unum eſt ſine altero: ubi unum eſt ſine altero, ibi unum realiter alterum non eſt. 3. *Oppoſitio*, prout oppoſita vulgo definiuntur, quæ, neque de ſe invicem, neque de eodem tertio, ſecundum idem, ad idem, eodem modo, atque tempore, affirmari poſſunt; &, diſpeſcuntur in diſparata, relative oppoſita, contraria, privative oppoſita, & contradicentia. Quæcunque igitur ſunt oppoſita iſtis modis, realiter diſtinguuntur, quia oppoſitio infert, non tantum, ut hoc non ſit illud, ſed etiam ut hoc repugnet illi.

XIII. §. 2. *Signa diſtinctionis realis ſpecialia* ſunt, vel de ſubſtantiis, vel de accidentibus. *De ſubſtantiis. Vbi datur ratio producentis & producti, ibi datur diſtinctio realis:* nam oportet ad minimum ſuppoſitis differre, inter quæ dantur ejuſmodi reſpectus: quæ vero ſuppoſitis differunt, ea omnino differunt realiter. *De accidentibus. Quæcunque accidentia ſubjectis diſtinguuntur, ea diſtinguuntur realiter.* Unum namque accidens nequit eſſe in pluribus ſubjectis.

XIV. §. 3. *Signa diſtinctionis rationis* mihi hæc ſunt. 1. *Subordinatio prædicamentalis. Quæcunque in eadem ſerie prædicamentali ſibi ſubordinantur, ea diſtinguuntur ratione*, quia differunt ſecundum inadæquatos conceptus, & recte dicuntur *diſtingui formaliter*, quia diverſæ ſunt formæ concipiendi ea, licet in re ſint unum & idem: ſic diſtinguuntur, ſubſtantia, corpus, vivens, ſentiens, homo, Petrus. 2. *Diverſa definitio. Quæcunque definitione differunt, ea ad minimum differunt ratione.* Diſtinguuntur & definitione, quæ realiter differunt, ſed non omnia ideo, quæ differunt definitione, ſtatim diſtinguuntur realiter, differunt tamen plus quam ratione ratiocinante, ut loqui ſolent vulgo, quia, ubi diverſa eſt definitio, ibi eſt diverſa

versa ratio formalis; definitio enim est ratio essentiæ: ubi autem hæc diversa est, ibi ad minimum formalis diversitas seu distinctio rationis ratiocinatæ concedenda est; actio & passio definitione differunt, formaliter differunt, quia unus idemque motus inadæquatis conceptibus formalibus apprehenditur, attributa entis ab ente, & inter se, definitione, formaliter, consequenter & ratione distinguuntur ratiocinata. Signum in specie distinctionis ratiocinatæ de ente simplicissimo Deo est. *Quæcunque de ente simplicissimo Deo concipiuntur, ea ratione ac formaliter distinguuntur*, quia non inferunt veram oppositionem, ut essentia, independentia, omnipotentia, paternitas, generatio, &c. quæ in divinis non sunt opposita. Atque hæc fuerunt *signa distinctionis*, tum *rei*, tum *rationis:* restat *utriusq;* una *subdivisio* explicanda.

XV. *Distinctio realis* est, vel *non essentialis*, vel *essentialis:* nam tertium membrum distinctionis realis, nempe *suppositalis*, est superfluum, quia suppositalis distinctio, aut pertinet ad non essentialem, ut in divinis, aut ad essentialem, ut in rebus creatis. Distinctio *realis non essentialis*, alias *realis tantum*, est eorum, quæ sunt ejusdem essentiæ numericæ, ita tamen, ut sibi mutuo sint incommunicabilia: hæc *distinctio, realis tantum, seu non-essentialis*, invenitur in S S. & adorando Mysterio Trinitatis: nam Personæ Trinitatis sunt ejusdem numericæ & singularis essentiæ divinæ, sed, in quantum charactere personali distinguuntur, sunt sibi invicem incommunicabiles, ita ut una persona ob proprium characterem personalem non sit alia. *Distinctio realis essentialis* est eorum, quæ habent essentias diversas, sive separatæ sint, sive separabiles absque contradictione. Hæc est, *generica, specifica, numerica. Genere differunt*, vel quæ in diversis sunt prædicamentis, non τὰ κατηγορούμενα sed τὰ ὅτων, vel quæ sunt sub diversis unius Categoriæ speciebus: prioris exemplum est, linea & habitus, posterioris, homo & lapis. *Specie distinguuntur*, quæ in conceptu quidem generico conveniunt, sed forma specifica distinguuntur, ut homo & brutum. *Numero distinguuntur*, quæcunque ejusdem speciei sunt, sed, vel in diversis subjectis reperiuntur, vel diversa suppositа constituunt. Duobus itaque modis contingit, *numero differre*; 1. cum res differunt subjectis, sic ut unum existat sine altero, quo modo albedo in pariete differt numero ab albedine lactis, nivis, cerussæ &c. eruditio Petri ab eruditione Pauli. 2. cum res genere & forma essentiali conveniunt, distinguuntur autem forma contracta per conditiones individuantes, hic & nunc, &c. quomodo differunt Petrus & Paulus.

XVI. *Distinctio rationis est, vel virtualis, vel formalis, vel modalis. Virtualis est eorum, quæ diversimode se exerunt ac si essent virtutes aliæ atque aliæ.* Ita vis indurativa, liquefactiva, rarefactiva, calefactiva, distinguuntur in Sole, ratione, virtualiter, quia eadem est virtus, quæ diversos illos effectus edit: sic virtualiter distinguuntur, justitia, misericordia, & attributa Dei. *Formalis distinctio est illorum, quæ unitive in uno sunt contenta.* Sic *formaliter* distinguuntur, 1. Superiora & inferiora essentialiter sive invicem subordinata, ut homo & animal. 2. Passiones: sic affectiones entis sunt unitive in ente & ab eo continentur, distinguunturque formaliter ab eo. *Modalis distinctio rationis, est inter rem & modum rei inseparabilem, vel inter modum & modum non sibi invicem oppositos, sed ratione formali tantum distinctos, quando sc. modi de se invicem prædicari possunt:* sic distinguuntur modaliter, ratione, ens & unum, unum, & verum, & bonum, inter se.

XVII. *Sed quo referes*, dicat quis, *distinctionem accidentalem, tum internam, imparitatem & dissimilitudinem, tum externam, causalem, effectivam, subjectivam, adjunctivam?* Resp. *ad distinctionem realem non-essentialem.* Hæc enim subdividatur in suppositalem & accidentalem, & hæc iterum in internam & externam, atque utraque in suas species, ut fieri solet. Non putem vero ullam superesse distinctionis speciem, quæ non commode revocari queat ad aliquam classem jam à me expositam.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

TRIGESIMA-PRIMA.

DE IDEIS.

THESIS I.

AGgredimur materiam arduam & sublimem, de Ideis contemplationem, quæ insigni tamen se commendant utilitate: multum enim confert, *ad sapientiam*, *ad religionem*, *ad morum informationem*. *Ad sapientiam*; sapientia enim circa primas altissimasque rerum causas versatur. Sed ideas perscrutari, nihil est aliud, quam has causas perscrutari. *Ad religionem*; sine *Ideis* enim, nec dependentia mundi à Deo, nec divina providentia, rite explicari potest. *Ad morum informationem*; fieri enim non potest, quin ille, qui *Ideas* Dei recte fuerit contemplatus, cognoscat admirabilem Dei sapientiam, potentiam, bonitatem, & Deum cognitum, sapientissimum, potentissimum, optimum, amet, colat, veneretur.

II. *Idea*, ut *nomen* primum explicemus, Græca vox est, sic dicta ἀπὸ τοῦ εἶδειν, à *videndo*, *aspectando*, Latine *aspectus*, *species*, *specio* enim antiquitus idem erat quod *video*, quia, ut *Lud. Vives ad lib. 7. August. de Civit. Dei c.* 28. notat: sicuti artifex, dum conceptum aliquem seu partum in externa materia procreare meditatur, formam rei producendæ objectam intellectui adspicit, adspiciendo contemplatur, contemplando operatur; ita & Deus mundum procreaturus, ideam ejus faciendi intellectui suo ex sese & à sese objectam adspexit & contemplatus est, & sic, ut eum adspexit & contemplatus est, produxit. Hinc, quia *Idea* est originalis rerum species, in intellectu existens, & ad solam rationem pertinens, sola mente perceptibilis, & quia est ratio secundum quam opus ad extra producitur, factum est, ut Latini *Ideas* appellaverint *rationes*, in quo à nominis quidem proprietate (nam *ratio* Græcis non ἰδέα sed λόγος dicitur) non tamen à rei veritate discesserunt: nam ideæ sola *ratione* & intellectu continentur, & sunt λόγοι rationes rerum in Deo producendarum extra Deum: quia autem res extra Deum à Deo ad *Ideas* divinas efficiuntur, hinc *exemplaris*, & παραδείγματος nomen invenerunt, juxta illud *Boëthii*, *pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens similique ab imagine formans.* Et quia hæ *Ideæ* à Deo cognoscuntur, imo sunt rationes in Deo cognoscendi res (sunt enim eædem cum essentia divina, in qua Deus omnia cognoscit, ut postea probabimus) ideo etiam rerum *notiones*, *conceptus*, *similitudines*, *imagines*, *simulachra*; & quia intellectum divinum quasi informant, *formæ*, appellantur, quin &, quia in *Ideis*, tanquam in seminibus, occulta quasi sunt & incluſa, quæ mox producentur, *rationes* quoque rerum *seminales* dicuntur. Hæc de *Voce*:

III. *Ideas dari*, quo sensu vocem explicuimus, probandum nunc esset; sed placet, antequam ad rem ipsam perveniamus, cum *Aristotele* congredi, & ab ejus injuriis vindicare *Platonem*, cui lib. 1. Metaph. t. 30. & 7. lib. t. 20. 21. sed præsertim lib. 1. Eth. Nicom. c. 6. nescio, quod monstrum opinionis circa *Ideas* affingit. Multi sane hîc *Aristotelem* strenue accusant, ac non ingrati solum animi, sed palmaris quoque mendacii reum faciunt: ajuntque rotunde, *Platonem* nullas tales, quales fingit *Aristoteles*, *Ideas* posuisse, imo ne per somnium quidem cogitasse: sed *Aristotel.* affinxisse sententiam talem *Platoni*, ut haberet quod oppugnaret. Imo conqueruntur nonnulli de summa hîc injuria facta *Platoni*, cujus longe alia fuit mens, quam quæ ei ab *Aristotele* tribuitur, qui hîc cum umbra luctari voluisse videtur. Dicit *Aristoteles*, *Platonem* posuisse pu-

rissimas quasdam formas rerum naturalium, abstractas à corporibus, & seorsum à divina mente subsistentes, & has *Ideas esse*. Verum enim vero maximus *Plato* ac *Philosophus divinus* non excogitavit profecto *Ideas*, errabundas inter nubes, aut in terrarum vel orbis mundani angulo alicubi delitescentes, sed in mente eas posuit divina, æternas atque immutabiles. Detur quæso fingendi licentia; quis est, qui non animadvertat, ineptas esse cogitationes, si quis fingat bovem aut leonem quendam maximum, per se consistentem, & alicubi extra omnes boves & leones singulares existentem, egregia anima & formoso corpore præditum, ad cujus Ideam boves omnes ac leones singulares sint expressi, formati, facti? Apage nugas, homine mentis sanæ; nedum tanto *Philosopho Platone*, indignas. *Plato* omnium rerum Ideas & exemplaria in ipso *Deo* posuit: quæ sententia non tantum reprehensionis est expers, sed omnem laudem contra meretur atque admirationem, ac *Patribus* Antiquis ita placuit, ut, revelationi potius quam ratiocinationi eam debuisse acceptam referre Platonem, nonnulli existimaverint. Quid enim pium magis, quam rerum omnium ideas, seu archetypos, seu exemplaria, in *Deo* collocare? ita certe *Dei sapientiam* in omnium rerum creatione & intelligimus & explicamus optime, eamque sic exposuere sanctissimi *Patres*, *Clemens Alexandrinus*, *Iustinus Martyr*, & magnus *Augustinus*. Sed, ut, quæ *Platonis* mens fuerit, clarissime liqueat, eam apertissime proponemus, prout ex ipso & *Marsilio Ficino*, Platonicorum inter recentiores Coryphæo in sua *Theologia Platonica*, hauriri potest.

IV. *Plato*, vir divinus, à *Deo* creatore pendere omnia certo sciens, cum is eximie sapiens, potens, & bonus esset, eum omnis veritatis & virtutis fontem statuit, è quo rivuli in omne genus creaturarum propagarentur; atque ut creaturæ omnes ab eo ortum ducunt, ita in eundem quoque per medium hominem desinunt; cujus hominis beatitudo in morte Philosophica (est enim Philosophia meditatio mortis) qua cum Deo conjungitur per contemplationem & actionem, reposita est. In *Deo* ergo sunt omnia æquivalenter, in eodem omnia à se cognoscuntur excellenter: & hæc cognitio *Idea* dicitur ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν à videndo, *Mater* omnium εἰδῶν, *specierum creaturarum*, uti *Deus* est *Pater* omnium entium. Atque sic in mente divina esse *Ideas* rerum omnium, quoniam Deus semet ipsum intelligens, omnia etiam à se creanda intelligit: quin amplius in hujus *Idea divina* contemplatione, id est, animæ cum Deo conjunctione, summum hujus vitæ bonum collocari, *Plato* docuit. Videatur ac legatur ipse *Plato* in *Timæo*, in *Parmenide*, in *Phædone*, in *Convivio* in 6. & ult. de *Rep. lib.* & alibi: &, quicunque non plane hospes est in lectione *Platonis*, ei facile constat, hanc ipsam esse *Platonis* sanctissimam mentem, quam cum sciret *Aristoteles*, qui annos viginti *Platonem* audiverat, prudens tamen & sciens eam dissimulavit, atque aliam plane ei affinxit, egregius in Præceptorem calumniator, qui ideo ipsemet, in suis castris, à militibus suis, quamvis sacramentum ei dixerint, *Themistio*, *Simplicio*, *Eustratio*, Magnus *Imperator* turpiter deseritur, ac gravissimo impietatis crimine ab iis aliisque notatur & condemnatur.

V. Sic loquitur *Themistius*, cum de *Ideis* philosophatur, & de hac *Idearum* ab Aristotele facta explosione. *Aristoteles Platoni perpetuo contradixit*, id est, *sophistice captioseque disputavit, & non tam Platonis sententiam, quam ejus speciem, & quod sibi finxit sententiæ Platonicæ simulachrum, oppugnavit.* Quod multo clarius expressit *Simplicius*, easdem *Platonis* Ideas defendens, cum inquit disertim: *Aristoteles, cum in Ideas Platonis debacchatur, potius ad verba, quam ad sensum argumentatur.* Quid *Eustratius* in suis ad *Eth.* Nicom. *lib.* 1. *c.* 6. *Posset*, inquit, *aliquis jure Aristoteli objicere. Videris, ô Aristoteles, de industria, quippe qui amicus & discipulus Platonis extiteris, adversus opinionem de Ideis adeo captiose & fallaciter disputasse, ut ex eo, quod nihil dicturus esses, quod ad evertendam de Ideis sententiam valeret, eam confirmares magis atque stabilires.* Atque hæc sunt tria *Aristotelis* inter *Græcos* testimonia, in hoc negotio *Idearum*, de ejus fidelitate & sinceritate, prolata.

VI. Unum adjungemus ex *Latinis* ac recentio-

centioribus *Aristotelis* Interpretibus, hominis Ἀριστοτελικωτάτου, & *Thomista* inexpugnabilis, & *Aristoteli* & *Thomæ* addictissimi, & inter barbaros *Scholasticos* sua barbarie principis, *Chrysostomi Iavelli*, testimonium, qui in *secundo tomo operum Philosophicorum*, *Epitomæ suæ in Ethicam Platonis*, *tract.* 7. *c. ult.* omnium diligentissime rationes collegit, quæ *Aristotelem*, in *Ideis Platonicis* impugnandis, speciatim in *idea boni* exagitanda, egregium agere dissimulatorem doceant: sic loquitur. *Quam falso id Platoni tribuat Aristoteles, ut felicitatem voluerit positam, in generali quodam bono, quod apud Platonem ipsum idea boni sive per se bonum appellatur, vel ex eo constat, quod Plato docuit apertissime, tum aliis in locis longe plurimis, tum vero maxime in Symposio seu convivio, veram felicitatem in divinorum entium contemplatione consistere. At idem ipse de felicitate sentit Aristoteles, nec quicquam potuit invenire excellentius, lib.* 10. *Eth. Nicom. Ergo quod attinet ad sententiam, à Platone non discrepat, sed dissentire vult verbis: solet enim Plato, Dei contemplationem, spectaculum per se boni ac pulchri vocare, quod Aristoteles sub Idea seu boni separati nomine tam vehementer hic exagitat.* Hæc *Iavellus*, qui ibidem supervacaneum judicat, *Aristotelis* ratiocinia, contra *Platonis* Ideas allata, solvere, *quia*, inquit, *ludunt in ambiguo.* Si cui tamen argumenta *Aristotelis* refutata videre gestiat, adeat commentarios accutatissimos *Audomari Talai in l.* 1. *Eth. Nicom. Campanellam in Metaph. parte* 3. *l.* 13. *Scipionem Agnellum in l.* 1. *de Ideis.*

VII. Ex hisce omnibus satis constat, non sine ratione, *Aristotelem*, falsitatis, dissimulationis, ingratitudinis, contra *Platonem*, Præceptorem suum, in impugnandis Ideis, accusari; atque hoc tanto magis fidem invenit apud multos, quod idem à *Plutarcho* & *Laërtio* (at quantis Authoribus!) confirmatum reperiatur. Verba *Plutarchi* sunt. *Ideas Platonicas Aristoteles ubique dictis incessens, in moralibus, in naturalibus commentariis, in iis, quæ exoterica vocantur, disputationibus, visus est quibusdam, majore contendendi quam sapientiæ studio id fecisse, ut qui proposuisset Philosophiam Platonis contemnere, tantum abest, ut eam fuerit secutus.* Hæc *Plutarchus*. *Laërtius in Aristotelis* vita sic de eo scribit. *A Platone adhuc vivente defecit: itaque dixisse Platonem ferunt. Aristoteles nos calcaneo petit, ut pulli solent matrem, ubi sunt in lucem editi.* Et hæc *Laërtius.*

VIII. Qui *Aristotelem* hic excusant, ajunt, eum, non tam contra *Platonis* sententiam, quam contra eam, quæ vulgo pro *Platonica* haberetur, disputasse. Quicquid sit de hoc negotio, sufficit nobis, jam ostendisse, *Platonem* longe ab eo abfuisse, ut rerum omnium universales quasdam *Ideas*, existentes extra *Deum*, extra res singulares, docuerit, & quod eas in *Deo* ipso ac solo constituerit, in quo illas repetiri sequens docebit *Disputatio.*

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi, ...

TRIGESIMA-SECUNDA.

DE IDEIS.

THESIS I.

QUid vox hæc, *Idea*, significet, *disp. præced.* explicatum est, & simul quam injuriam fecerit *Platoni Aristoteles*, dum aliam hujus vocis notionem effingit, quam *Plato* asseruerat. Nunc rem ipsam spectemus. Ac primo videbimus: *An sint in Deo Ideæ?* Deinde, *quid sint?* Utrobique multa sese offerent abstrusa, sed quæ laborem indagandi ac contemplandi sua utilitate compensabunt.

II. *Dari Ideas in Deo*, ratione naturali sciri potest, & cognitum fuit à multis Ethnicorum.

Nos argumenta proferemus aliquot, quibus esse evincemus.

III. §. 1. Omne agens quod agit ex ratione, Barbari dicunt, rationabiliter, clarius, quod agit per intellectum, necesse est, ut illud apud se habeat rationes & formas rerum, quas efficiet & efficiendas cognoscit. Sed Deus est agens tale. Ergo. *Assumo.* Atqui hæ rationes & formæ rerum faciendarum, & quibus res faciendas Deus cognoscit, sunt nihil aliud, quam ideæ. Ergo illæ dantur in Deo: Profecto, hæc est differentia inter agens naturale & rationale, quod naturale agat, motum ab alio, & sic non indiget exemplari, per quod agat; at rationale agit motum à se, per rationem quam habet in se. Deus autem in producendo mundo est agens rationale, non naturale. Ergo, &c.

IV. §. 2. Mirabilis rerum omnium atque universi ordo & causarum series ac societas ostendit evidenter, quod creator illarum agat cum summa ratione & sapientia: ratio enim illa eminentissima ac sapientissima, & quæ omnia ordinat, se ipsam ignorare non potest: alioqui summa ratio foret irrationalis, nullam enim sui rationem haberet: Mundum autem, non casu, nec fortuito, nec temere, sed eminentissima ratione, extitisse, atque etiamnum consistere, perpetua membrorum ejus tam repugnantium conspiratio aperte declarat. Summa itaque ratio seipsam intelligit, & quia est rerum omnium ordinatrix, dum se ipsam intelligit, intelligit se, ut omnium rerum ordinatricem: sed intelligere seipsam ut rerum omnium ordinatricem, nihil est aliud, quam intelligere, quibus rationibus ipsa *Ratio* intelligens omnia efficiat, disponat, moderetur. Atqui hæ rationes in summa & sapientissima omnium *Ratione* sunt Ideæ. Ergo, &c.

V. §. 3. Omnis virtus prius intra se ipsam suam generat prolem, quam extra se: sic vita vegetativa, tam in plantis quam animalibus, semen, quasi plantam & quasi animal, &, si *Scaligero* credimus, plantam imperfectam & animal imperfectum, in proprio corpore prius producit, quam id faciat extra se, & vel plantam vel animal producat extra se: sic sensitiva vita in seipsa per phantasiam prius rei simulachrum efformat, antequam in externa materia progeniem & effigiem sui producat: sic & rationalis vita, prius in se ipsa rei agendæ rationem concipit, antequam extra se ipsam rem efficiat palam.

VI. §. 4. De ratione Ideæ sunt hæc tria, ut volunt *Scholastici*, 1. ut sit forma rei, præter ipsam rem, in agente existens. 2. ut res producta imitetur, referat, & exprimat illam. 3. ut agens intendat rem exprimere secundum Ideæ similitudinem. At Deus operatur juxta tres has conditiones. Ergo operatur secundum Ideas. *Prob. minor.* Quia perfectissimus operandi modus debet Deo tribui: At talis est, qui juxta tres conditiones relatas procedit, quod patet in artificibus perfectissimis, qui semper sic operantur.

VII. §. 5. Qui per suam essentiam facit omnia, is in sua essentia continet omnia, & comprehendit omnia; alioquin, quæ faceret, non cognosceret. At Deus per essentiam facit omnia: quia Dei potentia non distinguitur ab ejus essentia. Ergo etiam omnia continet & comprehendit in sua essentia. Sed non continet nec comprehendit omnia in sua essentia, nisi contineat & comprehendat in illa omnium rerum Ideas: Nam ante res productas, non potest eas aliter concipere aut comprehendere, quam per ideas. Ergo, &c.

VIII. §. 6. Omnis forma cujuscunque effectus suo modo à causa comprehenditur: Nam, & omnis causa per aliquam agit formam, & omnis effectus ab aliqua forma proficiscitur, in qua comprehendatur, aut secundum esse naturale, aut secundum esse intelligibile. At Deus est causa omnium. Ergo comprehendit omnium rerum formas: non comprehendit autem eas secundum esse naturale, sed secundum esse intelligibile. Sed rerum formæ secundum esse intelligibile comprehensæ, sunt Ideæ. Ergo, &c.

IX. §. 7. Quemadmodum se habet pura potentia, ita etiam se habet purus actus. At pura potentia est illa, in qua nullæ rerum formæ ante sui productionem existunt, qualis vulgo dicitur materia prima Peripateticorum. Ergo purus actus erit, in quo omnes rerum formæ ante sui productionem existunt. At

Deus

Deus est purus actus. Ergo, &c. Sed non existunt in Deo formæ rerum omnium ante sui productionem secundum esse reale: sic enim essent productæ antequam producerentur. Ergo secundum esse objectivum & intelligibile: at hoc est idem esse, cum esse rerum idealí, ut egregie demonstrat in sua *Metaphysica Scotista Martinus Meurisse, cap. de Ideis.* Ergo in Deo dantur Ideæ. Quod erat demonstrandum. Vid. subtiliter philosophantem de Ideis, *Fitanum Solonem in Exercit. Metaph. lib. 2. tract. 6.* Hæc fuit idearum κατασκευή, sequitur ἀνασκευή.

X. §. 1. *Perfectius est agens, quod non eget exemplari, quam quod eget. At Deus est agens perfectissimum. Ergo non eget Ideis.* Resp. Si Deus indigeret inspicere exemplar extra se, esset agens imperfectum: sed Deus tali exemplati non eget: inspicit enim essentiam suam intra se, ut exemplar. Sed, essentiam suam inspicere ut exemplar, perfectio est, & non imperfectio est.

XI. §. 2. *Idea ponitur in Deo ut sit principium cognoscendi & operandi. Sed Dei essentia est sufficiens utriusq; principium. Ergo non opus est Ideis.* Et, *Deus in seipso & per seipsum cognoscit omnia. Sed non cognoscit seipsum per Ideam. Ergo neque alia à se.* Resp. Ipsa essentia divina est idea & similitudo omnium rerum ut est cognita; & quamvis Deus per suam essentiam cognoscat se & alia, quia tamen essentia divina est principium operativum aliorum, & non sui, ideo dicitur aliorum Idea, & non sui.

XII. §. 3. *Quicquid fit, à suo simili fit. At Ideæ divinæ non sunt similes rebus Ideatis, ut loquuntur, id est, ad Ideam expressis.* prob. minor. *Quæ genere differunt, ea non sunt similia. Sed Ideæ & res ideatæ differunt genere: nam Ideæ sunt incorruptibiles & Ideata corruptibilia.* Et potest hoc argumentum adhuc aliter institui. *Idea dicit rationem similitudinis, & similitudo dicit rationem convenientiæ: Dei autem & creaturæ cum sit summa distantia, nulla est ibi convenientia; si nulla convenientia, nulla quoq; est similitudo: si nulla similitudo, nulla quoque est Idea in Deo. Ergo, &c.* Resp. *Quicquid fit, à suo simili fit:* non est simpliciter verum: nam fallit hoc axioma, 1. in causis æquivocis: mus ex putri genitus non est similis Soli. 2. in causa remora: canis à cane & sole genitus, non est similis Soli. 3. in causis instrumentalibus: gladius cicatricem efficit: sed cicatrix non est similis gladio quoad speciem. Deinde similitudo est duplex: una univocationis seu participationis, quando duo conveniunt in uno conceptu univoco & communi, sicut Petrus & Paulus dicuntur similes, quia conveniunt in humanitate, quæ est communis illis, de quibus formamus unum conceptum communem & univocum, hæc similitudo non reperitur inter Deum & creaturam, quia ea, quæ dicuntur de Deo & creaturis, non dicuntur univoce: alia est similitudo expressionis seu repræsentationis, quando unum distincte repræsentat & perfectissime exprimit aliud, sive conveniant in aliquo communi, sive non, uti species intelligibilis hominis est similitudo ejus; & hæc similitudo invenitur inter Deum & hominem: nam Deus dicitur similitudo creaturæ, quia idea, quæ est in Deo, imo, quæ est ipse Deus, exprimit & repræsentat creaturam ipsam perfectissime, & sic Idea dicitur similitudo rei cognitæ, quia est ratio cognoscendi rem. Unde ad *argumentum resp.* quod nulla sit similitudo inter Deum & creaturam, univocationis & participationis, concedo; repræsentationis & expressionis, nego.

XIII. §. 4. *Relativum non præcedit absolutum. Sed Ideæ sunt entia relativa, quia sunt Ideati Idea, Ideata sunt entia absoluta. Ergo non possunt præcedere Ideæ Ideata. Ergo non sunt in Deo ante Ideata; at si non sint ante Ideata; ne in Deo sunt quidem, quia scientia Dei sic augeretur, & produceretur à rebus extra Deum.* Resp. Ideæ duobus accipiuntur modis; vel pro imitatione atque expressione, vel pro re, quæ imitationi seu expressioni subjicitur: priori modo, sunt quid relativum; secundo modo, sunt quid absolutum. Sed enim Deus spectatur, prout homo divinam essentiam suo modo imitatur & exprimit, Deus refertur idealiter ad hominem & ad eum se habet relative: At si consideratur, ut omnium in se continens idealiter & repræsentans per modum unius absolutissimi in seipso atque essen-

tia sua, est ens absolutum: sic ut idea in Deo sit aliquid relativum, ut refertur ad creaturam; & aliquid absolutum, ut refertur ad Deum.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

TRIGESIMA-TERTIA.

DE IDEIS.

THESIS I.

QUæstionem, *an sit*, de *Ideis*, solvit *disp. præcedens*, quæ, eas esse & dari in Deo, multis evicit rationibus: nunc quæstio, *quid sint Ideæ*, solvenda venit: hæc solvitur per definitionem, quæ est ratio quidditatis, ratio essentiæ, λόγος ὃ τὶ ἦν εἶναι, ratio ejus esse, quid est: ἦν enim Attice ponitur pro ἐστὶ, id est, definitio est illa ratio, quam quis reddit, de aliqua re, rogatus, quid est illa res? Ergo & nos in definitionem aut qualemcunque saltem descriptionem *Ideæ* inquiramus. Ea non una, sed varia, à *Scholasticis in Mag. Sent. & Commentatoribus in Thomæ Aquinatis summam*, adferri solet. Non est nobis animus, omnes *eorum* definitiones in medium producere. Videtur nobis esse perfectissima, aut perfectissimæ proxima hæc, quæ sequitur.

II. *Idea Dei, est forma substantifica, objecta menti, seu intellectui divino, intra ipsum existens, ad quam adspiciens operatur.* Vel brevius. *Est similitudo rei in Deo, per quam res cognoscitur, aut cognita producitur.* Nos utramque explicabimus. *Forma* vel *similitudo* loco *generis* est, reliqua sunt loco *differentiæ*. *Idea* in Deo dicitur *forma*, & quidem vocabulo barbaro, sed tamen significanti, *Substantifica*, quia est ipsa natura & essentia divina, in quantum à creaturis diversis diversa ratione est imitabilis: Dicitur porro *objecta intellectui*, ad excludendos actus & habitus ipsius intellectus, qui non habent rationem objecti: Idea autem objectum est, quod intellectus contemplatur: unde nec species intelligibilis, neque ars in mente artificis, est Idea, quia non habent rationem objecti, sed tantum principii effectivi; & ideo solum verbum mentis, proprie Idea dicitur, quia habet rationem objecti, & est similitudo expressa rei. Tertio, dicitur in descriptione priori Ideæ, *intra ipsum intellectum existens divinum*, ad excludendum exemplar externum, ad quod agens artifex interdum respicit in suis operibus: Idea vero est exemplar internum ipsius intellectus; non tamen hinc sequitur, eam menti inhærere, accidentis instar: sed satis est, quod ibi sit per modum objecti, quod sit ipsum objectum intellectus. Postremo additur, *ad quam Deus, universi artifex, aut opifex potius, respiciens operatur*; quibus verbis excluduntur formæ rerum naturalium: nam licet agens naturale producat effectum sibi simile, simile suæ formæ, v. c. ignis ignem, forma tamen ipsa naturalis non habet rationem Ideæ, quia agens naturale non operatur, respiciendo ad illam: ideoque effectus causæ naturalis non habet Ideam sui in causa proxima, sed in causa remota tantum ac prima: & hinc explicari potest hoc Philosophorum axioma, *Opus naturæ est opus intelligentiæ*; sc. quia res & effectus naturales imitantur Ideas, quas Deus habet in mente sua & contemplatur in productione rerum.

III. Altera definitio Ideæ à nobis allata, dicebat, *Ideam esse similitudinem rei, per quam res cognoscitur, aut cognita producitur.* Ex hac descriptione patet, esse quasdam Ideas, tantum cognoscendi, quales sunt possibilium, quæ nunquam fiunt, aut etiam impossibilium, quasdam esse cognoscendi & producendi simul, quales sunt futurorum; unde rectissime doctissimus ait *Amesius* th. 23. c. 7. l. 1. *Medulla*

dulla ſua Theologica, quæ hoc nomen vere meretur. *Idea, prout conſiderantur antecedentes decretum divinæ voluntatis, quidditatem rerum repræſentant & exiſtentiam tantum poſſibilem: prout conſiderantur poſt determinationem divinæ voluntatis, repræſentant eaſdem res, ut actu futuras, ſecundum actualem ſuam exiſtentiam.* Porro *Idea rerum in Deo*, dicitur *ſimilitudo*, non univocationis aut participationis, ſed repræſentationis aut expreſſionis, uti illa diſtinctio *diſp. præced.* eſt explicata: quatenus eſſentia Dei à ſe cognita repræſentat & quaſi exprimit ipſi Deo, omnes res faciendas, creaturas omnes.

IV. Dicet quiſpiam §. 1. *Eſſentiam Dei à Deo cognitam non tantum eſſe Ideam creaturæ, ſed & creaturam, præſertim rationalem, eſſe Ideam Dei: nam ut Idea, quæ eſt in Deo, ipſi repræſentat & exprimit creaturam, ex quâ repræſentatione & expreſſione eam cognoſcit, ita & per creaturam venimus in cognitionem Dei tanquam per imaginem ejus, præſertim per hominem.* Reſp. Quamvis mutua quædam ſimilitudo repræſentans, ſeu, ut Scholaſtici malunt loqui, repræſentativa, reperiatur inter Deum & hominem, quatenus unum eſt ratio cognoſcendi alterum, Deus ratio cognoſcendi hominem, homo ratio cognoſcendi Deum, alio tamen & plane diverſo modo reperitur hæc ſimilitudo repræſentationis in Deo & in homine ſeu nobis. In homine ſeu nobis Idea eſt ſimilitudo rei cognitæ, ſic ut res ipſa ſit veritas iſtius ſimilitudinis, ſic ut entitas rei cognitæ ſit fundamentum ſimilitudinis iſtius, ſic ut Idea in nobis ſit quaſi ſpecies impreſſa: at in Deo eſt quaſi ſpecies expreſſa, aut, ut rectius loquamur, eſt quaſi ſpecies exprimens: in Deo idea eſt ipſa veritas rei, & in re ipſa tantum eſt ſimilitudo: nam cum ſimilitudo creaturæ, quæ eſt in Deo, ſit ipſa eſſentia divina, potius vocatur veritas rei cognitæ, quam ſimilitudo: tum, quia perfectior eſt creatura, quæ per ideam eſt in Deo, quam eſt ipſamet creatura in ſe, tum, quia creatura ad imitationem illius divinæ ideæ eſt facta & expreſſa, non contra. Cum ergo perfectio cognitionis conſiſtat in eo, ut cognoſcatur veritas rei potius quam ſimilitudo, ſequitur, ideam, quæ eſt in Deo, eſſe perfectiſſimam rationem cognoſcendi creaturam, quia perfectiſſime exprimit & repræſentat illam, cum ſit veritas creaturæ: creatura autem ipſa eſt ſimilitudo veritatis ipſius, ita facta & vere facta, ut idea ejus in mente divina eam repræſentavit.

V. Sed ut quam clariſſime proponamus diſcrimen, inter ideas, exiſtentes in Deo, & exiſtentes in nobis, quæ tamen utrimque in utroque ſunt principia cognoſcendi rem, in tribus punctis eſt diſſimilitudo: 1. In Deo datur una idea, quæ eſt ſimilitudo omnium cognoſcibilium, ipſa ſcil. eſſentia divina: at in nobis aut homine non eſt una idea, quæ ſit ſimilitudo omnium cognoſcibilium, quia idea in nobis aut homine non eſt noſtra aut hominis eſſentia. 2. Intellectus divinus, in quo ſunt ideæ, eſt purus actus reſpectu cognoſcibilis, & cognoſcibile eſt in potentia reſpectu intellectus divini: at contra, intellectus noſter ſeu hominis eſt in potentia ad cognoſcibile, & ipſum cognoſcibile eſt actu. 3. Intellectus divinus non accipit ideam à rebus, nec informatur ſpecie intelligibili: ſed noſter intellectus aut hominis contra accipit ideam à rebus, & informatur ſpecie intelligibili. Et quamvis ſoleam rariſſime theſes implere teſtimoniis aliorum, non poſſum tamen hic omittere doctiſſimi iterum *Ameſii* in veræ Theologiæ *Medull. c. 7. l. 1. th. 15. 16. 17.* verba. *Idea in homine*, inquit, *qui cognitionem acquirit per Analyſin, colligitur ex rebus ipſis; atq; adeo res primo in ſemetipſis exiſtunt, tum ad hominum ſenſum perveniunt, inde ad intellectum, ubi poſſunt ideam aliquam conſtituere ad operationem inſequentem dirigendam. Sed quoniam Deus omnia intelligit per Geneſin, & non requirit cognitionem rerum per Analyſin, ideo omnia ſunt prius in ejus mente, quam in ſemetipſis. In nobis res ipſæ ſunt exemplar, & cognitio noſtra eſt imago: ſed in Deo ſcientia divina eſt exemplar, & res ipſæ ſunt imago vel ſimilitudo ejus expreſſa. Idea in homine prius eſt impreſſa & poſtea exprimitur in rebus: ſed in Deo eſt tantum exprimens, non impreſſa, quia non accedit aliunde.*

VI. Dicet quis §. 2. *Ideas divinas nihil eſſe aliud, quam Creaturas, ſecundum proprium eſſe reale, à divino eſſe diſtinctum, ab æterno produ-*

ctas:

ctas: quod proprium earum esse, non fuit esse existentia, sed esse essentia. Quæ est opinio eorum, qui essentias rerum æternas, aut ab æterno esse, statuunt. Resp. Falsum est, esse essentiæ rerum esse ab æterno productum: consequenter, falsum est, illud esse ideas. *Prob. prius.* Omne est productum, est, esse participatum: omne esse participatum est creatum: sed nihil est creatum ab æterno: ergo nullum esse participatum est ab æterno: ergo nullum esse productum est ab æterno. Quod autem nihil creatum sit ab æterno, imo ne creari quidem potuerit ab æterno, id satis demonstratum est *disp.19. v.* 1. *select. disp.* Et, si creaturæ in Deo habeant esse essentiæ, distinctum ab essentia Dei, atque ab æterno, quatenus sunt ideæ divinæ, intellectus Dei ab alio perficeretur, quam à seipso in cognoscendo: nempe à creaturis, dum eas cognosceret in seipsis, ita autem cognosceret eas, cum illas cognosceret in proprio idearum esse, distincto ab esse divino. Sed hæc omnia sunt absurda. Quid? quod ex hac sententia sequatur, ab æterno aliquod esse essentiæ reale fuisse in Deo, quod non esset ipse Deus, contra receptum axioma: *Nihil est in Deo, quod non sit Deus:* quod quamvis crudum sit & durum, ne dicam, falsum, si extendatur ad relationes divinas & modos subsistendi, in abstracto (nam hęc identificantur quidem cum Deo, non sunt tamen formaliter seu in sensu formali idem quod Deus) attamen verissimum est, quando illud τὸ *nihil*, negar omne ens reale aut omne esse essentiæ reale: Quin, ex hac opinione sequetur, Deum quavis re composita fore magis compositum: nam, si creaturæ habent esse proprium reale in Deo: à divino esse distinctum, in quo consistunt illarum ideæ, ergo, cum esse unius creaturæ, hujus vel illius, in se quidem sit indistinctum & indivisum, ab aliis tamen distinctum & divisum, in Deo tot erunt essentiæ, quot creaturæ; & sic Deus innumeras habebit essentias, quod simplicitatem ejus evertit, & impium est de Deo cogitare. Quare concludimus, *Ideas rerum in Deo, non esse ipsas creaturas, secundum esse essentiæ reale, ab æterno in essentia divina productas, sed sunt ipsa divina essentia simplicissima, prout à Deo intelligitur, & est imitabilis à diversis creaturis diverso modo, & in iis per similitudinem exprimi ac representari possibilis.* Quod autem nullæ essentiæ rerum crearum sint ab æterno aut æternæ, alias, si Deus volet, demonstrabimus, in *hoc Disp. curriculo:* nunc Materiam de *Ideis* persequemur *Disp.* proxima.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

TRIGESIMA-QUARTA.

DE IDEIS.

THESIS I.

QUæstiones, *An sint & quid sint Ideæ*, exposuerunt *disp.* duæ præcedentes, restat, ut inquiramus in numerum *Idearum, sintne in Deo Ideæ plures, an una:* de qua quæstione gravissima acriter disputant *Scholastici, Thomas Aquinas,* 1. *p. summæ Theol. quæst.*15. *art.*2. & omnes ad ipsum commentatores, inter alios prolixe *Franciscus Cumel ad illam quæst.* item Commentatores in *Mag. Sent. Petr. Lomb. lib.*1. *Distinct.*36. & hîc inter alios, *Guilielmus Durandus quæst.* 4. Nos, omissis authoritatibus, rem ipsam explicabimus, rationibus confirmabimus, objectiones refutabimus.

II. Idea rerum omnium in Deo, est una & multiplex: una, si referatur ad Deum, in quo est; est enim ipsa ejus essentia, quæ est una ac simplicissima: multiplex est, si comparetur ad res omnes, quas exprimit & repræsentat, respectu quarum non est una; sic enim eadem foret idea bovis, quæ hominis, quæ lapidis, &c. quod

quod est absurdum. Adferri hic potest simile ad rem illustrandam. Uti punctum respectu sui unum est, in comparatione tamen ad lineas, quæ ex eo ducuntur, multiplex; ut unitas in se spectata, respectu sui, est una, respectu numerorum, qui ex illa procedunt, multiplex; ita idea in Deo, in se una est, respectu eorum, quæ ab ea, ut exemplari, procedunt & egrediuntur, multiplex est. Hæc similitudo aliquo modo illustrat hoc negotium. Res ipsa sic se habet. Ideæ rerum omnium sunt ipsa divina essentia aut natura, una, unica, indivisibilis, ac simplicissima: hæc tamen, una, unica, indivisibilis, ac simplicissima essentia, rerum omnium ideas in se continet, quatenus, ut à diversis creaturis diversa imitatione imitabilis, & varia repræsentatione ab omnibus repræsentabilis, ab intellectu Dei cognoscitur, quæ diversitas, quæ varietas, quæ multitudo, est in rebus ideatis, seu ad ideam expressis, non in ipsa idea aut essentia Dei: itaque optime conspirat multitudo ideatorum, &, si velis, idearum, prout referuntur ad ideata, cum unitate & simplicitate essentiæ divinæ, ad quam relatæ, non sunt plures, sed una Idea; neque hæc pugnant. Ideæ sunt unum simplicissimum intellectum, in quantum sunt ipsa essentia Dei cognita: &, sunt pariter plura intellecta, in quantum plura intelliguntur posse exprimi ad ideas illas: sc. ut verbo dicam. Quatenus omnia repræsentat essentia divina, est omnium Idea & quasi multiplex; quatenus essentia Dei repræsentans omnia, est simplicissima, indivisibilis, est una: est una, subjective: multiplex, objective ac terminative. Verum argumento uno atque altero rem confirmemus.

III. §. 1. Si idearum pluralitas repugnaret unitati ac simplicitati essentiæ divinæ, ideo esset, quia sequi videretur, aliquam fore in Deo inæqualitatem, propter multitudinem: nam una idea contineret esse & vivere, ut idea plantæ: alia contineret, & τὸ esse, & τὸ vivere, & τὸ sentire, ut idea animalis: tertia contineret insuper τὸ rationale, ut idea hominis. Resp. Hinc non sequi aliquam inæqualitatem in Deo, neque multitudinem ex parte essentiæ divinæ, aut pluralitatem idearum, in quantum sunt idem cum essentia divina, sed est tantum inæqualitas & multitudo quædam idearum ex parte ideatorum, seu rerum, quæ secundum ideas exprimuntur, i. e. objectorum, & est quædam earum pluralitas objective: nam, quia una creatura participat essentiam divinam, quoad esse & vivere, & sic eam exprimit, alia insuper, quoad sentire, & sic eam repræsentat, alia adhuc amplius, quoad intelligere, & sic eam imitatur, hinc fit, ut essentia Dei dicatur, & essentia unius, & alterius, & tertii, & plantæ, & bruti, & hominis, quæ sunt plura, ad unam tamen ideam, essentiam divinam, quæ fuit ratio cognoscendi illa ac producendi, expressa: fere, quo modo speculum unum est & tamen repræsentat multa: dico *fere*; quia omne simile est aliquo modo dissimile, præsertim instituta comparatione inter Deum & creaturas.

IV. §. 2. Quodcunque se tantum habet, ut objectum & terminus intellectionis, id, si multiplicetur, non statim multiplicat intellectum: neque objecta cognita inferunt compositionem in cognoscente. Sed ideæ sunt tantum objectum & terminus intellectionis divinæ. Ergo &c. Si ideæ forent principium intellectionis in Deo, iis multiplicatis sequeretur multiplicatio intellectus divini; &, si multiplicaretur principium, quo Deus intelligit, esset in Deo compositio: nam repugnat unitati & simplicitati essentiæ divinæ intelligere per pluta principia: at v. ideæ non sunt principia intelligendi, sed objecta intellecta, termini, ut quod, sicut loquuntur Scholastici, &, si forent termini, ut quo, non forent principia intelligendi, sed rationes formales objectorum intelligendorum: & non repugnat essentiæ divinæ unitati & simplicitati intelligere plura objecta. Videatur de hoc & præcedenti argumento *Aquinas* 1. *part. summæ Theol. quæst.* 15. *art.* 2 *in corpore Responsionis.* Non potest clarius hæc res ob oculos poni quam similitudine ducta ab artifice creato: v. c. Sicuti artifex, qui concipit & contemplatur ideam domus, unicum habet exemplar & indivisibile in suo intellectu, quod tamen simul repræsentat domum & singulas partes ejus: unde, quando artifex ille concipit & contemplatur illam ideam, ut est idea fene-

ſtræ, ſub illa ratione non eſt Idea columnæ, & quando concipitur ſub Idea columnæ, non eſt Idea tecti, & ſic porro: ita etiam divina eſſentia ſecundum ſuam naturam eſt unica forma & ſimpliciſſima idea omnium rerum, ſed quatenus concipitur, ut imitabilis ab homine, eſt idea hominis, & quatenus concipitur, ut imitabilis ab alia re, eſt idea alterius rei, & ſic porro. Nonnulli ſimilitudinem ſumunt à miſericordia Dei, quæ, in ſe eſt una & ſimplex, in ordine ad miſerias multiplex: unde & miſericordias Dei imploramus. Alii ſimilitudinem deducunt ab anima, quæ una ſit quoad eſſentiam, multiplex quoad potentias, ob reſpectum ad diverſa objecta. Sed, quæ nos attulimus, ſufficiunt rei intelligendæ. Hæc eſt veræ ſententiæ κατασκευή, ſequitur ἀνασκευή.

V. §. 1. *Vbi ſunt plures formæ & immutabiles & æternæ rerum, ibi ſunt plures ideæ. Sed in Deo ſunt &c. Ergo &c.* Reſp. Ex jam dictis. Ideæ conſiderantur, vel ſecundum quod ſunt in ſe, & ſic ſecundum rem eſt una tantum idea, eſſentia ſcil. Dei, vel ſecundum id ad quod referuntur, & ſic ſunt plures: quemadmodum plures figuræ ſunt reſpectu rerum figuratarum in ſigillo, quod tamen in ſe eſt unum, ita plures ideæ ſunt unum exemplar vel una idea. Uſus tamen loquendi obtinuit hodie, ut plurium creaturarum pluria exemplaria aut plures dicantur ideæ. Notetur hoc bene, quod vox idea, quamvis ſignificet rem abſolutam, eſſentiam nempe divinam, ſemper tamen connotet reſpectum ad creaturas, &, quia iſti reſpectus ſunt plures, ideæ dicuntur plures, & ſic ponuntur in Deo ideæ plures reſpectu connotatorum. Verum connotata dupliciter ſpectantur: uno modo, ſecundum eſſe proprium, quatenus ſunt, alio modo, quatenus ſunt connotata. Primo modo, connotata dicuntur eſſe habere in tempore, quia connotata ſunt creaturæ, quæ habent eſſe in tempore: ſecundo modo connotata poſſunt dici, quæ connotantur & ab æterno, & in tempore: nam quando reſpectus connotationis importatur in habitu, tunc connotata dicuntur ab æterno connotari, ut Prædeſtinatio ſignificat actum divinum, connotando effectum in prædeſtinato, non in actu, ſed in habitu, & potentia futurum, & ideo dicitur prædeſtinatio æterna. Temporaliter vero dicuntur connotata, quando reſpectus ille ſeu connotatio importatur in actu, ut Creare, non dicitur de Deo, ut ſignificet aliquid, quod ab æterno fuit in Deo, ſed aliquid connotat, quod in tempore à Deo proficiſcitur & eum denominat. Clarius loquar in re obſcura. Res per ideas repræſentatæ & ab iis connotatæ, quatenus ſunt, habent eſſe in tempore, quatenus ſunt repræſentatæ & connotatæ, ſunt ab æterno: nam hæc duo non pugnant: connotatio & repræſentatio rei eſt ab æterno, & tamen res connotata & repræſentata eſt in tempore: ſicut prædeſtinatio eſt ab æterno, & prædeſtinatus, quem connotat prædeſtinatio, eſt in tempore: ita & idea æterna connotat ab æterno reſpectum ad creaturas futuras, quæ tamen non ſunt æternæ, ſed temporales & in tempore: ſic & idea & reſpectus ideæ ad rem ideatam ſeu connotatio ejus, ſunt ab æterno, res ipſa connotata, in tempore: repræſentatio rerum per ideas in Deo, eſt ab æterno: res, quæ ab æterno repræſentatur, eſt in tempore. Ergo, ut hæc omnia applicem: Quia idea in Deo connotat reſpectum ad creaturas, quatenus futuræ ſunt, &, quia multæ futuræ ſunt, ideo multi ſunt reſpectus, & multæ connotationes ab æterno, & ſic ideæ denominant Deum ab æterno; ſed tamen ipſæ creaturæ connotatæ, non ſunt ab æterno, verum in tempore. Et hinc quoque ſolvi poteſt hoc argumentum: *Si ideæ ſunt plures propter res quas connotant, illæ res connotatæ, vel ſunt æternæ, vel temporariæ. Neutrum dici poteſt: Ergo &c.*

VI. §. 2. *Quæcunque ſunt ſimilia uni tertio, ſunt ſimilia inter ſe: Sed omnia creata ſunt ſimilia uni tertio, ſc. uni ideæ. Ergo &c. Concluſio eſt falſa, ergo vel major quoque aut minor. Major eſt axioma. Minor ex conceſſione.* Reſp. Duplex eſt ſimilitudo, una, quæ habet proprium genus, altera, quæ non habet; ſed extra omne eſt genus. Prior ſimilitudo non poteſt eſſe una plurium, genere diverſorum & plane diſſimilium: & de iſta ſimilitudine vera eſt major. *Quæcunque ſunt ſimilia uni tertio, tanquam generi, ſunt ſimilia inter ſe quoad illud tertium;* verum eſt, quia illa ſimilitudo cauſatur à genere: ſic ſpecies intelligibilis animalis eſt ſimilitudo plu-

plurium in isto genere, *animali*, convenientium, hominis & bruti; sed non est similitudo plurium, genere differentium, ut colorum & arborum, quia accepta tantum est à natura animalis, ideo tantum repræsentat animalia: est enim similitudo, quæ habet proprium genus. Sed est & similitudo, quæ non habet proprium genus, sed extra omne est genus, neque est accepta à rebus ipsis; hæc repræsentare potest plura genere differentia, quia non est limitata ad hoc vel illud genus; & de hac similitudine falsum est, Quæ sunt similia uni tertio, sunt similia inter se. Idea vero divina, ut distinctionem applicem ad minorem, est similitudo extra omne genus, & non accepta à rebus, ideoque optime potest esse una secundum rem, & tamen esse similitudo rerum, quam maxime differentium & genere dissimilium: nempe, sicut una lux Solis exprimit multas & varias species colorum, ita una idea exprimit multa ideata. Quare major non est universaliter vera, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

VII. §. 3. *Si Idea in Deo est una similitudo, aut est una communis, aut est una propria: si una propria, ergo per ipsam nunquam plura cognoscuntur: si una communis, ergo nunquam per ipsam res cognoscuntur distincte.* Resp. Idea in Deo, aliquo modo est communis, aliquo modo propria: communis est, in quantum repræsentat omnia: propria est, in quantum repræsentat unamquamque rem secundum omnes circumstantias singulares ac proprias ipsius rei in re exprimendas: sicut essentia divina ita est in uno loco, ut simul sit in pluribus, sic Idea divina repræsentat ita unum distincte, ut simul etiam repræsentet omnia alia distincte: hinc solvitur sequens objectio.

VIII. §. 4. *Si Idea sit una, ergo Deus non cognoscit res distincte, sed indistincte. Posterius est absurdum. Ergo & prius.* Resp. Ratio cognoscendi omnia in Deo est una, & simplex, & nullo modo distincta, quia Deus uno & indistincto aspectu, non vero distinctis aspectibus, cognoscit omnia: at eadem simplex, una, indistincta, id est, nullis vicibus distinctis repetita, cognitio, ratione objectorum multiplex est, & distincta, quia plura objecta distinctissime repræsentat, & Deus ea distinctissime cognoscit. Uno verbo. Illa Phrasis (*Deus cognoscit omnia distincte*) si distinctio ponatur in cognitione per comparationem ad cognoscentem, quasi is distinctis vicibus utatur cognoscendi, falsa est: si per comparationem ad res cognitas, vera est.

IX. §. 5. *Idea, aut dicit aliquid, aut nihil: si nihil, nec pluralitatem habet, nec unitatem: si aliquid, ergo, si sunt plures Ideæ, sunt plures res, & sic forent plures res ab æterno: at non plures res personaliter, ergo essentialiter, quod est impium.* Resp. 1. est ambiguitas in voce, *res*. *Res* sumitur, vel pro re actu existente, vel pro re possibili. Ideæ sunt plures, ergo plures res actu existentes, *nego:* possibiles, *concedo.* Neque est absurdum dicere, quod sunt plures res ab æterno possibiles, & sic Ideæ dicuntur plures res possibiles quia ad rationem ideæ non requiritur, ut res actu sit, sed satis est, ut Ideatum sit in potentia, & sic dicatur habere Ideam. 2. Resonderi potest, esse fallaciam, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: sicuti non valet; Sunt plures res possibiles, Ergo sunt plures res; ita non valet, Sunt plures Ideæ, id est, res cognitæ, Ergo sunt plures res.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

TRIGESIMA-QUINTA.

DE IDEIS.

THESIS I.

VIdimus disp. ante habitis; *An sint Ideæ in Deo? Quid sint? Sintne plures, an una?* Atque ad postremum quæsitum respondimus, Ideam esse unam in Deo, in quantum

est ipsa essentia divina, una, unica, & simplicissima; & esse ideas plures, respectu rerum plurium, quas Deus videt, contemplando essentiam suam, ut Ideam earum, extra se exprimi posse. Atque hinc oritur pulchrum dubium: *An igitur geminum sit objectum intellectus divini, unum primarium, alterum secundarium, illud, essentia divina cognita simpliciter, hoc, eadem cognita ut idea à rebus imitabilis & exprimi possibilis?*

II. Hoc ut solvamus, & de rebus divinis digne loquamur, dicimus, actu & formaliter non esse in divino intellectu duo objecta, unum primarium, alterum secundarium. Quod probatur, primo ex parte intelligentis Dei, secundo ex parte rei intellectæ. Quod primum spectat, constat, intellectum Dei non transire de intellectione in intellectionem, sed, quæcunque intelligit, intelligere unico incommutabili intuitu: alioquin scientia ejus esset variabilis, quod refutavimus in primo *Disp. select. Volumine*. At si intellectus divinus, duo objecta, formaliter saltem distincta, unum primarium, alterum secundarium, essentiam suam simpliciter, eandem ut Ideam, intelligeret, tum non unice ac simpliciter, simul & semel, eam intueretur; nam non videtur posse idem objectum, ut absolutum, simul & relatum, cognosci. Sed, divisos cognoscendi actus Deo tribuere, impium est. Quod secundum spectat, notum est, divinam essentiam plus esse eandem cum suis Ideis, quam egomet sum idem mihi ipsi: tum, quia supremam entitatem actualem ac formalem cum Ideis suis habet, qua major excogitari nequit: tum quia est actu una Idea, essentia sua simplicissime intellecta; ergo, quemadmodum fieri nequit, ut ego videam me ipsum nisi videam me; ita fieri non potest, ut Deus videat suam essentiam, nisi videat suas Ideas. Atque hoc pacto, intuitus divini intellectus in suam essentiam simpliciter, quatenus objectum primarium, & in eam ut Ideam, quatenus objectum secundarium, formaliter divisis actibus non terminatur, sed se tantum, & nihil aliud à se, vel primarie, vel secundarie, intuens, unitive, & supereminenter, ac plusquam æquipollenter, omnia cognoscit.

III. Sed & aliud hic emergit dubium, *quomodo essentia divina sit Idea creaturarum?* Dupliciter enim hoc potest intelligi: vel, *quod sit Idea, prout est imitabilis à creatura*, vel, *quod sit Idea, quatenus intelligitur ac concipitur ut imitabilis à creatura*. Et quamvis ista duo non ita accurate in *Disp. præmissis* distinxerimus, multum tamen inter se differunt. Nam Idea in primo sensu est prior secundum rationem quam Idea in secundo sensu; quia enim essentia Dei est imitabilis à creatura, ideo eam Deus cognoscit ut imitabilem à creatura.

VI. Nota primo, dici, rem aliquam esse dupliciter in intellectu, vel subjective, id est, ipsi inhærendo, ut species intelligibilis, habitus, & actus intelligendi, vel objective, in quantum cognoscitur ab intellectu, & res illa terminat actum intelligendi; sic homo dicitur objective in intellectu, dum intelligitur, uti color est objective in visu, dum videtur: hic autem posterior modus essendi in intellectu, non ponit aliquid in re cognita, nisi quod denominetur cognita, ab intellectu, quæ denominatio est extrinseca. Quamvis autem duplex hic modus essendi in intellectu rarissime conjungatur, imo videatur pugnare, non enim, quod objective est in intellectu, idem & subjective est, alioquin, homo, leo, animal, cum intelliguntur, inhærerent intellectui, nihil tamen prohibet, aliquando ista duo conjungi in unum, licet maneat inter ea distinctio rationis: etenim, cum intellectus reflexe intelligit suum primum actum intelligendi, tum talis actus est subjective in intellectu, cum illi inhæreat, & idem est objective in intellectu, quia per alterum actum cognoscitur. Nunc porro, cum Idea sit forma existens in intellectu divino, aut utroque, aut uno ex hisce modis, debet in eo existere.

V. Nota secundo, rationem completam Ideæ ex tribus perfici: primo dicit quid absolutum, in quo scilicet consistit similitudo & imitatio effectus; secundo dicit relationem quandam ad id, cujus est Idea & similitudo: tertio dicit relationem ad agens intelligibile, quod per Ideam operatur: non enim Idea per se existens causat, sed est ratio per quam agens intelligibile causat aliud: hoc tertium facile

patet

patet in quovis exemplari, quo pictores utuntur.

VI. Ex dictis *theſi 5.* facile patet, eſſentiam divinam, ex hoc tantum, quod ſit participalis extra ſe, nondum habere rationem completam Ideæ, quoad omnia, ſed eam tantum poſſidere, quoad abſolutum: at cum objicitur intellectui divino, ut multis participabilis, tum intelligitur habere ordinem, & ad Dei intellectum operantem, & ad creatutas à divino intellectu operabiles: & ſic habet completam rationem ideæ, quia, ut dictum eſt *diſp praced.* divina eſſentia, ut eſt ſpecies intelligibilis in intellectu divino exiſtens principiumque cognoſcendi, non habet rationem ideæ, ſed ut eſt objectum cognitum à Deo: *Eſt* igitur *eſſentia Dei idea creaturarum, quatenus intelligitur & concipitur ut imitabilis & participabilis à creaturis ad extra; ac cum hæc cognitio ſit reflexa, ſimul & objective & ſubjective eſt in intellectu divino.* Notandum autem eſt, quod ſecundum noſtrum intelligendi modum, Deus prius intelligat ſuam eſſentiam divinam ſimpliciter ſecundum ſe ipſam, deinde intelligat ipſam multipliciter eſſe communicabilem extra ſe, & ex tali cognitione ideas formet, ac poſtea per illas ideas, creaturas in ſe ipſis, ſecundum eſſe illarum cognoſcat, ut producendas ſuo tempore: & hinc inſurgit relatio rationis ipſius eſſentiæ divinæ ad creaturas, in qua ratio ideæ completur.

VII. Hæc ſententia à Scholaſticis, qui eam tenent, multis probatur rationibus: nos, qui nunquam numero argumentorum, ut illi & qui eos hodie hîc ſequuntur, ſed pondere certamus ac robore, ex magno numero unam ſecernemus atque alteram. 1. De ratione exemplaris formativi rei mediante agente per intellectum, eſt eſſe in mente. Sed idea rerum in Deo eſt exemplar formativum rei. Ergo de ratione ejus eſt, quod ſit in mente Dei. Sed ſic, eſt cognita ab intellectu divino. Ergo divina eſſentia, ut cognita objective, habet rationem ideæ. 2. Quamvis divina eſſentia prius, ſecundum momenta naturæ & inſtantia rationis, ſit imitabilis, quam objecta divino intellectui, non tamen eſt prius imitabilis exemplariter, quam ſit objecta divino intellectui. Ergo ut objecta divino intellectui habet rationem ideæ, quia de ratione exemplaris eſt, eſſe objectum propoſitum intellectui. Hæc fere ratio eadem eſt cum hac. Etiamſi divina eſſentia eſſet imitabilis, ſi tamen Deus non ageret per intellectum, non eſſet exemplariter imitabilis. Ergo niſi cognoſcatur ut exemplariter imitabilis, non habet rationem ideæ; Concludimus ergo, quod eſſentia divina, cognita à Deo, ut exemplar repræſentativum & imitabile à creaturis, habeat rationem ideæ.

VIII. *Object.* 1. *Idea* in intellectu divino eſt ratio cognoſcendi & operandi creaturas. Sed hoc non convenit illi, in quantum eſt forma objective exiſtens in intellectu. Ergo eſſe ideam, non convenit divinæ eſſentiæ, prout intelligitur imitabilis. *Prob. min.* Nam non cognoſcitur res per ſimilitudinem, quæ eſt directum objectum intellectus, niſi præſuppoſita alia cognitione ejuſdem rei: nam videndo imaginem Pauli non cognoſcitur Paulus, niſi ſciamus, imaginem illam eſſe Pauli, id quod ſupponit aliam cognitionem Pauli; Sed Deus cognoſcit creaturam per ideam, non ſuppoſita alia cognitione creaturæ. Ergo eſſentiæ divinæ non convenit, quod ſit idea, in quantum eſt cognita, ut imitabilis.

IX. *Reſp. Negando minorem, & ad probationem dicendo*, tum demum non cognoſci rem, per ſimilitudinem, niſi ipſa res alia cognitione prius cognoſcatur, quando forma objecta intellectui tantum eſt exemplar, ut patet in imagine allata Pauli; ſed aliter ſe res habet, ſi forma objecta intellectui non tantum ſit exemplar, ſed & cauſa rei repræſentatæ, reptæſentans eminenter univerſam effecti perfectionem, diſtincte ac perfecte: atqui ſic ſe habet eſſentia divina, quæ non ſolum repræſentat ſe divino intellectui, ut eſt exemplar, ſed &, ut eſt cauſa rei repræſentatæ, & tunc non requiritur alia prævia rei cognitio, ſed ſufficit ipſa cognitio divinæ eſſentiæ cognitæ, & ut exemplar, & ut cauſa creaturæ.

X. *Obj.* 2. Similitudo, per quam cognoſcitur res, eſt ratio cognoſcendi, non cognita objective. Sed idea importat rationem co-

gnoscendi, imo est ipsa ratio cognoscendi. Ergo idea non est, ut habet esse objectivum in intellectu. Ergo non convenit essentiæ divinæ, quod sit idea ut cognita ab intellectu divino tanquam imitabilis à creaturis.

XI. *Resp. Negando majorem.* Quia datur similitudo, quæ sit ratio cognoscendi, non cognita, ut species intelligibilis: datur etiam ratio cognoscendi, ut cognita, scilicet verbum mentis: & forma hæc non solum est ratio, per quam cognoscitur, sed etiam in qua cognoscitur. Atqui hoc modo se habet essentia Dei, quæ est idea non ut species intelligibilis & principium intelligendi, sed ut verbum mentis & terminus intellectionis, uti hoc *disp. præced.* fuit expositum. Et sane, idea est similitudo rei cognitæ: sed species intelligibilis non est formaliter similitudo, verum causaliter & efficienter, quia causat verbum mentale: sed ipsum verbum mentis est similitudo expressa rei. Ergo hoc est. Et cum idea sit terminus intelligendi, adeoque ipsum objectum intellectum, species non sit terminus sed principium quo intellectionis: intellectus enim actuatus specie intelligibili, producit verbum mentis, quod est terminus ipsius cognitionis: palam est, non speciem intelligibilem sed verbum mentis esse ideam in Deo. De hoc argumento fuse differit *Agnellus lib. 2. de Ideis cap. 7.*

XII. Pro Coronide, ex hisce jam dissertatis, si idea creaturarum sit essentia Dei cognita ut imitabilis, patet, ideas non esse in Deo, ipsas creaturas, secundum esse diminutum, quod tribuitur *Scoto*, aut secundum esse objectivum, quod tribuitur *Durando*.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

TRIGESIMA-SEXTA.

DE IDEIS.

THESIS I.

DE *Ideis earumque natura* sic satis actum videtur *disp. ante habitis*, reliquum est, ut videamus, *quarum rerum sint Ideæ in Deo?* Quod sane non ita facile est explicatu: atque ut intelligatur facilius, distinctio quædam est præmittenda hujus vocis *Idea:* Sumitur enim, vel pro ratione cognoscendi tantum, vel pro ratione cognoscendi & operandi simul: priori modo pertinet ad cognitionem speculativam, & proprie dicitur verbum mentis; posteriori modo pertinet ad cognitionem practicam, & proprie dicitur exemplar. Hac distinctione præmissa, Quæstio hæc, *An Deus omnium, quæ cognoscit, habeat ideam?* non difficulter solvitur, quæ eadem est cum altera statim posita. *Nos totum negotium* aliquot assertionibus decidemus.

II. §. 1. *Deus in se habet ideas omnium possibilium, quæ nunquam erunt, prout idea significat rationem cognoscendi tantum. Prob.* Quia Deus cognoscit omnes perfectiones, quas posset, si vellet, extra se producere, nunquam tamen produxit aut producet: Quemadmodum defensio Christi contra hostes suos per duodecim legiones Angelorum nunquam instituta fuit, neque futura nunc erit; & tamen fuit cognita à Deo: ergo ejus idea erat in Deo. Consequenter, rerum possibilium constituendæ sunt ideæ in Deo. Pari modo novit, se ex lapidibus posse excitare filios Abrahæ, quod tamen nunquam fecit neque facere voluit. Ita & cognovit perpetuam obedientiam illam, quam à primis parentibus exegit, quæ possibilis erat, non tamen actu fuit continuata; habuerunt enim posse, quod vellent, sed non velle, quod poterant. Cognovit itidem alium atque alium mundum, quos posset producere, si vellet, ex hypothesi, quod plures mundi sint possi-

possibiles, hoc enim à nonnullis hodie negatur, non quod illud repugnet ex parte Dei, quasi ejus potentia unius mundi creatione sit exhausta, aut quod aliquid derogetur hic omnipotentiæ divinæ, sed quia implicat repugnantiam ex parte mundi alterius creandi, ubi enim conderetur, cum hic præsens omne spatium occupaverit, & extra eum nihil sit, in quo collocari valeat, nisi eum quis locet in sede Beatorum & throno Majestatis divinæ, ubi omnia sunt plena Dei, & sancti Angeli inclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehova Sebaoth.

III. §. 2. *In Deo est idea omnium bonorum & omnium entium procedentium ab ipso Deo, prout idea significat exemplar rei faciendæ, & rationem operandi. Prob.* Quia Deus est author omnis bonitatis & omnis entitatis, ergo omnis boni & entis idea est in Deo: atque hæc est idea futurorum. *Conseq. Prob.* Quia quicquid à Deo producitur, hoc producitur secundum similitudinem, quam habet in ipso. Sed omne bonum & omne ens à Deo producitur. Ergo &c. Sed hæc similitudo omnis boni & entis in Deo, est idea boni & entis. Ergo.

IV. §. 3. *Quamvis Deus cognoscat mala culpæ seu peccata omnia omnium hominum, ea tamen nullam sui habent ideam in Deo, prout idea significat exemplar rei faciendæ & rationem operandi.* 1. *Deus cognoscit peccata universorum hominum.* Alioquin non posset esse justus judex: nemo enim recte judicare valet de iis quæ ignorat. Et, qui novit rationem attingendi scopum, novit etiam rationem deficiendi à scopo. Sed Deus novit perfectissime rationem in creaturis perveniendi ad seipsum ut scopum, qui est summa rectitudo & bonitas. Ergo etiam novit rationem in creaturis deficiendi à se ut scopo, à summa sua rectitudine & bonitate; qui recessus & deviatio, est, iniquitas, malitia, peccatum. 2. *Deus non cognoscit peccata, per proprias ideas illorum:* quia neque falsitas, neque malum, ut sic, habet ideam propriam in Deo. *Prob.* Idea impræsentiarum est exemplar imitabile: Sed divina essentia, nec falsitatis, nec mali, nec peccatorum, est exemplar imitabile. Ergo. *Prob. minor.* Quia idea est hîc ratio faciendi aliquid: cum ergo Deus falsitatem, malum, aut peccatum, facere nequeat, neque illorum quoque est idea in Deo. Quod *probatur* adhuc fortius. Idea in Deo est essentia ejus cognita ut imitabilis à creaturis, i. e. in quantum res sunt assimilabiles Deo: Sed falsitas & malitia non sunt assimilabiles Deo. Ergo, &c. Contra, omne verum & bonum est assimilabile Deo: ideoque utriusque datur idea in Deo. Adhæc, essentia Dei non est simpliciter idea aut exemplar, sed & causa ideati, ut *in disp. præced.* fuit ostensum. Sed Deus non est causa illius falsitatis aut malitiæ. Ergo. *Quæritur* hîc: *Quomodo ergo Deus cognoscat malum?* Resp. per bonum, seu ideam, seu speciem boni. *Prob.* Quicunque perfecte cognoscit bonum, cognoscit quoque malum. Sed Deus perfecte cognoscit bonum. Ergo. *Prob. maj.* Quicunque perfecte cognoscit aliud, etiam cognoscit distinctionem & differentiam ejus ab alio. Sed prima ratio distinctionis consistit in affirmatione & negatione, ut scil. aliquid cognoscatur esse hoc & non esse illud: ergo malum etiam cognoscitur à Deo, quia est negatio & privatio boni: nam si unumquodque distincte cognoscitur, cum apprehenditur, prout ejus natura est à quovis alio distincta, aut Deus non cognoscit perfecte bonum, aut cognoscit ut distinctum à malo, & sic consequenter cognoscit malum, per bonum & ideam ac speciem boni. Sed ulterius quærunt hîc *Scholastici. An Deus cognoscat malum per speciem boni, non cujuscunque, sed tantum ejus, quod privat, ita ut, si Deus non cognosceret aliud bonum à se, nullo modo esset cogniturus malum secundum specialem rationem mali: quoniam privatio non cognoscitur nisi per habitum oppositum: sed privatio & habitus, sunt opposita circa idem subjectum: Dei autem essentia non potest esse subjectum privationis. Ergo, si non esset aliud bonum cognitum à Deo, nisi essentia Dei ut idea omnis boni, nullo loco cognosceretur malum à Deo.* Resp. Deus, per hoc, quod cognoscit suam essentiam infinitam, tanquam quæ continet infinitum pelagus suæ bonitatis, cognoscit omne malum, etiam secundum rationem specialem mali. *Prob.* Cum divina essentia sit bonitas infinita, atque adeo hæc sit de conceptu formali illius,

sequitur, omnem rationem bonitatis perfectissime in ea reperiri : ergo & reperitur in illa ratio ista, qua malum cognoscitur ex opposito bono : quia hæc ratio cognoscendi malum aliquo modo pertinet ad perfectissimam rationem cognoscendi bonum, quia tum perfectissime cognoscitur bonum, cum cognoscitur, in quantum dissidet à malo, & in quantum malum dissidet ab ipso : At sic cognoscitur ipsum malum. *Hinc sic pergo.* Malum cognoscitur per bonum oppositum. Sed malum opponitur bono divino perfectissime cognito à Deo, & secundum rationem communem mali, & secundum rationes speciales mali: quia sicut Deus est causa communis omnium, in quantum omnia imitantur Deum, & pariter est causa specialis cujuslibet entis in particulari, quatenus diversa entia diversimode ipsi, ut ideæ omnium & singulorum, assimilari possunt: sic omnia mala opponuntur Deo, oppositione communi, in quantum ab ejus bonitate & rectitudine discedunt, & præterea opponuntur eidem bonitati & rectitudini, speciali oppositione, in quantum ab ea diversimode deficiunt & discordant. Ergo, &c.

V. §. 4. *An etiam imperfecta entia cognoscuntur à Deo per propriam aliquam ideam, an vero per ideam oppositorum ? ut materia per ideam formæ, potentia per ideam actus, multitudo per ideam unitatis, cæcitas per ideam visus ?* Resp. Imperfectiones, quæ reperiuntur in rebus creatis sunt duûm generum : quædam sunt defectus naturæ & privationes alicujus perfectionis debitæ inesse, ut cæcitas: quædam vero sunt naturales conditiones rerum, quæ non important privationem alicujus perfectionis debitæ, sed negationem solum alicujus perfectionis non debitæ, ut esse materiale, esse potentiam, esse multum, esse finitum, participatum, &c. In Deo non est idea imperfectionum aut entium imperfectorum primi generis; ideoque, nec cæcitatis, nec cæci, ut sic, formaliter loquendo, habet ideam, quia istæ imperfectiones proveniunt ex defectu naturæ particularis, & non ex virtute ejus activa aut perfectione ipsius Dei, neque ullo modo ei assimilari possunt. Imperfectionum aut entium imperfectorum secundi generis Deus non habet ideam, si istæ imperfectiones considerentur formaliter, quatenus habent rationem imperfectionis, i. e. quatenus sunt negationes majoris perfectionis, quia negatio ut sic non habet aliquod exemplar, ad quod producatur, cum produci nequeat: attamen entia illa vera & realia, quæ isti imperfectioni substernuntur, quantum ad entitatem suam, non vero imperfectionem, habent ideam sui propriam in Deo, qua cognoscuntur, quia habent aliquam veritatem, qua vere assimilantur Deo, & imitantur atque exprimunt suo modo Deum, in quo continentur, non quidem formaliter, sed eminenter, quatenus à virtute activa Dei & perfectione ejus produci valent, & de facto aliquando producentur ac producuntur. *Prob.* Idea in Deo dicit assimilationem ideati ad Deum, quæ assimilatio est, non univocationis, sed repræsentationis & expressionis, non sub eodem genere sed extra genus, ut ante fuit explicatum in *disp. præced.* Cum autem Deus sit ens & ens verum, atque entia materialia, potentialia, multa, &c. sint entia & entia vera, etiam vere assimilantur Deo, & Deum imitantur, atque exprimunt. Ergo datur eorum vera ac propria idea in Deo, quod erat demonstrandum.

VI. §. 5. *An Deus habet ideam accidentium distinctam ab idea subjecti ?* Resp. Propria accidentia non habent in Deo ideam distinctam ab idea subjecti; accidentia communia, quæ superveniunt subjecto jam completo, habent distinctam ideam ab idea subjecti, quoad productionem; utraque habent distinctam ideam ab idea subjecti, quoad cognitionem. *Prob. pars prima.* Quia idea est forma exemplaris rei producibilis : ergo, sicut se res habet ad produci, ita se habet ad ideam, juxta quam producitur. Sed accidentia propria non producuntur in suo esse distincta productione à productione subjecti. Ergo neque habent ideam distinctam ab idea subjecti. Consequenter, & subjecti, & propriorum accidentium, una est communis idea, ad cujus exemplar subjectum producitur cum suis proprietatibus. Quemadmodum artifex habet

unam

unam ideam domus & omnium accidentium concomitantium eam, ita & Deus unam habet ideam, & subjecti, & propriorum, quæ comitantur illud. *Secunda pars assertionis posita probatur eodem fere modo.* Unaquæque res ita se habet ad sui ideam, uti se habet ad sui productionem: Sed accidentia communia, quæ adveniunt rei jam completæ, non producuntur eadem productione, qua producitur res ipsa: nam ex eo, quod aliquis est homo, non sequitur, quod idem sit sapiens aut Theologus: sed alia actione fit homo, alia sapiens; sicut domus alia actione fit domus, alia dealbatur. Ergo alia est idea in Deo respectu subjecti, scil. hominis, alia respectu sapientiæ ipsius, sicut in mente artificis, alia est idea domus, & alia alboris. *Tertia pars assertionis sic patet*, quia, quandocunque accidens distincte cognoscitur, & consideratur à Deo secundum propriam ipsius rationem, habet ideam ipsius propriam Deus; idea enim est ratio cognoscendi omnia secundum propriam rationem uniuscujusque. Præterea, cum unumquodque accidens habeat aliquam propriam actualitatem, quam addit subjecto, etiam ejus ideam propriam oportet ut habeat Deus, cui ut rerum omnium ideæ, pro idearum contemplatione à nobis instituta, sit gratiarum actio sempiterna. Amen.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,
Voluminis Secundi,

TRIGESIMA-SEPTIMA.

DE ESSENTIIS RERUM ÆTERNIS.

THESIS I.

QUia nihil fere frequentius est legere, quam *Essentias rerum creatarum esse æternas*, & de hac quæstione inter se contendunt acriter Scholastici Veteres, *Albertus Magnus, Henricus Gandavensis, Thomas Aquinas, Iohannes Duns Scotus*, & Recentiores, *Franciscus Suarez tom. 2. Metaph. disp. 31. Gabriel Vasques in 1. part. Thom. disp. 70. & 104. Martinus Meurisse in Metaph. lib. 1. quæst. 15. imprimis Franciscus Cumel in 1. p. Th. quæst. 10. art. 3. alique*, operæ pretium visum fuit explorare, quid hîc sit sentiendum, & quali modo loquendum. Controversiæ status est, *Vtrum essentiæ rerum sint ab æterno: non solum in Deo, sed etiam extra Deum?* quod idem est, ac si quæras, *An rerum quidditates, antequam à Deo in tempore producerentur, habuerint aliquod esse in se & secundum se?* Atque idem quæritur à Logicis, sub aliis verbis: *Vtrum hæc enunciabilia complexa, homo est animal, equus est hinnibilis, rosa est flos, sint æterna veritatis, ita ut aliquid reale respondeat illis ab æterno extra intellectum?* Quæstio sane est ardua, quam antequam decidamus, distinctiones quædam sunt præmittendæ, ut certa ab incertis distinguantur.

II. §. 1. Essentiæ rerum spectantur, vel secundum esse reale, quod habent in se, vel secundum esse objectivum, virtuale, possibile, intelligibile, ideale, volibile, quod habent in Deo. Alii sic dicunt, Essentiæ rerum tribus modis habent esse, vel in intellectu divino, vel in suis causis, vel in seipsis extra suas causas. Essentiæ rerum possunt dici æternæ, secundum esse objectivum, in genere, quatenus ab æterno fuerunt objectum, virtutis & potentiæ, intellectus & ideæ, ac voluntatis divinæ: esse enim virtuale creaturarum æternum, nihil est aliud, quam esse, suæ causæ, ipsius sc. Dei, ut habentis ab æterno virtutem producendi eas in tempore: similiter illis tribuitur esse possibile æternum, quia ab æterno fuerunt in potentia objectiva & activa Dei, cui fuerunt objectæ, & per quam ad actum sunt

traductæ in tempore, & ex ſtatu poſſibilitatis æternæ tranſlatæ in ſtatum actualitatis temporariæ: ſunt quoque æternæ ſecundum eſſe intelligibile atque ideale, quatenus ab æterno ſunt cognitæ à Deo, ut poſſibiles & futuræ in tempore, & quatenus ab æterno contemplando eſſentiam ſuam Deus vidit, quomodo eſſet imitabilis à creaturis in tempore: denique ſunt æternæ ſecundum eſſe volibile, quatenus ab æterno voluit eas producere in tempore. Ad alteram diſtinctionem quod attinet: In intellectu divino rerum eſſentiæ fuerunt per ideas ab æterno, antequam mundum creaverit, ſicut res artificioſæ ſunt in mente artificis, antequam producantur: in ſuis cauſis res dicuntur eſſe, quatenus ſunt in illarum potentia activa, quemadmodum roſa eſt in virtute activa Solis; ſic rerum eſſentiæ, antequam fuerunt in tempore creatæ, fuerunt in potentia activa Dei ab æterno: in ſeipſis extra cauſas ſuas dicuntur eſſentiæ rerum eſſe, quando jam actu producuntur à Deo, aut potius, quando ſunt productæ: ſic nullæ eſſentiæ ullarum rerum ſunt æternæ.

III. §. 2. Tripliciter accipitur τὸ eſſe: vel pro eſſe eſſentiæ, quo ſenſu definitio dicitur explicare τὸ eſſe, i. e. eſſentiam rei definitæ, vel pro eſſe exiſtentiæ, quo ſenſu dicitur generatio, tranſitus à non eſſe ad eſſe rei, vel pro veritate propoſitionis, in quantum τὸ *eſt*, ſignificat connexionem duorum extremorum, ſubjecti & prædicati; quo ſenſu dicimus, Homo eſt animal, eſt rationalis, eſt riſibilis, eſt doctus, eſt probus, &c. Hic notandum venit, quod actualis exiſtentia ſubjecti non requiratur ad veritatem propoſitionis, in qua τὸ *eſt*, tertii eſt adjecti, ſecus quam cum ſecundi eſt adjecti: Et hoc ſic probatur. Si exiſtentia ſubjecti requiratur ad veritatem propoſitionis de τῷ *eſt* tertii adjecti, ſequitur, nihil eſſe ſcibile niſi quando exiſtit; quia nihil eſt ſcibile niſi verum. Sed conſequens eſt falſum, quia multa ſcibilia ſunt, & ſciuntur de rebus non exiſtentibus, ut, de roſa tempore hyberno ſcitur, quod ſit flos, de Homero nunc non exiſtente, quod ſit Poëta, &c. Ergo, &c.

IV. §. 3. Eſſe exiſtentiæ duo facit reſpectu eſſe eſſentiæ. Primum, quod conſtituat eſſe eſſentiæ in actu, quod ante erat in potentia; ſicuti homo, antequam exiſtat, eſt in potentia Dei, & habet eſſe potentiale non actuale, quod quidem eſſe potentiale extra Deum nihil eſt, ſed eſt in Deo ipſa potentia Dei potentis producere hominem: ſecundum, quod facit eſſe exiſtentiæ reſpectu eſſe eſſentiæ, eſt, quod faciat, eſſentiam rei eſſe, ens creatum, aut potius eſſentiam entis creati; nam antequam exiſtit, eſt ens creabile & non creatum, aut potius eſt entis creabilis & non creati; creatio enim terminatur ad eſſentiam rei ſub exiſtentia.

V. § 4 Τὸ reale, quando enunciatur, de eſſentia, eſſe, aut ente, dupliciter accipitur: vel, prout diſtinguitur contra τὸ fictitium, aut quod ab intellectu & ratione eſt fabricatum, quo ſenſu ens fictitium, ut chimæra, & rationis, ut genus, opponitur enti reali: vel prout diſtinguitur contra τὸ non exiſtens, quo ſenſu reale idem eſt quod revera exiſtens. Eſſentiæ rerum poſſunt dici reales, priori modo, quatenus non ſunt fictæ ab intellectu aut factæ à ratione: ſed non poſſunt dici reales, ſenſu poſteriori, quaſi ſemper exiſtant; ſic enim forent æternæ & coæternæ Deo, quod eſt abſurdum. Sed quæſtionem ipſam decidamus & latius exponamus.

VI. §. 1. *Eſſentiæ rerum, extra divinum intellectum, extra Dei potentiam activam, extra illud eſſe objectivum quod habent in Deo, in ſe & ſecundum ſe, non ſunt æternæ, nec habent aliquod eſſe reale ab æterno, ne quidem diminutum, extra Deum.* Probatur 1. Si rerum eſſentiæ ſint æternæ ſecundum aliquod eſſe extra Deum, dabuntur univerſalia in eſſendo, & ideæ, vulgo, ſed falſo adſcriptæ Platoni, ut in diſp. de Ideis eſt oſtenſum, rerum & eſſentiarum ſeparatarum à ſingularibus, ab æterno, quæ non ſeneſcant, nec intereant, nec corrumpantur, quia ſunt abſtractæ à conditionibus materialibus ſingularium. Sed, conſtituere naturas univerſales ſeparatas à ſingularibus, contra omnem ſanam eſt rationem: ubi enim hæ ab æterno extra Deum delituerunt? ubi eſſentiæ iſtæ æternæ moratæ ſunt extra Deum? non in aliquo Mundi angulo, quia mundus ab æterno non fuit, & ante creationem ejus nihil fuit præter

præter Deum. Ergo extra Deum ab æterno essentiæ rerum esse non potuerunt. 2. Si essentiæ rerum sunt æternæ extra Deum, etiam talis erit essentia hominis: Sed essentia hominis est ejus materia & forma, corpus & anima rationalis. Atqui hæc non sunt æterna: repugnat enim esse æternum, & extra Deum produci ac creari, uti id disp. 16. in vol. primo selectarum disp. est ostensum. 3. Si rerum essentiæ habent esse ab æterno extra Deum, aut sunt productæ à Deo in illo esse, aut non sunt. Si non, sequetur, aliquid esse ab æterno extra Deum, quod nullo modo dependeat à Deo: quia, quod non est productum à Deo, id nullo modo dependet ab eo. Si ab æterno sunt extra Deum productæ à Deo, ergo habebunt existentiam ab æterno, quia omnis actio Dei producentis aliquid, terminatur ad existentiam singularem ipsius. Et sic, non solum essentiæ rerum erunt æternæ, quoad esse essentiæ, sed & quoad esse existentiæ, quod est absurdum. 4. Si rerum essentiæ sunt ab æterno extra Deum, sequitur, Deum non posse aliquid creare: quia creare est producere totum ens, ut ens est, ex nihilo. Sed si essentiæ rerum sint æternæ, ex hypothesi Adversariorum, divinæ creationi semper supponitur & præstruitur essentia & quidditas rei creandæ, quæ cum sit principalior entitas ejus, res creanda non producetur ex nihilo. 5. Si essentia hominis est ab æterno extra Deum, aut est aliquid aut nihil. Si nihil, non potest dici æterna, quia æternitas est affectio entis realis. Si aliquid, jam æternum esse non est proprium Dei. Hoc est absurdum. Ergo & illud. 6. Si rerum essentiæ sint ab æterno, maxime propter veritatem harum propositionum id esset, quæ dicuntur perpetuæ veritatis, imo æternæ veritatis; ut sunt, Homo est animal rationale, Homo est risibilis, Quodlibet est vel non est, &c. Sed ob hanc causam non est necesse, essentias rerum esse æternas, nam nihilominus hæ propositiones erunt veræ, quia non pendent ab existentia rerum: imo, etsi Deus annihilaret essentias rerum, adhuc propositiones illæ essent veræ, quia dicunt tantum connexionem necessariam prædicati cum subjecto. Quod negotium ut intelligatur, assertionem ponimus secundam.

VII. §. 2. *Propositiones aliquæ dicuntur esse veritatis perpetuæ & æternæ, non quia connexiones prædicati cum subjecto in illis habent esse ab æterno extra Deum, sed quia prædicatum concipitur in ratione subjecti, i. e. quia subjectum, nec potest esse, nec intelligi, sine prædicato illius propositionis, aut etiam prædicatum, non potest esse nec intelligi sine subjecto illius enunciationis.* Hic vero accurate est notandum, differentiam quandam esse inter propositiones perpetuæ & æternæ veritatis; nam quædam sunt veræ veritate intrinseca, sc. quando prædicatum est de intrinseca ratione subjecti, & non potest intelligi subjectum sine prædicato, aut vice versa, quando subjectum est de intrinseca ratione prædicati, nec potest prædicatum intelligi sine subjecto: ut hæc, *Homo est animal rationale*, & hæc, *Homo est risibilis*, utraque est vera ab æterno, non tantum, quia invenitur in intellectu æterno Dei, sed etiam utraque est vera ab intrinseco; quia in una, prædicatum est de intrinseca ratione subjecti; in altera, subjectum est de intrinseca ratione prædicati, & dicunt mutuam & necessariam habitudinem ad se invicem & ex natura rei & ex natuta terminorum: aliæ vero sunt propositiones perpetuæ veritatis ab intrinseco, sc. quia ab æterno sunt cognitæ & prædeterminatæ à Deo, ut propositiones futurorum contingentium, sicut hæc, Antichristus erit, est vera ab æterno, non quidem veritate intrinseca, quia prædicatum non est de ratione intrinseca subjecti, sed contingenter convenit subjecto, est tamen vera ab æterno, quia Deus ab æterno prædefinivit, Antichristum fore: & sic illa semper fuit vera in mente Dei æterna. Nostra in præsens assertio intelligenda est de propositionibus, non posterioribus, sed prioribus, quæ sunt veræ veritate intrinseca, & quæ sunt veritatis æternæ, non tamen, quia connexiones partium in illis habeant esse ab æterno extra Deum: 1. quia nullo homine existente, ante sæcula condita, hæc erat vera, *Homo est animal rationale*: sed ab eo, quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa: ergo si ante mundum factum nulla res erat, nulla quoque erat propositio, vocalis, aut scripta, sed tantum mentalis in

intellectu Dei. Ergo neque illa extra Deum erat vera, *Homo est animal rationale.* 2. Antequam Deus mundum constitueret, neque erant quatuor, neque tria, ergo non erant septem. Ergo non est perpetuæ aut æternæ veritatis extra Deum, *Quatuor & tria sunt septem.* 3. Quod rerum essentiæ non sint æternæ, quia connexiones prædicati cum subjecto sunt ærernæ extra intellectum Dei, sic probatur. Connexio est connexorum. Sed ab æterno nulla extabant extrema, quæ connecterentur. Ergo ab ærerno non potuit illa esse connexio extremorum extra Deum. 4. Ista connexio prædicati cum subjecto, quando dicitur, *Homo est animal rationale*; aut erar realis, aut inrellectualis: non realis, quia tunc nihil erar extra Deum. Ergo erat intellectualis: sed tunc nullus erat intellectus, nisi divinus, qui ab æterno non solum intelligebat, hominem esse rationalem, sed & contingentia omnia. Ergo propositiones non dicuntur ærernæ veriratis, quia connexio prædicati cum subjecto sit ab ærerno extra Deum: sed sufficit, quod alrerum de alterius ratione sir inrrinseca, formali, & essenriali. Unum hic objici potest, quod solvi meretur. Aut connexio extremorum in propositionibus æternæ veritatis, erat ab æterno, à parte rei, aut in intellectu tantum divino: non à parte rei, quia nihil potest esse æternum extra Deum: non in intellectu divino, quia eadem ratione omnes propositiones de futura contingenti sunt æternæ veritatis, quia sunt in inrellectu Dei æterno. Resp. Propositio necessaria, æternæ veritatis, qualis est illa, *Homo est animal rationale*, dicir habitudinem necessariam & intrinsecam ex natura extremorum, ubicunque reperiatur, sive in intellectu Dei, sive in intellectu Angeli, sive in intellectu hominis; hoc enim illi est accidentale: Et ratio est, quia prædicatum illius concipitur ex natura rei in ratione & concepru essentiali ipsius subjecti, ita ut subjectum, nec esse possit, nec intelligi, sine prædicaro; nam prædicatum est de essentia subjecti: & hoc ira est, quia ira esse ab æterno voluit Deus. Sed propositio de futuro contingenti, non habet ab inrrinseco, quod sit æternæ veritatis, sed rantum ab extrinseco, ex eo quod est in intellectu divino, ut est hæc, *Antichristus erit*, quia prædicatum hic non est de essentia subjecti; nec existentia esse poresr de essentia ullius rei crearæ, nec Deus unquam voluir, existentiam crearuræ esse de essentia ejus, sed contra ab æterno voluit, hoc prædicatum, *erit*, contingenrer dici de Antichristo. Cærera argumenta in conflictu solvemus.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

TRIGESIMA-OCTAVA.

DE POTENTIA DEI ORDINATA ET ABSOL.

THESIS I.

POtentiam in Deo esse, & quidem activam, & infiniram, *disp. 22. select. vol. 1.* satis superque est probatum, nunc ejus divisionem, in *Ordinatam* seu *Ordinariam*, & *Absolutam seu Extraordinariam*, explicare decretum est: quæ divisio inrelligenda est, non respectu Dei, sed rationis nostræ: nam potentia Dei est ipsa essentia Dei secundum rem; quæ essentia, ut est unica & simplicissima, sic & potentia ejus est unica, & secundum rem simplicissima, quæ tamen, pro diversa consideratione, nunc ordinata dicitur, nunc absoluta: quemadmodum unica & simplicissima Dei scientia, dividitur in simplicis intelligentiæ & visionis, & voluntas, in voluntatem efficientem & permittentem, propter inadæquatos unius ejusdemque rei conceptus nostros.

II. *Po-*

II. *Potentia Dei ordinata* dicitur, quæ sequitur leges à voluntate Dei positas, vel quæ accommodata est, & quasi debita, exsequendæ legi ab ipso Deo institutæ. *Potentia Dei absoluta* dicitur, quæ non est adstricta ad istum ordinem, in natura, aut in supernaturalibus, secundum scripturas, positum; vel, qua Deus potest facere omne id, quod contradictionem non implicat. Ordo autem iste, secundum quem agit Deus per potentiam ordinatam, & præter ac supra quem agit per potentiam absolutam, intelligitur secundum externam executionem, revelatam, & significatam, sive per leges naturæ, in prima rerum & mundi creatione fixas, sive, per revelationem scripturæ, aut aliam quamcunque supernaturalem, manifestatam. Lex divina est, *Ioh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi regnum cælorum.* Quem igitur Deus regenerat per aquam & spiritum, & per regenerationem ex aqua & spiritu salvum facit, eum salvum facit per potentiam suam *Ordinatam.* Sic & in rebus naturalibus, cum Deus, post effusum semen in uterum matris, cum virtute plastica concurrit ad formanda membra, membris sufficienter formatis animam à se creatam infundit, infundendo unit, id omne agit per *Potentiam* suam *Ordinatam.*

III. *Potentia* Dei *absoluta* dupliciter potest accipi. 1. *Exclusive*, sive ut opponitur potentiæ ordinatæ, & sic nihil est aliud, quam potentia Dei, quatenus soluta est omni lege, seu prout nulli communi ordini divino in rebus instituto est quasi adstricta, & suo modo debita. Per potentiam Dei hoc modo sumtam creatus est mundus, perque eam factum est, ut Sol steterit tempore Josuæ; unde, quod per potentiam Dei fit ordinatam, id non potest dici fieri de potentia Dei absoluta, hoc modo sumta. 2. *Absolute sive in sua latitudine*, ut potentiam ordinatam sub se comprehendit, quo pacto nos statim eam accepimus, cum diximus, per potentiam absolutam Deum facere posse, quicquid fieri contradictionem non implicat.

IV. Distinctionem potentiæ, in ordinatam & absolutam, priori modo sumtam, existimo esse eandem cum illa qua in ordinariam & extraordinariam distinguitur, ita ut idem sint, potentia ordinaria & ordinata, extraordinaria & absoluta, priori modo sumta; quo sensu easdem utrasque fecimus, *th.* 2. Dissentit hîc à nobis *Fonseca*, *l. 9. Met. c. 2. l* 1. Ejus ratio *hæc* est. *Si potentia ordinaria & ordinata essent plane idem, sequeretur, omnes effectus, qui cadunt sub potentiam ordinatam, etiam cadere sub potentiam ordinariam. Atqui hoc est absurdum, quia fœtus quidam animalium Monstrosi cadunt sub potentiam Dei ordinatam, ordo enim in rebus institutus admittit, imo & poscit, ut aliæ causæ aliquando alias impediant, & sic monstra generentur: eadem tamen monstra non cadunt sub potentiam Dei ordinariam, quia sunt effectus extraordinarii. Atqui absurdum est, effectus extraordinarios contineri sub potentia Dei ordinaria.* R. Monstrosi partus, quos adducit *Fonseca*, sunt extraordinarii, respectu potentiæ naturæ particularis, non sunt tales, respectu potentiæ Dei & naturæ universalis; & sic continentur sub potentia Dei ordinaria. Absurdum quidem est, effectum dici extraordinarium, respectu potentiæ Dei, & contineri sub potentia ejus ordinaria. At non est absurdum, effectum dici extraordinarium respectu potentiæ naturæ particularis, & tamen contineri sub potentia Dei ordinaria. Juxta posteriorem acceptionem potentiæ absolutæ, distinctio potentiæ divinæ in ordinatam & absolutam non est eadem cum distinctione in ordinariam & extraordinariam, quia potentia Dei absoluta hoc modo sumta & ordinariam & extraordinariam includit. Cæterum, per *Potentiam Dei absolutam*, idem nos intelligimus, quod per vocem *omnipotentiæ*, de qua paulo plenius est agendum.

V. *Omnipotentia*, ut ex voce patet, *est talis potentia, qua quis omnia potest:* Et, cum Deus dicitur *Omnipotens*, significatur, ipsum omnia posse. Cum autem potentia dicat respectum ad possibile, quandocunque enim aliquis dicitur posse, necesse est, ut illud, quod posse dicitur, possibile sit, omnipotentia sese extendet ad omne possibile, sc. cum Deus dicitur omnipotens, sensus est, Deum posse omnia, quæ sunt possibilia.

VI. *Possibile* dicitur dupliciter. 1. *Cum ap-*

posito, sc. quod sit possibile huic vel illi, ut quod aliquid sit possibile creaturæ vel Deo. Non potest dici, Deum esse omnipotentem, quia possit omnia, quæ sunt possibilia creaturæ, nam potentia Dei ad longe plura sese extendit: neque potest dici, Deum esse omnipotentem, quia possit omnia, quæ suæ potentiæ sint possibilia, tum, quia sic circulus committeretur in declaranda natura omnipotentiæ, tum, quia & creatura posset dici omnipotens, nam & illa potest omnia, quæ suæ potentiæ sunt possibilia. Non ergo consistit ratio omnipotentiæ in eo, quod aliquis possit omne possibile cum apposito. 2. dicitur possibile *absolute*, sc. illud, cujus termini nullam important repugnantiam, sive, quod non implicat contradictionem, vel, ut habet *Arist. 9. Met. c. 3. quo posito in actu, nullum sequitur impossibile.* Sicuti, *hominem sedere*, possibile est, quia horum terminorum, *homo*, & *sedens*, unus alteri non contradicit; &, si homo actu sedeat, nihil absurdi inde sequitur: &, hoc modo sumptum possibile, respicit omnipotentiam, dicituque omnipotens, qui potest omnia, quæ absolute & simpliciter sunt possibilia, i. e. quæ non implicant contradictionem.

VII. Est & alia ambiguitas in hac voce, *possibile. Vel enim opponitur tantum impossibili, & comprehendit etiam id quod est necessarium*, vocaturque à *Scholasticis possibile altum*, & hoc modo possibile dicitur, quicquid in suo esse ullam involvit contradictionem: *vel non tantum opponitur impossibili sed & necessario*, quo sensu possibilia sunt, quæ possunt esse & non esse. Cum dicimus, Deum per omnipotentiam posse, id omne, quod non implicat contradictionem, seu quod est possibile absolute, intelligendum id est, de possibili in sensu posteriori; nempe, id cadit sub omnipotentiam, quod est possibile, ita ut non sit necessarium, quia, possibile non necessarium, & id, quod est possibile fieri, sunt unum & idem. Quicquid enim est possibile, ut non sit necessarium, id potest esse & non esse, & hoc ipso potest fieri: & quicquid fieri potest, hoc ipso potest esse & non esse. Quare Deus ipse non est objectum suæ omnipotentiæ, quia Deus ita est ut non esse non possit, ideoque, nec à seipso, nec ab alio fieri potest, & omnipotentia tribuitur Deo, quatenus potest omnia alia à se distincta. Sed nec sub objecto comprehenduntur omnipotentiæ divinæ, quæ important passionem in ipso, quia caret potentia passiva: sic Deus non potest mori, &c. Nam mori est pati. Ex hisce omnibus facile est refutare impia *Plinii* verba *lib. 2. Hist. nat. c. 7. Imperfecta in homine natura præcipua sunt solatia, ne Deum quidem omnia posse: nam, neque sibi mortem consciscere potest, si velit, quod homini dedit in tantis vitæ malis, nec mortales æternitate donare, aut in vitam revocare defunctos, aut facere, ut, qui vixit, non vixerit, qui honores gessit, non gesserit, nec ullum habere in præterita jus, nisi oblivionis, atque (ut facetis quoq; argumentis societas cum Deo copuletur) ut bis dena viginti non sint.* Hæc *Plinius*. Resp. Deum non posse, mortales facere immortales, aut defunctos in vitam revocare, falsissimum est. Quod vero Deus non possit mortem sibi consciscere, nec valeat facere, ut, qui vixit non vixerit, qui honores gessit non gesserit, ut bis dena non sint viginti, ea non potest, quia non sunt possibilia: nam contradictionem implicant, ideoque sub objecto omnipotentiæ divinæ non continentur: neque, ea non posse, vel tantillum derogat ei: de quavis enim potentia judicandum est ex suo objecto, estque illa potentia perfecta, in qua respectu sui objecti adæquati nullum est repetire defectum. Quemadmodum ergo nihil derogat visui, quod non possit percipere, vel odorem, vel saporem, neque recte infertur, hominem carere visu, quod nequeat videre odorem aut saporem, quia odor & sapor non sunt objectum visus, sic nihil derogat potentiæ divinæ, quod mori non possit, nec licet inferre, *Deus non est omnipotens*, quia non potest ea facere, quæ contradictionem inferunt, quia talia sub objecto potentiæ divinæ non comprehenduntur. Atque hæc serio observanda sunt contra *Conradum Vorstium*, quia *tract. de Deo & attributis Dei, p. 290.* non veretur statuere, potentiam Dei non esse prorsus infinitam, eo, quod non extendatur ad impossibilia. Certe, si ad impossibilia extenderetur, ne potentia quidem esset, quia, sicut scientia non dicitur nisi respe-

ſpectu ſcibilium, ſic potentia non dicitur niſi ratione poſſibilium: Et, ſi impoſſibilia ſub aliquam caderent potentiam, hoc ipſo non eſſent impoſſibilia.

VIII. Objiciat quis, *Deus non poteſt ambulare, edere, bibere, informare materiam. Ergo non poteſt omnia, quæ fieri poſſunt, & contradictionem non implicant. Conſeq. prob. quia ambulare, edere, bibere, informare materiam, fieri poſſunt, neque contradictionem implicant.* Reſp. Conſequens intelligi poteſt dupliciter. 1. Ut verbum (*poſſe*) latiſſime accipiatur, & quamlibet potentiam, etiam paſſivam denotet, ſicut accipitur, cum dicitur, aquam poſſe calefieri, & hoc modo non ſumitur, cum Deus dicitur omnipotens & omnia poſſe: hoc ſenſu concedimus, Deum non poſſe omnia, quæ fieri poſſunt, ſc. ab homine, & quæ contradictionem non implicant à parte cauſæ ſecundæ, ut ambulare, &c. quæ tamen, quia potentiam connotant paſſivam, à Deo fieri nequeunt, & ex parte cauſæ primæ contradictionem implicant, ſi tribuatur ei, iſta facere, quia in Deum potentia paſſiva non cadit. 2. Ut verbum (*poſſe*) importet potentiam mere activam, excluſa omni paſſione, & hoc modo negatur conſequentia, quia poſſe ambulare, edere, bibere, &c. important potentiam paſſivam in iis, quæ denominant, & à quibus eliciuntur: ſunt enim quidam motus: ſed id, quod movetur, patitur, & aliquid in ſe recipit: eſt enim motus actus entis in potentia qua potentia. Informare materiam, licet non ſit actus potentiæ paſſivæ, non tamen etiam eſt actus potentiæ activæ, quia eſt actus formæ, qua talis, & competit cauſæ formali, quatenus formalis eſt: Atqui cauſa formalis, ut ſic, non agit; alioqui cauſa formalis, qua talis, eſſet cauſa efficiens, & cauſarum genera confunderentur, quæ tamen ita ſunt diſtincta, ut una, qua talis, alterius cauſalitatem ſupplere nequeat. Unde, licet ambulare, edere, bibere, informare materiam, ſint poſſibilia, reſpectu ſc. cauſarum ſecundarum, tamen Deum ambulare, edere, bibere, informare materiam, Deo ſunt impoſſibilia, quia Deus pati non poteſt, nec ullius compoſiti fieri pars componens & cauſa interna, ut quidem forma facit, cum materiam informat. Sed hæc omnia cum Dei perfectione repugnant. Quare manet omnipotens, licet illa non poſſit.

Diſputationum ex Philoſophiâ ſelectarum,

Voluminis Secundi,

TRIGESIMA-NONA.

DE POTENTIA DEI ORDINATA ET ABSOLUTA.

THESIS I.

DEo adſcripſimus *Potentiam diſp. præced.* in ſe quidem unam ac ſimpliciſſimam, reſpectu tamen intellectus noſtri, tum finiti, tum in intelligendo imbecillis, diviſam, in *ordinatam* & *abſolutam:* utramque *definivimus*, & ab *objecto* ſuo expoſuimus, quod fecimus *poſſibile*, & variis modis diſtinximus: ei opponitur *impoſſibile*, quod ipſum ſuas quoque habet diſtinctiones, quas in medium proferemus, antequam quæſtiones varias de Dei potentia proponamus. Poſſibile, vulgo vocant objectum omnipotentiæ divinæ poſitivum Scholaſtici, & impoſſibile, negativum.

II. §. 1. *Impoſſibile* ſic dicitur, *vel ex defectu potentiæ agentis*, quod licet in ſe fieri poſſit, attamen propter imperfectionem & finitatem potentiæ produci nequit, *vel ex defectu objecti*, quod in ſe & ex intrinſeca ſua ratione tale eſt, ut dicat repugnantiam ad eſſe, & ſic fieri non poſſit. Priori modo nihil Deo eſt impoſſibile; non enim ideo hoc vel illud impoſ-

possibile est, quia in Dei potentia defectus sit ad producendum illud, sed solum posteriori, quia in illo, quod impossibile dicitur, est repugnantia ad esse, ut produci nequeat ratione sui, atque ex defectu sui, quia esse non potest, &, si illa repugnantia non esset in eo, potentia quoque divina firma & valens esset ad producendum illud.

III. §. 2. *Impossibile* est aliquid, *vel secundum potentiam creatam*, quod à creatura non potest produci, propter finitatem potentiæ, quæ est in ea, qua ratione impossibile est, ut res creetur ex nihilo, ut virgo pariat, &c. *vel in ordine ad potentiam simpliciter*, quod à nulla potentia, & sic ne à divina quidem, actuari potest, quia in se dicit repugnantiam ad esse. Sed hæc distinctio verbis tantum à priori differt, uti & illa, qua distinguitur inter *impossibile naturæ & impossibile naturæ:* illud est, quod usitatum naturæ cursum superat, ut, solem stare, ignem non urere, &c. hoc, quod rei naturæ & definitioni repugnat, ac contradictionem implicat: Intelligitur hîc utrobique impossibile posterioris ordinis.

IV. §. 3. *Impossibile* dicitur aliquid, *vel in se ac ratione sui, vel ratione intellectus creati, judicantis, illud esse impossibile:* prius revera est impossibile; posterius non est tale nisi priori respondeat: neque enim illud statim est impossibile, quod intellectus noster impossibile judicat. 1. Quia intellectus noster non est mensura mensurans impossibile, sive non est ratio, cur aliquid dicatur impossibile: non enim, quia intellectus cognoscit impossibile, est tale, sed, quia impossibile esse præsupponitur, ita ab illo cognoscitur: sicut contra, res dicitur possibilis, non ideo, quia eam intellectus possibilem judicat, sed quia alias extra intellectum possibilis erat in se: intellectus enim noster in cognitione dependet ab objecto cognito & mensuratur ab eo, non contra objectum dependet aut mensuratur ab intellectu. 2. Sicut intellectus sæpe errat in cognitione possibilium & entium, ut illa falso cognoscat, cur etiam non possit errare in cognitione non entium & impossibilium, & illud dicere impossibile, quod in se est possibile. 3. Sicut ratio non potest cognoscere infinitam Dei essentiam, ita nec infinitam ejus potentiam quidditative scil. & adæquate; consequenter, nequit etiam cognoscere multa à Deo producibilia, quæ nobis videntur improducibilia. 4. Si dicamus, ea non posse Deum, quæ non apprehendit cum posse intellectus noster, etsi non involvant contradictionem actum erit, de summis nostræ religionis capitibus. Quid enim difficilius est nostro intellectui quam apprehendere, Sacrosanctæ Trinitatis in essentiæ unitate, duarum naturarum Christi in unitate personæ, Mysterium? quid ægrius aut mirabilius ipsi, quam Deum esse passum? & tamen hæc sunt dogmata fidei nostræ, quæ hac de causa, quod cum intellectus judicio non congruant, ut impossibilia & contradictoria, hæretici ac pagani rejiciunt. Nunc quæstiones quasdam circa potentiam Dei ordinatam & absolutam discutiamus.

V. In Deo esse potentiam, & illam quidem infinitam, seu omnipotentiam, assertum est *vol. 1. disp. select. 22.* Quæritur, 1. *An demonstrari illa possit ratione naturali?* Aff. & prob. §. 1. Omnis potentia activa, est secundum modum & actum formæ substantialis, à qua procedit, sicut ignis habet potentiam ad calefaciendum pro ratione caloris à quo procedit calefactio, &, quo res est calidior, eo majorem habet potentiam calefaciendi. Sed divina essentia, à qua procedit potentia agendi, est infinita. Ergo & virtus, quæ fundatur in hac essentia, debet esse infinita. Valet itaque argumentum. Forma, per quam Deus agit, est infinita, Ergo & ejus potentia est infinita. Conseq. prob. Quia in omnibus agentibus videmus, quod, quanto agens perfectius habet esse & perfectiorem formam, tanto major sit ejus virtus in agendo: unde, si agens haberet calorem infinitum intensive, haberet etiam vim calefaciendi infinitam. Ergo cum forma, per quam Deus agit, sit infinita, sequitur, quod ejus potentia ad agendum quoque sit infinita: Sed forma, per quam Deus agit, est ejus essentia. Hæc autem est infinita. Ergo, &c.

VI. §. 2. Deus potest efficere, quicquid est in potentia passiva creaturæ. Ergo est omnipotens. Prob. antecedens: quia in potentia

tia passiva creaturæ est omne illud, quod non repugnat enti creato, sicut in potentia passiva est hominis, quicquid non repugnat naturæ humanæ. Conseq. prob. nam cuilibet potentiæ passivæ respondet potentia activa agentis, per quam possit reduci ad actum; alioquin otiosa esset illa potentia passiva, si nulla esset activa, quæ eam reducere ad actum posset. Sed in rerum natura nihil est otiosum. Ergo ponenda est potentia activa in Deo, quæ possit reducere in actum, quicquid est in potentia entis creati.

VII. §. 3. Virtus, quæ ex natura sua non determinatur ad unum effectum, potest omnia agere & omne possibile efficere. Sed virtus divina ex natura sua non determinatur ad unum genus effectuum, neque ad hoc aut illos effectus in aliquo genere. Ergo virtus divina omnia potest agere. Sed hoc est esse omnipotentem. Ergo, &c. Major. prob. Quoniam illa virtus, quæ non determinatur ad unum producibilis genus, nec ad hæc aut illa producibilia, habet pro objecti formali producibile simpliciter & absolute: ideoque potest omnia. Sed virtus divina est ejusmodi, quia est virtus illimitata. Ergo potest omnia producibilia. Ergo Deus est omnipotens.

VIII. § 4. Omnis perfecta virtus se extendit ad omnia, ad quæ proprius ejus effectus se potest extendere. Sed esse est proprius & per se effectus Dei. Ergo virtus Dei potest omnia illa, quæ possunt habere esse. Sed omne possibile simpliciter potest habere esse. Ergo virtus divina potest id omne, quod est possibile simpliciter. Atqui hoc est, esse omnipotentem. E. Deus est omnipotens.

IX. Ex dictis duo sequuntur. 1. *Res intrinsece & formaliter in seipsis esse possibiles & impossibiles:* possibiles quidem, quia non repugnat illis esse, ex sua ratione formali, impossibiles vero, quia repugnat illis esse ex sua ratione formali, etiam circumscripto omni ordine, & omni respectu ad agens: extrinsece autem res dicuntur possibiles aut impossibiles, per respectum ad agens; possibiles quidem, quia possunt fieri ab agente; impossibiles, quia per nullius agentis potentiam fieri possunt. Atque ita judicandæ sunt res possibiles, aut impossibiles, extrinsece in ordine ad causam efficientem.

X. Sequitur 2. *Omnipotentiam Dei non posse communicari ulli creaturæ, ne humanæ quidem naturæ in Christo.* 1. Quia objectum formale omnipotentiæ est omne possibile absolute. Sed virtus & potentia creaturæ non potest attingere omne possibile absolute; alioquin, cum ipsa potentia creaturæ sit de numero possibilium, sequitur, quod posset etiam seipsam producere: Sed hoc est impossibile. E. Omnipotentia non potest communicari creaturæ. 2. Potentia consequitur essentiam, ergo potentia infinita sequitur essentiam infinitam. Sed essentia creaturæ infinita, nec est, nec potest esse. Ergo nec potentia. 3. Omnipotentia est potentia ad omnia sufficiens & in nullo deficiens: Sed potentia creaturæ non est talis. Ergo, &c. Prob. min. Potentia creaturæ non est sufficiens ad producendum aliquid ex nihilo, quia creatura semper supponit subjectum, in quo operatur; deinde potest ejus potentia impediri ne operetur, ergo in aliquo potest deficere: denique creaturæ potentia est dependens ab influxu & concursu Creatoris. Sed hic ei subtrahi potest. Ergo illa deficere potest. Ex hisce nunc patet facile, Christo, qua homini, non posse communicari omnipotentiam, cum natura humana sit creatura, sit finita, nec possit seipsam producere, nec aliquid ex nihilo facere, dependeat à divina natura, non tantum in subsistendo, sed & in operando, quæ omnia cum natura omnipotente pugnant. Quod objiciant *Matth. ult. cap. Christo datam esse omnem potestatem in cælo & in terra.* Resp. 1. Aliud est ἐξουσία, aliud δύναμις· aliud potestas, aliud potentia. De priori, quæ est idem quod authoritas, loquitur locus: de posteriori est quæstio. 2. Dicit Christus: Mihi, non meæ naturæ humanæ, sed Mihi θεανθρώπῳ ut Mediatori, data est omnis potestas, ut Redemtori generis humani, in ordine ad Ecclesiam, & ad omnia, quæ sunt necessaria ad ejus gubernationem, conservationem, regimen, &c. 3. Respondent nonnulli; *Christo datam esse omnem potestatem &c.* quia per illum & in ipso manifestata est singulari modo omnipotentia Dei ac sua,

per miracula, &c. à se edita: res enim sæpe dicitur fieri & dari, quando innotescit & manifestatur, quia omnipotentia Dei ante Christum in carne manifestatum non erat ita cognita, uti eam quidem operibus suis Christus manifestavit.

XI. Quæritur §. 2. *An actualis seu efficax atque operans potentia sit idem, quod potentia ordinata?* Resp. Non est: utcunque sic videatur *Doctiss. Polano in synt. Theol.* Nam hæc latius se extendit quam illa: neque enim semper de facto & actu operatur, quæ tamen operari potest potentia ordinata per media ordinaria secundum ordinem naturæ legesque à semet in ea positas. Potest huic aut illi famelico succurrere, huic aut illi ægro mederi, ope aliorum hominum ac medicamentorum, potest sauciato citius sanitatem restituere, & hoc aut illud effectum dare, ordinatia via per creaturas, & tamen sæpe non facit: attamen nihil eorum excedit potentiam Dei ordinatam.

XII. Quæritur 3. *An Deus possit quædam de potentia, quæ non possit de justitia?* Resp. Distinguatur justitia juris divini positivi ac revelati, à justitia juris divini, Deo naturalis: priori sensu potest, posteriori non potest; quia nihil potest, quo vel illa, vel ullum ex suis attributis, luxetur, tollatur, negetur: hoc enim si posset, posset contradictoria. At ista non potest, ut jam ante est visum.

XIII. Quæritur 4. *An potentia & voluntas Dei æque late pateant?* Resp. Quæcunque Deus vult ea potest, sed non statim, quæcunque potest, vult; multa potest potentia etiam ordinata, quæ nunquam vult, sed quam plurima potest potentia absoluta, quæ nunquam voluit; nec unquam vult, ut excitare filios Abrahæ ex lapidibus, &c. Cætera de *Potentia Dei in seq. disp.* excutientur.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA.

DE POTENTIA DEI ORDINATA ET ABSOLUTA.

THESIS I.

AN *sit, quid sit, &, quotuplex sit, Potentia Dei*, gemina excussum est *disp. Potentia Dei* respondere diximus *possibile*; consequenter, *Deum non posse impossibilia, & tamen plura posse quam vult. Impossibilia* diximus esse, *quæ implicant contradictionem:* hæc ne sub absolutam quidem cadunt potentiam, quia nunquam simul esse vera possunt, ideoque nunquam quoque à Deo simul fieri possunt. *Talia sunt* omnia, *quæ pugnant, cum proprietatibus Dei, vel essentialibus, vel personalibus, aut cum natura rerum*, sic ut fiant, vel fieri possint, vel Dei, vel rerum natura, evertatur. Quo sensu, *Apostolus*, 2. *ad Tim.* 2. de *Deo* dicit, quod *abnegare sese non possit*. Quod fundamentum assumemus ad probandum, Deum non posse omnia, sine exceptione, sive contradictionem implicent, sive non: contra quam sentit *Ioh. Gerardus in Methodo Studii Theol. p.* 122. *& seq.* & nonnulli alii, ut unum corpus posse esse in pluribus locis, propria posse separari à subjectis, quin & aliis communicari, similiaque opinionum monstra tueantur.

II. §. 1. Deus non potest negare suum intellectum. Sed si posset facere contradictoria, negaret suum intellectum: affirmatio enim & negatio cadunt in omnem conceptum, etiam divinum, ita ut is sit, vel affirmativus, vel negativus; affirmativus autem ac negativus, simul eodem respectu esse non potest. Hinc fit, ut verbum Dei, quod fluit ex illo conceptu, non possit esse *ita* & *non*. Sed si Deus posset facere contradictoria, potest ejus con-

conceptus simul esse affirmativus & negativus; alioquin rei ipsi conformis esse non posset: nam contradictio est affirmatio & negatio ejusdem de eodem. Profecto, si ad perfectionem intellectus humani requiritur, ut sit conformitas inter ipsum & rem quam cognoscit, multo magis id requiritur in intellectu divino, qui eminenter in se habet omnem perfectionem, quæ est in intellectu quovis creato. Nec valet exceptio, non esse necesse, ut intellectus divinus conformetur objecto intelligibili, sed objectum intelligibile conformari debere intellectui divino, ita ut, si intellectus divinus contradictione careat, etiam in objecto tollatur contradictio, statim atque sub intellectum cadit. Hæc, inquam, exceptio locum non habet: quia, etsi res facta, sequatur intellectum divinum, utpote, quæ prius est in Deo, quam in se, tamen, postquam facta est, concipit eam intellectus Dei, ut in se est. Si igitur Deus fecit contradictoria, concipit ea etiam ut contradictoria. Sed hoc est absurdum, nam conciperet de eadem re *ita & non*. Ergo, salvo manente intellectu Dei, non potest statui, plura eum posse facere contradictoria.

III. §. 2. Deus non potest negare voluntatem suam; sed, si Deus facere posset contradictoria, negaret voluntatem suam: Vult enim esse quam facit, & ita ut facit: ergo vellet negationem rei ejusdem simul & affirmationem, quia utramque simul faceret: sed talis voluntas Deo repugnat.

IV. §. 3. Deus non potest negare potentiam suam: at, si Deus posset facere contradictoria, negaret suam potentiam: nam unumquodque ens agendo, producit sibi simile, saltem quantum ad summam illam rationem entis pertinet: per consequens, non potest Deus producere contradictionem, seu, id, quod simul implicat esse & non esse: hoc enim postremum est non ens: at Deus nihil est nisi ens.

V. §. 4. Deus non potest negare suam immutabilitatem: sed hoc fieret, si contradictoria faceret aut facere posset: nam id, quod, verbi causa, negativum est & falsum, secundum veritatem à Deo plantatam in ratione & logica humana, abjiceret & abjicere posset falsitatem, ac mutaretur & mutari posset in veritatem in intellectu & logica divina, & sic Deus mutabilis esset.

VI. §. 5. Deus non potest negare simplicitatem suam: negaret autem, si contradictoria ab eo fieri possent: esset enim in ipso compositio duplicis veritatis, naturalis scilicet, secundum quam, v. c. negativum contradictionis membrum esset verum; & supernaturalis, secundum quam affirmativa ei contradicens esset vera. Certum quidem est, veritatem distingui in naturalem & supernaturalem, sed hæc non est divisio generis in species oppositas, sed distinctio rei unius ejusdemque in suos modos: Est enim una propria tantum veritas, quæ ut in natura est debilis & per corruptionem peccati propemodum sopita, ita per gratiam & revelationem cælestem, non oppugnatur, sed in integrum, quantum in hac vita satis est, restituitur.

VII. Argumenta *Ioh. Gerardi in Meth. Stud. Theol. p.* 122. *&c.* quibus probat, *Deum posse facere contradictoria*, sunt petita, partim ex Scriptura, partim ex ratione. Ad loca Scripturæ breviter dicimus, (quia hoc Theologos spectat) *Genes.* 18.14. *Matth.* 19. 26. *Luc.* 18. 26. sermonem esse de omni *re* seu *ente*, quod Deum omnino posse, extra controversiam est, non autem loqui de *non-ente*, quale est contradictio. Eadem est loci ratio, *Luc.* 1. 38. ubi dicitur πᾶν ῥῆμα *omne verbum*, hoc est, Ebraismo noto, כל דבר *omnis res*, & in specie, illa, quæ promissione Dei & verbo illius firmata est, ut hoc in loco. Sententia ergo nostra non pugnat cum verbo Angeli dicentis, *non erit impossibile apud Deum verbum omne:* id enim, quod contradictionem implicat, verbum esse non potest, quia nullus intellectus illud potest concipere. *Zach.* 8. 6. sermo est, de eo quod Deus promiserat, & velle se declaraverat, nimirum, de restitutione Hierosolymorum temporali, post captivitatem Babylonicam, & vero imprimis de spirituali: & sic pariter, non ad rem allegatur iste locus: constat enim, Deum omnia posse quæ vult. *Ephes.* 3. 20. *dicitur Deus facere posse* ὑπὲρ πάντα *super omnia*, ὑπερεκπερισσοῦ *super-*

perabundanter, quam petimus aut intelligimus. Ex quo non sequitur, Deum posse contradictoria: aliud est, *supra rationem & naturam* facere, aliud, *contra:* illud Scriptura dicit, non hoc; illud Deus circa controversiam & potest & facit in plurimis, non hoc.

VIII. Rationes sunt. §. 2. *Si Deus potest facere ea, quæ superant intellectum nostrum, utique etiam facere potest ea, quæ in nostra Logica contradictionem implicant.* Resp. *Neg. conseq.* & ratio est, quia, quæ superant intellectum nostrum, non statim evertunt naturam, vel rerum vel proprietatum divinarum. Legantur *Parag.* 78. & 79. *l.* 1. *sect.* 2. *Partit. Metaph. Iacobi Martini*, ubi accurate docet, aliud esse, *supra*, aliud, *contra* naturam, & in quo illa diversitas consistat, atque insuper fundamentum ponit, cur Deus non possit dici *contra* naturam agere, quia sc. natura ei non repugnat.

IX. §. 2. *Si Deus omnia sua absoluta potentia potest, nihil certe possibile excipitur.* Resp. concedimus totum: sed contradictio ex possibilium genere non est, ut ostensum est *disp. præced.* & *hac.* Quod addit, *aut monstretur, quid Deus absoluta sua potentia non possit.* Resp. Frustra hoc exigitur ab Orthodoxis, cum eorum nemo dixerit, Deum non posse omnia possibilia; Cæterum impossibilia monstrari possunt satis multa, quæ Deus facere non potest, sc. seipsum abnegare, mentiri, mori, edere, bibere, ut præteritum non sit præteritum, de quibus jam obiter actum in *disp. præced.* & fusius agetur *in seq.* Et de hac diximus potentia, Deum non posse omnia illa, quæ naturam, vel suam, vel rerum, evertunt. Videatur *Zanchius lib.* 31. *de natura Dei, c.* 1. & *Polanus l.* 2. *c.* 29. *Synt. Theol.*

X. §. 3. *Si Deus potest facere impossibilia apud homines, etiam facere potest impossibilia apud rationem nostram, quia intelliguntur, non solum impossibilia factu, sed & impossibilia cogitatu.* Resp. Conceditur major: de ratione sumta concretive, prout est in hoc vel illo homine: sæpe enim judicat ratio humana Petri, Pauli, Johannis, &c. aliquid esse Deo impossibile: negatur autem de ratione abstractive sumta, non quod ratio abstractive sumta judicet aliquid Deo impossibile, sed ideo, quia ratio judicat Deo omnia esse possibilia, id est, quæcunque rationem entis habent: quia igitur vera ratio, non judicat, Deo aliquod ens esse impossibile, sed contra censet, Deum omnia posse, hinc falsum est, Deum posse, impossibilia apud rationem nostram: cum enim ratio dicat, Deo esse aliquod ens impossibile, hinc certo dici non potest, Deum ea posse, quæ ratio judicat impossibilia esse: id quod verum est, non solum de ratione sumta abstractive, sed etiam, prout ea est concretive in quibusdam hominibus, h. e. illis, qui veram ac rectam sequuntur ducem, cum enim dicimus, rationem concretive sumtam errare circa objectum potentiæ divinæ, non id intelligendum est de omnibus hominibus, etsi enim errare omnes possint homines, non tamen omnes in eo errant, sed illi tantum, qui à luce rationis rectæ recedentes, tenebris suis se tanquam pallio involvunt, ii autem, qui veritatem Dei, in natura patefactam, & Scriptura confirmatam, ducem fidelem, constanter sequuntur, recte de Dei potentia judicant.

XI. §. 4. *Si Deus absoluta sua potentia ad contradictionem Logicam legemque humanæ rationis non sit alligatus, Ergo potest contradictoria. Sed verum est prius. Ergo, &c.* Resp. Conceditur antecedens majoris, seu minor: neque enim nos dicimus aut statuimus, Deum esse alligatum ad Logicam humanam: sed neg. conseq. quia Deus immutabiliter, & semper verax est, sive in natura, sive in Scriptura, loquatur, cui veritati potentia Dei absoluta non repugnat: at talis non esset, si contradictoria posset.

XII. Quod distinguat, *inter contradictionem Logicæ, divinæ seu Dei, longe lateque captum nostrum transcendentis, & inter contradictionem Logicæ, humanæ seu hominis, captum humanum non transcendentis*, id est, ut in præcedentibus ipse se declarat, *Deum non posse facere absolute & simpliciter contradictoria, posse tamen facere ea, quæ in Logica nostra implicant contradictionem.* Resp. Verum esse, quod intellectus divinus, quem hic Logicam divinam appellat, transcendat & infinitis modis superet intellectum humanum & Logicam nostram, inde tamen

tamen non sequitur, Deum posse omnia ea, quæ in Logica nostra contradictionem implicant: tum demum illud sequeretur, si Deus aliquid contra Logicam veram, rationem sanam, veritatem in natura plantatam, aliquid conciperet, diceret, faceret; quod non posse Deum, ostendimus: Logica quidem nostra in veritatis adæquatione deficit, ita ut totam veritatem divinam non contineat, nec ad omnia sese extendat, aut sufficientes de iis conceptus formet; sed non potest aliquid contrarium statuere veritati divinæ: & vice versa, Scripturæ atque intellectus divini veritas, plurima, imo infinita, supra naturam & Logicam nostram continet, ac concipit, sed nihil contra eam: cum enim alterutrum contradicentium sit falsum, Logica nostra sic contineret falsum aliquid, quod repugnaret veritati divinæ; imo veritas Dei sibi ipsi repugnaret, quæ eadem est, naturæ & Scripturæ, rationis & revelationis, Philosophiæ ac Theologiæ, Logicæ humanæ ac divinæ, ut, quod in una est falsum & contradictorium, tale sit quoque in altera. Quod denique addat distinguendum esse *inter ea, quæ sunt supra terminos Logicæ & rationis, & inter ea, quæ sunt intra eos, & à ratione percipi possunt*: Resp. Illa ad rem non faciunt: etsi enim talia supra rationem sunt, non tamen contra eam.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-PRIMA.

DE POTENTIA DEI.

THESIS I.

EXposuimus Disputationibus aliquot, *Potentiam Dei*, eam qualicunque modo describendo, & *in absolutam* atque *ordinatam* distribuendo. Nunc animus est, quæstiones quasdam illustres de ea movere ac dissolvere. Prima erit. *Vtrum ad præterita sit Dei Potentia?* i. e. *An Deus possit facere, ut præterita non fuerint?* Resp. 1. *Deus non potest efficere, ut id, quod est simpliciter & absolute præteritum, non fuerit præteritum:* & hoc non provenit ex defectu divinæ potentiæ, sed ex defectu rei, quia contradictionem implicat. Cum enim Deus sit infinite perfectus, nullus potest esse defectus ex parte Potentiæ Dei: ideoque, quotiescunque Deus dicitur aliquid non posse, non dicitur ideo, quod amiserit potentiam, quam prius habuit; Potentia enim Dei uti non potest augeri, ita neque potest minui; est namque invariabilis atque immutabilis: sed ideo est, quia objectum amisit rationem possibilis, quam ipsum prius habuit. Unde sic argumentamur.

II. §. 1. Præteritum non fuisse, non habet rationem possibilis. Ergo non subjacet objecto divinæ Potentiæ. Ergo à Deo fieri nequit ut præteritum non fuerit. *Prob. anteced.* Quia, præteritum non fuisse, involvit contradictionem & repugnantiam, nempe, fuisse & non fuisse: nam bene sequitur (*præteriit, ergo fuit*) &, ex suppositione, quod præteritum adhuc sit possibile (*nunquam fuit.*) Ergo *fuit & non fuit.* Ergo est contradictio. At contradictoria sunt impossibilia, objectum vero Potentiæ divinæ sunt possibilia, ut *disp. præced.* est demonstratum. Ergo, præteritum non fuisse, non est possibile.

III. §. 2. Deus revelavit Moysi Adamum fuisse, ergo, si Deus potest efficere, ut Adamus nunquam fuerit, sequitur, Deum fuisse mentitum, quod est blasphemum. Si neges consequentiam; quia, si Deus efficeret, Adamum nunquam fuisse, simul efficeret, revelationem illam non extitisse: regero, hoc minime sequi: quia, Adamum fuisse, & revelatio illa

facta, quod Adam fuerit, ſunt duæ entitates & duæ res diſtinctæ, quarum una non eſt alteri intrinſeca: unde ſequitur, quod Deus unam illarum poſſit deſtruere, altera non deſtructa, ac proinde efficere poterit, ut una non fuerit, interim non efficiendo, quod altera non fuerit. Ex quo ſequeretur, Deum fuiſſe mentitum, quod blaſphemum eſſe ſtatim diximus.

IV. §. 3. Si Deus poſſit facere, quod nunquam Mundus fuerit, hæc veritas ponatur in eſſe, ut Deus hac hora per ſuam Potentiam efficiat, mundum nunquam fuiſſe; qua data hypotheſi, hæc eſt bona conſequentia: nunc factum eſt à Deo, quod mundus nunquam fuerit; ergo mundus nunquam fuit: ſed, antequam Deus hac hora illud faceret, mundus fuit. Ergo mundus fuit, & non fuit, quod implicat contradictionem.

V. §. 4. Si Deus poſſit efficere, præteritum non fuiſſe, aut efficeret illud poſitive, h. e. faciendo illud vel aliquid circa illud, aut negative, nihil efficiendo aut agendo. Non priori modo; nam quamvis rem illam de novo faceret Deus, vel aliquid circa illam, inde tamen non ſequeretur, quod illa non fuerit prius, quandoquidem jam eſt præterita: non poſteriori modo; quia, cum verum ſit, rem illam jam fuiſſe, ſi Deus nihil ageret, neque immutaret illam, aut aliquid circa illam, ſemper verum eſſet (uti nunc eſt) rem illam fuiſſe. Ergo res præterita non poteſt non fuiſſe, &, conſequenter, præteritum non fuiſſe, non includitur in objecto divinæ omnipotentiæ.

VI. §. 5. Sicut ſe habet album, prout ſtat ſub albedine, ad ipſum eſſe album, ita ſe habet præteritum, prout ſtat ſub præteritione, ad eſſe præteritum: ſed album, prout ſtat ſub albedine, non poteſt non eſſe album: Ergo præteritum, prout ſtat ſub præteritione, non poteſt non eſſe præteritum.

VII. §. 6. Quando aliquid eſt determinatum ad eſſe in actu, non poteſt non eſſe pro illo tempore, in quo eſt; quia omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe: ergo multo magis licet inferre, quando aliquid eſt determinatum ad fuiſſe, omne, quod fuit, pro tempore, quo fuit, neceſſe eſt, fuiſſe. Ergo Deus non poteſt facere, quod non fuerit.

VIII. 2. *Non eſt etiam in Deo Potentia ad præteritum; quod pendet ex aliquo futuro.* i. e. Fieri non poteſt, ut, quod ſemel præteritum eſt, quamvis habeat connexionem cum aliquo futuro, poſſit fieri non præteritum. V. C. Deus revelavit, Antichriſtum fore, & revelatio iſta jam eſt tranſacta & præterita: ideoque fieri non poteſt, quod Deus non revelaverit, quamvis ipſa propoſitio revelata (*Antichriſtus erit*) ſit de futuro ut contingenti. Et hanc aſſertionem ſic probamus.

IX. §. 1. Quod propoſitio hæc (*Antichriſtus erit*) ſit de futuro, id non tollit, quo minus revelatio *ſit de præterito*, i. e. jam ſit præterita & tranſacta; unde impoſſibile eſt, quod non præterierit: & ſic, ſi Deus poſſit facere, ut illa revelatio jam præterita non præterierit, poteſt facere contradictoria, contra *diſp. præced.* & th. 2. hujus.

X. §. 2. Tanta neceſſitate præteritum eſt præteritum, ut Deus non poſſit facere, quod præterita non fuerint: ergo tanta neceſſitate, revelatum eſt, ut Deus non poſſit efficere, revelatum nunquam fuiſſe revelarum. *Prob. conſeq.* quia talis revelatio jam tranſiit in præteritum, quamvis res revelata ſit futura: nam enunciatio vocalis de futuro jam pronunciata, non minus tranſit in præteritum, quam propoſitio vocalis de præſenti: non enim eſt minus præterita hæc propoſitio revelata, *Antichriſtus erit*, quam hæc, quam dixit Adam, *Hoc nunc eſt os de oſſibus meis, & caro de carne mea.*

XI. §. 3. Non magis pugnant hæ duæ propoſitiones, *Deus revelat*, &, *Deus non revelat*, quàm hæ, *Deus revelavit*, &, *Deus non revelavit*: ſed implicat contradictionem, quod revelatio, qua Deus revelat Antichriſtum fore, non ſit revelatio, pro illo tempore, quo revelat: ergo etiam implicat contradictionem, quod revelatio, qua revelavit, Antichriſtum fore, non fuerit revelatio, pro illo tempore, quo revelavit, ipſum fore, ideoque mera eſt contradictio, quod talis revelatio nunquam fuerit revelatio, cum jam facta fuerit.

XII. Se-

XII. Secunda quæstio est; *An Deus possit facere alia quam facit, aut illa, quæ non facit, nec facturus est?* Resp. Qui dixerunt, Deum non posse facere, nisi ea, quæ facit, illi posuerunt, Deum agere ex necessitate naturæ: unde sic argumentabantur: Agens ex naturæ necessitate non potest alia facere, quam quæ facit. Sed Deus est agens ex necessitate naturæ. Ergo &c. Major facile probatur exemplis: ex semine canis non potest provenire nisi canis, ex igne non nisi calor. Sed enim *Minor* probanda veniebat: contra quam nos sic inferimus. Qui agit per voluntatem non determinatam ad certum rerum ordinem, non agit ex necessitate naturæ. Sed Deus sic agit. Ergo &c. Et probatur amplius. Deus est agens primum. Sed, quod agit ex necessitate naturæ, non est agens primum. Ergo Deus non agit sic. *Major* est clara apud omnes. *Minor prob.* Nullum agens ex necessitate naturæ determinat sibi finem, verum magis determinatur ad finem ab alio. Sed Deus ipse sibi determinat finem, nec aliunde ad illum determinatur. Ergo &c. Et sane nobilissimus modus agendi Deo adscribi debet. Is autem est, agere libere, & non ex necessitate naturæ. Ergo &c.

XIII. Hinc jam sequitur conclusio: Si Deus agat libere & non ex necessitate naturæ, *Deus potest alia facere, quam quæ facit:* est enim hoc libertatis divinæ in operando ad extra, agere vel non agere, & agere hoc aut aliud. *Prob. Assertio* 1. Quod agens non possit aliud facere, quam quod facit, id contingit, vel ex defectu alicujus principii requisiti in agente, vel ex suppositione alicujus, unde sequitur repugnantia in actione. Primum dici non potest: quia Deus non potest includere defectum, ex parte principii activi & efficientis. Nec secundum: nam supposito, quod Deus non velit alia facere, quam quæ facit, & quod decreverit & præsciverit, se non facturum alia, quam quæ facit; potest tamen absolute alia velle, consequenter, & alia facere.

XIV. 2. Ille, cujus sapientia & potentia non limitantur ad aliquem determinatum ordinem, non solum potest facere ea, quæ facit, sed etiam ea, quæ non facit. At Dei sapientia & potentia non limitantur ad aliquem determinatum ordinem. Ergo Deus potest facere, non solum, quæ facit, sed & ea, quæ non facit. *Minor prob.* Qui facit res propter finem, ipsis rebus improportionatum & superexcedentem, ejus sapientia & potentia non limitatur ad aliquem determinatum ordinem: tota enim ratio ordinis, quam sapiens rebus à se factis imponit, desumitur à fine. Sed Deus facit res propter finem improportionatum rebus, qui est ipsa sua bonitas. Ergo sapientia & potentia Dei non limitantur ad hunc ordinem terum, sed multa alia, imo infinita potest facere Deus, quam quæ facit. Et cur non possit à Deo procedere alius rerum ordo, quam qui nunc est, ut possit alia facere, quam quæ secundum ordinem rerum à se institutum nunc facit?

XV. Sed tota hæc quæstio optime decidit ex fundamentis *præced. disp.* jactis. Aliud est, Deum aliquid posse facere secundum potentiam ordinatam & de lege. Aliud, aliquid posse facere secundum potentiam absolutam. Illud Deus dicitur posse facere de potentia ordinata, quod potest, stante sua ordinatione; & de lege, quod potest, secundum decretum ac voluntatem suam, qua ab æterno voluit hæc aut illa facere. Illud vero dicitur Deus posse de potentia absoluta, quod simpliciter potest, non animadversa sua voluntate, sed spectata tantum sua potentia ac possibilitate & non repugnantia rei, quale est omne illud, quod non implicat contradictionem. Deus non potest plura facere, quam facit, si spectes potentiam ordinatam; Deus enim, quæ voluit, fecit. At longe, imo infinities plura potest facere, quam quæ facit, si spectes potentiam absolutam: potuit enim plures planetas & stellas condere, quam condidit, & plura elementa, & plura specierum singularum individua produxisse, quam produxit, & plures huic aut isti homini concessisse liberos, quam concessit, &c. Quænam autem illa sint speciatim, quæ ne per absolutam quidem potentiam possit facere Deus, i. e. quænam contradictionem implicent, ut fieri nequeant ullo modo, alterius est indaginis ac temporis.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-SECUNDA.

DE POTENTIA DEI.

THESIS I.

QUæstiones duas *de potentia Dei* decîdit Disputatio præcedens, 1. *An possit facere ut præterita non fuerint?* 2. *An possit facere alia & plura quam facit?* Nunc ad alias transimus ac quærimus. 3. *An possit meliora facere ea quæ fecit?* & in specie, *An potuerit facere mundum meliorem, quam fecit?* Ad utramque quæstionem ut respondeamus; quædam ad clariorem intelligentiam sunt distinguenda & tenenda.

II. §. 1. Bonitas alicujus rei est duplex. Una quidem, quæ est essentialis, ut esse rationale, est bonum homini, tanquam pars essentiæ ejus. Altera vero est extra essentiam rei, sicut esse sapientem, esse justum, est bonum homini, sed quod extra essentiam est hominis.

§. 2. Deum posse rem facere aliquam meliorem quam fecerit, potest dupliciter intelligi: uno modo, ut sit sermo de eadem re; *An sc. Deus possit facere unam aliquam rem, puta hominem, meliorem, quam fecerit?* Altero modo, ut sit sermo de diversis rebus; *An sc. Deus possit facere, quacunq; re facta aliam meliorem?*

§. 3. *Mundum posse fieri meliorem*, potest intelligi tripliciter, 1. quantum ad substantiam partium, 2. quantum ad earum proprietates & accidentia, 3. quantum ad earum ordinem. Primum dupliciter potest intelligi: vel quoad esse quidditativum & rationem specificam, vel quoad melioritatem quantitativam, ut sic loquamur, sive intensivam, sive extensivam: priori modo, una anima in rebus naturalibus est melior alia; posteriori modo, libra auri est melior uncia. Secundum etiam potest dupliciter intelligi: vel de partibus mundi in se; vel de iisdem in ratione ad finem & ad se invicem. Tertium etiam potest intelligi dupliciter, quia duplex est ordo partium in mundo: unus est earum in toto, alter earum ad finem: unus Dei sapientiam maxime, alter Dei bonitatem manifestat: isti tamen duo ordines sunt inter se connexi; sic enim ordinantur partes in toto universo, ut congruit earum ordini in finem.

III. Nunc primum in thesi, mox in hypothesi, quæstionem decidamus. In genere. §. 1. *Deus non potest facere unam rem meliorem quam fecerit, bonitate essentiali.* Sicut enim se habet additio unitatis in numeris, sic se habet additio differentiæ essentialis in definitionibus. Sed additio unitatis non facit numerum quem meliorem, verum potius variat speciem numeri: additio quippe unitatis ad quaternarium non facit quaternarium meliorem, sed constituit aliam speciem numeri, nempe quinarium; Ergo additio differentiæ essentialis, non facit rem essentialiter meliorem, sed mutat ejus naturam: ideoque, impossibile est, rem aliquam reddi meliorem essentialiter. §. 2. *Deus potest facere rem aliquam meliorem accidentaliter, quam facit.* §. 3. *Deus, quacunque re facta potest facere meliorem.* Neque enim Dei potentia coarctatur ad hunc numerum, neque ad has aut illas perfectiones vel perfectionum gradus.

IV. In specie. §. 1. *Deus potuit alium mundum meliorem facere, quantum ad substantiam partium, melioritate quidditativa, quam hic est, sed non hunc ipsum jam productum.* Prima pars hujus assertionis patet, quia bonitas quidditativa quarumcunque partium hujusmodi, est finita: sed omni bono finito potest melius cogitari; Deus autem plus potest facere quam

intellectus noster cogitare. Ergo potest facere alium mundum ex partibus melioribus secundum suas rationes quidditativas, quam est mundus hic. Secunda pars assertionis clara est ex jam dictis, quia quilibet gradus essentiæ seu quidditatis variat speciem, sicut quælibet unitas variat speciem numeri: habent enim se species sicut numeri, docente *Arist. 9. Metaph.* §. 2. *Deus potuit facere hunc mundum meliorem, melioritate quantitativa, tam extensiva, quam intensiva.* Primum liquet, quia potuit facere cælum majoris amplitudinis & extensionis, quam fecit, uti etiam elementa: potuisset facere omnia corpora humana magnitudinis giganteæ: & ita dici potest similiter de partibus mundi aliis. Secundum etiam manifestum est, quia potuisset animas rationales hominum fecisse perfectionibus pluribus intensivis, quoad quantitatem perfectionis aut virtutis, præditas & ornatas, atque, ut Scholasticorum nonnulli asserunt, tam intensive perfectas, uti fuit anima Christi. §. 3. *Deus potuit hunc mundum simpliciter facere meliorem, quantum ad proprietates & accidentia partium, secundum se consideratarum.* Potuit namque facere Solem lucidiorem, uti & Lunam. §. 4. *Non potest Deus hunc mundum facere meliorem, quantum ad ordinem partium in toto, & quantum ad ordinem in finem.* Uterque enim hic ordo est optimus: optimo autem nihil potest esse melius: in universo unaquæque pars est ordinatissime & ornatissime in suo situ, & omnes ordinantur ad finem optimum, gloriam Dei.

V. Opponitur hic axioma aliquod. *Illud, quod fit potentissime & sapientissime, non potest fieri melius: Sed Deus omnia fecit potentissime & sapientissime. Ergo non potuit fecisse quid melius.* Resp. quando dicitur, *Illud, quod fit sapientissime & potentissime, non potest fieri melius:* hoc dupliciter potest intelligi. Primo, ut τὸ *melius* sit nomen, & significet rem, & est sensus, quod illo, quod factum est & sapientissime & potentissime, non possit fieri aliud melius, & sic intellecta Major est falsa: quamvis enim Deus faciat omnia sapientissime & potentissime, tamen, cum ejus potentia nunquam sit exhausta, uti nec ejus sapientia, semper alias res meliores facere potest, & factas, accidentaliter meliorare, ut hoc barbaro verbo utamur. Secunda, ut τὸ *melius* sit adverbium, & significet modum rei, & *melius*, idem erit, quod meliori modo: Sed hic modus potest attendi, vel ex parte Dei, vel ex parte rerum: si attendatur ex parte Dei, sensus propositionis erit, quod ea, quæ Deus facit potentissime & sapientissime, non potest meliori modo facere; & hoc verum est, quia Deus non potest res facere, ex majori potentia & sapientia, quam fecit: si attendatur modus ex parte rerum, erit sensus, quod Deus non potest dare, rebus à se sapientissime factis, perfectiorem modum essendi; & hoc verum est, de modo essentiali, non item accidentali.

VI. §. 4. *An Deus potuerit producere mundum priusquam ordinaverit?* Quæstio intelligitur de potentia Dei absoluta, & in sensu diviso, non composito: postquam enim ordinavit tali tempore producere, non potest eum producere prius, quam ordinavit: sed spectatur hic in signo rationis, antequam concipiatur quasi ordinasse. Et sic quæstionem affirmamus: potuit quippe mundus produci prius quam est productus aut produci ordinatus. *Ergo*, dices, *potuit produci ab æterno.* Resp. neg. conseq. Quia hic intelligitur prioritas temporis & non æternitatis: illud, *prius*, significat principium antiquius & anterius durationis aut existentiæ: sed si mundus sic posset prius produci quam est productus, ut esset productus ab æterno, jam careret principio durationis, quod implicat contradictionem. Quin loquendo de prioritate temporis, quod anrecesserit, existentis, ne sic quidem Deus potuit mundum producere prius quam produxit aut producere ordinavit: nam & hoc includit contradictionem; sic enim tempus fuisset, ante tempus, quod nullum præcessit mundum, sed cum eo incepit. Verum, loquendo de prioritate temporis possibilis, potuit Deus prius producere mundum, quam produxit, aut producendum ordinasse concipitur, quia potuit prius in æternitate sua momentum ordinasse, quam quod ad ejus productionem ordinavit.

VII. §. 5. *An Dei potentia semper possit idem?* Seu, *An, quicquid semel potuit aut potest, semper possit?* Resp. Neg. Non quod aliquid detrahatur de potentia Dei aut illa imminuatur, aut immutetur, sed quod, quæ aliquando fuerunt possibilia, postquam sunt facta, non amplius sint possibilia: potuit, v. c. Deus Christum suscitare, antequam eum suscitavit. E. postquam suscitavit, adhuc eum potest suscitare. Neg. cons. quia Christus non amplius est mortuus: quod enim hîc respectu Christi possibile erat, factum est, & amplius fieri non potest: neque hîc aliqua sequitur divinæ potentiæ, vel mutabilitas, vel mutatio. Quemadmodum scientia Dei manet immutabilis, licet Deus aliquod enunciabile desinat scire ratione connotati, eo quod illud desinat esse scibile, & verum pro circumstantia temporis sub quâ est verum; scire enim connotat in objecto scibilitatem & veritatem: sic divina potentia manet immutabilis, licet desinat aliquid posse, ratione connotati, quod desinit esse possibile, multa enim possibilia actu fiunt, &, postquam facta sunt, impossibilia sunt amplius fieri: facere enim, quod factum est, nihil est facere: ergo posse facere, quod factum est ampliusque fieri nequit, est nihil posse.

VIII. §. 6. *An Deus possit facere infinita?* Resp. 1. *Non potest facere in creaturis infinitum intensive*, id est, quod absque proportione excedat intensionis omnes gradus: ratio est, quia omnis creatura est finitæ essentiæ, ergo nulla est capax infinitæ virtutis, potentiæ, habitus, aut qualitatis, sic ut nullus gradus intensionis amplius reddi possit; quo sensu, nec Christi passio; nec elementorum qualitates, nec reproborum pœna infernalis, dici potest infinita intensive. 2. *Non potest Deus producere magnitudinem actu infinitam extensivè.* Quia tale dari non potest: tolleretur enim omnis motus: & constaret aut ex partibus finitis, & sic ipsa non potest esse infinita, aut ex infinitis, & sic aliquid erit majus infinito; quia totum est majus suâ parte. 3. *Deus non potest producere multitudinem actu infinitam.* Quia, si produceret multitudinem actu infinitam, aut posset ulterius producere aliquam adhuc unitatem, & sic erit aliquid majus infinito, aut non posset, & sic Deus per talem productionem fieret impotens, ejusque potentia foret exhausta. 4. *Deus potest producere finita in infinitum.* Nam nunquam potest tot producere, quin possit ampliora & plura in infinitum producere: illa tamen plura nunquam possunt in actu producto esse infinita.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-TERTIA.

AD

ARISTOTELIS LIB. 3. METAPH. CAP. 1. TEXT. 1. ET 2.

Περὶ ἀπορίας & εὐπορίας.

THESIS I.

SI aliqua vera est ac genuina & solida Philosophandi ratio ac methodus, ab omni ævo existimata est esse, quam secutus est Philosophorum Coryphæus *Aristoteles*, quam aliis præscripsit, quam suo exemplo & praxi comprobavit: ea vero non est alia, quam quæ à dubitatione initium facit, priusque bene docet dubitare, antequam quidquam decidatur certi vel decernatur. *Dubitationem* itaque *initium esse rite rectèque Philosophandi & indubitatæ scientiæ*, primum Aristotelis mandato & exemplo, mox præstantissimorum ejus Interpretum, &, omnium judicio, Ἀριστοτελικωτάτων consensu & explicatione ac praxi, probatum dabimus.

II. Ver-

II. Verba *Aristotelis* thesin positam confirmantia & præceptum Philosophi continentia sunt, quæ sequuntur ex 3. *l. Metaph. cap.* 1. *text.* 1. & 2. Text. 1. *NB.* Ἀνάγκη πρὸς τὴν ἐπιζητουμένην ἐπιστήμην, ἐπελθεῖν ἡμᾶς πρῶτον, περὶ ὧν ἀπορῆσαι δεῖ πρῶτον. ταῦτα δ' ἐστὶν ὅσα περὶ αὐτῶν ἄλλοις ὑπολήφασί τινες, ἢ ἐν τοῖς τούτων συγγράμμασι παρεωραμένον. *NB.* ἔστι δὲ τῶν δυπορῆσαι βουλομένοις πρέσβυς τὸ εὖ ἀπορῆσαι καλῶς. ἡ μὲν ὕστερον εὐπορία, *NB.* λύσις τῶν πρότερον ἀπορουμένων ἐστί. λύειν δὲ οὐκ ἔστιν ἀγνοοῦντα τὸ δεσμόν, ἀλλ' ἡ τοῦ ἀνομοίως ἀπορία δηλοῖ τοῦτο περὶ ὃ πράγματος. ἡ μὲν ἀπορεῖ παντὶ παρωπλήσιον πέπονθε τοῖς δεδεμένοις. ἀδύνατον γὰρ ἀμφοτέρως προελθεῖν εἰς τὸ ἔμπροσθεν. *Text.* 2. διὸ δεῖ πρὸς δυσχερείας τεθεωρηκέναι πάσας πρότερον, τούτων τε χάριν καὶ διὰ τὸ τοὺς ζητοῦντας. *NB.* ἀνάγκη δ' εὐπορῆσαι πρῶτον ὁμοίως εἶναι τοῖς ποῖ δεῖ βαδίζειν ἀγνοοῦσι καὶ πρὸς τούτοις, ἔτι εἰ πότε τὸ ζητούμενον εὕρηκεν ἢ μή, γινώσκειν. τὸ μὲν τέλος τούτῳ μὴ ἐστὶ δῆλον; τῷ δὲ καλῶς προπορηκέναι δῆλον. *NB.* ἔτι δὲ βέλτιον ἀνάγκη ἔχειν πρὸς τὸ κρίνειν, τὸν ὥσπερ ἀνεπίκοον καὶ τῶν ἀμφισβητούντων λόγων ἀκηκοότα πάντων. Quæ verba sic vertit Latine Bessarion Cardinalis Nicenus & Patriarcha Constantinopolitanus. *Ad* illam, quæ quæritur, *scientiam, necesse est primum nos percurrere, de quibus primo est dubitandum.* Hæc autem sunt, & quæcunque de iis aliter quidam existimarunt, & si quid ultra hæc prætermissum sit. Est autem operæ pretium, aliquid facultatis habere volentibus, bene dubitare: nam *posterior facultas, solutio est eorum, quæ ante dubitata fuerunt.* Solvere autem non est, cum nodus ignoretur: sed intellectus hæsitatio, manifestum hoc de re facit. Quatenus enim dubitat, eatenus simile quiddam ligatis patitur: utroque namque modo impossibilis est ad ulteriora procedere. Quare omnes primo difficultates speculari par est, & horum gratia, & propterea, quod illi, qui quærunt, *nisi primo dubitent, similes sunt illis; qui, quonam ire oporteat, ignorant*; & adhæc, neque, utrum invenerit, quod quæritur, an non, cognoscere possunt. Finis etenim his quidem non est manifestus: illi autem, qui antea dubitaverit, patescit: item, *melius sese habere necesse est illum ad judicandum, qui tanquam adversarios, omnes utrinque rationes audiat.*

III. Textum *Philosophi*, triplici *analysi* optimorum interpretum ne quid de nostro opponere aut affingere videamur, illustrabimus. Prima esto *Du Valli*, in perpetua sua ad omnia *Aristotelis* Volumina analysi, operum *Aristotelis* editioni præmissa: ea sic sonat. *Liber Tertius Metaphysicorum continet capita sex, quibus dubia sive quæstiones sexdecim proponuntur, & in utramque partem discutiuntur. Orditur autem Aristoteles ab insigni eoque generali documento, quod scilicet* NB. in qualibet quæstione & controversia oporteat prius bene dubitare, *id est, pro utraque parte, affirmante scilicet & negante, rationes diligenter examinando*, quæstionem ambiguam facere. *Dubitatio enim est veluti nodus ad vinculum mentis: quod ideo si ignoras non solves: nemo enim vinculum solvere potest, si illud ignoret: Deinde, post dubitationes bene expositas, quæstionem clare concludere.* NB. certa enim cognitio, quæ dubitationem sequitur, est solutio dubitationis.

IV. Secunda analysis esto *Antonii Scaini Salodiensis* in suis ad Metaphysicam *Aristotelis* commentariis *Romæ*, 1587. editis. Ad illam, quæ quæritur, scientiam) *Ex his verbis apparet, scientiam, quæ est suprema ad omnes alias, fuisse ab Aristotele investigandam, ut quæ temporibus suis nondum esset detecta ac distincta ab aliis facultatibus tanquam suprema philosophia & regina omnium aliarum scientiarum. Ad hoc autem præstandum* NB. utitur Aristoteles methodo dubitandi, tum circa ea, quæ sibi de placitis aliorum Philosophorum non arriderent, tum penes nonnulla, quæ ab aliis fuerunt prætermissa; *sed cum & in aliis Philosophiæ operibus hanc dubitandi normam sit sectatus; attamen non ignorandum, in aliis singulis certas quasdam adduci dubitationes, quæ cuique Philosophiæ parti convenerint, hoc autem in loco universas in genere simul congessit quæstiones: quod ita factum esse animadvertit Averroës, ut affinitas, quam habet Metaphysica cum Dialectica, manifestaretur. Alexander autem de Ales & cum ipso D. Thomas, hujus facti hanc causam assignarunt, quoniam scilicet hæc*

contemplatio, circa veritatem in genere sit constituta: addamus ad hoc, quod cum nondum confecta esset prima & universalis hæc scientia, & investiganda ac constituenda esset, ad rem fuit, NB. ut ex præmissis dubitationibus ejus natura detegeretur, *& ita in ordinem redigeretur. Hinc consectarium hoc deducitur,* NB. non rectum neque tutum iter Philosophandi eos ingredi, qui ab hac via dubitandi penitus abstinent, quam tantopere commendat Aristoteles hoc loco, & ex communibus sententiis comprobat, tanquam ad veritatem indagandam maximè consentaneam.

V. Tertia Analysis esto *Petri Fonsecæ*, ex Commentariis in *Arist. Metaph.* suis, editis *Lugduni* 1597. Necesse est (*Dubitat Alexander hoc loco, doceatne Aristoteles in primis verbis hujus libri necesse sibi esse ad eam cognitionem inveniendam, quam in hoc opere consequi, ac tradere studet, ea primum aggredi, de quibus rationi consentaneum est, ut primo loco dubitetur, hoc est, utraque parte differatur, an id esse omnibus iis necesse, qui ad quamlibet scientiam de rebus difficilibus & controversis comparandam aggrediuntur. Quanquam verò parum referat, utro modo Aristotelem interpreteris, prior tamen interpretatio aptior videtur, utpote verbis contextus accommodatior: ex qua generale etiam documentum, quod posterior tradit, tanquam principium ex conclusione colligi potest. Addit autem Aristoteles, duo esse genera quæstionum, quæ primum pro utraque parte agitanda videantur. Unum earum, de quibus alii aliter senserunt, ne temere aliorum sententiis, ac forsitan non parum receptis, se opponere videantur. Alterum earum, quæ cum ad rem oppositam in primis faciant ab aliis tamen omissæ sunt.* Est autem operæ pretium) *Hoc alterum documentum plane generale est, quod docet Aristoteles,* NB. non modo initio hujusmodi scientiarum, sed etiam particularium tractationum, quibus proposita est rerum difficilium determinatio, à dubitationibus initium sumendum esse, nec vero utcunque id faciendum, sed bene, hoc est, diligenter, accuratè, nullaque pro utravis parte dissimulata ratione, *quod sapienter quatuor rationibus ostendit. Prima est, quia* NB. certa veritatis cognitio, quâ tandem compotes efficiuntur ii, qui Philosophantur, solutio est eorum, quæ prius dubitabantur, hoc est, solutione eorum, quæ prius dubitantur, comparatur: *solvere autem vinculum nemo potest, qui vinculi nodum ignoret: Quare cum nihil aliud sit, difficultates rei propositæ pro utraque parte discutere, quam vinculorum mentis nodos inspicere (nihil enim sunt aliud argumenta pro utraque parte; quam vincula, quibus mens ligatur & impeditur, ne ultra progredi possit) is sane ad veritatis perceptionem optime se comparabit, qui de proposita re dubia diligenter & accurate pro utraque parte disputaverit.* Sed mentis dubitatio) *Sensus est, eundem effectum ostendit in animo dubitatio mentis de re proposita, quem ostendit in corpore vinculum, quo pedes adstringuntur. Utroque enim modo ligati ulterius progredi non possumus.* Et quia ii, qui quærunt) *Secunda ratio est, quia ii, qui de proposita re non prius pro utraque parte disputant, per similes sunt iis, qui, quo eundem sit, ignorant. Nesciunt enim difficultates, quæ in quæstione latent, ad quas tamen solvendas tendit is, qui probe illam explicaturus est.* Accedit quod nequit) *Tertia ratio est, quia etsi hujusmodi homines aliquando inveniunt ea, quæ implicite in quæstione continentur, nesciunt tamen an finem disputationis consecuti sint, cum difficultates eas, ad quas dissolvendas disputatio suapte natura dirigitur, plane ignorent. Simile quid accidit iis, qui nesciunt, quantum locus, in quem contendunt, distet ab eo, ex quo exeunt, aut qua in illum eundum sit. Nam etsi in eum forte incidant, ignorabunt tamen se in illum pervenisse. Ex his duabus rationibus recte colligitur id, quod Albertus scribit hoc loco,* Eum, qui non prius dubitat, duobus modis errare, uno, in termino, altero, in via. Præterea melius se habere) *Quarta hæc & extrema ratio, quæ ex similitudine disceptantium seu potius judicis desumitur, ex iis, quæ autor scribit* cap. 10. primi de Cœlo, *majorem vim accipiet.* Sic enim ait, ἅμα δὲ καὶ μᾶλλον ἂν εἴη πιστὰ τὰ μέλλοντα λεχθήσεσθαι, ἐὰν ἀκηκόασι τὰ τῶν ἀμφισβητούντων λόγων διαιώματα. τὸ γὰρ ἐρήμην καταδικάζεσθαι δοκεῖν, ἧττον ἂν ἡμῖν ὑπάρχοι καὶ γὰρ δεῖ διαιτητάς, ἀλλ' ἀντιδίκους εἶναι, τοὺς μέλλοντας τὰ ἀληθῆ κρίνειν ἱκανῶς. hoc est, simul autem, ea, quæ dicentur, majorem fidem habebunt, si disce-

si disceptantium rationum jura prius fuerint audita, minusque videbimur indicta causa damnare. Arbitros enim, non adversarios oportet esse eos, qui de veritate, ut res postulat, judicium laturi sunt. *Quod ipsum diligentissime observat Aristoteles, penè ubicunque difficile aliquid, aut controversum tractandum suscipit, ut videre est in libris Physicorum, de Cælo, & sequentibus. Ex quibus patet*, NB. quam inepte & contra Aristotelicum morem Philosophentur ii, qui repudiato quæstionum usu, tanquam Sophistarum invento, omnia docent more Pythagorico, & quasi ex oraculo, neque ullum adhibent examen rationum earum, quæ in subjecta materia pro utraque parte, vel ab aliis propositæ sunt, vel attentius rem consideranti in mentem venire possunt.

VI. *Aristotelis mandatum* de dubitando, ut bene philosophemur, ipsius verbis proposuimus; Trium, eorumque inter neotericos præstantissimorum, in verba ista interpretum consensu atque explicatione confirmavimus: nunc ipsum *Philosophi exemplum*, in philosophando omnibus sine contradictione imitandum, adducimus. Inspiciatur *reliqua hujus* 1. *capitis pars*, quæ solis dubitationibus absolvitur: inspiciantur *capita omnia sequentia*, ac præsertim 4. Inspiciantur *libri* omnes *Metaphysicorum, de Cœlo, de Generatione & Corruptione, de Anima*, & ubicunque in veritatem rerum serio inquirit. Sed ante omnia provocamus ad *Aristotelis Problematum sectiones* 38. *& quæstiones Mechanicas*, ubi non alia est ipsi agendi ratio usitata, quam dubitando ad veritatem pervenire. Quærit perpetuo, cur hoc aut illud fiat? an ideo, quia sic, vel sic, vel alio modo sese res habeat?

VII. Ab *Aristotelis mandato & exemplo* ad *symphoniam* & *praxin* transimus *eorum*, quos omnis retro ac præsens ætas maxime celebravit *Aristotelicos*, *Alexandrum* dico *Aphrodisiensem* inter Græcos, *Averroëm* inter Arabes, *Thomam* & *Scotum* inter Latinos, quibus eadem cum Aristotele & mens, & philosophandi per dubitationes methodus. Nemo olim dictus est Aristotelicus, nisi qui esset Alexandræus: nemo seculis nonnihil posterioribus dictus est Aristotelicus, nisi qui esset Averroista: nemo nunc est Aristotelicus, nisi sit vel Thomista, vel Scotista, vel utrumque ac medium inter eos participationis. Ergo qui cum *Scoto*, *Thoma*, *Averroë*, *Alexandro*, sentiunt, maxime sunt Aristotelici: Atqui sentiunt, recte philosophandi, & indubitatæ scientiæ, initium esse dubitationem, idem sentiunt non modo cum *Aristotele*, quod nunc est demonstratum, sed & cum *Alexandro*, *Averroë*, *Thoma*, *Scoto*, quod, prolatis illiorum verbis, probabimus. Ergo tales sunt maxime Aristotelici.

VIII. Sic commentatur in textum *Aristot.* 3. *Met. c.* 1. positum *Alexander Aphrodiseus*, qui tempore *Antonini Philosophi atque Imperatoris*, circa annum Christi 170. vixit. Necesse est ad eam scientiam, quam quærimus, &c.) *Scientia, quam quærimus & de qua nobis sermo susceptus est, sapientia ipsa est & Theologia, qua Metaphysica inscribitur. Ad investigationem igitur hujus scientiæ, & eorum, quæ per ipsam inquirentur, necessum esse ait, ea primum commemorare ac recensere, de quibus in primis est inquirendum: deinde propositis ipsarum rerum quæstionibus, rem, quemadmodum est præfatus, persequitur. Nisi si quis hæc ita accipiat, quasi in universum præcipiuntur; doceatque ad omnium scientiam investigandam in universum necesse esse, primum ea commemorare, de quibus est primum differendum, per hæc enim via est ad ea, quæ scire cupimus, inveniendæ. Quod si ad omnem scientiam, ad hanc quoque id necessarium fuerit. Quæ porro in singulis doctrinis* dubitare *ac differre oporteat, docet, cum ait.* (Hæc autem sunt ea, de quibus aliter quidam existimarunt.) *Deinceps* in universum confirmat docetque, de re quapiam disputaturis, ut, quæ inquirunt, inveniant, commodum esse, primum de ipsis quærere seu dubitare, &c.

IX. Sic commentatur *Averroës*, *Magnus* vulgo *Commentator*, in suis ad dictum *Arist.* textum commentariis, qui circa annum Christi vixit 1150. Ad illam, quæ quæritur, &c. *quia aliæ scientiæ considerant particulariter de veritate*, NB. & particulariter ad eas pertinet circa singulas veritates dubitare: *quia vero* Metaphysica, *sicuti Dialectica, habet universa-*

lem considerationem de veritate, sic quoque ad eam pertinet N B. universalis dubitatio de veritate. *Cum igitur scientia hæc sit in genere scientiarum, necesse est igitur prius inspicere quæstiones ejus, & sunt illæ difficiles, de quibus homines in hac scientia sunt contrarii, & sunt etiam aliquæ de quibus dimiserunt perscrutari propter suam difficultatem: Finis autem, propter quem fuit necesse incipere à perscrutatione istarum quæstionum difficilium, est, quia scientia quæsita, quæ acquiritur ex iis, est scientia solvens omnes difficultates earum: & ideo difficultas alicujus rei præcedere debet ejus solutionem, & hæc fuit causa, quare Arist. primo perscrutatus est de rebus difficillimis, antequam ad earum solutionem deveniret*; *quoniam ita se habet difficultas ad ipsum intellectum, quemadmodum laqueus ad corpus, & qui ignorat ligamentum, laqueum nescit solvere*; *& ita illi, qui difficultates ignorant, eas solvere nesciunt: & sic intellectus ligatus nullo modo finem suum attingere poterit, nisi primo ligamentum ejus sit solutum: ligamenta enim intellectus sunt sermones contrarii: & ideo oportet, ut via, ex qua quæstiones oriuntur, sit alia à via, à qua quæstiones solvuntur, ut modus, à quo fit ligamenti solutio, alius est à modo, à quo fit ligamentum*, & NB. sic via ad scientiam inquirendam erit perscrutatio rerum dubitabilium, &c.

X. Sic commentatur *Thomas Aquinas* in suis ad textum *Arist.* citat. commentariis, qui vixit circa annum Christi 1260. Inest autem investigare volentibus) *dicit in* 1. *Philosophus* NB. quod ad hanc scientiam, quam quærimus de primis principiis & universali veritate rerum, necesse est, ut primum aggrediamur ea de quibus oportet dubitare, antequam veritas determinetur. *Sunt autem hujusmodi dubitabilia propter duas rationes, vel quia antiqui Philosophi aliter susceperunt opinionem de eis quam rei veritas habeat, vel quia omnino prætermiserunt de his considerare. Assignat autem* 4. *rationes suæ intentionis, & primo dicit*, quod NB. volentibus investigare veritatem contingit (bene dubitare) id est, bene attingere ad ea, quæ sunt dubitabilia; *& hoc ideo* quia posterior investigatio veritatis nihil est aliud, quam solutio prius dubitatorum, &c.

XI. Sic commentatur *Ioh. Duns Scotus* in suis ad textum Met. cit. commentariis, qui vixit circa annum Chr. 1308. Necesse est &c.) *Postquam Philosophus in secundo libro determinavit de his, quæ spectant ad considerationem veritatis in communi: nunc descendit ad determinandum ea, quæ spectant specialiter ad considerationem hujus scientiæ. Circa quod duo facit.* Primo procedit modo disputativo & dubitativo. Secundo procedit modo determinativo sive demonstrativo.

Est autem operæ pretium &c.) *dicit:* NB. quod volentibus investigare, s. veritatem, inest: oportet bene dubitare, ab initio, i. principio inquisitionis. *Cujus rationem subdidit*, quia investigatio posteriorum in inquisitione veritatis non est aliud, quam solutio priorum dubitatorum.

Illi qui quærunt) *supple* veritatem, *sine investigatione*, s. dubitatorum, *similes sunt ignorantibus, quo oportet ire, i. illis, qui nesciunt quo vadant. Ratio hujus est, quia sicut terminus viæ intenditur ab ambulante*, NB. ita exclusio dubii est finis intentus à speculante & inquirente veritatem; *sicut ergo ille, qui nescit, quo vadit, non potest pervenire ad terminum, nisi forsitan à causa*; sic NB. nec aliquis potest directe inquirere veritatem, nisi dubitationem prævideat & prænoscat.

XII. Præter horum Aristotelis Interpretum maximè Aristotelicorum ad confirmandam thesin positam adducta testimonia, ipsa recentiorum in philosophando praxis eundem stabilit: inspiciantur, qui jam aliquot sæculis Aristotelis Philosophiam post Thomæ & Scoti ætatem pertractarunt: an non ad instar Præceptorum suorum prius dicant, quæ non sit vera sententia quam quæ vera? an non prius dubitantem reddant lectorem, dubitationes & objectiones movendo, quam eum à dubitando liberent, objectiones & dubitationes solvendo? Consueta *Thomæ* agendi ratio in summa Theol. est *(videtur quod non)* antequam accedat ad suum, *(sed dicendum.)* Consueta *Scoto* in quæstionibus Physicis & in aliis agendi ratio est *(arguitur quod non)* antequam accedat ad suum *(ponuntur Conclusiones.)* Videatur modus procedendi Dominico

de

de Flandria & Paulo Sonzinati in Metaph. Javello per omnem philosophiam, hodiernis Complutensibus, Conimbricensibus, Ruvio, Masio, Toleto, &, ne longus sim, omnibus omnino Aristotelicis usitatus, qui solam hanc prius dubitandi viam ingressi sunt, ut ad veritatis penetralia intrarent, lectoremque introducerent. Quare nec ab Aristotelis nec ab Aristotelicorum sententia aut praxi abit, qui asserit, *initium recte philosophandi & indubitatæ scientiæ esse dubitationem*, quod erat demonstrandum.

NVllius addictum jurare in verba Magistri,
Nec servum cuiquam vendere judicium,
Nec male captivas in vincula tradere mentes,
Nec curare nimis segniter, ἀντὶς ἔφα,
Ilicet assensu non credere velle supino,
Doctores credi qua voluere sui:
Nolle Stagirai aut divini scita Platonis,
Ceu semper fuerint indubitata, sequi,
Oraclumque foret Phœbi, foliumque Sybillæ,
Quicquid sive Plato vult, vel Aristoteles;
Suspicienda quidem sibi nomina ducere, sed non
Numina, divinos, non tamen esse deos;
Digna viro Virtus & libertate Batava est,
Digna patrocinio, magne Batave, tuo.
In medio verum posuit Deus: hujus amicos
Esse homines, hominem parcius esse decet.
Quisquis homo est, errare potest: cognoscere verum
Indubiè, proprium novimus esse Dei:
Rerum certa fides & regula firma sciendi,
Scrutando nobis & dubitando venit.
O veri sine nube cohors studiosa, frequenti
Huc ades, huc propera non titubante pede.
Liberius currat tibi mens vaga, quà patet orbis
Pagina, naturæ pagina quanta patet.
Nec tibi qui Doctor, tibi sit Dictator, & una
Te ratio, non vox te trahat ulla viri,
Recte ἀπρεῖν *te vult* Hereboordius, *omnia donec*
Abdita nodorum solveris ipsa tibi.
Hæc adeo est sana mentis sententia, posthac
Ne dubites, jussit te dubitare prius.

HENRICUS BRUNO.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-QUINTA.

DE

PRIMO COGNITO.

THESIS I.

RECta demum Philosophandi & vera rerum veritatem atque existentiam inveniendi ratio in eo est sita, ut certa semel ab incertis discernantur, & incerta per certa demonstrentur.

II. Certa sunt, de quorum veritate aut existentia nullo modo dubitari potest; incerta contra.

III. Intelligimus hic certitudinem veritatis aut existentiæ, non in terminis simplicibus aut propositionibbs per se notis atque æternæ veritatis, sed in rebus ipsis.

IV. Si illa certo existant, de quibus dubitari nequit, illa contra non certo existant, de quibus dubitari potest, nihil certius est, quam existere rem quæ dubitat.

V. Nam qui inquirit in rerum omnium veritatem & existentiam, & in omnibus aliquid,

vel

vel minimum, invenit cur de iis dubitet vel dubitare possit, nihil invenit, cur de se, in rerum omnium veritatem atque existentiam inquirente & jam dubitante, ipse dubitet.

VI. Nam fieri non potest, ut, quod inquirit, quod dubitat, dum inquirit, dum dubitat, non sit.

VII. Itaque, hoc primo omnium in philosophando est cognitum, verissimum, certissimum, *Inquiro, dubito, cogito, Ergo sum.*

VIII. Et, existentia rei iniquirentis, dubitantis, cogitantis, vera est ac certa primo, vi infallibilis illationis ac demonstrationis.

IX. Unde, hæc veritas & certitudo rei existentis, quæ inquirit, dubitat, cogitat, prima est, & primo cognita, inter veritates illatas ac demonstratas.

X. Nam, quin sit prior veritas ac certitudo prius cognita aut cognoscenda in terminis simplicibus & propositionibus; non illatis, sed inferentibus, nullum est dubium.

XI. Quippe non potest cognosci vere & certo, eum, qui inquirit, dubitat, cogitat, existere, eo quod inquirat, dubitet, cogiter nisi prius cognoscatur an & quid sit inquisitio, dubitatio, cogitatio, certitudo, existentia, &c.

XII. Nam in hoc Syllogismo, *Quod inquirit, cogitat, dubitat, illud existit. Ego inquiro, dubito, cogito. Ergo existo.* Primum debent cognosci propositionis majoris termini, & ipsa major, sc. quod fieri non possit, uti id, quod inquirit, cogitat, dubitat, non existat, antequam per eam demonstretur conclusio, ac cognoscatur.

XIII. Nam in omni demonstratione aliqua requiritur præcognitio; ex parte terminorum, quid sint, sc. nominis, ex parte præmissarum, an sint veræ; hoc vero ipsum de conclusione, & de prædicato ejus, an sit, demonstrandum ac cognoscendum est.

XIV. At, ista veritatis de terminis & præmissis, an sit, cognitio in nullius rei existentis notitiam philosophantem inducit.

XV. Is vero rei existentis notitiam veram, certam, primo sibi cognitam quærit.

XVI. Illa veritas prima, certa, de rei alicujus existentia, primo per demonstrationem cognita est hæc, *Ego sum.*

XVII. Nihil enim nunc accipimus verum nisi accuratissime ac certissime demonstratum.

XVIII. Atque, inter veritates accuratissime & certissime demonstratas, nulla est prior hac, *Ego sum.*

XIX. Neque hæc veritas prius, aut certius, aut verius infertur, quam per hunc terminum medium, *Inquiro, cogito, dubito.*

XX. Quippe hæc est absoluta, prima, & certissima veritas, *Cogito, inquiro, dubito, Ergo sum.*

XXI. Nec certa, nec absoluta, nec prima veritas est, *Loquor, ambulo, video. Ergo sum.*

XXII. Quia certa rei existentia non potest inferri in conclusione ex medio incerto, aut incertæ existentiæ.

XXIII. At hi actus, loquendi, ambulandi, vivendi, incertum est ac dubium, an sint.

XXIV. Contra actus inquirendi, cogitandi, dubitandi, certum est & indubium, quod sint.

XXV. Nam philosophamur jam & versamur nunc in prima, absoluta, & certissima veritate invenienda.

XXVI. Illud vero fieri non potest sine inquisitione, cogitatione, dubitatione.

XXVII. Si actus sint, cogitandi, inquirendi, oportet & substantiam dari aut rem, quæ cogitet, inquirat, dubitet.

XXVIII. Nam substantiam aut rem esse non immediate, sed per ejus actus cognoscimus.

XXIX. Impossibile enim est actum esse, ubi non sit substantia.

XXX. Ergo bene sequitur, *Ego cogito, ego dubito, ego inquiro, Ergo sum.*

XXXI. Itaque, cuilibet philosophanti, hæc prima occurrit, absoluta, certissima veritas, *Inquiro, dubito, cogito, Ergo sum.*

XXXII. Actus vero *loquendi, ambulandi, videndi*, ut sunt actus corporis, incertum esse, an sint, quod th. 25. est dictum, ex eo liquet, quia de iis à philosophante dubitari potest.

XXXIII. Du-

XXXIII. Dubitari vero potest, quia sæpe non loquimur, non ambulamus, non videmus, nec linguam, nec pedes, nec oculos movemus, cum nos loqui, ambulare, videre, existimamus, ut in somno.

XXXIV. At contra dubitari non potest, an cogitemus, dum inquirimus, dum dubitamus, quia, existimantes ac dubitantes nos inquirere, jam cogitamus.

XXXV. Itaque non potest inferri in philosophando, ut primo & absolute certum ac verum, *video, loquor, ambulo, ergo sum.*

XXXVI. Nam si non sit certum me loqui, videre, ambulare, multo minus certum est, rem esse, quæ loquitur, videt, ambulat.

XXXVII. Si enim actus est incertus, vel incertæ existentiæ, multo incertior est existentia substantiæ seu rei cujus est actus.

XXXVIII. Ergo dubitari potest à Philosophante, an sit res vel substantia, quæ loquitur, ambulat, videt.

XXXIX. Dubitari non potest ab eodem, an sit res, vel substantia, quæ cogitat, inquirit, dubitat.

XL. Ergo prius est, verius est, certius est, esse rem cogitantem, inquirentem, dubitantem, quam esse rem loquentem, ambulantem, videntem.

XLI. Imo, hoc solum certissimum est & verissimum & primo cognitum, datur res cogitans, inquirens, dubitans.

XLII. Hinc jam ulterius progrediendo probari potest, prius quoque, verius, & certius esse, dari animum quam corpus.

XLIII. Nam si prius sit verius, & certius, esse rem cogitantem, inquirentem, dubitantem, quam esse rem loquentem, ambulantem, videntem, quia illius actus sit prior, verior, certior hujus actu, etiam prius est, verius est, certius est, dari animum quam corpus.

XLIV. Ratio est, quia rem cogitantem, inquirentem, dubitantem, vocamus animum; rem loquentem, ambulantem, videntem, vocamus corpus.

XLV. Sumimus enim hic τὸ videre, loqui, ambulare, prout corpore peragitur, non pro cogitatione aut conscientia loquendi, ambulandi, videndi.

XLVI. At prout corpore fiunt, loqui, ambulare, videre, sunt actus corporis, sicuti cogitare, inquirere, dubitare, sunt actus animi.

XLVII. Nam ipsa ratio & usus jubet, ut actuum diversorum principiis & subjectis diversa tribuamus nomina.

XLVIII. Atqui hi actus, cogitare, inquirere, dubitare: & loqui, videre, ambulare: sunt diversissimi.

XLIX. Quippe aliis alii priores, certiores, veriores.

L. Ergo & recte eorum principiis & subjectis diversa tribuuntur nomina.

LI. Illorum principium ac subjectum vocamus animum, mentem (substantiam intelligentem alii) ejusque actus, cogitativos, horum principium ac subjectum vocamus corpus (alii substantiam extensam) ejusque actus corporeos.

LII. Sicut autem actus substantiæ intelligentis animi, esse, prius est, certius est, verius est, quam esse actus substantiæ extensæ, corporis: ita prius est, certius est, verius est, dari substantiam intelligentem, animum, quam dari extensam, corpus.

LIII. Ac jam via strata est ad animi à corpore distinctionem agnoscendam.

LIV. Nam si nomina diversa recte sint tributa principiis ac subjectis actuum diversorum, oportet & ipsa principia, & subjecta istorum actuum esse diversa.

LV. Consequenter, oportet substantias esse diversas, intelligentem & extensam, animum & corpus.

LVI. Sed istam diversitatem, à priori hic nos non demonstramus, ne tituli & instituti limites transiliamus.

LVII. Nam ad id principiis & hypothesibus adhuc aliis est opus.

LVIII. Sufficit nobis, ostendisse, philosophanti cuilibet, & certam rerum existentium veritatem inquirenti, hanc primam occurrere, verissimam ac certissimam veritatem de rerum existentia primo cognitam, *Cogito, inquiro, dubito, Ergo sum.*

LIX. Eam sequitur, quæ secundò se offert ordine Philosophanti, *datur animus.*

LX. Quomodo porrò ex hac certissima sui ipsius atque animi sui notitia, ad Dei rerum omnium, sensibilium atque intelligibilium existentium, notitiam veram ac certam perveniat Philosophus, penitioris est inquisitionis & alterius temporis.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-QUINTA.

PRO

LIBERT. PHILOSOPHANDI.

THESIS I.

PRæclara semper & maxime illustris visa est ea Philosophandi methodus, quæ, non ram hominum autoritate quam naturæ luce subnixa, solute & liberè in vero exquirendo versatur: iique imprimis laudandi videntur Philosophi, qui nulli sapientium sectæ sese addicunt, sed veritatem ipsam, ubicunque putant ac possunt, undecunque, magnâ industriâ studioque conquirunt: nihil enim viro ingenuo magis est dignum quam iis assentiri, quæ aut vera esse, aut quam proximè ad veritatem accedere, ipsâ duce ratione cognoverit: itemque ab iis assensum cohibere, quæ vel incerta sunt, vel falsa esse eadem ratio demonstraverit: fuerunt tamen olim suntque etiamnum hodie nonnulli, qui hunc Philosophandi morem nullum esse dixerint ac dicant, quod viri præstantes in omni doctrinæ genere excelluerint, quos ranquam principes atque sapienres sequi debeamus: atque hic ante omnes alios *Aristotelem* proferunt, qui primus omnium totam disposuerit Philosophiam, eandemque certis causis constitutisque principiis stabiliverit ac confirmarit: ab hoc qui recedat, illum ab eo, quod nobis ratio verum esse ostenderit, recedere, & à veritate desciscere, antiquitus contendebant, hodieque contendunt: hinc est, quod rei fiant & strenuè accusentur, qui Aristoteli contradicere olim sunt ausi aut nunc ausint, quasi isti Philosophiam bene, ut ajunt, constitutam perturbent atque evertant: At vero hoc ipsum lenius ferri posset, si illi, qui tale judicium ferunt, de hoc negotio judicare valerenr, & nisi ipse *Aristoteles* contrarium judicasset, qui auream istam nobis gnomam reliquit, *Amicus Socrates, amicus Plato, magis amica veritas.* Sed in causas inquirendum est, quæ tam miseræ servitutis durum jugum hominibus Aristotelicis (sic enim vocari gaudent servilia ista ingenia) imposuerint, ut cum Aristotele errare, quam cum aliis bene sapere, malint: Nam eo stultitiæ nonnulli devenerunt.

II. Quod Aristotelici sibi libertatem Philosophandi ademerint, ejus causæ sunt, 1. Nimia reverentia *Aristoteli* tribura, atque inde exorta ignava credulitas ac cæca obedienria. 2. Nimia sui ipsorum atque effœminara plane diffidentia, ex quo Aristotelem tantopere suspexere. Postquam enim invaluit illud *magni Commentatoris*, hominis ramen ineptissimi, & qui nomen potius, si per Latinæ Linguæ genium licear, *Commentoris* sit meritus (rot enim commenta reliquit) quod à mille & quingentis annis nullus in textu Aristorelis deprehensus sir error: postquam ab eodem Arabe, tanquam altero Apolline, hæc oracula ceu ex tripode fuerunt pronunciara; *Aristoteles est regula & exemplar, quod natura invenit addemonstrandam ultimam perfectionem humanam; &, Aristotelis doctrina est summa veritas, quoniam*

quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectus: quare bene dicitur, quod fuit creatus & datus nobis divina providentia, ut sciremus quicquid sciri potest: postquam hæc ac similia *Averrois* dictata Philosophantium animos occupavere, à plerisque in ejus verba juratum est: & soli *Aristotelis* authoritati innixi, sibi diffisi non tantum suis, sed & aliorum, quantum in se fuit, animis, compedes injicere: illud, ἀντὸς ἔφα, clypei instar ac scuti vice omnibus præconceptæ opinionis hominibus in Philosophando fuit. At contra visum est cordatioribus Philosophis, ac, ne multos proferamus, unus instar omnium nobis erit, qui ante annos demum 21. obiit, *Philosophiæ Professor in Acad. Marpurg.* celeberrimus, cujus hæc extant verba, lectu ac notatu dignissima, in sua ad *Nicol. Taurellum* epistola, ejus *de rerum æternitate* libris præfixa. *Quo sapientiæ studiosus veritatem (quæ nostratis Philosophiæ est anima) cariorem habet & antiquiorem, eo debet esse in differendo liberior: nec decet Philosophum esse mancipium alieni capitis. Fuerit sane à naturâ omne ingenii acumen in Aristotele ostentatum, sit Aristoteles homo de universa sapientia præter supraque omnes mortales bene meritus, sit sapientiæ nostræ pater & dux, sit summus dictator sapientiæ, sit summus Philosophorum imperator, sit Philosophici regni, sapientiæ, laudis litterariæ aquila, sit veritatis Hercules, tribunal, sit Philosophorum numen, sit denique vir omni laude major, omnique calumniâ potior, quibus elogiis Iulius Scaliger eum ornat, non tamen hoc naturæ miraculum* NORMA VERITATIS *est, cum vel ipse, agnoscens imbecillem mentis suæ aciem, ad vestiganda naturæ penetralia, veritatis cursum non ubique tenuerit.* Hæc ibi *Goclenius*, cui calculum addimus.

III. Censemus itaque, non *Aristoteli* Philosophiæ Peripateticæ Principi, tanquam uni & soli Philosophiæ Magistro, mordicus in philosophando adhærendum, sed libere esse philosophandum, non ex ejus autoritate ad ejus opinionum & sententiarum placitum, sed ad sensum ac rationis dictamen: atque hæc est vera ac genuina, plana, solida, atque unica philosophandi ratio ac via, ut *sensus* ac *rationis*, non *Aristotelis* ductum sequamur, ut omnia, quæ sunt ac fiunt in rerum natura, in macrocosmo ac microcosmo (qui uterque objectum est Philosophiæ, non oracula & placita *Aristotelis*) ad sensuum ac rationis trutinam expendamus: atque adeo non modo licet, sed debet dubitari semper & ubique de omnibus iis, quæ ex *Aristotele* à *Peripateticis* tradi solent (nisi sensu ac ratione confirmentur ac comprobentur) utrum unumquodque tale sit, uti esse traditur, &, si quid ita esse, uti traditur, fuerit deprehensum, (neque enim omnis veritatis expers credi debet Philosophia *Aristotelis* ac *Peripatetica*) quare ita sit, est inquirendum: & ille est modus veritatem de rerum natura ex imis fundamentis eruendi. Hoc est ergo, quod asserimus libere, nulli in Philosophando convenire, ut se vel Philosophiæ Peripateticæ, vel Aristotelis conclusionibus ac principiis adstringat; adeoque nullam esse sectam eligendam, nisi forte *electivam* αἱρετικὴν, de qua in procœmio *Laërtius*, ubi, quicquid Stoici, Platonici, Epicurei, Aristotelici, & quicunque unquam extiterunt Philosophi, in Philosophando posuere, protulere, *eligitur*, accipitur, donec & quamdiu sensui & rationi fuerit compertum comprobatumque.

IV. *Philosophiæ Peripateticæ* sectariis fides non est obliganda, quia illa Philosophia multis partibus deficit, multis modis est intricata, ambagiosa, & in multis erronea, quinimo, in plurimis, nisi examinetur, reformetur, corrigatur, periculosa ac noxia, quod vel ab Ethnicis vel ab heterodoxæ religionis hominibus sit exculta potissimum: à quibus ambagibus & erroribus ut liberari possit, evolvenda est omnino, sed libero mentis judicio, nulli sese alligando: uti contra *Peripateticis* in more est positum, quibus fas non est, ab *Aristotele* recedere; eum refutare, scelus ac piaculum; imo non tantum *Aristoteli*, sed & *Averroi*, & *Alberto*, & *Thomæ*, & *Scoto*, & *Okamo*, & nescio quibus non, nomen dedere, quod tot nomina *Averrhoistarum*, *Albertistarum*, *Thomistarum*, *Scotistarum*, *Okamistarum*, & tot cursus *Thomistici* & *Scotistici*, &c. satis ostendunt: *Peripatetici* libertatem suam non *Aristoteli* tantum, sed huic aut illi etiam

ex ejus interpretibus vendiderunt; qui servilis agendi modus in Philosophia Peripatetica evolvenda omnino est vitandus.

V. Sed non tantum *Scoto*, ut *Franciscani*, non tantum *Thomæ*, ut *Dominicani*, non tantum *Averroi*, ut quidam ex *Latinis* interpretibus, sed ne ipsi quidem *Aristoteli* animus devovendus, aut fides est danda, quem, præter ejus mancipia, ex Veteribus ac Recentioribus, multi deserunt, cui multi apertè contradicunt: Ex Veteribus præ aliis nominandus, & Philosophiæ & Martyrii laude celeberrimus, qui ab utroque nomen retulit, *Iustinus, Martyr*, ac *Philosophus* dictus: hic librum composuit sub titulo, Confutatio dogmatum *Aristotelis*, ubi multa ex *Aristotele* refutat, & in procœmio inquit, *Aristotelem nihil rectè definiisse, de his quæ dicere proposuit. Nazianzeni, Hieronymi, Epiphanii, Tertulliani, Cyrilli, Lactantii*, imò ipsius *Augustini*, testimonia contra *Aristotelem* collegit *Thomas Campanella* in suo *prologo Instaur. scient.* ipse scriptis contra *Aristotelem* & *Peripateticos* clarus: imò ibidem *Thomam, ac Durandum*, paucosque alios, nonnunquam *Scholasticos* ab *Aristotele* discedere, licet in paucis, fuisse ausos, idem refert. At verò pleniſſimè servitutis Aristotelicæ jugum excusserunt, qui barbariem à nobis litteris abstersérunt, eruditionem ac Philosophiam suo nitori restituerunt, cum densissimæ tenebræ orbem litterarium invasissent ante duo secula, *Franciscus Petrarcha*, variis in libris, sed præsertim tractatu *de ignorantia sui ipsius & aliorum*; & *Laurentius Valla*, in sua *reconcinnatione Dialectica & fundamentorum universalis Philosophiæ*, in cujus procœmio verba extant huc quam maxime spectantia, quæ hic (quia liber *Vallæ* in pauciſſimorum est manibus) apponere non pigebit: sic inter alia inquit: *Libertas semper Philosophis fuit fortiter dicendi quæ sentirent, nec solum contra principes aliarum sectarum, sed & contra principem suæ; quanto magis his qui nulli sectæ se addixerunt? Quo minus ferendi sunt recentes Peripatetici, qui nullius sectæ hominem interdicunt libertate ab Aristotele dissentiendi. Aristoteli* se opposuere tanquam Tyranno, generosi isto seculo Spiritus homines, *Ioannes Picus, Patruus, & Ioannes Franciscus Pipus, Nepos, Mirandulæ Comites*; quorum posterior in *examine vanitatis doctrinæ Gentium & veritatis disciplinæ Christianæ*, sex librorum tres posteriores, uni *Aristoteli* refutando, impendit *Aristotelem*, parum solidum, in definiendo vastum, non multum bonæ frugis habere, falsas opiniones fovere, in septem *de corruptis artibus*, & quinque *de tradendis disciplinis libris*, ostendit *Ludovicus Vives, qui inter* alia *l. p. de causis corr. art.* egregiè de hoc negotio disserit: *Profecto*, inquit, *Aristoteles ipse, si nunc viveret, etiamsi fuisset insolentissimus, cujusmodi non fuit) nam multa modestiæ ejus signa impressa sunt in ejus libris*) *sed si arrogantissimus fuisset, istorum tamen stultitiam irrideret, ac castigaret.* At quorum, mi Vives? Subjungit; *Quorum persuasio effecit, ut multa reciperent in Philosophiam pro compertis atque exploratis quæ minime erant talia? Videlicet, Aristoteles dixerat. Vivem* secutus est simili instituto, & durissimæ servituti suam cervicem subtraxit, quam tamen furenti ac sanguinolento postea hostium ensi, ob id quod Aristoteli contradicendo Theologiam crederetur, sed falso, enervasse, à Peripatetico Collega *Carpentario* vel ejus filio proditus submittere debuit, odiosum multis, multis pretiosum, nomen, *Petrus Ramus*, Regius Eloquentiæ ac Philosophiæ in Acad. Parisiensi Professor, cujus extant adversus Aristotelem *Scholæ Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ*, quæ Libertatem philosophandi omnibus in posterum asseruerunt, quam & usurpare solent ejus Philosophiæ cultores, ab ejus nomine dicti *Ramei*, invisa multis capita. At præter *Ramum* ac sequaces pro libertate contra Aristotelicæ tyrannidis jugum pugnarunt tot alii, *Telesius de rerum natura, Patritius in discussionibus Peripateticis, Basso in sua Physica, Chassimus de natura & mundo, Campanella in multis libris, Flud. in Philosophia Mosaica*, & plerique ex hodiernis *Mathematicis*, ac præsertim *Copernicanæ hypotheseos assertores.* Quid? quod inter *Scholasticos* & *Monachos Iesuitas*, Aristotelis commentatores & commendatores nimios, multi hodie *Aristoteli* contradicant: *Conimbricenses* liberè ab eo recedunt, *Hurtadus* eum ignorantiæ & obli-

& oblivionis reum agit: *Arriaga* ipsum non curat: imo ante quinquennium *Caramuel Lobcowitz* Lovanii Philosophiam edidit rationalem & realem, in cujus præfatione statim in limine ait, *Aristotelem illic à se sæpius deseri, rarius defendi, crebrius impugnari, imo nonnunquam carpi & vituperari, eum quidem lucem & nonnunquam sibi esse, nunquam ducem, sibi non fuisse Scopum, ut ei adularetur:* probat ibidem *Campanella* disputationem, quam instituit *in prologo Instaur. scient.* ubi *Aristotelismum* evertendum, *Aristoteli* contradicendum, ejus authoritatem minuendam, variis conclusionibus docet, imo rationibus haud contemnendis probat, in aliquibus id necessarium esse necessitate præcepti ac salutis, in aliquibus esse utile, in multis licitum, imo in omnibus, ubi ratio contradicit *Aristoteli.* Hæc tuetur *Campanella*, *Monachus ord. Prad.* probat. *Lobcowitz*, *Abbas Melrocensis*, qui eadem præfatione *Aristotelis* Physicam, causarum causam, Ethicam, finium finem, negare demonstrat: ac tandem concludit ibidem, *Dare nomen Christo & Aristoteli sapissime est impossibile, aliquando difficile, perrarò necessarium: profiteamur igitur potius, quam Peripateticam, Academiam Christianam.* At Christiana hæc est libertas, Christianis omnibus concessa, eorumque animis innata, in iis, quæ rerum spectant naturam & Philosophicæ sunt contemplationis, nec *Aristotelis* nec ullius hominis authoritati mentem suam subjicere, judicium suum submittere, quod, soli divinæ circa religionem authoritati in verbo Dei, est præstandum.

VI. Sed, ne authoritate hominum tantum philosophandi ac sentiendi contra *Aristotelem* libertatem vindicare videamur, ultrà pergimus, ac dicimus nullam posse rationem proferri, cur ita in *Aristotelis* principia & opiniones jurent Philosophi, ita sacrum ejus textum habeant, ut ei ne contradicendum sit: at contrà incertum est, an *Aristotelis*, cui ita submitti collum volunt, ullus extet qui ejus sit liber ab eo compositus; quod vel ex ipsis ejus Interpretibus haud difficulter colligi potest, qui cuilibet libro interpretando proponunt hanc quæstionem, *Sitne hujusmodi liber Aristotelicus, necne?* & videatur de hac quæst. *Ioh. Fran. Pic. l. 4. c. 4. Exam. Van. Doct. Gent.* & certè multi nobis ex *Aristotelis* libris deficiunt, quos *Laërtius* recenset, & multi nunc extant sub ejus nomine, quos *Laërtius* non recenset; & probabile est, in *Bibliotheca Alexandrina*, spurios pro legitimis Codicibus *Aristotelis* nonnullos esse suppositos: sed demus extare aliquos *Aristotelis* libros; ar incertum est, quid sit in illis, ipsius *Aristotelis*, propter varias & temporum & correctorum injurias, propter exscribentium & transcribentium nævos ac vitia, quam infelicem *Aristotelis* voluminum sortem ex *Strabone* & *Plutarcho* fuse probant, *Iohan. Franc. Picus, lib. cit. cap. 5. Ram. Schol. Dialect. l. 1. c. 7.* At vero & hoc largiamur: sunto *Arist.* omnia quæ hodie extant: ratio tamen dubitandi manet alia, quæ incertitudinem arguit: Stylus truncatus & ambiguus, in multis saltem, iisque libris qui hodie maximè præleguntur, cum tamen aureum flumen à *Cicerone* ipsi in dicendo sit tributum: Cæterum, ne hoc ipsum quidem urgeatur, nondum tamen ex hisce omnibus concessis evictum est, Philosophos in philosophando reddendos esse ejus servos dediticios ac mancipia: nam, sint *Aristotelis* libri qui extant, sit ejus doctrina, quæ iis continetur, ab ipso profecta ejusque stylo conscripta: nulla tamen causa est, cur ejus doctrinæ principiis & opinionibus nos mancipemus, cur ei soli sacramentum dicamus, ipsi nos totos submittamus, addicamus, adstringamus: imo contrà rationes sunt sufficientissimæ, cur id non faciamus, libertatemque philosophandi nostram sartam tectam servemus: Nam, apud quem innumera deficiunt atque omittuntur, quæ tamen scire Philosophi veri & perfecti interest, apud quem multa superflua sunt & tautologica, apud quem multa sunt falso, impia, veritati ac religioni injuria, apud quem multa pugnant & contradicunt: in ejus verba & opiniones non est jurandum. At apud *Arist.* in libris, qui extant, ipsique adscribuntur, hodieque Philosophiam Scholis & Academiis proponunt, innumera deficiunt, abundant, fallunt, pugnant. Ergo. Minorem probatam date per chartæ angustiam quia non licet, defendendam eam in ipso disputationis actu suscipimus, & vice thesium

sium legi possunt *libri* 4. 5. 6. *Ioh. Franc. Pic. de Exam. van. doctr. Gentil. & Schol. Pet. Ram. Log. Phys. Metaph. & Comment. Analyt. Audom. Tal. in lib.* 1. *Ethic. Arist.* quibus, cui luber, addi possunt, *Franc. Patric. in dicuss. Peripat. Campanell. in quæstionibus disputatis ad Philosophiam Epilogisticam suam ac realem, & in suis Metaphysicis. Vives in lib. jam cit. Cassendus in exercit. paradox. adversus Arist.*

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-SEXTA.

DE

ENCYCLOPÆDIA.

THESIS I.

VAriis multisque modis, omnes omnino *disciplinæ*, partesque disciplinarum inter se *conveniunt*, ac præsertim, *ratione* tum *efficientis* (sunt enim ab eadem origine) tum *finis* (tendunt enim ad eundum scopum) tum *materiæ*, tum *formæ*, tum *exemplaris:* unde perpetua est earum ἁρμονία, quâ amice inter se conspirant, ac sororio quasi vinculo colligantur & quædam est in se invicem quasi immeatio, qua in infinitum sese mutuo notificant, explicando, probando, amplificando: atque hanc disciplinarum & partium in iis relationem, notatu dignissimam, scite exprimit vox, ENCYCLOPÆDIA.

II. Ratione originis in communi *causâ efficiente* conveniunt disciplinæ, quia *à Deo* omnis naturæ, gratiæ, ac gloriæ principio proficiscuntur, legitimoque humanæ rationis *facultatum*, tum *inventricis*, rum *judicatricis*, *usu* atque exercitio acquiruntur: qui facultatum usus consistit partim in omnigena perceptione seu receptione, ubi αἴσθησις *sensus* & ἐμπειρία *observatio*, partim in perceptorum dextra ac frugifera collatione, quo pertinet ἐπαγωγὴ *inductio*, & ἐμπειρία *experientia*, partim in primorum axiomatum, istis mediis ac instrumentis inventorum, quæ disciplinarum omnium sunt fontes, columnæ ac normæ, ordinatissima catena, quod judicii est. Sed hæc paulo plenius sunt explicanda.

III. Causa *efficiens* disciplinarum, *post Deum*, omni boni authorem, est ὁ νοῦς *mens ratio humana*, tum *inventrix*, tum *judicatrix:* hæc enim duo sunt ejus munia atque officia, invenire ac judicare. Ratio, cum ex se disciplinarum præcepta promere nequeat, ex rerum omnium usu ea petit ac colligit, usa, ad eorum *inventionem*, quatuor, seu mediis, seu adminiculis, seu instrumenris, sensu, observatione, inductione, experientia. *Sensus* est primum rationis instrumentum, notiones & imagines rerum singularium perceptas, seu singula & singularia in hominum peritorum usu cognita exempla, ad intellectum transmittens. Secundum rationis in inventione disciplinarum instrumentum est *observatio*, quæ exempla varia à sensu percepta observat, & colligit, memoriæque tanquam fideli rerum custodi mandat. Tertium huic disciplinarum inventioni inserviens instrumentum est *inductio*, quæ ex multis variisque exemplis, in usu vitæ humanæ, sensu perceptis, memoria retentis, sufficienterque enumeratis, constituit notionem universalem: verum, quia inductio facile nos in errorem inducit, debet notio ista universalis, sensu, observatione, & inductione collecta, ad *experientiæ* tribunal sisti, quæ (quartum inventionis hujus instrumentum) generalem istam notionem suo testimonio quasi calculo confirmat, eamque ita illustrat ac com-

ac comprobat, ut sine ulla dubitatione mens isti notioni universali assentiatur. Accedit tum ratio *judicatrix*, quæ notionem universalem, *sensus*, *observationis*, *inductionis*, *experientiæ* beneficio inventam, si per se fuerit manifesta, *in axiomate* dispositam, ad tres illas leges scientificas, καθ' παντὸς, καθ' αὐτὸ, καθ' ὅλα πρῶτον, exigit atque explorat; sin dubia fuerit ac controversa, *syllogismo* eam disceptat ac probat, denique varias notiones ita inventas, axiomaticè dispositas, syllogismo, cum est opus, confirmatas, *methodice* inter se ordinat.

IV. Ratione scopi in communi *fine* conveniunt disciplinæ omnes, quia *ad Dei gloriam hominisque* in hâc vitâ perfectionem atque *utilitatem* naturâ suâ sunt ordinatæ: itaque sic singularum disciplinarum in singulis partibus præcepta fuerint instituenda, ut quam maximè faciant, ad pietatis in homine adversus Deum promotionem, & ad probitatis respectu sui & proximi exercitium: atque sic ex disciplinis omnibus ac singulis existeret perpetua ac continua elevatio mentis ac rationis in Deum.

V. *Materia* communis, in qua disciplinæ omnes conveniunt, sunt *præcepta*: ex iis enim disciplina omnis, tanquam ex membris corpus, constituitur: Ea non rudia esse oportet atque impolita, sed expolita atque apta ad scientiam gignendam: quod ut præstent, *legibus scientificis*, καθ' παντὸς seu veritatis, καθ' αὐτὸ seu justitiæ, καθ' ὅλα πρῶτον, seu sapientiæ, debent conformari. *Lex* καθ' παντὸς seu *veritatis*, sancit & requirit in disciplinarum præceptis veritatem, atque insuper exigit ut illorum veritas sit necessaria, absoluta, immutabilis, perpetua, affirmata, universalis ac de omni: est autem disciplinæ perceptum universaliter verum, cum universum consequens est verum, de universo antecedente, omnibusque sub illo antecedente contentis, semper & perpetuo: abesse ergo à disciplinis jubet hæc lex, præcepta negata, mutabilia, contingentia, falsa. *Lex* καθ' αὐτὸ, seu *justitiæ*, præcipit justitiam, ut unicuique disciplinæ ejusque præcepto justa tribuantur ac debita, ut præcepta omnia sint homogenea & veluti unius corporis membra: quælibet enim disciplina suos habet sibi limites, intra quos consistendum, & suum finem, ad quem non quibuslibet, sed certis ac cognatis præceptis pervenitur: hæc lex non tantum certos singulis disciplinis figit terminos, ne diversarum disciplinarum præcepta confundantur, sed & quævis disciplinæ præcepta jubet è partibus, quarum sit essentialis nexus, constitui: quod fit, cum pars altera præcepti est de alterius partis essentia, sic ut eam, vel constituat, vel constitutam immediate sequatur. *Lex* καθ' ὅλα πρῶτον, seu *sapientiæ*, præter necessariam ac perpetuam, præter justam coëssentialem & consanguineam præceptorum veritatem, plus adhuc postulat, ut sapienter generalia generaliter, specialia specialiter, tradantur, & ut præcepta sint catholica, hoc est, constent partibus reciprocis & æquè latè patentibus: cavet ergo, ne specialia insipienter generalibus commisceantur, ne ex inæqualibus partibus componantur præcepta; adeoque odiosam omnem atque otiosam à disciplinis arcet tautologiam.

VI. *Forma* disciplinarum communis, in qua conformiter conveniunt, est, ut præcepta verè, justè, ac sapienter, fabrefacta, continuâ serie juxta naturæ ordinem prudenter disponantur, ac naturâ notiora & priora, ignotioribus & posterioribus, universalia ac generalia, particularibus ac specialibus, præponantur, aptisque transitionum vinculis inter se connectantur.

VII. Ratione *exemplaris* conveniunt disciplinæ omnes, quia sunt accuratissima panharmonici Mundi, & Macrocosmi & Microcosmi, pictura: ac disciplinarum eupraxia nihil est aliud, quam divinæ εὐπραξίας imitatio atque expressio, secundum præcepta jam inventa, judicata, ac disposita, ab hominibus instituta: nempe, omnis disciplina suæ operationis, & operis per præcepta instituendi, ideam atque exemplar mutuatur à Deo, Deus à seipso. Deus enim mundum condendo seipsum veluti expressit & quasi effigiavit, suæ bonitatis, sapientiæ, potentiæ characterem, naturæ imprimendo, & sic ideam sui relinquendo quæ Dei idea, qui bonitatis divinæ, sapientiæ, ac potentiæ characteres, dum è naturâ eruun-

etuuntur à mente ac ratione hominis, rerum analysi, per sensus inchoatâ, per observationem provectâ, per inductionem perfectâ, per experientiam confirmatâ; jam disciplinarum fundamenta jaciuntur, præcepta inveniuntur; quæ ut disciplinas constituant, nihil amplius requiritur, quam ut ea ad leges jam explicatas examinentur, & eo quo dictum est modo, disponantur, atque ita universam nobis absolvent ENCYCLOPÆDIAM, à Deo inceptam, in Deo terminatam, qui omnis sapientiæ est α & ω.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-SEPTIMA.

DE

HOMINE.

THESIS I.

EOrum, quæ disquirit Philosophus, omnium utilissimum semper est habitum, se ipsum nosse. Quippe Homo, ut μικρόκοσμος quidam, frustra ἐν μακροκόσμῳ, in omnibus aliis rimandis, insudat, ubi se ipsum, quid sit ipse, ignorat: ita rerum omnium scientiam incipere ab unius *Hominis* cognitione decet. Sed vero arduum hoc planè est negotium, & quam parum tam numerosis conatibus, in hac sui cognitione, hactenus ab homine sit effectum, docent tot copiosa volumina sapientum, tot discrepantes & indecisæ lites hominum de sui ipsorum naturâ. Molestias tamen & difficultatum nodos quia compensat hujus contemplationis utilitas, placuit utramque hominis partem, Animam rationalem, & corpus, hac disputatione penitius inquirere, incipiendo ab anima tanquam parte hominis nobiliori.

II. Atque hic τὸ ὅτι præsupponendo (nam Dicæarchi stultitia sapienti merito ridetur, qui animam nil nisi nomen inane dicebat) τὸ διότι primum occurrit definitione explicandum: quam hanc damus. *Anima rationalis est actus corporis organici quo intelligimus ac volumus.* Dicitur *actus*, ut rejiciatur 1. Materia quæ non est actus sed potentia; atqui anima rationalis non est potentia, sed actus, quia potentiam perficit: 2. Compositum, tam naturale, quam artificiale, quod est ex actu & potentia conflatum: anima autem non admittit potentiam passivam, sed hujus respectu est purus actus, non secundus aut accidentalis, sed primus & substantialis: nam ipsa operatio est accidens operantis, at anima rationalis non est hominis accidens. Sed qualis est actus, assistens an informans? Resp. informans: adsistens enim esse non potest; quandoquidem hæc nihil aliud tribuit ei, cui adsistit, nisi motum localem: at anima corpus non modo motu suo regit, sed & partes omnes intime permeat & informat. Dicitur porro *corporis*, ad excludendas substantias spiritales: sed neque cujuslibet corporis actus est, neque enim homogenei, ut aquæ &c. sed quod diversitate organorum instructum est. Corpus item hoc organicum, non est brutum, sed humanum: nam hoc cum anima rationali unitum, hominem constituit.

III. Disceptatum vero, an cuilibet homini sua, *an unica duntaxat constituenda foret anima?* Qui dicunt, animam rationalem unam numero esse in rota humana specie, quæ omnibus assistat; ex ratione & ipsa rei necessitate convincuntur: nam primo, si anima est forma dans homini specificum suum esse, ergo necesse ut sit multiplicata, ad multiplicationem

tionem hominum, cum omnis forma Physica pro materiæ multiplicitate sit multiplicanda, & unumquodque compositum propriam sibi requirat formam: Deinde, si unus numero intellectus esset in omnibus, eædem essent omnium cogitationes & operationes: sed quid hisce magis diversum? idem intellectus in alio esset sapiens, in alio fatuus, miser & felix, quibus nihil est absurdius: statuimus ergo, animam rationalem secundum numerum hominum multiplicari.

IV. *Singulorum hominum unam tantummodo esse animam*, rectæ rationi est consentaneum: 1. Quia unumquodque vivens est unum per se, ergo constat unica forma, principali scilicet, anima, forma enim est, quæ dat esse rei. 2. Quia si essent plures animæ ejusdem rei, principales sc. formæ, eadem res haberet plura esse totalia distincta: nam, ad pluralitatem formarum principalium, sequitur pluralitas essentiarum distinctarum: unde aliquid unum esset & non unum; unum ex præsuppositio, non unum quia plura haberet esse totalia à formis principalibus multis distincta inter se: certum igitur est, unicam tantum hominis dari formam principalem, animam scil. rationalem.

V. Hisce tamen non obstantibus, *tres animas realiter distinctas in homine sine contradictione supradictorum constituimus*. Distinguenda enim sunt hæc duo: non plane idem sunt, esse plures in homine formas, & plures esse formas hominis: nulla datur forma hominis, quæ hominem constituit qua talem, nisi anima rationalis; per hanc enim homo est id quod est, & ab aliis discriminatur: per hujus absentiam homo hominis & nomen amittit & naturam: quod tamen nihil impedit, quo minus, præter hanc principalem & solam hominis formam, plures formæ constituantur in homine quæ sint secundariæ, disponentes, & animæ rationali subordinatæ, & ab ea reali discrimine disjunctæ: eas duas damus, animam vegetativam & sensitivam; & probamus. Quæcunque à se invicem possunt separari, id est, distinctis locis ac temporibus existere, illa distinguuntur realiter. At anima vegetans ac sentiens, & rationalis, ita possunt separari. Ergo. Major Logicorum omnium consensu verificatur: Minorem sic probamus, quia operationes, vegetantis animæ, ut crescere, augeri, nutriri; & sentientis, ut loco moveri, in ea reperiuntur, ante adventum animæ rationalis, quæ non nisi post peractam organizationem accedit; est enim actus corporis organici: neque hic metuendum, hoc pacto ne homo constituatur triplex Geryon, aut primum nascatur planta, post brutum, aut simile quid, quia multiplicatio essentiarum non est à disponentibus, sed à principali forma, quam unicam tantum, animam sc. rationalem, constituimus ex thesi præcedenti: & notandum, quod anima vegetans in homine speciem ultimam non constituit, quia ordinatur ad superiorem: quod in planta non ita est, quandoquidem ad perfectiorem speciem non est ex natura ordinata. Sic nec anima sentiens in eodem homine speciem ultimam facit, quia ad rationalem ordinatur: quod non sic est in bruto.

VI. Quæstio hic moveri solet: *Vtrum inter animas rationales una sit perfectior essentialiter alia?* Hæc quidem quæstio in utramque disputari solet partem: nobis tamen impræsentiarum negativa placet opinio: & sic argumentamur. Si inter animas rationales una sit essentialiter perfectior altera, ergo substantia suscipiet magis & minus. Posterius est absurdum. Ergo & prius. Excipiunt Adversarii ad Minorem. Recipere magis & minus potest bifariam intelligi: vel quod in definitione perfecta alicujus rei possint addi vel subtrahi quædam prædicata essentialia ejus rationi formali convenientia: vel quod prædicata ipsa essentialia possint intendi & remitti. Priori modo, absurdum est, substantiam recipere magis & minus, posteriori sensu, non item. Verum enim vero illa distinctio nulla est, & sic argumentamur contra membrum posterius. Si prædicata essentialia possint intendi & remitti: Ergo aliquis gradus includetur in intenso, qui non includitur in remisso: atque hic gradus vel erit essentialis, vel accidentalis: si accidentalis, ergo una anima rationalis, non essentialiter, sed accidentaliter tantum, erit perfectior altera; & habetur intentum nostrum.

ſtrum. Si eſſentialis; Ergo gradus iſte eſſentialis erit quædam differentia eſſentialis, per quam una anima rationalis differet ab altera: Quid enim fuerit aliud? At differentia eſſentialis in diverſis animabus infert diverſitatem ſpecificam. Ergo hæc anima rationalis ab illa differet non tantum numero ſed ſpecie. Ergo & individua different ſpecie, quia unumquodque individuum ſuam ſibi habet animam rationalem. Atqui individua non differunt ſpecie, quia non habent differentias diviſivas, & tum individua non forent, quod eſt abſurdum. Deinde, ſi eſſentialia ſubſtantiæ prædicata recipiunt magis & minus, Ergo hoc compoſitum, hæc materia, hæc forma, erit magis compoſitum quam illud, magis materia quam iſta, magis forma quam alia; & una anima rationalis erit magis actus, corporis magis Phyſici, magis organici, magis potentia vitam habentis, quam alia: ſunt enim hæc omnia prædicata eſſentialia. Atqui hiſce omnibus nihil poteſt dici abſurdius. Ergo & abſurdum eſt Antecedens, ex quo iſta ſequuntur. Sed hæc de Animæ rationalis eſſentia ſuffecerint.

VII. Nunc alteram Hominis partem indagemus, puta corpus, quod qui pro vehiculo tantum habent Animæ, & non pro parte hominis, à veritatis tramite nobis aberrare cenſentur, quia tum homo non foret compoſitum, non magis quam Angelus aſſumens corpus. Quid vero ſit corpus humanum, utcunque videatur eſſe notiſſimum, attamen non ita eſt notum, quia ne corpotis quidem naturalis natura, in quo ſit ſita, ſatis in aperto eſt; quæ ubi conſtiterit, & de corpote hominis, quid ſit, conſtabit. Age igitur in corporis naturalis definitionem inquiramus. Sunt qui illud definiunt, *Ens per ſe ex partibus extra partes. Ens*, nempe quod eſt, vulgo dicunt, *Ens reale. Per ſe*, nempe, exiſtens per ſe, id eſt, quod non eſt in alio ut in ſubjecto. *Ex partibus extra partes*, id eſt, quarum una non ſit alia & quæ loco ac ſitu diſterminantur ac ſepatantur. Partes extra partes, quæ ſunt ipſum corpus, quia ſunt *partes*, faciunt illud unum (neque enim ſunt partes, niſi uniantur) quia ſunt *extra* ſe invicem, faciunt illud extenſum: neque enim ſunt extra ſe mutuo, niſi corpus reddant extenſum. Alii Corpus definiunt, quod eſt *extenſum in longum, latum, & profundum*; quæ definitio licet à priori non multum recedat, cenſetur tamen vulgo, magis competete corpori Mathematico quam Phyſico, & eſſe magis definitio à poſteriori & proptio quam à priori aut eſſentia: niſi quis corpus Mathematicum cum Phyſica idem eſſe velit. Vulgatiſſima definitio eſt, qua Corpus naturale definitur, *Totum ex materia & forma conſtans*, quæ licet videatur eſſe clariſſima, non ita tamen eſt. Quidam materiam & formam hîc ſic explicant, ut *Materia* ſumatur pro *individuo ſenſibili* quatenus eſt ſubjectum formarum, quibus determinatur, quæ dicuntur, ſubſtantia, eſſentia, magnitudo, qualitas, relatio, &c. & *Forma* talis materiæ nihil tum fuerit aliud, quam *intelligibilitas*, in illo ente, quod appellamus individuum materiale ſeu ſenſibile, quod vere & à parte rei eſt Ens per ſe compoſitum ex partibus extra partes: atque hæc forma vulgo dicitur *formalitas*. Et Materia, ſumpta, quatenus neque eſt ſua ipſius *eſſentia*, id eſt, quatenus neque eſt quid, neque eſt ſua ipſius magnitudo, id eſt, quatenus neque eſt quantum, neque eſt ſua qualitas, id eſt, quatenus neque eſt quale, neque quatenus eſt ſua relatio aut alia hujuſmodi ſua intelligibilitas, qua determinetur, ſed quatenus eſt ſubjectum illarum omnium, eſt Materia prima: quatenus veto jam intelligitur determinata per eſſentiam, quatenus jam eſt ſubjectum aliarum intelligibilitatum, magnitudinis, qualitatis, relationis, & aliarum, dicitur. Materia ſecunda. Sed hæc Corporis naturalis compoſitio ex Materia & Forma, prout illa eſt individuum ſenſibile, cui tanquam ſubjecto conveniunt illæ formæ ſeu intelligibilitates, hæc vero eſt ipſa intelligibilitas, eſt tantum compoſitio Metaphyſica per intellectum vario modo intelligentem totum ſenſibile. Alii itaque Materiam & Formam ſumunt aliter: & hi per *materiam* intelligunt *partes componentes*, per *formam* vero *totalitatem* ſive *unitatem*, quæ ex illa compoſitione reſultat. Hoc modo Materia

conci-

concipitur ut Multa in uno, Forma ut Unum ex multis. Atque hic est distinctissimus Corporis naturalis conceptus, ut illud nihil aliud sit quam partes extra se invicem sed unitæ, & partes sint Materia, unio Forma. Atque hæc compositio ex materia & forma non est entitativa, id est, tanquam inter duo entia realia distincta, neque enim entitas totius alia est ab entitate partium unitarum, licet formalitas sit diversa. Quare materia & forma non re ipsa distinguentur hoc sensu, sed formaliter tantum & ratione ratiocinata: quæ est Philosophia Aristotelis. Vid. 8. Metaph. 1. 16. ubi diserte verbis inquit: *Materia autem ultima & forma idem sunt:* ubi per *Materiam ultimam* intelligit instructam, præparatam, formatam. Denique alii per materiam & formam intelligunt duas partes componentes corpus naturale, inter se reipsa & naturis atque essentiis distinctas, quarum una subjaceat alteri ac sit minus mobilis, sc. materia, altera priori superveniat ac sit magis mobilis, sc. forma: atque inter has distinctio est entitativa, quatenus alia est essentia materiæ, alia talis formæ. Verumenimvero hæc & talis compositio non convenit omni corpori naturali, imo nulli nisi homini, qui solus hoc sensu potest dici corpus naturale, utpote cujus forma sc. anima rationalis caret partibus extra partes, materia vero sc. corpus eas habet. Sed de hoc, sc. Hominis altera parte, quærebatur, in quo ejus consisteret natura: quam, uti & aliorum corporum essentias, qui ex materia & forma composuerit, tanquam entibus distinctis licet incompletis, & contra rationem & contra Aristotelem philosophatur. Quare nos mediam acceptionem Materiæ & Formæ assumimus & in ea acquiescimus, aut definitionem Corporis naturalis primam acceptamus. Atque ita *Hominem* ab utraque sui parte explicatum dedimus.

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-OCTAVA.

DE PHILOSOPHANDI RATIONE.

THESIS I.

UT certam de rebus scientiam mens acquirat, nec inter varia opinionum avia constitutus animus paulo momento illuc impellatur, aut veritatis specie seductus indignos foveat errores: ante omnia videndum est, qua sit insistendum via ad solidam rerum omnium cognitionem acquirendam; & investigandam, quænam sit prima ac certissima veritas, quæ tanquam fundamentum sit ac principium omnis demonstrationis, quæque omnis falsitatis ac incertitudinis expers, nec ansam dubitationi præbeat, nec errori.

II. Hanc autem *Philosophandi rationem* ac viam ut firmiter ac constanter teneamus, in id incumbendum est, ne vagante extra limites sibi positos sensu, aut propensa nimis ad credendum voluntate, assensum rei aut facile aut falso præbeamus. Et quamvis non omnia falsa sint, quæ sunt incerta, nihilominus tamen, cum nobis, de veritate eorum quæ sunt incerta, nihil constet certi, non minus ab iis atque ab apertè falsis assensus est cohibendus.

III. Omnia igitur ista tanquam falsa supponemus, quæ vel minimæ falsitatis aliquâ de causâ possunt esse suspecta: omniaque, quæ unquam in dubium vocavit Scepticorum Schola, tanquam mera figmenta ac vana

quædam ludibria, & à veritate remotissima, tenebimus: Omnes denique res, quæ existere dicuntur, pro somniis habebimus, donec aliqua certa veritas existentiam comprobarit.

IV. Vocatis in dubium rebus omnibus vel potius negatis, videndum, an quicquam sit, quod præ manifesta veritate negari non possit: quod si fuerit inventum, facile hyperbolicis dubitationibus satisfiet. Certe dum de rebus omnibus dubito, dum mecum ipse perpendo, sitne aliquid adeo certum, de quo dubitari non possit, ecce, illud mihi se offert, & prima veritas ex ipsa dubitatione colligitur, *Cogito, dubito: ergo sum.*

V. Quamvis enim fallar, dum cogito, quamvis à vero aberrem, nihilominus tamen illud certum ac inconcussum est, me esse, quia cogito ac dubito. Nego existentiam rerum omnium certam, mei solius existentiam certissimam negare non possum, actum enim cogitandi exerceo; at quomodo cogitare possit, quod non est, cum agere præsupponat esse. Et quamvis dubitem, qualis sim, tamen, quod sim, certus sum; & cum reliqua omnia possint pro falsis haberi, illud tamen adeo manifestæ est veritatis, ut quo magis dubitem de rebus aliis omnibus, an existant, eo de mei ipsius existentia sim certior.

VI. Atque hæc est prima illa veritas, qua rem aliquam esse firmiter & invicte probatur: Huic deinde superstrui possunt omnes de aliis rebus demonstrationes; & id quidem necessario: nisi enim hinc in philosophando ordiamur, nihil, manifestis licet rationibus, evincemus, quod à quovis Sceptico, aut ut falsum negari, aut ut dubium ac incertum rejici, non possit: nisi enim hanc demonstrandi ingrediamur viam, præsupponenda multa erunt, quæ non quivis concedet; & cum certissimum oporteat esse scientiæ nostræ fundamentum, tanquam valde incertum forsitan precario id obtinebimus.

VII. Et nulla quidem alia est ratio eradicandi penitus Scepticismi, quam si concessis ipsorum dubitationibus eo deducantur, ut aliquod certum in Philosophia ac stabile agnoscentes principium, discant, opinionibus suis rejectis, veritati firmum præbere assensum.

VIII. Hic vero cognoscendi ordo, qui à nobis ipsis & nostri cognitione originem sumit, naturæ ipsi est consentaneus: necessario enim illud primo cognoscimus, quod primo se intellectui offert; at nihil se prius intellectui offert, quam intellectus ipse: nam prius mens ipsa actionem suam cognoscit, quam aliquod objectum, circa quod ista actio versatur.

IX. Cognitio autem ista, quæ à sensibus initium facit, quoniam sæpe fallitur sensus, nihil certi ac indubitati gignere potest: ideoque tantisper illa sensualis cognitio pro nulla haberi debet, donec tandem per evidentes consequentias ex hac, quam statuimus, prima veritate eo deducta res sit, ut, quid verum sit ac falsum, ac quousque credendum sit sensui, cognoscentes, tuto etiam sensibus fidem habeamus. Itaque cognoscendi ordo nullo modo à sensu, sed ab intellectu inchoari debet, &, confirmatis reliquis, postremo ad sensum perveniendum est.

X. Philosophandi ratio, quæ à sensibus initium facit, minus certa ac solida est, nec eo pertingit, quo Philosophia pertingere debet: contra hæc, quæ ab intellectu orditur, vera est ac genuina Philosophandi methodus, & verum ac genuinum Philosophiæ finem assequitur, quippe quæ in solidam rectamque ac certam Dei, sui ipsius, rerumque aliarum, notitiam hominem Philosophum deducit; tantum abest, ut vel ad Atheismum, Enthusiasmum, Libertinismum, Epicureismum, aut Scepticismum viam sternat.

ANNEXA.

1. *Duo sunt Philosophiæ Peripateticæ vitia, præjudicium & servitus.*

2. *Præjudicium, quo veritas apud solos istius Philosophiæ authores ac cultores habitare existimatur.*

3. *Servitus, qua ita fides istius sectæ Auctori vel Auctoribus astringitur, ut ab ipsius vel ipsorum placitis recedere ne tantillum liceat.*

4. *Vitia ista cadunt in Philosophiam, non Aristotelis, sed Aristotelicam.*

5. *Aristoteles, & liberrimè, & nullo ullius Philosophi præjudicio præoccupatus, est philosophatus.*

6. *Quo*

6. *Quo ad ætatem Aristotelis accesserunt propius Philosophi, eo fuerunt magis ab utroque vitio immunes.*

7. *Inepti sunt, qui Philosophiam modernam ex Aristotele, Peripateticis, ac præsertim Scholasticis haustam, vocant Orthodoxam.*

8. *Nec Aristoteles est judex controversiarum in Philosophia, nec istorum hominum opiniones sunt veritatis mensura aut regula.*

9. *Philosophiæ objectum, nullius Philosophi est placitum aut opinio, sed Deus & natura, tum Macrocosmi, tum Microcosmi.*

10. *Philosophiæ principium à quo, est ratio, mens, naturale intellectus humani lumen, per principia menti naturaliter insita & conclusiones eductas, seu per ideas innatas & adventitias.*

11. *Errant, qui usum rationis mentisque ratiocinium ex Theologia proscribunt, cum & hic ratio ex principiis revelatis conclusiones educat.*

12. *Non satis accurate loquuntur, qui dicunt, Mysteria in Sacris revelata fide tantum teneri, non item ratione.*

13. *Nihil tenetur fide, nisi & ratione teneatur, prout ratio significat id, quo scimus, non, ex quo scimus.*

14. *Ratio est, quæ credit, & non credit nisi cognoscat, quia fides est notitia.*

15. *Cognoscendi per fidem causa ac fundamentum non est demonstratio, sed authoritas testantis, quia in eam ultimo resolvitur ista cognitio.*

16. *Mysteria fidei sunt supra rationem, quatenus cognosci nequeunt nisi ex lumine revelationis, & in quantum revelata non comprehenduntur, sed apprehenduntur.*

17. *Mysteria fidei sunt contra rationem ex qua discimus, id est, contra principia & placita à ratione naturali efformata: ideoque præstat quascunque Philosophorum assertiones ac definitiones rejicere, ut veritas revelata servetur.*

18. *Mysteria fidei sunt contra rationem qua discimus, id est, facultatem judicandi consideratam in eo statu in quo nascitur, & quatenus acquisitis quibusdam tincta est.*

19. *Mysteria fidei non sunt contra rationem, in quantum est imbuta luce Scriptura; si spectetur actus apprehensionis.*

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUADRAGESIMA-NONA.

DE

RERUM MATERIALIUM NATURA.

THESIS I.

QUoniam probata Dei existentia, & cognito eum non esse fallacem, distinctè & clarè percipere possumus naturam corpoream, sequitur corpora à Deo posse produci, quia quicquid clarè & distinctè percipere valemus, illud nullam includit repugnantiam, ut à Deo efficiatur.

II. Actu autem corpora existere sequitur, quia nobis rerum corporearum ideæ obversantur; ac proinde aliquam causam habeant necesse est; eaque erit vel ipsa nostra mens, vel aliquid à mente diversum: prius quidem esse non potest, quoniam in nostra potestate non est, ut unum potius quam aliud sentiamus, & nobis invitis istæ rerum materialium ideæ occurrunt, idque nulla præsuppositâ intellectione.

III. Causa ergo istarum idearum vel erit corpus, in quo omnia formaliter continentur, quæ in istis ideis objectivè; vel si corpus non sit; aut erit Deus, aut aliqua alia creatura corpore nobilior, in qua ideæ contineantur

eminenter. Atque cum Deus fallax non sit, omnino est manifestum, nec Deum immediatè per se illas mihi ideas immittere, nec eas ab aliqua creatura nobiliore, in qua formaliter non sint, procedere. Sed cum Deus mihi nullam dederit facultatem, qua cognoscam eas vel ab ipso immediatè, vel ab aliqua creatura, in qua forent eminenter, produci, sed contra magnam mihi inseverit propensionem credendi eas à rebus corporeis emitti, necessario à rebus corporeis emitti debent, nisi Deum fallacem esse malimus credere.

IV. Unde sequitur quoque, aliquod corpus menti nostræ arctius quam reliqua esse conjunctum; quoniam dolores aliique sensus nobis ex improviso sæpe adveniunt, quos mens est conscia non à se sola proficisci, nec ad se pertinere, quatenus est res cogitans, sed quatenus rei corporeæ adjuncta est, atque ideo ad se pertinere.

V. Natura corporis in genere non consistit in eo, quod sit res dura, ponderosa, vel colorata, vel alio aliquo modo sensus afficiens, sed in eo tantum, quod sit res extensa in longum, latum, & profundum: omnes enim istæ qualitates sensibiles, quia non in omnibus corporibus universæ reperiuntur, omnino à natura corporea abesse possunt, ipsa interim integra ac salva permanente.

VI. Sed fortasse cuipiam non videbitur natura corporis in extensione esse sita, eo quod extensionem à corpore separabilem esse arbitrabitur, vulgato rarefactionis & condensationis argumento motus: sunt enim in ea sententia multi, ut existiment corpora rarefacta plus habere extensionis, quam eadem condensata; existimantque præterea quantitatem & extensionem inter se & à corporea substantia esse diversas. Sed rarefactio & condensatio huic nostræ sententiæ non obstant: fiunt enim sola figuræ mutatione, ita ut illa corpora sint rara inter quorum partes multa sunt intervalla aliis corporibus plena. Cum autem illa intervalla minuuntur, vel plane tolluntur coëuntibus ad se invicem partibus, corpora condensantur, idque vel magis, vel minus, prout partes magis vel minus ad se invicem accedunt: ut si spongia aqua repleta comprimatur, atque hoc pacto condensetur. Et quamvis non semper illa rarefactionis & condensationis ratio in sensus incurrat, ut cum aër aut aqua rarefiunt, rationi tamen maximè est consentanea, ita ut magis conveniens nulla possit cogitari. Cum enim quantitas, extensio & corpus reipsa non differant, sed tantum ex parte nostri conceptus, necessario sequitur quantitatem & extensionem nullam alicui corpori accedere, nisi simul aliquid substantiæ corporeæ accedat. Quantitatem vero non distingui à substantia corporea hinc patet, quia, qui corpus ab extensione aut quantitate distinguunt, aut nihil concipiunt, aut confusam tantum substantiæ incorporeæ habent ideam, quæ corpoream repræsentare non potest.

VII. Alios fortasse movebit, ut in extensione essentiam corporum sitam esse negent, quod, ubi meram extensionem, in longum, latum, & profundum, intelligimus, non ibi corpus esse dicamus, sed inane spatium, quod plerisque purum nihil est. Sed illa extensio, in longum, latum, & profundum, quæ in spatio est, est eadem quæ est in corpore: solum in eo differentia est, quod in spatio extensioni tribuamus unitatem genericam, in corpore singularem. Eandem autem esse & in spatio & in corpore extensionem manifestum ex eo est, quod sublatis à corporea substantia iis omnibus, quæ ab ea possunt separari & ad ejus essentiam non pertinent, nihil remansurum sit præter extensionem, in longum, latum, & profundum. *Substantia corporea* igitur nihil aliud *est* quam *Res extensa*.

Dispu-

Disputationum ex Philosophiâ selectarum,

Voluminis Secundi,

QUINQUAGESIMA,

DE

COMPOSITIONE CONTINVI.

THESIS I.

SI quæ in *Philosophia Opinio* difficultatibus inextricabilibus fere est involuta, est ea περὶ τῆς ἀπειροτομίας de *sectione continui in infinitum*, quæ ipsa ut à *Peripateticis* ex *Aristotele* doceri solet, ut à Præceptoribus mihi est tradita, ut in *Aristotelicorum* libris à me est perlecta, nunquam animo meo satisfacere aut placere valuit, sed dubia mihi semper fuit & de falsitate suspecta, non tantum, quod ipsi inter sese Aristotelis sectatores in ea explicanda non convenirent, sed quod falsæ de *compositione continui* sententiæ inniteretur, & præsertim, quod istam continui, seu corporis, seu motus seu temporis, in infinitum divisionem, tanquam fundamentum substerni deprehendissem, assertæ mundi ab *Aristotele* æternitati. Quomodo enim aliquid ex nihilo fuerit creatum: ac quomodo non potius omnia sint æterna, cum nullum primum, nullum ultimum, motus vel temporis instans, dari possit, admissa *Aristotelis* de *Continui compositione & in infinitum divisione* sententia? Quare nos de *Continuo* veritatem, non ex turbidis *Aristotelicorum* aut impuris *Scholasticorum* lacunis, sed ex limpido *Democriti* puteo & clarissimis *Atomistarum* fontibus hauriamus, præstat enim in hoc negotio *Atomistam* esse, quam aut *Thomistam* aut *Aristotelicum*. Certior ex hoc *Continui Labyrintho* & ad veritatem tutior dux erit *Democritus* quam *Aristoteles*, cujus sententia tam est hîc intricata, & explicatu, nedum defensu, tam difficilis, ut veteres omnes & recentiores hîc naufragium faciant, dum ei veluti saxo adhæresunt, à qua recedere, etiam cum errat, piaculum ipsis est. Operæ pretium est quatuor recentiorum ex *Aristotelicis* hic mancipiis deponere querelas. *Materia de compositione Continui talis est, ut eam*, inquit Hurradus de Mendoza disput. Phys. 15. sect. 1. *nullus non exhorrescat Philosophus, quia ejus difficultates opprimunt ingenium humanum.* Arriaga Disp. Phys. 16. *Devenimus in materiam totius Philosophiæ difficillimam: sed vel inde solatium est, quia communis est omnibus difficultas, nec ullus sese non fatetur tantæ difficultatis pondere oppressum, ut humani ingenii superbia humiliaretur, tenuitatemque suam agnosceret, cum nec unius paleæ valeat compositionem recipere.* Franciscus le Rees Disp. 3. in Phys. de Continuo. *Moneo nos in eam naturæ caliginem descendere, in qua vix affulgeat Pharus rationis: hic Scyllas incurrimus & Charybdes, eorum etiam infames naufragiis, qui multis retro seculis sapientiæ nomine claruerunt.* Oviedo. Controvers. 17. Phys. *Aggredimur continui compositionem, cujus hucusque non superata difficultas omnium Doctorum male ingenia vexavit, neque ullus fuit, qui illam non pene insuperabilem agnoscat. Hanc plerique terminorum obscuritate, illorumque replicatis & implicatis distinctionibus & subdistinctionibus, obtenebrant, ne aperte capiantur, desperantes, rem posse alio modo tractari, neque rationis lucem sustinere, sed necessario confusionis tenebris obtegendam, ne argumentorum evidentia detegatur.*

II. Verumenimvero non terremur objectis larvis, & quam negat explicationem *compositionis continui, Aristotelis* Peripatus, suppeditabit *Zenonis* porticus ac *Democriti* puteus, unde veritatem eruemus, secuti filum *Patritii, Bassonis, Berigardi, Magneni*, aliorumque

supra

ſupra vulgus Philoſophorum. Eſto igitur hæc noſtra aſſertio. *Continuum ex ſolis componitur indiviſibilibus, finitis, & unitis.* Quemadmodum ex unitatibus continuo accumulatis fit numerus; ex pluribus acervis reſultat arena major, ita ex pluribus indiviſibilibus unitis fit continuum: ſicut autem unitates & arenæ ſunt in ſe finitæ, licet nobis indefinitæ, ita & indiviſibilia continuum componentia ſunt in ſe finita, licet nobis indefinita. *Probatur aſſertio.* 1. Si continuum non componeretur ex indiviſibilibus finitis, haberet partes in infinitum diviſibiles, ita ut, facta qualibet diviſione, reſtarent aliæ & aliæ ſine termino; Sed hoc eſt abſurdum: Ergo & illud. *Probatur minor.* Datis partibus in continuo infinite diviſibilibus, dabitur in quantitate etiam minima infinitum ſimpliciter, quia continui diviſio nunquam exhaurietur. Atqui hoc eſt abſurdum. Ergo & illud. *Probatur minor.* Quia tunc nulla magnitudo revera pertranſiri poſſet per motum localem: Nam, antequam tranſeatur totum, debet tranſiri dimidium, & ante illud, dimidii dimidium, & ſic conſequenter in infinitum: infinitum autem pertranſiri nequit, imo vero nulla ratione per creationem aut generationem produci poteſt: adeoque, qui *continuum componi ex partibus in infinitum diviſibilibus* aſſerunt, non ſolum motum & tempus infinitum, ſed materiam etiam primam omnium corporum eſſe ingenerabilem & incorruptibilem, adeoque mundum eſſe ab æterno, ut aſſerant, neceſſe eſt. Certe, quicquid creatum eſt, pertranſitum, comprehenſum, & tranſactum eſt à creatore: ideoque partes infinitas in ſe non habet, ex quibus vel componi, vel in quas dividi poſſet, quia illæ pertranſiri non poſſent.

III. 2. Ex infinitate inſuper partium continui, illud vel componentium vel dividentium, ſequitur ex hiſce duobus alterum; aut infinitum unum eſſe majus altero, aut partem toti eſſe æqualem. Totum autem eſt majus dimidio; & cum utrumque in ſeſe partes contineat infinitas, unum infinitum, ſc. totum, erit majus infinito altero, ſc. dimidio; aut eidem erit æquale, & ſic parti totum æquabitur. Quin etiam in quantitate, nec parvum aut magnum, nec majus aut minus, dabitur: nam magnum dicitur, quod multas vel plures partes habet, parvum autem, quod paucas vel minores. At ſi omne continuum habet infinitas partes, unum non haber plures partes quam alterum: Si enim fieri poſſet, ut pluta numero infinita forent una, illa haud dubio inter ſeſe æqualia forent. Imo vero non dimidium ſolum tori, ſed corpuſculum vel pulviſculus roti mundo æquabitur. Aut enim pulviſculus in tot numero partes dividi poteſt in quot mundus univerſus, aut non poteſt: ſi poteſt, cum ſint ejuſdem multitudinis, erunt etiam ejuſdem magnitudinis & molis, quæ ex totidem numero partibus componentur & coaleſcent, ac conſtabunt: in utroque enim ſubdividendo nunquam pervenitur ad finem, ex ſententia *Peripateticorum:* ſi non poteſt, ut revera non poteſt; ergo in diviſione grani citius ad finem pervenio, quam in diviſione mundi. Atqui hoc fieri non poſſet, ſi utrumque ex partibus conſtaret infinitis & in infinitum diviſibilibus. Præter hæc omnia, in infinito, partes cogitare vel totum, duplum vel dimidium, eſt monſtro ſimile.

IV. Excipiunt *Adverſarii, Continuum non habere partes ſimpliciter infinitas, ſed ſecundum quid, non categorematice, ſed ſyncategorematice, non æquales, ſed proportionales, communicantes, aliquotas*; &, *diviſionem continui ſemper debere fieri proportionaliter, ut (ſi loquamur de dimidio & duplo) linea pedalis & bipedalis, corpus dimidium & totum, in infinitas partes utrobique dividatur, & in infinitum ſubdividatur, ſed ita, ut linea bipedalis ſemper dividatur per partes majores, pedalis vero per partes minores, & ut corpus totum continuum cum dimidio dividatur in partes infinitas, ita ut diviſio totius procedat per partes duplo majores, diviſio dimidii per partes duplo minores vel dimidiatas.* Hac reſponſione argumento noſtro ſatisfactum exiſtimant: ſed vero effugium eſt merum, quod præter verba obſcura, nihil in ſe habet aut continet; quod ſic porro oſtendimus.

V. §. 1. Facta diviſione continui in partes ſub hac proportione, propter quam dicuntur proportionales, in fine unius horæ mane-

manebunt infinite diviſæ, & æquales cum illa parte, quæ divideretur poſt infinitas diviſiones: quis hinc non videt extiturum infinitum ſimpliciter, quo nihil eſt abſurdius. Et, licet illæ partes continui diviſæ non facerent infinitum ſimpliciter in magnitudine, facerent tamen in multitudine, quod æque eſt abſurdum: nam cuilibet illarum partium proportionalium correſpondere poteſt unus numerus realis, ſunt enim illæ partes reales: non enim continuum componitur ex partibus rationis: cum itaque proportionales illæ partes ſint infinitæ, & infiniti numeri illis reſpondebunt: adeoque dabitur numerus ſimpliciter infinitus, quod eſt abſurdum.

VI. §. 2. Exceptio illa adverſariorum petit τὸ ἐν ἀρχῇ. De hoc enim quæritur; Ecquid in totius & dimidii diviſione, tot vices ſubdiviſionum, ſi non actu & categorematice, ſaltem potentia & ſyncategorematice, dentur in dimidio, quot dantur in toto, obſervata illa continua diviſione proportionali, quam exigunt. Ipſi ſane affirmare coguntur, tot vicibus dimidium proportione dimidiata poſſe dividi, quot vicibus totum eadem proportione dimidiata ſubdividitur. At hoc ipſum nego, ac pernego, & dico eſſe falſiſſimum. Quin affirmo, eo nomine totum aliquid dici reſpectu dimidii, quod duplo plures in ſe partes habeat quam dimidium, &, quod ob id una etiam vice ſæpius aut amplius ſubdiviſionem admittat, quam dimidium, ex natura proportionalis diviſionis, vel quod totum duplo plures vices ſubdiviſionum admittat, quam dimidium, cum in ſe duo dimidia contineat, quorum utrumque in tot partes dividi poteſt, in quot unum dimidium ſeorſim ſumtum. Quod ut evidentius cognoſcatur, ad numeros revocetur. Ponamus duo corpuſcula inæqualia, unum duplum, alterum dimidium, &, quia omnia in certo numero & menſura ſunt condita, &, horum unum alterius duplum ponitur, attribuamus utrique certos proportionatos numeros. Sit duplum partium indiviſibilium 8192. dimidium 4096. jam faciant periculum *Adverſarii* proportionali illa ſua & dupla diviſione in utroque, an dimidium tot vices ſubdiviſionum admittat, quot totum: deprehendent, quod totus numerus dimidium unica vice ſubdiviſionum ſuperet, hoc eſt, quod dimidio major ſit ſuo dimidio: nam in utroque numero totum admittit quatuordecim vices ſubdiviſionum proportionalium duplarum, dimidium vero tantum tredecim: quod comperiet, qui utriuſque ſubdiviſiones proportionales inſtituerit. At infinitum infinito nec majus eſt nec minus. Ergo ne quidem hoc χρησφύγετον partium proportionalium & non æqualium Adverſarios juverit.

VII. Sed miſſis *Adverſariorum* exceptionibus, ulterius probemus, Continui ex partibus indiviſibilibus finitis Compoſitionem. 3. Quia alioqui ſequeretur, quodliber punctum terminarivum continui immediate terminare partes infinitas ejuſdem continui. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo & illud. Probatur conſequentia Majoris. Quia, vel illa pars, quam terminat punctum, eſt diviſibilis, vel indiviſibilis; ſi indiviſibilis, habemus intentum: ſi diviſibilis, poteſt dividi in partes infinitas: ergo punctum rangit id, quod habet partes infinitas. Atque idem poteſt fieri argumentum, de quoliber puncto continuativo ſeu copulativo. Ad hoc argumentum duo excipi poſſunt ab *Adverſariis*. 1. *Vnum indiviſibile non poſſe terminare aliud immediate.* 2. *Non dari in continuo indiviſibilia realia copulativa & terminativa.*

VIII. Ad 1. Reſp. Quod unum indiviſibile poſſit aliud terminare ac tangere immediate. Rogant *Adverſarii*. Vel *ſecundum ſe totum tangit, vel non. Si non, ergo indiviſibile habebit diviſibilitatem: ſi ſic, primum indiviſibile penetrabitur cum ſecundo, eique adæquabitur; nec poterit facere majus continuum, quia indiviſibile additum indiviſibili non facit majus.* Reſp. primum indiviſibile tangit ſecundum ſe toto; neque tamen ſequitur, dari penetrationem utriuſque invicem, quia ad illud, ut unum punctum tangar aliud, ſufficit unum alteri eſſe unitum vel continuum. Quod ex motu Sphæræ ſupra planum liquet: &, cum aliunde ex noſtra ſententia non dentur partes diviſibiles, cenſetur unum tangere alterum ſecundum ſe totum, non tamen eſt intra illud,

quod tangit, penetrando, sed extra illud: sicut enim una superficies, licet aliam totam tangat, non penetrat aliam (alioquin non gemina superficies aut quantitas foret sed una) ita unum punctum, licet immediate alterum tangat, non tamen penetrat illud. Quod addunt, *indivisibile additum indivisibili non facere majus, ideoque ex uno puncto, quod additur alteri puncto non posse continuum resultare majus*; Resp. Quemadmodum unitas una (quæ est quoddam indivisibile, nam una unitas dividi amplius nequit) addita alteri unitati facit majorem numerum, quidni unum indivisibile quantitatis continuæ additum alteri faciat majus continuum? sicuti materia & forma, quamvis non sint totum Physicum, faciunt tamen totum Physicum.

IX. Ad 2. Resp. 1. *dari indivisibilia in continuo realia*, facile probari potest; quia continuum est ens reale: si igitur ex indivisibilibus constet, ut est evictum, oportet ipsa esse realia: ens enim reale, non potest componi ex entibus non realibus. 2. *Dari indivisibilia realia, copulantia*, facile etiam probatur, quia omne continuum dicit partium copulationem & unionem: partes vero debent medio aliquo uniri ac termino aliquo copulari: sed hic terminus copulans non est aliquid divisibile: nam sic etiam esset continuus, nam omne divisibile est continuum: ac proinde alio iterum termino copularentur ejus partes; qui terminus si itetum sit divisibilis; iterum quoque est continuus, & sic daretur progressus in infinitum. Et si terminus, copulans continui partes, foret divisibilis, non esset simpliciter communis, sed tantum secundum unam partem communicaretur uni, & secundum alteram partem alteri. 3. *Dari indivisibilia, terminantia*, facile constat: si enim continuum constet ex indivisibilibus, ut est probatum, ultima indivisibilia dicentur optime terminativa continui, quia per illa terminatur seu finitur continuum.

X. Et sic satis probatum est, *Continuum componi ex indivisibilibus unitis*, restat ut probemus, *ea quoque esse finita*. 1. Si ipsum continuum sit simpliciter finitum, non possunt esse infinita indivisibilia, quæ illud componunt, si enim indivisibilia componentia sint infinita simpliciter, & ipsum continuum erit infinitum simpliciter; quod est absurdum. 2. Si in continuo detur pars media, Ergo partes continui sunt finitæ: At indivisibilia sunt partes continui componentes, ut liquet ex antedictis. Major probatur, quia inter partes infinitas non potest assignari medium: nam habere medium est proprietas rei finitæ, sicuti & habere primum atque ultimum. 3. Quælibet pars continui constat ex partibus finitis: ergo omnes partes sunt finitæ: quælibet pars influit in suum continuum: non potest vero influere per partes infinitas: ergo quælibet pars continui constat ex finitis. Ergo totum quoque continuum ex partibus seu indivisibilibus finitis, quod erat demonstrandum. Objectiones in conflictu solvemus.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX

Disputationum quarundam pauciſſimarum, IN COLLEGIO ORDINUM THEOLOGICO DISPUTATARUM.

DISPUTATIONIS PHILOSOPHICÆ DE ATOMIS,

THESIS I.

INcidit non ita pridem in manus meas *Philoſophi ac Medici Ticinenſis Ioh Chryſoſt. Magneni Liber de Atomis*, *Democritus reviviſcens*, quem aviditſime ſtatim perlegi, quod veritatem, in *Abderita Democriti* puteo hactenus abditam ac latitantem, cum ipſo revivi-ſcente renaſcituram quoque ſperarem: nec fefellit me ſpes mea. Quippe ita aſſertam deprehendi de *Atomis* ab illo viro doctrinam ac ſolidis rationibus ſtabilitam, ut meum circa *Atomis* jam à multo tempore fluctuantem animum, ab iſtis dubitationum fluctibus, nonnihil liberaverit: inveni enim graviſſimas ac maximè arduas difficultates, quas adverſum *Atomos* conceperam, ab illo ſolutas: Quia tamen alii fortaſſe alias adhuc animo ſuo fovent, placuit publicâ hâc de *Atomis* inſtitutâ velitatione unumquemque, ad placidam earum propoſitionem & adverſus *Atomos* oppoſitionem, humaniter invitare.

II. *Atomus* vox Græca eſt, ex *α* privativâ particulâ & *τέμνω ſeco*, derivata, quaſi dicas, *inſectile:* nonnulli volunt deduci ab *ἄτμος fumus, vapor, flatus*, quia in vaporum ac fumi particulas abeunt corpora, cum in ſua principia, quæ Atomos eſſe probabimus, reſolvuntur: ſed prior etymologia eſt receptior. Significat vero *Atomus*, corpuſculum tantæ parvitatis ut nullatenus dividi poſſit, &, ſi ad elementa corporum naturalium refetatur, eorum particulam indiviſibilem: differt à puncto Mathematico, quod hujus nulla ſit pars, nec intrinſeca nec per deſignationem, neque ullo modo concipi poſſit ulla dimenſione præditum, adeoque quod & Phyſice & Mathematice eſt indiviſibile: *Atomus* vero ſuas habet dimenſiones & virtualitates correſpondentes ſpatio, ſed cum perfectâ indiviſibilitate; figuram ſuam habet, talem ut ejus tamen vi nequeat dividi: indiviſibilis eſt, ſi non Mathematicè, Phyſicè ſaltem. Ex talibus *Atomis*, ſive corpuſculis finitis numero, inter ſeſe diſtinctis, certæ & determinatæ figuræ, omnia conſtare corpora naturalia, demonſtrabimus; non quod omnia fortuito *Atomorum* confluxu coaluerint, quæ inſania fuit quorundam Gentilium, ſed quod *Deus Opt. Max.* creando, ex *Atomis* omnia, hunc mundum, & quæ in eo ſunt, corpora, compoſuerit, & ſic porro, atomorum *συγκρίσει* ac concretione, corporum naturalem generationem, earundem *διακρίσει* & diſcretione eorundem naturalem corruptionem fieri voluerit: quemadmodum, ex 24. litteris variè coëuntibus, omnis dictionum varietas exiſtit, & in eas omnes dictiones reſolvuntur.

III. *Atomos* deſcribunt nonnulli, corpuſcula, quæ ob nimiam parvitatem dividi amplius nequeunt, & ſingula oculis cerni non poſſunt, conjuncta poſſunt. Alii, eſſe effluvia minutiſſima, ob ſummam parvitatem individua, actionum & paſſionum in rebus naturalibus

turalibus causas: *effluvium* vocant, corpus naturale ex terris, & aquis potissimum, virtute siderum extractum, varias sustinens impressiones; faciuntque illud, simplex, atomum, & mixtum, vel fumum vel vaporem. *Magnenus*, cujus fecimus mentionem & vestigia prememus, *Atomum* definit, Materialis Physicæque extensionis radicem & initium: ut enim, *inquit*, quantitatis discretæ radix est unitas, lineæ Mathematicæ principium est punctum, sic etiam Physicæ & sensibilis continuitatis origo & principium est atomus: antequam verò definitionem suam per partes explicet, duo notat: 1. Dari quædam entia, quæ nullo modo dividi possunt, ne per intellectum quidem. 2. Dari entia quædam intrinsecè indivisibilia, extrinsecè verò penes designationem, vel commensurationem, quam habent ad aliquid aliud, esse divisibilia, quomodo Angelus definitur spatio divisibili, & Anima corpore suo, in quo est: quam vocat *divisibilitatem Mathematicam* oppositè ad *Physicam*, quæ partium unionem reipsa solvit. Quod utrumque sedulò notandum, ad naturam Atomorum penitius intelligendam, quæ cum dicuntur σώματα ἀδιαίρετα, corpora indivisibilia, intelligenda est *indivisibilitas Physica*, quia scil. natura in resolutione corporum naturalium ultra atomos non progreditur, sicut & ab aliis corpora naturalia exordium sumunt in sui ortu. Hinc obiter liquet, quam ineptè contra *Democritum* disputaverit & *Veteres Physicos 6. Phys. Aristoteles*, non Physicè sed Mathematicè, ac committendo μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος. Non de *Mathematicâ* sed de *Physicâ* indivisibilitate, non de ea quæ mente, sed quæ re & opere fit, divisione, loquebantur *Veteres*, cum de *Atomis* philosopharentur. Physica non ferant confundenda cum Mathematicis: sunt sui Physicæ fines, & sui Mathematicæ. Sed ad *Magnenum* redeamus. Definivit Atomum, *radicem & initium extensionis, materialis & Physicæ: Materialis*, ut definitio omnibus atomis conveniret, & accidentalibus: *Physicæ*, quia atomus una, etsi habeat suas dimensiones, non tamen facit continuum Physicum, sed tantum Mathematicum, neque enim sub sensum cadit. Sed hæc *Atomorum definitio*, & aliæ clarius ex earum divisione & classibus innotescent. Nunc *dari Atomos*, authoritate *Philosophorum*, quâ *Veterum*, *Mochi Phœnicii*, qui ante Trojæ excidium vixit, *Empedoclis*, *Leucippi*, *Zenonis*, *Anaxagoræ*, *Epicuri*, *Protagoræ*, *Platonis*, *Hippocratis*, *Democriti*; quâ *Recentiorum*, *Patritii in pancosmiæ lib. 2. Scaligeri Exercit. 101. Bassonis lib. 1. Phil. Nat. Sennerti in Hypomnematibus & de Consens. Chym. Gorlæi exercit. Philos. 13. Schafn. Phys. Gen. l. 2. c. 1. Sperlingeri Phys. l. 5. c. 2. Berigardi in Circulo Pisano 8. Magneni in Democrito redivivo per totum*, *Aquilonii Opt. l. 5. def. 5. & Prosp. 2. &c.* confirmari posset, sed verò *ratione* agemus & *experientiâ* cujus utriusque in probando major est quam *authoritatis humanæ* efficacia; quâ adductâ utrâque, Atomorum species persequemur, atque earum doctrinam non tam horridam esse, quam vulgò habetur, nec deliraſſe *Epicurum*, nec insaniviſſe *Democritum*, ostendemus.

IV. *Ratio*, quæ Atomos probat, accipi potest ab axiomate communi, quod ab infinito abhorreat natura: modus ergo aliquis datur in corporibus naturalibus dividendis, ut ulterius dividundo abiri nequeat. Sic argumentamur. Quicquid non potest realiter dividi in partes minores, illud est atomus. Atqui corpus minimum in naturâ realiter in partes minores dividi nequit. Ergo corpus minimum in natura est Atomus. Major est manifesta: nam divisibile est, quod potest dividi in partes: quæ necessario sunt minores toto dividendo: ergo quod non potest realiter dividi in partes, quæ sint ipso minores, illud sit indivisibile oportet, atque est & dicitur Atomus. Minor probatur: sc. dandum esse aliquod corpus minimum in natura: quia alioqui daretur progressus in infinitum: dabitur enim semper quovis minore minus. Quæro v. c. an granum salis sit minimum, ita ut non sit minus eo? si affirmes, habeo quod volo; dari corpus indivisibile in naturâ: si neges, necesse est, ut des aliquid minus, in quod resolvi possit granum salis. De illo minore iterum quæro, an sit minimum, an vero dari possit adhuc minus? si dicas; adhuc aliquid esse minus,

minus, mox redibit quæstio, an illud minus adhuc habeat minus? quod si affirmes, iterum redibit quæstio, & sic in infinitum, nisi tandem subsistas in aliquo minimo, quod ulterius dividi nequit. Sic dividat natura arborem, vel aquæ aut terræ alicujus partem centies millies, tandem tamen desistet, ne infinitas partes quærendo infinitas ludat operas.

V. *Experientia* tam multiplex Atomos evincit, tum variæ conditionis, ut ex divitis naturæ pleno copiæ cornu, quæ prima, quæ secunda proferri in medium debeat, vix constet. Pulvis, qui vestibus, libris, parietibus, aliisque nonnunquam adhæret, quomodo istuc delatus est? non ex nihilo, neque semper visibiliter: sed non rarò, sub atomorum specie, sub minimâ quantitate, quæ omnem fugit visum, corporibus allabitur: unde particulæ, quæ disjunctæ videri non poterant, conjunctæ videntur: sic cum idem pulvis ex libris, vestibus, parietibus ejicitur, non annihilatur, sed in aëre, quoad substantiam suam, quoad minima sui, ramdiu hæret, donec iterum corporibus obviis adhæreat, & sese magis magisque conjungat, ac de novo sub visum cadat. Minima hæc corpuscula per aërem volitantia, quid nisi atomi sunt? Farinam & calcem in innumeras atomorum Myriades dispergi, quis neget? Quot quotidie vapores ex terris & aquis egrediuntur, & nunc nebulam, nunc rorem, nunc pruinam, nunc nubem, &c. generant? at raro crassi & visibiles, sæpius tenues & invisibiles sunt; & quid hi, nisi aliquot atomorum millia? Cepas qui dissecant, morsus sentiunt oculorum; non ob qualitatem de subjecto in subjectum migrantem, sed ob subtilissima & minutissima corpora ex cepis egressa, & oculos ferientia. Canes vestigia heri à vestigiis peregrini discernunt: unde hoc? non ob aërem alteratum, sed ob minima effluvia ex heri & peregrini corporibus exhalantia & aëre contenta. Halitus, qui ex ore egreditur, non annihilatur, sed in minimas particulas, quæ fugiunt visum, disgregatur. Et quoties venenum invisibiliter sub atomorum specie sumitur, miraque & miseras mutationes corporibus infert? Videmus arbores & plantas crevisse; non item crescere, nec videmus istas partes, quibus crescunt, quas non nisi atomos esse verisimillimum est. Sed infinitum foret omnes adducere experientias: quare per classes incedamus elementorum, eorumque atomos inspiciamus.

VI. *Igneas atomos* probat ignis, modo insensibili permistus aëri rebusque aliis, atque ibi sæpe est, ubi nec urit, nec lucet, in fumo, ligno, lapide, & centenis aliis. At quomodo? non per essentiæ suæ remissionem, fictiriam planè. Est enim essentia ejus, ut omnis rei, in indivisibili posita, cui nihil addi, nihil demi potest: non per caloris sui separationem: quia propria separari nequeunt à subjectis: sed per solam sui dispersionem, in minima, in invisibilia, in indivisibilia: hæc æstum pariunt, æstate in aëre, hyeme in hypocausto. Quid manum immissam in calidam ac ferventem aquam calefacit & adurit? non nudus calor, sed calor in & cum atomis igneis, per totam aquam dispersis. Quin floccos, telas aranearum, & pulverem, in fornace calente movet? Calor, *dices*. Sed Accidens est. Quodnam est subjectum, cui inest? Atomi sc. igneæ per poros tegularum dispersæ: hæ, cum levissima illa corpora tangunt, motum istum præstant & turbas cient.

VII. *Aëreas atomos* probat aër, qui invisibili modo corporibus, maximam partem porosis, inest, & poros insensibiliter implet, &, in muris, parietibus, januis, mediâque montium altitudine, aër est: soni enim per corpora ista meant ac remeant: at sonus sine aëre non est: non tamen aër ibi est, multum congregatus, sed vero dissipatus in minima sua: alioquin aditum negarent ei densa illa corpora. Baculum siccum, in extremitate, qui una tangit manu, altera admovet auri, sonum percipit, ob indivisibilia aërea inclusa baculo: Dolium vino aut cerevisiâ repletum infernè si perforetur, & supernè obturetur, non quidem impetu primo uberrim effluit humor, aëre locum effluentis humoris occupaturo non præsente: sed statim atque atomi aëreæ lignum permearunt, subinde magis & magis humor profluit & prorui. Metalla

quoque sonora, non aliam ob causam sonant resonantque, quam per atomos aëreas latitantes in potis.

VIII. *Atomos aqueas* probant pluviæ, quæ cum vel cecidere vel cadunt, ægrè faciunt claudi januas, ægrius aperiri: unde hoc, nisi quod atomi aqueæ intraverint lignum? Eadem causa est, quod dolia, quæ in aëre sicco rimosa fiunt, humido aëri commissa, rimas amittant. Sic ligna libero exposita aëri sæpe graviora fiunt, quam erant prius, non ob augmentum, quod ceperint, sed ob atomorum aquearum ingressum. Ova, poma, carnes, canthari, aliaque hyberno tempore in calidum conclave relata, sudant largiter. Unde hoc? quia, *inquiunt*, frigus exit. At quomodo egreditur frigus? non absque substantia & subjecto suo aquâ. Quomodo ergo fuit ingressum? itidem non absque subjecto. Nec tamen quisquam vidit, aquam intrare ova, poma, carnes, cantharos: intravit tamen frigus: quomodo? non nisi in & cum suis atomis aqueis. Sic, remittente frigore cum regelat, ex turribus & ædium parietibus videmus niveum quid egredi. Vulgus frigoris egressum vocat: at quomodo fuit ingressum, cum id nemo oculis notaverit? non nisi per atomos aqueas.

IX. *Terreas atomos* probant stiriæ, quæ thermis, & tophi, qui canalibus accrescunt, & docent clarè in tam limpidâ & clarâ aquâ partes & atomos terrestres latuisse: quia in limpidissimis ad visum undis, atomi terrestres, quæ non cernuntur quamdiu per aquam sunt dispersæ, visui sese sistunt, cum fundum innatâ gravitate petierunt: &, quare lintea alba, pluviali commaculantur aquâ, nunc plus, nunc minus, nisi quia vel plures vel pauciores in eâ continentur atomi terreæ? Sed satis de *Elementorum atomis*, quas imprimis *operationes chymicæ*, imprimis sublimatio, ubi atomi illæ colliguntur in alembico, ex sulphure, sale, Mercurio, &c. de quibus consuli potest *Sennertus, de Chym. consens. c.* 12. *& hypomn.* 3.

X. Nunc atomorum *species* proponamus, quod postremum fuit hujus disputationis caput. *Atomus* alia est *substantialis*, alia *accidentalis*. *Accidentalis* est, vel *absoluta*, vel *modalis*. *Substantialis* est, vel *elementaris*, vel *non elementaris*. *Elementaris* est *ignea*, *aërea*, *aquea*, *terrea*. *Non elementaris* ad certas classes reduci vix potest. Atomis hisce omnibus insunt *proprietates*, quædam *communes* omnibus, quædam *propriæ* singulis. *Communes* omnibus sunt, *mobilitas*, *sympathia*, *quantitas*. Aëreis est insita unionis fuga: igneis aliisque communis est amor sanctumque fœdus. *Propria* singulis est, qualitas, figura, ordo. Quæ omnia exactissimè explicat cit. *Magnenus de Atom. Disp.* 2. *c.* 2. *& seq.*

DISPUTATIONIS PHILOSOPHICÆ CONTRA QUATERNARIUM ELEMENTORUM NUMERUM,

PARS PRIOR.

THESIS I.

RECepta quidem à multis nunc est seculis atque etiamnum hodie sententia, quatuor dari corporum naturalium elementa: Ignem, Aërem, Aquam, Terram. Verumenimvero multi, ante & post *Aristotelem*, hunc quaternarium elementorum numerum in dubium traxere. Veterum ante *Aristotelem* sententias videre est apud *Patritium l.* 22. *Pancosmias*. Recentiores sunt quam plurimi, idem *Patritius*, *Cardanus*, *Freigius*, *Basso*, *Danæus*, *Timplerus*, *Casmannus*, *Bartholinus*, *Wendelinus*, *Vallesius*, *Gorlæus*, *Renerius*, & quis omnes enumeret? Sed nos authoritate non stabimus: verum

verum aliam ingredimur viam, ac nullius rationum momentis esse innixum numerum quaternarium elementorum ostendemus.

II. Argumentorum quidem pro elementorum numero quaternario certus non est ordo, sed promiscuus & arbitrarius, ac primum esto, petitum à quatuor qualitatibus, quas primas vocant. Sic argumentantur: *Quot sunt qualitates primæ tactiles, tot sunt elementa. At quatuor sunt qualitates primæ. Ergo & quatuor sunt elementa.* Verum hoc argumentum multis modis vacillat. 1. Ad *minorem* dicimus, quod gratis dicantur primæ qualitates illæ quatuor, quæ vulgò tales habentur: nam lux & figuræ non minus primæ dici merentur, quam quatuor vulgò sic dictæ; & dubitari potest, an non quatuor vulgò dictarum nonnullæ ex aliis oriantur; imo hoc à nonnullis asseritur. 2. Concessa *minore* demus esse quatuor, *ad majorem* dicimus, non statim sequi, illas esse assignandas totidem elementis: nam quid si calorem, soli, caloris omnis in hisce inferioribus fonti, assignemus, potius quam igni, corpori cuidam diaphano, sub lunâ posito, cujus nec ullus calor percipiatur, quo argumento nos refutabunt? & certè, non sequitur, quot sunt qualitates primæ, tot sunt elementa: sed hoc tantum: tot sunt vel esse possunt corpora, vel corporum naturalium genera, quibus hæ qualitates diversæ competunt: quæ corpora esse elementa, hactenus non est *probatum, nec esse hoc argumento* probatur.

III. Argumentum secundum esto. *Quot sunt legitimæ combinationes primarum qualitatum tactilium, tot sunt elementa. Sed quatuor sunt legitimæ combinationes qualitatum primarum tactilium. Ergo quatuor sunt elementa.* Majoris ratio est, *quia unumquodque elementum ex combinatione legitimâ primarum qualitatum resultat.* Minor probatur ex *Aristot. l. 2. de ortu & interitu, c. 3. una enim combinatio legitima est caliditatis cum siccitate, & illa constituit ignem: altera est caliditatis cum humiditate, & illa constituit aërem: tertia est frigiditatis cum humiditate, & illa constituit aquam: quarta est frigiditatis cum siccitate, & illa constituit terram: licet enim adhuc duæ aliæ combinationes sint reliquæ, una caliditatis cum frigiditate, altera humiditatis cum siccitate, quia tamen sunt illegitimæ, nullum certum elementum constituunt.* Resp. ad hoc argumentum multa dici possunt. 1. Nititur incerta hypothesi, dari tantum quatuor primas qualitates, vulgo sic habitas, ex quarum combinatione procedit. 2. Sumitur, non probatur, nullo modo calidum cum frigido, humidum cum sicco, posse combinari: Nam quidni calidum & frigidum, utrumque moderatè, & humidum & siccum, utrumque moderatè, possint combinari? multis non videntur esse impossibiles istæ combinationes: Ergo & possibile est, dari plura elementa quam quatuor. 3. Ad argumentum directè, negatur *major*, neque bene probatur. Nam non sequitur, Dantur quatuor combinationes qualitatum primarum, Ergo dantur quatuor elementa; sed hoc tantum, Ergo dantur quatuor corpora aut corporum naturalium genera quibus hæ combinationes tribui possunt. Agnovit hujus consequentiæ infirmitatem, ipse inter Peripateticos *Picolomineus, l. 2. de Gen. & Corr. p. 261. n. 3.* ubi dicit: *Considero tertio, quod hæc consecutio videtur carere necessitate: Complicationes non pugnantes sunt quatuor: Ergo quatuor sunt elementa, quia ex posse non potest inferri esse: pro solutione dico, quod revera Aristoteles non format hanc consequentiam, sed solum dicit, recta ratione respondere apparentibus simplicibus corporibus.*

IV. Argumentum tertium esto. *Quot concurrunt elementa ad constitutionem mixti, tot sunt: sed quatuor concurrunt.* Resp. *Minorem* nullo modo probari posse. Nam explicent, si possunt, quis sit ille motus futurus, quo ignis sub concavo Lunæ supra aërem constitutus ad mixtionem aut mixti constitutionem concurret? aut enim motu circulari descendet aut recto: non circulari, quia sic nec ad centrum nec à centro movetur, ideoque sic non potest pervenire ad locum mixtionis faciendæ: non recto; namque is, vel esset sursum, vel deorsum: non sursum; nam sic multò magis à mistione recederet: non deorsum, nam iste motus est contra ignis naturam, adeoque violentus: at nullum violentum est perpetuum:

petuum: hic tamen motus ignis elementaris deorsum ad mixtionem perpetuus esse deberet, quia perpetuò mista generantur. Except. 1. *Nullum violentum est perpetuum, nisi habeat causam perpetuantem, qualem habet ignis elementaris.* Resp. Dicere, quod violentum sit perpetuum, cum habet causam suæ perpetuitatis, est dicere, quod violentum sit perpetuum, cum datur violentum perpetuum. Except. 2. *Violentum opponitur naturali, vel sic, ut sit contrarium naturæ, vel, ut non quidem sit naturale, non tamen contra naturam, sed inter utrumque medium: posteriori modo motus ignis est violentus.* Resp. Omnis motus vel fit ab interno principio, & est naturalis, vel ab externo, & est violentus, id est, contra naturam: secundum genus violenti non agnoscunt Philosophi. Except. 3. *Kekkerm. l. 2. Syst. Physici c. 10. resp. ad 3. arg. Ignem ab initio fuisse concreatum corporibus mixtis & in iis manere perpetua corporum generatione: item aërem mutari in ignem: ideoque ignem elementarem esse, etsi non descendat, istoque descensu non esse opus.* Resp. hâc exceptione Kekkerm. vis argumenti tertii pro ignis elementaris existentiâ prorsus infringitur: nam si ignis per hæc inferiora dispersus corporum mistorum generationi sufficit, aut aër mutatus in ignem (quamvis hæc elementorum transmutatio substantialis non sine causâ à multis hodie negetur) quis quæso usus erit ignis sublunaris? Neque enim video, quare in hoc mundi amphitheatrum introducatur. Excipiunt ad hoc *Conimbric. l. 3. de cælo, art. 2. Defectam & mancam fore mundi universitatem.* Quasi vero mundus imperfectus sit, si careat igni sublunari, cujus nullus est usus in inferioribus, fatente *Kekkerm. Conimb.* regerunt, *esse usum:* dicunt enim *esse ad agendum maximè aptum elementum*, in quo abeunt *à Kekkermanno:* sed rogo *Conimbric.* quomodo corpus aliquod, cujus maximus est usus propter agendi aptitudinem, in eum à naturâ naturante locum est relegatum, unde naturæ naturatæ inservire non potest? nam hactenus inservit ei, quatenus corpora mixta constituit & mixtioni opitulatur, atque sic perficit universum: at quomodo constituet mixtum, opitulabitur mixtioni, perficiendo univetso inserviet, si ad locum, ubi fit mixtio, descendere non potest? at non potest, quod solutis omnibus exceptionibus ostendimus.

V. Argumentum quartum est. *Ex iisdem constamus, ex quibus nutrimur. At nutrimur ex quatuor potissimum elementis. Ergo ex iisdem constamus. Consequenter, dantur quatuor elementa.* Resp. Minor falsa est, & experientiæ & rationi contraria: Nam 1. mixtis corporibus nutrimur, non puris elementis. 2. Demus hoc, nos temote ali ex elementis: at inde non sequetur, dari quatuor elementa: potest hoc experientia comprobari. Exempli gratiâ: Nos alimur carne bubulâ: quæ cum sit corpus mixtum, videndum est, unde bos nutriatur. Bos alitur ex herbis tanquam cibo, putà gramine, & aqua tanquam potu: quare tantum duo restabunt elementa, aqua & terra: nam ipsæ herbæ, ut gramina, ex aqua & terra nutriuntur, quod rusticis satis est notum. Ignis elementaris, qui sub concavo lunæ constituitur vulgo, ne hauritur quidem à nobis aut ab ullo animanti: tantum abest, ut nutriat: aër hauritur à nobis aliisque ad cordis refrigerium, non ut in alimentum corporis cedat. Quare retorquemus argumentum κατὰ τὸ βέλτιον. Ex quibus non nutrimur, ex iisdem non constamus. Atqui non nutrimur quatuor elementis. Ergo non iisdem constamus. Consequenter quatuor elementa non sunt, vi hujus argumenti. Reliqua pro quaternario elementorum numero argumenta excutiet disputationis hujus pars altera.

Dispu-

DISPUTATIONIS PHILOSOPHICÆ CONTRA QUATERNARIUM ELEMENTORUM NUMERUM,

PARS SECUNDA.

THESIS I.

EXcussimus ac diluimus, quatuor pro quaternario numero elementorum argumenta, disputatione præmissâ: nunc reliqua excutere ac diluere est animus. Quintum esto. *Quot modis gravitas & levitas participatur ab elementis, tot sunt elementa. Atqui quatuor modis gravitas & levitas participatur ab elementis. Ergo quatuor sunt elementa.* Ratio majoris est, *quia unumquodque elementum participat aliquid de gravitate & levitate.* Minor probatur, *quia inter elementa, ignis in summo gradu participat levitatem, terra gravitatem, aër & aqua utrumq; in gradu remisso; ita tamen, ut aër magis participet de levitate quam de gravitate, aqua magis de gravitate quam de levitate.* Resp. Argumentum hoc, petitum à gravitatis & levitatis gradibus vel summis vel remissis, multis modis peccat. Nam 1. per συγχώρησιν, licet admitteremus in rerum naturâ aliqua corpora simplicia aliorum comparatione esse gravia aut levia, non statim sequitur illa esse elementa: 2. Per ἄρνησιν, illam gravitatem & levitatem participari diversis gradibus ab elementis, negamus: & hoc in minore ponitur ac supponitur potius quam probatur. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ· nam hoc est τὸ κεινόμενον, utrum sit ignis, qui participet summam levitatem; demonstrent prius elementarem existere, & tum demum levitatis participationem ei adscribant. 4. Peccatur falsa suppositione: nam hæc ὑπόθεσις quidem argumento substernitur, quasi darentur diversæ gravitatis & levitatis species, quam sententiam defendunt *Conimbr. l. 4. de cœlo, quæst. 1. art. 1.* At nos contrariam amplectimur, ut veriorem, cum *Ruvio l. 4. de cœlo c. 6. quæst. 1.* Itaque 5. κῷ τὸ βίαιον retorquemus hoc argumentum. Quotuplex est gravitas & levitas, tot sunt elementa. Atqui non quatuor aut bis binæ sunt species gravitatis & levitatis. Ergo nec quatuor aut bis bina sunt elementa.

II. Argumentum sextum esto. *In quot elementa mixtum resolvitur, tot sunt elementa. Sed in quatuor elementa mixtum resolvitur. Ergo.* Prob. minor. *Quia, quando pomum putrescit, cernimus quasdam partes instar aëris exhalare, quasdam instar aquæ humidæ in superficie hærere, crassas verò & terreas partes subsidere; denique calor etiam deprehenditur, qui ignem, à quo nascitur, arguit.* Resp. 1. per ἄρνησιν, ad Minorem. Falsum est, mixtum resolvi in quatuor elementa, neque probatur in putrefactione pomi allatâ: nam partes exhalantes non sunt aër, sed exhalatio putrida, & halitus: quod hæret in superficie, non aqua est, sed mixtus humor: quod subsidere dicitur, non terra est, sed ex terra mixtum, in quo prædominatur qualitas terrestris: calor, qui deprehenditur, non est elementaris, sed solaris, qui in maturandis pomis uti occupatus est, ita cernitur in eorum putrefactione, & qui, ob agendi efficaciam, ignis appellatur: imo calorem illum, qui in putrefactione deprehenditur, non egredi ex pomo, tanquam in quo dilituerit, sed tum primum in eo generari, cum putrescit, nonnulli, & verisimiliter, existimant: quod si verum fuerit, mixtum non in ignem resolvitur ut elementum, quia ille ignis aut calor igneus, cum extrinsecus adveniat, mixtum non constituit, unde nec in eum resolvitur: nam eadem sunt Resolutionis, quæ Constitutionis elementa: nec sequitur aërem, si ponamus eum egredi ex pomo putrescente, esse ejus elementum, ex quo constet, in quod resolvatur, quippe qui intra poros pomi potuit

tuit contineri, ut pomum nec ex eo constituatur, nec in eum resolvatur. Atque hinc Resp. 2. κατὰ τὸ βίαιον, retorquendo. In quot elementa mixtum resolvitur, tot sunt. At non resolvitur in quatuor elementa. Ergo non sunt quatuor.

III. Argumentum septimum, non tam pondere quam numero æstimandum, tale fere proponi solet. *Quot sunt Temperamenta mixtorum, humores primarii in corpore animalis, partes aut tempestates anni, orbis plagæ, ætates hominis, tot sunt elementa. Sed quatuor sunt temperamenta, humores in corpore animalis, partes anni, mundi plagæ, ætates hominis. Ergo tot sunt elementa.* Resp. peccari elencho parium: nam, ex analogia numeri in rebus istis ad numerum quaternarium elementorum argumentari, est inconsequens: nam si vis facienda sit in numero æquali rerum aliarum, ut nunc omittam binarium, cujus multa possent recenseri exempla: ternarium in omnibus fere rebus amâsse numerum videtur natura: an non supernaturale Trinitatis mysterium, quod tamen nihil ad naturam, ternario gaudet personarum numero? in naturæ sexu, mas est, fœmina, & hermaphroditus: principia rerum naturalium sunt tria, materia, forma, & privatio: sensibilia apud Chymicos principia pariter tria, Sal, Sulphur, & Mercurius: partes principes in homine tres, Cor, Cerebrum, & Jecur: Spiritus tres, animalis, vitalis, naturalis: eorum vasa seu canales tres, Nervi, Arteriæ, Venæ, &c. ut *Bartholinus* æque probabiliter contra quaternarium pro ternario elementorum numero ex hisce ac similibus exemplis sit argumentatus, *l. 4. c. 2. Enchirid. Phys.*

IV. Argumentum octavum: *Quatuor elementa significantur, byssô, purpurâ, hyacintho, cocco, quibus olim Sacerdotis summi vestimenta distinguebantur.* Sic enim *Hieron. Epist. 128. ad Fabiolam* docet. *Quatuor*, inquit, *colores ad quatuor elementa referuntur, ex quibus universa subsistunt, nam byssus terræ deputatur, quia ex terrâ gignitur, purpura mari, quia ex concheolis tingitur, hyacinthus aëri, propter coloris similitudinem, coccus igni, quod uterque rubeat.* Resp. 1. esse elenchum similium: nam, similia non probant sed illustrant. 2. Hieronymo ex Hieronymo reponimus, *Rhetoricati sumus & aliquid declamationibus dedimus.* Quod ut alibi, ita hîc verum esse deprehendimus. Alii quaternarium elementorum numerum *adumbratum* volunt *Ezech. 1. per quatuor rotas, quæ ad motum quatuor animalium movebantur.* Resp. per illas rotas, non quatuor elementa, sed quatuor plagas mundi, quæ à Deo per angelos gubernantur, fuisse adumbratas.

V. Nunc speciatim, quæ argumenta pro ignis elementaris (quem pro fictitio cerebri humani commento habemus) sub lunæ concavo constitutione proferri solent, pariter discutiamus. Primum esto. *Si datur elementum frigidissimum & gravissimum, ergo dabitur quoque elementum calidissimum & levissimum. Sed verum est prius. Ergo & posterius.* Probatur Consequentia, *quia contraria contrariorum sunt consequentia, positoque contrariorum uno ponitur & alterum.* Resp. 1. per συγχώρησιν, etsi frigus & gravitatem à corpore elementari fluere poneremus, non tamen inde sequitur contrarias qualitates, calorem & levitatem ab elemento aliquo necessariò fluere, sufficit si assignemus aliquod iis subjectum, cui merito vindicentur; & caloris subjectum solem dicimus: levitas non semper concomitatur calorem, cum dentur res leves minimè calidæ. 2. Ponitur tanquam certum, quod adhuc est τὸ κεκινόδυνον· nam quæstio est, an detur elementum in gradu intenso frigidissimum & gravissimum: nam multi ex philosophis negant qualitates elementares convenire elementis in gradu intenso: & ponatur hoc esse verum, quomodo poterit eadem qualitas, puta frigus, convenire duobus elementis in gradu intenso, puta aquæ & terræ? 3. Nec hoc verum est semper: posito uno contrariorum ponitur & alterum: nam datur summe bonum, sed non ideo etiam summe malum.

VI. Argumentum secundum. *Ignis est corpus omnium levissimum. Ergo supremum tenere debet locum, qui est sub concavo lunæ.* Resp. 1. peti τὸ ἐν ἀρχῇ, ignem esse, & esse aëre leviorem, adeoque omnium levissimum. 2. per ἄρνησιν, quod omnis ignis sit corpus levissimum: nam Aristoteles 5. Topic. tres ignis consti-

constituit species, Anthracen, Flammam, & Lucem: at quis ausit dicere Anthracen esse leviſſimum? 3. Laborat falsa illatione & inconsequentia; ac si ignis propter levitatem sub luna collocandus foret: cum tamen de elementorum situ non tam è gravitate & levitate, quam ex usu, cujus gratia in naturam sunt introducta, judicium ferri debeat: confirmant hanc responsionem *Conimb. l. 4. Phyſ. c. 5. quæſt. 3. art. 3. ad 3. Si elementa, ut peculiares ipsorum naturæ depoſcunt, collocata in mundo essent, debuisset terra aquis, aqua aëre undiquaque circumfundi & contegi: nunc vero aliter se res habet, sic divina providentia disponente, propter hominum imprimis, deinde brutorum animantium & stirpium, quæ in terra gignuntur, vitam & propagationem, &c.* vid. etiam *Scal. Exerc. 9. p. 46. 47. Valleſ. de S. Philoſophia, c. 1. p. 29. 30.*

VII. Argumentum tertium. *Ignis natura sua fertur supra aërem. Ergo locus ejus naturalis est supra aërem, ad quem tendit.* Resp. hoc argumentum non multum differt à priore, & ad illud Respondemus 1. per ἄρνησιν, negando, quod omnis ignis species feratur supra aërem, deinde is ignis, qui ponatur adscendere, supra totum tamen aërem eniti semper non valet, sed eousque, quousque materia sufficiens permittit. 2. Nulla hic est consequentia. Ascendit supra aërem, Ergo locus ejus naturalis est supra aërem: Nam pariter licebit mihi argumentari. Aves aëra secant adscenduntque suo volatu: & aquæ in vaporem resolutæ sursum feruntur in aërem: fumi omnes adscendunt ad aërem. Ergo omnium illorum locus est naturalis supra aërem sub concavo lunæ. Quæ hîc consequentia? Excipiunt *Conimb. l. 4. Phyſ. c. 5. quæſt. 3. p. 40. Videmus flammam ignis in Pyramidis figuram acuminatim conari aërem transcendere, nimirum, quia ignis ad Lunæ concavum nativam sedem habet.* Resp. 1. per exceptionem: Flammam adscendere, non qua ignis est; alioquin omnis adscenderet *(Quatenus enim ad de omni valet consequentia:)* sed quia mater ejus exhalatio scendit, prout quando mater descendit, & ipsa; & quando illa exhalatio oblique fertur, & flamma eodem motu fertur, sicut hoc multis exemplis illustrat *Patritius Tom. 4. diſcuſſ. Peripat. l. 7.* Sicut igitur non sequitur, Flamma descendit, E. ignis sphæra deorsum est. Flamma oblique fertur, E ignis sphæra oblique sita est: ita non licet inferre, Flamma adscendit, E. ignis sphæra sursum est. 2. Per συγχώρησιν· ponamus flammam semper adscendere, nunquam tamen supra aërem ignis sphæram contingere poterit, eritque ejus conatus semper frustraneus. Quare cum nulla argumenta, aut ignem elementarem existere convincant, aut quatuor esse mundi elementa solide adstruant, nihil restat, quam ut falsa opinione delusos existimemus Philosophos, qui hactenus & elementarem ignem & quatuor Mundi elementa asseruerint.

DISPUTATIONIS PHILOSOPHICÆ, CONTRA QUATERNARIUM ELEMENTORUM NUMERUM,

PARS TERTIA.

THESIS I.

EXpunximus ex elementorum albo atque una ex rerum natura *ignem* elementarem, fictitium plane cerebri humani commentum: nunc pariter *aërem* ex elementorum numero ejectum imus, non item ex rerum natura, quippe qui è medio si tollatur, actum foret de vita nostra & omnium animantium; nam sine aëre hausto nulla constat vita. *Aërem* itaque *existere* lubentes *damus*, esse *elementum pernegamus:* existere aërem in

corporibus mixtis docent corpora varia mixta, aquæ ſupernatantia, tum liquida, ut olea, tum ſolida, ut ligna: nam ex aëre exiſtente in mixtis levitas illa oritur, & fit, ut unum corpus mixtum ſit altero levius, prout ſcilicet fuerit rarius ac poroſius: aër enim poros implens, illud reddit levius: non tamen hinc ſequitur, aërem eſſe elementum, aut tanquam partem ingredi conſtitutionem mixti: quia iſta levitas major ac minor, ponderiſque in mixto inæqualitas, explicari poteſt per ſolam aëris intra poros corporum concluſionem, ut non exigat ejuſdem concurſum per modum partis ad eorundem conſtitutionem: & docet hoc experientia in veſica aëre diſtenta, aut in pila vitrea, quæ aëre plena aquæ ſupernatat: atque hinc ſic *argumentamur*. Quodcunque in poris mixtorum tantum continetur, illud non eſt pars mixti, multo minus elementum illud conſtituens. Atqui aër tantum continetur in poris mixti. Ergo. Major probatur: quia pori ipſi non ſunt partes mixti, ſed ſpatia quædam inter partes, ſic pars carnis non ſunt pori ejus, multo minus aër in poris exiſtens.

II. Sed *ſecundo probamus*, aërem non eſſe elementum nec conſtituere partem mixti. Quodcunque non poteſt cohærere, nec unum continuum fieri, cum corporibus craſſioribus, terra & aqua, id non eſt pars mixti, nec elementum. Atqui aër non poteſt cohærere, nec unum continuum fieri, cum terra & aqua. Ergo. Minoris ratio, quia aër eſt corpus nimis tenue & fluidum, unde, ubicunque eſt, poros efficit, in quibus ſit, quos repleat. Atque hæc eadem cauſa eſt, cur ex aëre, nec nutriamur, nec conſtemus, quia pars nequit fieri corporis noſtri craſſi & denſi. *Dices*; ſi aër non ſit elementum, nec pars mixti, nec eo nutriamur, nec conſtemus, videbitur inutilis aut minus ſaltem neceſſaria pars univerſi. Reſp. *non ſequi hoc:* nam nihilominus utilis ac neceſſaria univerſi pars eſt, 1. Quia vehiculum eſt influentiarum cœleſtium in terram, aquam, & mixta, ſine quibus nec meteora, nec mineralia, nec plantæ, nec animalia generarentur. 2. Quia eſt locus & receptaculum generationis meteorum. 3. Quia motu ſuo putrefactionem multorum corporum impedit. 4. Quia reſpirationi animalium ita neceſſarius eſt, ut ſine eo animalia præcipua ſuffocarentur: atque hinc liquet, cur, licet aëre non nutriamur, eum nihilominus attrahamus, nimirum ut ſuo frigore temperet calorem cordis noſtri, quod facillime alioquin ſuffocaretur, & ut fuligines vaporeſque excrementitii cum aëre expirato una ejiciantur: ideoque novus ſemper debet inſpirari, quia, qui aliquantiſper fuit retentus, ſtatim calore cordis eſt calefactus. *Dices:* per venenatum aërem hauſtum morbi contrahuntur, ergo aër nutrit. Reſp. *Non ſequitur:* neque enim hoc fit, quod aër nutriat, ſed quia, vel venenati in aëre vapores una attrahuntur, vel aër parvas ſuas, quas contraxit, qualitates intus corpori noſtro imprimit, quando inſpiratus eſt. Et hæc cauſa quoque eſt, quod plantæ melius creſcant in aëre temperato, quam in alio, non quia aëre nutriantur, ſed quia, cum minus creſcunt, pravi in aëre vapores illas contingunt, vel aër intempetatas qualitates illis communicat.

III. *Argumentum tertium.* Si aër ſit unum continuum cum cœlo corpus, non eſt elementum: nam cœlum & elementa apud omnes omnino Philoſophos diſtinguuntur. Atqui verum eſt prius. Ergo & poſterius. Minor probatur. Si aër & cœlum ſint duo diſcontinua corpora, different etiam tenuitate, raritate, ſubtilitate, aliiſque qualitatibus, conſtituentque diverſa diaphana. Atqui hoc eſt abſurdum. Ergo & illud. Probatur Minor. Si cœlum & aër diverſæ tenuitatis, raritatis, ſubtilitatis, conſtituant diverſa diaphana; ergo, *primum*, Siderum refractio ab horizonte uſque ad ipſum verticem durabit, contra quam docent Mathematici atque Optici, qui eam ultra triceſimum altitudinis gradum non excurrere aſſerunt: *deinde*, iſta diverſa diaphana diverſo modo tranſmittent ad oculum noſtrum ſtellarum viſarum imagines; nam cum primum medium, cœlum, ſit ſubtilius, rarius, tenuius aëre, ex hypotheſi Adverſariorum, facilius alioque modo imaginem ſtellæ viſæ tranſmittet quam aër, ubi imago, propter majorem craſſitiem & denſitatem ejus, nonnihil tardabitur & refringetur, alioque modo

ob

ob has causas ab aëre quam à cœlo ad oculum transmitretur: at quomodo stellæ tum in suo loco conspicientur? certe hinc sequitur, verum stellarum locum hactenus fuisse ignoratum atque inveniri non posse. Nam vel dicendum est Adversariis, stellarum visarum imagines per cœlum & aërem, diversæ qualitatis media, eodem modo transmitti, contra Opticorum fundamenta; quæ sunt: *Datis diversis mediis seu diaphanis, datur etiam refractio extra perpendicularem: & sublata refractione extra perpendicularem tolluntur diversa diaphana:* vel dicendum est illis, stellas nunquam esse visas, nec videri posse, vero suo loco: nam cujus imago per diversa media diverso modo ad oculum transmittitur, id suo loco non videtur, quod experientia testatur, quæ docet quomodo deludatur visus, si oculus nummum in urnam aquæ injectum, aut remum aliqua sui parte aquis immersum, conspiciat. Videatur hoc argumentum egregie deductum apud *Ioh. Penam in præfatione Nobilissima de usu Optica præfixa Optica Rami aut Risneri.*

IV. Sed & *alio modo*, aërem esse unum ac continuum cum cœlo corpus, *probamus*, à vocis (cœli) in Sctiptura ad aërem applicatione: nam nihil est usitatius in S. litteris, quam aërem cœli nomine venire, vid. *Genes.* 7 11. & 8. 2. *Deut.* 28. 12. *Psalm.* 147. 8. *Ierem.* 10. *v.* 13. *Zach.* 8. 12. *Matth.* 16. 3. *&c.* imo & extra S. litteras cæli appellatio aëri tribuitur. *Virgil. l.* 2. *Georg.* de aëre loquens ait, *cælumq; profundum*; & *Cicero de Orat. Cœlum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur*, &c. idem *de Divin. Cujus cœli aspiratio gravis & pestilens, &c. Except.* 1. *Licet cœli voce eveniat aër, non tamen proprie.* Resp. illud propriè cœlum dicitur, quod fidelium & infidelium consensu sic vocatur: at aër sic vocatur, ut ostendimus: & si impropriè vocetur cœlum, ergo tropice, ostendatur ergo tropus. Excep. 2. *Licet Latinè vox* cœli *ad significandum aërem, non tamen pariter vox Hebræa* שמים, *tum ob numeri diversitatem, tum ob vocis notationem & originem.* Responsum neutrum obstat. 1. Non numeri diversitas, nam vox שמים, cum formam habeat dualem ob duplices aquas superiores & inferiores significatas, ut volunt Lexicographi, & singulariter & pluraliter potest intelligi pro materiâ substratâ: & sicuri apud Latinos carent singulari Athenæ, Venetiæ, nupriæ, & tamen non ineptè uni rei singulari competunt, quidni idem pariter dicamus de Hebræa voce שמים? 2. Non nominis notatio; sive enim שמים derives à particula שם, significante locum remotum & מים aquæ, quod ibi sint aquæ, nullo negotio dicemus & in aëre esse illas, quod in mediâ regione nubes & meteora aquea satis reddunt testatum: sive à שאח stupere & מים originem accersas, certe in aëre stupendo modo hærent suspensæ aquæ: sive ab אש & מים igne & aqua originem ducas, utrumque aëri nostro citra ullam absurditatem applicari potest: sive tandem deducas à radice Arabica שמא altum & excelsum esse, nihil nostro oberit aëri, qui excelsus est, & cui convenit sua altitudo.

V. Verum *alio* adhuc *argumento*, eoque firmissimo, aërem esse idem cum cœlo corpus *demonstremus.* Locus stellarum est cœlum. Aër est locus stellarum. Ergo. Probatur minor. Expansum seu firmamentum secundo die creatum est locus stellarum. Aër est hoc expansum. Ergo. Major est manifesta, *ex Gen.* 1. *v.* 6. & 17. ubi *Moses v.* 6. narrat expansum fuisse secundo die creatum, & *v.* 17. dicit in eo collocatas stellas. Minor, præterquam quod totidem verbis extet in *lib. Apocrypho*, 4. *Esræ c.* 6. 41. hoc insuper modo probatur. Quicquid dividit aquas superiores ab aquis inferioribus, illud est expansum. Atqui aër hoc facit. Ergo. Major est in textu *Mosis, c.* 1. *v.* 6. 7. 8. Minor sic probatur. Quod immediate aquas inferiores tangit, & ab iis ad superiores usque extenditur, easque similiter immediate tangit, id aquas superiores ab inferioribus dividit. Atqui aër hoc facit. Ergo. Vel etiam sic probatur Minor. Aut aquas inferiores à superioribus dividit solum cœlum, aut solus aër, aut aër & cœlum simul: ignem enim elementarem, ut corpus interjectum, jam de suo loco deturbavimus disputatione gemina præcedenti. Atqui non facit hoc solum cœlum,

quia illud nec tangit nec dividit aquas sublunares: non facit hoc solus aër, si à cœlo distinguatur, nam non poterit tangere aut dividere aquas supercœlestes: Ergo facit istam divisionem, aër & cœlum simul, Ergo non distinguuntur, sed unum sunt corpus. Si exceperis, aquas illas supra expansum collocatas non esse supercœlestes, hoc est, non supta sed infra cælos ac stellas esse constitutas, adeoque ad cœlos stellasque non pertingere expansum, sequitur in eo non esse collocatas stellas: nam certe in expanso non possunt esse stellæ, si infra eas expansum finitur: at hoc est directe contra textum Mosaicum *Gen.* 1. 17. Exceptiones alias non adferimus, quia eas accuratissime persequitur & refutat *Wendelinus in Contemplat. Phys. sect.* 3. *cap.* 2. *th.* 1. *additâ* 6. *ad arg.* 6. qui videri potest.

DISPUTATIONIS PHILOSOPHICÆ, CONTRA QUATERNARIUM ELEMENTORUM NUMERUM,

PARS QVARTA & VLTIMA.

DE AËRE.

THESIS I.

IGnem ex rerum natura, Aërem ex elementorum ordine exemimus, & cum cœlo eundem fecimus: nunc hoc restat, ut *Aëris naturam* paulo plenius exponamus. *Aër* nobis significat totum illud ac vastissimum *spatium, à fixis stellis ad imam usque terram expansum*, quod licet unum numero ac continuum & homogeneum sit corpus, conditionis tamen ubique ejusdem non est, sed ejus partes propter varia adjuncta aliæ ab aliis differunt; nos aërem dispescimus seu cœlum (nam idem nobis significant) in ἔναερον & ἄναερον· ἔναερος aëris seu cœli pars est, quæ lucidissimis stellarum tum errantium tum fixarum corpotibus ornatur ac frequentatur: ἄναερος aëtis seu cœli pars est, quæ stellis destituta, variis meteororum generationibus subjacet, & à Luna usque ad terram protenditur: atque hæc licet in partes & species, accurate loquendo, dividi nequeat, quia unum est continuum & homogeneum corpus, à *Physicis* tamen vulgo in tres regiones dividi solet, quæ præter usum & quantitatem situ & qualitate præsertim distinguuntur.

II. Ratione situs pars aëris alia est suprema, alia media, alia infima. *Suprema*, supra altissimorum montium cacumina exorditur & ad Lunam usque excurrit. Alii tamen paulo infra montium vortices exordiri eam, nonnullis experimentis, probare conantur: *dicunt* enim, *supra altissimorum montium, Olympi in Thessalia & Athenis in Macedonia, vertices & cacumina perpetuam serenitatem & aëris tranquillitatem deprehensam, ideoque mediam regionem aëris eo non pertingere.* Resp. 1. Incertum est, quod de illis montibus *Solinus* & *Ælianus* tradunt, an historicam veritatem, an fabulosum Poëtarum figmentum præ se ferat: multi opinantur ex Poëtarum fabulis hæc esse depromta. 1. Testatur *Ludovicus Vives*, explicans locum *Augustini l.* 15. *de Civitate Dei c.* 27. id, quod de celsitudine montis Olympi traditum est, esse fabulosum, quod confirmat testimonio *Philadelphi*, qui se eum montem adscendisse, ut rem tantam exploraret, & falsum esse, se comperisse dixit. At *Zabarella* contrarium docet suomet ipsius experimento, *lib. de regionibus Aëris, c.* 8. hisce verbis.

verbis. *Possumus per existentiam etiam id, quod diximus, comprobare: mihi enim contigit, id quod pluribus etiam aliis contigisse audivi, ut adscenderem ad summitatem usque Montis Veneris, qui omnium in Patavino agro est altissimus: ibi per totum diem habui aërem serenissimum, sed infra circiter medium montis videbam nubes, quæ me visione vallium prohibebant: vesperi autem postquam de illo mente descendi, inveni factum eo die in infera parte magnam pluviam, quum in montis cacumine nihil pluisset: ex eo intellexi me transiisse per mediam aëris regionem in qua est facta pluvia, nec tamen eam sensi frigidissimam: imo vix aliquam animadverti differentiam frigidioris & calidioris aëris: Nam æstivum tempus erat, & pro æstivo tempore eram vestitus, nec tamen tantum frigoris, quod me læderet, ex eo loco percepi: pars igitur illa non est absolute frigida, sed solum in comparatione inferi aëris calidioris. Idem de Alpibus proprio exemplo edoctus testatum reliquit Bartholinus Syst. Phys. Instit. succinct. de Terra, Aëre & Igni.* c. 4. Resp. 1. Si verum est *Mathematicorum* effatum, supremam aëris regionem quinquaginta milliaribus à terrâ distare, tum prorsus nullam fidem merebitur *Zabarellæ* experimentum: ratio est: quia secundum eosdem, nullius montis altitudo per directum, quatuor milliaria excedit: inter quatuor autem & quinquaginta nulla est aut exigua proportio. 2. Confundit in suo experimento *Zabarella*, partes extremas mediæ regionis cum ipsa parte media ejusdem regionis: nos statuimus non æque frigidas omnes ejus esse partes, sed mediam duabus extremis, quibus superiorem & inferiorem regionem contingit, longe frigidiorem esse, eo quod nec à supero, nec ab infero calore, ut quidem duæ ejus extremitates, alterari facile possit: ex quibus liquido apparet, nec supremam aëris regionem infra montium cacumina esse, nec etiam mediam regionem, natura, quamvis debiliter, calidam, & ex privatione tantum causarum calorem inducentium, comparatè frigidam esse: idem judicium de *Bartholini* experimento ferendum esse judicamus. *Media* regio aëris à fine supremæ eousque deorsum protenditur, quo caloris à Sole producti & in terræ superficie collecti efficacia sursum pertingit. *Infima* aëris regio à superficie terræ eousque extenditur, quo caloris à terra sursum multiplicati efficacia pertingit.

III. Huic trinæ regioni aëris opponit se *Danæus part.* 2. *Phys. Christ. tract.* 2. *de Expansione c.* 12. *Aristoteles*, inquit, *totum hoc spatium, quod aërem, hoc est, aquas cœlestes continet, in tres regiones distribuit, lib.* 1. *Meteor. in summam*, &c. *at frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. Nos duas tantum hujus expansionis regiones constituimus*, &c. Resp. 1. distinctio aëris in tres regiones apud *Aristotelem* non est adeo expressa, nec tam explicite posita, ut eam *Arist.* tribuit *Danæus*, sed per consequentiam quandam ex *c.* 4. *l.* 1. *Meteor.* à *Zabarella lib. de reg. aëris c.* 1. educta. Hoc igitur πρῶτον ψεῦδος. 2. Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora, si scilicet æque bene per pauciora effici possit: cum autem hic non æque bene aër in duas quam in tres regiones dividatur, ob distincta, quæ in hisce tribus regionibus fiunt, meteora, & ob qualitatum, quæ in iis obviæ sunt differentiam, invertimus illud *Danæi*, *frustra hoc loco fieri per pauciora, quod debeat fieri per plura.*

IV. Sed vero *qualitates* singularium aëris regionum, earumque differentias & causas videamus. Supremam aëris regionem calidissimam esse, cum vulgari opinione statuimus, est enim ignitorum meteororum officina: in reddenda vero causa à communi sententia abimus; neque enim hujus intensissimi caloris causam facimus ignem elementarem, qui in rerum natura nullus est, nec flammas ab illo igne decidentes, quæ pariter, ut ignis, fictitiæ sunt, nec motum & agitationem cœlestem, tanquam principium extrinsecum, adeoque violentum, nec exhalationes calidas ad supremam regionem adscendentes; sed actualem astrorum calorem, huic regioni viciniorem, inque aërem proximum sibi, efficacissimum, causam esse dicimus.

V. Infima aëris regio est mediocriter calida, non, ut vulgo existimant, propter radiorum reflexionem, quæ est unius ejusdemque numero rei à solito duroque corpore resilitio; sed verius, propter caloris duplicationem: dupli-

duplicatio vero ista ita fit. Egreditur à sese calor, & quidem magna ac subita vi egreditur, proximumque aërem calefacit, hic in terram vibratus, cum eam ob duritiem penetrare non possit, non repellitur, quasi illa radiorum reflexio necessario sit adstruenda, sed multus in duro solidoque corpore colligitur atque unitur & fortior redditur atque efficacior: ita unitus & intensus vicinum sibi aërem magis calefacit magisque alterat, hic alium vicissim sibi proximum, donec tandem vis illa secundi caloris à terra promanantis evanescat, & infimæ aëris regioni terminum statuat.

VI. Media aëris regio, ex communi *physicorum* placito, frigida esse statuitur, verum in assignanda ejus causa inter eos non convenit. *Cum enim aër* (sunt verba *Zabarell. lib. de region. aëris c.* 2.) *sit naturaliter calidus, jure dubitatur, quomodo aër mediæ regionis possit esse frigidus, præsertim magno ac perpetuo frigore: nam id quod alicui naturale & essentiale est, ab illo inseparabile esse solet, vel non absq; illius interitu separabile: ita fieri non posse videtur, ut aër ille, qui mediam regionem implet, possit in illa violenta ac præter naturam affectione diu perdurare: quomodo igitur manet perpetuo frigidus? difficultas hæc ita omnium animos torsit, ut nihil adhuc dictum videatur in quo animus plene acquieverit.* Verum illa difficultas nos non torquet, si aërem indifferentem & à qualitatibus naturaliter inhærentibus immunem statuamus, uti statuimus: neque enim agnoscimus in aëre illas qualitates, quas Philosophorum vulgus ei tribuit, idque ob rationem in disputationibus præcedentibus allatam: si enim aër est unum cum cœlo ac continuum corpus, sequitur aërem natura sua nec calidum esse, nec frigidum, &c. adeoque esse indifferentem ad illas qualitates: cœlum enim nec frigidum esse, nec calidum, communis est opinio. Atqui verum est prius, ex disputationibus ante habitis. Ergo & posterius.

FINIS.

DIS-

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
EX ARISTOTELE,
DE
RATIONIBUS ENTIUM.

THESIS I.

QUAS vocat hujusce disputationis titulus *Rationes Entium*, apud *Aristotelem* in suâ Philosophia invenies dici λόγους τῶν ὄντων. Horum quia frequentissima apud *Philosophum* est mentio, & uberrimus apud alios est usus, dum de *quidditatibus* & *formalitatibus*, terminis maxime barbaris, disputant, visum fuit non infrugiferum fore, si ex *Aristotele*, viro ætatis suæ maximo, non ex ineptis *Scholasticis*, discuteremus, quid per *Rationes entium*; sive per λόγους τῶν ὄντων, intelligi debeat.

II. Λόγος interdum *sermonem* significat, interdum *rationem*: & *sermonem* quidem, vel *æternum* sive foras prolatum (Græci λόγον ἐνδιάθετον, Aristoteles τὸν ἔξω λόγον vocat) vel *internum* sive intus conceptum (Græci ἐνδιάθετον, Arist. τὸν ἔσω καὶ τὸν ἐν τῇ ψυχῇ λόγον, sermonem, qui est intus in animâ, vocat) *Ratio*, vel *in mente* nostrâ est, vel *in rebus*. *Ratio* sive λόγος *in mente*, vel significat *ratiocinandi aut intelligendi facultatem*, veluti cum homo dicitur animal λογικὸν, id est, rationis particeps, vel ipsum λογισμὸν sive *intelligendi ac ratiocinandi actum*. Nec est, quod existimes, esse idem, λογισμὸν & λόγον ἐνδιάθετον; quippe multum hæc duo differunt. Λογισμὸς sive ratio mentis versatur circa res, quæ intelligendi ac ratiocinandi actu intelliguntur ac concluduntur: at λόγος ἐνδιάθετος versatur circa vocabula, quatenus sunt notæ sive σύμβολα nostrorum conceptuum, consequenter quoque rerum. Quotiescunque enim aliquid cum cura dicturi sumus, non solum perpendimus, quid dicturi simus, sed etiam excogitamus, quibus verbis prolaturi simus ea, quæ concepimus: *utraque mentis nostræ actio* λόγος dicitur, sed significatione diversâ: nam cum prior illa, λόγος dicitur, vox ea idem significat, quod ratio, λογισμὸς, διάνοια, *discursus*: cum verò posterior appellatur λόγος, vox ea *sermonem* denotat, internum quidem illum sive ἐνδιάθετον atque intus conceptum, sed sermonem tamen, non rationem seu λογισμὸν: mens enim intus non solum ratiocinatur, sed & sermocinatur suo modo; atque ea duo haud dubiè diversa sunt.

III. *Ratio* sive λόγος *in rebus* sumitur trifariam 1. enim denotat *argumentum seu medium terminum* in syllogismo, veluti cum *Aristot. c. 29. l. 2. Post. Anal.* dicit, *omnem scientiam esse* μετὰ λόγου, cum *ratione, intelligentiam* seu assensum principiorum esse ἄνευ λόγου, ubi λόγος utrobique significat *terminum medium probantem*. 2. significat *vim aliquam entis sine ullâ vi inferendi aut probandi*: veluti cum in Matheſi ab *Euclide l. 5. elem.* λόγος sive *ratio* dicitur, duarum magnitudinum ejusdem generis mutua quædam secundum quantitatem habitudo; & Analogia, *rationum* similitudo. Quod ab *Euclide* de quantitate, hoc de omnibus omnino rebus dici potest, ut *Ratio* seu λόγος sit omnium *rerum mutua* quædam *habitudo*, & Analogia, sit *rationum in rebus* similitudo; quo sensu de Analogia & Ratione agitur in *Logicis* & *Metaphysicis* ad titulum de *Convenientia*, quæ in simplicem & analogicam dividi solet. 3. sumitur λόγος seu ratio, *pro modo*, *quo res unaquæque menti objicitur cognoscenda*. Hæc acceptio hujus vocis latissime patet, & præcedentem suo ambitu complectitur: diversa enim habitudo rerum efficit, ut aliter atque aliter ab intellectu nostro res concipiantur. *Hoc sensu tertio, nos de Rationibus entium*, λόγους τῶν ὄντων *philosophamur*, quos barbare vocarunt *Scholastici quidditates, formalitates, rationes quidditativas, rationes formales, prædicata quidditativa*,

conceptus objectivos, & nescio quæ non multiplicaverint vocabula citra ullam necessitatem.

IV. Sed verò videamus, *unde* hi λόγοι & ἔναι, *rationes entium oriantur*. Quod ut intelligatur, observandum est, eam esse mentis humanæ imperfectionem, ut nequeat uno conceptu distinctè comprehendere, quod in se unum est: hinc fit, ut mens humana, intellectura, objectum suum distrahat, &, quod unum est, quamvis unum sit, pluribus sibique invicem dissimilibus conceptibus intelligat. Quid quæso magis est simplex, quam Deus, & tamen Deum concipimus, ut Deum, ut immensum, ut æternum, ut sapientem, ut misericordem, ut justum, &c. & concipimus, non solum pluribus, sed & dissimilibus multumque diversis conceptibus: conceptus enim divinæ justitiæ multum differt à conceptu, quem facimus de divinâ misericordiâ; estque alter alteri prorsus dissimilis: & sic in aliis divinæ essentiæ attributis concipiendis, conceptus sapientiæ differt à conceptu omnipotentiæ, &c. Atque hæc quidem omnia dicuntur inter se distinguî τῷ λόγῳ ratione, quia licet in se omnia sint unum, sunt tamen objecta distinctorum conceptuum nostri intellectus, qui λόγοι seu *rationes* appellantur, quasi dicas, *rationes concipiendi*. Hinc & ipsa illa objecta, quatenus ratione differunt, externâ denominatione *rationes entium* sive λόγοι & ἔναι, vulgò *conceptus objectivi*, vocantur, quia scilicet τοῖς λόγοις sive rationibus concipiendi, id est, conceptibus animi nostri objiciuntur, indeque distinctionem capiunt.

V. Nemo vero existimet hos λόγους sive *rationes entium* in solo Deo habere locum ob simplicitatem aut infinitatem, quia Dei exemplum protulimus: quin & in rebus creatis ac finitis reperiuntur: nec sollicitè aut anxiè quæri debent: ubique & in omnibus sese offerunt. Quid est magis vulgatum quam quod ab omnibus inculcari solet, cum de scientiarum constitutione agitur, unam & eandem rem pertinere posse ad plures disciplinas, sed non eodem considerandi modo, eadem ratione formali? Hominem considerat Physicus, Ethicus, Medicus, & quis non? sed Physicus ut est corpus naturale; Ethicus, ut est affectibus obnoxius & virtute informandus; Medicus, ut est bonæ vel adversæ valetudinis capax. Unus ubique homo est, sed qui diversis modis consideratur, aliis atque aliis *rationibus*, λόγοις intelligitur, atque explicatur à Physico, Ethico, Medico. *Ex hisce rerum rationibus* ac λόγοις & ἔναι, *orta quoque est definitio*, quæ quod in se unum est, ita distrahit, ut duobus distinctis conceptibus, ac si esset geminum, concipiendum objiciatur ac concipiatur: uno enim conceptu, in definitione, apprehendimus genus, altero differentiam: quæ duo non sunt duo distincta entia, sed unius entis distinctæ rationes, distincti λόγοι, ac modi intelligendi seu concipiendi.

VI. Atque ex hisce apparet, *λόγον sive rationem entis nihil esse aliud, quam modum, quo unumquodq; proprio conceptu à mente apprehendi aptum est*. Dico diserte verbis, *apprehendi vel comprehendi aptum est*, quia λόγοι sive rationes entium antecedunt ipsum actum intelligendi: sunt enim singulorum conceptuum propria objecta ceu formæ quædam quibus res objectæ limitantur & determinantur ad proprium & peculiarem aliquem conceptum: itaque cum objectum omne, quatenus est objectum, sit prius eo actu, qui circa objectum est, sequitur, rationes rerum esse priores nostra intellectione; ac proinde, *rationem esse modum, non, quo res proprio conceptu comprehenditur, sed quo apprehendi aut comprehendi potest*. Hæc vero entium per rationes limitatio ac determinatio circumscribi solet ac notari voce, *quà* vel *quatenus*, aut simili, ut cum dicimus; corpus naturale, *quà* naturale, *quà* sanabile, *quà* capax artificiosæ formæ; Deus, *quatenus* est justus, *quatenus* est misericors, *quatenus* est sapiens, &c. Atque *licet rationes istæ sic distinguantur, res tamen ista, cui tribuuntur, est una eademque numero*: Quemadmodum est unus idemque numero homo, puta Petrus, qui *quatenus* animal, *quatenus* vivens, *quatenus* corpus, *quatenus* substantia, concipitur atque intelligitur. Atque hæ sunt istæ *Scoti & Schotistarum formalitates, atque aliorum, rationes formales*.

VII. Atque hæc, quam hîc tradimus, de ratio-

rationibus Entium, Philosophia, ipsius est *Aristotelis*, qui non uno in loco docet, unius ejusdemque rei varias esse rationes & λόγους τοῦ εἶναι, quibus variè distinguatur. Sic dixit *Philosophus l. 1. Physic. materiam & privationem esse unum numero, distingui vero τῷ λόγῳ sive ratione*, quia scilicet, alius est conceptus materiæ, ut est materia, & alius, ut est privata. Ex. gr. cum quis musicus fit, subjectum istius mutationis est homo, privatio ἀμουσία: homo enim ex ἀμούσῳ fit musicus: itaque licet homo & ἄμουσος sint idem numero, tamen ἕτερον τῷ ἀνθρώπῳ εἶναι τῷ ἀμούσῳ τὸ εἶναι, id est, *alia est hominis, alia ἀμούσου seu Musicæ expertis essentia:* ut dicitur *l. 1. Phys. §. 67.* Simili modo loquitur *lib. 5. Eth. c. 1.* De justitia & virtute universa, ἔστι μὲν γὰρ ἡ αὐτὴ, inquit, τὸ δὲ εἶναι οὐ τὸ αὐτὸ, ἀλλ' ἡ μὲν ᾗ πρός τι ἕτερον, δικαιοσύνη ἢ ἕξις τοιαύτη ἔξις, ἁπλῶς δ' ἀρετή, id est, *Illa eadem quidem est sed essentia non est eadem: sed quatenus ad alium est, justitia: quatenus talis habitus, absolutè virtus dicitur.* Similia loca extant apud *Aristotelem* quam plurima: quibus nihil aliud docetur, quam ejusdem rei esse plures λόγους sive rationes. Etenim, eadem res est, quæ subjicitur formis & quæ iis privata est, ut homo & ἄμουσος· eadem qualitas est, atque idem habitus, qui & virtus & universa justitia dicitur; sed rationes inter sese differunt: & ita in cæteris. Atque hæc est vera, solida, & mascula *Aristotelis* de λόγοις τοῦ εἶναι, rationibus entium, Philosophia, quam turpiter hîc & alibi sua barbarie fædarunt, atque in totum corruperunt *Thomistæ*, *Scotistæ*, similisve furfuris Philosophi Scholastici, aguntque id etiamnum hodiè, qui neglectis Græci Aristotelis fontibus, ex impuris Latinorum Scholasticorum lacunis, sapiunt tantum atque philosophantur.

PROBLEMA.

NUM VERA PHILOSOPHIA CONTRARIETUR S. THEOLOGIÆ, ET VICISSIM?

THESIS I.

CUltura & animi nostri medicina (Philosophiam intelligo) non sua solum præstantia & dignitate, ipsa sibi pretium est, & commendabilis; sed vel hoc etiam nomine, digna censeri debet, quæ ab omnibus σπουδαίως colatur, quod ad Theologiæ, cæterarumque superiorum disciplinarum & facultatum, nempe, Jurisprudentiæ ac Medicinæ studium, haud exiguum afferat emolumentum ac utilitatem. Ac Theologiæ, quæ pro cæteris spondeat & respondeat, quidem prodest Philosophia, partim ad doctrinam cœlestem solidè intelligendam & docendam: partim ad eandem adversus hæreticos aliosque adversarios defendendam & propulsandam. Cum enim Theologia versetur circa propositiones, easque vel puras, quæ terminis solius Theologiæ constant, vel mixtas, quæ uno Theologico, altero Philosophico termino, combinantur: Certè tam ex his, quam ex illis complures sunt, quæ sine adminiculo Philosophiæ rectè & solidè explicari, probari, & intelligi non possunt. Et nisi per Philosophiam ingenium futuri Theologi disponatur, tum ad invenienda argumenta pro veritate, tum ad bene evitanda, solvenda, & enodanda contorta illa & aculeata σοφίσματα, quæ contra conclusiones Theologicas ab Antagonistis acutè excogitantur & objiciuntur: fieri non potest, ut sufficiens doctrinæ cælestis defensio ab eo institui possit. Quod non ignorabat Julianus apostata, acris sed pravi ingenii Cæsar, cum Christianis scholas adimeret; haud secus quam olim Philistæi Judæis Vulcanos, ne arma fabricarent, quibus bellum gerere possent. Quare extra omnem dubitationis aleam positum esse arbitror, quod Philosophiæ ignorantia circa Theologiam ita sit periculosa, ut qui aut nullus sit Philosophus aut malus, idem etiam malus sit Theologus, &

facillimè possit in gravissimos rerum Theologicarum errores & labyrinthos involvi, quia Deus & creaturæ Dei sunt relata & correlata: qui autem unum relatorum ignorat, etiam alterum ignorat, præsertim *cum in iis etiam, quæ miraculosè agit Deus, habeat rationem aliquam naturæ, ne plura quam opus sit, eveniant miracula.* Franc. Vales. c. 18. Philos. sacræ. Verum enim veto hoc quamquam jam paucis ὀφθαλμοφανῶς paritet & κατασκευαστικῶς demonstravimus, nihilominus tamen non pauci exstant hoc conclamato nostro seculo homines, qui hanc Philosopiæ laudem minuere, abolere; & extirpate, ejusque in Theologiâ usum & necessitatem elevare, evertere, imò & penitus exterminate in votis habent, præsertim cum in disputationibus Theologicis, quando conclusiones mixtæ tractantur, hoc est, quæ partim ex tetmino Theologico, partim Philosophico conjunguntur, sentiunt se in eas angustias redigi per principia Philosophiæ, ut inde honeste evadere non possint, neque objectorum argumentorum nodos bene dissolvere, statim ad illud miserum, & miserabile, ne dicam sophisticum κρηπίδα σφύγετον καὶ ἄσυλον se recipiunt: *Philosophiam interdum & diametron repugnare seu contrariari S. Theologiæ.* Illorum igitur vesanorum & τῶν νῦν ἀῤῥώστων opinioni ut occurtatur, petutile est scire: *Veram Philosophiam S. Theologiæ, aut vice versa, non contrariari.*

II. Principiò igitur, ptiusquam ad rem ipsam accedamus, ut τὸ ζητούμενον melius intelligatut, quid pet vocem *contrariari* indicatum velimus, ὡς ἐν παρόδῳ, uno atque altero verbulo, delibare allubescit: Idque ideò, ne & nobis objiciatur Aristotelicum illud. 6. Top. cap. 2. Ἄδηλον, ὁπότερον βούλεται λέγειν τὰ διαφερόντα ἢ τὰ ἐναντίως λεγόμενα. Sub voce igitur contrarietatis intelligimus veram contrarietatem, non autem ἐναντοφάνειαν indeque considetandæ sunt quædam oppositionum conditiones ac leges. Nimirum ut propositiones, 1. sint τὸ αὐτὸ, i. e. idem, nempe subjectum, & prædicatum, sine omni ambiguitate intellectum. 2. κατ' αὐτὸ, secundum idem, nempe eandem subjecti partem vel naturam. 3. πρός αὐτὸ ad idem, nempe compatatum, sive ejusdem respectu. 4. ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, iisdem loci & temporis circumstantiis, &c. Quæ igitur oppositio contta enumeratas hasce rationes pugnat, vera oppositio non est. Si enim hic de cepis, & alius de alliis loquatut, non est conttatietas, idque fit, cum termini aliter atque aliter accipiuntur. Ita nulla est contrarietas, si Physicus dicat: ex nihilo nihil potest fieti. *Fieri*, inquam, hoc est, generari, & *potest*, scilicet ab agente naturali finito. Etsi Theologus dicat ex codice biblico: ex nihilo aliquid potest fieri. *Fieri*, inquam, hoc est, creari, & potest nempe per omnipotentis Dei potentiam. Quocitca *contrariari*, hic idem est, *quod esse verum hic, & falsum alibi*; unde hactenus idem est, quærete: *Vtrum vera Philosophia contrarietur Sac. Theologiæ, & utrum una eademque propositio, eodemque modo intellecta, in Philosophia possit esse vera, quæ tamen sit falsa in S. Theologia, & vicissim?* Cujus partem negativam amplectimur, & inexpugnabilibus aliquot depromptis rationibus pro modulo sancite ac confirmate annitemur.

III. Prima ratio manat ex ipsâ veritatis naturâ. Veritas alia simplex est, alia composita, sive complexa. Simplex veritas est entis affectio, sive atttibutum, vel ut aliis placet, est cujuslibet rei entitas, quatenus cum mente congruit: ut cum attifex vult conficere aliquod opus, tunc in mente suâ imaginem conformat; sed illa non est hujus loci. Veritas composita consistit in duum entium conjunctione, aut divisione: conjunguntur autem entia per affirmationem, dividuntur per negationem. Veritas composita vel est in intellectu, vel in verbis sive enunciatione; quarum illa formalis; hæc σημαντική vulgò appellari solet, alii adhuc alias habent divisiones: sed hæc pro instituto nostro sufficit. Veritas formalis, est convenientia sive conformitas mentis judicantis cum re judicatâ, & hoc fit quando mens judicat composita esse, quæ revera composita sunt, vel divisa, quæ revera divisa sunt: σημαντική, est convenientia sermonis sive enunciationis cum intellectus judicio: convenit autem enunciatio cum mentis judicio: cum ea pronunciat esse conjuncta aut divisa, quæ intellectus judicat esse conjuncta aut divisa.

VI. Hæc

IV. Hæc convenientia nihil addit conceptui, aut otationi, præter denominationem externam, desumptam à connotatione rei intellectæ, aut significatæ, ita se habentis, sicuti intelligitur, aut significatur. Definit ergò conceptus aut enunciatio esse vera, & incipit esse falsa, sine ulla sui mutatione; cum scilicet, aut illa, aut hæc definit connotare objectum ita se habens, ut aut in illo repræsentatur; aut per hanc significatur, ita ut res ipsa βάσις sit, & norma compositæ veritatis, quæ si immota maneat, veritas quoque manebit eadem in conceptu, aut oratione, quæ de illa formata est: sin vero mutetur (ut fit in contingentibus) mutabitur etiam veritas conceptus & orationis, τῷ γὰρ τὸ πρᾶγμα εἶναι, ἢ μὴ εἶναι τότῳ καὶ ὁ λόγος ἀληθὴς, ἢ ψευδὴς εἶναι λέγεται, *eo quod res est, aut non est; oratio, vel vera, vel falsa esse dicitur.* Cui illud *Aristot. cap. 12. de categor.* egregiè succinit: ὁ ἀληθὴς ὁμοίως ἄπιστος ἐστὶ καὶ εἶναι τὸ πρᾶγμα, τὸ μέν τοιγε πρᾶγμα φαινεταί πως ἄπιστον καὶ ἀληθῆ τὸν λόγον εἶναι. *Vera autem oratio nequaquam est causa cur res sit: sed constat, rem quodammodo causam esse cur vera sit oratio.* Ut autem hoc magis propalam à nobis reddatur, idem quoque specialiter indigitabimus ex propositionum necessitate. Quippe vetum enunciatum dividitur per necessarium & contingens. Aut igitur quod dicitur, propositionem in Philosophia veram, in Theologia esse falsam, intelligitur de ea, quæ est vera in Philosophiâ necessariò, aut quæ talis est contingenter. Non hoc intendetur: nam quæ contingens est, etiam extra disciplinarum varietatem, propter rerum & connexionum mutabilitatem est vera mutabiliter. Illud autem non est: Nam quæ est propositio necessatia, illa ita est vera, ut non possit esse falsa, per ullam externam circumstantiam, qualiscunque ea sit. Ergo non potest etiam variari veritas illarum, per disciplinarum varietatem, quæ æquè extrinseca est ptopositionibus, ac circumstantia loci, temporis, aliæve.

V. His ita positis, si una eademque conclusio sive propositio ab omni terminorum ὁμωνυμίᾳ aliena & tectè justeque distincta ac limitata, vera sit secundum principia Theologiæ, & eadem tamen etiam falsa sit secundum principia Philosophiæ, vel contra; consequetur utique, 1. Idem simul esse, & non esse. 2. De eadem re simul veram esse affirmationem, & negationem, & per consequens, duo contradictoria, posse simul esse vera & falsa, quod adeò falsum est, ut ejus contrarium pro communissimo & generalissimo principio omnis scientiæ ponatur. Quod ut liquidò appareat, sumamus enunciationem aliquam, ex earum numero, quas illi, contra quos nobis sermo est, veras esse volunt in Theologia, & falsas in vera Philosophia; sed uno eodemque modo (quod fieri debet, ut status & scopus controversiæ ritè observetur) utrobique intellectam; sitque verum Theologicè, corpus grave posse inambulare aut innatare aquæ, scilicet virtute extraordinaria, & modo ὑπερφυσικῷ; si idem falsum est Philosophicè, sequitur idem simul esse, & non esse, corpus grave posse inambulare aut innatare aquæ, scilicet extraordinariè, & corpus grave non posse inambulare aut innatare aquæ extraordinariè; quia hæc πρόπασις, corpus grave potest inambulare aut innatare aquæ modo supernatutali, vera, hoc est, rei ipsi consona, in Theologia præsupponitur: si eadem πρόπασις falsa, hoc est, rei ipsi dissona sit in Philosophia, corpus grave non potetit inambulare aut innatare aquæ extraordinatie: atque ita quoque affirmatio & negatio, corpus grave posse inambulare aut innatare aquæ modo transnaturali, & corpus grave non posse inambulare aut innatare aquæ modo transnaturali, vera erit de una eademque re. Quod si oggetant hujus dogmatis πρόμαχοι, verum esse in Philosophia, corpus grave non posse inambulare aut innatare aquæ vi ordinaria, & via naturæ, & falsum in Theologia, corpus grave non posse inambulare aut innatare aquæ virtute extraordinaria; dicent quod res est; sed pessimè ex eo concludunt, unum idemque vetum esse in Philosophia, quod falsum est in Theologia, & vice versa. Ex una enim propositione, duas faciunt divetsissimas, quarum utraque parem utrobique veritatem obtinet, vel falsitatem.

VI. Alteram rationem suppeditat nobis

ipsa Philosophiæ & Theologiæ natura, quarum attendenda περιέχως convenientia & discrepantia: convenientia sive harmonia Philosophiæ cum Theologia, sita est in objecto & fine. Utraque enim versatur circa τὰ ὄντα καὶ τὰ δέοντα· utraque etiam spectat hominis felicitatem, quæ consistit in θεωρίᾳ τῶν ὄντων & πράξει τῶν δεόντων. Congruit insuper vera Philosophia cum S. Theologia in eo, quod non minus in S. Theologia, quam in vera Philosophia humanæ rationis usus est necessarius. Quod sic probo. 1. Quia sine ratione humana homo non potest judicare de rebus divinis: neque verum à falso, bonum à malo discernere. 2. Quia sine ratione humana verbum Dei (quod non in uno scripturæ loco nobis facere demandatur) neque doceri, neque disci, neque intelligi potest: docere autem & discere Theologica, quid aliud est, quam ratione circa Theologiam uti? Id quod si integrum non est, nec velle poterimus ullum bonum Theologicum (quod profectò sine æternæ salutis discrimine non possumus nolle) nihil enim appetimus nisi prius sit cognitum; at cognitio non sine ratione est. Quin & si ratiocinari in rebus Theologicis est prohibitum, certè ipsum velle erit prohibitum in Theologicis; utpote ratiocinari & velle, duæ sunt hominis propriæ actiones, pares omninò, & ejusdem conditionis, nec potest altera damnari, aut probari, quin simul & altera damnetur, aut probetur. Differunt Philosophia & S. Theologia; 1. Ratione effectorum propriorum, quæ respectu Philosophiæ sunt sapientia & prudentia terrena & humana, cum morum honestate & felicitate terrenâ conjunctæ: respectu S. Theologiæ sunt sapientia & prudentia cælestis & divina, cum vera pietate & beatitudine æterna conjunctæ. 2. Ratione principiorum sive notionum communium, quibus conclusiones suas, suo quæque modo format ac firmat. Philosophiæ principia sunt propositiones quædam, quarum veritas ita ἀφῃρημμένη est, ut solo lumine naturæ, ex ipsis terminis, absque ulla ἀποδείξει intelligi possit: Principia autem Theologiæ sunt revelationes, sive testimonium Dei.

VII. Ex his sic inferimus. Principia Philosophiæ naturaliter nota sunt, eorumque veritas ex ipsis terminis perspicitur, ita ut nec falsa esse possint, nec cogitari possint esse falsa: at quicquid in Philosophia verum est, id eatenus tantum vetum est, quatenus cum hisce principiis concordat: quippe quæ cum universalissima sint, & notissima omnium eorum, quæ viâ naturæ cognosci possunt, notitiam virtualiter omnium continent. Si ergo aliquid statuatur cum veritate Philosophica διὰ πίστιν pugnare, idem quoque necessariò cum Philosophię principiis pugnabit. At quod in S. Theologia vetum est, non poterit pugnare cum veræ Philosophiæ principiis; & ratio istius est hæc: quia verum non pugnat cum vero; quod alii aliis verbis sic efferre solent: verum vero non contradicit. Et quia prima Philosophiæ principia non possunt cogitari esse falsa, ut statim dictum est, si quid cum illis pugnet, erit id quoque non modo falsum, sed ne cogitari quidem poterit esse verum. Quod ergo in Theologia verum est, id non evertit vera Philosophia, sed recipit, si non ἁπλῶς καὶ ὅλως, saltem κατὰ τί, id est, cum distinctione & limitatione aliqua, & contra.

VIII. Ex hoc eodem fonte fluit tertia ratio. Propria Philosophiæ effecta, ut diximus, sunt sapientia & ptudentia terrena & humana &c. S. Theologiæ autem, sapientia & prudentia cælestis & divina. Utraque sapientia originem suam habet à Deo, qui non tantum est primò & summè sapiens: sed etiam fons & scaturigo omnis sapientiæ: quod olim non tantum Christiani; sed & Ethnici saniores, imprimis verò ii, à quibus ceu fontibus omnes sapientiæ rivuli dimanarunt, ingenuè professi sunt; dicentes, Philosophiam esse Dei immortale donum. Plato enim in Timæo ait, nullum unquam à Deo munus Philosophiâ præstabilius mortalibus collatum, vel deinceps conferendum esse. Et Cicero *lib.* 1. *Tusc. quæst.* Philosophiam nihil aliud esse dicit, quam donum & inventum Deorum. Quo etiam respexerunt vetustissimi Philosophorum πρεσβύτατοι Poetæ: cum sapientiæ præsidem Minervam è cerebro Jovis natam, Musasque Jovis filias esse, commenti sunt. Sic ergo procedimus. Quicquid pugnat cum Theolo-

Theologiâ sacrâ & verbo Dei, id habet originem à patre mendacii, Diabolo scilicet. Vera autem Philosophia, id est sapientia rerum naturalium & humanarum, sive doctrina de creaturis Dei, de cœlo, de elementis, doctrina de rerum quantitate, doctrina de numeris, musicâ, item & doctrina de externa morum disciplina, non à Diabolo originem suam habet: cum sit sapientia à Deo nobis in libro naturæ patefacta, adeoque radius divinæ veritatis & sapientiæ. Ergo. Diximus insuper, Philosophiam acquiri solo lumine naturæ, S. Theologiam per revelationem, & lumen fidei ceu transnaturale: *utriusque lumen, ut Augustinus lib. 4. de trinit. at. cap. 6.* ex processo docet, *& natura & fidei, à Deo est*, naturale mediante naturâ, transnaturale immediatè humano intellectui communicatur. Ut ergo Deus Opt. Max. non potest intellectum inducere, ut credat falsum (id enim non minus ipsius naturæ refragatur, quam mentiri) ita quoque fieri nequit, ut ullo modo falsum sit, quod vel ex lumine naturali ratiocinando colligitur in Philosophiâ, vel ex lumine supernatutali credendo infertur in Theologia: nedum, ut quod verum esse naturali lumine cognoscitur, lumine supernaturali falsum esse judicari possit.

IX. Hic porrò sese offert quarta ratio. Quicquid verum est, id omne Deus novit, quinimò verum esse novit. Si ergo una eademque ἀλήθεια, eodemque modo intellecta, vera esset in Philosophia, & falsa in S. Theologia, Deus eandem ἀλήθειαν veram simul & falsam esse judicaret. Dicis causa: judicaret verum esse, ignem admotam materiam aliquando non adussisse: quia S. Theologia hoc verum esse docet. Judicaret item falsum esse, ignem admotam materiam non adussisse: quia (ut illi volunt) id in vera Philosophia falsum est. Judicaret ergo Deus falsum esse, quod sciret esse verum, quod certe absurdissimum est & impium.

X. Quod nonnullis Philosophia videatur cum Theologia pugnare, his de causis videtur factum. 1. Quia aliqui sibi persuadent Philosophica enunciata tantum vera esse, in suo, hoc est, Philosophico foro, non verò in alio, ut Theologico; ac proinde, qui sacræ scripturæ testimoniis utitur ad probanda præcepta Philosophica, eum diversa doctrinarum genera confundere, & μετάβασιν committere εἰς ἄλλο γένος, id est de subjecto unius disciplinæ ad subjectum alterius disciplinæ. Id verò, inquiunt, expressè ab Aristotele prohibetur, cum ait: οὐκ ἄλλο ἐστὶν ἐξ ἄλλου γένους μεταβάντα δεῖξαι. *Non sane licet ex alio genere transire & demonstrare.* Resp. non fieri confusionem diversarum doctrinarum, neque transitum de genere in genus, si sacræ scripturæ testimonia adhibeantur ad illustranda & probanda præcepta Philosophica: nisi prius probetur, quod sacra scriptura propter solam Theologiam, non autem propter Philosophiam à Deo sit patefacta, nihilque in se contineat, nisi quod propriè & essentialiter ad solam Theologiam pertinet. Quod equidem nunquam probari posse confido: quippe cum ex ea quamplurima ad Philosophiam, partim Theoreticam, nempe, Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam, partim Practicam, nempe, Ethicam, Oeconomicam, & Politicam (ut inductione exemplorum, si opus esset, luculenter probari posset) pertineant. 2. Quia non discernunt Philosophiam sive sapientiam à Philosophorum opinionibus ac decretis. Multi enim Pythagoricam, Platonicam, Stoicam, Aristotelicam doctrinam vocant Philosophiam, verumque esse statuunt aut falsum in Philosophia, quicquid illi affirmarunt aut negarunt. At verò nobis longè aliter definienda est Philosophia, non ex personis, sed ex ipsa natura sua & rerum veritate. Fuerit sanè Aristoteles (ut alios latere patiar) princeps & coryphæus Philosophiæ Peripateticæ, iniquum tamen est, & indignum ingenuo Philosopho, præsertim Christiano, illi tanquam uni & soli Philosophiæ Magistro mordicus adhærere, & unius hominis conclusionibus ac principiis, pro indubitatis veritatis regulis, sine legitimo examine, inniti, præsertim cum ea sit humanæ rationis protervia, ut nisi divino authoritatis fræno coërceatur, facillimè repudiet tanquam falsum, quod demonstrari nequit esse verum. 3. Quia falsum esse in Philosophia, falso existimant, quicquid Philosophiæ ter-

minos

minos ac limites, hoc est, captum humanæ rationis excedit. At longè aliud est, veritatem non cognoscere; aliud veritati contradicere. Philosophia procul dubio multa ignorat, quæ fides credit; sed tamen in his non hallucinatur: quia judicium suspendit. Quod si ratio hic perperam judicat, facit id sine ratione: atque hallucinatio hæc Philosophis, non Philosophiæ adscribenda est; nam errata & peccata artificum non sunt imputanda ipsi arti: neque vitia & errores Philosophorum habendi pro propriis & essentialibus Philosophiæ decretis: sed pro illius excrementis. Et ut hoc 4. Ἐκ τῆς περιεσίας addamus. Putant Philosophiam cum Theologia, & vice versa pugnare: quia non considerant ejusmodi enunciationes, quas illi in Philosophia veras, in Theologia falsas esse volunt, non plenè enunciari. Cum enim ad diversas causas, diversos operandi modos, aut circumstantias referendæ sint, tollitur, omnis earum oppositio, quæ institui debet inter enunciationes easdem, secundum idem, ad idem, & eodem tempore spectatas, ut in vestibulo hujus συζητήσεως monuimus.

XI. Concludimus ergo, unam esse eamque simplicem veritatis formam: ac planè sicuti τὸ μὲν ἀγαθὸν μονοειδές, τὸ δὲ κακὸν, πολυειδὲς, ἢ ἄπειρον, ita quoque τῷ μὲν ἀληθεῖ πάντα συνάδει τὰ ὑπάρχοντα, τῷ δὲ ψεύδει, ταχὺ διαφωνεῖ τ' ἀληθές. Item, Δεῖ πᾶν τὸ ἀληθὲς αὐτὸ ἐαυτῷ ἐν τῷ ὁμολογεῖσθαι εἶναι πάντως. *Oportet omne quod verum est, ipsum sibi consentaneum esse omnino.* Arist. l. 1. prior. Anal. cap. 32. Ac proinde, sicuti moralis actionis veritas non mutatur, non mutatis circumstantiis; ita quoque statuendum est, veritatem manere immobilem in qualibet enunciatione, semperque sibi similem, si in rebus nulla accedat mutatio: & per consequens, veram Philosophiam cum S. Theologiâ non pugnare, & verum Philosophicum cum vero Theologico ita connexum esse, & tam harmonicum inter utrumque consensum, ut, quicquid sit in vetâ Philosophiâ verum, idem etiam in S. Theologiâ sit verum; & vice versa: atque adeò ex naturâ oppositorum, quicquid falsum sit in alterutrâ, etiam in aliâ sit falsum: & denique, ut, quicquid pugnet cum S. Theologia, id etiam pugnet cum vera Philosophia, & contrà, quidquid pugnet cum vera Philosophia, id etiam pugnet cum S. Theologia.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA, DE USU RATIONIS HUMANÆ IN THEOLOGIA, AC QUÆSTIONIBUS FIDEI.

THESIS I.

GRavissima inter omnes quæstiones *Theologico-Philosophicas* est controversia, *de usu rationis humanæ in rebus fidei, ac controversiis Theologicis, quousque hic ei sit deferendum judicium?* aut, ut alii loquuntur, *quanam sint partes luminis naturæ, & quanam luminis gratiæ, circa intelligendas S. litteras & articulos fidei creditu ad salutem necessarios?* aut simpliciter, *quis sit usus Logices in Theologiâ?* à cujus controversiæ decisione dependet, quâ non extat difficilior, nec utilior, *quæstio, de judice & norma controversiarum fidei.* Egerunt de hac controversiâ doctissimi passim Viri, *Amesius in Disp. de Lumine naturæ & gratiæ, Vedelius in Rationali Theologico lib. 1. c. 8. & seq. Streso, in Meditatione Theologica, de usu & abusu rationis humanæ in interpretandis & æstimandis rebus & scripturis divinis. Voetius Disp. select. Theol. prima de ratione humana in rebus fidei*, nostrarum partium *Theologi, Reformati omnes, Iansenius Pontificius, in Augustini sui tom. 2. lib. proœmiali: Musæus Lutheranus, in suis de usu principiorum Rationis & Philosophiæ in controversiis Theologicis, libris tribus: Ioachimus Stegmannus Socinianis, in suo, de Iudice & norma controversiarum fidei, tractatu, impresso Eleutheropoli*

ropoli 1644. Uti autem *Voetius Streſonis* vitula aravit, ita *nos Vedelii* veſtigia prememus: Ab eo ſic ſtatus controverſiæ proponitur. *An principiis Rationis* (ſc. humanæ) *ſeu naturæ* (alii addunt, & Philoſophiæ) *in argumentis Theologicis* (alii dicunt, in controverſiis Theologicis, alii, in rebus fidei, alii, in intelligendis ſcripturis) *uti ſit licitum?* Nos rem totam ex *Vedelio*, aliiſque jam citatis, exponemus.

II. *Principia*: intelligimus hîc, cognoſcendi, *non* tam *incomplexa*, quam *complexa*, quæ vulgo dicuntur *axiomata*, & *præcepta* diſciplinarum Philoſophicarum, ut ſunt, *definitiones*, *diviſiones*, & *canones*, ſeu *regulæ*, aut *maximæ* Philoſophicæ, quæ dicuntur *principia naturæ*, quia in ipſa natura fundantur, & *Philoſophiæ*, quia in Philoſophia traduntur. *Principia* hæc ſunt, vel *generalia*, vel *particularia Vniverſalia* ſunt, quæ omni quæſtioni applicari poſſunt, & locum habent in omni re, ſeu corporea, ſen incorporea, ſeu creata, ſeu increata; ut, Idem non poteſt eſſe ſimul & non eſſe, de quolibet vera eſt affirmatio aut negatio, Non-entis nullæ ſunt affectiones, &c. *Particularia* ſunt, vel *rebus corporeis*, vel *incorporeis*, proptia: *corporeis*, ut, *omne corpus eſt materiale*, *una numero eſſentia non poteſt eſſe trium*, *nullum corpus mole eſt infinitum*, &c. *incorporeis*, ut, *nullus ſpiritus eſt extenſus*, *nullus ſpiritus conſtat materia & forma*, &c. quæ competunt omni ſpiritui: ſed, præter hæc principia, omni ſpiritui communia, dantur, quædam ſingulis ſpirituum ſpeciebus propria; tum creato, ut, *Spiritus hominis non eſt Deus*, tum increato, ut, *datur ens aliquod primum*, *unum*, *æternum*, &c. Principiis *univerſalibus* & generaliſſimis, in omnibus argumentis ſeu diſputationibus ac controverſiis, non tantum eſt licitum uti, ſed neceſſe: *Particularia*, quæ rebus corporeis ſunt propria, adhiberi debent in confirmando aut confutando, cum de iis eſt quæſtio, non aliàs; aut cum rebus incorporeis applicantur, id fieri debet ſobriè, cautè, & per analogiam ac ſimilitudinem quandam; & libetari debent, per abſtractionem mentis primum ab omni imperfectione, quam involvunt, ante quam circa res ſpirituales uſurpentur.

III. Per *argumenta Theologica*, intelligimus ratiocinia, quibus dogma aliquod, caput, ſeu arriculus fidei, circa quæſtionem aut controverſiam Theologicam, vel confirmatur, vel confutatur, aut etiam de vero ſcripturæ ſenſu, circa veritatem hanc aut illam adſtruendam, & falſitatem deſtruendam, diſputatur, cum quæritur, An hoc vel illud in verbo Dei contineatur; An hic ſenſus, hæc interpretatio, hæc aut illa doctrina, quæ ab hoc aut illo profertur, ſit conformis verbo Dei? Nam accuratè hic eſt diſtinguendum, inter *ſenſum*, *qui ſcripturæ ſacræ in ſe ineſt & ſenſum*, *qui ei ineſſe ab aliquo*, *ſeu Doctore*, *ſeu interprete*, *dicitur:* poſterior hic ſenſus, vel convenit cum Scriptura ſacra, & eſt verus, vel non, & eſt falſus: ſenſus autem, qui ipſi ſacræ ſcripturæ ineſt, nihil eſt aliud quam ipſa ſacra ſcriprura, quæ, cum ſit verbum ipſum Dei, in ſe eſt ἀξιόπιςον καὶ ἀνυπόπιςον, nec opus habet ulla probatione, utpote irrefragabilem habens in ſeſe & ex ſeſe authoritatem. Senſus, qui S. Scripturæ ab Interprete aliquo adſcribitur, ſi cum eâ conveniat, ejuſdem eſt veritatis atque authoritatis, cum illo, qui ei per ſe ineſt, nec eget adminiculo rationis aut ratiocinii, ut multis probetur homini, nec præjudiciis, nec affectibus, laborantibus at verò cæcitas, malitia, pervicacia multorum, qui ignorant, dubitant, negant, hunc aut illum ſenſum S. Scripturæ tributum, eſſe, verum ac genuinum ejus ſenſum, aut eundum cum eo, qui ei per ſe ineſt, facit, ut per accidens, reſpectu talium hominum, locus detur hic aliquis rationi humanæ ſeu ratiocinio, quo probetur, ſenſum S. Scripturæ allatum planè convenire cum eo qui ei per ſe ineſt, quæ probatio inſtituenda eſt ex ipſa ſacra ſcriptura ſed per rationem ac ratiocinium, cujus hic tum clariſſimè conſpicitur uſus, ut & Logicæ totius, in S. S. locis inter ſe conferendis, in ſyllogiſmis conficiendis, in veritate aſſerenda, in falſitate interpretationis & ratiocinationis contrariæ refutanda & expugnanda; atque in hiſce omnibus ratio utitur humana certis principiis, præceptis, axiomatibus, regulis, in Logicâ ac Philoſophia tradi ſolitis, ex ipſa naturâ, lumine intellectus naturali, erutis, quibus intervenientibus ac mediantibus, oblocutorum, aut error refellitur.

aut pertinacia retunditur, & sensus prolati conformitas cum ipsa S. Scriptura ostenditur ac probatur, atque hæc principia in subsidium advocanda sunt sæpe, quando medii termini, etiam ex S. Scriptura petiti, connexio, cum termino majore aut minore, non ita est clara: quo casu, omnino necesse est, ad hæc principia rationis ac naturæ recurrere: si dicas sufficere locorum S. S. collationem: Sed hæc ipsa lumen rationis ac naturæ & Logicæ ac Philosophiæ principia exigit; & quid facias, si tibi res sit cum præfractis, & duræ cervicis hominibus, ac Pelidæ instar cedere nesciis, quibus pertinacia pro scuto est, qui norunt omnibus modis invertere, torquere ac detorquere S. Scripturæ sensum, imò falsum affingere, ut solent hæretici, qui ejus fidem elevant atque in totum sæpe negant, certè, cum istiusmodi ingeniis si fuerit luctandum ac circa quæstiones & controversias Theologicas disputandum, longe maximus est principiorum rationis ac naturæ usus; præsertim, si quæstiones ac controversiæ Theologicæ non fuerint puræ sed mixtæ, id est, si non nudis S. Scripturæ verbis, sed termino uno Theologico, altero Philosophico, fuerint propositæ; quo casu non ex solis Scripturis aut Theologia, sed & ex natura aut Philosophia, terminus medius peti potest, & omni jure possunt adhiberi rationis, naturæ, ac Philosophiæ, principia, quinimò sæpe debent: at multas in Theologia agitari ac disputari quæstiones, quæ non constant, ex meris ac solis S. Scripturæ terminis, sed ex uno Scripturæ, altero Naturæ, uno Theologiæ, altero Philosophiæ, vel aliquo, utriusque communi, termino, ipsa docet, & docuit à multis retrò seculis, experientia: *Vid. Kekkerm. Præcogn. Phil. l. 1. c. 4. & Syst. Log. l. 3. Tract. c. 8. Alsted. in præcogn. Philos. & Theol. Ioh. Gerard. in methodo studii Theol.*

IV. Ut totum negotium in summam contrahamus, sic statuimus ac pronunciamus. Cum quæstio aliqua aut controversia proponitur Theologica, sive pura, sive mixta, sive sit de re, quæ supra rationem est, sive de re, quæ non est supra eam, sive sit confirmanda, sive confutanda, soli verbo Dei judicium decisionis est adscribendum, utpote quod solum est canon fidei & infallibilis judex controversiarum, sed rationi relinquendum est judicium discretionis: ratio enim, tum naturalis, tum præsertim artificialis, id est, Logica, discernit verum à falso: hæc nos docet suis præceptis, bene ἐρευνᾶν τὰς γραφὰς καὶ ἀναλύειν, perscrutari Scripturas & resolvere; ideoque verbum Dei est quidem fundamentum & principium, ut sic loquar, materiale rerum credendarum, unde medius terminus desumi debet, in rebus fidei probandis, vel iis, quæ sunt contra fidem, refellendis, sed ratio, est principium, formale, aut potius efficiens, ex verbo Dei, per præcepta Logicæ, regulas consequentiarum, principia naturæ ac Philosophiæ, aliquid, vel confirmans, vel refutans; ideoque graviter errant, qui usum rationis humanæ intellectusque ratiocinia ex Theologiâ proscribunt, cum sit ipsa ratio, aut mens hominis, aut intellectus ejus naturalis, qui ex verbo Dei revelata conclusiones educit, ratiocinationes instituit, verum asserit, falsum in rebus Theologicis ac fidei destruit, nec satis accurate loquuntur, qui dicunt, Mysteria in sacris revelata fide tantum teneri & non item ratione: est *incautus clamor*, inquit *Rev. D. Streso pag. 13. Medit. de usu & abusu rationis humanæ*, &c. *quod mysteria Euangelii non sint ratione tenenda:* imo, nihil tenetur fide, nisi & ratione teneatur, prout ratio significat, id, quo scimus, non ex quo scimus: ratio est, quæ credit, & non credit nisi cognoscat, quia fides est notitia: sed cognoscendi per fidem, causa ac fundamentum, non est demonstratio aut lumen naturæ (sic enim *animalis homo* non capit ea quæ sunt Spiritus Dei) sed authoritas Dei in verbo suo testantis, quia in hanc ultimo resolvitur ista cognitio: itaque, Mysteria fidei sunt supra rationem, quatenus cognosci nequeunt nisi ex lumine revelationis, &, quatenus revelata, non comprehenduntur, sed apprehenduntur, & judicantur ut vera, & testimonio divino probantur; eadem sunt contra rationem, quâ ratiocinamur, id est, facultatem intelligendi, quâ apprehendimus, judicamus, discurrimus, consideratam in eo statu, quo nascitur corrupta, & prout acquisitis quibusdam, aut præjudiciis est tincta,

cta, aut affectibus abrepta: sunt quoque sæpissime contra rationem, ex qua discimus ac cognoscimus, id est, contra principia & placita Philosophiæ à ratione naturali Philosophorum, sed errantium, malè efformata: quo sensu *Tertullianus* olim dixit, *Philosophos esse Patriarchas Hæreticorum*, &, quo casu, quorumcunque Philosophorum, assertiones, definitiones, axiomata, & principia præstat rejicere, quam, vel tantillum derogare veritati revelatæ aut fidei circa Mysteria salutis: attamen eo non excluditur omnis rationis humanæ à Theologia, rebus, & Mysteriis fidei, nec interdicitur axiomatum Philosophicorum & principiorum naturæ, usus, sed dominium tantum rationis prævenitur, ne fiat judex & norma credendorum & controversiarum fidei: nam ratio est, quæ mysteria salutis apprehendit, in verbo Dei revelatæ, quo sensu non sunt contra rationem: ratio est, quæ judicat de veritate articulorum fidei ex verbo Dei; quæ eam ex eo probat, & falsitatem adversam refutat; in quo utroque opere, tum interdum adhibet principia naturæ ac rationis seu Philosophiæ: ut, si quis adversarius neget, terminum medium, ex verbo Dei petitum, recte esse connexum, cum majore termino, in propositione majore, profectò, ex luminæ naturæ & artificialis Logicæ præceptis de syllogismo, ex principiis rationis; ex consequentiarum regulis, veritas connexionis illius est demonstranda; atque ostendendum, nexum terminorum, medii & majoris, in propositione prima, bene fuisse institutum: quod si ex Scriptura sacra possit stabiliri ista terminorum connexio, tanto est melius: sed cum id fit, adhuc intercedit rationis ejusque principiorum usus: atqui rarius hoc contingit: unde ipsa expetientia testatur, majores propositiones in plerisque syllogismis Theologicis, esse; aut aliquod principium rationis, axioma, aut canonem Philosophicum, aut maximam Logicam ac Topicam, aut veritatem ejus iis niti & inde esse probandam, atque iisdem, sæpe falsitatem majoris, Adversarii, in Sophistico aliquo syllogismo, esse detegendam.

V. Hactenus, quid per *Principia rationis seu naturæ*, quid per *Argumenta Theologica*, sit intelligendum, vidimus; restat, ut videamus, quomodo *illis* circa *hæc* sit *utendum*: quod ut dextrè decidamus, duo expendenda veniunt: 1. An principiis rationis *utendum sit*, in argumentis seu quæstionibus Theologicis, an vero non? 2. An *primario* illis sit *utendum*, an *secundario*?

VI. Primum quod spectat, distinguendum hîc est, inter *syllogismum principalem* & *minus principalem*: *Principalis* est, cujus medium ex verbo Dei est acceptum, & conclusio in verbo Dei continetur, & in quo acquiescendum esset animo Christiano: sed quia hæc est humanæ mentis perversitas, ut sæpe non acquiescat, seu per præjudicia, seu per affectus, abripiatur, sed neget sæpe, vel majorem, vel minorem, minor ex verbo Dei probanda venit; major verò, id est, nexus termini medii cum termino aut extremo majore (nisi in verbo ipso Dei inveniatur, quod tamen rariusculum est) ex principiis rationis probari debet; ideoque secundi syllogismi major aut minor rursum ex ratione probatur; quo pacto fit sæpissimè, ut Disputatio Theologica mutetur in Philosophicam, quod quotidiana disputantium experientia docet. In *syllogismo* itaque *principali*, habent sese *principia rationis*, ut instrumentum necessarium ad demonstrandum nexum termini medii cum extremo majore, in propositione majore, absque quo conclusionis ex verbo Dei petitæ veritas, per terminum medium ex eodem petitum, probata, videri non posset. In *syllogismo minus principali*, qui adhibetur ad probationem & confirmationem nexus inter terminum majorem & medium syllogismi principalis, quia conclusio ejus non in Scriptura, sed in Philosophia continetur, *eadem* rationis *principia* sunt necessaria, quia ex Philosophia tum petendus est terminus medius: oportet enim conclusionem & terminum medium esse homogenea seu ejusdem generis: in priore casu, habent sese principia rationis, ut perspicillum, quo oculus utitur ad objectum, quantumvis maxime illustratum, clarè videndum; sic enim & ratio, mentis oculus, utitur illis principiis, ut, per quæ, conclusionis ex

verbo Dei (quod est laterna pedum & lux nostrarum viarum) satis illustratæ, veritatem, clarissimè videat: in posteriore casu sese habent ut speculum, in quo resplendescentem cernit Adversarii, aut ex præjudiciis ignorantiam, aut ex affectibus malitiam.

VII. Secundum quod attinet, *An primariò, an secundariò, sit utendum principiis rationis in argumentis Theologicis?* Resp. In quæstionibus Theologicis *puris*, ubi conclusio constat utroque termino ex scripturis accepto, nec primariò, nec secundariò, illis est utendum: sed si nexus termini majoris & medii in scripturis non reperiatur, simpliciter & absolutè sunt necessaria; &, si quis loqui sic amet, primariò & per se, ut sine quibus veritas connexionis istorum terminorum animadverti nequeat: In *mixtis* verò, ubi terminus medius, vel ex scriptura peti potest, vel ex natura, ptimarium, ob dignitatem verbi divini, tenent locum, principia scripturæ aut revelationis, secundarium, naturæ aut ratiouis; &, potissimum robur in illis, magis quàm in his, constituendum est; contra quam fieri ferè solet in *Scholasticorum* scriptis, ubi *Aristotelis* testimonia, etiam circa controversias *Theologicas* præponuntur iis, quæ sunt Dei, & *Dominum Aristotelem* sequitur non passibus æquis *Dominus Israëlis*.

VIII. Nunc postremum membrum explicandum venit, An & quousque sit *licitum* uti principiis rationis in argumentis Theologicis? Omnino hic distinctione opus est: Aliquid enim, vel sic est *licitum*, ut non sit necessarium sed indifferens, vel sic est *licitum*, ut simul sit necessarium, imo ideo licitum, quia est necessarium. Porro, vel quæstio est, *an ita sit licitum rationibus uti Philosophicis, ad probandam conclusionem Theologicam, ut seponantur scripturæ, & istæ solæ regnum obtineant?* vel, *an postquam quæstio Theologica ex scripturis est probata, liceat, eandem probare rationibus Philosophicis?* Resp. Sive quæstio Theologica sit pura sive mixta, priore casu, neutro sensu licitum est: posteriore casu, si sit pura, est illicitum, 1. sensu, non 2. nam, si rationes istæ conveniant cum verbo Dei, nulla causa est, cur rejiciantur, & sæpe faciunt, ad Adversariorum pertinaciam, imprudentiam & malitiam detegendam, qui scripturas rejiciendo, sola interdum volunt ratione convinci: si sit quæstio mixta, licitum est utroque sensu, tum ex Theologia, tum ex Philosophiâ argumentari: sed potissimum quæritur, *an licitum sit utroque sensu uti principiis rationis, cum jam probamus ex scriptura ipsa, termino medio inde desumpto, conclusionem Theologicam puram?* Resp. Ut ostendamus, nos in probando terminum medium rectè junxisse termino majori in propositione majore, esse licitum utroque sensu, quod ex ante dictis satis est clarum: Et, totius Theseos antea positæ veritas, efficacissimis argumentis probatur, *lib.* 2. & argumenta adversæ partis solvuntur *lib.* 3. *Rationalis Theologici Cl. Vedelii*, qui videri potest. Nos sequentia consectaria, ex thesibus deducta, exercitii causa olim defendenda suscepimus.

1. *Modus disputandi Scholasticorum, dum absque Dei verbo, ex ratione sola, probant conclusiones Theologicas, est ineptus.*

2. *Per principia rationis non sunt intelligenda, hujus vel illius Philosophi axiomata.*

3. *Ratio alia est, qua cognoscimus, alia ex qua: hæc, sunt principia & placita rationis, abstractè in idea sua & in se spectata: illa, est facultas judicandi.*

4. *Rationis, qua cognoscimus, actus est, alius apprehendendi, alius comprehendendi.*

5. *Ratio hæc, non est magistra Theologiæ, sed famula, non fundamentum aut norma articulorum aut mysteriorum fidei, sed principium ea apprehendens, non comprehendens, non decidens, non dijudicans.*

6. *Ratio hæc, ne de illis quidem conclusionibus, quæ verbo Dei non continentur, sed repugnant, ex propriis principiis judicat judicio decisionis, sed verbo Dei se submittit.*

7. *Ratio hæc, spectatur, vel, ut est pura, id est, in eo statu, quo nascitur, vel, ut est acquisitis quibusdam tincta, vel præjudiciis, vel affectibus pravis: utroque modo ei contrariantur mysteria fidei: de posteriori, non est dubium: de priori patet, quia ex se penitus ea ignorat, &, cum revelantur, quamdiu non tingitur luce Sp. S. ea non cognoscit, ac, cum jam illustrata, ex scripturis illa intel-*

intelligit, nihilominus tamen tantum apprehendit, non comprehendit; ac tali casu demum, eorum cum ratione contrarietas est reconciliabilis.

8. *Ratio ex qua cognoscimus, id est, principia rationis & philosophiæ, in argumentando adhibita, non sunt simpliciter rejicienda sed examinanda, an verè probent aut necessario, nec ne? Nam eorum usus est & in adstruendo & in refellendo, verbi causa, nos probamus, distinctas realiter esse personas in S. S. Trinitate, quia differunt ut Pater & Filius.*

Quæcunque differunt, ut Pater & Filius, illa differunt, ut distinctæ realiter personæ.

Sed prima & secunda persona differunt, *&c. E. &c.*

Minor est quidem revelata, sed non major, quæ constat ex lumine naturæ, cujus perfectio est Philosophica. Sic contrà, cum argumentantur Sociniani.

Quæcunque differunt, ut Pater & Filius, differunt essentialiter.

Sed prima & secunda persona, *&c. E. &c.*

Hic major non debet irrideri aut contemni quia philosophica est, sed ad eam respondere oportet.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
De Quæstione Logico-Metaphysicâ,
SITNE DEUS THEMA SEU ENS UNIVERSALE AN SINGULARE?

THESIS I.

EGo quidem sic judicavi semper, eademque sedet sententia menti, quam plurimos terminos à Scholasticis temerè, ac citra ullam necessitatem esse invectos in Philosophiam modernam: sed nunquam à me impetrare potui, neque etiamnum impetro, ut omnes ideo in universum ex Philosophiâ semotos velim: sunt enim, qui singularem sui habent usum in rebus gravioribus: quod, vel in hisce duobus *(universale ac singulare)* quibus omne thema, sive ens, dividi solet, unicuique liquebit, ex quæstione, quæ sub iis, inter nos & Socinianos agitari consueta est, & hac disputatione sub iis quoque à nobis Philosophicè pertractabitur. Statum ergo quæstionis sub terminis logicis ac metaphysicis sic propono. Quæritur, *an Deus sit Thema vel Ens universale, an singulare, an neutrum?* ad quam quæstionem distinctissimè, quam quidem à nobis pro tenuitate nostra fieri potest, respondebimus.

II. Dicimus ergo, primò, non posse fieri, ut Deus, nec sit singularis, nec universalis, sed necessariò est alterutrum horum: & ratio istius hæc est, quia universalitas, & singularitas, opponuntur, per communicabile pluribus numero distinctis, & non communicabile pluribus numero distinctis, per dici de pluribus, & non dici de pluribus; at ista sic sumpta, sunt contradictoria: inter contradictoria vero non datur medium? ergo necessariò Deus, aut universale erit thema, aut singulare, cum medium hic non admittatur, *Ergo*, &c.

III. Ulterius dicimus, secundo, Deum non esse thema universale: Deus non est ens universale, universale enim ut de pluribus suapte natura prædicari aptum est: quia aptum est pluribus suapte natura inesse, id est, potest, ut loquuntur, plurificari, vel per species, vel per individua, est multis communicabile, ut multa ista sint, ejus, vel species, vel individua; at tale quid non est Deus, quia Deus, ut sic, est infinitus, ergo plurificari non potest, multis communicari non potest; hoc enim si fieri posset, essent plura infinita: at hoc est absurdum: si enim essent plura infinita, essent à se invicem distincta, ergo singula haberent perfectionem aliquam, quæ non

esset in aliis, secundum quam distinguerentur: illa autem perfectio non potest esse aliquid finitum, quia infinitum non potest distingui ab infinito per aliquid finitum; si illa perfectio sit infinita, in qua unum infinitum distingueretur ab alio, tum utrumque eorum careret aliquâ infinitâ perfectione, eâ scilicet, quam habet alterum: at contradictio est, infinitum carere aliquâ infinitâ perfectione: non possunt igitur plura esse infinita: non possunt ergo esse plures dii: non potest ergo Deus plurificari, non potest multiplicati, non potest communicari pluribus numero vel specie distinctis, non potest prædicari ut sic de pluribus: non est ergo thema universale.

IV. Dicimus ergo tertiò, Deum esse thema singulare: si enim Deus alterutrum horum esse debet, ut statim est ostensum, & non est aliquid universale, necessariò est thema singulare: hoc autem ita esse, inde patet, quod maximum singularitatis signum in Deo sit, repugnantia ad multiplicationem: hoc enim intuitu singulare thema individuum dicitur, individuum dividi non potest in plura ejusdem nominis singularis ac naturæ: Deus quoque dividi non potest in plures Deos: quod per ipsam Dei infinitatem fieri non posse, statim est ostensum. Deinde, si Deus non esset thema singulare, tum unitas, quæ Deo tribuitur in scripturis, intelligenda esset de unitate, vel generica, vel specifica: at hoc est absurdum: quando enim Jehova unus dicitur, ac non esse alius præter unum, negatur apertè, plures, non tantum genere aut specie, sed numero quoque, esse Deos: nempe Adam, exemp. gr. distinctus ab Eva, potest dicere, non est alius homo præter me, ut quidem Deus dixit in lege, non est alius præter me, quia Adam ab Eva numero erat distinctus, Deus Pater, Filius, ac Sp. S. est idem singularis atque unus numero Deus.

V. At vero objici sic solet: essentiam divinam esse communicabilem Patri, Filio, & Sp. S. ac proinde Deus thema erit universale non singulare. Resp. ad id, quod non omnis communicatio arguat naturam universalem, sed ea solum, quâ quid est communicabile multis, aut speciebus, aut individuis. Personæ autem istæ divinæ, Pater, Filius & Sp. S. non sunt species, aut individua Dei, non enim Deus genus est, ut personæ species sint, aut Deus species est, ut personæ individua sint: hoc enim si foret, tum tres personæ appellandæ forent tres Dii: sicut cum animal est genus, & equus species, tres equi appellantur tria animalia, & cum homo est species, Petrus, Paulus, Johannes, individua, tria individua appellantur tres homines: at ita se non habet res in personis divinis: non enim Pater, Filius & Sp. S. ut tres sunt personæ, ita quoque tres Dii sunt, & ut dicere non licet, tres equi sunt unum animal, aut tres personæ humanæ sunt unus homo, ita contrà, dicere licet, ac dicendum est hic, tres personæ divinæ sunt unus Deus. Cum ergo tres personas divinas fateamur ac dicamus unam essentiam divinam, non tres essentias, & contra tres equos fateamur ac dicamus tria animalia, tres personas humanas tres homines, patet evidentissime, Deum non esse thema universale, sed singulare, non esse genus vel speciem, sed maximè individuum.

VI. At, dicunt: Pater, Filius & Sp. S. distinguuntur numero, sunt enim tres, quæ vox numeralis est. Ergo Deus prædicatur de his ut universale: significat enim essentiam communem multis numero distinctis. Resp. ad id, quod, personas trinitatis distingui numero, id, inquam, ita dicere, nonnullis sapere videtur aliquam cruditatem, iis nimirum, qui numeralem aut numericam distinctionem volunt esse essentialem: istæ enim personæ essentialiter non distinguuntur, & sic numero quoque, tres personæ divinæ non distinguuntur, cum singularum una eademque numero sit essentia, non vero essentia triplex numericè distincta: non ergo ratione essentiæ divinæ, quæ de tribus personis dicitur, personæ dici possunt numero differre, aut esse thema universale: sed quoties personæ divinæ numero dicuntur differre, id intelligendum est tantum tali modo, quatenus in computando, non sibi invicem adjunguntur, sed à se invicem discernuntur, quo pacto id latius explicatur à magistro illo, & Scholasticorum alpha-

pha, *Petro Lombardo*, *Sententiarum* 1. *dist.* 19. & à commendatoribus ejus omnibus, ac commentatoribus Scholasticis & novis & antiquis. Communicatio verò illa, ratione cujus essentia divina multis aut pluribus dicitur personis communis, videri possit similis communicationi univetsalis ad singulare, nihilominus verè talis non est, cum Deus, aut essentia divina, nec generis, nec speciei, quæ universale constituunt, rationem habere possit, sed verè aut quam maximè est communicatio talis, qualis est naturæ ad suppositum: communicatur igitur aut potius communis est divina essentia tribus personis, ut natura suppositis, in quibus, nec ab ipsis, nec à se ipsa, illa dividitur.

VII. Verum, quia negotium hoc Philosophico-Theologicum de essentia & personis divinis, *an Deus sit thema universale: & quomodo, cum sit singulare, prædicetur de pluribus?* mirum in modum intricatur à Socinianis, qui omnia, etiam fidei mysteria, ad suæ, ut putant, sanæ, sed revera insanæ rationis normam ac regulam, examinari volunt, operosius paulò ad illorum objectionem, qua in hanc doctrinam incurrunt, atque impetum faciunt, respondebimus, spetantes, non ingratum hoc fore, non Theologiæ tantum studiosis, sed quibuscunque Christianismum profitentibus. Syllogismus eorum sic se habet. Nullum singulare de alio dicitur. Essentia divina dicitur de alio, dicitur enim de tribus petsonis: ergo non est singularis, cum conttadictio involvatur, si dicatur essentiam divinam prædicari de tribus personis, & sic esse singulare, ut ex definitione quoque & singularis liquet: ad hunc syllogismum ut quam accuratissimè respondeamus, quia multum eo innituntur Antitrinitarii, videbimus, qua ratione verum sit, atque admitti debeat hoc, quod singulare prædicari non possit de alio. Dico ergo & affero, non simpliciter negandum esse, quod singulare de alio prædicari possit. Imo vero prædicari potest singulare, ac prædicatur 1. de uno aliquo. 2. de pluribus: quod, quia mirum videtur fortasse nonnullis, & tamen verissimum est, probabo utrumque, præmissis distinctionibus, secundum quas id accipiendum est.

VIII. Prædicatio alia est natutalis, alia non naturalis: seu quod idem est; prædicatio alia est ordinata, alia inordinata, directa, vel indirecta: illa est in qua ordo natuialis servatur, ut subjiciatur id, quod subjici, prædicetut id, quod prædicari, est aptum: hæc, in qua ordo naturalis perturbatur. Inordinata prædicatio est, vel contta ordinem, vel præter ordinem. In illa, nempe contra ordinem, naturalis ordo planè invertitur, ita ut, quod naturaliter debebat subjici, in locum prædicati succedat, quod debebat prædicari, subjiciatur, ut, animal est homo, homo est Petrus, & hæc prædicatio contra ordinem naturalem fit naturalis extremis permutatis, seu facto prædicato ex subjecto, & subjecto ex prædicato. Prædicatio inordinata, præter ordinem est, inter cujus extrema non est naturalis ordo, & quæ non fit ordinata, etiamsi extrema permutentur: dividiturque, in prædicationem per accidens, & identicam.. Illa est, in quâ duo concrera, quorum neutrum in abstractum mutari potest, propter convenientiam in uno subjecto, de se invicem prædicantur, ut, album est dulce: hæc est, nempe identica prædicatio, in quâ idem prædicatur de se ipso sub nomine, vel eodem, vel diverso. 2. Prædicari de aliquo sumitur 1. de omni enuntiatione, sive extremum de extremo affirmetur sive negetur; deinde sumitur speciatim de affirmatâ enuntiatione, quâ aliquid de aliquo affirmatur. 3. Thema singulare, terminus singularis, interdum sumitur pro re singulari, quam proprie notat, interdum tamen universale denotat. Ex. gr. Petrus aliquando significat hominem hunc signatum, hoc individuum, interdum hominem eum, cui nomen Petri est impositum. 4. Distinguendum est, inter id, quod est univetsale, &, quod per modum universalis concipitur, vel, quod rationem habet universalis, perinde, ut aliquid potest esse universale, & tamen per modum singularis concipi, ita hæc prædicatio *animal est genus* revocatur ad enunciationes singulares, ita cum dico, *animal in hominem & bestiam dividitur*, *animal* significat & concipitur præcisè per modum singularis, singularitate non suppositi

siti quidem, sed tamen naturæ. 5. Singulare est duplex: aliud habet essentiam singularem planè incommunicabilem aliis in re ipsa, quæ sit communis ramen & communicabilis est per mentis operationem; sic singulare hoc, *Petrus*, habet unam numero essentiam, quæ extra intellectum non est communis Paulo, sed per operationem intellectus abstrahentis, fit communis. Aliud est singulare, quod habet essentiam singularem in re ipsa, communicabilem, ac communem multis aliis, & quæ communis fieri non potest; aut una, unitate universali per mentis operationem: sic in divinis, Pater habet unam numero essentiam, quæ nequit per operationem intellectus communis fieri, ut in Patre, Filio & Sp. Sancto multiplicetur, quemadmodum natura humana in Petro & Paulo multiplicatur, sed reapse essentia illa una numero Patris, communicatur Filio & Sp. Sancto: non equidem diffiteor, quin distinctionem hanc *singularis*, tanquam commentum ac figmentum explodant Sociniani, putantes, nullam naturam singularem communem esse posse plutibus personis: verumramen, distinctio ista fundamentum habet in sac. scriptura, quæ, unum verum Deum asserit, & nihilominus dicit Filium, & Sp. S. esse illum unum verum Deum, qui est Pater, ut id ex verbo Dei clarissimè monstratum est à Theologis nostris: concedo libens, nisi præviam haberemus scripturam, nos distinctionem hanc proposituros non fuisse: sed quia alterum distinctionis membrum in natura, alterum in scriptura, extat, nec rejici potest illa distinctio, nec omitti, sed legitima est ac recta, vel invitis Socinianis: ad negotium ergo præsens hæc omnia applicemus.

IX. Dico ergo, singulare prædicari potest, 1. de uno. 2. de pluribus. De uno prædicatur singulare, vel secundum vocem tantum, & non secundum rem, ut, cum dico, *hæc persona est Petrus*, vox quidem, *Petrus*, singularis est, non tamen res, estque prædicatio, propriè loquendo, non individui, sed accidentis; quia Petrum nominari, est accidens personæ, cum & potuerit nominari Paulus vel Johannes. Vel prædicatur singulare de uno secundum rem tantum, ut quando vox communis accipitur pro singulari, ut *Poëta* v. g. pro *Virgilio*. Vel prædicatur singulare secundum vocem & rem simul. Ulterius, vel prædicatur singulare affirmatè vel negatè; negatè, ut *Petrus non est Paulus*; affirmatè prædicatur singulare, 1. Individuum de specie, sed prædicatione indirectâ, ut, *homo est Petrus*, ubi revera singulare prædicatur, licet indirecte: huc pertinent prædicationes, in quibus accidens subjicitur, & individuum prædicatur. 2. Affirmatè prædicatur singulare identicè, cum idem de se ipso dicitur, vel sub nomine eodem, ut, *Petrus est Petrus*, vel sub nomine diverso, quando obscurius explicatur per notius, ut, *Tullius* est *Cicero*, ubi tamen potius ad nomen seu appellationem respicitur, quam rem, interim prædicatur singulare, ut tam generaliter verum non sit, singulare de nullo prædicari posse: sed præcipuè quæritur: an singulare prædicari possit de pluribus? hoc enim absurdum videtur, & manifestò impingere in definitionem singularis, quod de uno tantum potest prædicari. Nihilominus tamen dico & assero, quod singulare possit & prædicari de pluribus, & amplius, de pluribus reapse distinctis, illud nimirum singulare, cujus essentia est una numero, communis tamen pluribus personis, ut Deus, siquidem divina essentia una est numero ac singularis, subsistit nihilominus in tribus realiter distinctis personis, Patre, Filio, & Sp. Sancto, qui alii sunt atque alii, sed non aliud atque aliud: prædicatur vero hoc singulare, non quod sit universale, sed quod se habeat ad personas, per modum universalis: non est universale, quia non est superius personis, quod in ipsis sub conceptu & nomine proprio multiplicetur, quoniam ita Pater est Deus, ita Filius est Deus, ita Sp. S. est Deus. ut non sint plures Dii, sed unus Deus: habet se per modum universalis, quia, licet una sit, numero essentia & singularis, communis tamen est tribus personis, & de iis dicitur ac prædicatur: & de hoc singulari ita differimus ac dicimus confidentius, quia ita in sacris reperimus, perinde uti de singularibus finitis differimus ac dicimus, prout in natura offe-

run-

runtur: & certè verbi divini autoritas Christianis omnibus talis est ac tanta, ut ei cedant omnia axiomata, canones, maximæ, ac definitiones Logicæ. Cum ergo ex sacris constet, Deum de Patre, Filio, & Spir. Sancto dici, quidni asseramus ac dicamus, singulare prædicari de pluribus: & illa veritas potior esse debet Christianis, quam definitio *singularis* Aristotelica, quæ si evertere videatur istam veritatem mysterii tanti, quod de uno tantum singulare prædicari dicat, ipsa potius tollenda atque abjicienda, quam ut veritas sacræ paginæ labefactetur. Non Deus Aristoteli, sed Aristoteles Deo, non verbum divinum definitioni Peripateticæ, sed definitio Peripatetica verbo divino, fasces submittere debet. Quare definitio *singularis* recepta ex *Aristotele*, non est sufficiens, aut limitanda est, ne mysterium Trinitatis evertere videatur, & dicendum hoc tantum *singulare Aristoteli* descriptum, quod finitum esset, cum singulare hoc infinitum non ritè rectéve cognoverit: hic interim monitum velim, ne unquam mysteria fidei flectantur ad obsequium canonum Philosophicorum, aut ad dictamen rationis humanæ, ceu normæ ac regulæ Lesbiæ, verum captiva potius ducenda est illa, & Philosophia tota flectenda in obsequium fidei: hoc enim πρῶτον ψεῦδος est, quod Socinianis imponit, atque utinam non itidem aliis, nostratibus quidem sed non nostris, qui tanti Philosophiam, Logicam, rationem, & axiomata, definitionesque receptas, faciunt, ut ad earum præscriptum & imperium, fidei articulos, ac res sacras vel invitas trahant ac torqueant, artificio noxio ac pravo; ab erroribus istis Philosophiam nostram, Logicam, rationem, reformatam utinam videre aliquando contingat! sed è diverticulo in viam.

X. Ut *singulare* in definitione ejus limitandum est per additionem *& finiti*, de quo tantum vera est definitio; ita quoque definitio thematis *universalis* circumscribenda est, ne ex eâ quoque *Antitrinitarii* occasionem sumant insurgendi in Trinitatem: sic, universale est, quod prædicatur de pluribus, in quantum plura sunt, secundum ipsum nomen universalis, ut, *homo* prædicatur de pluribus, quæ & in quantum plura sunt, secundum nomen hominis, id est, de pluribus hominibus: at Deus prædicatur quidem de pluribus personis, sed non in quantum sunt personæ istæ plures secundum nomen Dei, id est plures Dii: sic enim prædicari de iis non potest: atque adeo sub *universali Aristotelico* non continetur.

XI. Ergo, ut concludam, non est contradictio in his assertionibus, Deus aut Dei essentia, est singularis, ut non sit universale quid, & tamen Deus aut Dei essentia dicitur de tribus personis: & ad argumentum Socinianorum à nobis prolatum: nullum singulare dicitur de alio: Deus aut Dei essentia dicitur de alio: ergo non est singulare. Resp. ad majorem, eam esse falsam simpliciter, *nullum singulare*, &c. nisi habeat rationem universalis, aut concipi possit per modum universalis: Deus vero ita singularis est, ut habeat rationem universalis, nimirum, est communis personis realiter distinctis: quod vero non sit contradictio, unum singulare esse commune pluribus, palam est ex sacris, nisi Deus in verbo suo sibi contradicat, quod mentionem facit Patris, Filii, & Sp. Sancti, & istos tres, unum esse pronunciat.

XII. Atque, ut hoc pro coronide addam, argumentum, quod vocant ad hominem: considerent Sociniani propositiones sive enunciationes illas, in quibus unus ille verus Deus, qui singularis est tantum, & unica persona, ex illorum sententiâ, prædicatur, subjecti loco posito eo, quod ipsi est proprium, ut, Qui solus lucem habitat inaccessam, est unus ille verus Deus: qui non dependet ab alio, sed à quo omnia dependent, est unus ille verus Deus: hic sanè, qui thema est singulare Deus, imo ita illis singulare, ut singularis etiam sit persona, prædicatur tamen, quod negare non possunt; & ratio est, quia, utcunque Deus sit Ens singularissimum, rationem tamen universalis aliquo modo subire potest. Manet ergo ac manebit in æternum, hæc veritas, Deus est thema singulare, & tamen prædicatur de pluribus, quod erat demonstrandum.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

DE

ORIGINE ET PROGRESSU PHILOSOPHIÆ.

THESIS I.

PUlchrum est *Philosophiæ* nomen & amabile; quippe, quod rerum omnium naturalem promittit notitiam: magna sanè felicitatis humanæ hic absolvitur pars, ut multa sciamus, & ad Deum tanto accedimus propius, quo pluta scimus. *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.* Quare *Philosophia*, i. e. veræ solidæque sapientiæ, naturalis quidem, seu ejus, quæ naturali hauritur intellectus lumine, *originem & progressum*, inquirere, hac disputatione, & sequentibus, est visum.

II. *Philosophiam, Deorum esse inventum, in Tuscul. quæstionibus*, dixit Romanæ eloquentiæ Parens *Marcus Tullius Cicero:* Nos, non ab Ethnicorum idolis, ac diis fictis, sed à Deo vero ac vivo, tanquam Patre Luminum atque omnis boni fonte, eam arcessimus, cum, ut donis aliis, ita insigni atque admirandâ rerum omnium scientiâ primum hominem ornavit ac beavit, qui, uti rerum noverat creatarum naturas ac proprietates, ita ex naturâ ac proprietatibus rerum nomina sua singulis imposuit: Atque utcumque miserando hominis primi lapsu, *Philosophiæ* istius lumen multum sit minutum ac tantum non extinctum, retinuit ille tamen, sub cinere sopitas aliquot scintillulas reliquas, quas benigne fovit, ac superstitem rerum notitiam per manus tradidit filiis, interque eos *Setho*, qui, ne periret tabula, naufrago parenti relicta, duas extruxit columnas, lapideam unam, lateritiam alteram, quibus disciplinas, à parente acceptas, à se excultas, insculpsit, teste *Iosepho Antiquit. Iudaicarum scriptore, l. 1. c. 3.* Hæc prioris mundi *Philosophia* à *Setho*, propagata est in progeniem sequentem, *Lamechum* præsertim & *Noachum* filium ejus. Atque ista Philosophiæ *incunabula fuere & ante diluvium propagatio.* Quæcunque *Osiridi, Nihilo, Ammoni, Dionysio, Serapidi, Plutoni, Iovi, Pani, Apollini, Ono*, post adscripserunt *Ægyptii* Ethnicorum alii, ea *Noacho* tribuunt viri Docti, quo *Apollinis* quoque de horum nominum ambiguitate interrogati responsum trahunt, *Sol & Osiris idem, Dionysius, Orus, Apollo.* Renascente mundo à tribus Noachi filiis ac posteris, diversis temporum intervallis, per totum terrarum orbem diffusa est Sapientia in *Hebræos, Chaldæos, Phœnices, Ægyptios, Æthiopas, Indos, Persas, Gallos, Celtas, Græcos*, & quicquid alibi mortalium fuit.

III. Prima *Hebræorum* fuit Philosophia, sacra illa, vera, atque intemerata, in qua excelluit à *Noacho* decimus *Abraham*, qui eam *Chaldæos* ac *Phœnices*, quos inter vixit, docuisse veteribus narratur. Ab hoc suam quoque *Philosophiam* hausere *Ægyptii*, ad quorum Regem *Pharetarum*, *Pharaonem* vulgo, descendit ex *Phœnicia*, quum atrocissima fames totam istam regionem invasisset, ibique syncerioris *Philosophiæ* incrementum promovit: perennavit aliquor sæculis, licet annorum decursu multum fœdata ac contaminata, *Ægyptiaca* sapientia (atque ea *Moses* quoque excultus fuit, *& Hermes* ille *Trismegistus*, *Philosophiæ Chymicæ Patriarcha*) ad tempora usque *Diocletiani*, *Ægypti* finibus clausa, in maximo ibi fuit honore.

IV. Ex

IV. Ex *Chaldæa* & *Ægypto* pervenit quoque Philosophia ad *Æthiopas* & *Indos*, quorum Philosophi *Gymnosophistæ* sunt vocati, quod arboris tantum cortice, aut lineo è filis mollioribus indumento, tegerent partes tegendas, cætera nudi; eorum *Brachmanes*, quidam, alii, *Germanes*, & in his, honoratissimi dicti sunt, *Sylobii*, quod in sylvis ac locis desertis vitam agerent, frugibusque eam ac frondibus sustentarent: *Astrologiæ ac* totius *Philosophiæ* subtiliori cognitione, non olim tantum emicuere *Indi*, sed etiam, nunc dierum, testibus *Lusitanis*, ita excellunt, ut quæ nobis invia videntur intellectui humano, per lusum investigent ac jocum.

V. Manavit quoque à *Chaldæis* atque *Ægyptiis Persarum Philosophia*. Marcescente enim ac paulatim contabescente imperii *Babylonici* majestate, sensim quoque Philosophiæ splendor est amissus, donec summa rerum simul cum ipsâ *Philosophiâ* ad *Persas* devenit, à quorum *Magis* suus tum temporis *Philosophiæ* decor est restitutus. *Hi Persarum* Magi divinas humanasque omnes disciplinas excolebant diligentissimè, cæli naturæque variantes vices scrutabantur solertissimè. Horum dogmata *Darius Hystaspes*, innumeris, quæ ab *Indorum Gymnosophistis* acceperat, additamentis, auxit ac locupletavit.

VI. Atque, ut Philosophia in mundi plagâ viguit orientali, ita nec occidentales nationes eâ caruisse, sciendum est. Habuerunt suos quoque Philosophos, *Celtæ*, quos *Bardos* vocarunt, atque *Eubages* & *Semnotheos*: hi naturæ sublimia pandere conabantur: habuerunt *Galli* suos *Druidas*, quod quercu ac visco querno nihil haberent sacratius, sic dictos, quorum erat, jura statuere, controversias decidere, juventutem rerum Physicarum ac cæleſtium notitiâ imbuere.

VII. Universa hæc, quam recensui, tum sacra *Hebræorum*, tum profana aliarum *Gentium Philosophia*, *Barbarica Græcis* dicitur, quod extra *Græciam* nata sit atque exculta: ex *Chaldæorum* tamen, *Phœnicum*, atque *Ægyptiorum* sapientia, *Græcorum* omnis hausta est atque prognata: quicquid enim isti possederunt, ex *Hebræorum* scholis petierunt, ac multis supetstitionibus & erroribus defœdatunt, & ex sordidatis *hisce lacunis Græci rivos suos derivarunt*.

VIII. Ex Chaldæis *Berosus* in *Coo* consedit, & *Babyloniorum* Philosophiam ac prædictiones præsertim cæleſtes tanta tradidit felicitate & facilitate, ut statuam linguâ inauratâ ipsi dedicatum iverint *Athenienses*.

IX. *Horum* scholam ac pleraſque in *Græciâ* multo ante fundarant *Phœnices*. Cum enim *Israëlitis* terram *Canaan* occupantibus, *Phœnicum* plurimi in *Ægyptum* aufugerent, alii, duce *Elisa* sive *Didone*, in *Africam* se reciperent, *Kadmus Agenoris* filius, *Phœnicum* Rex, in *Græciam* se contulit, & regnum cum Philosophiâ ac litteris intulit. Cum enim Delphico *Apollinis* delubro egressus, facto per agrum *Phocensium* itinere, bovem sibi obvium habuisset, eo sacra fecit *Palladi*, atque istic loci urbem condidit, *Thebarumque* nomen à patriis *Thebis* imposuit: in qua urbe, & *Regno* & Philosophiæ sedem fixit.

X. Verum & *ex Ægypto Philosophia in Græciam* à variis est traducta: Solebant enim *Græci* in *Ægyptum*, regionem sibi vicinam, tanquam ad bonarnm artium mercatum, proficisci: ita *Plato* in *Ægyptum* profectus à sacerdotibus *Ægyptiis* præceptis *Philosophiæ* imbutus est. Et celeberrimæ fuerunt veterum *Ægypti* scholarum *Coloniæ*, in *Ioniam*, *Rhodon*, atque *Asiam minorem*, traductæ. *Cecrops* ex *Ægypto* profectus in *Atticâ* regnum condidit, *Danaus Argos* venit, ibique litteras & *Philosophiam*, à *Cadmo* consanguineo, paulo ante traditas, sed postea abolitas, postliminio restituit. Ita tandem, maximis laboribus, variis itineribus, diversis *Coloniis*, ad *Græcos* translata est Philosophia. Certè postquam imperii ἀξίωμα ad eos, simul bonatum litterarum, ac *Philosophiæ* ptofessio omnis ac possessio, transmigravit.

XI. Apud *Græcos Philosophia* non una fuit, sed in partes statim abiit divisa, factiones, sectas. Ambitio enim tam altas egerat in illorum cordibus radices, ut priorum monumenta postremi conati sint intervertere, atque prorsus delere, quo facilius proprii nominis famam fumumve, deletâ priorum

memoriâ, ad posteritatem propagarent: hinc factum est, ut, quæcunque ambitiosi *Græculi* de rebus divinis atque humanis, à *Chaldæis*, *Phœnicibus*, *Ægyptiis*, addidicerant, interdum alio modo atque Methodo, suppressis nominibus, proposuerint, quàm plurimum in fabulas ac prodigiosa commenta commutarint, ut quisque cerebello suo gratulari posset de *Philosophia* rebusque aliis, à se inventis, qui morbus haud leviter *Græcorum* ingenia vexavit. Hinc in tot sententiarum divortia est itum, factiones, sectas.

XII. Non est decretum nobis omnes Philosophorum inter *Græcos* familias perlustrare. Quæ maxime insignes sunt habitæ, duæ extiterunt, *Italica* & *Ionica*; *Italicæ* sectæ Princeps ac caput fuit *Pythagoras Samius*, *qui* postquam *Samus* patria à *Polycrate Tyranno* esset occupata, in *Italiæ* partem istam concessit quæ quod maximè *Græcorum* coloniis esset frequentata, magnæ olim *Græciæ*, nunc *Calabriæ*, tenet nomen, ac *Philosophiam* ibi docuit, primusque *Philosophi* nomen introduxit: cum enim antè σοφοὶ sapientes dicerentur, naturæ scrutatores, ipse, solum Deum sapientem ratus & hoc nomine dignum, ex animi quâdam modestiâ se primus Philosophum appellavit: occasio mutati nominis fuit: cum *Pythagoras* coram *Leonte Phliasiorum Tyranno*, i. e. Rege (antiquitus enim honoratum fuit *Tyranni* vocabulum) multis de rebus graviter & subtiliter disseruisset, rogatus quam artem profiteretur, & quare sapientem se prædicaret, respondit cum maximâ animi submissione, se nullam quidem profiteri artem, nec se σοφὸν, *sapientem* ulla in re, sed φιλόσοφον, *sapientiæ studiosum*, esse: atque ab eo tempore *Philosophiæ* nomen invaluit & pro ipsâ venit *Sapientiâ*. Vid. *Laërt.* in *Vita Pythagoræ*. *Cicer. lib.* 5. *Tusc. Quæst. August. de Civit. Dei l.* 8. *c.* 2. Famosa hæc est secta, quod numeros, principia rerum, & μετεμψύχωσιν, defenderit. Cæterum *Pythagoræ* successit *Thelauges* filius, ei *Xenophanes*, huic *Parmenides*, huic *Zeno Eleates*, Dialecticæ inventor, *Zenoni Leucippus*, *Leucippo Democritus*, quem complures alii sunt secuti, & inter eos *Epicurus*, sicuti hanc seriem refert *Diogenes Laërtius* in *Proœmio*. Verum *Clemens Alexandrinus lib.* 18. στρωμ. hos posteriores ad *Eleaticam* sectam revocat, quæ in *Xenophane Colophonio* cœperit: hunc enim dicit patria pulsum in *Siciliam* venisse, circa 60. Olympiadem, cum *Tarquinius Superbus* regnum tenuit apud *Romanos*, & contraria *Pythagoræ*, sectæ *Italicæ*, ac *Thaleti*, sectæ *Ionicæ*, Principibus, docuisse, ejus auditorem fuisse *Parmenidem*, *Parmenidis*, *Melissum Samium*, hujus, *Zenonem Eleatem*: item ex hac Schola prodiisse *Leucippum Eleatem*: *Democritum Abderitam*, *Protagoram*, *Pyrrhonem*, & *Epicurum*, quibus omnibus adnumerandus est *Empedocles Agrigentinus*, Rhetoricæ inventor, & *Heraclitus Ephesius*, qui 69. *Olymp.* tempore *Darii* filii *Hystaspis* claruit. Videntur hi omnes ad Italicam sectam pertinere, non solum, quia eos inter Pythagoricos recenset *Laërtius*, sed etiam, quia *Elia* seu *Velia*, *Parmenidis* & *Zenonis* patria, *Lucaniæ* est in *Italia* oppidum: Quia vero cum *Pythagoricis* non convenerunt in sententiis & principiis, *Aristoteles* eos inter *Pythagoricos* non recenset, sed *Ionicis* potiùs accenset, *l.* 1. *Metaph. c.* 3.

XIII. *Ionica secta* Princeps dicitur atque Author fuisse *Thales Milesius*, ex 7. Græciæ sapientibus. Hic *Astrologiæ* secreta rimatus, primus prædixit *Eclipsin*, quæ tempore *Halyattis Lydorum Regis* accidit, *Olympiade* 48. *Anno V. C. CLXX.* qua de causa cum maximè mirati sunt, *Xenophanes*, aliique, ut refert *Laërtius* in vita ejus, & *Ammonius* in *Categ. Relat.* addit *Laërtius*, quod primus puncta æquinoctialia invenerit, sed præcepta Geometriæ ab *Ægyptiis* didicerit: ibi enim, quod vacare his studiis, sacerdotibus permitteretur, artes *Mathematicæ* primum sunt constitutæ. *Arist. l.* 1. *Met. c.* 1. *Thales* natus in *Ionia Ionicæ* sectæ originem dedit, ac nomen: verum non tam practicam, quàm contemplativam excoluit Philosophiam, de primis rerum naturalium principiis sollicitus; unde sectatores ejus, *Physici* sunt dicti. Successit ipsi *Mileti* in *Ioniâ Anaximander*, itidem *Milesius*, *Anaximandro Anaximenes*, *Anaximeni Anaxagoras Clazomenius*, cujus Auditor fuit *Archelaus Athenienſis*, qui primus ex

Ioniâ

Ioniâ Asiæ parte Physicam Philosophiam in *Atticam* transtulit seu Athenas, teste *Laërtio* in vita ejus: at juxta *Clem. Alexandrinum* id fecit *Anaxagoras*.

XIV. Ad *Anaxagoram* usque balbutiens fuit *Philosophia* secta *Ionica*, donec in Discipulo ejus *Socrate* (de quo oraculum *Apollinis*, Ἀνδρῶν ἁπάντων Σοκράτης σοφώτατος) expressiorem nacta est formam, *Olympiade* 89. juxta *Laërtium*, seculo sexto quarti mundi Millenarii, tempore belli *Peloponnesiaci*, in quo militem egit, & *Alcibiadi* adhæsit, lapsumque equo *Xenophontem* servavit, ut habet *Laërtius* in vita ejus: Is animadvertens, *Naturalis* speculationis fructum nullum esse in se, eamque ad officia vitæ nihil esse necessariam, invexit primus *Ethicen*, deque *Moribus* publicè disseruit; *Xenoph. de dictis Socratis*, *August. lib.* 8. *de Civ. Dei*: etsi verò de moribus tantum tractavit, de totâ vero naturâ nihil, in his tamen universale quærens ptincipium, primus mentem ad definitiones applicavit, adeoque & inductione & definitione, veræ Philosophiæ instiumentis, usus est primus, *l.* 1. *Metaph. c.* 6. quin & dialectica magis excoli cœpit ejus tempore, cujus alii ante ipsum fuerunt expertes; *ibidem: Socrates* autem in omnem sese vertit partem disputando, nihil ex sua sententia asserens; nihil quoque scripsit; sed *Plato* & *Xenophon* postea ejus sententiam in litteras retulerunt.

XV. Ex *Socratis* Schola proseminatæ sunt quasi innumeræ *Philosophorum* dissentientium sectæ, ut *Academici*, *Cynici*, *Peripatetici*, qui omnes se *Socraticos* dixerunt. *Academicorum* princeps fuit *Plato*, *Atheniensis*, dictus Πλάτων, ob egregium corporis habitum, cum ante *Aristocles* ex Avi nomine vocaretur: Philosophari solitus erat in *Academiâ*, nemore quodam *Athenarum* suburbano, quod ab Heroë *Academo* (qui quis fuerit, *Plutarchus* in *Theseo* docet) nomen acceperat: unde & hodie *Academia* nomen remansit: miscebat *Heraclitiorum*, *Pythagoricorum*, & *Socraticorum*, rationes: in iis, quæ sensibus subjacent, *Heraclii* partes tuebatur: in iis, quæ ad intelligentiam pertinent, *Pythagoræ* acquiescebat: in civilibus, Socratem amplectebatur: celebratur hujus secta potissimum opinione idearum seu specierum separatarum, quam tamen in ejus libris invenire non est, ut, *Secundo Vol. Disput. Select.* ostendimus. Vita functus est *Plato*, 108. *Olympiade*, juxta *Laërtium*, sub initium 7. seculi Millenarii quarti, à condito mundo, quo tempore & *Cynica* secta in flore fuit, & *Peripatetica* exoriri cœpit. Successit *Platoni* in *Academiâ*, ejus ex sorore Nepos, *Speusippus*, quem excepit *Xenocrates Chalcedonius*, cujus successor fuit *Polemon*, quem secutus est *Crates*, *Arcesilæ* præceptor; & hucusque *Academia* vetus extitit, retenta primi *Magistri* sententia, usque ad finem fere seculi *VII.* *Cynicæ* sectæ verò author fuit *Antisthenes Atheniensis*: Is cùm esset in Piræo, narrante *Laërtio*, quotidie quadraginta emetiebatur stadia, ut *Socratem* audiret; sed magis amans in Præceptore constantiam vitæ ac morum quàm liberam illam & solutam in quamcunque partem differendi consuetudinem *Platoni* probatam, eo rigoris processit, ut omnia admordere ac reprehendere aggrederetur: id quod in primis fecit auditor ejus, *Diogenes Synopensis*, qui, cum rigore *Antisthenis*, suam adjunxit impudentiam, omni ad omnia insectanda loco ac tempore usus, unde & *Canis*, Κύων, nomen ei est inditum, atque inde putant multi *Cynicæ* sectæ nomen profectum, quamvis alii malint esse deductum à Gymnasio *Antisthenis*, quod κυνόσαργες fuit appellatum, teste *Laërtio*.

XVI. Florente secta *Cynica* & *Academica*, nova exorta est *Peripatetica*, sic dicta, quod ejus princeps, *Aristoteles*, ambulando doceret, unde & *Lyceum*, in quo docebat, *Peripatus*, dictum fuit, & ejus sequaces, *Peripatetici*. Fuit Aristoteles, *Nicomachi* & *Phastiadis* filius, genere *Macedo*, patria *Stagirites*, *Æsculapii* Medici pronepos, juxta *Laërtium*, *Suidam*, *Plutarchum*, *Ammonium*, qui vitam ejus descripserunt: is à puero bonis artibus innutritus *Socratem* audivit triennium, eoque defuncto *Platonem* secutus est, anno ætatis 17. in cujus Academia 20. annos assiduum *auditorem egit*, & per istius temporis tractum, ita diligens fuit in evolvendis *Philosophorum* scri-

ptis, ut ejus ædes *Plato Anagnoſta* domum appellare conſueverit, atque adeo veri indagandi cupidus extitit, ut ab illo, nunc *Mens*, nunc *Veritatis Philoſophus*, diceretur: ita factum eſt, ut facilè inter alios diſcipulos *Platonis* inclareſceret, & unus ex omnibus, qui tunc vivebant, *Philoſophis*, à *Philippo Macedonum Rege*, filio *Alexandro* præceptor præficeretur. Extant litteræ apud *A. Gellium* lib. 9. c. 3. quibus *Philippus* Rex ad Ariſtotelem ſcribit, ſe Deo gratias agere, non tam quod ſibi filius natus eſſet, quàm quod eum eo naſci tempore contigiſſet, quo informatorem habere poſſet *Ariſtotelem*. Itaque ſubvectus *Ariſtoteles* ſingulari gratia Regis, ad excolendam perfectè *Philoſophiam* nihil fecit reliquum, ſed veluti *Arbiter* ſedens inter tot ſectas, eas, ad rationis lineas, vocavit omnes, atque correxit, quod in iis diſpliceret; quin, &, ab ipſo ſuo Magiſtro *Platone*, in multis diſſenſit; unde & Plato, infenſior ei factus, dicere ſolebat: *Ariſtoteles in nos recalcitravit non ſecus atque in Matrem Pulli, quos ipſa peperit.* Nempe cogitabat id *Philoſophus*, quod poſtea ſcriptum reliquit, *Amicus Plato*, *Amicus Socrates*, *magis Amica Veritas*. *Alexandrum* in *Nymphæo* tanta informavit diligentia, ut non ſolum Rex *Philoſophiam Moralem* didicerit, ſed & graviores illas ſcientias, quas *Acroamaticas* ſeu *Epopticas* vocant, quas, quod evulgaſſet *Ariſtoteles*, ægerrime tulit *Alexander*, ut habet *Plutarchus* in vita ejus & *Gellius* lib. 20. c. 4. Commoratus eſt *Ariſtoteles* in *Macedonia* annos 8. aut pauciores, ut alii ſentiunt, & inde iterum in *Atticam Athenas* migravit, ubi antea Platonem audiverat, vocatus ab Athenienſibus, narrante *Ammonio*. Vidit in *Academia docentem Xenocratem* condiſcipulum, ac moleſte ferens, eum loqui, ſe tacere, elegit in *Liceo* περίπατον, atque illic deambulando *Philoſophiam* docuit, unde *Peripateticorum* nomen & *Philoſophia Peripatetica*, originem trahunt.

Neque illotis manibus ad docendum proruit, ut hodie fieri ferè ſolet, ſed confirmatum jam habens, exacta diſciplina & multo rerum uſu, judicium, annum propemodum agens quinquageſimum libros ſcripſit. *Philippus* quoque præmia Doctrinæ præclara & digna ipſi dedit, teſte *Plutarcho*; nec minus fecit *Alexander*, cujus magna pars regni fuit juxta *Ammonium*. Idem *Alexander Ariſtoteli* commentationem & hiſtoriam de natura Animalium impoſuit ac demandavit, juſſis parere ei omnibus, quos aucupia, venatus, piſcatus, aliaque id genus ſtudia alebant, atque incredibilem pecuniæ ſummam in eam rem impendit, teſtantibus *Plinio l.* 8. *c.* 16. *& Athenæo l.* 9. *Dipnoſoph.* adeo ut nullus mortalium tanta adminicula *Philoſophiam* excolendi unquam habuerit, quanta *Ariſtoteles*, nec fortaſſe quiſquam unquam habiturus ſit. Acumen ingenii incomparabile, ſtudium cognoſcendæ veritatis incredibile, omnes ipſi tribuunt, nec ullum Philoſophum tantis boni ſcriptores elogiis dignantur, quam *Ariſtotelem*. Legatur *Diogenes Laërtius* in vita *ejus*, *Plutarchus* in *Alexandro*, *Cicero* lib. 5. *de Finibus*, *Plinius* lib. 8. c. 16. *Auguſtinus* lib. 8. de *Civ. Dei*, *& ibidem Ludovicus Vives*. *Ammonius* eouſque progreditur ut eum humani ingenii modum exceſſiſſe ſcribat. *Averroës*, totis mille & quingentis annis nullum fuiſſe in eo repertum errorem pronunciat: quæ tamen *ὑπερβολικῶς dicta exiſtimem*. Quicquid ſit: ſolus *Ariſtoteles* regnum hodie tenet atque obtinet in ſcholis & Academiis, & ex eo ac *Commentationibus* in eum hodie *Philoſophari* conſuevit Juventus: neque audiuntur, neque admittuntur, qui in ipſum inſurrexerunt, aut inſurgunt. *Philoſophia* progreſſum ab *Ariſtotele* ad *Græcos*, à *Græcis* ad *Arabes*, ab *Arabibus* ad *Latinos*, præſertim *Monachos* ac *Canobitas*, *Thomiſtas*, *Scotiſtas*, *Nominales*, *Reales*, *&c.* alias enarrandi fortaſſe dabitur occaſio.

FINIS.

EXERCITATIONUM ETHICARUM PRIMA, DE Ethicæ existentia & à Theologiâ distinctione.

THESIS I.

Uemadmodum inter scientias seu habitus mentis Theoreticos princeps est *Metaphysica*, ita principatum tenet inter prudentias seu habitus mentis practicos Ethica. Quare, uti non ita pridem exorsi sumus *Exercitationes Metaphysicas*, ita nunc *Exercitationes* (quod felix esse faustumque velit supremum numen) exordimur *Ethicas*: utrobique hoc præstare conaturi, ut utriusque disciplinæ res, & quam clarissime exponamus, & ad usum applicemus: utrumque, pro donorum à Deo concessorum modulo. Et labor quidem posterior videri queat fructraneus, cum totum *Ethicæ curriculum*, ante paucos annos, in eadem hac *Academiâ*, almâ matre nostrâ, *triginta & unâ disputationibus*, à carceribus ad metam, sit à nobis decursum. Verum enimvero, quæ, tunc compendio, nunc fusius, ibi κολλατικόδιασικῶς, hîc ἀναστικόδιασικῶς, pertractare est animus: & ordine suo processerunt istæ *disputationes* secundum filum & seriem *Ethicæ Aristotelicæ*: hæ *exercitationes* longius interdum excurrent. *Deus ingressum instruat, progressum dirigat, egressum compleat.* Duo hac primâ disputatione à nobis fient. 1. *Ethicam dari*, id est, rationem bene vivendi, doctrinam morum, præceptis, sive in mente, sive in codice, (neque enim hoc nunc disputamus) comprehensam, probabimus. 2 *Eam esse distinctam à Theologia*, quæ etiam est ars vivendi & canon morum, demonstrabimus. Ad primum sic progredimur.

II. *Primo.* Ubi errori locus est, ibi est opus præceptis, quibus error iste corrigatur: atqui in vita degenda, ac bene degenda, errori locus est; nam quam sæpe fit ut vitia pro virtutibus, & sub istarum nomine nobis obrepant? dum temeritas, fortitudinis titulum ementitur, moderatio, ignavia dicitur, qui cautus est, timidus habetur? in his sane maximo cum periculo inter vivendum erratur. His erroribus ut occurratur, præceptis opus est ac disciplinâ, quam *Ethicam* vocamus. *Secundo*, si disciplina est posita, quæ operationes intellectus dirigat ad rerum veritatem assequendam, pariter debet aliqua poni, quæ voluntatis operationes dirigat ad prosequendam rerum bonitatem: nam tam est impotens voluntas in boni prosequutione, quam laborat intellectus in veri assecutione: atqui datur disciplina, quæ operationes intellectus dirigat ad rerum veritatem assequendam, sc. *Logica*, Ergo danda est aliqua disciplina, quæ operationes voluntatis dirigat ad rerum bonitatem prosequendam, sc. *Ethica*: nam utrobique par est ratio. *Tertio*, argumentamur à minori ad majus. Si fidibus canere, literas legere, &c. præceptis addiscitur, an non ad bene vivendum, quo nihil est majus, præcepta aliqua fuerint posita? *Quarto*, provocamus ad experientiam. Institutione vitia sanari posse atque emendari, virtutem doceri præceptis, assiduis cohortationum quasi flabellis felicitatem in multis

accendi, & multos ad eam ardenter inflammari, quotidiana comprobat experientia: Et insigne est *Polemonis* exemplum, quem ex ganeone perditæque luxuriæ adolescente, bonis præceptis à *Xenocrate* traditis, virum temperantem maximumque evasisse *Philosophum*, tradit *Val. Max. l. 6. c. 9.* Ex quibus omnibus, luce meridiana clarius manifestiusque est, dari præcepta ac disciplinam, quæ rationem bene vivendi doceat ac profiteatur, quam, *Ethicam* aut *Philosophiam moralem*, vulgo vocamus.

III. Verum non sufficit simpliciter ostendisse *Ethicæ existentiam*, sed hoc insuper superest, ut eam à Theologia distinctam disciplinam demonstremus: Hoc ut præstent nonnulli, quasdam vitæ humanæ differentias considerandas proponunt: ac distinguunt vitam humanam, in *naturalem* vel *adventitiam* seu *acquisitam*: *naturalem* vitam vocant, quam homo vivit vi solius naturæ: *acquisitam* aut *adventitiam* appellant, quam homo vi habitus cujusdam ad naturam accedentis vivit. *Hæc* est, vel *intellectualis*, quam homo vivit vi habitus intellectualis: vel moralis, quam vivit vi habitus moralis: Atque *hæc* est, vel *Philosophica*, quam *Philosophia Practica* informat & dirigit, sive in genere, sive in specie, cujusmodi est vita proba & honesta, vel *Theologica*, quam *Theologia* informat, estque vita religiosa, Christiana, spiritualis: hisce præmissis sic argumentamur pro discrimine Ethicæ & Theologiæ. Quæ disciplinæ differunt, 1 *Subjecto proprio & adæquato tractationis*, 2. *Subjecto informationis*, 3. *Fine proximo*, 4 *Fine ultimo*, 5 *Principiis propriis*, eæ differunt re ipsa. Atqui *Ethica* & *Theologia* differunt istis modis, quod sic demonstrant. 1. *Subjectum proprium & adæquatum tractationis* in *Ethica*, est, modus probe honesteque vivendi præceptis explicatus, in *Theologiâ*, modus religiose & Christiane ac sancte vivendi. 2. *Subjectum informationis* in *Philosophia Practica*, est, homo probus & honestus, sive absolute aut in se spectetur, sive in certo vitæ statu aut œconomico aut Politico: in *Theologia subjectum informationis est*, homo religiosus, Christianus, sanctus. 3. *Finis proximus Ethicæ* est, probe honesteque vivere, aut explicare modum probe honesteque vivendi: *Theologiæ* finis proximus est, sancte, religiose, Christiane, vivere, aut saltem modum ita vivendi exponere. 4. *Finis ultimus Ethicæ* est, felicitas terrena & temporalis, hominis: *Theologiæ* autem, felicitas cælestis & æterna. 5. *Principia propria in Ethicis*, sunt lex naturæ & recta ratio; *Principia propria in Theologia* sunt, sacræ literæ & verbum Dei revelatum. Per *legem naturæ* intelligitur, vel sententia certa de discrimine honesti & turpis, justi & injusti; &c. quæ sententia homini, solo naturali rationis lumine, sine alterius institutione aut doctrina, est nota; vel intelligitur per *legem naturæ*, ipsa notitia naturalis, in quantum reliqua est, honesti & turpis, justi & injusti, quæ quoad aliquas reliquias in hominibus omnibus ratione bene utentibus reperitur. Per *rectam rationem* intelligitur, partim rectum hominis de rebus agendis judicium, partim axiomata practica vera & certa, quæ de honesto & turpi, justo & injusto, à sapientibus & prudentibus, ex lege naturæ eruuntur & traduntur: cujusmodi sunt, quod honestum est, est appetendum, quod turpe, est fugiendum, nemo est lædendus, suum cuique est tribuendum, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, Deus est colendus, Parentes & Magistratus sunt venerandi, Tranquillitas publica est defendenda &c. Per *Scripturam Sacram* intelliguntur, ut notum est, Prophetarum & Apostolorum, de turpi & honesto, justo & injusto, Effata: Jam vero, sicut hæc principia sunt diversa, ita disciplinæ, quæ de justo & injusto, honesto & turpi, hisce *Principiis* innituntur, & ex iis eruuntur, longe differunt. Certe, sicut ex diversitate prima Principiorum, quibus gignitur cognitio Theologica & Metaphysica de Deo, bene infertur *Theologiæ* & *Metaphysicæ*, discrimen; ita ex diversis Principiis, tum ex lege naturæ, tum ex libro Scripturæ, recte eruuntur præcepta de honesto & turpi, justo & injusto, & bene etiam infertur diversitas *Ethicæ* & *Theologiæ*. Hoc argumentum à *Principiis Ethicæ ac Theologiæ* distinctis, ad utriusque disciplinæ discrime

scrimen inferendum, quia solidum videtur, paulo plenius est proponendum.

IV. *Principia Ethicæ* tria sunt: *reliquiæ legis naturæ nobiscum natæ, experientia, & ratiocinatio: reliquiæ legis naturæ nobiscum natæ*, sunt, generalia de virtutum officiis præcepta & quasi fundamenta, ex quibus specialia licet illi elicere, ut, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, & alia, quæ statim recensuimus: *Experientia* colligit exempla virtutum & vitiorum atque eventuum, verbi causa, per virtutem multos pervenisse ad dignitates, honores, opes; vitiis vero infames ad extremā deveniſſe miseriam. *Ratiocinatio* est, quę ea, quę experientiâ sunt cognita, colligit & concludit, ex generalibus honesti & turpis, justi & injusti regulis, speciale quorumcunque officium: at vero hæc *principia* non sunt *Theologiæ*, ubi conclusiones de honesto & turpi, *non ex lege naturæ aut ejus reliquiis, nec ex experientia, per ratiocinationem*, sed vero *solâ Sacra Scriptura* à Deo nobis revelata hauriuntur, petuntur, accipiuntur. Profecto, si differant cognitio Dei naturalis hausta ex libro naturę, & cognitio Dei supernaturalis hausta ex libro Scripturæ, ob diversa, unde hauriuntur, principia, quidni pari modo different cultus Dei naturalis, ab *Ethica* præscriptus, ex lege naturæ acceptus, & cultus Dei supernaturalis, à *Theologia* expositus, petitus ex lege revelata in Scripturis? certe, homo lumine naturæ non tantum ex libro naturæ cognoscit, Deum esse, & illum esse summe bonum, sapientem, potentem, universæ naturæ causam effectricem, conservatricem, directricem, proindeque omnia provido suo sapientique consilio regere, legitimum ordinem tueri, & non solum in rerum institutione, sed in earundem sustentatione omnem ἀπαξίαν aversari atque avertere, hæc omnia non tantum, inquam, cognoscit homo ex libro naturæ, lumine naturæ, docente atque explicante hæc de Deo *Metaphysica* vel Theologia naturali, sed præterea lumine naturæ ex lege naturæ cognoscit homo, numen illud, optimum, sapientissimum, potentissimum, religiose esse colendum, voluntatique ejus esse obsequendum, sub ipsius potentia omnia esse submittenda, &c. docente hæc omnia & explicante *Ethica*: nam, quo modo Deum ex idea ejus nobis innata & ex universa rerum natura, cui vestigia sui ac suæ bonitatis, potentiæ, & sapientiæ, impressit, naturali intellectus lumine homo cognoscit, ita eodem naturæ lumine cognoscit, ex natura numinis ac sui cognita, cultum esse ipsi Deo præstandum, ex vi reliquiarum legis naturæ sibi innatarum, nec Deum tantum esse colendum, sed & proximo benefaciendum ex eodem principio concludit. Hinc, exstant tot insignia de cultu Dei naturali, de justitia erga proximum exercenda, in *Platone*, *Xenophonte*, *Epicteto*, *Cicerone*, *Seneca*, *Plutarcho*, aliisque gentilibus, testimonia, quæ non adducimus, quia satis perspecta cuivis ex eorum Authorum lectione esse possunt. Atque ex hisce omnibus concludimus, *Ethicam* non minus distingui à *Theologia*, quod illa Deum naturaliter, hæc supernaturaliter colendum, doceat, quam distinguitur *Metaphysica à Theologia*, quarum illa Deum naturaliter cognoscendum, hæc supernaturaliter intelligendum, proponit.

V. *Keckermannus*, in suis *præcognitis Ethicis*, variis quoque utitur argumentis ad discrimen *Ethicæ* & *Theologiæ* inferendum, in quæ quia incurrit *Cl. Amesius Technom. pag.* 34. *Thes.* 116. & illius probationes & hujus exceptiones nonnihil considerabimus: nam quæ Cl. Vir habet in sua *disputatione contra Ethicam* sub titulo *de perfectione Scripturæ*, ea summatim repetiit ac proposuit in *Technom.* loco dicto, *Thes.* 116. *Keckermanni* primum argumentum desumptum est à *fine Ethicæ* & *Theologiæ*. Et profecto, sicuti disciplinæ speculativæ objecto, ita Practicæ potissimum fine distinguuntur. Sic argumentatur *Kekkerm.* Quarum disciplinarum fines sunt distincti, eæ ipsæ sunt distinctæ. Sed Ethicæ & Theologiæ fines sunt distincti *Major* est principium Logicum, & *minor* probatur, quia bonum morale est distinctum à bono spirituali, Theologiæ finis est bonum gratiæ ac supernaturale, Ethicæ finis est bonum morale seu civile & naturaliter acquirendum ac sic naturale. Illa autem duo bona differunt, consequenter, differunt & disciplinę quę utrumque

hoc bonum, sed divisim, habent pro fine; *Excipit Amesius.* 1. *Ipsa supernaturalis beatitudo, respectu societatis civilis ac politicæ, in qua vivimus, considerata, civilis est ac moralis.* Resp. Subjective est civilis, non terminative, id est, ut clarius loquar: beatitudo supernaturalis, quæ ex parte in via, plene in Patria, possidetur, illa in tantum potest dici civilis in hac vita, in quantum cadit in civem, societatis politicæ membrum, ut subjectum, at beatitudo supernaturalis subjectata in cive, non terminatur in hac vita, sed vero producitur ad vitam alteram, ubi demum consummabitur: At beatitudo moralis terminatur in hac vita, nec ulterius producitur. Deinde non in omnia societatis civilis ac politicæ membra cadit beatitudo supernaturalis, in quæ cadit moralis: multi ex gentilibus consecuti sunt summum bonum morale, sed non item supernaturale; quare ne quidem à parte subjectorum confundi debent bonum morale & supernaturale. 2. *Excipit Amesius civilis ac moralis beatitudo, supernaturali contradistincta, non naturalis, id est, ex natura corrupta proficiscens, sed in quantum supra eam ex reliquiis naturæ integræ per divinam gratiam fluit in Ethnicis sapientioribus, naturalis dici debet.* Resp. Sed neque nos beatitudinem moralem vocamus naturalem, quasi fluat à natura corrupta, sed quia in hominibus naturæ corruptæ fluit à reliquiis naturæ integræ in iis superstitibus: nullam tamen agnoscimus hic gratiam divinam sed solum naturæ lumen, quod ex lege naturæ aut reliquiis ejus relictis naturaliter tales virtutes in Ethnicis producit. Et ut *Cl. Amesius*, hæc, aut alii pro ipso, recte intelligant, distinguant hominē constitutum in statu naturæ corruptæ, in statu gratiæ, in statu gloriæ. Homo in statu naturæ corruptæ non in totum & solidum privatus est imagine Dei, quod ipsi docent Theologi: habet enim reliquas quasdā scintillulas, sub cinere quasi sopitas, quibus cum recte utitur, ad virtutes illas morales naturali intellectus lumine ex lege naturæ assurgere potest citra gratiæ divinæ auxilium: atque iis assequitur beatitudinem moralem, qua Deum naturaliter cognitum, ut creatorem, conservatorem, sapientissimum, potentissimum, optimum, omni cultu & pietatis officio prosequitur. In statu gratiæ cognoscit Deum ut redemptorem talemque colit, quod non habet ex legè aut lumine naturæ, sed ex divina gratia, quæ hoc, huic homini, non illi, non isti, ex verbo suo per prædicationem Euangelii, ac Spiritus Sancti illuminationem, revelavit. In statu gloriæ, homo Deum videt sicuti est, eoque fruitur perenni & perfecta fruitione, quod gratiæ quoque est peculiaris & non naturæ. Unum hic tamen objici potest, pro atque ex *Amesio*, in fine *Th.* 116. quoad statum naturæ corruptæ; in quo non videntur homines per reliquias legis naturæ ac beneficio luminis naturalis pervenire posse ad virtutes morales & beatitudinem civilem: nam contradicit *Apostolus ad Rom.* 1. *v.* 21 cum ait, *gentiles Deum non glorificasse, neque ei gratias egisse, sed mutasse gloriam incorruptibilis Dei, in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium*, item, *illos veritatem Dei transmutasse in falsitatem, & servivisse rebus creatis præterito creatore, & se obstrinxisse omnis generis sceleribus, quorum catalogum* longum ibi contexit *Apostolus. Ergo, falsum est, quod nos asseruimus de naturali cultu & pietate erga Deum, & justitia naturali erga proximum, deducta utraque ex reliquiis imaginis divinæ superstitibus, & lege naturæ relicta in homine naturæ corruptæ.* Resp. Factum non evertit jus, idest, licet gentiles multi, imo plerique, in horrenda scelera ruerint, hinc tamen non sequitur, ipsos naturaliter ignorasse contrarium; extinguere quidem conati sunt lumen naturæ & conscientiam, abolere item legem naturæ, excutere, atque obruere, & obfuscare reliquias imaginis divinæ, sed non potuerunt; manserunt enim scintillæ quædam, vel invitis: unde dixerat *Apostolus*, v. 18. *homines veritatem injuste detorquere*, ubi per vocem (*veritatem*) intelligit lucis primævæ & legis naturæ reliquias resíduas. 2. *Respondeo. Apostolus* non loquitur, de omnibus & singulis, sed de quibusdam impiis: atqui à particulari ad universale non valet illatio: non sequitur; in quibusdam gentilibus non apparuit cultus Dei naturalis, & naturalis justitia in proximum exercita lumine naturæ, vi legis naturæ, ergo illa

go illa in nullo gentilium reperiuntur. Sed pergamus cum *Kekkermanno*.

VI. Secundum *Kekkerm* pro discrimine *Ethicæ* & *Theologiæ* argumentum desumit ab *objecto*, & sic proponit. *Theologia* versatur circa interiorem hominis affectum reformandum penitus ad imaginem Dei, atque adeo circa cultum Dei internum: *Ethica* vero versatur circa mores externos in civili societate hominum atque adeo concluditur terminis hujus vitæ & tradit præcepta pro mensura præsentis vitæ, at *Theologia* terminis hujus vitæ non concluditur, sed rationem monstrat bene moriendi, & ad aliam vitam transeundi. *Excipit Amesius. Theologiæ objectum esse tam externam in moribus, quam internam in animo obedientiam: Et Ethicam docere, quomodo regenda sit voluntas, affectus compescendi, adeoque explicare cultum Dei internum.* Resp. fatemur non tantum esse ponderis in hoc *Kekkermanni* argumento, atqui fuit in priori: nam hoc verissimum est; *Theologiam* etiam versari in informandis & reformandis moribus externis, & *Ethicam* agere de cultu Dei interno: Et testimonia *Platonis, Epicteti, Ciceronis*, hoc evincunt, quibus, ut Deum incorrupta mente veneremur, invocemus, timeamus, mandant. Videatur *Cicero l. 2. de nat Deor. Plato l. 4. de legibus. Epictetus in Enchiridio*: sed hoc voluit *Kekkermannus*, *Ethicam* non versari circa interiorem hominis affectum, quia non docet, quomodo is ad imaginem Dei plane debeat restitui, quod docet *Theologia*, quæ ideo multo majori jure circa internum hominis affectum versari debet: & hæc verba *Kekkerm. ad imaginem Dei penitus reformandam*, ab *Amesio* omissa sunt, in quibus tamen vis argumenti *Kekkerm.* consistit, quia non tali modo *Ethica* circa interiorem hominis affectum occupatur, quomodo potissimum circa eum occupatur *Theologia*. Quod *excipiat Ames. si propterea cessaret aliquid esse Theologicum, quia terminis hujus vitæ concluditur, multa vere Theologica cessarent esse Theologica, ut prædicatio verbi, administratio sacramentorum*, R. Non ferit scopum argumenti *Kekkermanniani*: hoc tantum voluit *Kekkerm. Ethicam* tradere præcepta de virtutibus in hac vita exercendis, ad bonum in hac vita obtinendum: at *Theologia* tradit quidem præcepta de verbo Dei legendo, sacramentis usurpandis, actionibus utrisque in hac vita exercendis, at institutis, ad bonum in altera vita obtinendum, ad salutem sempiternam possidendam. Deinde *dicit Ames. nunquam probabit Kekkerm. ullam virtutem cum hac vita in essentia sua cessaturam, licet in certis individuis cessatura sint quarundam virtutum simulacra.* Resp. Virtutes morales, si non quoad essentiam, saltem quoad usum, cessabunt: Pietas erga Deum ex lumine & lege naturæ instituta cessabit, quia Deum cognoscemus, non ex lumine naturæ post hanc vitam, neque colemus ex reliquiis legis naturæ, sed plene perfecteque, quantum in creaturam cadit finitam, ipsum & cognoscemus & colemus. Fortitudo cessabit, quia nulla erunt post hanc vitam pericula, nulla mors aut malum. Temperantia cessabit, quia nullus erit cibus aut potus, nullus objectus gustus aut tactus. Justitia & liberalitas cessabunt, quia nulla erunt commercia, nulla quoque indigentia.

VII. Sed tertio argumentatur *Kekkerm: à subjecto:* subjectum *Ethicæ* est vir probus, bonus, ac honestus: *Theologiæ* pius & religiosus. Et sunt multi viri honesti etiam inter Turcas alioque gentiles, qui virtutes morales exercent, & tamen respectu Theologiæ sunt desperati, ac, nisi convertantur, in æternum infelices futuri, ut *Aristides, Scipio, Socrates*, aliique *Heroes* in *Romana* & *Græca* historia celebrati. *Excipit Amesius, etiam Ethicam docere, pie vivere.* Resp distinguatur pietas, & res est confecta. Est pietas moralis, est pietas naturalis, quatenus τὸ naturale opponitur supernaturali, pietas spiritualis est pietas supernaturalis. Dicitur in versu, sic *pius Æneas*; *Pietas Æneæ* fuit bonum morale & habitus naturæ, sicuti omnis pietas, cujus in Deum exercendæ non uno loco faciunt mentionem, *Plato, Epictetus, Seneca, Cicero. Pietas Davidis* aliorumque sanctorum erga Deum exercita, fuit bonum spirituale, & habitus gratiæ. Postremo sic argumentatur *Kekkerm.* Nemo negat differre amicitiam ci-

vilem ab amicitia ſpirituali & Theologica, quidni ergo & *Ethica* differat à *Theologia*, cum illa civilem, hæc ſpiritualem amicitiam doceat. Et addo, non tantum amicitia Ethica à Theologica, ſed omnes virtutes *Ethicæ* à *Theologicis* differunt. Ad hoc *Excipit Ameſ Virtutes Ethicas eſſe meram hypocriſin & Phariſaiſmum, adeoque vitia, quod alii dicunt, eſſe ſplendida peccata.* Reſp. Quando virtutes Ethnicorum dicuntur vitia & ſplendida peccata, illud non ſimpliciter ſed cum grano ſalis eſt accipiendum, ſc. virtutes Ethnicorum collatæ cum bonis operibus piorum ſunt peccatis ſimiliora quam virtutibus, quia, quicquid eſt non ex fide, peccatum eſt: ſed per ſe & in natura ſua conſideratæ, ſunt bonum imaginis Dei in homine: per accidens autem & ratione ſubjecti evenit, ut cum cadunt in ſubjectum fide carens, ut tum degenerent quaſi in vitia; ſicut vinum per ſe bonum, in vas fœtidum, infuſum, fœtore imbuitur propter vas illud, ita virtus moralis, cadens in animum fide carentem ac vitioſum, vitium contrahit, & in peccatum abit. Sed *dicat aliquis, virtutes Ethicæ aut Theologicæ, aut diſtinguuntur gradu aut ſpecie: ſi gradu, non poſſunt diſciplinæ ſpecie diſtingui, quæ de iis agunt, & quia de iis agunt; Si ſpecie, non poſſunt convenire in eodem ſubjecto, ut conveniunt in eodem Chriſtiano.* Reſp. 1. *in genere*: ſicut bonum naturale & morale, differt à bono ſupernaturali & ſpirituali ſpecie, propter principia ſpecie diverſa, naturam & gratiam, ita differunt quoque ſpecie ob eadem principia ſpecie diſtincta virtutes Theologicæ & Ethicæ: Reſp. 2. *In ſpecie.* Virtutes Ethicæ & Theologicæ in diverſis ſubjectis, illæ in Ethnico, hæ in Chriſtiano, ſpecie differunt, quia, propter rationem datam, virtutes Theologicæ ſunt bonum ſpirituale in Chriſtianis, Ethicæ ſunt bonum morale & naturale in Ethnicis: illæ placent Deo ad ſalutem, quia perſona placet Deo in Chriſto, hæ non placent Deo ad ſalutem, quia perſona eſt extra Chriſtum: Illæ ex fide; ſecundum legem Dei revelatam ad Dei gloriam fiunt, hæ ex propria intentione, interdum ex opinione meriti, ſecundum rudera & rudimenta legis naturæ, ad nominis proprii gloriam fiunt: Interim placet Deo bonum quod in illis Ethnicorum virtutibus reſplendet, ut parvulæ ſcintillulæ ſplendent in jam fere extincto carbone: At ſi in eodem ſubjecto, ſc. in homine Chriſtiano, conſideretur virtus utraque & Theologica & Ethica, jam non ſpecie ſed gradu diſtinguuntur: nam tum ſubjectum virtutis Ethicæ, nempe Chriſtianus, placet Deo. Sic fortitudo, quæ in *Scipione*, Deo diſplicuit, ratione ſubjecti, non per Chriſtum juſtificati, placuit ipſi in *Conſtantino Magno*, Chriſtiano; interim ipſa virtus fortitudo Deo non diſplicuit. Sed ut tandem finiamus, diſtinctio accipiatur hæc. Virtutes Ethnicorum conſiderantur, vel formaliter, vel ratione ſubjecti: formaliter ſpectatæ, Deo placuerunt, ſed non ad ſalutem; ſubjectum virtutis Ethnicæ, vel confertur cum Chriſtiano homine, vel cum alio Ethnico: ſi cum Chriſtiano, Deo non placet illud ſubjectum Ethnicæ virtutis: Si cum alio Ethnico, ille, vel erit virtute præditus, vel non; ſi præditus eſt virtute, vel magis, vel minus, quam alter: ſic Ethnicus, magis ſplendidus virtute morali quam alter, magis placet Deo quam alter: Et alter, minus ſplendidus virtute, minus placet Deo: ſi ſit vitio contaminatus, tum Ethnicus virtute præditus placet Deo, præ Ethnico vitiis imbuto: ſic *Scipio* placuit magis Deo, præ *Caracalla* & *Nerone*, & id genus nefariorum monſtrorum. Atque ita omnes *Ameſii* exceptiones, nunc contra *Ethicam*, ut nuper contra *Metaphyſicam*, dilutas exiſtimamus: jam concludo. *Ethica* differt à *Theologia*; non tamen, quia differt, pugnat, non magis quam boni mores cum pietate, aut virtus moralis cum ſpirituali, in eodem Chriſtiano, quod monitum obiter volui, ne quis decidat in Scyllam, cupiens vitare Charybdim, ab uno extremo ruat in alterum, ab omnimoda identitate Ethicæ & Theologiæ rejectâ, aſſerat inſociabilem & perpetuam pugnam.

EXERCI-

EXERCITATIONUM ETHICARUM SECUNDA, DE Ethices essentia ac definitione.

THESIS I.

Ethicæ existentiam & ejusdem à Theologia discrimen expositi exercitatio prima: quæstionem enim, *an detur Ethica & distincta ab aliis facultatibus & disciplinis*, disciplina, præmittere æquum fuit ac justum, ne de re incertâ aut non existente exercitationem instituere videremur, quæstionem *an sit*, sequitur quæstio *quid sit*: itaque videndum nunc *quid sit Ethica?* hanc nobis quæstionem solvet *definitio*: ea enim est, ut *Aristoteles* loquitur, λόγος ὃ τὴν οὐσίαν, *oratio explicans quid sit esse rei*: verum, antequam definitionem in medium proferamus, primum nonnihil, sed paucis, de *Ethicis libris* Magni *Aristotelis* dicemus; & de ratione ac modo res Ethicas explicandi, quæ instar προλεγομένων erunt, & sic quoque institutum nostrum, in hisce exercitationibus Ethicis in posterum instituendis, unicuique manifestum evadet magis.

II. Tria extant in *Aristotelis* operibus, quæ hodie reperire est, Ethicorum volumina: sunt *Ethica Nicomachia*, *Eudemia*, & *Magna*, ut vocantur *Moralia*. *Ethica magna* cur sic fuerint dicta, difficile est divinare, cum omnium sint brevissima: imo potius parva quam magna dici debent, si cum reliquis comparentur, quippe quæ compendium fere sint *Ethicorum* ad *Nicomachum*: sed multi sunt, qui magna moralia esse *Aristotelis* negant, sed alterius cujuscunque: verum si *Aristotelis* sunt (neque enim nobis operæ videtur, multum inquirere in hoc negotium) existimem, illud opus ad nos non perveniisse integrum, sicuti multa *Aristotelis* volumina partim interciderunt, partim mutila ad nos pervenerunt, cujus rei rationem adfert *Strabo l.* 15. *Geographiæ*, & *Plutarchus* in *vita Syllæ*, & ex utroque *Ramus in schol. Dial. lib.* 1. *Ethica Eudemia* & *Nicomachia* sic dici volunt *interpretes Aristotelis*, quia ista *Eudemo*, singulari *Aristotelis* amico, hæc *Nicomacho*, filio suo, ab *Aristotele* sint inscripta: sed & hic *Ethica Eudemia* multi Aristoteli eripiunt, & *Eudemio Rhodio* tanquam *authori* adscriptum eunt: imo & ipsa *Ethica Nicomachia* non *Aristoteli* sed *Nicomacho* ab ipso *Cicerone* attribuuntur: hæc sunt diserta ejus verba lib. 5. de finibus. *Teneamus Aristotelem & ejus filium Nicomachum: cujus accuratè scripti de moribus libri, dicuntur illi quidem Aristotelis: sed non video, cur non potuerit patri similis esse filius?* at respondemus tibi, *disertissime Romuli nepotum, Marce Tulli Cicero*, non semper in filiis est patrum virtus: non ad istud virtutum culmen surrexit tuus ipsemet filius, quo adscendere tibi fuit concessum: *Nicomachus*, junior fuit ac juvenis, qui nulli veterum celebris est, nisi quod *Aristotelis* filius extiterit, procul dubio tam inglorius haud futurus, si hoc opus, quod summæ est eruditionis, & condidisset & edidisset: sed contra Maximum oratorem, omnium Græcorum interpretum autoritatem adducere possumus, qui *Aristoteli*, *ceu authori*, *Nicomachios Ethicorum libros asserunt*: sed ipsum *Aristotelem* sui ac librorum suorum vindicem producamus. Ipse *Philosophus* horum *Ethicorum* ad *Nicomachum* in aliis libris mentionem facit: nempe *Polit lib.* 2. *cap.* 1. *lib.* 3. *cap.* 6. *lib.* 4 *cap.* 2. *lib.* 7. *cap.* 13. *& lib.* 6. *Eth.* horum c. 3. lectorem *ad Analyt. posteriora* remittit, qui non sunt *Nicomachi*: *lib.* 1. *cap.* 6 *Socratem & Platonem* amicos vocat, in insigni & aurea ista, de philosophandi liber-

libertate, ſententia, *Amicus Socrates, amicus Plato, magis tamen amica veritas*: at *Socrates* & *Plato*, non *Nicomachi*, ſed *Ariſtotelis* amici extitere: ſed quid multis opus eſt? ultimum *Ethicorum Nicomachiorum* caput tranſitionem continet, ad libros *Politicos*, quos *Ariſtotelem* conſcripſiſſe nemo negat, & certe λέξις ac πράξις, ac res ipſa, in *Ethicis* Nicomachiis plane ſunt Ariſtoteleæ, ut non lac lacti, ovum ovo ſimilius eſſe poſſit, quam iſti libri ſint ſimiles Ariſtotelis ſtilo, genio, ingenio: quare *Ariſtotelis* eſſe, *Ethica* Nicomachia, contra Ciceronem concludamus: ſunt vero ad *Nicomachum Ethicorum* libri decem, ad *Eudemum* ſeptem, *magnorum Moralium* duo. Ego quidem, ſi omnia iſta volumina ſint Ariſtotelis, exiſtimem, *Ariſtotelem* primo conſcripſiſſe *magna Ethica*, deinde *Eudemia*, tandem *Nicomachia*: ita ut *Eudemia* ſint explicatio *magnorum Moralium*, & *Nicomachia* ſint emendatio *Eudemiorum*. Inter hæc tria *Ethicorum* volumina excellunt *Nicomachia*, unde ea etiam variis commentariis à græcis, latiniſque interpretibus, ſunt illuſtrata, & ex iis atque ad illorum ordinem omnia fere ſyſtemata Ethica ſunt compoſita & inſtituta: nos quoque, ne à more recepto abeamus, horum Ethicorum ſeriem ac filum in hiſce exercitationibus Ethicis cum Deo inſtituendis ſequemur, res Ethicas ad illius ſententiam & Methodum explicaturi, inſtitutis tamen digreſſionibus & correctionibus ipſius Philoſophi, ubi hoc opus fuerit ac neceſſe: nunc modum rationemque res Ethicas tractandi videamus.

III. Triplex vulgo in ſcholis Academiiſque eſt *Ethicam* explicandi ratio. *Prima* eſt γνωμολογικὴ, quæ brevibus & argutis ſententiis, γνώμας, ea præcipit, quæ ad mores vitamque recte inſtituendam pertinent, quales quondam in ſtatuis Mercurialibus templorumque foribus incidi ſolebant, ut ſunt, *Deum cole, parentes ama, noſce te ipſum, ne quid nimis*, &c. *Secunda* ratio tractandi *Ethicam* eſt παραδειγματικὴ, quæ virtutum & vitiorum & eventuum exempla colligit, & ad vel ſequendum vel fugiendum proponit: huc pertinent hiſtoriæ, apologi, comœdiæ, tragœdiæ, poemata, &c. *Tertia* ratio exponendi Ethicam eſt ἀποδεικτικὴ, quæ virtutum definitiones, diviſiones, cauſas, effecta, adjuncta, oppoſita, & quæcunque ad accuratam faciunt explicationem, adducit: hanc poſtremam agendi rationem init Ariſtoteles in *Ethicis ad Nicomachum*, quare & nos eam inire decrevimus. Verum adhuc *paulo* aliter modus docendi Ethicam explicari poteſt: nempe, quæ præcipiuntur de moribus, ea vel ἀτάκτως ſine ordine traduntur, vel τεταγμένως cum ordine: ἀτάκτως, ſine obſervatione ordinis, cum morum exempla, præcepta, ſententiæ congeruntur nude, ut fit in *proverbiis Salomonis* & *libris Ieſu Syrach*: τεταγμένως, obſervato ordine res Ethicæ traduntur, vel per gnomas, ſententias, & exempla, ſi juxta methodum Ethices ſint digeſta & diſpoſita, quale *enchirydion Ethicum* ante pauculos annos conſcripſit, & hic excudi curavit *Ioh. Ionſtonus Medicus*, ni fallor, Reipubl. *Leſnenſis in Polonia*, vel traduntur in pleno & integro ſyſtematis corpore: & tum ratio tradendi res Ethicas eſt, vel brevior, vel prolixior: quæ in epitomâ & breviario quaſi, nuda morum præcepta, definitiones ac diviſiones exhibet, & interdum exempla, ſed parciora exhibet: hæc ratio Tyronibus eſt accommodatiſſima, qui, ſi Ethicam diſcere cogitent, prius ſynopſin aliquam & ſyſtematicam Ethices epitomen animo ſuo complectantur, oportet, antequam ad altiora contendant, & in ipſa ſapientiæ quaſi ſacraria irrumpant: talia compendia extant quam plurima, imprimis *Gutberlethi*, *Alſtedii*, *Vernulæi*, aliorumque, quos recenſere longum foret: prolixior exponendi Ethicam ratio, eſt apodictica & pareinetica: apodictica, ut jam dixi, quæ non nuda tantum morum præcepta, definitiones, diviſiones, colligit, ſed etiam fidem iis facit, & probationes affert, atque in diſſertationes fuſiores atque liberiores excurrit, utiturque, tum demonſtrationibus, ſi haberi poſſunt, tum argumentis probabilibus: quæ ratio agendi in ſyſtematibus majoribus *Keckermanni*, *Timpleri*, *Heideri*, *Willii*, *Horneji*, & *interpretum Ariſtotelis* diſcurſibus, teneri ſolet: *pareinetica*, quæ non tantum plene res Ethi-

cas

cas explicat & rationibus probat, sed insuper adhibet ἠθικὰ & παθητικὰ, quibus demulcet auditorum animos ad studium philosophiæ moralis, & ad virtutum actiones atque exercitium, per media & motiva, hortatur, inflammat, incitat, exstimulat: quæ ratio docendi ac tradendi Ethicam, minus quidem est usitata, longe tamen utilissima, utpote, qua verum finem Ethicæ subordinatum, & ultimum, πράξεις, actiones morales, & summum bonum ac beatitudinem consequimur, qua non tantum cognoscimus res Ethicas, sed & agere Ethicè addiscimus, adducimur, movemur: cui rei inserviunt *casus conscientiæ*, & *morales*, bene explicati & decisi. Sed tandem ad rem ipsam, *Ethicæ definitionem*, accedo, quam quidem ex *Aristotele* frustra quis petat, quandoquidem nulla extat: nam neque in *Ethicis magnorum moralium*, neque in iis ad *Eudemum*, neque in iis ad *Nicomachum*. eam invenies: & *Philosophus* non videtur ita se adstrinxisse artium præceptis, sed liberiori esse discursu usus: ea tamen, in ordinata cujusque rei tractatione ceu fax præmitti, & recte solet,

IV. *Definitio* non una apud authores occurrit. Nonnullis, definitur *doctrina morum*, aliis, *doctrina virtutum*, aliis, *doctrina de fine hominis*, aliis, *doctrina de officiis communibus ad cujusque vitæ institutionem pertinentibus*, aliis, *ars bene beateque vivendi*, aliis, *prudentia regendi voluntatem & appetitum pro bono civili acquirendo*: sed harum definitionum quædam sunt latiores, quædam angustiores suo definito: mihi videtur omnium esse perfectissima hæc, *Ethica est prudentia, quæ animum ejusque actiones per virtutem informat, ut felicitatem, quæ in vita civili contingere potest, homo consequatur.* Hic primum vox, id est, *definitum*, tum *definitio*, excuti debet. *Definiti* vox est *Ethica*. Vox *Ethica*, græce ἠθικὴ, sicuti pleraque disciplinarum apud græcos nomina, λογικὴ, ῥητορικὴ, ἀριθμητικὴ, &c. adjectiva est, ac subintelligitur, vel τέχνη, vel ἐπιστήμη, vel δύναμις, vel διδαχὴ, aut simile substantivum: dicitur ἠθικὴ, ut notationem & etymologiam proponam, vel ἀπὸ τοῦ ἔθος à *consuetudine*, ἔθος enim græcis est *consuetudo*, mutato ε in η, quæ *notatio* est à causa efficiente instrumentali, quia per consuetudinem, assuefactionem, per crebrum actionum exercitium, unde consuetudo oritur, mores formantur; vel rectius ἀπὸ τῶν ἠθῶν à *moribus* seu *actionibus hominum externis*, à *libera voluntate emanantibus*: ἦθη enim *mores* significat: hæc *notatio* est desumpta à *moribus*, vel tanquam ab objecto, quia circa hominum mores formandos & instituendos occupatur Ethica, vel tanquam à fine, quia hic finis est Ethicæ, ut hominum mores, affectus, actiones, ad civilitatem deducat Ethica: Hæc est Ethicæ *Etymologia*. *Homonymia* est in eo sita, quod interdum vox *Ethica* sumatur generaliter, pro universâ Philosophiâ practicâ, quæ Ethicam proprie sic dictam, Politicam & Oeconomicam, comprehendit, & ita videtur sumi in illa Philosophiæ Stoicis recepta divisione, qua dispescitur in Logicam, Physicam, Ethicam: interdum, ut hic & nunc sumitur, pro ea Philosophiæ practicæ parte, quæ hominis actiones & mores virtute instruit ad beatitudinem civilem obtinendam, & sic contradistinguitur *Politicæ & Oeconomicæ*. *Ethica* latinis dicitur *philosophia moralis*, sicuti *politica*, civilis.

V. In definitione allatâ occurrit primum *genus*, quod fecimus *prudentiam*: nam cum virtutes non nobiscum nascantur, sed exercitatione & crebris actionibus acquirantur, oportet *Ethicam*, quæ virtutum disciplina est, esse habitum: neque hoc in controversiam vocari solet: at qualis erit habitus Ethica: an Theoreticus? Nullo modo: nam Ethica non in contemplatione rerum, nec in nuda præceptorum cognitione ac theoria subsistit aut acquiescit, sed à præceptis & cognitione ad actionem transit ac pergit: itaque nec *scientia, nec sapientia, nec intelligentia*, est: si quis vocem *scientiæ* latius sumat, per me tum licet, ut scientiam appellet *Ethicam*: attamen ejus genus scientia assignari non poterit: ergo genus ejus fuerit vel *ars* vel *prudentia*: non ars, sive artem definias cum *Aristotele* ἕξιν μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητικὴν, *habitum cum recta ratione effectivum*, sive cum *Ramo* & aliis, *systema præceptorum ordine recto dispo-*

sitorum: *Ethica non est ars*, sensu & ex definitione artis *Aristotelica*, quia Ethica non ποιεῖ sed πράττει *Aristoteles*, non absque ratione, valde diligenter ac religiose distinguit inter πράττειν & ποιεῖν: aliud ipsi est πρᾶξις, aliud ποίησις: & longe aliud πραγματεία, & longe aliud ποιητική: passim *Aristotelis* interpretes τὸ πράττειν exponunt agere & πρᾶξιν *actionem*, τὸ ποιεῖν *efficere* seu *facere*, & ποίησιν *effectionem* seu *factionem*, licet alias hæc vocabula *agere* & *facere*, *actio* & *effectio*, probatis latinæ linguæ autoribus, idem significent: per πρᾶξιν *actionem*, intelligunt talem operationem, unde homo operans dicitur bonus vel malus, probus vel improbus, honestus vel inhonestus: per ποίησιν *effectionem*, intelligunt talem operationem, unde homo operans dicitur, peritus vel imperitus, doctus vel indoctus, artifex vel iners. Verbi causa; qui syllogismos fabricat, qui canit, is operatur, sed à syllogismi fabricatione aut à canendo non dicitur bonus vel malus, sed peritus vel imperitus, prout bene vel male cecinerit, bonos aut malos syllogismos fecerit, nam optimus cantor & optimus logicus potest esse vir pessimus: at qui eleemosynam largitur, qui proximo rem perditam aut ablatam restituit, qui cibo, potu, aliisque rebus moderatè utitur, qui in periculis ac bello fortiter se gerit, &c. is aliquid operatur quoque, sed dicitur inde bonus, honestus, probus, si contra fecerit, improbus, inhonestus, malus: & nullus est bonus Ethicus, nisi qui idem sit vir bonus: priores istæ operationes, canendi, syllogismum fabricandi, dicuntur ποιήσεις, earumque habitus, *ars*: posterior, πράξεις, earumque habitus, *prudentia*: jam assumo. Ethica non versatur circa ποιήσεις: quod per se patet: ergo *ejus genus non est ars*, prout est ἕξις ποιητική, sensu *Aristotelico*: sed neque est ars sensu *Rameo*, prout illa vox significat comprehensionem præceptorum: nam præceptorum legitimè dispositorum comprehensio, est accidens Ethicæ, ideoq; non essentialis: at omne genus est essentiale & non accidentale: sic enim omnes disciplinæ & scientiæ artes forent, nullumque esset inter habitus, prudentiam, artem, & scientiam, discrimen: at est discrimen, quia alia habent objecta, alios fines, quibus habitus distinguuntur. Ergo, cum Ethica ne illo quidem sensu ars sit, relinquitur ergo, *ut ejus genus* sit *prudentia*: quod sic probatur: cui competit definitio, ei & definitum: at *prudentiæ* definitio competit *Ethicæ*. Ergo. Imo non simpliciter ei competit definitio prudentiæ, sed prudentia prædicatur de *Ethica* in quæstione qua quæritur quid sit res, idque immediate. Prudentia definitur ab *Aristotele* lib 6. c. 5. ἕξις μετὰ λόγου πρακτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά: *habitus cum recta ratione activus, circa ea, quæ homini bona sunt vel mala.* At *Ethica* est talis habitus. Ergo: nam dirigit intellectum in cognitione rerum agendarum, idque unicè habet propositum, ut actiones suas homo per habitum Ethicæ instituat, secundum virtutem, vitamque vivat bene ac beate, quantum naturâ duce, & ex rectæ rationis dictamine, licet, ac fieri potest in hac imbecillitate: cum itaque hominem doceat agere bene, abstinere à male agendo, *Ethica*, recte dicitur *prudentia*, ejusque *genus prudentia* statuitur, totaque prudentiæ definitio recte ei tribuitur.

V. I. Sed hic objectiuncula removenda est. *Prudentia non cadit in virum improbum*: *quia repugnat esse improbum & prudentem*: *at Ethica cadit in improbum*. Ergo. Resp. verum est antecedens, ac *concedimus majorem*, quod prudentia vera non cadat in hominem improbum: nam quando aliquid tale in homine improbo reperitur, quod prudentiæ speciem præ se fert, illud non prudentia sed calliditas est & astutia: sed *negamus minorem*: Ethicam cadere in virum improbum: nam quamvis Ethicorum præceptorum cognitio in eum cadat, non tamen Ethica proprie: vir improbus, qui pessime vivat, potest esse præceptorum Ethicorum peritissimus, non tamen idcirco est dicendus Ethicus: ratio est, quia non cognitio de præceptorum honestate, sed actio constans & perpetua, secundum præcepta honestatis & secundum virtutem, facit Ethicam, & virum bonum, Ethicum: nam æquivoce dicitur nomen *Ethici* de eo, qui, cognitis præceptis, virtuti non studet, virtutem non exercet, quia talis nondum πράττει, nondum *agit*: at *Ethicus* πράττει, agit, & Ethica est ἕξις πρακτικὴ habitus acti-

activus. Instant: *si Ethica dicat habitum activum, ἕξιν πρακτικὴν; ita ut Ethicus debeat πράττειν, agere, ergo qui dormit non est Ethicus, quia nihil πράττει nihil agit, æque, sicut ille, qui in nuda cognitione virtutum subsistit.* Resp. Dispar est ratio: nam Ethicus quis est, puta vir bonus, etiam tum, cum dormit, cum nihil bene ac præclare *agit*, quia sæpe occasio deficit exerendæ & exercendæ virtutis, quia, etsi non πράττει aut agit bene de facto, habet tamen habitum & potestatem τοῦ πράττειν *agendi*: at vir malus & improbus, ne habitum quidem & facultatem aut potestatem habet τοῦ πράττειν, *agendi*. Instant. 2. *atqui est in viro malo & improbo cognitio præceptorum, ergo & habitus.* Resp. Ista cognitio tantum habetur ab intellectu speculativo, & quem solummodo afficit in viro malo & improbo: at Ethica, quia prudentia, sedem suam habet in intellectu practico, quem afficit: nam si cognitio præceptorum Ethicorum de honestate & virtute afficeret hominis improbi vel mali intellectum practicum, non foret malus & improbus, quia statim ex præscripto intellectus practici habitu prudentiæ (ut supponimus) imbuti, voluntas (quæ intellectum semper sequitur) imperaret facultatibus inferioribus εὖ πράττειν *bene agere*. Quare hoc discriminis est inter Ethicum proprie & vere sic dictum, etsi dormiat & pro tempore *non agat*, non πράττει, & inter hominem improbum sola cognitione præceptorum de virtute Ethicorum instructum: quod ille, ubi fert occasio, recte agere possit, imo recte agat, & ex habitu Ethicæ non possit non recte agere, cum agit, hîc vero, nec agat recte, nec recte agere possit cum agit, quia vero veræ Ethicæ habitu caret. Hæc de genere, de differentia *Ethicæ* exercit. 3. agetur.

EXERCITATIONUM ETHICARUM TERTIA, DE Ethices differentia, divisione, ac usu.

THESIS I.

Ethicam, non *artem*, non *scientiam*, sed *prudentiam*, asseruit *exercitatio præcedens*, atque ita verum ejus innotuit *genus*: nunc *differentia* illius *discutienda* venit, quæ complectitur ejus *subjectum*, *objectum*, *finem*, *media*: quibus explicatis ad Ethices *divisionem* transibimus, atque *usum*, & celebrem illam ex *Aristotele* tractabimus quæstionem, *an juvenis sit idoneus auditor Ethices.*

II. *Subjectum* & *objectum* à multis solent confundi: nos ea duo impræsentiarum sic distinguimus, ut *subjectum* vocemus id, cui Ethica inhæret, unde & *subjectum inhæsionis* dicunt *logici*; *objectum*, id quod *Ethica* dirigit, circa quod dirigendo occupatur, quod alii vocant *subjectum occupationis*, *vel*, *informationis ac directionis*, alii vocant materiam circa quam. Quodnam ergo *sit subjectum directionis*, *seu informationis*, quænam *sit materia circa quam*, Ethica dirigendo, informando, occupando, uno verbo, quodnam sit Ethicæ objectum, à multis multum est disputatum: nos in definitione *exercitationis* præcedentis *th.* 4. allata, id significavimus, per voces istas, *animum ejusque actiones*: qui *appetitum* assignant pro objecto, qui *affectus*, *objectum* ponunt *inadæquatum*; ita quoque faciunt, qui *virtutem* ejus esse *objectum* con-

tendunt: at nos *adæquatum* quærimus, quod etiam in omni definitione perfecta quærendum est, & sic contra illos homines argumentamur. Illud est objectum adæquatum, ad quod omnia, quæ in aliqua disciplina traduntur, possunt referri: sed non possunt omnia referri ad virtutem, ad appetitum, ad affectus: Ergo ista non sunt objectum adæquatum Ethicæ. Sunt qui *bonum & malum morale* pro *objecto* Ethicæ ponunt: verum & hi male: nam *tale objectum* est assignandum, de quo disciplinæ per se, & non *per* accidens agunt: at de malo morali, de vitiis & vitiosis actionibus non agit *per se* Ethica, *sed per* accidens tantum, ut scilicet virtutis honestarumque actionum tanto magis eluceſcat natura ac manifestetur, deinde ne à vitiis facile abripiamur, quæ sæpe naturam virtutum ementiuntur: atque ita in tantum agit de vitiis Ethicus, in quantum de Syllogismo sophistico agat Logicus. *Adæquatum* ergo *objectum*, circa quod per se versatur Ethica, est animus, aut, melius, ejus actiones: nam *objectum*, quod ex *Logicis* notum est, proprie est *actionum*; substantiis, facultatibus, habitibusque tribuitur, non nisi propter actiones, quæ ab iis eliciuntur: *actiones sunt* id, quod dirigitur ab Ethica: circa *animi actiones* occupatur Ethica, ut præceptis suis animum informet ejusque actiones regat, quo virtuti fiant conformes: neque enim *actiones animi* spectamus simpliciter, quando eas *objectum Ethicæ* statuimus, sed quatenus τὸ *decorum*, τὸ πρέπον, & virtus, in iis locum habent. Has tali modo spectatas, esse *objectum Ethicæ adæquatum*, sic probamus: ad quod omnia in Ethica referuntur, & circa quod ipsa occupatur, tanquam dirigendum atque informandum, illud merito ejus objectum adæquatum ponitur: atqui ad animum, ejusque actiones, omnia in Ethica referuntur, & hæc animum ejusque actiones dirigit, virtutibusque informat, ne ab affectibus abripiatur, in avia atque devia: ergo animus, ejusque actiones, sunt *objectum adæquatum* Ethicæ.

III. Ab *objecto* transimus ad *subjectum*, *subjectum* scilicet *inhæsionis*, quod alii vocant *materiam in qua*: hoc nobis est *homo*, non simpliciter, sed quatenus felicitatem in hac vita civili consequi potest, quod *Conimbricenses* explicant hac voce, cum dicunt, *subjectum Ethicæ esse hominem quatenus beabilem*. Nempe, sicut ipsa beatitudo & virtus ad eam ducens; ita & Ethica, quæ beatitudinem & virtutem ad eam ducentem proponit, homini inhæret. Fortasse omnium accuratissime diceretur, *subjectum inhæsionis esse animum, & objectum tantum, actiones*: nam revera *solæ actiones* diriguntur, *non animus*: & *Ethica*, quia *est habitus*, *homini* inhæret tantum, tanquam *subjecto remoto*, *animo*, tanquam *proximo*: nam *proximum inhæsionis subjectum* in ordine ad habitus *est animus*, *remotum* est, *homo*, quippe cui non inhærent, nisi per & propter animum.

IV. *Finem* in definitione expressimus, *exercitatione secunda*, *th.* 4. cum diximus Ethica est prudentia, &c. ut *homo beatitudinem civilem*, &c. itaque *felicitas civilis*, quæ in hanc vitam cadit & humanis viribus parari potest, *Ethicæ* est *finis*: ad hanc enim consequendam, omnia Ethicæ præcepta ducunt, hic scopus, hæc meta, *hic finis est Ethicæ*, ut homo per eam à vitiis *per virtutes abductus*, secundum honestatem & rectæ rationis dictamen, vitam suam instituens ac componens, *felicitatis civilis*, quantum quidem in hac vita fieri potest, particeps fiat: sed de *fine Ethicæ*, quandoquidem à fine habitus practici potissimum distinguuntur, nonnihil accuratius est Philophandum: Distinguimus ergo ex *Logicis*, inter *finem cui* & *finem cujus*: *finis cui* est, in cujus gratiam aliquid expetitur; *finis cujus* est id, quod in alterius gratiam expetitur: ut, medici finis cui, est æger, finis cujus, sanitas: *finis cui Ethicæ* est *homo*: tota enim Ethica inventa est ac instituta in bonum hominis, in ejus communionem & usum, ut per eam homo perficiatur. *Finis cujus*, *Ethicæ*, subdividi solet: nempe *finis cujus*, est vel *externus* vel *internus*, *vel per* se vel *per accidens*, vel *artificis* vel *artis*, quas divisiones non exponam, sed ex Logicis supponam ac tantum applicabo præsenti instituto. *Finis Ethicæ externus per accidens, artificis*,

vix

vix certus assignari potest ; nam is totuplex est, quotupliciter sibi quis scopum in Ethica addiscenda proponit : itaque non unus est, sed varius, pro intentione discentium : sic V. C. si quis Ethicam addiscat spe gloriæ, laudis, divitiarum, &c. totidem sunt *fines Ethicæ* per accidens, &, quos vocant artificis.: at *finis internus, per se, & artis*, assignari potest certus, sed cum subdivisione tamen : nempe est *proximus, remotus, remotissimus*. *Proximus* est, *cognitio* præceptorum de virtute & honestate : *remotus* est, recta & honesta actionum humanarum *exercitatio : remotissimus, felicitas civilis*, quæ in hac vita contingit, humanisque viribus acquiri potest. Atque hæc est distinctissima de *fine Ethices* explicatio.

V. A *fine* transgredimur ad *media*, quæ in definitione *exercitationis præced.* th. 4. allata expressimus, vocibus, *per virtutem*, cum diximus *Ethica est prudentia*, quæ est *per virtutem* : *virtus* quippe *medium* est & via, per quam ad *felicitatem civilem, finem Ethicæ ultimum ac summum*, pervenitur : *virtus* est, quæ actionibus hominis animique humani, rectitudinem largitur, quæ hominem ad bene agendum excitat, incitat, impellit. *Virtus* filum est, quo, ex tot vitiorum, quæ nobis circumstant, labyrintho, nos extricemus atque expediamus. *Virtus* est gradus & scala, qua fastigium & felicitatis humanæ apicem conscendimus. De *virtutibus* omnibus & singulis, quibus, ceu *mediis*, *finis ultimus Ethicæ, summumque* in hac vita acquiritur *bonum*, secuturæ, volente Deo, speciatim agent *exercitationes*.

VI. *Definitionem* in accurata & ordinata rei tractatione excipit *divisio*, quæ non eadem omnibus adfertur. Sunt, qui Ethicam in decem partes, ad divisionem librorum *Ethicorum Arist. ad Nicomachum* dividunt : sunt, qui in sex, sunt, qui in quatuor, sunt, qui in tres partes, *Ethicam distribuunt*. Habent omnes suos sibi errores : sed in hisce ac similibus sententiarum divortiis obtinet illud : *crede mihi, sapere est, non nimium sapere*. Receptissima est *distributio Ethicæ in partes duas*, in εὐδαιμονολογίαν & ἀρετολογίαν : id est, *in doctrinam de* beatitudine, εὐδαιμονίᾳ *Græcis*, & *de virtute*, ἀρετῇ, iisdem : nempe, quia Ethica, ut & reliquæ disciplinæ practicæ, ordine analytico doceri debet : hinc recte initium fit à fine, beatitudine, & progressus fit ad media, virtutes : ideoque non male hæ partes assignantur : *una de fine, altera de mediis*. — Verumenimvero, quia, nec *media* recte percipi possunt, nec finis per media commoda in *subjectum* introduci, à subjecto possideri, nisi quædam subjecti cognitio præcedat : hinc est, quod sit necessarium, ut de illo subjecto aliquid quoque dicatur. Quare, cum Ethica sit disciplina practica, quæ, non in nuda præceptorum speculatione consistat, sed vero ad praxin tendat, actionem spectet & urgeat, & actio omnis requirat *finem*, ob quem, *subjectum*, in quod, *media*, per quæ, finem in subjectum introducat commodissime omniumque optime, *Ethicæ partes tres constituentur* : *una de fine*, beatitudine & felicitate civili, *altera de subjecto*, animo hominis, in quem debet beatitudo introduci, *tertia* de mediis, per quæ beatitudo ab animo hominis possideri potest & debet.

VII. Quæstio hic celeberrima occurrit, nunc decidenda. *An Iuvenis sit idoneus auditor Ethicæ* ? nos affirmamus, & affirmantis sententiæ patrocinio susscipimus, ac rationes damus. *Ethica*, maximum immortalitatis Dei ac præstantissimum est donum, humano generi, omnibusque rationis usum habentibus, longe utilissimum : per hanc enim, mortalium unusquisque, quacunque ætate, vitam suam moresque componere, ad virtutis rectæque rationis normam ac regulam addiscit : si igitur Ethica omni homini atque omni ætati sit utilis, quæ ratio est, quod ab ea juvenis pelli debeat atque arceri ? imo contra, nulli ætati plus prodest nobilissima hæc disciplina, quam juvenili : Nam, cum sit animi quædam quasi medicina, per quam affectus vitiosi cohibentur, & imperio rationis refractarii compescuntur, jure summo juvenibus proponitur, utpote, qui maxime affectibus abripi, & eorum vim, ac contra rationis dictamen luctam ac pugnam, sentire solent : certè, nulla ætas magis est consilii expers quam juventus:

unde nulla magis eget morali hac institutione *Ethices*: & profecto, si hæc morum virtutisque doctrina, probitatis ac pietatis magistra, in florente juventa addiscatur, reliquo vitæ tempore venturisque annis proderit: mirum est ac dici nequit, quam altas agant radices, quæ didicimus in juventute, juxta decantatum illud *Horatii*: *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu*: sed enim objiciunt hic nobis autoritatem *Aristotelis*, qui *Eth. l. 1. cap 3* juvenes à sacris & sacrario Ethices arcere & pellere videtur: verum injuria fit *Philosopho*, & committitur *fallacia*, quam vocant *à dicto simpliciter ad dictum secundum quid*, vel contra potius: nam quod Philosophus de juvene *secundum quid* asserit, trahi solet ad juvenem *simpliciter*, distinguit loco citato *Aristoteles* inter νέον τὴν ἡλικίαν & τὸ ἦθος, *inter juvenem ætate & juvenem moribus*: ille mento, hic mente, ille annis, hic animo est juvenis. Juvenem ætate & annis dicimus cum Aristotele illum, qui in vigore ætatis constitutus, ratione sua, quantum potest, utitur, interim sentit impetum, vim ac pugnam affectuum, rectæ rationi reluctantium. *Iuvenem moribus & animo* dicimus cum Aristotele illum, qui rationem plane sub affectibus captivam gerit, & iis fræna laxat, nec renititur, nec pugnam sentit, sed ita juventæ blanditiis se tradit, ita luxuriatur, ita in omnem libidinem se effundit, ut virtutes contemnat, sanam doctrinam irrideat, institutionem flocci pendeat: priorem non repudiat, sed libens ad Lyceum suum, ad præcepta suæ Ethices, admittit Aristoteles: at posteriorem, effrænatum juvenem, in quo *fertur equis auriga nec audit currus habenas*, in quo ratio succumbit, affectus imperant, ab institutione Ethica arcendum putat: & sic sane est: nam, quid Ethica, animi Medicina, præstet, ubi affectus ita rationem superarunt, ut res sit reddita desperata? non secus, ut Medicus frustra medicinam applicat, ubi nulla amplius est pugna morbi & naturæ, sed ubi morbus naturam vicit, ita Ethica frustra adhibetur, ubi jam desiit esse pugna rationis & affectuum, sed ubi affectus rationem subjugarunt ac devicerunt: quare desperatos ac perditæ plane frugis ac desperatæ indolis juvenes à Lyceo suo Ethicesque ac moralium institutionum sacris arceri voluit Aristoteles: at non item bonæ indolis, flexilis genii, ac dociles & morigeros adolescentes: nullus igitur, cui generosus ac melior sanguis salit venis, cui meliore luto finxit præcordia Titan, ab hoc utilissimo Ethicæ studio deterreri se patiatur, hoc *Aristotelis* dicto, quod à multis, vel non intellectum, vel in deteriorem sensum, est tractum: Ergo non omnis ætas, sed juvenilis maxime, hoc studio juvari potest, ne à recto virtutis tramite abducatur: sentiunt, omnes, sentiunt, nimis sæpe quàm vellent, luctam affectuum ac rationis: ab hoc studio petendum est robur, quo resistant. Ethica bene percepta, aurigæ instar erit, ne ratio affectibus tanquam equis ferocientibus abripiatur; nauclerî vice erit, ne iis tanquam fluctibus obruatur atque absorbeatur. Quis mortalium est, qui utilia fugiat, imo quis est, qui non studiosissime ea persequatur? ita sumus omnes natura homines, ut, quodcunque utile est, expetamus: at utilissima est Ethica. Tota quidem Philosophia frugifera est ac utilis, nullus tamen in ea locus fertilior, ac magis fructuosus, nullaque pars utilior quam hæc, de qua nunc loquimur Ethica.

VIII. Utilissima est doctrina, quæ nos in Dei nostrique cognitionem quam maxime ducit, &, quæ superioribus disciplinis quam maxime inservit, atque hoc se usu commendat: hoc facit præ aliis Ethica. Deum esse, ex notitiis insitis, ex honesti & turpis discrimine, quod animo humano est connatum, & ex stimulis conscientiæ, docet *Ethica*: imo non cognoscendum nobis solum, sed præsertim colendum eum, nobis proponit: cum *de pietate, de cultu Dei naturali*, qui quomodo sit instituendus, philosophatur. Celebratissima est *veterum* sententia, γνῶθι σεαυτὸν: at nos ipsosmet nosse, nos docet *Ethica*: cum de hominis animique facultatibus superioribus, & inferioribus, de intellectu, voluntate, affectibus, agit: & quid multis est opus? utilissima est homini disciplina, quæ omnes ejus in vita actiones regit ac moderatur: at hoc præstat Ethica: illa est norma vitæ nostræ, regula actionum nostrarum: illa exteriora regit mem-

bra, ne videant, ne audiant, ne loquantur, ne contrectent, ne persequantur ea, quæ non oportet, & quando non oportet : illa motus & perturbationes animi exprimit, mitigat, temperat : quod nisi faceret Ethica, quo pacto humana societas coli, aut vita inter homines tolerari posset, quæ sine Ethica perpetuum latrocinium esset futura. Sed insuper utilissima est Ethica disciplinis superioribus, aliisque partibus eruditionis, quod speciatim ostendere, operæ est pretium.

IX. A Theologia incipiam : servit ei *Ethica* explicandæ & discernendæ : explicandæ quidem : quia sine Ethicis non poterit quis magis de libero arbitrio, de lege naturæ, de justitia, de conjugio, contractibus, aliisque materiis differere, quam sine pennis volare : profecto audiant hoc à me Theologiæ studiosi : infeliciter admodum in sacro isto studio versabuntur, qui nihil ex hac disciplina ante deguſtarunt : quomodo virtutes, vitia ac peccata explicabunt, nisi multum ex hac disciplina morali & Ethica mutuentur? sed & *decernendæ ac distinguendæ* Theologiæ inservit Ethica : facit enim ad intelligendam & explicandam Philosophiæ & Theologiæ, legis & Euangelii, differentiam, cujus ignoratio, multos fecit errare circa cælestis doctrinæ veritatem : cæterum, nec tu mihi prætereunda es, *legum justique & æqui scientia, Iuris-Prudentia*, quæ explicare non potes sacrorum tuorum cultoribus, quid sit jus, quid justum & æquum, quid sit lex, nisi ex *Ethica* hoc mutuo sumas : ut *Physica Medicinæ*, ita *Ethica Iurisprudentiæ* est fons. Quemadmodum nunquam bonus Medicus evasit, qui nullam habuit Physicæ cognitionem, quiá ex ea corporis naturalis constitutionem ejusque propria non didicit : ita nunquam quisquam fiet bonus Jurisconsultus, qui ante non didicerit atque intellexerit *Ethicam* : nempe, ut principia *Medicinæ* sunt in *Physica*, unde vulgatum hoc, *ubi Physicus desinit, ibi incipit Medicus* : ita principia *Iuris-Prudentiæ* sunt in *Ethica*, unde vulgatum illud, *ubi Ethicus desinit, ibi incipit Iuris-Consultus* : illotis, quod ajunt, manibus, in sacra Themidos involant, qui animum suum non ante Ethicarum rerum notitia imbuerunt. Audiant hoc à me Juris-Studiosi : nunquam feliciter succedent illis Juris Studia, nunquam fructus exspectatos ac debitos ex illo studio referent, qui Ethicam neglexêre : & dabo meæ exclamationis rationem, quam nemo negare queat : principiis ignoratis, non potest id, quod ex iis procedit & pendet, bene cognosci : hoc certum est : at ignorata *Ethica*, ignorantur *Iuris-Prudentiæ* principia : ergo, ea ignorata, non potest *Iuris-Prudentia* recte cognosci. Probo minorem : *Iuris-Prudentia* non potest bene intelligi, nisi intelligatur ejus objectum, *jus* : jus non potest intelligi, nisi intelligantur principia Juris : at principia Juris in *Ethica* traduntur, ubi, quid sit ipsum jus, explicatur, quod, vel leviter inspicienti Ethicam, constat : ergo stat conclusio, *Ethicâ ignoratâ Iuris-Prudentiam* non posse cognosci aut intelligi. Ethica agit de virtutibus tam in genere quam in specie, de actionum humanarum principiis, earumque bonitate ac malitia, de justitia & jure, de lege naturæ, quibus Juris-Consultus carere, nec potest, nec debet : Ridiculus foret *Medicus*, qui pharmacum corpori applicaret, & finem sibi nullum propositum aut cognitum haberet : hoc ipsum de *Iuris-Studioso* dicere ausim, qui legibus studet, & finem earum ignorat : at finis ille explicatus est in *Ethica*, beatitudo ac felicitas civilis. Quotquot igitur *Theologiæ*, quotquot *Iuris-Prudentiæ*, animum aliquando sunt applicaturi, eum, prius, pleniſſimâ rerum *Ethicarum*, atque uberrima cognitione, imbuant : ita feliciter utrisque succedent superiorum istarum disciplinarum studia. Sed, præter & supra hæc, utilissima est *Ethica* studiosis *eloquentiæ*, quæ sine hac non nisi mera est loquentia : illa enim nobis suppeditat argumenta, quibus verba facere de rebus & gravissimis possumus : illa rationes exhibet, quibus Auditorum animos flectamus, trahamus, rapiamus. Quanta certe pars locorum communium ex Ethica ad Rhetoricam transmigravit, ut sunt natura, lex, consuetudo, æquum, bonum, indicatum, pactum, honestum, turpe, utile, &c. quos locos *Ethicæ* debet *Rhetorica*, quæ eos com-

commodato petiit. Ethica est lumen in lectione probatissimorum autorum, quos facile est intelligere, imo & imitari, adminiculo *Ethicæ*, ad cujus capita, virtutum, vitiorum omnium, exempla, historiæ, sententiæ, tanquam ad locos communes, possunt reduci ac referri: exemplo suo præivere *Kekkermannus*, *Alstedius*, homines doctissimi & laboriosissimi. Concludam Ethicæ usum, hoc Epiphonemate. Nemo operam litteris dare, nemo veram sapientiam aut ullam eruditionem consequi potest, qui *Ethicâ* caret: nam qui ardet amore, æstuat odio, conficitur mœrore, inflammatur ab irâ, marcescit invidiâ, quomodo is ad studendum, ad meditandum, animum adjicere aut adjungere potest? at, qui *Ethicâ* caret, hisce affectibus est obnoxius, ut ipsum facile transversum agant. Dicam amplius: sine Ethicâ, morum virtutumque doctrinâ, nulla gens, nulla domus, nulla civitas, nec hominum genus stare potest.

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUARTA,

Quæ est prima

DE

SUMMO BONO.

THESIS I.

TRes constituimus *Ethicæ partes*, secuturis exercitationibus, in posterum expendendas, unam *de Fine*, alteram *de Subjecto*, tertiam *de Mediis*, quibus finis in Subjectum introduci debet: *à Fine* igitur nunc auspicium faciemus, faustis, quod ajunt, avibus, ac, *quis sit Ethicæ hominisque finis ultimus*, inquiremus, *quodnam sit summum ejus bonum, ad quod humanæ actiones omnes diriguntur ac tendunt*. Atque ut *Aristotelis*, quem nobis ducem selegimus, vestigia premamus, tria erunt nobis futura de hoc negotio capita, quæ ex *Aristotele* & secundùm ejus *librorum Ethicorum ad Nicomachum seriem* explicabimus: primum, *An detur hujusmodi aliquod summum bonum & finis extremus?* secundum, *Quid non sit, & quæ sint variæ de eo opiniones?* tertium, *Quid sit, & quæ ejus definitio?* Magnum vero in hac summi boni finisque extremi mortalium inquisitione pondus ac momentum est situm, ejusque tractatio longe est utilissima; quippe quæ fundamentum est totius Philosophiæ moralis ac civilis, imo vitæ humanæ: quam utilitatem, & *Ciceronis* & *Aristotelis* authoritate confirmabimus, adducto utriusque testimonio: *Cicero* quidem libro 1. *de Finibus*, sic ait. *Cæteris in rebus, sive ignoratum, sive prætermissum est, quippiam, non plus incommodi, est, quam quanti unaquæque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid; summum igitur bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est, unde tantus error consequitur, ut quem in portum sese recipiant mortales scire non possint: cognitis autem finibus inventa vitæ ratio est confirmatioque officiorum.* *Aristoteles* vero *lib.* 1. *Ethic. cap.* 2. *sic inquit, magnum ad vitam agendam momentum,* μεγάλῳ πρὸς τὸ ζῆν, *habet doctrina de Summo Bono. Certe facilius, quod oportet, assequimur, si, velut sagittarii, scopum & signum habeamus, ad quod collimetur.* Quare omnino gnaviter in Summi Boni inquisitione incumbendum est, juxta tria à nobis jam proposita capita: quorum primum est,

est, *An detur aliquod summum bonum finisque extremus?* atque hic non multum temporis consumemus in variis significationibus *boni* & *finis* recensendis, quod, non esse tam necessarium, judicamus, sed rem ipsam potius explicabimus.

II. *Fines omnes*, adeoque & *ultimum*, è rerum natura sustuliſſe videntur ex veteribus nonnulli, *Democritus*, *Leucippus*, *Epicurus*, si vera sint quæ eis *Aristoteles lib. 2. Physic. Cap. 8.* attribuit: nam, quod serio id sustinuerint prisci ævi sapientes, vix à me impetro, ut credam: contra sane, omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso quidem calle procedit, sed ad *unum* tamen *beatitudinis finem* nititur pervenire: id autem est, *bonum*, quo quis accepto, nihil ulterius desiderare potest. Sed rationibus, hoc quod dicimus demonstremus, quamvis non magnâ hic probatione sit opus. Primo hoc ex creatione hominis liquet: nam omnis creatura habet sibi congenitum & certum finem, ad quem omnia referre & in quo acquiescere studet; alioquin struſtra fuisset condita: at Deus & natura nihil faciunt frustra: Ergo & homo ad finem aliquem tendit: quia omnium creaturarum est princeps: imo, quo rebus reliquis est præstantior, eo præstantiorem habebit finem: quemadmodum ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis, sic ad duas res, intelligendum & agendum, homo natus est, quasi mortalis Deus: certe vanus foret ac inanis appetitus naturalis in rebus vita carentibus & plantis, in brutis, in hominibus, si nullus foret præfixus finis; atqui frustra nihil fieri, & appetitum in hoc, vel illud, ferri, non temere, constans est sapientum opinio, & immota naturæ lex. Secundo, illud, quod dicimus, ex Aristotele, *lib. 1. Eth. Cap. 1.* comprobatum damus, ubi sic ordiitur Philosophus. πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος, ὁμοίως δὲ πρᾶξίς τε καὶ αἵρεσις ἀγαθοῦ τινος ἐφίεσθαι δοκεῖ. *omnis*, inquit, *ars*, *& omnis Methodus*, *omnis actio & electio*, *bonum aliquod appetere videntur.* Hinc sic argumentor. Quæcunque bonum aliquod appetunt, certum aliquem finem præstitutum habent. At quæcunque ab hominibus suscipiuntur & fiunt, in iis agendis bonum aliquod appetunt; nam *omnis* eorum *ars*, *Methodus*, *actio*, *electio*, *co* tendunt. Ergo certum finem præstitutum habent. Constat itaque, *finem esse aliquem hominis*: atque *is non intermedius* est, sed *ultimus*: licet enim varii à variis imo ab uno homine intendantur fines, eorum unus tamen est gradus ad alium consequendum: sunt enim sibi invicem subordinati: atque hic necesse est tum, ut aut semper ex aliis finibus in alios progrediamur, & sic sequeretur, infinitos esse fines, quod absurdum; aut reperiendum tandem esse ultimum aliquem finem, ad quem cæteri omnes dirigantur, quod volumus, & in hoc fine acquisito mens acquiescit. Unde rectissime *finis* ille *ultimus*, *summum* appellatur *bonum.* Nam, in quo mens acquiescit, illud est summum ejus bonum. At in ultimo fine, in quem omnia diriguntur, mens acquiescit, Ergo. *Itaque datur summum bonum.* Et hoc primum est hujus *exercitationis* caput, quod spectandum erat.

III. Secundum, hujus *exercitationis* caput, jam explicandũ est, *quidnam illud summum bonum non sit:* ubi diversas & erroneas de eo aliorum opiniones recensebimus, ut, rejectis iis, tanto facilius vera appareat sententia; quod antequã præstemus, paucis nomina Summi Boni, quibus consuevit appellari, proponemus; sunt enim variæ appellationes: primo vocatur εὐδαιμονία: ratio nominis est, quia Summum Bonum, & à Deo est, qui *Platoni* summus δαίμων appellatur, autor omnis boni, & à *genio* sc. bono: senserunt enim veteres, cuilibet homini, cum nascitur, duos addi genios, bonum & malum, quorum ille ad bonum, virtutem, & res secundas, ducat, hic ad vitia rapiat: à priore Summum Bonum dicitur εὐδαιμονία. Secundo dicitur εὖ ζωία & εὖ πραξία: εὖ ζωία, quia, cum tria incumbant homini munia, bene sentire, bene dicere, & bene vivere, in hoc postremo Summum Bonum est situm. Εὐπραξία, à virtutis habitu & actionibus dicitur: cum enim τὸ εὖ, id quod bonum est, propria cujusque rei virtute perficiatur, bene vivere, summum hominis bonum, nihil erit aliud, quam secun-

dum virtutem vivere, quæ otiosa non est, sed feraciſſima honestarum actionum. Tertio vocatur εὐτυχία, à bonis externis, vel, quia nonnulli summum bonum in bonis fortunæ, & præsertim inter mortales vulgus, quod maximam facit hominum partem, situm esse existimarunt, vel quia bona fortunæ virtutis sunt instrumenta & ornamenta, ac splendidiorem reddunt beatitudinem. Quarto dicitur ἡδονὴ ἐλισμὸς, ab adjunctâ voluptate & lætitiâ. Quinto τὸ τέλος, quia finis, meta, scopus, & terminus est omnium consiliorum & actionum humanarum. Latinis dicitur *beatitudo*, inter quam & *Summum Bonum* licet nonnulli distinguant; ut *beatitudo* scilicet laxe ac generatim, omnium bonorum, quę homini, quoad animam, corpus, fortunam, ad benè vivendum sint necessaria, complexum notet; summum verò bonum, illud, quod inter hæc bonorum genera principem tenet locum, nos tamen ea vocabula promiscue usurpabimus, neglecto discrimine allato, quod non satis, aut nullibi potius, fundatum existimamus.

IV. De *Summo Bono*, seu de *Beatitudine*, inter *Philosophos*, tot sunt sententiæ, quot fere capita: atque illa opinionum diversitas orta videtur ex diversis vitæ generibus, quæ homines sectantur, in quibus, sicut cuilibet institutum est proprium, ita finis fere cuique est proprius; unde tam variè de hominis beatitudine judicatum est à Philosophis; interim plus uno verum esse nequit. *Lactantius*, inter Patres scriptor latinissimus, plurimas veterum Philosophorum sententias recenset. *Epicurus*, inquit, *summum bonum in voluptate animi esse censet. Aristippus in voluptate corporis. Calliphon & Dinomachus, honestatem cum voluptate conjunxerunt. Diodorus in privatione doloris summum bonum posuit. Hieron in non dolendo. Peripatetici in bonis animi, corporis, & fortunæ. Herillo, summum bonum erat scientia. Zenoni, cum natura congruenter vivere. Stoicis quibusdam, virtutem sequi. Aristoteles in honestate & virtute summum bonum collocavit.* Pariter & *Cicero* plurimas & dissidentes quidem opiniones dē summo bono colligit, passim in *quæstionibus Academicis, & in libris de finibus bonorum & malorum. Augustinus libr. 19. de civit. Dei, Cap. 1. 289.* Philosophorum de hac re opiniones à Varrone commemoratas indicat, qua curiosa tamen diligentia non videtur opus fuisse. *Aristoteles libr. 5. Ethic. Cap 3.* cum ex vitæ generibus beatitudo haud incommodè æstimetur (nam, qualecumque est vitæ genus, talem ferè sibi finem eligit) secundum varia vitæ genera partitur opiniones de summo bono. *Tria* recenset *loc. cit. Philosophus, & βίους seu vitæ genera*; Primo est, *βίος ἀπολαυστικὸς, vita delicioſa ac mollis*, in qua summum collocant ii, qui voluptates sectantur corporeas. Secundo est, *βίος πολιτικὸς καὶ πρακτικὸς, vita civilis & activa*, qualis est hominis χαριέντων, gratiosorum, eorumque, qui laudis ac honorum sunt studiosi, quos ut consequantur, ad agendum aliquid in Republica sese conferunt; & munera publica administrant, atque hi in honore summam beatitudinem constituunt. Tertio est, *βίος θεωρητικὸς, vita contemplativa*, quæ in rerum contemplatione occupatur: hi summum bonum in scientia & speculatione ponunt. Hisce sub finem *cap. 3 cit. addit Aristoteles* quartum genus virtutis, *ἢ βίον χρηματιστικὸν, vitam quæstuosam*, eorum, qui summum bonum in divitiis esse situm opinantur. Nos de singulis ordine videbimus: nam in nullo istorum summum est constitutum.

V. Primum contra *Aristippum ac Cyrenia-cos* asserimus, *beatitudinem non collocari in voluptatibus corporis*, ac quidem ex hoc ipso potissimum argumento, *quod sint corporis*: summum profecto hominis bonum in optima hominis parte est situm, quod est anima rationalis: At voluptas ista, ut fatentur ipsi, non animæ est, sed corporis, non rationalis vitæ, sed vegetantis ac sentientis, inferiorumque facultatum, quibus plantis est brutisque similis homo: imo hæc voluptas cum bestiis homini non tantum communis est, sed in iis sæpe major quam in hoc, sæpe diuturnior, quippe quam quærunt, & sectantur sine impedimentis, sine metu, sine pudore, sine periculo, sine conscientiæ morsu, sine pœnarum sensu, adeoque hisce de causis ipso homine beatiores forent bestiæ: homini, ubi

jam

jam voluptas ista corporis contigit, brevis est, ac momentanea, cum periculo ac metu possidetur, ac, quod potissimum est, conscientiam affligit, ac non raro pœnas multas sibi comites trahit; cujus rei exempla, si proferre luberet, tempus defecerit prius quam ejus copia. At rationibus potius agam, quod Philosophos decet. Primo, summum bonum est honorabile, non pudori, sed honori cedit, non velandum, sed ostentandum: at voluptas corporis in multis rebus ista est, ut eam sui pudeat: unde homines, ventris gulæque & aliis voluptatibus carnis dediti, eas clam sectantur, ac, nisi plane depuduerunt, cavent, ne hæc illorum felicitas in lucem protrahatur. Secundo, summum bonum est aliquid sibi sufficiens, animumque explet: at voluptas ista corporis clientem suum ac possessorem non satiat: nihil unquam prodigæ voluptati sufficit: semper illa famem sui relinquit. Tertio, beatitudo, bonum est optimum, præstantissimum, quod prodest semper, nocet nunquam: at corporis voluptatem, quis optimum ac præstantissimum esse bonorum, asserere ausit? quo impudentiæ qui devenerit, is cum vera rectaque virtute eam conferat, ac, quot parasangis hæc illa sit superior, facile videbit: sed insuper, non semper prodest ista voluptas: sæpe plurimum molestiæ, ægritudinis, miseriæ, calamitatis, & singulis adfert hominibus, & integris infert provinciis, regnis, & imperiis; nempe, voluptate, fictitia beatitudine, non beatur, sed debilitatur ipsum, dum per eam, ejusque usum, variis objicitur morbis, varios incurrit languores, corpus; *vides*, inquit eleganter in *sermonibus* alibi *Horatius*, *ut pallidus omnis cœnâ desurgat dubiâ*: &, *compositæ fercula, compositi morbi*, tritum est proverbium: & quid multis, per corporis voluptatem, mentis acies obtunditur, virtus extinguitur, egestas procuratur; quæ certe parum conveniunt cum summo hominis bono ac suprema beatitudine. Absit igitur, absit, ut unquam Hominum, nedum Philosophorum, nedum Christianorum quispiam, corporis voluptatem pro bono suo ac summo ultimoque fine *amplectatur*. *Sperne voluptates; nocet empta dolore voluptas*: nemo tanti emat pœnitere. Hominis est, ad Deum quam proxime accedere, qui, ut Spiritus corporisque est expers, ita corporis ignorat voluptates: quibus bellum indicat hominum unusquisque, oportet, qui ad Deum, summum haud dubie bonum, appropinquare studet, à quo longissime hominum voluptates avertunt: non hominis, nedum Philosophi, nedum Christiani, nomine dignus est, cui Deus venter. Nullum itaque bonum, nedum summum, in voluptate, sed summum potius in eâ malum est situm.

VI. Cum vero magna, si non maxima, tamen pars hominum; voluptates probet ac sectetur, & in iis summam collocet felicitatem, rationes illorum refellemus: quamvis, in refellendis illis, non multus sit labor. *Dicunt*, pro se & sua voluptate corporea, homines voluptuarii. Primo: *ad quod homo summo fertur impetu, illud ejus est summum bonum: atqui ad voluptates summo fertur impetu: Ergo. &c.* Resp. primo *ad Majorem*, eam non esse absolute veram, sed vero sic distinguenda est. Id est summum hominis bonum, ad quod, per se, non per accidens, impetu naturali, non contra naturam, legitimo, non vitioso, primario, non secundario, fertur. Atqui sic minor est falsa. Resp. 2. *ad Minorem*. Homo fertur, totus scilicet, *falsum est*. Sola enim pars brutalis fertur, quæ appetitiones sensuum & affectus sequitur: itaque est *fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*. Secundo *objiciunt. Conservatio hominis est ejusdem finis ultimus: voluptas est hominis conservatio: Ergo, &c.* Resp. *Major vera est*, de conservatione hominis legitima, rectâ, ordinatâ. *Minor simpliciter falsa est*: quare tantum abest, ut voluptas corporis conservet, ut potius perdat hominem totasque domos & respublicas integras excindat. Sed illorum hominum objectiunculæ sponte sua ruunt. Verum *quærat* hic aliquis, *si non in voluptate corporis sit situm bonum summum, an non in bono saltem corporis? ut est, fortitudo, robur, valetudo, pulchritudo, vita longæva, &c.* Resp. *quod non*, quia beatitudo & suprema hominis felicitas talis est, ut superet universa, & per eam omnibus creatu-

ris antecellat homo: sed talia non sunt bona corporis: Ergo. Probo minorem, quia in illis multum superatur homo ab animalibus, fortitudine à leone, diuturnitate vitæ ab elephante, pernicitate cursus à cervo. *Nos aper auditu, nos vincit aranea tactu, vultur odoratu, lynx visu, simia gustu.* Deinde, quod dirigitur ad animæ bonum, illud non est finis ultimus: at bona corporis diriguntur ad animæ bonum: est enim animus noster corporis nostri gubernator, ideoque ejus conservationem propositam quidem habet, ut finem, non tamen ut ultimum, quia aliquid longe perfectius intendit, quod beneficio bonorum corporis consequitur. Quare, *ne quidem in bono corporis est collocandum summum bonum.*

VII Nunc secundo, *annè in honoribus beatitudo sit sita? considerandum est nobis.* Negamus, *cum Aristotele*, ob rationes, quas adducit Philosophus *Cap 5. lib. Eth. 1.* Beatitudo in ipso debet esse beato, felicitas debet esse bonum internum, proprium, & οἰκεῖον homini, & in ejus, tanquam possidentis potestate situm: at honor non est in honorato, non est in ejus potestate situs ut eum habeat, sed est bonum externum, dependens ab aliorum arbitrio, ab ipso honorante, qui pro arbitratu honorem potest, vel tribuere, vel adimere: imo honor sæpe est in manu & potestate imperiti ac rudis popelli, qui plerumque est bestia multorum capitum; itaque vulgatum illud Aristotelis est verissimum, *honor magis est honorantis quam honorati.* Secundo, summū bonum est constans & stabile: & honore nihil est inconstantius ac mutabilius: honor, fortunæ instar, vitreus est, &, cum maxime splendet, frangitur. Quam multi brevissimo temporis spatio à summo honoris fastigio sunt dejecti? & quî non potest esse fugax ac fallax, quod ab alienę voluntatis mutabilitate, à vulgi levitate, à principum & aularum lubricitate, dependet, uti dependet honor? *Athenienses Demetrico Phaleræo* trecentas in ejus honorem posuerant statuas, quas omnes non multo post, cum pulsus esset in exilium, everterunt. Tertio, summum bonum propter sese expetitur: Honor non item: nam honorem expetimus, ut testimonium nostræ virtutis: ergo virtus ipsa est aliquid honore præstantius. Non alio nomine vir bonus honoris studio ducitur, quam ut intelligatur tanto magis virtute superare alios, quanto majori honore afficitur. Quarto, honor non tam bonis, qui soli sunt capaces beatitudinis, sed & improbis sæpissime, imo non rarò pessimis, defertur: vulgus enim sæpe honorem, cui non competit, tribuit, cui competit, non tribuit, bonos sæpe parvi, improbos magni, facit. Denique, honor plenus est curarum ac periculorum: Ergo multum abest, ut beatitudinem nobis largiatur, in qua est summa securitas. Antecedens, quamvis experientia notum, confirmatur, insigni illo *Antigoni* Regis dicto, quod refertur *à Val. Max. lib. 7. Cap. 2.* Cum enim traditum sibi diadema diu manibus tenuisset, ac contemplatus fuisset, tandem inquit, *ò nobilem magis quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, periculis & miseriis sit refertus, ne humi quidem jacentem velit tollere.* Quare concludo, nec in Honore situm esse summum bonum. Atque hæc quidem, sententiam secundam de *Summo Bono* evertunt: verum enimverò & *argumenta* ac ratiocinia τῶν χαλέπτων expendenda veniunt ac solvenda: quod præstabit *exercitatio* sequens.

EXERCI-

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUINTA,

Quæ est secunda

DE

SUMMO BONO.

THESIS I.

RECensuimus *exercitatione præcedenti* ex *Arist. Eth. ad Nicom. lib.* 1. *cap.* 3. quatuor opinionum genera de Summo Bono, pro quatuor vitæ generibus: qui sectantur τὸν βίον ἀπολαυστικὸν, vitam delitiosam, in voluptate felicitatem supremam collocant: qui πρακτικὸν ἢ πολιτικὸν, vitam civilem & activam ducunt, in honore ponunt: qui θεωρητικὸν, in contemplatione: denique, qui χρηματιστικὸν, quæstuosam vitam agunt, divitias pro summo hominis in hac vita bono, habent. Primam opinionem, in voluptate summam felicitatem collocantium, cum suis exceptionibus refutavimus. Secundam τῶν χαριέντων, ut loquitur *Aristoteles*, in honore summum bonum constituentium, etiam retulimus ac refellimus: hoc restat, ut eorum exceptiones & argumentationes excutiamus ac refellamus, qui hanc opinionem sustinent.

II. Argumentantur sic: *præmium virtutis est summum bonum: at honor est præmium virtutis.* Ergo *honor est summum bonum. Resp. ad Minorem.* Honor potest considerari, vel ex parte eorum, quibus tribuitur, vel ex parte eorum, qui tribuunt: si primo modo consideretur, respectu eorum, quibus tribuitur, negamus, honorem esse verum & proprium virtutis præmium: sic enim vir bonus & honestus, propter solum honorem, bene, & liceat mihi sic loqui, virtuose, operari posset: at hoc falsum est, vel ipso Aristotele judice 3. *Eth. cap.* 8. *& ipsa sibi virtus pretium est*, ut canit *poëta*, etiamsi nulla eam præmia consequantur, nulli honores comitentur. At si honor consideretur secundo modo, respectu eorum, qui honorem tribuunt, concedimus, eum habere aliquam speciem & rationem præmii: nam respublica bene instituta, ea, quæ potest, præmia virtuti instituit, ut homines amore præmii proposito ad res præclarissimas alliciantur: cum vero, inter præmia, alia bona Respublica statuere non possit, quam externa, quia hæc sola habet, & inter bona externa locum præstantissimum sortiatur honor, hinc est, quod virtuti, hominibusq; virtutum studiosis, honores decernat, non tanquam præmium virtuti condignum (virtuti enim nullus honor retribui potest, qui dignitati ejus respondeat) sed decernit virtuti honorem, tanquam maximum eorum bonorum, quæ exhibere potest: ut ita excellentiam virtutis manifestam reddat, quam tanquam bonum pulchrum manifestari oportet: itaque honor non est virtutis studioso præmium virtutis, propter quod operatur: est tamen aliquo modo præmium, quatenus virtutis studioso, non quidem propter istum honorem bene operanti, propter virtutem tamen, tanquam propter finem, offertur: ita ut honor non sit virtutis finis, sicut ejus finis est summum bonum: sed contra honor est medium ad virtutem, tanquam ad finem, ordinatum: at summum bonum nunquam est medium, neque ad virtutem, tanquam ad finem, ordinatur; sed contra, virtus, ut medium ad summum bonum, tanquam ad finem, refertur. Ne nunc addam, quod *exercitatione præcedenti* fuit expositum: quandoquidem honor est tantum præmium virtutis, respectu eorum, qui conferunt, & non respectu eorum, quibus confertur, magis est in potestate honorantis.

rantis quam honorati : at summum bonum est in ipso illo, qui possidet ; quare honor deberet etiam esse in honorato, & non in honorante, cum tamen contra sit.

III. Argumentantur secundò sic pro honore, ut Summo Bono, Politici homines. *In eo est ponenda felicitas suprema, quod maxime convenit Deo & viris excellentissimis : atqui honor maxime Deo convenit* (unde illud ex sacris, *Soli Deo gloria*) & *viris quoque excellentissimis*: Ergo. Resp. *ad majorem* : in eo bono ponenda est felicitas suprema, quod per se & ratione sui maxime convenit Deo & viris excellentissimis : atqui tale bonum, quod per se & ratione sui maxime Deo convenit & viris excellentissimis, non est honor : licet enim honor soli Deo & viris quoque excellentissimis conveniat, non tamen ipsis convenit ratione ipsius honoris, sed ratione virtutis & excellentiæ, ob quam sunt honore digni : itaque Beatitudo potius collocanda est in illo bono, quo Deus & viri excellentissimi sunt digni honore, non in ipso honore, qui tantum est signum, quo illorum excellentia manifestatur.

IV. Argumentatur 3. sic. *Beatitudo posita est in bono maxime desiderabili : omnes enim maxime appetunt beatitudinem: atqui nihil ab hominibus ardentius expetitur, quam honor : nam nullius boni jacturam ægrius ferunt quam honoris, quem illæsum omnes conservare student.* Resp. ad *majorem* : beatitudo posita est in bono maxime desiderabili, scilicet per & propter se, & non propter aliud : sicut enim summum bonum in se & ratione sui est omnium optimum, ita in se & ratione sui est maxime desiderabile : at honor non ratione sui ac propter se expetitur, sed ratione virtutis & propter ejus excellentiam, ut ea manifesta fiat : itaque honor non est ipsa beatitudo, sed eam consequitur, tanquam comes & proprietas inseparabilis ; ideoque etiam in nobis, desiderium honoris consequitur desiderium beatitudinis: quod si aliqui honorem appetunt propter solum honorem, aut graviter ferunt jacturam honoris, ratione solius honoris, id provenit ex depravato ambitionis affectu : nam vir virtutis studiosus, ἀρετᾶς, ut græce uno dicam verbo, V.C. magnanimus, sicuti propter honorem solum non operatur, ita ob consecutionem honorum, nec immoderatè lætatur, nec nimium dolet illorum jactura, quod ex ipso *Arist. l. 4. Ethic. cap. 4.* satis est manifestum : nam talis, quia intelligit suam excellentiam, sicuti putat se dignum honore oblato, quando offertur, ita pariter judicat se indignum decore aut infamia, quando infertur.

V. Argumentantur 4. sic : *Summum Bonum ponitur in eo, quod ultimo desideratur : tale enim non potest non esse bonum optimum : sed honor ultimo desideratur ; virtutis enim studiosus ultra virtutem studet honorari.* Resp. ad *Minorem*, eam esse simpliciter falsam ; neque enim, qui vere est studiosus virtutis, ultimum bonum, ponit in honore, nec eum ultimo desiderat, nec in eo quiescit : nam talis non est ἀρετᾶς &, si liceat sic loqui cum *Scholasticis*, virtuosus, sed vero ambitiosus : at ὁ ἀρετᾶς, vera virtute præditus, honores æstimat, ut parva bona, & ut minora, quam sibi debeantur, quod vere est magnanimi. Atque ita, quæcunque ab hominibus politicis pro honore, ut summo in his terris bono, adferri solent, dissolvimus.

VI. Verum enim vero, quia ita fere sunt homines in hoc mundo, ut transversi omnes ac devii rapiantur à nimio honoris studio, & potissima pars mortalium in honore summum bonum collocet, varias honoris species discutere, & quomodo in nulla honoris specie illud sit collocatum, ostendere operæ fuerit pretium. Honor in duplici est differentia : vel enim ob majorum ac parentum, vel ob propriam, defertur virtutem ; qui ob majorum parentumque res præclare gestas virtutemque tribuitur honor, solet dici *nobilitas*: est enim nobilitas dignitas quædam majorum, ita definiente *Aristotel. 2. Eth. c. 15.* qui propter propriam virtutem contingit honor, vel dignitas civilis ac pompa mundana, vel gloria & fama dicitur : triplicem hanc honoris speciem in specie considerabimus, & in nulla ejus specie summum bonum esse situm demonstrabimus.

VII. Primum de *nobilitate* videbimus, in *qua supremam felicitatem non esse constituendam*, sequentes rationes docent. 1. Quod bonum

num est fortuitum, extra potestatem nostram situm, alienum & non nostrum, illud non est summum bonum: atqui nobilitas est tale bonum, nam fortunæ est, & non tuæ potestatis, ut nascaris ex parentibus nobilibus: at summum bonum debet esse in nostra potestate, ut adipisci id possimus, cum volumus. Præterea, summum bonum debet esse nostrum, & non alienum: at contra se res habet in nobilitate: nam verissimum est illud *Poëtæ*, *Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voco.* 2. Summum bonum constans est ac perenne & stabile: nobilitas non item: ergo Prob. Min. quia, quæ nunc sanguinis nobilitatem gloriantur familiæ, unius sæculi, imo paucorum annorum decursu, abjectissimæ sunt ac viles; quod variis ex historia *Romana*, *Græca*, ac *Barbara*, imo & ex *patriæ nostræ annalibus* petitis exemplis, confirmare non foret difficile, sed non est necesse. 3. Summū bonum non cadit nisi in virum bonum virtute præditum: at ista sanguinis generisque nobilitas etiam in pessimos cadit: sæpissime enim *Heroum filii noxæ*; quod ex sacris & profanis historiis, ipsâque adeo nimis manifestum est experientiâ, ut non sit verum semper illud *Horatii*: *fortes creantur fortibus & bonis: est in equis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam.*

VIII. Sed nec secundo in *dignitate civili aut pompa mundana summum bonum collocari potest.* 1. Quia dignitas civilis & pompa mundana, imperium scilicet & dominatio, ex natura sua tendunt ad finem; E. non sunt finis summus: nempe, sunt populi gratiâ, cujus bonum semper intendunt: nimirum, *Rex* dicitur à *regendo*, regere est actus prudentiæ: at prudentiæ est, dirigere in finem; itaque *principatus*, *dominium*, *potestas civilis*, principium potius est bonæ actionis, quam finis, & instituitur propter finem. 2. Potestas hæc mundana ac civilis, instabilis est ac parum constans: tum, quia à fortuna plerumque pendet, ut vulgo loqui solemus, tum, quia pendet ab hominum judiciis & opinionibus, quæ instabiles sunt, & eo magis, quo sunt plurium: at summum bonum non pendet à proprio extrinseco & instabili & volubili: Ergo. 3. Potestas illa civilis ac mundana non potest hominem quietum reddere: est enim plena sollicitudinibus, & aculeis formidinum plerumque subjecta: hinc est, quod dominationem ac imperandi potestatem plerumque comitentur odia & metus, juxta illud Senecæ, *simul ista posuit mundi conditor, odium & regnum*: & juxta vulgatum illud, *necesse est multos timeat quem multi timent.* At summum bonum odii omnis ac metus est expers. 4. Summo bono nemo potest male uti: At potestate ista mundana male quis potest uti, & sæpe male multi sunt usi: plures enim extitere Tyranni: at summum bonum tale est, ut eo abuti nemo possit.

IX. Objectiunculæ aliquot excogitari possunt, quas obiter diluemus. 1. Dici potest. *Felicitas suprema maxime in eo est posita, quo maxime Deo assimilamur: atqui maxime Deo assimilamur, ratione potestatis, dominationis, & principatus, atque imperii civilis.* Ergo. Resp. *Negamus minorem simpliciter:* nos maxime assimilari Deo per potestatem mundanam: sed Deo maxime assimilamur per bonitatē: nempe, Deus est sua ac summa bonitas: nec potest male uti sua potestate; in eo maxime assimilamur Deo, non quod multa possumus, sed quod multa possumus bene: non potestate aliqua præditum esse, sed potestate accepta bene uti, Deo nos similes reddit. 2. Objici potest: *Beatus est, qui sibi & aliis sufficit: nam beatitudo posita est in bono optimo, & per se sufficiente, sufficiente & sibi & aliis: sed qui cæteris dominatur, sibi & aliis sufficit:* Ergo *in dominatione posita est beatitudo.* Resp. ad Majorem. Beatitudo posita est in bono, quod per se sufficit habenti fine bonis externis, ut non pendeat ab aliis: at tale bonum non est civilis & mundana dominatio: hæc enim per se non est bonum sufficiens, sed eget bonis externis, & pendet ab illis. 3. Objicitur. *Quod est maxime sui diffusivum, est summum bonum: at posse se & alios regere, est maxime sui diffusivum, quia hoc bonum ad omnes diffunditur: Ergo in ista regendi potestate est situm summum bonum.* Resp. *ad Minorem*: Posse se & alios regere, non est bonum maxime sui diffusivum, sed bene per

istam

istam potestatem se & alios regere: nam τὸ posse regere se & alios, est indifferens ad bonum & malum; quare illud non est summum bonum, 2. Ipsum τὸ bene uti potestate in se, & aliis regendis non est summum bonum quia non sui sed aliorum est gratia. 4. *Quod est maxime appetibile, illud est summum bonum, sed dominatio est maxime appetibilis: E. Prob. Minor. Quod opponitur malo maxime aversabili, id est maxime appetibile: atqui dominatio opponitur, &c. Ergo, &c. servitus est malum maxime aversabile: omnes enim maxime fugiunt servitutem: at servituti opponitur dominatio.* Ergo. Resp. *ad majorem postremi Syllogismi*; distinguendo servitutem: servitus interdum significat subjectionem legalem, quæ jure belli introducta est; quomodo olim multi in bello capti ad servitutem sunt redacti: interdum significat subjectionem œconomicam ac politicam, qua filius patri & cives principi subjiciuntur: posteriores duas servitutes, œconomicam & politicam, homines naturaliter non aversantur nec fugiunt, quin potius secundum naturam alii aliis subjiciuntur, ut mulier viro, filius patri, famulus hero, civis regi. Quod attinet ad servitutem legalem, eam quidem homines naturaliter fugiunt & aversantur, non tamen tanquam summum malum (nam servi etiam possunt esse felices & possidere summum bonum, agendo secundum virtutem perfectissimam) sed vero aversantur ac fugiunt servitutem, quia est impedimentum bono usui potestatis ejus, quam homo à natura habet in suas actiones; itaque, etsi servitus legalis sit malum & aversabile, non tamen est summum malum: ideoque non bene infertur, Ergo dominatio ei opposita est summum bonum.

X. Sed videamus, an *non summum bonum consistat in fama, in gloria, in nominis celebritate*? videntur enim omnes, qui præclare aliquid agunt, expectare rerum gestarum virtutisque suæ præmium, *gloriam, famam, celebritatem.* Resp. *Neque in gloria esse summum bonum quærendum*: Loquimur de gloria apud homines: nam gloriæ apud Deum alia est ratio, eam nunc non respicimus, sed de fama & gloria apud homines philosophamur, de existimatione & notitia excellentiæ nostræ apud homines agimus, & *negamus eam esse summum hic bonum.* 1. Quia de ratione summi boni est, ut per propriam actionem possideatur, tanquam bonum possidenti proprium: at ista fama & gloria, non potest possideri per propriam actionem ejus, cujus est gloria & fama: nam nihil est aliud quam notitia & existimatio virtutis & excellentiæ alterius, existens, non in eo, qui excellens est & virtute præditus, sed in alio, in eo, qui istam excellentiam & virtutem alterius cognoscit atque æstimat: nempe, est in ipso homine virtuoso (liceat nunc sic loqui) & per virtutem excellenti, solum terminative, & per extrinsecam quandam denominationem: at summum bonum est in virtuoso homine, subjective, & per intrinsecam denominationem. 2. Summum bonum debet collocari potius in actione quam passione; nobilius enim est agere quam pati: at fama & gloria sunt passiones: sunt enim, cognitio virtutum & excellentiæ alicujus, non cognoscentis active, sed cogniti passive: nempe, dicitur aliquis gloria & fama & nominis æstimatione celebris, qui ab aliis cognitus est & laudatus: atqui nobilius est, cognoscere, quàm cognosci: non cognoscunt in creaturis, nisi nobiliores, cum etiam cognoscantur inter eas infimæ. Ergo summum bonum non consistit in gloria, quę est quoddam cognosci. 3. Quod non propter se ipsum appetitur, sed propter aliud, non est summum bonum: Atqui gloria, fama, &c. Ergo. Probat. Min quia, sicut honor in genere ex natura sua ordinatur in virtutem tanquam finem, quia est ejus testificatio, ita gloria quoque ex natura sua ordinatur in virtutem tanquam in finem, qui est ejus, scilicet virtutis, notitia & claritas: at notitia & claritas sunt ex natura institutæ ad manifestandum objectum, quod dignum est nosci & inclarescere: itaque, hæc gloria & fama & nominis celebritas, sunt in genere bonorum utilium, & propter aliud: at summum bonum non est bonum utile, nec propter aliud, sed honestum, & propter se.

XI. Sed & hic dispellendæ sunt quædam argutiæ

argutiæ, quibus gloriabundi & famæ sitientes argumentantur, pro hoc suo summo bono: ajunt 1. *ex Cicerone: optimum quemque maxime gloria duci*: unde inferunt; Ergo *gloria inter res omnes maxime est appetibilis*, &, consequenter, *in ea est collocanda summa felicitas.* Resp. damus hoc *Ciceronis*, homines omnes duci gloriæ studio: sed rogamus, iste gloriæ appetitus, vel est ordinatus, vel inordinatus? ex appetitu gloriæ inordinato, non potest concludi, gloriam esse summum bonum; quia beatitudo in eo bono poni debet, quod ordinate appetitur: sed neque ex ordinato gloriæ appetitu sequitur, gloriam esse summum bonum; quia beatitudo in eo bono poni debet, quod ordinate appetitur: sed neque ex ordinato gloriæ appetitu sequitur, gloriam esse summum bonum: nam natura bene ordinata non appetit gloriam tanquam bonum sempiternum, consequenter, nec tanquam summum, sed tanquam bonum utile & ad aliud: unde magis appetit id, cujus gratiâ gloriam appetit: finis enim magis appetitur, quam ea, quæ ad finem. 2. Dicunt: *Bonum stabile, imo æternum, est summum bonum: at gloria, fama, nominis existimatio, sunt tales.* E. *Resp.* Multi quidem famam nominis sui æternam atque immortalem reddere student, dum eam scriptorum annalibus ad tempora futura transmittunt, sed vero sæpissime evenit, ut temporum decursus eam simul cum annalibus oblivione deleat: & ponamus famam nonnullorum, conservatis annalibus, per omnia secula permanere, non tamen idcirco æterna est, aut immortalis, cum tempora hæc finem sint habitura, ideoque cum æternitate & immortalitate comparanda non sunt. Et ad *Majorem* Resp. Etsi gloriam stabilem esse admitteremus, non tamen inde sequitur, in ea summum bonum esse collocandum: nam ea, quæ consequuntur ac comitantur beatitudinem, sunt stabilia atque æterna, vi beatitudinis: at male quis inde inferat. Ergo illa sunt ipsa beatitudo. Denique inquiunt: *Beatitudo Dei ponitur in gloria: ergo & nostra hic in ea poni debet.* Resp. ad *Majorem.* Beatitudo ponitur in gloria, qua Deus cognoscitur ab aliis, qualis est nostra gloria, hoc falsum est; sed ponitur in gloria, qua seipsum cognoscit: at gloria nostra est, qua ab aliis cognoscimur: nam, sive Deus ab aliis cognoscatur, sive non, eo nec beatior, nec minus est beatus. At, si gloria nostra beatitudo foret, jam ista foret, qua ab aliis cognoscimur. Concludimus ergo summatim, *Summum hominis in hac vita Bonum, nec in honore, nec in nobilitate, nec in potentia mundana, nec in fama & gloria, aut quærendum aut inveniendum*, quod hac *exercitatione* erat demonstrandum.

EXERCITATIONUM ETHICARUM SEXTA,

Quæ est Tertia,

DE

SUMMO BONO.

THESIS I.

VErsatæ sunt duæ præcedentes *Exercitationes*, in opinionibus de Summo Mortalium in hisce terris Bono, non omnibus (quis enim omnes recenseat) sed iis, quas *Aristoteles* nobis *l.* 1, *Eth c.* 5. enumerat, & enumerandis & refutandis: ac jam eorum, qui in voluptate corporis, qui in honoribus, nobilitate, dominandi potestate, nominis celebri-

lebritate ac famâ, ſummum bonum collocant, ſententias examinavimus ac refutavimus: recitat *Ariſtoteles c. cit.* tertium genus hominum, qui βίον θεωρητικὸν vitam contemplativam agentes, in *contemplatione* ſummam felicitatem conſtituunt: ac ſub finem capitis ſubjungit χρηματιστὰς, quæſtuoſos, qui in quęſtu, divitiis, opibus, humanæ beatitudinis apicem ponunt ac faſtigium. Atque hos primum refutat; eos vero, qui in contemplatione ſummum bonum locant, in *caput ſextum* proxime ſubſequens rejicit, unde occaſionem captat diſputandi contra *Præceptorem Platonem* de *ideis*, qui ipſi in idearum contemplatione ſummam felicitatem conſtituiſſe exiſtimatur. Nos, *Ariſtotelis* veſtigia ſecuti, primum philoſophabimur *de divitiis*, deinde *de contemplatione*, *& ne utrobique ſummum hominis bonum reperiri*, oſtendemus.

II. Quæritur ergo. *An in divitiis vel opibus ſummum hominis bonum reperiatur? In divitiis, beatitudinis cardinem verti*, plurimi ſunt ex genere hominum, qui perſuaſum ſibi habent, meri *Eucliones* ac φιλάργυροι, *Plutoniſque* vera mancipia, qui tum ſe beatos exiſtimant, ubi cæteros omnes, auro, argento ac gazis, ſuperaverint, qui præ divitiis, ſapientiam, virtutem, dignitatem, denique omnia contemnunt ac pro nihilo habent. Nempe hoc *Horatii* probant.

Virtus, fama, decus, divina humanaque pulcris
Cedunt divitiis, quas qui conſtruxerit; ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, etiam Rex,
Et quicquid volet.

Hinc idem alibi *Satyricè*.

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt;
Virtus poſt nummos.

Nos quidem divitias, eximia Dei, Opt. Max. dona arbitramur, quæ etiam viris optimis, ceu virtutis præmium, ſæpe tribuuntur, at vero, qui iis ſummam felicitatem poſitam exiſtimant, eorum opinionem falſam atque exitioſam, pronunciamus, & ſequentibus rationibus confirmamus. 1. Quod non eſt ἰδιαίτερον, proprium hominis bonum, ſed alienum, id non eſt ſummum bonum: at divitiæ tales ſunt: nempe pendent à volubili, ut loqui ſolemus, fortunâ, quæ modo his largitur eas, modo illis eripit. Unde ſapienter *Bias*, ex Græciæ ſapientibus unus, cum patriâ captâ, cæteri ita fugerent, ut multa ſuis de rebus ſecum abſportarent, cum admonitus eſſet, ut idem faceret; *Ego vero*, inquit, *hoc facio: nam omnia mea mecum porto*: nempe, opes, divitias, ſimiliaque fortunæ, non dicam, bona, ſed ludibria, ne ſua quidem putavit. Eandem in ſententiam non male Bion, *eos judicavit ridiculos, qui dant operam divitiis, cum eas porrigat fortuna, ſervet illiberalitas, auferat benignitas.* Atque hoc primum eſto argumentum, quod divitiæ non noſtrum ſed fortunæ ſint bonum, quæ, ut eas dat, ita ſæpe aufert, *Ovid. l. 3. triſt. Eleg. 7.*

Nempe dat, & quodcunque lubet, fortuna, rapitque:
Irus & eſt ſubito, qui modo Cræſus erat.

Ideo *Diogenes* eleganter, *divitias fortunæ vomitum, appellabat.* At ſummum bonum per fortunam auferri nequit. 2. Summum bonum non cadit in improbos, in homines nequam: quia virtute acquiritur: virtus autem viri eſt boni & probi; at divitiæ in peſſimos cadunt & nequiſſimos: imo ſæpe videas in communi vita, quo quis ditior, eo nequior, &, quo quis nequior, eo ditior. Divitiæ nullum reddunt bonum, multos malos: at ſummum bonum nullum reddit malum. Profecto non Ariſtides, Juſtus, non Epaminondas, Deus, non Lycurgus, Servator, dicti ſunt, quod divites eſſent, ſed quod, licet pauperes, Græciam à ſervitute liberaſſent: neque enim ditiſſimi, ſemper optimi ſunt in republica: atque huc pertinet, quod egregie dicit Oratorum Maximus *Cicero*, *Tuſcul. quæſt. l. 5. Omitto divitias, quas, cum quivis, etiam indignus, habere poſſit, in bonis non numero*: quod enim bonum eſt, id non quivis habere poteſt: tantum igitur abeſt, ut ſummum bonum, *Ciceroni* extiterint divitiæ, ut ne bonum quidem ei fuerint. 3. Divitiæ & opes, ſi cum cæteris rebus comparentur, exiles ſunt ac viles: at ſummum hominis bonum eſt perfectiſſimum, præſtantiſſimum, optimum: Ergo divitiæ non ſunt ſummum bonum. Non poſ-

ſum

sum, ut exilitatem opum ac divitiarum ostendam, quin huc in medium adferam insigne *Socratis*, *Apollinis* Oraculo, sapientissimi, dictum. *Socrates*, cum videret *Alcibiadem* gerere animum elatum, & ob agrorum multitudinem (erat enim dives agris) cristas erigere ac superbire, adduxit eum ad locum, in quo mappa quædam ambitum terræ complectens erat suspensa, & rogavit ut Atticam ibi quæreret, quam cum *Alcibiades* inveniisset, ostende mihi (inquit *Socrates*) & fundos & agros tuos: cum *Alcibiades* respondere, nuspiam eos in tabula esse pictos: &, inquit *Socrates*, cur igitur fundorum & agrorum possessione ita te effers, qui nulla pars sunt terræ. Non poterat suavius ei exilitatem & vilitatem ejus possessionum & opum exprobrare Philosophus Socrates. 4. Argumentamur ex *Aristotel. l 5. cit.* Nullum bonum utile, & quod refertur ad aliud, est summum. At divitiæ sunt bonum utile, & referuntur ad aliud. Verba sunt *Aristotelis*; *opes sunt* χρήσιμόν τι καὶ ἄλλου χάριν, nempe non propter se ipsas expetuntur, sed ut necessitati, voluptati, dignitati, liberalitati, uno verbo, ut homini inserviant: opes enim sunt propter hominem, homo vero propter felicitatem ac summum bonum: Ergo ipsæ opes non sunt felicitas aut summum bonum. Hoc argumentum *Aristotelis*, quia firmum est, meretur nonnihil explicari fusius, quod faciemus ex ipso *Aristotele. Philosophus l pol. 1. cap. 6.* duplices facit *divitias*, *naturales & artificiosas*. *Naturales* divitiæ sunt, quarum beneficio subsidioque succurritur indigentiæ humanæ, quo pertinent, cibus, potus, indumenta, habitaculum, & id genus alia, quibus indiget ipsa natura: *Artificiales* divitiæ sunt, quibus ipsa per se ac primo non juvatur natura, sed quæ naturam juvant per accidens ac secundariò, quatenus per divitias artificiales comparantur naturales. Atque de hoc genere *artificialium* divitiarum est *nummus* atque *pecunia*: his vita primo ac per se non sustentatur, quippe iis, nec corpus ali, nec ab injuriis cœli defendi potest, sed tamen iis comparamus ea, quæ corpori & alendo & defendendo inserviunt. His positis, ostendi facile potest, *quod in neutris debeat felicitas poni: Non in divitiis naturalibus*, quia hæ & quæruntur & acquiruntur ad vitam hominis sustentandam: edit enim homo, bibit, vestitur, habitat, ut vivat. Ergo non possunt obtinere rationem ultimi finis & summi boni. Quod enim dirigitur ad servandum hominem tanquam ad finem, id non est finis ultimus ac summum bonum: hoc enim ulterius non dirigitur. Atqui divitiæ naturales diriguntur, &c. Ergo, &c. *Sed nec artificiosæ opes sunt summum hominis bonum*, quia hæ ipsæ referuntur ad naturales; quæruntur enim ad res coëmendas, usibus vitæ humanæ necessarias. Cum itaque hæc sit ratio divitiarum, ut *nummus*, & quicquid ei est simile, inserviat cibo ac potui comparando, hæc inserviant vitæ sustentandæ, vita sit propter felicitatem supremam possidendam, optimè concluſit *Aristoteles in divitiis non esse positam felicitatem ipsam.* 5. Quod ad omne vitiorum genus aditum patefacit, ad omne malum, hominem inclinat, illud non est summum bonum. Atque hoc faciunt divitiæ.

Effodiuntur opes, irritamenta malorum. ait Poëta: & non male dixit, quisquis dixit, *divitias esse thesaurum malorum, & improbitatis suppeditamentum.* Non pigebit hic referre, quæ in hanc rem rescripta reliquit verba elegantissima, in aureis suis *de remediis utriusque fortunæ* libris: *dial. 53. l. 1. Franciscus Petrarcha. Nimiæ*, inquit, *opes non modo singulorum hominum, sed populi Romani corruperunt mores; miramque illam & eximiam fregêre virtutem: qui populus tam diu clarus, tam diu justus fuit, & integer, quamdiu pauper fuit, in egestate victor gentium, &, quod glorioſius, victor sui, domitorque vitiorum, à divitiis victus est & pessundatus.* Hæc *ille.* Certè, divitiæ fastum pariunt, impietatem, luxum, petulantiam. Verissimè dixit *Satyricus Iuv. Sat. 6.*

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles.

Dicit hic quispiam. *Divitias eorum vitiorum esse causas, non per se, sed per accidens, non suâ sed hominum culpâ, non legitimo usu, sed illicito abusu.* Resp. Hoc quidem verum esse ac ne-

gari non posse, sed tamen, quia in divitias abusus iste cadere potest, ac quam sæpissime cadit, ideo est, quod pro summo bono haberi nequeant: nam summi boni abusus talis non est, nec esse potest: adeo ut ista exceptio argumenti vim non infringat. 6. Summum bonum possidenti summam adfert animi quietem: divitiæ contra eam animo eripiunt, tranquillitatemque auferunt: quod licet multorum divitum exemplis dictisque, atque ipsa adeo experientiâ sit compertissimum, unico tamen, sed scito *Anacreontis Lyrici* inter Græcos *Poetæ* dicto, comprobatum dabo. Hic cum duobus à *Polycrate Samio* talentis esset donatus, ac duas planè noctes integras insomnes duxisset, quo fidelius donata talenta noctu custodiret ac servaret, tertio die *Polycrati* sua talenta remisit, ea cum voce, *non*, inquit, *tanti emo vigilias & molestias noctium & omne munus quod vigilare cogit.* 7. Summum bonum satiat atque explet voluntatem & appetitum: divitiæ non item: quarum cupiditas augetur indies; neque unquam tantæ possidentur, quin desiderentur majores: ita anxium sui desiderium, sitimque relinquunt ardentiorem: scil.

Crescentem sequitur Cura pecuniam
Majorumque fames.

Et *Nec Cræsi fortuna unquam, nec Persica regna.*
Sufficiunt animo.

Sed:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Est genus quoddam morbi, quo qui laborant, quanto largius comedunt, aut plus bibunt, eo magis esuriunt, ac sitiunt: Eundem morbum in animum fere inducunt divitiæ. Qui lubet, legat de hoc negotio elegantiss. *Boethii de Consol. Phil. l. 3. Prosa 3. & Met. 3. & lib. 2. pr. 5. & Met. 2.* Sed octavo ac postremo; quodcunque non virtute, sed malis sæpe artibus acquiritur, cum vitæ periculo, ac animæ interitu sæpe conservatur, id non est summum bonum: at Divitiæ tali modo sæpe acquiruntur, sæpe conservantur; quod probare non est necesse: loquuntur id tot sæpe furta clandestina, tot doli, & fraudes, tot publicæ deprædationes, direptiones, exactiones, & expressiones, plusquam hostiles, quibus magna multis accessio facta est ad opes suas. Quid hic referam expilationes, rapinas, homicidia, *Neronis*, *Caligulæ*, *Commodi*, aliorum, instituta, ut se locupletarent. Tædet plura proferre; & jam putem satis esse allatum, quo summum bonum in divitiis non consistere sit ostensum: multa enim hic congerere, ad divitiarum amorem hominum animis extirpandum, *non Ethici foret aut Philosophi, sed Rhetoris*: quare rationes ex *Aristotele* aliisque, contra divitias, ut summum bonum, adductæ, nobis suffecerint. Objectiones autem vel exceptiones pro sententiâ contrariâ, si quæ sint τῶν χρηματιστῶν, hominum quæstuosorum & avarorum, eæ facile, ex iis quæ diximus, solvi possunt.

III. Ad alterum caput transeamus, ac videamus, *an summum hominis in hac vita bonum consistat in contemplatione*, hoc est, *in scientia, speculatione, cognitione rerum omnium, omnis veri, & boni?* Affirmantium sententia vero similior est, quam reliquæ tres jam refutatæ, qui in bonis externis, corporis ac fortunæ, felicitatem quæritabant. Et profecto, magnum est bonum, res omnes, magnum, inquam, est bonum, res omnes (hic loquimur de rebus extra nos positis, quæ sub nostram contemplationem cadunt, atque uno verbo, de rebus creatis; nam quin, contemplatio, ac cognitio Dei sit, si non summum bonum totum, saltem ejus pars, non dubitamus, sed postea esse ipsi ostendemus) contemplari, indagare, speculari, res omnes cognoscere, scire. Videturque homo sic proxime accedere ad Deum. Tanti æstimavit hoc bonum *Philippus Macedonum Rex*, ut gratulatus sibi sit, ac gavisus magnopere, quod *Alexander* sibi natus esset filius eo tempore, *quo ab Aristotele*, sapientissimo Philosopho, rerum omnium notitia imbui posset. Et maximo semper in pretio fuere *Sapientes*, qui hoc animi bonum possiderent. Verumenimvero, utcunque magnum hominis in hac vitâ sit bonum, rerum omnium inferiorum, omnisque apud nos veri & boni contemplatio, non tamen est bonum summum; quod sequentibus rationibus demonstratum

ſtratum imus. 1. Summum bonum nullius vitii cauſa eſt: at rerum creatarum contemplatio, ac cognitio, multorum vitiorum cauſa eſt; nempe veriſſimum eſt hic illud *Apoſtoli*; *Scientia inflat.* Ita ſapientia, ſuperbiæ, & ambitionis, in multis cauſa eſt, alios ad invidiam & æmulationem iniquam inſtigat: videas ſapientes quoſdam, & ſcientes tam inflatos, ut alios omnes præ ſe contemnant. At verò ſummum bonum, nec ſuperbiam, nec aliorum contemtum, in poſſidente operatur. 2. Quodcunque poſſidentem ab multarum virtutum in vita civili exercitio abſtrahit, & avocat, illud non eſt ſummum bonum: atqui rerum creatarum contemplatio, ac ſpeculatio ſæpe hoc facit: ita quidam, noctuarum inſtar, lucem fugiunt, atque hominum converſationem, totos ſeſe dies domi continent, ut cælum, circulos cæleſtes, rerumque naturas contemplentur, ut de mundi ordine, magnitudine, deque rebus aliis, diſputationes conſcriptas evolvant, homines, in humanitatem, honeſtatem, & reliquos homines ac Remp. ipſam, injurii, ac veræ felicitatis, ſupremique boni hoſtes. Peccarunt tali modo, & à ſummo bono aberrarunt, plerique ante *Socratem Philoſophi*; unde ipſe primus *Philoſophiam* de cælo avocaſſe, & in terras ad ſocietatem humanam reduxiſſe, dicitur. Sed 3 Quodcunque non explet voluntatem, non ſatiat appetitum, non eſt hominis ſummum in hac vitâ bonum. Atqui rerum creatarum contemplatio, non explet, non ſatiat, &c. Ergo. Nullum bonum creatum voluntatem explet, aut appetitum ſatiat. Sed contemplatio rerum creatarum eſt bonum creatum. *Prob Major.* Quod ſatiat voluntatem, debet eſſe bonum univerſale, ſicut intellectus objectum eſt, verum univerſale: atqui nullum bonum creatum eſt bonum univerſale. E. Probatur Minor. Nullum bonum participatum eſt bonum univerſale: omne bonum creatum eſt bonum participatum: E. nullum bonum creatum eſt bonum univerſale. Sed de hoc argumento plura ſunt dicta *Colleg.* noſtri *Ethici diſp.* 4.

1V. Verumenimvero peculiaris hic eſt quæſtio *Ariſtotelis cum Platone*, *an non ſummum bonum conſiſtat in contemplatione idearum*, quam *Philoſophus tractat cap 6. l. 1. Eth ad Nicomachum.* Tribuit *Platoni* hoc in loco *Ariſtoteles*, & cum *Ariſtotele*, alii, quod ſtatuerit, *rerum omnium eſſe ideas*, hoc eſt, *formas quaſdam ſeparatas, perfectiſſimas, abſolutiſſimas, ſempiternas, ex quibus ſingula individua rerum naſcerentur, & ad quarum ſimilitudinem eſſent expreſſæ: ita dicitur ſtatuiſſe ideam quandam boni, à qua res omnes, quæ bonæ ſunt, eſſent decerptæ, & bonitatem ſuam derivaſſent*; hoc eſt jam quod quærit *Ariſtoteles, an iſta idea ſit ſummum bonum, aut, an felicitas hominis ſuprema, in hac mortali vitâ, conſiſtat in contemplatione hujus ideæ?* Hanc quæſtionem ait Ariſtoteles in *textu* eſſe perarduam: & reverâ non mentitur hoc: ſi quæ enim quæſtio agitata eſt eruditiſſimorum hominum ac *Philoſophorum* ſcriptis, eſt hæc *de ideis Platonicis.* Verum ante omnia diſcutiendum hic venit, *An Plato tales ideas poſuerit?* quales hic deſcribit, & *Platonem* poſuiſſe teſtatur *Ariſtoteles*; ſunt enim multi, non tantum ex *Platonicis*, ſed ex ipſius *Ariſtotelis* interpretibus, imo, quod miretur quis, ex ipſis *Scholaſticis*, *Ariſtotelis* adulatoribus, & admiratoribus, qui *Ariſtotelem* malæ fidei in *Platonem*, ſuum præceptorem, accuſant. Sed totum hoc negotium, de *ideis* inter *Ariſtotelem & Platonem* controverſis, luculente excuſſimus, ac diſcuſſimus *Select. Diſp. vol. 2. diſp.* 31. & aliquot ſequentibus. Quare, ne actum agamus, eo nunc labore ſupersedemus.

EXERCITATIONUM ETHICARUM SEPTIMA,

Quæ est Quarta,

DE

SUMMO BONO.

THESIS I.

DUplex est rem quamlibet tractandi ratio, una per ἀφαίρεσιν sive negationem, altera per θέσιν sive positionem. Ostensum fuit *exercitationibus* antè habitis, *summum bonum* ac felicitatem *non inveniri in voluptate corporis, non in honoribus, non in divitiis, non in nuda contemplatione:* Restat, ut tandem, *quid sit* dicamus, quod antequam pronunciemus, summi boni varias ex *Aristotele* conditiones enarrabimus. *Summum bonum Aristoteles* vult esse οἰκεῖον homini. 1. *Eth 5 id est domesticum* & ἴδιον, *proprium* homini, debet esse in optima ejus parte, quæ est intellectus & voluntas, situm, debet esse μόνιμον, ἀναφαίρετον, hoc est, *firmum, stabile, permanens*, quod vel nunquam vel difficulter amitti potest; debet esse πλεῖον, 1. *Eth. cap. 7. perfectum?* si enim perfectum non est, nec summum est: debet esse καθ' αὑτὸ αἱρετὸν καὶ αἱρετὸν ἀεὶ, *propter se ipsum expetibile*, & semper debet esse αὐταρκὲς, *sibi sufficiens, se ipso contentum*, hominem constituens in illo statu, in quo nihil ad bene beateque vivendum desideretur: denique debet esse πολύκοινον, 1. *Eth 9. multis commune:* nam de omnium hominum non de pauculorum beatitudine quæritur. Atque hæ sunt conditiones summi boni ab *Aristotele in Eth Nicom. l* 1. *c.* 5. 7. 9. expressæ, quas, qui attente expendat, nullibi, quam in *virtute* summum bonum hominisque felicitatem esse collocandam, facile videbit: Quippe virtus est, quæ præstantissimam hominis partem, animam scilicet, intellectumque & voluntatem, perficit. Virtus inter cætera bona soli homini competit, quatenus homo est, cum reliqua bona, vel revera non sint talia, vel, si bona vere sint, non tamen, sunt hominis, qua talis: sola virtus homini proprium est bonum, qua animus humanus ita afficitur, ut homo, secundum rectam rationem, vitam, moresque componat. Et certe illud summum hominis est bonum, quod illum Deo reddit quam simillimum, atque humanam supra sortem, evehit: id verò virtus præstat, quæ hominem corpore circumseptum, altiora tamen corpore cogitantem, ac diva meditantem, facit. Recte sapientissimus *Seneca. Quam perpusilla res est homo, nisi supra humana sese erexerit?* At vero, ut se erigat, virtus facit. *Virtus recludens immeritis mori cælum, negata tentat iter viâ, cœtusque vulgares & udam spernit humum fugiente penna.* Canit alibi *Horatius*. Sed ulterius; quod constanter homini adhæret, nullis calamitatibus, nullis fortunæ casibus, aufertur, id summum est hominis bonum: at talis est virtus, quæ (verba sunt disertissimi Oratoris *Tullii, paradoxo sexto*) *nec eripi nec surripi potest, nec incendio amittitur, nec tempestatum nec temporum permutatione, permutatur.* Et quid multis est opus? Summum bonum est honestissimum, jucundissimum, maximè expetendum; à virtute quid honestius, quid jucundius, quid expeti magis potest? Summum bonum propter se expetitur: sic & virtus: *ipsa sibi virtus pretium est*, canit Claudianus. Summum bonũ facit omnia minora bona vere bona & honesta: ita & virtus. Et hic quidem consentiunt *Peripatetici & Stoici:* dum utriq; in virtute summum bonum ac felicitatem collocant: virtus ergo summum hominis bonum supremaque est felicitas:

licitas : intelligendo ſemper felicitatem & ſummum hujus vitæ bonum : Nam de illa beatitudine, quæ nos manet poſt obitum, nos non agimus. Ac cum felicitatem noſtram conſiſtere docemus in virtute, non intelligimus per felicitatem, ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectiſſimum, uti eam definit *Boëthius in* 3. *l. de conſolatione Philoſophiæ.* Nam in ſola virtute non eſſe poſitam ejuſmodi felicitatem, quæ omnium bonorum comprehenſione conflatur, in confeſſo eſt, ſed per felicitatem intelligimus, iſtius ſtatus ex omnium bonorum cumulo perfectiſſimi partem aliquam, ac bonum unum aliquod, quod inter cætera optimum, hominis felicitatem componat ac conſtituat maximè: adeoque hic eſt noſter ſenſus, ac mens noſtra : *inter illa bona, quæ conſtituunt ac componunt felicitatem hominis, in hac vita, ut eſt ſtatus omnium bonorum coacervatione affluens, virtus principem tenet locum, ac ſummum eſt bonum.*

II. Sed enim nova hic oritur lis, *Stoicos* inter ac *Peripateticos* mota ; an Aſſertio noſtra, *quod virtus ſit ſummum bonum hominibus*, debeat intelligi, *de virtutis actu primo an de ſecundo* ? clarius dicam, quæritur inter illos, *ſine poſſeſſio virtutis & habitus ſummum bonum, an vero virtutis uſus, operatio, actio ſecundum eam inſtituta* ? *Stoici* pro virtutis habitu pugnant, *Peripatetici* pro virtutis actione. Sic quidem vulgo referunt *Philoſophi Ethici* : at vero, ut *Stoici* ſolam virtutem ſine actione virtutis ſummum bonum fecerint, vix à me impetro ut credam, qui ipſi maxime ſecundum virtutem egerint : & certè inſanum fere videtur, nec cadere potuiſſe in tam graves ex *Stoâ ac Porticu Philoſophos*, ut in otioſa, deſide, ac ſegni virtute, ſummum bonum poſuerint : & ſi loca *Senecæ*, aliorumque, benignius accipiantur, fortaſſe non aliud dixerint *Stoici*, quam virtutem, ut habitum, licet cadat in miſerum & calamitoſum, nec occaſionem habeat edendarum actionum, beatam tamen efficere vitam, propter interiorem animi moderationem ex virtute ortam; quod, an longè abeat à veritate, cuique dijudicandum relinquo : quicquid ſit, ſive ſic ſenſerint *Stoici*, ſive minus (neque enim inquirere id nunc eſt animus) nos cum *Ariſtotele* 1. *Eth. c.* 5. quia hunc tanquam ducem ſequimur, & cum *Peripateticis*, ſummum bonum in virtutis, non nudo habitu, ſed actione, conſtituimus : *Ariſtoteles* hanc ſententiam 1. *Eth.* 5. duabus probat rationibus ; *Prima eſt.* Fieri poteſt, ut quis habitu virtutis inſtructus, vel dormiat, vel nihil agat per omnem vitam, ſed eam otioſam tranſigat totam, vel quia inſtrumentis deſtituitur virtutis exercendæ, vel alio impedimento impeditus : at vero, qui neque mente, neque voluntate, quicquam agit, non poteſt dici beatus. *Secunda eſt.* Vir habitu virtutis præditus ſæpe incidit in res adverſas & maximas calamitates : at tum beatus dici nequit. Verum, utraque ratio varias patitur exceptiones : Quare tibicinibus quibuſdam fulcienda eſt. *Primæ Ariſtotelis* rationi hoc fundamentum eſt ſubſternendum, beatitudinem eſſe bonum abſolutum & perfectum, bonum ſummum non eſſe cui aliquid addi poteſt quo reddatur perfectius. At habitus eſt quid imperfectum, & virtutis habitui aliquid addi poteſt, quo fiat perfectior, nempe actio. Nam licet habitus perficiat potentiam, ultima tamen potentiæ perfectio non eſt in habitu, ſed in habitus actione. Et antè inter conditiones ſummi boni recenſuimus, ut propter ſe expetatur : at habitus expetitur propter actionum : & *Ariſtotelis* rationem primam his tibicinibus fultam ſic inſtituimus. Quod ſecundum ſe & per ſe eſt expetibile, perfectius eſt eo, quod expetitur propter aliud. At virtutis habitum expetimus propter felicitatem, felicitatem propter ſe ipſam. Ergo felicitas eſt perfectior virtutis habitu. Ergo virtutis habitus non eſt ſummum bonum : quia hoc eſt perfectiſſimum, porro virtutis habitum expetimus propter actiones : at feliciores ſumus, & nos eſſe exiſtimamus, ex opere & actione virtutis, quam ex habitu quod probo. Putamus nos eſſe beatiores ob id, quod habet rationem finis, quam ob id, quod habet rationem medii. At rationem finis magis habet actio quam habitus. Ergo, ſicuti judicamus excellentiores, qui divitiis utuntur, quam qui eas poſſident, ita præſtantiores cenſemus, qui virtutem exercent, quam qui habent : non qui

juſtus

justus aut fortis est, sed, qui juste ac fortiter agit, celebratur: &, in eo salus est reipublicæ, non ut multi sint fortes aut justi quoad habitum, sed ut multi fortiter & juste agant. Elegans est similitudo, quam *Aristoteles* adducit; *uti*, inquit, *in ludis Olympiacis, non formosissimi quique & robustissimi, sed qui decertant, coronantur, ita & qui honeste ac benè agunt, in hac vita.* Et, si quis conditiones summi boni ex *Aristotele* à nobis initio *hujus Exercit.* enumeratas consideret, eas magis actioni virtutis, quam ejus habitui, convenire comperiet. Summum bonum est aliquid sibi sufficiens in quo homo acquiescit. Sed in habitu virtutis non acquiescit animus; quin vero ex virtute agere optat. Ergo virtutis habitus non est bonum sibi sufficiens. Summum bonum est jucundissimum; at major ex actionibus, quam ex habitu virtutis, est jucunditas. Ergo summum bonum magis in actionibus virtutis consistit quam in habitu. Cum vero actiones virtutis, in dormientem, in otiosum, in hominem omnibus exercendæ virtutis mediis destitutum, non cadant, neque summum bonum in eos cadet: at caderet in eos, si summum bonum in solo virtutis habitu consisteret; atque hæc ad statuminandam primam *Aristotelis* rationem contra *Stoicos* suffecerint. *Altera ejus ratio* erat petita à calamitatibus, & rebus adversis, in quibus sæpe hærent, qui virtutis habitum possident: at vix est, ut isti, tum temporis, beati dicantur: certè, qui tota vita in lecto decumbat, omnibus pæne sensibus spolietur, quomodo beatus dici potest, licet habitu virtutis sit instructus? certe summum bonum & felicitas hominis suprema non conjungitur cum summâ & supremâ infelicitate. Sed, ut verum fatear, hæc ratio potissimum spectat felicitatem, ut significat omnium bonorum cumulum, & statum perfectissimum, cui bona fortunæ ac corporis deesse non debent, potest tamen aliquo modo etiam spectare felicitatem, ut nos hic de ea disputamus, tanquam de bono maximo, quod statum istum felicitatis absolutum componat ac constituat: verum hujus rationis robur dependet in totum ex altera quæstione, quam proxima *Exercitatione* tractabimus, an *bona externa & fortunæ ad felicitatem sint necessaria*? nunc objectiones potius, quæ moveri solent ac possunt contra *Aristotelis* sententiam, dissolvemus.

III. 1. *In eo magis est felicitas, quod bonum est, bonitate, non quæ petatur aliunde, sed sua. Virtus autem ex se bona est: actio virtutis non ex se, sed aliunde, nempe à virtute E magis in virtute, quam in actione sita est felicitas.* R. major est vera, sed minor falsa: nam virtus non est ex se, nec à se, bona, sed ex actione à qua gignitur habitus: actio ipsa est bona, vi finis & objecti; intelligo actionē, qua virtus gignitur. Nempe res sic se habet; & actio virtutem producens, & virtus ipsa, & actio à virtute exercita, habent suam bonitatem aliunde: nulla ex se: sed habent suam bonitatem à fine, objecto, efficiente, aliisque circumstantiis, unde omnis bonitas sive habitus, sive actionis moralis derivatur: actio virtutem præcedens, eandemque consequens, bona est, quia rectæ rationi utraque est conformis: virtus aliquid quidem confert ad bonitatem actionis, quam edit, sed minimum tamen: nempe virtus hactenus reddit actionem bonam, quatenus potentiam, quæ elicit actionem bonam, quâ agit congruenter rectæ rationi, roborat, confirmatque, ut, quam ante virtutis accessum edebat actionem, bonam quidem, sed cum difficultate, nunc bene agat cum facilitate, ita ut virtus non proprie bonitatem largiatur (illa est à conformitate actionis cum recta ratione) sed facilitatem, actionem rationi rectæ congruam, id est, bonam, facile exercendi. 2. *Bonum per se expetendum, est summum. Virtus, ut habitus, est bonum per se expetendum.* Ergo. *Probatur minor: quia perficit animum & potentiam ad quam accedit, etsi nulla operatio sequatur: at, quod sic perficit animum, est per se expetendum.* Resp. virtus cum actu aut relatione ad actiones, est per se expetenda, & perficit sic animum, atque potentiam, ad quam accedit: at sine actu vel relatione ad actiones virtus non est per se expetenda, nec sic perficit &c. & notandum est, à *Peripateticis*, summum bonum non constitui in actionibus nudis, sed in actionibus cum habitu, à quo proficiscuntur, consideratis: nam sine eo ne actiones quidem forent:

rent: certè, habitus non perficit animum aut potentiam, nisi in quantum reddit eam idoneam ad agendum: at si nullum unquam ab ea proveniat opus, aut provenire nequeat, quænam quæso erit ab habitu potentiæ capacitas accepta? itaque *Aristoteles*, cum dicit alibi, *virtutem esse per se expetendam*, intelligit virtutem cum actu: & ut ipsius *Aristotelis* similitudine hoc negotium illustrem. Quemadmodum ædificatoris habitus perfectionem suam accipit à bonâ ædificatione, sic virtus suam desumit perfectionem ab actione. 3. *Summum bonum est id quod hominem maxime efficit bonum: sed virtus magis bonum facit hominem quam actio virtutis* Resp major vera est: minor falsa. Neque enim virtus aut habitus nudè, ac solitariè spectatus, magis facit hominem bonum quam actio virtutis: imo contrà, quia omnis actio virtutis virtutem supponit, & habitum quasi includit, fit, ut actio virtutis reddat magis hominem bonum, quã nudus habitus, imo per habitum virtutis nullo modo redditur bonus homo, nisi habitus ad actum referatur. 4. *Summum bonum est jucundissimum. At virtutis actio est molesta ac laboriosa.* Ergo. Resp. actio virtutis non est laboriosa, non molesta ex se; sed interdum fit, ut à corpore, cujus viribus & potentiis interdum utitur virtus in actione sua exercendâ, aliqua accedat molestia: at illud per accidens fit, ratione ipsius actionis à virtute profectæ. 5. *Id quod dirigit, melius est directo. At virtus dirigit, actio virtutis dirigitur.* Ergo. Resp. Virtus non dirigit, sed ratio, sed prudentia, aut ipsa anima, vel mens: actio temperantiæ, non est à temperantiâ, ut à principio dirigente, sed ut à principio efficiente, non ipsam actionem, sed facilitatem actionis: mens, ratio, prudentia, dirigunt: & ipsa actio est à facultatibus istis, à quibus actiones istæ temperantiæ proficiscuntur, & quas temperantię virtus facilitat. 6 *Felicitas est quid perfectissimum: At actio virtutis perfici potest: nempe à delectatione, quæ sequitur* Resp. Felicitas, si significat statum, continentem omnium bonorum cumulum, est quid perfectissimum; at sic nos non sumimus hic, ut ante fuit monitum: at, si significet ex bonis simplicibus, bonum optimum, sic non est quid perfectissimum: nam non potest quidem perfici intrinsecus in anima illud bonum summum, sed tamen potest perfici extrinsecus in membris, per bona, quorum indiget ministerio, dum acquiritur: barbari dicunt, potest perfici, accidentaliter & ministerialiter: sed hoc *seqq. Exercit.* discutiemus. 7. *Eodem die potest fieri, ut quis agat ex virtute & mox non agat: Ergo eodem die erit felix & miser. Si enim agere ex virtute beatum est, τὸ non agere ex virtute, est miserum.* Resp. miserum esse, opponitur felici, vel contrariè, vel privativè: si contrariè, non tantum significat, absentiam actualis felicitatis, sed significat, esse malitiâ & malis operibus infectum: Si privativè, tantum significat, eum, qui, quo tempore an loco felicitate actuali perfrui posset, actu eâ non fruitur: Et sic posteriori modo miser dici potest, Is, qui & quando ex virtute non agit; non positive, sed privative, aut rectius, negative miser, i. e. non felix est. Nam qui eodem die, quo ex virtute egit, cessat agere ex virtute, is non redditur eo tempore miser, sed redditur non felix actu, ut sit nuda negatio felicitatis: Sic qui dormit, non est miser; quia nullã virtutis actionem edit, sed tantũ non felix actu: Imo tanta est felicitatis vis, ut in ipsâ cessatione à virtutis actione & in somno, adhuc quasi luceat, quia ideo quis, qui summum bonum possidet, cessat à virtutis actione aut dormit, ut postea tanto facilius bene agat: & manet semper habitualis felicitas, quam cum in actione virtutis ponit *Aristoteles*, habitum non excludit, sed includit. 8. *Bonum diuturnius est melius non diuturno. Sed virtus, ut habitus, est diuturnior: actio virtutis est minus diuturna, nam cito perit.* Resp. Major vera est, si res ejusdem speciei inter se conferantur, & cætera sint paria: tum enim bonum diuturnius est melius; at hic non comparantur res ejusdem speciei, nec cætera sunt paria; non enim hic habitus cum habitibus, nec operationes cum operationibus, conferuntur, sed actio virtutis cum habitu virtutis; & fieri potest, ut actio virtutis, licet minus diu duret quã habitus, quia tamen est perfectior habitu, sit magis optabilis quam ipse habitus. Deinde, felicitas est maximè permanens, non collocata cum rebus quibuscunque

cunque, sed cum istius ordinis rebus, cum quibus est conferenda : sic inter operationes, ad quas refertur actio virtutis, est maximè permanens. 9 *Si felicitas consistit in actione virtutis, Ergo consistet in multis quæ jam transierunt, & in uno quod nunc tantum est: quia multæ actiones virtutis transiere, & hæc aut illa nunc tantum est: At illud est absurdum. Ergo* Resp. Ad minorem. Non est absurdum, ut felicitas consistat ex multis, quæ jam præterierunt, & ex uno præsenti, quia ex talibus ipsa constat vita: Si enim vita consistat in perpetuo fluxu, quidni & felicitas ejus? 10. *Si felicitas consistat in actione virtutis, Ergo progressu temporis augebitur, quo scilicet plures erunt actiones virtutis. At hoc absurdum est. Ergo Resp.* Negando conseq neque enim consequitur, si felicitas consistat in actione virtutis, quo erunt plures actiones, eo magis auctum iri felicitatem : nam vita non dicitur propriè augeri, licet plures ad eam accedunt anni, sed annorú accessu dicitur extendi & diutius durare: & sic felicitas diutius durat, sed non augetur, quo plures actiones virtutis exeruntur. Deinde non ponit *Aristoteles* felicitatem in unaquaque actione virtutis, sed in omnium actionum ex virtute collectione: quemadmodũ senex dicitur non propter hunc vel illum annum, sed propter annorum exactorum cumulum : annus unus quidem alteri additur, propriè tamen nihil additur senectuti : sic actio virtutis una additur alteri, nihil tamen propriè felicitati.

EXERCITATIONUM ETHICARUM

OCTAVA,

Quæ est Quinta,

DE

SUMMO BONO.

THESIS I.

OStendimus *Exercitatione* præcedenti; & evicimus contra *Stoicos* pro *Peripateticis*, summum bonum consistere *in virtutis, non habitu, sed actione.* Verùm ut hic inter se dissentiunt aut saltem dissentire existimantur, utriusque sectæ *Philosophi* ita alia quædam inter eosdem circa *summum bonum* est controversia. Cum enim trium generum sint *bona*, *animi*, *fortunæ*, *corporis*, quæritur inter illos, *an præter animi bona (de quibus nulla est controversia) ad summum bonum requirantur etiam & pertineant bona corporis & fortunæ? Stoici* negant, imò felicitatem illam, quæ externa illa corporis & fortunæ bona requirat, effœminatam, mollem, fluxam, inconstantem appellant, & quandoquidem virtutis habitus sine iis bonis esse potest, si summum bonum in virtutis habitu consistat, ut illi existimant, summum bonum sine iis esse potest. *Aristoteles* contrà ac *Peripatetici*, quandoquidem summum bonum collocant in actione virtutis, & actio virtutis sine bonis corporis ac fortunæ, aut non, aut vix & ægrè, exerceri queat, ad summum bonum bona corporis ac fortunæ exigunt, sed ut instrumenta, ut ornamenta, ut auxilia quædam, ad actiones virtutis exercendas necessaria : nempè, per ea virtutis exercendæ occasio est, & sine iis præstari multa non possunt. V. C ut fortiter quis agat, robore corporis eget; at hoc bonum est corporis: ut liberalitatem exerceat, divitiis eget; at hæ bonum sunt fortunæ: & cum hominem

minem perficere debeat ſummum bonum, conſtantem animâ & corpore, neceſſe eſt, ut felici conſpiratione omnia in eo conveniant & reperiantur, quæ ad humanæ vitæ perfectionem ſplendoremque faciunt: at verò talia ſunt bona fortunæ & corporis: quid enim, quæſo, præclari aget in vita, qui vel nunquam ſano eſt corpore, vel omnibus amicis deſtitutus, nullo eſt in republica loco, nullo ſenſu, nullis eſt inſtructus opibus? hæc enim bona, ſeu fortunæ, ſeu corporis, præſidia ſunt & adminicula, ad felicitatem obtinendam, ad actiones virtutis exercendas, neceſſaria: non quidem ſummi boni ratio aut eſſentia in iis bonis eſt ſita: neque enim illa bona ſumma ſunt: ad ſummi boni rationem hactenus tamen pertinent, quatenus eorum acceſſu ſummum bonum augetur & illuſtrius redditur, quatenus virtutis actiones per ea promoventur, adjuvantur, &, ſic loquar facilitantur. Certè præclarius eſt & magis optabile, ſi quis virtutem exerceat ſervata valetudine & abſque dolore, quam ſi quis eandem exerceat cum dolore & valetudinis jactura. Atque hæc eſt ſententia. *Ariſtotelis* 1. *Eth. c.* 8. *& l.* 10. *c.* 8. *&* 7. *pol. c.* 1. *Stoici* contra, virtutem, ſuum ſibi ſummum bonum, non tantum carere poſſe bonis fortunæ & corporis exiſtimant, ſed verò, inſuper, ea ne in bonorum quidem numero habent, adeoque actionem honeſtam, ſive ex virtute profectam, ſine dolore, non eſſe meliorem cenſent eâ, quæ cum dolore fiat. Videatur de hoc negotio diſſerens Cato apud *Ciceronem in lib.* 3. *de finibus boni & mali*: & ſapientiſſimus *Seneca epiſt.* 71. *&* 98. Ergo hæc duo paulo plenius inquirimus. 1. *An bona corporis & fortunæ ad felicitatem ſint pertinentia?* 2. *An iſta bona ſint revera bona?* Nos utrumque affirmamus: & probamus utrumque, ac tum argumenta adverſariorum diſſolvemus.

11. Primam quod attinet quæſtionem, ſic pronunciamus: *Felicitas ac ſummum bonum bonis fortunæ ac corporis in totum carere non poteſt.* Probamus. 1. Quia multarum virtutum actiones ſine iis exerceri nequeunt: hinc argumentamur: ſine quibus actio virtutis exerceri, ſummum bonum obtineri, nequit, illud eſt neceſſarium ad ſummum bonum: atqui ſine bonis fortunæ ac corporis actio virtutis obtineri nequit. Ergo, &c. Minorem probo per exempla. Quis fortitudinem exerceat, ſi perpetuo cum adverſa & imbecilli conflictetur valetudine? qua ratione liberalitatem exercebit, qui omnium rerum ſumma laborat penuria? quis modeſtiæ, quis magnanimitati, erit locus, ubi nulli ſunt honores? quomodo juſtitia exercebitur, tum commutativa, tum diſtributiva, ſi nulla ſuppetat rerum commutandarum ac diſtribuendarum materia? quare notatu digniſſima ſunt verba *Ariſtotelis lib.* 1. *Eth. c.* 8. *Non poteſt vel vix poteſt res præclaras gerere, cui res non ſuppetant: multa enim per amicos, divitias, civilem potentiam, tanquam per inſtrumenta aguntur.* Bona fortunæ & corporis externa itaque, ſunt adminicula, ſummo bono inſervientia, ſunt veluti famulæ virtutis, quibus virtus utitur, dum exercetur. Ac licet robur, opes, aliaque id genus bona, ad beatitudinem requiramus, non ea exigimus tamen in gradu excellentiſſimo, ſed moderato tantum: atque ita vult ipſe *Ariſtoteles Eth. lib.* 10. *c.* 8. Verba ejus ſunt: *Non tamen, ſi fieri non poteſt, ut quiſquam ſine bonis externis ſit beatus, iccirco exiſtimandum eſt, multa ac magna virum beatum deſideraturum.* Sed, dicet hic quiſpiam, *multi olim extiterunt viri fortes, temperantes, juſti, quibus tamen fuit res anguſta domi: noti ſunt ob paupertatem viri præclariſſimis virtutibus ornati egregiiſque factis celeberrimi, apud Græcos Epaminondas & Ariſtides, apud Romanos Æmilius, Curius, Fabricius, Camillus. Ergo ſummum bonum non eget opibus, & conjunctum eſſe poteſt cum paupertate, niſi quis dicere auſit, hominem pauperem non poſſe ex virtute agere.* Sed reſpond. quod ad opes attinet, non iis adſtringimus felicitatem, nec pauperes ab omni eximimus virtute aut virtutis actione: ſed eos, non in ſolidum, non ex toto, felices eſſe, pronunciamus: imo aſſerimus, hos ipſos viros bonos & virtute præditos, quorum apud Græcos & Romanos paupertatem retulimus, longe feliciores futuros fuiſſe, ſi plus opum habuiſſent, quia ſic pluribus benefacere, & adverſum plures liberalitatem exer-

cere, potuissent: non resopimas aut lautissimas, sed moderatas tamen opes, postulamus, tanquam instrumenta virtutum multarum; adeoque dicimus, viro mediocribus divitiis instructo longè majorem esse summi boni acquirendi occasionem natam, quam pauperi Hunc beatum æstimamus, *qui tutus caret ob soleti sordibus tecti, caret invidenda sobrius aula.* Sed secundo probamus *Aristotelis*, ex *Aristotele*, sententiam. Quorum bonorum absentia *beatitudinem* obscurat & obnubilat, eorum præsentia felicitatem illustrat & exornat. At bonorum corporis & fortunæ, &c. Ergo. Minorem ipsius *Aristotelis* verbis probabo: *nam*, inquit, *qui omnino deformis est, aut pauper, aut ægrotus, aut amicis, vel libenis, similibusque bonis destitutus, is perfecte beatus dici non potest.* Hic fortasse mirum videatur, quod deformem de beato neget *Aristoteles*: contra enim inquit *Seneca: potest ex deformi humilique corpusculo exire formosus animus*: sed Resp. pro *Aristotele* tamen: *gratior est pulcro veniens ex corpore virtus*: & corporis venustas aliquid saltem momenti confert ad felicitatem, ut felicior sit homo animo pariter ac corpore formosus, quam solo animo pulcher, corpore deformis: & profecto, cum non animo tantum sed & corpore præditus sit homo, utique tum demum perfecta in ipsum cadit beatitudo, si utrique bene sit. Quare primam hanc quæstionem concludimus verbis *Ciceronis Acad quæst. lib. 1. Omnis antiqua Philosophia sensit in una virtute depositam vitam beatam, nec tamen beatissimam, nisi adjungantur bona & corporis, & fortunæ, & cætera ad virtutis usum idonea.*

III. Secundam quod spectat quæstionem: *Quod bona corporis & fortunæ revera sint bona*: sic probamus. 1. Quodcunque est appetibile, quia convenientiam dicit veram cum alio, hoc est revera bonum: at bona fortunæ & corporis sunt expetibilia, quia &c. Ergo, &c. Probamus minorem, quia entia sunt à Deo creata, & ideò alicui appetitui desiderabilia & alicui verè conformia. 2. Cum quibus homo est conditus, ea non sunt mala, sed verè bona, &c. at homo est conditus cum bonis fortunæ & corporis. Ergo, &c. 3. Quorum contraria sunt revera mala, ea sunt revera bona: at contraria bonis corporis ac fortunæ, sunt revera mala Ergo. Probamus minorem quia sunt pœnæ; ut paupertas, ignominia, ærumnæ, morbi, quibus premitur genus humanum: & Deus ea tanquam pœnas minatur: contra, bona fortunæ ac corporis tanquam præmia pollicetur: Ergo, hæc revera bona, illa revera mala sunt. Et si extra Philosophiam abeamus, *Stoicorum* sententia manifeste pugnat cum sacris literis, qui bona corporis & fortunæ, benedictionem & donum Dei, appellant: contra, mala corporis & fortunæ, maledictionem: sed nos sacras literas non attingemus.

IV. Nunc adversæ partis argumenta diluenda restant: ac primum pro sententia prima est. 1. *Si sola virtutis actio est summum bonum, ergo ab eo excluduntur bona corporis & fortunæ: quia virtutis actio est bonum animi. At verum est prius. Ergo & post.* Negatur consequentia: neque enim, cum dicitur, *sola virtutis actio est summum bonum*, eo excluduntur illa, quæ instrumenta sunt, & quasi materia, in qua virtutis actio est exercenda: Veluti, cum dico, solus auditus percipit sonum, eo non excludo aurem, quæ instrumentum est auditus, & cum dico, solus oculus videt, eo non excludo lumen, quod est adjumentum necessarium ad videndum: sic, cum dico, sola actio virtutis est summum bonum, non excludo ab eo bonum corporis aut fortunæ, quod utrumque est instrumentum & adjumentum summi boni. 2. *Quod est maxime inconstans & instabile & non in nostra potestate, non pertinet ad summum bonum, quod est constans ac perpetuum: At bona corporis & fortunæ sunt maxime inconstantia & instabilia, & extra nostram potestatem. Ergo, &c.* Resp. Concedimus minorem; negamus majorem: hoc quidem est verum: quod est inconstans, instabile, & extra nostram potestatem, non est summum bonum, quia hoc contrarias exigit conditiones: sed si dicas, nullo modo pertinet ad summum bonum, nec tanquam instrumentum, nec tanquam adminiculum, nec tanquam materia virtutis exercendæ, falsa est major; Bona corporis & fortunæ,

non

non sunt ipsum summum bonum; pertinent tamen ad illud. Hæc duo accurate hîc sunt distinguenda. Summum bonum non posse esse sine omni bono corporis ac fortunæ: & summum bonum esse ipsa bona corporis ac fortunæ. *Stoici* utrumque negant. Nos prius affirmamus, posterius negamus: hîc igitur convenimus utrinque: quod bona corporis & fortunæ non sint ipsum summum bonum, quia hoc stabile, firmum, & in nostra potestate est situm: illa non item: sed hic differimus, quod *Stoici* ex inconstantia bonorum fortunæ ac corporis concludant, ea, nullo modo ad summum bonum facere, aut pertinere: nos contra asserimus, omnino ea ad summum bonum pertinere ac facere, quia sine iis actiones virtutum multarum exerceri nequeant, ut fuit ostensum. Atque hanc distinctionem nobis suppeditat ipse *Aristoteles lib. 1. Eth. ad Eudemum c. 2. Sicut unum & idem*, inquit, *non sunt, illa, sine quibus nemo sanus esse potest, & ipsum illud, esse sanum, ita nec idem sunt, bene vivere, & ea, sine quibus bene vivere non licet*: quasi dicat: sine bonis fortunæ & corporis nemo perfecte beatus aut felix est, & tamen beatitudo aut felicitas in iis non consistit, aut illa bona non sunt ipsa beatitudo. Vita humana sine somno esse non potest, non tamen somnus est ipsa vita hominis: sic nec est sine cibo aut potu, at male quis intulerit cibum potumque esse ipsam hominis vitam: Quod autem bona illa corporis ac fortunæ inconstantia sint, eo non tollitur eorum concursus cum summo bono, stabili ac firmo: quia ea summi boni essentiam non ingrediuntur, non constituunt, sed ad illud, tanquam conditiones, sine quibus summum bonum haberi nequit, tanquam adjuncta, ad illud ordinantur. 3 *Quodcunque est perfectissimum, ei nihil potest addi, nihil demi*: *At summum bonum est ejusmodi. Ergo. Consequenter non potest bonorum fortunæ aut corporis accessu augeri aut illustrius reddi, nec eorundum recessu minui vel obscurari.* Resp. Quod perfectissimum est in essentia sua, ei nihil addi potest vel demi in essentiâ, concedo: At hic nihil additur, nihil demitur, summo bono in essentia, per accessum vel recessum bonorum corporis aut fortunæ, quia essentiam ejus non constituunt, nec augent, nec minuunt. At quod perfectissimum est in essentia, ei nihil addi nihil demi potest, extra essentiam quod sit, falsa est major: & bona corporis aut fortunæ, quando ad summum accedunt bonum, extra essentiam ejus adhærent ac concomitantur: summum bonum sine iis est perfectum perfectione essentiali, sed non integrali, ut distinguunt *Metaphysici*. V. C. Opes, quæ sunt bona fortunæ, si non suppetant viro liberali, non eo aliquid de liberalitatis natura aufertur, nec ideò talis ex liberali fit, vel prodigus, vel avarus. Contrà, si accedant opes, non reddunt eum liberalem, qui ante non fuisset, sed actiones tantum externas à liberalitate exercendas, vel obscurant, si non sint, vel illustrant, si sint: naturam ipsam virtutis, nec imminuunt, si absint, nec augent, si adsint. Pariter esse res habet in bono corporis. Si viro forti robur deficiat, non eò fortitudo deficit, non ideò is ex forti fit audax aut timidus; nec contra, si robur accedat, eò virtus, fortitudo, augetur, sed robur est tantum conditio sine qua actiones fortitudinis suscipi, aut conspici non possunt. Et sic videmus, quomodo bona corporis vel fortunæ nihil addant summo bono, quoad essentiam. 4. *Quodcunque conjunctum est summo bono, cum formidine, ut amittatur, sine eo potest esse summum bonum, quia hoc tranquillum & securum facit possidentem. At bona fortunæ & corporis &c. Ergo.* Resp. Neg. major. Et ratio est eadem, quam statim dedi: quia, cum hæc bona tantum extrinsecus accedant, licet sint obnoxia amissioni, securitatem tamen & tranquillitatem à summo bono non tollunt: & præterea, vir beatus & felix non metuit, non formidat, amissionem istorum bonorum, quia scit ea talia esse, quæ amitti possunt, &, si amittantur, nihilominus est securus ac manet tranquillus.

V. Sed, & objectiones videamus pro secundâ opinione proferri solitas, quod bona corporis & fortunæ non sint revera bona. 1. *Quod instigat & ducit ad malum, non est revera bonum: sed bona corporis, saltem fortunæ, ut opes, instigant & ducunt ad malum, quod ma-*

nifestum est in acquirentibus & possidentibus. Resp. Neg. min. nam bona ista externa, ut opes, non per se instigant & ducunt ad malum, sed per accidens, quatenus, vel acquiruntur, vel possidentur, à malè temperato & improbo animo: quasi dicam, cibum, potum, vinum, non esse reverâ bona, quia, quando ab helluonibus assumuntur, instigant ad malum. 2. *Quod possessorem non emendat, sed nocet, non est per se bonum: At bona externa. &c. Ergo.* Resp. Idem est sophisma. Quod enim ista bona possidentem non emendent, sed noceant, non est à natura bonorum, sed à vitio possidentium, neque causæ nocumenti sunt bona ipsa, sed causa sola est vitiosus possidentis animus.

EXERCITATIONUM ETHICARUM

NONA,

Quæ est Sexta,

DE

SUMMO BONO.

THESIS I.

Instituimus aliquas hactenus de summo bono *Exercitationes*, & ostendimus, *summum hominis bonum, non in corporis, nec in animi voluptate inveniri, nec quærendum in divitiis, nec in gloria, potentia, nobilitate, nec in nudâ rerum extra nos creatarum contemplatione, imo ne in virtutis quidem habitu, sed in solâ virtutis actione.* Adjunximus quæstionem illam tantâ animi contentione *Stoicos* inter ac *Peripateticos* agitatam, *an bona corporis & fortunæ ad felicitatem supremam faciant, & quomodo?* probavimusque postremo, *ea felicitatis supremæ essentiam non quidem constituere, sed ejus tamen esse ornamenta, adminicula, quin & necessaria instrumenta.* Reliquum adhuc esse videtur, ut invento eo, in quo beatitudo, ac felicitas suprema ab *Aristotele* collocatur, ejus definitionem paulo plenius ex eodem explicemus.

II. *Aristoteles l. Eth 1. c. 7 Felicitatem, supremam* sic definit. Εὐδαιμονία ἐστὶν ἐνέργεια τῆς ψυχῆς λογικῆς, κατ' ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ *Summum bonum*, ut latinè reddamus, *est actio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta.* Quod summum hominis bonum in actione consistat, imo in actione animæ rationalis, *c. cit.* sic ab *Aristotele* breviter confirmatur. Propria actio hominis, est finis ejusdem. At animæ rationalis actio, est hominis propria. Ergo est ejus finis. Nam, cum trium generum sint bona, alia corporis, alia animi, nullum ex hisce, quam animi bonum, homini est οἰκεῖον καὶ ἴδιον, *domesticum* ac *proprium:* animique nomen sola meretur rationalis anima: vitam cum plantis, sensum cum brutis, communem obtinuit homo, rationem atque animam rationalem sibi peculiarem accepit. At verò in peculiari, ac proprio hominis bono, summum bonum est collocandum: suprema vero hæc hominis felicitas ab *Aristotele* collocatur in actione rationalis animæ secundum virtutem, eamque optimam ac perfectissimam; quod *virtutem* exigat, mirum nihil est, omne quippe bonum propria cujusque rei virtute perficitur, quæ norma est & regula, juxta quam actiones omnes humanæ, ac rationales, hominique propriæ, sunt componendæ: sed quid per *virtutem* intelligat *Philosophus optimam*

mam ac *perfectissimam*, non una est interpretum sententia; nonnulli *prudentiam* significatam *à Philosopho* existimant, quod hæc omnium virtutum sit comes ac directrix, & medium ostendat in omni virtute servandum, quid ex præscripto rectæ rationis sit faciendum, quid fugiendum; alii intelligunt, *Sapientiam* inter Theoreticas, *Iustitiam* inter Practicas virtutes: nos iis calculum addimus, qui *virtutem quamque in summo suo gradu* denotari autumant, ut actio secundum virtutem optimam & perfectissimam instituta proficiscatur à virtute, non inchoata primum, aut recens cœpta, sed jam usu ac crebris actionibus confirmata: intelligimus ergo, *perfectissimam fortitudinem, temperantiam perfectissimam, perfectissimam justitiam*, &c. Addit *Philosophus* summum bonum esse *actionem rationalis animæ secundum virtutem perfectissimam in vitâ perfectâ*, quæ quid significet, multiplici sententiarum varietate est disputatum ab *Aristotelis* interpretibus. Quin ad vitam hanc perfectam requirat longinquitatem ac diurnitatem temporis *Aristoteles, ex ipso hujus cap. citati textu* manifestum est. Sic enim diserte inquit *Philosophus*; *ut nec una hirundo, nec unus dies, ver efficit; ita nec unus dies, nec exiguum tempus, beatum aliquem facit*: sed *quæ diuturnitas & qualis longinquitas* exigatur ad hanc vitam perfectam, hoc non satis est certum: nonnullis intelligentibus *totam hominis vitam à principio ad finem comprehensam*; aliis non totam vitæ seriem ac complexionem intelligentibus, sed *eam vitæ partem, in qua quis comparat virtutem, qualis est ætas virilis*: sunt qui vitam perfectam *Aristoteli* esse volunt vitam *longam, & naturæ fortunæque bonis abundantem*. Nos per vitam perfectam ab *Aristotele* intellectam existimamus, *vitam tanto tempore extensam, ut in eâ elucere possit suprema hæc hominis felicitas & εὐδαιμονία*. Est à natura singulis hominibus vivendi certa periodus præstituta, quæ si eo usque producatur, ut ante ejus finem per multos annos præclaras multasque virtutum omnium actiones ediderit, atque exercuerit homo, jam *vita talis perfecta* intelligitur *Aristoteli*, quæ vitæ ratio cum ante virilem ætatem non obtingat, (tum enim judicium demum est firmatum, habitus virtutum constantes) non male *hæc vita perfecta à virili ætate perfectionem suam accipere atque inchoare censetur*. Ergo, uno verbo, *per vitam hanc perfectam Aristoteles* intellexisse videtur, partim *virilem ætatem, oppositam puerili*, quæ virtutis summique boni non est capax, *partim vitam talem, quæ in proposito virtutis exercendæ, imo in ipso virtutum exercitio aliquamdiu duret*: Hanc jam actionem animæ rationalis secundum virtutem perfectissimam in vita perfecta exercitam, esse εὐδαιμονίαν, *summam felicitatem*, ante fuit probatum; ac si quis hanc *Aristotelis* sententiam cum aliis aliorum de summo bono opinionibus, *ante recitatis & refutatis*, conferat, illa omnia, quæ alii summo in suo bono requirunt, hic inveniri, ostendunt *Aristotelis interpretes*, quo magis illud verè summum esse bonum demonstrent, quod ab *Aristotele* ponitur.

III. Nonnulli summum bonum *in voluptate* posuerunt: at quid magis est volupe, quid jucundius, quid suavius, quam secundum virtutem agere? certè, vir bonus benè agendo lætatur: nam nihil verè jucundum est, quod non idem sit honestum; at honestum est ex virtute operari, ergo jucundum est idem. Extiterunt, qui *in honore, in gloria, in potentia, in nobilitate, ac nominis celebritate* summum bonum collocarunt. At *Aristotelis*, hęc actio animę rationalis, à virtute profecta, honore est dignissima, ac gloriam habet conjunctam, quæ comes semper est virtutis: ignobilis es genere, ac prosapia? virtutem sequere; *Nobilitas sola est atque unica Virtus*: potentia non es instructus? eam conciliabit, quin & sceptrum largietur, sola virtus, ejusque actio crebra: hæc nobilitatem, hæc gloriam, hæc potentiam, hæc nominis confert celebritatem: sed nec *divitias* excludit *Aristotelis* summum bonum: quin multas multarum virtutum actiones institui non posse, nec exerceri, nisi bona adsint fortunæ, luculentissimè antehac à nobis pro *Aristotele* est demonstratum, ut quæ virtutum exercendarum, multarum saltem, sint externa adminicula atque instrumenta. Summum bonum vis esse *contemplationem*? at eam *Aristotelica* virtutis actio includit & tanquam partem feli-

felicitatis ſupremæ adſciſcit: nam *Ariſtotelis* εὐδαιμονία, & virtutis intellectivæ, & moralis, actionem complectitur. Denique ſummum bonum *in habitu virtutis* conſtituis? at hic arctiſſimè *in actione virtutis* includitur; quî enim ex virtute agat, qui non ſit inſtructus habitu virtutis? ita quidem *Ariſtotelicam* de ſummo bono ſententiam, omnia complecti bona, quæ alii in ſummo bono deſiderabant, magno conatu oſtendiſſe ſe exiſtimant, omnes ejus admiratores, commendatores, ac commentatores: alii tamen, quibus religio non eſt ab *Ariſtotele* recedere, non tam efferunt præconiis ejus de ſummo bono ſententiam; imo tantum abeſt, ut laudibus proſequantur, ut contra convitiis perſequantur, atque impetant, tanquam impiam & indignam, quæ tam mordicus retineatur, ac pertinaciter defendatur, ut à multis fit.

IV. Quid, *inquiunt*, hæccine vera fuerit de hominis felicitate ſententia, quæ eam in actione virtutis humanæ collocat, hominem ſibi ipſi confidere, velut Authori ſuæ beatitudinis, jubet? at didicimus ex ſacræ veritatis ſcholâ, hominis à ſeipſo bonum eſſe nullum, imo miſerum eſſe, qui in ſe, in ſua virtute, & virtutis actione, felicitatem quærit, quia à Deo abit omnis boni fonte & authore: humana hæc, à virtute hominis propriâ ſuiſque viribus profecta, felicitas, mundana eſt felicitas, & non à Deo, ſed à mundo, ab homine corrupto, profecta felicitas, quæ miſerum magis quam beatum reddit hominem: agite, ſumamus *hominem* ſecundum *Ariſtotelis* mentem εὐδαίμονα, omnibuſque *Ariſtotelicis* virtutibus ornatum, virtutem exercentem in vita perfecta, virtutis exercendæ inſtrumentis & adjumentis inſtructum, robore ac corporis viribus præſtantem, demus ei opes, honores, conjuges, liberos, propinquos, amicos, & quid non? cum tamen is fuerit ſine fide, ſine Deo, ſine vera religione, quis eum ſummè felicem declarare auſit? quis non miſerrimum potius, ut quem, æternæ miſeriæ deſtinatum, juſtiſſimo Deus judicio condemnabit? an ſummum bonum cum ſumma hominis miſeria conſiſtere poteſt? at hæc *Ariſtotelica* felicitas ſummam iſtam miſeriam includit: quia hæc felicitas fidem excludit: at, quod ſine fide fit, peccatum eſt; & falſa eſt virtus omnis, virtutiſque actio, abſque fide: fingamus hominem Ethnicum, infidelem, Atheum, ſine Deo; hic tamen beatus eſſe poterit ſecundum *Ariſtotelicæ* beatitudinis definitionem; nam poterit temperanter, liberaliter, juſtè, manſuete, fortiter, agere; omneſque virtutes morales exercere. Pergunt, qui *Ariſtotelis, de ſummo bono, ſententiam rejectum eunt, & ajunt.* Summum bonum in vita perfecta ab *Ariſtotele* ponitur: at vix eſt, aut non eſt, ut quis vitam hanc mortalem ac caducam perfectam appellet: quin hanc vitam, miſeriæ potius, ærumnæ, ac calamitates concomitantur, ac tantum non opprimunt: vita perfecta, ac beata in cœlo expectanda eſt.

V. Contra hæc tamen aliaque id genus, *Ariſtotelicæ* de ſummo bono ſententiæ, objecta crimina, diſtinctionibus quibuſdam allatis, *Ariſtotelis* patrocinium ſuſcipiunt alii: diſtinguunt inter *beatitudinem naturalem, & ſupernaturalem*; illa eſt, ad quam pervenire poteſt homo viribus naturæ, quam animus ſuo ipſius labore adipiſcitur virtutis exercitio in hac vita; hæc eſt, quæ naturam humanam excedit, & quæ, non naturæ viribus, ſed gratiæ auxilio, acquiritur, ac poſſidetur perfectè in futura vita: priorem tantum ajunt beatitudinem ab *Ariſtotele* quæſitam, poſteriorem ignoratam: eam cadere, in quem non cadit fides, hanc non item. Alii diſtinguunt, quæ diſtinctio eodem redit, felicitatem in *perfectam & imperfectam*: perfecta eſt, quæ auxilio gratiæ, & fidei ſupernaturali dono acquiritur, eademque cum ſupernaturali eſt: imperfecta eſt, quæ acquiritur naturæ viribus, eademque eſt cum naturali beatitudine: hanc fuiſſe quæſitam *Ariſtoteli*, non iſtam: ac licet imperfecta dicatur, ſummum tamen eſt bonum, quatenus in hac vita humanis viribus majus bonum acquiri aut poſſideri nequit. Alii diſtinguunt beatitudinem *inchoatam*, quæ hujus vitæ eſt, & *abſolutam*, quæ ſecuturæ eſt vitæ: atque hæc quoque cum duabus prioribus diſtinctio eſt eadem; ac prior tantum *Ariſtoteli* cognita fuit, atque in ea

in ea tantum ſummum hominis bonum quęſivit: hanc alii vocant ἀνθρωπίνῳ, ſicut alteram poſteriorem ἡρωικῷ. At vero hæc duo genera bonorum non pugnant, ſed poteſt aliquod bonum eſſe ſummum in hac vita, quo tamen detur ſuperiùs in futura: & ſummum poteſt vocari, reſpectu luminis & auxilii naturæ, quo ſuperius dari lumine & auxilio gratiæ, etiam in hac vita, & utroque ſuperius, per lumen gloriæ, in futura vita, nihil repugnat: cum vero lumen gratiæ & gloriæ ignoraverit *Ariſtoteles*, nihil eſt mirum, quod ſupremam felicitatem in ſolo bono naturæ, actioneque virtutis naturalis, ex principiis naturæ, profluentis, collocaverit. Atque hæc ferè ad excuſandum *Ariſtotelem* & ab impietate aut alio crimine vindicandum proferri ſolent, quæ valeant, quantum valere poſſunt:

VI. Ego verò aliud hic monebo ex *Thoma* ac *Scholaſticis*, quod bene eſt tenendum: quando in actione virtutis conſtituitur beatitudo, intelligitur beatitudo, quam *Thomas* & *homines de Scholâ* ſuo more vocant *formalem*: quæ diſtinguitur à beatitudine *objectiva*; his enim terminis uti gaudent, qui explicandi ſunt, ne rei veritas, aut obſcuretur, aut ignoretur. *Beatitudo objectiva*, eſt ipſum objectum quod beat, res, quæ felicem reddit hominem: hæc, *neque in voluptatibus, nec in contemplatione, nec in honoribus, nec in virtutis habitu, ac ne in actione quidem virtutis, conſiſtit*, imo in nullo bono creato, ſed in ſolo conſiſtit Deo, quia hoc bonum, ſi beabit hominem, debet eſſe iſtius conditionis, ut appetitum hominis explere valeat: at vero hominis appetitus eſt infinitus. Ergo & bonum illud oportet eſſe infinitum, quod iſti appetitui ſit ſatisfacturum. *Beatitudo formalis eſt*, actio virtutis, qua objecto beanti homo conjungitur atque unitur: nempe, dum homo verſatur circa Deum ex libro naturæ cognoſcendum eundemque ex lege naturæ colendum, jam virtutes optimas exerit; harum virtutum exercitio Deo aſſimilatur, conjungitur, unitur: ſicut autem differunt, Dei cognitio, cultuſque naturalis, hauſtus ex libro naturæ, lumine naturæ, à Dei cognitione cultuque ſupernaturali, hauſto ex libro ſcripturæ, lumine fidei, ita differunt bonum naturale, & ſupernaturale: utrumque eſt ſummum in ſuo genere: ſed prius tantum *Ethnicis Ariſtotelique cognitum*.

VII. Ergo, ut ſententiam meam tandem proferam, quam ab *Ariſtotelis* mente non longe abeſſe exiſtimo, *Deus* mihi *eſt beatitudo objectiva; cognitio, cultuſque Dei, per lumen ac legem naturæ, beatitudo formalis*: utraque beatitudo *naturalis, non ratione objecti*, quod beat, quaſi Deus in ordinem rerum naturalium redigeretur, ſed *ratione modi & principii*, quo objectum beans acquiritur ac poſſidetur, quod eſt *lumen atque auxilium naturæ*: nam quin detur & cognitio & cultus naturalis Dei, à nemine negari poteſt: quin eo homo proximè ad Deum accedat, quamdiu lumine gratiæ, aut gloriæ, non eſt illuſtratus, certum quoque eſt: quin virtus & vita talis, qua Deum cognoſcit ac colit naturaliter, in tali ſubjecto ſit perfectiſſima, quæ tamen, reſpectu virtutis & vitæ ſpiritualis, utraque eſt imperfecta, in aperto etiam eſt: *perfectiſſima eſt virtus*, quippe quâ Deum, ens perfectiſſimum, & cognoſcimus & colimus: quare huic noſtræ ſententiæ (ut finiam, unde exorſus ſum hanc *Exercitationem*) optime applicatur definitio beatitudinis ex *Ariſtotele* allata, quod ſit *actio rationalis animæ ſecundum virtutem perfectiſſimam in vita perfecta*: modo & *virtus* & *vita* intelligatur *rationalis*, quæ & intelligenda eſt, & ab *Ariſtotele* intellecta, & à ſupernaturali ac ſpirituali eſt diſtincta. Cæterum, quæ de *beatitudine objectiva & formali* amplius dici poſſunt ac diſputari, ea jam ante multos annos diximus ac diſputavimus in *Collegii Ethici*, noſtris μελετήμασι Philoſophicis, inſerti *diſputationibus* 1. 2. 3. 4. Καὶ παῦτα μὲν ὃ πεῦτα, περὶ τῆς εὐδαιμονίας.

EXERCITATIONUM ETHICARUM DECIMA, DE Subjecto seu Objecto Ethices.

THESIS I.

CUm *Ethicam* publicis *Exercitationibus* disputare auspicaremur, ejus *definitionem*, ceu facem secuturis *Exercitationibus* prælucentem, statim *Exercitatione* 2. præmisimus; omnis enim recta rem quamlibet pertractandi ratio à definitione debet inchoari: definitio fuit hæc. *Ethica est, prudentia, quæ animum ejusque actiones informat, ut felicitatem, quæ in vita civili contingere potest, homo consequatur. Definitioni* subjunximus *Exercitatione* 3 *divisionem*, atque inde pleniorem singularum partium explicationem aggressi sumus, exorsique à *fine*, quia *Ethica* methodo *Analytica* doceri debet, *ut* omnes disciplinæ practicæ, artes, ac prudentiæ. *Finem* divisimus in *summum & subalternum: quis summus finis non sit, quis sit, aliquot exercitationibus* fusè sumus persecuti: *finis subordinatus* idem est, quod *medium finem subordinatum* seu *media*, diximus esse πράξεις, *actiones humanas* hominibusque proprias, in quibus virtus est: hisce ad summi boni finisque ultimi possessionem enitimur: hoc igitur ex præscripto methodi *Analyticæ* æquum est ac justum, ut finem summum jam explicatum subsequatur finis subordinati, seu mediorum ab summum finem tendentium explicatio. Verum enimverò, quia *media*, πράξεις, seu actiones secundũ virtutem instituę, *fini* obtinendo non inserviunt, nisi primum sciatur, in quod *subjectum*, aut *objectum, finis* per ista *media* introduci debet, primo omnium, *ante media*, dehoc, sive *subjecto* sive *objecto*, sollicitè videndum est.

II. Dixit definitio, Ethicam informare *animum hominis*, ejusque *actiones*, per *virtutem*, ad *felicitatem*. Hinc tria diximus esse omnium de rebus *Ethicis* instituendarum *Exercitationum* capita generalissima, de *felicitate*, tanquam de *fine*, de *animo hominis*, tanquam de felicitatis *subjecto* & *objecto*, per Ethicam informando, de *virtutibus*, tanquam de *mediis*. Quæ de fine disputari solent, ea persecuti sumus aliquot *exercitationibus*. Antequam nunc de *mediis* agamus, primum de *subjecto*, sive *objecto, animo hominis* videndum est: uti medicus ægro potionem salubrem propinare, aut valetudinem perditam restaurare nequit, nisi corporis habeat cognitionem; ita Ethica animo medicinam parare, morboque ejus mederi nequit, nisi naturam animi, quantum quidem ad hanc rem necesse est, perspectam habeat. Atque hæc ipsius *Aristotelis* est similitudo *lib. Eth. 1. c. 13. uti enim*, inquit, *qui oculos & totum corpus est curaturus, oculorum & totius corporis naturam opertet habere cognitam; ita politico necessarium est, ea, quæ ad animum pertinent, scientia comprehendisse; idque eò magis, quo majore honore digna est medicina, quàm scientia civilis.* Alio ibidem utitur argumento *Philosophus. Beatitudinem*, inquit, *quærimus humanam; eam in actione posuimus animi; oportet igitur scire, quid sit animus.* Hæc *Aristoteles.* Et certè virtus, non corporis, sed animi est: quomodo igitur virtus actionesque ejus, tanquam media ad finem consequendum necessaria, explicari possunt, nisi præmissa animi explicatione? Ergo & *rationi rectæ*, & *Aristotelis Methodo*, congruenter agemus, si de *Animo* nunc differamus. Non autem constitutum est animi humani essentiam, immortalitatem, originem aliaque id genus plura, investigare: hoc enim *Physicæ* ac *Metaphysicæ* relin-

relinquimus : sed in tantum de eo agendum est, *in quantum virtute informari potest*, & quæ ad hanc rem considerandam faciunt, ea de eo proferemus.

III. Primum non erimus difficiles in voce, sive *animi* sive *animæ*: sed utraque promiscue utemur, licet non ignoremus ea vocabula nonnullis distingui. Anima quidem hominis homini & *vitam* largitur, & *sensum*, & *rationem*: atque hoc ex *Physicis* supponitur, ubi hic triplex animæ aut proprietas aut effectus fusius enarratur. Verum *quæstio* agitatur in utramque partem, *an hæc tria, vita, sensus, ratio, sicuti inter se distinguuntur, à distinctis quoque inter se proveniant animabus, an verò ab unius animæ humanæ distinctis tantùm facultatibus, potentiis & quasi partibus*? Priorem sententiam *Averroistæ*, posteriorem *Thomistæ* acerrime defendunt : neutra talis est, quin tuto possit defendi: est enim in hisce similibusque opinionibus ingenii quædam judiciique libertas, cum utriusque argumenta solvi possint. Ego tamen, *animarum in homine multitudinem & realem distinctionem*, minoribus difficultatibus obnoxiam, censeo, quam earundem unitatem aut identitatem : & certè, una est ratio pro illa sententia, quæ eluditur magis & declinatur magis, quàm solvitur, desumpta scilicet à facultatibus & operationibus animæ vegetativæ ac sensitivæ collatis cum facultatibus & operationibus animæ rationalis, quæ tam diversæ videntur mihi esse naturæ, ut uni eidemque, quoad substantiam, animæ, tribui nequeant: facultates enim operationesque vegetativæ & sensitivæ, sunt materiales, organicæ, id est, dependent à materiâ; facultates operationesque rationales sunt immateriales, inorganicæ, id est, non dependent à materia : at verò, quod dependet à materia, & non dependet à materia, non potest proficisci, fluere, emanare, ab una eademque, quoad substantiam, anima, nisi ipsa animæ substantia, partim à materia dependeat, partim non dependeat : facultates omnes emanant à suis formis : in eo omnes consentiunt : facultates itaque vegetantes & sentientes emanabunt quoque à suâ forma : at quæ est ista ? an rationalis anima ? ita coguntur dicere, qui unam tantum animam agnoscunt in homine quoad substantiam. At verò doceant me, quomodo facultates vegetativæ & sensitivæ (quæ sunt materiales) emanent ab anima rationali, quæ est immaterialis ? considerent naturam emanationis & causæ emanativæ, atque expediant mihi istum modum, si possint. Imò contrà sic dico. Facultates materiales non sunt materiales si emanent à forma immateriali, ut est anima rationalis : qui dicit facultates materiales, dicit facultates dependentes à materia, in fieri, in esse, in operari : qui dicit formam immaterialem, is dicit formam non dependentem à materia in fieri, in esse, in operari : qui dicit facultates à forma emanare, dicit, ipsam formæ existentiam esse id, per quod facultates producuntur : quod enim à re quapiam emanat : id illius rei, à qua emanat, existentiam necessariò sequitur. Hæc applicemus, & absurdum ostendamus, quod tollant, si possint, Adversarii. Existentia animæ rationalis est independens à materia, in fieri, in esse, in operari : existentia animæ rationalis est existentia facultatum, quæ ab ea emanant; ideo enim emanant ab anima rationali, quia per animæ rationalis existentiam causantur. Ergo existentia facultatum, quæ ab anima rationali emanant, est independens à materia in fieri, in esse, in operari : at sensitivæ & vegetativę facultates emanant ab anima rationali, ex hypothesi Adversariorum, unam tantum in homine, quoad substantiam statuentium, animam, eamque rationalem; ergo & sensitivæ & vegetativæ facultates erunt independentes à materia, in fieri, in esse, in operari; ergo non materiales, sed immateriales facultates: quod absurdum, & nec ipsi admittunt; solvant hunc nodum, non secent.

IV. Verum quicquid sit, sive tres sint quoad substantiam distinctæ animæ in homine, sive unius animæ tres sint facultates aut potentiæ, *Ethicæ* non multum interest : hoc tantum hîc observetur accuratissimè, quod diligenter monet *Aristoteles lib. 1. Eth. cap. 13. τῆς ψυχῆς τὸ μὲν λογικὸν εἶναι, τὸ δὲ ἄλογον, animæ partem esse rationalem, aliam irrationalem*: nos id distinctius dicemus. Animæ duplex est, sive vis, sive facultas, sive pars, sive

ſubſtantia; quocumque placeat vocabulo uti: una rationalis, ratione prædita, quæ hominem conſtituit propriè: altera rationis expers, irrationalis: eaque iterum duplex, vel omnino, ut nullo modo ſubſit rationi, vel ex parte, ut quidem per eſſentiam ſit irrationalis, per participationem tamen rationalis dicatur, quod rationi ſubſit, ejuſque imperium ſequatur: planè & in totum rationis expers eſt vis vegetans, ſive facultatem intelligas, ſive animam; partim rationis expers per eſſentiam, partim particeps per obſequium rationis, eſt vis ſentiens. Rationis planè eſſe expertem animam vegetantem, ſive eam animæ facultatem, qua vivimus, inde manifeſtum, quia nec ipſa rationem habet, nec rationis imperio paret; non enim à noſtra eſt poteſtate, nec à noſtro conſilio, prudentia, ratione, dependet, ut bene vel male nutriamur: nam, modò in corpore organa ad nutriendum deſtinata bene ſeſe habeant, jam bene illud nutritur: ſi male ſeſe habeant; velis, nolis, male nutrietur corpus: ſic in augmentatione & in generatione, ut quis creſcat, ut prolem generet, non à conſilio, non à prudentia ſua, eſt, ſed ab organorum & vaſorum ad augmentationem & generationem inſervientium apta diſpoſitione rectaque conſtitutione.

V. Duo hic objici poſſunt: 1. *Vis nutrix videtur ſubeſſe rationi, quia mala concoctio & mala nutritio poteſt verti in bonam, per prudentiam, rationem & conſilium Medici.* Reſp. Inde non ſequitur, nutritionem peragi, inſtitui, fieri, ductu rationis: per accidens enim fit, ut rationi & conſilio hic ſit locus: & Medicus non facit, ut ad lubitum rationis nutriatur corpus, ſed impedimentum tantùm removet, quod obſtabat naturali corporis nutritioni. 2. *Anima aut facultas vegetans habet appetitum. Ergo rationi ſubeſt.* Reſp. Non ſequitur: quia appetitus hic eſt innatus, non elicitus: ſolus verò elicitus rationi ſubeſt, non innatus, qui nihil eſt aliud, quàm inclinatio naturæ, quâ unaquæque res abſque prævia cognitione in bonum naturæ ſuæ conveniens inſtinctu quodam fertur, qualis eſt appetitus terræ ad locum, materiæ ad formam, animæ vegetantis ad nutrimentum, eſtque planè irrationalis. Cum ergo anima vegetans, aut facultas illa, omni ratione careat, nec ſit rationalis per eſſentiam, nec per participationem, Ethicæ conſiderationis non eſt, quippe quæ ſubjectum ſuum informat virtutibus, quas ratio, conſilium, prudentia, dirigit: at vegetans facultas aut alia, ſubjectum virtutis eſſe nequit, quia omnis conſilii, rationis, prudentiæ eſt expers.

VI. Contrà. Ad Ethicam pertinet, tum rationalis, tum ſenſitiva, quia illa per eſſentiam, hæc per participationem, rationem habet, quatenus rationi parere poteſt & ſæpe paret: utramque virtutibus informat Ethica. *Anima ſenſitiva*, ut docent *Phyſici*, varias habet facultates, unam, quâ cognoſcit, alteram, quâ appetit, tertiam, quâ loco movet; vocant *Phyſici*, *ſenſum*, *appetitum*, *locomotivam*. *Senſus eſt*, qui objecta extra ſe poſita apprehendit, eſtque, vel externus, vel internus, de quo utroque conſulantur *Phyſici*. *Appetitus* eſt, quo animal inclinatur ad bonum, quod ſenſus ſequendum, vel ad malum, quod ſenſus fugiendum dictitat. *Locomotiva facultas* eſt, qua animal loco ſe movet, ut conſequatur, quod appetitus, ſenſu dictante, expetit, vel fugiat, quod appetitus, ſenſu dictante, averſatur. *Anima rationalis* duas habet facultates, intellectum & voluntatem: intellectus in rationali anima reſpondet ſenſui in ſenſitiva: uti ſenſus res ſenſibiles, ita intellectus intelligibiles, cognoſcit; voluntas reſpondet appetitui: utque appetitus ſenſitivus fertur in objecta ſenſibus apprehenſa; ita & voluntas fertur in objecta ab intellectu apprehenſa.

VII. Hinc videre eſt diſcrimen inter *appetitum ſenſitivum & voluntatem*, quæ aliis dicitur *appetitus rationalis*. Primò differunt *ſubjectis*; quia voluntas, ut eſt appetitus rationalis, ita facultas eſt animæ rationalis: appetitus, eſt facultas animæ ſentientis: ſecundò differunt *objectis*; nam voluntas propriè fertur in bonum, quod eſt intelligibile, in quantum à ratione percipitur: ſenſitivus in bonum, quod eſt ſenſibile, in quantum ſenſu percipitur: nam hoc tenendum eſt bene, omnem appetitum in iis, quæ cognitionem habent,

habent, cognitionem sequi: si appetitus sit sensitivus, ut in animali, sensus cognitionem, si rationalis, ut in homine, rationis cognitionem, sequitur: multum autem differunt bonum à sensu & bonum à ratione cognitum: bonum à sensu cognitum, est bonum jucundum & utile: at bonum à ratione cognitum, est bonum honestum; sicut autem differunt bonum honestum & utile, sive jucundum, ita differunt appetitus sensitivus & rationalis, quorum hic in bonum honestum à ratione cognitum, ille in jucundum & utile à sensu cognitum fertur. Ex hisce omnibus clarum est, quænam *animi nostri aut humani partes & facultates* ad *Ethicam* pertineant, quæ non item; *non vegetans, sed sentiens & rationalis*; idque quoad *cognitionem* & *appetitum*: hæc enim duo sunt *principia actionum humanarum*, quibus *summum* acquiritur *bonum*.

VIII. Quousque verò animæ rationalis facultas cognoscens, *intellectus*, ut *subjectum*, ab *Ethica* dirigatur, & in quibus ejus *operationibus*, ut *objecto*, dirigendis, occupetur *Ethica*, fusè à nobis ostensum est *Collegii Ethici disp.* 8. Item, quousque *voluntas*, & quinam *actus voluntatis* directioni *Ethicæ* subsint, expositum est, ejusdem *Collegii Ethici disp.* 9. ubi & *actus* ejus *circa finem* & *objectum ejus* explicuimus, uti & *ejus motivum disputatione* 10. atque tum subjecimus *disp.* 11. naturam *liberi arbitrii*, prout dicit *intellectum & voluntatem simul*. Sed, quæ ibi sunt disputata, hisce *exercitationibus* non repetemus, ne eandem cramben reponamus & actum agamus: sed cum harum rerum κατασκευὴ istic loci sic satis sufficienter sit instituta (nostro judicio) ea, quæ ad ἀνασκευὴν faciunt, circa easdem materias, secuturis *Exercitationibus* considerabimus, varias hinc inde moturi *objectiones* ac soluturi, ut ita *Ethicæ Studiosus* ex illis *Disputationibus Collegii Ethici* olim habitis, & ex hisce *Exercitationibus*, plenum perfectumque *rerum Ethicarum* habeat *systema*, sitque instructus non tantùm ad veritatem adstruendam, sed & ad falsitatem destruendam, quem scopum nobis esse prefixum indicavimus harum *Exercitationum Ethicarum primâ*, *Thesi primâ*. Ergo in posterum quæstiones quasdam de *Intellectu*, *Voluntate*, *Libero Arbitrio*, instituemus, & pro ingenii ac donorum modulo dissolvemus.

MANTISSA.

Philosophia Theologiæ nunquam repugnat: quin idem verum est in Philosophiâ, quod in Theologiâ, & vice versa: Dogmata quidem fidei ac mysteria, ex Philosophia non probantur, attamen sub ejus terminis & distinctionibus, explicantur, illustrantur, ac vindicantur: & certè, Veritatis Christianæ Adversarii, tam Philosophicis ex ratione, quam Theologicis ex revelatione petitis argumentis, eam oppugnant, quæ solvere quomodo valeat, qui non à Philosophiæ sit munitus præsidio, studiosus? atque, cum eadem sit Theologia naturalis materialiter quæ supernaturalis, idemque quoque utriusque objectum materiale, & Modus considerandi tantum (vulgò ratio formalis & objectum formale) sit diversus, nulla est μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, si hic mutuas tradant operas: &, usum Philosophiæ in rebus Theologicis, præter alios quam plurimos, sedulo demonstravit Maccovius, ex cujus Metaphysicâ hæc sunt.

EXERCITATIONUM ETHICARUM UNDECIMA, DE Quæstionibus quibusdam circa Intellectum & Voluntatem.

THESIS I.

DEfinit *Collegii Ethici* noſtri, *Diſputationis octavæ, theſis quinta, rectam rationem, quod ſit naturale intellectus judicium, ex principiis natura notis, juxta legem, ac lumen naturæ, de rebus naturalibus, moralibus, civilibus, depromptum.* Quæritur, *quo ſenſu dicantur principia naturâ nota?* nam hic peſſimè à nonnullis olim erratum fuit, & erratur à multis etiamnum.

II. Senſus dicti illius, *cum dicuntur principia naturâ notâ*, non eſt hic, quaſi iſta principia homo, ſtatim atque in lucem editur, cognoſcat: homo enim recens genitus penitus nihil cognoſcit, nec concluſiones, nec principia: Intellectus enim infantis modo progeniti, tabula eſt raſa, charta pura, cui nihil eſt actu inſcriptum, quidvis autem inſcribi poteſt: certè, ante uſum rationis, homo ne ſimplices quidem terminos, nedum enunciationes, principia, aut concluſiones, cognoſcit: v. c non novit infans, quid ſit *totum*, quid *pars*, quid *parentes*, quid *venerari*: multo novit minùs, *totum eſſe majus ſua parte*, *parentes eſſe venerandos*: nam, qui nullos adhuc conceptus mente format, multo poteſt minus formare enunciationes, aut componere, aut dividere: ſed verò, ideo dicuntur principia naturâ nota, quia, ſtatim atque termini ſimplices, quibus principia conſtant, ab homine apprehenduntur, jam veritas ipſius propoſitionis aut principii ei eſt manifeſta, ſine Præceptore, ſine demonſtratione, ſine diſciplina, ſine diſcurſu, aut deductione: ut, ſtatim atque rationis ſeſe exerit uſus, ſtatim atque homo ope ſenſuum, ſive alio modo, cognovit, quid ſit *totum*, quid *pars*, quid *parentes*, quid *venerari*, jam è veſtigio, ſine mora noverit, *totum eſſe majus ſua parte*, *parentes eſſe venerandos*: & hoc ſenſu dicitur Deus, principiorum notitiam animis hominum inſeviſſe, & hoc ſenſu dicuntur ipſa principia per ſe ac naturâ ſua nota, non, ut dixi, quod actualis eorum notitia hominibus ſit connata, ſed quod ſine labore, ſine operoſa deductione aut ratiocinatione, eorum veritas hauriatur, ſtatim atque termini ſimplices fuerint cogniti.

III. Sed hîc ſcrupulus ſupereſt: *ſi principia tali modo naturâ ſuâ ſunt nota, ut nulla opus ſit inveſtigatione aut probatione, cur igitur circa ea habitus ponitur: nam ut circa concluſiones theoreticas ſcientiam, circa practicas prudentiam, habitus ponunt Philoſophi, ita iidem conſtituunt habitus circa principia; circa theoretica, νῦν, intelligentiam, circa practica, συντήρησιν*, barbare *ſyndereſin*: *nam iſtis habitibus nihil videtur eſſe opus, ſi ex ſola terminorum cognitione cognoſcantur iſta principia.* Reſp. 1. Ex mea ſententia. 2. Ex ſententia communi. Me quod ſpectat, ego facile patior, ex habituum albo expungi & νῦν & συντήρησιν, & habitum, per quem homo inclinatur ad facile aſſentiendum principiis theoreticis, & habitum, ad facile aſſentiendum principiis practicis: nam, ut ingenue fatear, neſcio, quæ hic ſit facilitatio intellectus ab habitu profecta, in aſſenſu utriuſque generis principiorum: vocabula tantum exponantur, & homo, jam rationis compos, ſtatim aſſenſum præbebit ſine ulla difficultate, quæ, ſi eſſet, fortaſſe opus foret habi-

habitu ad eam tollendam : at ea nulla est, modo vocabula clarè proponantur : sed secundò, ex sententia recepta & pro ea dici solet ; licet sine discursu, sine ratiocinatione, principiorum istorum cognitio acquiratur, opus tamen est aliquo exercitio ad promptius veritatem istorum principiorum intelligendam, ideo, quia, nisi terminos simplices, ex quibus constant principia, sæpius consideraveris, fieri potest, ut non animadvertas, id naturam docere, quod tamen docet : crebra itaque cogitatio de istis principiis facit, ut facilius assensum præbeas : atque hæc crebra cogitatio de principiorum terminis simplicibus, habitum gignit, assentiendi promptè principiis, tum theoreticis, quem ex *Aristotelis 6. Eth. cap. 6.* Philosophi vocant νῦν, tum practicis, quem vocant συντήρησιν, ἀπὸ τοῦ συντηρεῖσθαι, *à conservando*, quia conservat reliquias luminis naturæ circa discrimen honesti & turpis : unde & vocari solet *lex naturæ*, quia hoc discrimen inter honestum & turpe omnium hominum animis Deus insculpsit : estque hæc, ut *Tullii* verba hic applicem, *non scripta, sed nata lex : quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non nati, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.*

IV. Tres proposuit *actuum voluntatis divisiones Collegii Ethici disputatio nona*: primam in *elicitos & imperatos : thes.* 2. secundam in βούλησιν & προαίρεσιν, *volitionem & præelectionem : thes* 3. tertiam (quæ potius est subdivisio) in actus voluntatis *circa finem* tres, *velleitatem* aut *volitionem*, *intentionem*, *fruitionem*, & tres *circa media*, *electionem*, *consensum*, *usum : thes.* 4. circa singulas divisiones aliquas movebimns quæstiones, sed utilissimas. *Circa primam divisionem quæritur. An imperare sit actus voluntatis ac non potius rationis.* Nam hic in duo abeunt divortia *Scholastici* : nonnulli imperium, voluntatis, alii, rationis, actum faciunt : atque de hoc negotio latissime agunt *Scholastici commentatores* in *summam Thomæ in pr. sec. quæst.* 17. Notandum vero est diligenter, disputari de imperio, quod exercetur in facultates & operationes inferiores, non agi de imperio intellectus in voluntatem aut voluntatis in intellectum, sed alterutrius in actus imperatos aliarum facultatum. Qui pro voluntate pugnant, sic argumentantur : 1. Quæ facultas est Domina, Regina, & Imperatrix humanarum facultatum, ei est imperium deferendum. Atqui voluntas est Domina, Regina, & Imperatrix facultatum humanarum. Ergo, &c. 2. Actus imperandi semper est cum vi impellente & potestate cogente. At ratio non impellit, non cogit, sed voluntas. Ergo. 3. Voluntas applicat omnes inferiores ad sua officia, ergo ipsi competit imperium. Qui pro intellectu decertant, sic argumentantur. 1. Ex *Aristotele*, qui asserit, τὸ *præcipere*, esse prudentiæ. At prudentia rationis est. 2. Ad actum imperandi pertinet dirigere & præscribere, quid sit faciendum vel omittendum. At directio & præscriptio, sunt rationis. 3. Imperantis est, denunciare quid sit agendum. At denunciatio, est rationis. Ergo. 4 Lex est regula omnium rerum agendarum. At lex est rationis. Verum enimvero, ego existimo, hanc controversiam optimè componi posse, & aliquid concedendum esse Voluntati, & aliquid Rationi, nec esse necesse ; longum hic contentionis funem trahere : ego sic concilio eorum sententias. Tria pertinent ad actum imperandi. 1. Ordinem agendorum præscribere. 2. Inferioribus denunciare, quid sit faciendum. 3. Ad agendum movere & impellere : quæ tria sanè distinguuntur : neque enim omnis, qui alterum movet & impellit ad agendum, denuntiat, quid sit agendum : nec, qui denunciat, quid sit agendum, statim ordinem constituit agendorum Jam dico. 1. Ordinare res agendas. 2. Denuntiare quid sit agendum ; est utrumque rationis. 3 Movere & impellere ad agendum, est Voluntatis. Quandoquidem ad imperium ista tria requirantur, putem, imperium esse utriusque, intellectus, primario, & voluntatis, secundario. Dices. *Quare actus imperati à voluntate magis dicuntur imperari vel non imperari, & non potius à ratione, si imperium potius sit rationis, quam Voluntatis?* Resp. Quia à voluntate proximè imperantur actus imperati, ab in-

ab intellectu remotè: nam imperium, à quo actus imperati sic dicuntur, nihil est aliud, quam motus & impulsus voluntatis ex consilio, & præscriptione, & judicio rationis, ad aliquid agendum vel omittendum.

V. Circa secundam actuum voluntatis divisionem in βέλησιν & περαίρεσιν, in actum *circa finem* & in actum *circa media*, duæ possunt institui quæstiones. 1 *An necesse sit ponere duos actus circa finem & media, seu, an voluntas eodem actu non moveatur in finem & in media.* 2. *An non detur voluntatis actus neuter, qui nec sit finis, nec mediorum.* Quod attinet ad primam quæstionem: notandum est, nos agere de volitione finis & mediorum humanâ, non divina: nam quin Deus, eadem actione, velit, & finem & media, certum est: at de humanæ voluntatis actu, probamus, eum esse alium circa finem, alium circa media. 1. Quorum unum est causa alterius, id non est idem: nam nihil est causa sui ipsius. At volitio finis in nobis est causa volitionis mediorum. Ergo, v. c, causa, quare æger velit assumere potionem, est, quia efficaciter vult sanitatem: & probatur minor, ratione. Propter quod aliquid fit, illud est ejus causa. Atqui medium fit propter finem. Ergo finis est medii causa: consequenter, volitio finis, est causa volitionis mediorum. Deinde, finis in rebus agendis sese habet ut principium in rebus sciendis: At principium est causa conclusionis. Ergo finis est causa mediorum. Et quid est aliud, medium esse volitum propter finem, quam volitionem finis esse causam volitionis mediorum. Sed ex hisce 2. argumentor. Ita appetimus media propter finem, sicut assentimur conclusionibus propter principia. Sed assensus conclusionum non est idem cum assensu principiorum. Ergo appetitio mediorum non est eadem cum appetitione finis. 3. Ipsa experientia videtur hoc testari Nam appetimus aliquando medium, nihil cogitantes de fine, relicta volitione finis: aliquando verò manente volitione finis. Ergo sunt duæ volitiones Denique ab absurdo. Si idem sit actus voluntatis circa finem & media, sequitur, eundem actum fore volitionem & nolitionem, gaudium & tristitiam. At hoc est absurdum. Ergo & illud. Probatur major. Si quem pœniteat dilicti, propter Deum offensum, si idem hic sit actus circa finem & medium, erit circa pœnitentiam, volitio, circa Deum, nolitio. Amplius: idem actus voluntatis erit intensus & remissus. v. c. cum volo potionem amaram propter sanitatem: sanitatem, finem, volo intensissime, potionem, medium, remisse: si idem sit actus meæ voluntatis circa sanitatem & potionem, idem erit intensus & remissus.

VI. *Sed secundam videamus quæstionem. An detur voluntatis actus neuter, qui nec circa finem sit, nec circa media*: quæ quæstio sane est difficillima, affirmativa à *Scoto*, negativa à *Thoma* defenditur. Nos à *Thomæ* partibus stamus, & negamus, dari actum neutrum in voluntate, sed omnem voluntatis actum dicimus esse appetitionem, vel finis, vel mediorum: & probamus Nam bonum, quod appetitur, vel habet bonitatem in se, unde ametur; vel non habet in se bonitatem sed aliunde emendicat: si in se habet bonitatem, unde ametur, amatur, ut finis: si non habet in & à se bonitatem, sed aliunde accipit, amatur, ut medium: atque hæc duo, amari, ut finem, & ut medium, contradictorie atque immediate opponuntur: ergo, non datur tertium: ergo non datur actus neuter voluntatis, qui, nec sit finis, nec mediorum. Quę immediate opponuntur, ea non admittunt tertium: atque esse volitum propter se, & esse volitum, propter aliud, id est, appeti, ut finem, & appeti, ut medium, immediate opponuntur: ergo non admittunt tertium. Probatur minor. Quia volitum propter se, est volitum non propter aliud, & contrà. At finis appetitur propter se, medium propter aliud. Ergo non datur tertius appetitus aut tertius voluntatis actus. Et hæc sententia conformis est *Aristoteli, qui* 2. *Phys. tex* 29. dicit, *omnem volitionem, aut propter se esse, aut propter aliud.* Et, quid multis opus est? quemadmodum non est tertius assensus ac neuter, qui nec sit principiorum, nec conclusionis, in scientiis: ita nec datur tertius aut neuter appetitus, qui, nec sit finis, nec mediorum: nam ut principium

pium se habet ad conclusionem in sciendo, ita finis ad medium in appetendo: una tamen hic distinctio est tenenda de fine, quæ si servetur, hoc negotium expediet. Finis duplex habet quasi officium: unum, quod ametur propter se: alterum, quod alia amentur propter ipsum: primum habet finis, quatenus habet in sese bonitatem: secundum habet, quatenus est causa finalis; causa enim finalis est, cujus gratia aliquid expetitur: jam vero fieri potest, ut aliquid sit causa & tamen non causet actu: & sic, aliquid potest esse finis, & appetibile propter se, & fungi prioris finis officio, quia est bonum quid, & tamen non causare finaliter, non actu exercere causalitatem finis, & non fungi posterioris finis officio, sic ut media de facto & actu non expetantur propter finem: si finis accipiatur priori modo, pro eo, quod est appetibile propter se, non datur actus voluntatis neuter, sed omnis voluntatis actus est, vel finis, vel mediorum: quia, appetibile propter se, & propter aliud, opponuntur immediate: sed verò si accipiatur finis, posteriori modo, pro eo, quod actu & de facto causalitatem & actualitatem finis exercet, fortasse dari possit actus neuter voluntatis, qui, nec sit finis, nec medii, quod *Scotum* voluisse existimo: in Deo saltem talis actus neuter est, quia Deus nihil appetit, quod in ipsum causalitatem finis exerceat, quod Deum sui desiderio moveat, trahat, pelliciat. Circa *tertiam actuum Voluntatis divisionem* in *Volitionem*, *Intentionem*, *Fruitionem*, & *Electionem*, *Consensum*, *Usum*, quædam etiam quæstiones moveri possunt, quas excutiet *Exercitatio sequens.*

EXERCITATIONUM ETHICARUM DUODECIMA, DE

Quæstionibus quibusdam circa Voluntatis humanæ actus.

THESIS I.

EX actibus Voluntatis circa finem, primum, vocavimus *volitionem*, vel *velleitatem*; eam inter alia versari volunt *Philosophi*, interdum circa impossibilia, atque ita ipse quoque sentit *Aristoteles*, qui *l. Eth 3 c. 2.* disertè inquit, *volumus non mori.* Hic quæstio moveri solet: *An volitio sit impossibilium simpliciter & absolutè, an vero tantum eorum, quæ esse aut fieri non possunt ex accidenti, eò quod jam ante præterierint: sicut is, quem sui peccati pœnitet, vellet non peccasse, quod non est simpliciter impossibile, sed ex accidenti, eò quod actus peccandi jam præteriit: sic mater, cujus filius est mortuus, vellet vitam filii, quæ non est simpliciter impossibilis, sed ex accidenti tantum, quia ea, cum amissa jam sit, esse desiit.* At nullam video causam, cur non dicatur volitio etiam impossibilium absolutè & simpliciter, præsertim cum exemplum, ex *Aristotele* productum, hoc innuat & indicet: *volumus*, inquit, *non mori*: at hoc est simpliciter impossibile: &, si possimus velle ea, quæ sunt ex accidenti impossibilia, eò quod concipiamus ista ut bona jucunda, quæ per se oblectant, cur non possimus velle impossibilia absolutè & simpliciter, cum & illa bona valeamus concipere ut bona jucunda, & quæ per sese oblectant. Sed hic scrupulus existit. Quæri

enim potest; *An Voluntas possit appetere impossibile, quando ratio illud cognoscit, non ut bonum jucundum, sed quando id cognoscit, ut impossibile?* Resp. cum Voluntas fertur in aliquid, sive simpliciter, sive ex accidenti, impossibile, tunc, quamvis ratio cognoscat id esse impossibile, apprehendit tamen id & concipit, tanquam bonum jucundum, per simplicem notitiam, nihil affirmando vel negando, quia absolute ac simpliciter perspicit, & animadvertit in eo rationem boni jucundi; imo novit id etiam esse bonum in aliquo, ut quando volumus non mori, licet cognoscamus id esse impossibile, concipimus tamen id & apprehendimus tanquam bonum jucundum, imo etiam id bonum esse in Deo & Angelis intelligimus. At, dicet quis, *Quod non est, nec ullâ ratione esse potest, non possumus velle, nisi habitâ ratione alicujus rei subsistentis, alioquin res fictas possemus velle: sed quod cognoscimus esse impossibile, illud novimus esse fictum; ergo, quod novimus esse impossibile, non possumus appetere.* Resp. Nos non possumus velle id, quod novimus esse fictum, nihilominus possumus velle id, quod novimus esse impossibile, quia simul novimus id, quod est impossibile nobis, esse bonum jucundum, & existere in alio: at res fictas non novimus esse bonum jucundum, nec novimus eas existere in alio: itaque diversa est ratio rerum fictarum, quas non potest velle, & impossibilium, quas potest velle voluntas, quia ea, ratio potest, non tamen, ut impossibilia, sed ut bona jucunda, apprehendere. Quæri ulterius potest; *An possit esse in voluntate peccatum, cum aliquid impossibile volumus?* Resp. Posse esse: non dicimus esse semper peccatum in voluntate, cum impossibile vult, sed tamen esse potest: nempe contingere potest, ut aliquid, quod contra omne jus & fas est, fit impossibile, & hoc, si, ut bonum jucundum apprehendamus ac velimus, peccabimus, ut si quis cogitet de re aliquâ turpi, sed sibi tamen impossibili, interim de eâ lætetur, ac se in sua cogitatione oblectet, is peccabit: ut si quis homicidium, vel furtum, vel adulterium, sed sibi impossibile, cogitatione revolvat, atque in eo, utcunque impossibili, se oblectet, is peccat haud dubiè.

II. Sed ad *intentionem* transeamus, secundum *voluntatis actum circa finem. Circa intentionem* quæri potest: *An intentio non conveniat etiam brutis rebusque aliis?* nam tendunt in finem: &, hoc est, *intendere.* Resp. Nullæ res, nequidem bruta, præter hominem, intendunt finem, quia ita non appetunt finem, ut se moveant ad eum, conferendo media cum ipso, atque in tali motu ad finem propriè consistit *intentio*: nam *intendere* est propriè velle per aliquid in aliud pervenire. Certum est quidem, bruta peculiari ratione agere propter finem, quatenus saltem naturaliter eum cognoscunt, in quâ cognitione rebus aliis antecellunt; si quis ideò dicere velit, bruta intendere finem, contrà receptum loquendi modum tamen loquitur, quia intentio, non quamcunque finis præcognitionem includit, sed talem, quæ consistit in finis cognitione, quâ est finis, & in ejusdem cum mediis collatione. Sed distinctione potest hæc quæstio expediri. *Intentio*; interdum sumitur latè, & significat quamcunque tendentiam in finem, quocunque modo etiam natura intendat finem, sic & bruta dici possunt intendere finem: interdum sumitur strictè, pro tendentia in finem cum cognitione finis & mediorum, & sic bruta non intendunt finem. Quæritur ulterius, *An intentio simul ferri possit in plura objecta? an quis possit simul intendere duo diversa?* Resp. Non est dubium, quin possit quis diversa, seu diversos fines intendere, cum sibi invicem subordinantur: sed, *An quis possit simul intendere, diversa ad se invicem non ordinata, fines non subordinatos?* Mihi quidem sic videtur: quidni enim possit quis ex studio litterarum intendere simul, & scientiam & divitias: & cum unum medium inservire possit pluribus rebus aut finibus acquirendis: V. C. Pecunia est medium comparandi libros, vestes, cibum: quare non possit quis per pecuniam intendere omnia ista sibi comparare? hæc tamen inter se non sunt ordinata, non sunt sibi invicem subordinata: interim, quamvis plura illa quæ cadunt in intentionem, ad se invicem ordinata non sint, habent tamen semper aliquod tertium: ut, V. C. si quis intendat vestem & cibum,

quia

quia utrumque ordinem dicit & respectum ad vitam sustentandam. Atque, ex hisce dictis à me, duo elicio consectaria. Primo, *Intentionem non esse tantum finis ultimi absolutè, sed etiam ultimi in suo genere*: hoc ex exemplis allatis clarum est. Secundo, *non posse plura cadere sub intentionem, tanquam fines ultimos, quia semper referri debent & referuntur ad tertium: sed possunt plura cadere sub intentionem, quorum unum sit finis ultimus, alterum sit subordinatus finis*: & sic sumi debet illud, quando dicimus, *nemo potest simul intendere Deum & bonum temporale*, sc. intentione istâ, quæ sit in utrumque, tanquam in finem ultimum.

III. Tertius circa finem Voluntatis actus est *fruitio*; de ea quæritur, *quodnam sit ejus objectum? Scholastici* sic proponunt. *An fruitio sit tantum ultimi finis?* Resp. Fruitio propriè est finis tantum ultimi: quia fruitio est quædam Voluntatis complacentia: at illa complacentia Voluntatis tantum est in fine ultimo: Ergo fruitio tantum est finis ultimi. Prob. minor; complacentia Voluntatis est in eo bono, quod, eam, cum appetit, satiat: neque enim acquiescit Voluntas nisi in tali bono? at tale bonum est non nisi finis ultimus; ergo acquiescentia, & complacentia non est nisi finis ultimi: at hæc acquiescentia, hæc complacentia Voluntatis, est fruitio. Ergo imperfectè tantum & impropriè aliquando dici potest fruitio finis non ultimi absolutè? sed ille modus loquendi est non tam usitatus? &, ut notum, verba valent usu. Itaque solo Deo fruimur? cæteris rebus utimur Sed quæritur: *Cum fruitio sit finis ultimi; sitne finis ultimi, an reipsâ habiti, an vero habendi?* Resp. Perfecta fruitio est, finis ultimi jam de facto habiti, jam re ipsa possessi, qualis est fruitio beatorum in Cœlo: imperfecta fruitio est, finis ultimi nondum habiti aut possessi, sed habendi & possidendi, habiti tantum in spe, qualis est fruitio vivorum in terris: notandum vero est, aliter dici imperfectam fruitionem finis ultimi nondum habiti in via, aliter fruitionem finis non ultimi. Nam quæ fruitio dicitur finis non ultimi, ea non tantum, imperfecta est, sed impropriè dicitur fruitio, quia non est ibi objectum fruitionis: at quæ est fruitio imperfecta finis ultimi nondum habiti, est propriè fruitio, quia suum sibi habet objectum, in quod tendit, in quo acquiescit, & sibi complacet Voluntas. Nunc quasdam etiam quæstiones de *electione, consensu, usu, actibus Voluntatis circa media*, videamus.

IV. Quæri potest de *Electione*; *An illa tantummodo sit eorum quæ ad finem referuntur, an non sit electio & finis?* Resp. *Aristoteles* expressis verbis, *lib. 3. Eth. cap. 2.* docet, electionem nunquam esse finis: sic dicit; *Voluntas finis magis est, electio verò eorum, quæ ad finem spectant: ut, sani esse volumus, eligimus ea, quibus sani esse valeamus; felices quoque esse volumus, atque ita dicimus: dicere vero, eligimus esse felices, minimè convenit.* Hæc ibi *Philosophus*, & rationem dat c. 3. sequenti: *nulla*, inquit, *est consultatio de fine.* At electio consultationem requirit. Medicus non consultat, an sanare debeat, nec imperator, an vincere debeat, nec mercator, an lucrum facere debeat, sed quibus mediis ad sanitatem, ad victoriam, ad lucrum pervenire possit. Quod si quis contendat, omne illud sub electione cadere, quod per intellectum, quacumque ratione, potest cæteris anteponi, contentio tantum erit de voce: at vocibus utendum est, ut usurpari solent. Porro, non quorumlibet mediorum est electio, sed possibilium, & eorum, quæ in nostra potestate sita sunt: quod totidem verbis docet *Philosophus cap. cit l. cit.* & ratio ipsa hoc docet. Id, quod eligitur, ideo eligitur, ut per id finem consequamur. At id, per quod finem sumus consecuturi, debet esse possibile, & quidem nobis alioquin frustra eligeremus: & ideò, cum inter consultandum occurrit aliquod medium impossibile, sistitur deliberatio, ac nulla sequitur electio: neque tamen requiritur, ut medium in electione sit revera possibile, sed satis est, ut appareat possibile: nam sicuti finis, qui intenditur, est bonus, vel verè, vel apparenter; ita & medium, quod eligitur, vel verè est possibile, vel apparenter: neque etiam requiritur, ut medium, objectum electionis, actu & expresse concipiatur sub ratione possibilis; sed sufficit, si apprehendatur virtualiter, ut tale, i. e. si ut tale concipi possit: & patet hoc, tum experientia,

rientia, tum ratione: experientia: nam experimur, statim nos aliquid eligere, simul ac concepimus illud, ut bonum, & conveniens ad consequendum finem, etiamsi abstrahamus à conceptu possibilitatis illius, id est, etiamsi non concipiamus ut possibile: ratione: nam, ut Voluntas moveatur ad actum quemcunque, sive electio sit, sive alia actio, sufficit, ut intellectus ei proponat objectum sub ratione formali, sub qua tendit Voluntas in objectum: at hæc non est ratio possibilitatis, sed ratio bonitatis: ergo sufficit in electione, ut medium apprehendatur tanquam bonum, licet non apprehendatur tanquam possibile: modo tamen ut possibile apprehendi possit. Et hoc est, quod statim dicebam, sufficere, ut objectum electionis saltem virtualiter, seu in potentia propinqua, apprehendatur tanquam possibile: & tali modo semper apprehenditur, quando non putatur esse impossibile, sed concipitur ut bonum & conveniens: itaque cum dicimus, electionis objectum esse possibile, hoc volumus, electionem non posse versari circa objectum, quod concipitur esse impossibile: nam, quod judicamus esse impossibile, id judicamus esse non ens; quod judicamus esse non ens, non potest judicari ut bonum; nam bonitas est passio entis: ergo nullum impossibile potest eligi.

V. Ab electione ad *consensum* transimus. Hic quæritur, Primo, *An consensus non sit potius intellectus, quam Voluntatis actus?* Resp. quamvis vocabulum, *consensus*, si vim ejus spectemus, propriè significet, applicationem sensus ad aliquod objectum, aut etiam assensum mentis judicantis, hic tamen notat actum potentiæ appetentis, qui sequitur actum consilii, quo Voluntas approbat tanquam sibi placentem sententiam consultatione rationis judicatam. Cur autem hic voluntatis actus dicatur consensus, ratio est, quia sicuti per applicationem sensus ad objectum, sumit sensus veluti quandam experientiam objecti, ita etiam potentiâ appetitivâ per applicationem sui ad aliquid, accipit quandam quasi experientiam ex illo. Secundo, quæritur; *An Consensus sit distinctus ab actu electionis, cum utraque actio consilium sequatur?* Resp. Quando occurrunt plura media ad finem, & omnia placent, & Voluntas in omnia consentit, ut conducentia ad finem obtinendum, posteà unum ex illis eligit ad finem consequendum, tum electio & consensus differunt; at si unicum offeratur medium, placeatque Voluntati, videtur esse unus idemque voluntatis actus, electio & consensus.

VI. Postremus Voluntatis actus est *usus*, de quo hoc quæri potest, *Quodnam sit objectum usus, an medium tantum, an etiam finis ultimus?* Resp. Objectum usus est medium, non finis ultimus: ratio est, quia *uti*, est applicare rem ad operationem, est rem ad aliquid aliud referre: at finis ultimus ad aliud referri nequit; Ergo eò non utimur: atque hic discrimen illud accurate est tenendum inter *uti* & *frui*. *Frui* est, actus voluntatis, quo in bono desiderato acquiescimus, quia appetitum explet: ideoque fruimur solo Deo. *Vti* est, actus voluntatis, qui aliquid boni adhibet, ad Deo fruendum, finem ultimum assequendum; ideoque creaturis solis utimur, non Deo. Quod discrimen tanti est momenti apud *Patres* & *Scholasticos*, ut ex *Patribus* Magnus *Augustinus* scripserit, summam esse perversitatem, uti fruendis, quæ sunt Personæ sanctissimæ Trinitatis, unus ac verus Deus; & frui utendis, quæ sunt creaturæ omnes. Deus non dat se utendum sed fruendum, creaturæ dant se utendas non fruendas. Sed quid est *uti fruendis*, & *frui utendis*? hoc explicare est operæ pretium: & ut clarè fiat, exemplis agemus. Qui Deum colit, ut, & quia, temporalia speret commoda, is, quia summum bonum refert ad bona non summa, utitur fruendis, quicumque ultimum finem & summum bonum ponit in creaturâ, & non habet Deum pro ultimo fine & summo bono, quod fit multis modis, is fruitur utendis, quia acquiescit in Creaturis tanquam fine ultimo, cum debuisset eas ordinasse ad Deum, & tanquam mediis perveniendi ad Deum uti. Quæritur secundo. *An usus distinguatur ab electione? videtur enim nonnullis esse idem cum electione: nam si eligo efficaciter, movere manum ad scribendum, continuò sequitur*

quitur motus, & non est necessarius alius actus in voluntate. Resp. Non sequitur, si ad electionem statim sequatur usus voluntatis, ergo usus voluntatis non distinguitur ab electione voluntatis: nam, ex intentione efficaci finis, necessariò sequitur electio medii, & tamen, intentio finis & electio medii, non sunt idem voluntatis actus: & profectò, si actiones nostras respiciamus, primum est in nobis, intentio finis, deinde electio ejus, quod ad finem obtinendum utile judicatur, tertiò est usus, i. e. alius voluntatis actus, quo adhibet cæteras facultates, potentias inferiores ad faciendum id, quod à nobis est electum: sic pedibus utitur ad incessum, oculis ad videndum, &c. Ita ut uti & usus voluntatis, in quantum est ejus actus, nihil sit aliud, quam, voluntatem ad opus se accingentem, cæteras facultates applicare, ad id agendum, quod est decretum ac statutum à ratione, & electum à voluntate. Atque hæc de actibus Voluntatis hac *Exercitatione* quæsivisse & decidisse suffecerit: proxima *Exercitatio*, quæ circa *Objectum Voluntatis* quæri possunt, expendet.

EXERCITATIONUM ETHICARUM DECIMA TERTIA, DE Quæstionibus circa Objectum voluntatis humanæ.

THESIS I.

OBjectum *voluntatis humanæ* fecit, tum *bonum*, tum *malum*, *Coll. Eth. Disp. 9. thes 6* de eo duas quæstiones hac exercitatione discutiemus. 1. *Cum objectum voluntatis sit bonum, quoad actum volendi, illud vero, vel revera tale sit, vel apparens interdum, quæritur, an voluntas volendo feratur in bonum, quod tantum reverâ est tale, an etiam in id, quod apparet tale?* 2. *An voluntas possit volendo ferri in malum, non simpliciter* (nam sæpe nimis in malum fertur volendo) *sed quà malum, quod malum esse volens sciat, agnorit?*

II. Ad quæstionem priorem quod attinet, ut eam decidamus, nonnihil latius dicendum est de objecto voluntatis in volendo, sc. bono. *Bonum triplex* est, *utile, jucundum, honestum*: *utile*, propter aliud semper expetitur, ideoque refertur ad honestum & jucundum, tanquam ad finem: in utile propriè voluntas non tendit volendo, quia volitio finis est: utile vero, finis non est, sed medium; ideoque potius electionis est, quam volitionis. At nos nunc de volitione cum *Scholasticis* philosophamur, atque intentione, quæ circa finem est: ideoque sub voluntatem propriè cadunt, honestum & jucundum; honestum, quia finis est; jucundum vero, quia potest esse finis, quia natura sua non refertur ad aliud, sicuti quidem utile. Sed & hoc notandum venit, bonum apparens, quod esse videatur & non sit, intelligi ita apparens, ut ex una parte, & sub una ratione, sit apparens tantum, sub alia ratione & ab alia parte, sit verè bonum, sicuti bonum jucundum multi expetunt propter se, qua ratione jucundum bonum est bonum apparens; quia apparet honestum, nec tamen est: sub alia tamen ratione est verè bonum, quia est verè jucundum. His

positis, dico, voluntatem posse ferri volendo in bonum, quod sub una ratione est apparens, sub alia ratione est verum: at, nunquam potest ferri in bonum volendo, sic ut illud appareat sub una ratione, & tamen sub alia ratione nullo modo existat, nullo modo sit verum. Prius patet, quia potest quis ferri in bonum jucundum ut honestum, qui tum fertur in bonum, quod apparet honestum, in se tamen vere est bonum sc. jucundum. Posterius liquet, quia id, quod veram causam non habet ullam, cur expetatur, expeti non potest sub ratione apparentis boni, quia, quod apparet bonum, basin suam semper habet & fundamentum in ratione veri boni: Nam quis jucundum appeteret ut honestum, si jucundum non esset? Nam jucunditas facit, ut inde petatur honestas, ubi nulla est: Itaque, si nulla sit in re ipsa boni ratio, fundamentum erit nullum, in quo boni apparentis ratio niti possit.

III. Sed objectiones quædam hic solvendæ veniunt. Prima. *Si interdum id, quod omni caret ratione boni, appetamus, ergo falsum est, bonum apparens semper præsupponere rationem veri boni, sub qua appareat. Sed verum est prius. Ergo & posterius. Nam appetimus amaram & fœdam potionem propter valetudinem.* Resp. Primo. Objectio loqnitur de bono utili: & de electione: at nos loquimur de bono propter se & propter aliud, fine, & intentione, aut volitione itaq; est μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Secundo. Potio talis revera est bonum utile; itaque non omnis ratio veri boni excluditur. Secunda. *Quod non est, non potest voluntatem movere aut trahere. At apparens bonum non est. Ergo. Prob. Maj. Nam voluntatis motio à re est: nam non entis nullæ sunt affectioues, nullæ effectiones.* Prob. Min. *Apparens bonum non est, nam si esset, jam non appareret: quod enim apparet, falsum est & ementitum: at, quod falsum est & ementitum, non est.* Resp. Solutio habetur ex iis, quæ statim dicta sunt. Nempe voluntas non potest ferri in id, quod nullo modo est; at quod est apparens bonum, est, non quidem bonum illud, quod apparet, sed sub alia ratione est, & est bonum & verè bonum, ut vidimus. Tertia. *Si bonum apparens expeti possit, expeteretur per ignorantiam & deceptionem. At, quod sic expeteretur, non expetitur voluntario ac libere: quod vero nec libere nec voluntario appetitur, ne expetitur quidem.* Resp. Qui bonum apparens expetit, is quidem ignorans expetit, sed non per ignorantiam: nam ignorantia ipsius expetitionis causa non est; at vero tum aliquid expetitur non libere, non coactè, cum aliquid expetitur per ignorantiam: hic vero ignorantia nullo modo est causa, sed jucunditas cognita & percepta in objecto, & apprehensa per modum finis, in quo est error & ignorantia & deceptio. Quarta. *Si voluntas possit ferri in bonum apparens, erit pejoris conditionis quam appetitus naturalis: nam hic semper est ad verum bonum, ut patet in lapide.* Resp. Nulla est sequela. Non enim sequitur, quod lapis sit melioris conditionis quam voluntas, etsi lapis in verum tendat semper bonum, voluntas tantum, in apparens aliquando; nam bonum, quod quærit lapis, est minimum bonum: at, quod quærit voluntas, est longè majus: nam voluntas fertur in rationem boni naturalis per cognitionem finis, & deliberationes mediorum, quod est maximæ dignitatis; non sic lapis. Et, si illa consequentia valeret, sequeretur, bruta quoque esse conditionis melioris quam est homo, quia bruta peccare nequeunt, homo potest.

IV. Sed alteram videamus quæstionem, quæ est difficilior. Quæritur. 1. *An voluntas possit appetere seu velle malum, qua malum, & fugere seu nolle bonum, quà bonum?* Non est dubium, quin & possit velle malum, & nolle bonum, quia potest ferri volendo in bonum apparens, quod cum non sit bonum, sed malum, tamen ut tale appetitur, quia tale apparet. Sed aliud est, & longe diversum, velle malum quà malum, sub ratione mali, &, nolle bonum quà bonum, sub ratione boni. Quod utrumque negamus, & rationem negationis dedimus *Th. 6. Disp. 9. Collegii Ethici.* Contra tamen hanc sententiam nonnulli insurgunt ex *Scholasticis*. *Scotus* quidem nihil certi definit, sed utramque partem censet probabilem. *Occam*, vero cum Nominalibus oppositam veræ sententiæ sententiam tuetur:

tuetur: videbimus argumenta & solvemus. Primum. *Si voluntas non possit velle malum sub ratione mali, nullum erit peccatum ex malitia, nullum contra conscientiam: nam, qui peccat ex malitia, peccat, sciens, illud esse malum: item, qui contra conscientiam: nam novit; Verbi Causa, malum esse, furari, & tamen expetit, ergo vult malum sub ratione mali.* Resp. Qui peccant ex malitia & contra conscientiam, illi quidem sciunt esse malum quod agunt, in quo differunt ab iis, qui ex ignorantia, passione, aut alia infirmitate, peccant, sed non tamen volunt hoc quod sciunt esse malum, sub eâ ratione, sub quâ sciunt, sed sub aliâ ratione volunt, sub qua idem iidem sciunt esse bonum. V. C. qui novit, furari, esse malum, & tamen vult furari, non vult furari sub ea ratione, sub qua cognovit esse malum, sed sub alia ratione, sub qua scit esse bonum, sc: utile, & medium ad pecuniam conquirendam, ad voluptatibus satisfaciendum, & sic sub tali ratione boni, apparentis quidem, sed tamen habentis rationem boni in furtum volendo tendit: & hoc bene est tenendum, non dici peccatum ex malitia, aut contra conscientiam, quia peccans feratur in malum, quà tale: sed quod velit malum, quod sub una ratione scit esse malum, sub alia ratione apprehendit ut bonum, & sic vult: at qui ex ignorantia, metu, & simili passione, peccat, is ne quidem esse malum novit, quod agit: & hic usurpari debet distinctio operationum intellectus, quam attulimus cum de intellectu in *Coll.* egimus *Eth.* In eo, qui peccat ex malitia & contra conscientiam, est cognitio theoretica boni & mali, imo & judicium simplex de bono & malo: & sic scit ac judicat simpliciter esse malum τὸ furari quispiam, qui idem judicio comparato hoc apprehendit & judicat ut bonum, & sic vult: at qui ex ignorantia aut passione seu infirmitate agunt, illi ignorantia etiam theoretica laborant, errantque etiam judicio simplici & absoluto, & nesciunt esse malum, quod tamen est.

V. Secundum. *Qui odit fratrem suum, is vult illi malum sub ratione mali. Ergo voluntas potest velle*, &c. Major prob. *Hoc enim est discriminis inter iram & odium, quod ira velit proximo malum, sed sub ratione justi vindicativi: at odium vult malum proximo sub ratione mali. nam qui odit fratrem aut proximum; is ex invidia nihil nisi malum vult ipsi, neque respicit vindictam sui* Resp. Ad hanc objectionem tripliciter respondetur. Primo. Quod quis possit alteri malum velle, quà tale, sed non possit sibi velle malum, quà tale Sed hæc responsio mihi non placet: nam objectum voluntatis est bonum, ergo nec sibi nec alteri potest quis velle malũ sub ratione mali; nam, quocunque modo sumas, semper volitionis objectum est ac manet bonum. Quemadmodum enim visus non potest ferri nisi in coloratùm, vel in id quod participat colorem, ita non potest voluntas ferri nisi in bonum, vel quod boni aliquam rationem participat. Secundo. Resp. Quod in objecto potest reperiri geminaratio formalis, qua refertur ad potentiam: una, quæ movet & allicit ipsam potentiam, estque ratio formalis communis; altera est ratio, quæ terminat ipsam operationem, à quâ operatio sortitur speciem, estque ratio formalis propria: verbi causa, quando videmus albùm; prima ratio, quæ movet visum, est coloratum; nam, quicquid visus videt, sub ratione colorati videt: estque hæc ratio formalis communis: secunda ratio, quæ terminat illam visionem, est album; estque ratio formalis propria, qua hæc visio distinguitur à visione nigri: sic in voluntate & volendo, ratio communis, quæ movet voluntatem, est ratio boni: sed in actu odii, ratio quæ terminat, est malum sub ratione mali proximo optatum, quomodo distinguitur odium ab irâ. Sed hæc applicemus ad argumentum ut solvatur: dico ergo, quando quis vult alteri malum, quà malum, quia eum odit, hoc dicitur, quod velit illi omne malum, in quo nihil reperiatur, nihil videat & boni: sic, si quis ex odio velit proximum è medio tolli, vult ei omne malum, & nihil nisi malum, nam in annihilatione aut corruptione nihil supereſt boni: attamen, qui sic odit proximum, ut eum velit annihilatum, utcunque ei velit omne malum, & non nisi malum, & sic posset dici velle ei malum, quà malum, sub ratione mali, quatenus sc, nihil boni reperit aut

optat

optat in eo malo, quod proximo optat, nihilominus hoc totum refert in bonum suum; ut alius sc. is quem odit, non sit sibi impedimento, ut non præripiat sibi laudem aut aliquo bono ipsum privet, aut similiter. Tertio, responderi potest: nulla est sequela: qui odit proximum vult malum sub ratione mali, quia odisse non est velle, sed nolle: odium refertur ad nolitionem, ad fugam: at proximo nolle beatitudinem, i. e. aversari ipsius bonum, non importat volitionem mali, quâ talis, sub ratione mali: sed, *quando quis odit & aversatur bonum proximi, vult ei malum*; verum, hoc totum, est objectũ tantum materiale volitionis: sicuti, volo amarum, volo tormentum, volo mortem, volo offendere Deum; hæc omnia in se mala sunt; & quidem ita mala (ut mors & offensio Dei) ut nihil in eo sit bonum, & tamen ego non volo ista, quà mala; non sunt objectũ formale meæ volitionis, sed materiale tantũ: sic quando volo proximo malum, ex odio & malitia, quod se ipso & in se malum est, & in quo nihil sit boni, non tamen malum, quà malum, sed quà bonum, volo; quia proximo velle malum, in quo nihil sit boni, & velle ex odio, ipsi volenti est bonum, est commodum, est jucundum, & sic habet rationem boni.

VI. Tertium. *Homo, ut experiatur suam libertatem, potest eam experiri, nolendo beatitudinem, &, positis duobus bonis æqualibus, unum eligere, altero relicto: at, cum non sit major ratio boni in uno quam in altero, poterit ferri in aliquod objectum non sub ratione boni: ergo sub ratione mali, quia hæc opponuntur.* Resp. Primo. Falsum est, voluntatem posse nolle beatitudinem: nam summum bonum & finis ultimus appetitur necessario: voluntas non est ita libera, ut sit indifferens volendo & nolendo circa finem ultimum. Secundo. Si esset aut esse posset indifferens & libera circa illud, tum, experiri suam libertatem, haberet rationem boni. Tertio. Positis duobus objectis, omni modo æqualibus & sic judicatis, voluntas neutrum eliget: oportet enim, aut aliquid bonitatis, plus esse in uno quam in altero, aut plus saltem videri; si nec sit nec videatur, nulla sequetur electio.

VII. Quartum. *Habitus injustitiæ inclinat in malum sub ratione mali: inclinat enim in actum injustitiæ quatenus injustitia est: at inclinat actum voluntatis: ergo voluntas potest tendere in malum qua tale.* Resp. Falsa est major: injustitia non inclinat voluntatem in malum sub ratione mali: sed in malum sub ratione utilis vel delectabilis; ut, si inclinet voluntatem in furtum, hoc faciet sub ratione, vel utilis, vel jucundi: inclinare ad furtum est quidem malum, quatenus est contra justitiam, at est bonum ei, qui inclinatur, sc. apparens. Secundo. Præsupponitur, justitiam esse in voluntate, ejusque actus inclinare, quod tamen controversum est, & apud me aliosque habetur pro falso.

VIII. Quintum. *Damnati possunt conformare suam voluntatem divinæ voluntati: sed potest Deus velle, ut beati non velint beatitudinem, quam ipse decrevit illis negare in æternum. Ergo damnati poterunt velle malum, qua tale.* Resp. Damnati possunt conformare voluntatem suam divinæ, nolendo beatitudinem in particulari: & hoc potest Deus velle, ut nolint: sed non possunt nolle beatitudinem in communi; aut velle non esse beati in communi: nec potest, Deus velle, ut nolint beatitudinem in communi, quia potentia non potest ferri extra objecta: & Deus hoc objectum sc. bonum constituit voluntatis volitioni. Si Deus igitur posset velle, ut quis nolit, quod eum velle voluit, Deus decretum suum & beneplacitum voluntatis suæ mutare posset, quod est absurdum. Si ergo Deus constituit, voluntatem tantùm in bonum tendere debere volendo, non potest velle, ut non tendat, ut velit malum sub ratione mali, aut nolit bonum sub ratione boni.

IX. Sextum. *Voluntas potest velle ex simplici apprehensione, ut intellectus non judicaverit, malum esse; ergo potest ferri in malum qua tale, ut in motibus primò primis.* Resp. Falsa est consequentia, quia tum demum fertur in malum qua malum, quando fertur in malum volendo, prosequendo, quod intellectus judicavit esse nolendum, fugiendum. Ergo, quamdiu non judicavit intellectus, non potest ullo modo ferri in malum qua malum, quia hoc non est tale nisi intellectus judicaverit.

verit. Quid de motibus primò primis sit dicendum, in *Collegio Eth.* alibi diximus. Atque hæc sunt, quæ circa objectum voluntatis humanæ objici fere solent. Quæ circa Motivum voluntatis humanæ objici possunt, *Secutura Exercitatio* ad partes atque examen vocabit.

EXERCITATIONUM ETHICARUM DECIMA-QUARTA, DE

Objectionibus, contra voluntatis humanæ determinationem ab ultimo intellectus practici judicio.

THESIS I.

PRopositum *Disputatio decima Collegii Ethici, th.* 7, 8 9. tria argumenta, pro sententia eorum, qui existimant, *voluntatem moveri ac determinari ad volendum ab ultimo dictamine, à judicio comparato, ab imperio intellectus practici.* Longe plura adferri possunt ex Philosophia, omissis & Theologicis: sed nos pondere quam numero certare ac vincere malumus: nunc, quæ contra hanc sententiam objici possunt, excutienda ac discutienda veniunt. Inter *Scholasticos* antiquiores huic sese opponit *Scotus* cum universa caterva *Scotistarum*: hosce sequuntur *Moderni Iesuitæ*, quorum interest, sententiam à nobis istic assertam demoliri. Ex nostris ac *Reformatis Theologis* eam impugnant non pauci, inter alios sedulo hoc egit, doctissimus alioquin Theologus, *D. Amesius in casibus conscientiæ l. 1. c. 7.* præter Orthodoxos Theologos nonnullos: præsertim huic sententiæ à nobis ibi probatæ infensi sunt hostes, *Novatores*, qui patrias ecclesias discidêre, quod ex eorum *Apologia, c 7.* satis liquet, ubi operosè multa argumenta ex *Iesuitis* ac præsertim *Suaresio*, contra hanc opinionem congerunt: Nos & *illorum*, & *Scotistarum*, & nostrorum, sive *Amesii*, sive *cujuscunque*, argumenta omnia, quæ potuimus invenire, dissolvemus.

II. Primum ac palmarium, quod ab omnibus primo ponitur loco, est hoc. 1. *Si voluntas determinetur ab ultimo intellectus practici judicio, ergo non erit libera, sed necessario ex necessitate feretur in actum, quippe quæ non potest non ferri in eum. Posterius est absurdum. E. & prius.* Conseq. prob. *Quia de ratione causæ liberæ est, ut, positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere & non agere: at, si, posito ultimo judicio intellectus practici, voluntas necessario agit, non potest agere & non agere: quia illæ pugnant: necessario agere & posse non agere: quia, quod necessario agit, non potest non agere: &, certe hæc est differentia, inter potentias liberas & necessarias, quod necessariæ ad unum sint determinatæ, &, positis omnibus ad agendum requisitis, non possint non agere; liberæ possint: porrò, potentia libera dicitur esse indifferens; at, quando voluntas determinatur ab intellectu practico, non est indifferens, sed ad unum determinata. Ergo non manet libera: at voluntas dicitur manere libera: alioquin non est voluntas. Ergo* &c. Resp. Ad hoc argumentum, quod semper prætendunt adversarii, sic responderi debet. Negamus, esse de ratione causæ liberæ, ut sit indifferens ad opposita, positis omnibus

bus ad agendum requisitis: negamus, libertatem & necessitatem ita pugnare, ut non possit eadem potentia libera in actum ferri necessario. Atque hoc utrumque πρῶτον est ψεῦδος, quod Adversariis imponit, quod existiment, omnem causam liberam esse indifferentem, libertatem consistere in indifferentiâ ad oppositа, positis omnibus ad agendum requisitis: & quod existiment, necessitatem & libertatem ita pugnare, ut nunquam possit eadem potentia libera ferri in actum suum necessario. Nos utrumque hoc illorum fundamentum subruemus. 1. *Non esse de ratione causæ liberæ ἀλληφορίαν, indifferentiam ad oppositа, positis omnibus ad agendum requisitis*, multis potest ostendi modis: nam, posito fine ultimo & cognito, non est voluntas indifferens ad non appetendum, & tamen liberè appetit: omnes volumus esse beati, & liberè volumus, nec tamen hic sumus indifferentes ad oppositū, ad non volendam beatitudinem: pariter philosophandum est de mediis cum fine connexis necessario: & ea volumus liberè, neque tamen circa ea sumus indifferentes, tam parum quam circa finem ultimum. Porro Christus liberè obedivit Patri, neque tamen fuit indifferens ad non obediendum: sic enim peccare potuisset, quod blasphemum: unde rectè, ut multa, dixerunt *Scholastici*, *non est de ratione libertatis potentia peccandi*. Beati in cœlo, Angeli, liberè amant Deum, neque tamen sunt indifferentes, ad amorem & non amorem Dei clarè visi. Diaboli & damnati in inferno, liberè oderunt Deum, neque tamen sunt indifferentes ad odium & non odium Dei. Deus ipse liberè amat creaturam suam, opus manuum suarum, neque tamen indifferens est ad amorem & non amorem creaturæ suæ, operis manuum suarum, quod vidit esse valde bonum. Denique, Deus fuit causa libera in creando mundo, in redimendo genere humano, & tamen, positis omnibus ad agendum requisitis, non erat indifferens: nam inter requisita ad mundum creandum, ad genus humanum redimendum, erat Dei decretum æternum, quo statuerat mundum creare, & genus humanum redimere: at, posito illo decreto, de creando mundo, de redimendo genere humano, non fuit indifferens ad oppositum, ad non creandum mundum, ad non redimendum genus humanum: & tamen, liberrimè mundum creavit, liberrimè genus humanum redemit. Nec differentia inter causam liberam & necessariam in eo sita est, ut libera possit agere & non agere positis omnibus ad agendum requisitis, necessaria non possit non agere iisdem positis; sed in eo est sita differentia, quam nullus Adversariorum rectè capit, quod, cum in libera sit sæpe determinatio ac necessitas æque ac in necessaria causa; determinatio tamen ac necessitas in causa necessaria sit naturalis & à principio intrinseco, unde dicitur interna; in causa vero libera sit adveniens, à principio extrinseco, unde dicitur externa: Atque hoc unicè est hic observandum: exemplo rem declarabo. Ignis, causa in comburendo necessaria, non habet facultatem intrinsecam, qua possit non comburere ligna sibi vicina, quia ignis per suam formam naturaliter est determinatus ad unum, scilicet ad comburendum combustibilia legitimè approximata, seu, positis omnibus ad agendum requisitis. At voluntas, causa libera, etiam tum, cum vult ex determinatione intellectus practici, retinet adhuc intrinsece & habet potentiam ad non volendum, in sensu, ut loquuntur, diviso: nam, quando ego nunc volo loqui aut docere, quia judico docendum aut loquendum, eo non tollitur à meâ voluntate per illud judicium intellectus, potentia intrinseca non loquendi aut non docendi: nam hæc simul sunt in me: voluntas mea docet, loquitur, necessario, quia ad loquendum, ad docendum, determinatur ab intellectus mei judicio, & tamen retinet intrinsecam potentiam, ad non docendum, ad non loquendum; quæ per actum docendi aut loquendi non aufertur: at, quando ignis urit, non est in eo potentia non urendi: Et hinc eleganter *Scholastici* libertatem collocarunt in *simultate potentiæ*, qua voluntas, cum vult necessario ex intellectus practici dictamine, potest tamen simul non velle, quia habet potentiam non volendi, quæ est potestas in sensu diviso: at *potentia simultatis*,

tatis, quæ est potestas in sensu composito, ea in voluntatem non cadit: non enim fieri potest, ut voluntas, cum vult ex judicio intellectus practici, eo posito, eodem tempore ac momento, possit simul non velle, sic enim vellet & non vellet, quę mera est contradictio, quam Adversarii incurrere coguntur. Manet ergo hoc ratum ac demonstratum, non esse de ratione causæ liberæ indifferentiam ad opposita, in sensu composito, positis omnibus ad agendum requisitis; ideoque, posito ultimo intellectus practici judicio, non manet voluntas indifferens ad volendum, sed necessario vult, & tamen est in volendo ac manet causa libera: hoc igitur secundo nunc ostendendum, *posse libertatem & necessitatem convenire, ut eadem potentia libera nihilominus necessario feratur in suum actum.* Contrarium, alterum erat fundamentum, positum ab adversariis, à nobis subruendum. Si didicissent adversarii recte distinguere inter necessitatem internam seu naturalem & externam seu hypotheticam, non tam absurdè istam necessitatis & libertatis pugnam propugnarent: hoc dicimus ac ponimus fundamentum. Nulla necessitas hypothetica seu externa ob conditionem seu hypothesin externam tollit libertatem; atqui necessitas determinationis est hypothetica; quia voluntas ex hypothesi intellectus judicantis vult necessario. Ergo. Sed vero ostendamus, posse causam ac potentiam liberam simul ferri necessario in actum suum. Ponamus, voluntatem humanam à Deo moveri ac determinari ad aliquid: habet enim Deus imperium in voluntatem. Dei imperio, motioni determinatæ, voluntas non potest resistere: volet ergo & aget necessario, ad quod volendum & agendum à Deo movetur & determinatur: attamen volet & aget eadem libere, etiam hoc ipsum, ad quod determinatur & movetur: quia contradictio est, ut dicamus voluntatem velle & tamen non libere velle: nam voluntas cogi non potest: & libere nihilominus vult, quia necessitas illa proveniens à motione & determinatione Dei, qua necessario vult voluntas, est tantum hypothetica, ideoque libertatem non tollit; eademque voluntas manet causa ac potentia libera, licet necessario feratur in actum volendi, necessitate determinationis & motionis divinæ: idem quoque dicendum est in præsenti negotio; licet voluntas, mota & determinata ab intellectus practici judicio ultimo, necessario velit, ac non possit non velle, nihilominus liberè vult, quia illa necessitas est voluntati externa & hypothetica, ex hypothesi & conditione judicii intellectus positi, quæ necessitas hypothetica nunquam libertatem evertit, quod fusius aliàs est ostensum: & Dei præscientia, & decretum, & prædictio, & concursus, aliquam important necessitatem, qua non potest non fieri id quod præscitur, decernitur, prædicitur, & ad quod concurrit Deus; nihil tamen istorum libertatem evertit: ego nunc libere loquor ac doceo, licet non possum non loqui & docere, quia decrevit ac præscivit me loquuturum & docturum & ad loquendum ac docendum nunc mecum concurrit, Deus: unde necessitas loquendi ac docendi oritur in me, sed quæ libertatem mihi meam non aufert: & sic ipsa experientia adversarios convincit, sed & ratione convincamus eos. Quicquid Deus in tempore facit, ab æterno facere decrevit. At omnem actum liberum creaturæ Deus facit in tempore. Ergo. At, quod ab æterno facere decrevit, necessario fit: Ergo omnis actus creaturæ liber necessario fit. Ergo potest eadem potentia & causa libera ferri in suum actum necessario. Deinde, quicquid Deus vult ut fiat, id necessario fit. At Deus non vult tantum, ut fiat actus aliquis, sed in specie ut fiat liber. Ergo non tantum actus aliquis, sed in specie actus liber, necessario fit. Ergo potentia, quæ actum liberum elicit, simul necessario agit. Sed hæc nunc satis clara sunt & ad argumentum primum sufficiunt, quod tanto sum prosecutus prolixius, quia in eo maximè stant, & perpetuo illud crepant, Adversarii

III. Secundum esto argumentum. *Si voluntas necessario determinatur ab ultimo intellectus practici judicio, sequetur primo, voluntatem non posse eligere minus bonum relicto majore bono, quia intellectus semper judicat majus bonum esse præferendum minori, nisi forte erret,*

attamen sæpe eligimus & volumus minus bonum. Secundo, sequitur, ex duobus æqualibus bonis intellectum neutrum posse eligere, quia judicium rationis neutrum alteri proponit. Resp. Ad primum. Fatemur fieri posse, ut voluntas appetat & velit minus bonum, relicto majori, sed tum intellectus in judicando errat, & voluntas sequitur tum erroneum intellectus judicium, dum intellectus, illud, quod est in se majus bonum, expensis circumstantiis hic & nunc, tamen rejiciendum, & illud, quod in se est minus bonum, expensis iisdem circumstantiis, hic & nunc, tamen prosequendum, judicat. Ad secundum. Dico, quando intellectus ex duobus bonis æqualibus neutrum alteri præponit, voluntatem neutrum electuram, quia nondum perventum est ad judicium ultimum practicum, cujus proprium est officium, unum præ alio acceptandum voluntati proponere, ut sequatur electio, quæ non sequetur, quamdiu non aliquanto plus boni in uno, quam in alio, deprehenderit intellectus practicus. Instant. *Si Deus, qui falli non potest, nec errare, possit facere minus bonum, omisso majori, ergo & nos, sine falso aut erroneo judicio, possumus velle minus bonum, omisso majori. Sed verum est prius ergo & posterius.* Prob. Minor. *Quia potuit Deus meliora facere quam fecit, potuit nullam creaturam producere, & tamen, producere creaturam, est majus bonum quam non producere: si ergo Deus aliquod possit facere minus bonum, licet judicet aliud esse majus bonum, quidni & nos?* Resp. Quidam dicunt, diversam esse rationem de Deo & creaturâ, propterea, quod Deo competat summa & perfectissima libertas ad omnia, quæ ejus potentiæ subjacent, qua ratione eligere potest quodlibet ex iis, libertas autem creaturæ intellectualis limitata est ad judicium rationis: sed enim ista responsio mihi non placet. Quantumvis enim in Deo sit summa libertas, ea tamen subordinatur intellectui divino, ita ut, sicuti velle non potest Deus nisi cognitum ab intellectu, sic nec liberè velle aut agere quicquam potest, nisi intellectus practico suo judicio id agendum decreverit. Ego igitur sic respondeo & dico: actum liberum voluntatis divinæ dependere necessario à judicio practico intellectus ejus, non, quo judicat hoc esse melius, aut hoc maxime expedire, sed quo judicat ex iis mediis, quæ sunt ordinabilia ad finem, eademque indifferentia, hoc medium, præ aliis, nunc actualiter ac determinatè ad finem, scilicet gloriam suam, esse ordinandum: præponit autem intellectus practicus hoc medium illi, pro mera libertate sua intellectuali, quia inter agibilia, potentiæ divinæ subjecta, nihil altero est melius aut magis expediens in ordine ad Deum, tanquam actione vel opere aliquo perficiendum: Deus quippe, in semetipso perfectissimus, bonorum nostrorum non eget: & hæc ratio est summæ ac perfectissimæ in Deo libertatis. Sed ad alia argumenta transeamus.

IV. Tertium esto argumentum. *Quod tantum agit moraliter, non potest determinare voluntatem ad unum: sed intellectus judicium tantum agit moraliter, proponendo objectum scilicet, vel tanquam finem, vel tanquam medium ad finem, ut in id feratur voluntas volendo. Ergo illud judicium intellectus non determinat voluntatem ad unum.* Resp. ad majorem. Quod agit tantum moraliter, non potest voluntatem determinare ad unum: distinguo: in genere causæ efficientis, concedo: in genere causæ finalis, aut formalis externæ, nego: at judicium intellectus non determinat, non movet, voluntatem effectivè, non in genere causæ efficientis, sed in genere causæ, vel formalis extrinsecæ, vel finalis, objectum per modum finis, vel summi, vel subordinati, proponendo. Certe, finis, & objectum, quod agit ut finis, æque determinat potentiam atque efficiens, licet finis & objectum agant moraliter, efficiens Physicè. Et notanda hic est distinctio determinationis. Est determinatio quædam ex parte potentiæ, quæ Physica dici solet, ac provenit à natura agentis, impellente ad unum, quia ad unum est determinata natura agentis; talis determinatio est in igne ad urendum, in plantis ad crescendum, & in brutorum appetitu; unde potius à natura agi, quam agere dicuntur: est determinatio quædam ex parte objecti, quæ moralis dici so-

solet, in quantum objectum per modum finis & boni propositum, allicit, trahit, determinat appetitum ad appetendum: sic cibus appositus, allicit, trahit, determinat appetitum; hoc modo determinat voluntatem humanam judicium intellectus, non Physicè in eam agendo, sed moraliter, objectum, ut bonum & conveniens, vel tanquam finem, vel tanquam medium ad finem, proponendo: quę determinatio voluntatis per rationem facta, non minus necessitat volentem, nec minus est efficax, quam necessitat & est efficax determinatio facta per naturam: nam tam efficaciter ac clare ratione boni in objecto proponit voluntati judicium intellectus, ut non possit non in id tendere voluntas: sicut visa offa ex naturali instinctu non potest non in illam tendere canis.

V. Argumentum quartum. *Si voluntas interdum obnitatur ac reluctetur intellectui, ergo ejus judicium non semper sequitur. Sed verum est prius. Ergo & posterius.* Resp. Voluntas nunquam obnititur, nunquam reluctatur intellectui, nisi ipse intellectus sibi reluctetur & obnitatur. Sæpe quidem in nobis pugna est: & volumus & non volumus: sed illud velle & non velle, non sequitur unum & idem intellectus judicium, neque sequitur judicium ultimum: sed quoties pugna ista est in voluntate, toties eandem reperire est in intellectu, qui ancipiti judicio, nunc huc fertur, nunc illuc: at postquam intellectus judicium semel est fixum ac determinatum, nulla supereſt pugna, lucta nulla in voluntate.

VI. Argumentum quintum. *Notitia, per quam proponitur voluntati objectum & materiale & formale, id est, & objectum in quod tendit & ratio tendendi in illud, est sufficiens, ut voluntas velit. Atqui simplex objecti notitia est talis. Ergo.* Resp. Negatur minor: quia tum dicitur objectum appeti à voluntate sub ratione formali, cum judicatum est ab intellectu: si igitur non judicet intellectus, certè formalis ratio objecti non proponitur voluntati: Et, bonitas non potest sufficienter cognosci in objecto, nisi judicium feratur de hujus aut illius rei bonitate, quod judicium Syllogismo practico ac discurrendo gignitur.

VII. Argumentum sextum. *Qui citharam pulsant & characteres depingunt, festinantissimè utrique, tot actus voluntatis, quot digitorum, edunt. Sed non intercedunt tot judicia mentis. Ergo, non omnis actus voluntatis sequitur mentis judicium.* Resp. Revera tot sunt judicia mentis, quot sunt actus voluntatis & motus digitorum: sed quia celerrime fiunt ista judicia, sicuti fiunt ipsi quoque actus voluntatis & motus digitorum, ideo à nobis non discernuntur; neque hoc mirum videri debet: nam, qui scribit, etiam festinantissimè, diversas diversorum characterum conceptiones efformare debet, quibus, quam litteram, & quo modo, delineare velit, apprehendat: atque pari ratione possunt formari tot rerum diversa judicia: præterea & hoc dici potest, non esse tot judicia explicita, sed saltem implicita.

VIII. Argumentum septimum. *In motibus primo primis voluntas non determinatur à judicio intellectus.* Resp. Ad hoc argumentum multis potest responderi modis. 1. Negando, quod motus primo primi sint in & à voluntate: & dicendo, quod sint in & ab appetitu sensitivo: & affici aliquo modo voluntatem ex subito illo motu, unde in & à voluntate esse videantur; imo interdum ipsa voluntas per impetum & ὀργὴν quandam abripitur, sed hoc est à vi phantasiæ, & est brutus motus voluntatis. 2. Dici potest, in motibus primo primis intellectum sine mora judicare, ideoque ibi esse judicium, sed non animadverti, propter celeritatem. 3. Dici potest, prodire judicium non deliberatum, sed sine deliberatione, quia subitum est, ut ipse motus: at deliberatio tempus exigit. Quicquid sit, sive non sint voluntatis, isti motus primo primi, sive sint, & sive judicium præcedat, sive non, & sive judicium præcedens sit deliberatum, sive non, nihil contra nostram facit sententiam, quia de iis non philosophamur, sed de ordinatis, statis, & rationalibus actibus, voluntatis. Atque hæc sunt generalia, quibus hanc impugnant opinionem nostram *Scholastici*, & *Philosophi vulgares*, argu-

menta: sed specialia quædam habent in sua *Apologia*, *Novatores* cap. 7. & alia insuper *Doctissimus Amesius in casibus conscientiæ*, *lib.* 1. *cap.* 7. quæ sequens dissolvet Exercitatio.

EXERCITATIONUM ETHICARUM DECIMA-QUINTA, DE

Objectionibus, contra voluntatis humanæ determinationem ab ultimo intellectus practici judicio.

THESIS I.

INcumbit, ex fide data, *Exercitatione hac*, nonnullorum argumenta specialia proponere & dissolvere, quæ, contra sententiam à nobis *Coll. Ethici disp.* 10. assertam, afferuntur. Asseruimus & probavimus, voluntatem in volendo moveri & determinari ab ultimo intellectus practici judicio. Quam sententiam non ferunt *Novatores* quidam, vulgo dicti *Remonstrantes*, sed verò multis rationibus eam subruere conantur. *Apol. c.* 7. sic argumentantur 1. *Si indifferentia judicii ad liberum arbitrium* (nos diceremus ad volendum) *sufficit*, *voluntatis libertas non est nisi extrinseca quædam denominatio*, *quæ voluntati ab indifferentia ista judicii tribuitur*, *quatenus voluntas indifferenter sese habeat ad sequendum hoc vel illud judicium rationis*, *eundem plane ad modum*, *quo appetitus est indifferens ad sequendum hoc aut illud objectum*, *quod à sensibus offertur. Sed hoc est absurdū: nam sic libertas non erit*, *proprietas voluntati à Deo impressa: denominatio enim extrinseca proprietas dici nequit*, *Ergo & absurdum est illud.* Resp. 1. In argumento supponi, solius judicii indifferentiam sufficere, ad volendum, cum tamen & voluntas sit indifferens, non quidē post judicium latum, sed antequam ferretur. Resp. 2. Negando consequentiam: quia cum objectum proponitur, tam est indifferens voluntas ad volendum & non volendum illud, intrinsecâ & sibi propriâ indifferentiâ, quam intellectus est indifferens ad judicandum & non judicandum: at, postquam intellectus judicavit, non amplius est indifferens ad non judicandum, nec voluntas amplius est indifferens ad non volendum, in sensu sc. composito, licet maneat in utrâque potentiâ, indifferentia in sensu diviso, quę utriusque est intrinseca proprietas. Resp. 3. Illa comparatio, quæ instituitur inter voluntatem & appetitum sensitivum, in argumento, nulla est. Certe longe aliter sese habet voluntas suâ indifferentiâ ad intellectus hoc aut illud judicium sequendum, quam appetitus sensitivus ad sequendum hoc aut illud objectum à sensibus monstratum: nam appetitus sensitivus in objecta à sensibus cognita fertur irrationali & bruto impetu: at voluntas impetu rationali & libero. *Instant. Si intellectus, in & â quo est judicium, voluntati est extrinsecus, Ergo indifferentia judicii est voluntati extrinseca Sed verum prius. Ergo & posterius.* Resp. Si intellectum & voluntatem à se invicem placeat distinguere reipsa, concedimus totum argumentum. Esto indifferentia judicii voluntati extrinseca: at voluntas ipsa habet & indifferentiam aliquam sibi propriam & intrinsecam ad objecta sua: si intel-

intellectum & voluntatem non distinguas, nisi ratione, quod ego probabilius sentio, falsum est antecedens, voluntati esse extrinsecum intellectum; sic enim eadem erit potentia & intellectus & voluntas; & indifferentia eadem utrique est intrinseca, quemadmodum intellectus voluntati est intrinsecus, & voluntas intellectui, quoad entitatē: attamen quoad rationem agendi intellectus practici judicium voluntatis volitioni est extrinsecum, ut antè dictum. Quod subjungunt, *libertatem non fore proprietatem à Deo impressam, quia nulla denominatio externa est proprietas.* Resp. 1. Si eadem sit potentia intellectus & voluntas, libertas, utriusque proprietas est impressa, & libertas est totius animæ tum proprietas. 2. Libertatem confundunt cum indifferentia, cum tamen libertas sit, ubi non est indifferentia, ut ante fuit demonstratum. 3. Falsum est voluntatem denominari liberam denominatione externâ; sic denominatur denominatione intrinseca, à libertate & adiaphoria, seu indifferentia sibi inhærente.

II. 2. Argumentantur. *Etiamsi, inquiunt, omnino libertatem esse proprietatem, concederetur, voluntatis, tamen libertas & indifferentia voluntatis non esset nisi indifferentia passiva, qualis est intellectus ad hæc vel illa objecta: at hoc absurdum est. Ergo & illud,* Resp. 1 Etsi voluntas passive sese habeat in ordine ad judicium rationis, à quo movetur & determinatur, active tamen sese habet in ordine ad objecta, quæ, juxta illud judicium rationis, vult, vel non vult, quæ activa ejus est indifferentia. Resp 2. Nec intellectus ipse ad objecta merè passivè se habet, sed activa indifferentia, vel hoc judicat, vel non, vel aliud. Instant. *sic libertas erit affectio intellectus.* Resp. Quid si sit? nam ego quidem libertatem existimo animæ esse proprietatem, à qua, anima, intellectus, & voluntas, non differunt mihi.

III. 3. Argmentantur. *Sic*, inquiunt, *libera volitio in ordine ad judicium rationis plane necessaria erit, non minus quam appetitus sensitivus est necessarius ad sensuum dictamen sequendum. Hoc autem falsum. Ergo & illud.* Resp. Ostendi jam discrimen: sensitivus appetitus bruto impetu, & sine indifferentia aut potestate intrinseca non sequendi, sequitur sensuum dictamen: at voluntas rationali impetu, & servata semper potestate intrinseca, & indifferentia, non sequendi judicium rationis, etiam tum, cum sequitur, in sensu sc. diviso, non composito, fertur in objectum.

IV. 4. Argumentantur. *Sequitur ex illa*, inquiunt, *sententia, voluntati non magis ferri posse legem pœnæ comminatione sancitam, quam appetitui sensitivo; utrobique enim par ratio est, par necessitas.* Resp. Imo diversa est ratio, quam jam ostendi. Voluntas est appetitus rationalis, λογικὸς, ideoque ei lex figi ac ferri potest: at sensitivus est ἄλογος, irrationalis appetitus, cui propriè lex nec fertur nec figitur.

V. 5. Argumentantur. *Si quod erit peccatum, ex hac sententia, prius, imo tantum, erit, in intellectu, seu in judicio, non in voluntate.* Resp. Concedo, omne peccatum, prius esse in intellectu, tantum, nego: nam omne peccatum duobus actibus absolvitur ac consummatur; uno intellectus, altero voluntatis: intellectus, judicio erroneo, voluntas, electione prava: sicut omnis actus bonus pariter duabus quasi partibus constat, recto judicio, & bona electione: radicem ergo bonitatis aut malitiæ, in intellectus judicio, complementum, in voluntatis electione colloco.

VI. 6. Argumentantur. *Nullum dabitur peccatum contra conscientiam.* Negamus sequi. Fiat plenus Syllogismus. Si voluntas, &c. Ergo nullum est. Resp. Negamus sequelam. Distinguenda sunt judicia: peccatum contra conscientiam non dicitur, quasi committatur contra ultimum judicium, contra comparatum, sed quia contra absolutum & simplex perpetratur: in quo distinguitur à peccatis, ex ignorantia, aut infirmitate, aut ex aliquo affectu, commissis, in quibus ne simplex quidem aut absolutum est judicium de malitia aut bonitate objecti: ut, si quis ex metu, aut ira, aut alia passione, existimet esse bonum, quod est malum, aut si quis rationem mali in objecto non percipiat, sed, quod malum est, bonum judicet, is peccat ex ignorantia: at, quando quis bonum esse novit quippiam, aliud malum, & tamen, contra illam suam

scien-

scientiam aut conscientiam boni ac mali, expensis omnibus circumstantiis, illud, quod malum esse novit, ac judicat, judicio simplici & absoluto, præfert, quia sub specie boni apparet, in eo est error, judicii comparati, & jam peccat contra conscientiam.

VII. 7. Argumentantur. *Sic nulla in voluntatem hominis operatio necessaria erit, quando DEVS conversionem hominis operatur: sufficiet intellectus illuminatio.* Resp. Nulla est sequela, quia, sicut intellectus determinat voluntatem, ita intellectus illuminatus determinat voluntatem renovatam, & intellectus corruptus voluntatem corruptam: & notandum est diligenter, falsam hypothesin præstrui, quasi fieri unquam possit, ut intellectus illuminetur, regeneretur, non tamen regeneretur aut renovetur voluntas: at impossibile est, intellectum regenerari, & non regenerari voluntatem; ideoque non quælibet voluntas cujuslibet intellectus judicium sequitur; sed voluntas corrupta corrupti intellectus, renovata illuminati intellectus, judicium sequitur: Quomodo autem regeneretur voluntas, an immediate, an mediate, & mediante luce intellectus, quæ in regeneratione ac conversione ad voluntatem usque pertendat, dum affunditur, non eadem est explicatio Doctorum. Sunt, qui volunt, Deum in regeneratione mentem hominis luce perfundere, & per eam virtutes habitusque novos voluntati infundere; quemadmodum per lucem transfunditur in hęc inferiora calor ille cæleſtis & vivificus, quo omnia vivunt, vigentque; & quemadmodum generans, cum formas inducit, una proprietates inducit: sed vero, ego malim dicere, Dei regenerantis, tam immediatam esse operationem in voluntatem, quam in intellectum; nec voluntatem regenerari media luce intellectus, sed ipsam: in se, æque à Deo, affici ac renovari, atque in se illuminatur & afficitur intellectus: præsertim, si statuamus, animam esse eandem cum potentiis, intellectu & voluntate; certè res confecta est: tum simul eodemque momento & actu & illuminatur intellectus & renovatur voluntas, quia Dei regenerantis actio terminatur in totam animam, intellectum & voluntatem simul: itaque repeto, nunquam fieri posse, ut intellectus illuminetur, quin simul & renovetur voluntas: quare nullo modo sequitur, si voluntas determinetur, &c. Ergo sufficit illuminatio intellectus, voluntate manente corruptâ.

VIII. 8. Argumentantur. *Nulla corruptio facta fuerit in voluntate, saltem ut facta dicatur, necesse non erit.* Resp Nulla est sequela: quia intellectus non obscuratur, nec pervertitur, nisi corrumpatur voluntas: &, sicut actus voluntatis ab actu intellectus separari nequit, ita nec qualitates voluntatis à qualitatibus intellectus separari possunt: itaque voluntas non corrupta non potest sequi judicium corruptum; nec contra. Et voluntas corrupta non potest sequi judicium non corruptum: sed voluntas corrupta sequitur judicium corruptum: voluntas non corrupta sequitur judicium non corruptum: quare, tam requiretur corruptio in voluntate, cum judicium est corruptum, quam requiritur renovatio in eadem voluntate, cum intellectus est illustratus.

IX. 9. Et postremò, argumentantur. *Sequeretur, voluntatem in omni statu eodem modo & pari libertatis gradu fore liberam.* Resp. Negatur sequela. Hoc quidem verum est; in omni statu, sive integritatis, sive corruptionis, sive regenerationis, sive glorificationis, voluntatem semper sequi intellectus iudicium: sed non eodem modo sequitur; quia ipsius intellectus judicium non est uniusmodi: aliter intellectus judicat in statu peccati seu corruptionis, aliter in statu gratiæ seu regenerationis: unde, licet utrobique sequatur voluntas intellectum, aliter tamen sequitur, in statu gratiæ, aliter, in statu peccati: nam qualitates, quæ pro diverso statu hominis immutant intellectum, pariter immutant & voluntatem, quod semel & semper tenendum est. Addunt duas alias insuper rationes: 1. *Non poterit voluntas ex duobus æqualibus bonis unum eligere.* 2. *Non poterit minus bonum præferre majori.* Sed nos ad utramque respondimus *Exercitatione præcedenti*; ideoque non repetemus, quæ ibi dicta sunt.

X. Tran-

X. Transeo ad argumenta. *Cl. D. Ameſii in Caſ Conſc. l. 1. c. 7. ratio ejus 1. eſt: quia, quodcunque bonum intellectus proponit voluntati in hac vita, proponit illud cum differentia quadam judicii, ut non habens neceſſariam connexionem cum bono in communi, ad quod naturaliter voluntas determinatur, unde libertas hominis in operando radicaliter fundari dicitur in judicio rationis.* Reſp. Fiat in forma: Si quodcunque, &c. Ergo voluntas non determinatur, &c. Sed verum prius. Ergo & poſterius. Reſp. Ad minorem. 1 Proponit quidem intellectus quodcunque bonum in hac vita cum indifferentia judicii, quam præhabet, antequam proponat aliquid bonum: At vero, cum jam proponit, non eſt amplius indifferens, intellectus: jam enim ſuam indifferentiam determinavit, unum ex pluribus bonis decernendo; cum tamen omnia eſſent indifferentia ad ſummum bonum obtinendum. 2. Dubitari poteſt: An omnia bona, quæcunque tandem fuerint, ita ſeſe habeant, ut nullam dicant connexionem neceſſariam cum fine ultimo? Quod dicit, libertatem voluntatis radicari, &c. id ambabus ulnis amplectimur.

XI. 2. Argumentatur *Cl Ameſius. Quamvis voluntas determinetur ab intellectu, quoad ſpecificationem, quia nihil vult, niſi quod intellectus prius apprehendit, quoad exercitium tamen, & ſe ipſam, & intellectum, & cæteras potentias, efficaciter movet.* Reſp. 1. Nulla eſt ratio, cur, ſi quoad ſpecificationem ab intellectu movetur voluntas, non item moveatur ab eo quoad exercitium; nam eadem difficultas utrobique eſt: & tam tollit libertatem voluntatis ejus determinatio quoad ſpecificationem, quam tolleret ejus determinatio quoad exercitium, ſi determinatio libertatem tollat: ſi non tollat, ſive tum determinetur quoad exercitium, æque ac determinatur quoad ſpecificationem *Ameſio*, nihil erit periculi. 2 Malè dicit, voluntatem ſe ipſam determinare, quod, neque concipi, neque explicari poteſt; ut *Diſp.* 10. *Coll Ethici* fuſe oſtendi. Hinc ſubjungit celeberrimus *Ameſius: Libertas formaliter eſt in voluntate ipſa; quod verum non eſſet, ſi ab intellectu neceſſario determinaretur*: & quare quæſo, *vir doctiſſime*, hoc verum non erit? Certè, ubi libertas ultimum accipit complementum, ibi eſt formaliter: at in voluntate accipit. Ergo, &c.

XII. 3. Argumentatur *Ameſius. Si, ſtante judicio recto in intellectu, voluntas non poteſt non recte velle, tum ad primum peccatum angelorum & hominis prærequirebatur error in intellectu: & ſic ante primum peccatum fuiſſet pœna peccati: nam error, aut eſt peccatum, aut pœna peccati.* Reſp. Fuit error: & is, non pœna erat, nec peccatum, plenum ac conſummatum, ſed aliquid peccati; initium ejus, pars quaſi ejus prima: homo enim primus, eo, quod per rationem prave judicavit, peccavit inchoative, & eo, quod per voluntatem male elegit, peccavit conſummative: & hæc duò, error judicii & prava electio voluntatis, in omni peccato debent conſiderari: &, quamvis error judicii ſit naturâ prior electione prava, tempore tamen ſimul ſunt: peccatum enim, quoad actum internum, in inſtanti totum conſummatur: &, licet error judicii & electio voluntatis, duo ſint entia in genere naturæ, unum tamen ens ſunt in genere moris; adeoque unum peccatum.

XIII. 4. Argumentatur *Ameſius. Si voluntas neceſſario ſequitur intellectum, Ergo nullum peccatum erit, propriè loquendo, ex malitia, diſtinctum ab illis peccatis, quæ ex ignorantia, vel ex perturbatione, committuntur Sed palam eſt in diabolis, & quibuſdam etiam hominibus, illud reperiri. Ergo* Reſp. Ad hoc argumentum idem reſpondendum eſt quod ſtatim *th. 6. ad arg. 6. Remonſt.* reſpondi, ad peccatum contra conſcientiam: nam hoc idem eſt cum peccato ex malitia.

XIV. 5. Argumentatur *Ameſius. Si voluntas neceſſario ſequitur intellectum, tum in hominis regeneratione non foret opus, ut ipſa voluntas interne & in ſe renovaretur per gratiam: illuminatio enim intellectus ad omnia ſufficeret: ſed hoc à fide & pietate eſt alienum.* Reſp. Et ad hoc jam ſtatim eſt reſponſum *th. 7. ad arg. 7. Remonſt.* quare *non repeto.* Hęc ſunt argumenta maximi & ſolidiſſimi judicii viri, *Cl. D. Ameſii*, in *Caſ. Conſcientiæ. lib. 1. cap. 7.*

EXERCITATIONUM ETHICARUM DECIMA-SEXTA, DE

Objectionibus, contra voluntatis humanæ determinationem ab ultimo intellectus practici judicio.

THESIS I.

EXcussis aliorum omnium argumentis, quæ proferri solent, contra voluntatis, ab intellectus practici dictamine, determinationem, unius adhuc viri docti argumenta examinabimus, solo amore veritatis eruendæ. Servabimus ordinem ab ipso institutum. Primum est hoc: *voluntas non determinatur ab ultimo intellectus practici judicio, quia nullum est practicum rationis judicium natura sua ultimum, sed, posito quovis, semper manet ulteriori disquisitioni locus, imprimis vero in rebus dubiis.* Fiat Syllogismus in forma: *si nullum datur, &c.* Resp. Ad minorem: eam esse falsam: hoc est, judicium est ultimum ac naturâ suâ quod omnibus expensis circumstantiis Syllogismo practico concluditur, de hoc, & nunc, faciendo, vel omittendo: quo judicio lato non est ulteriori disquisitioni locus, imo ne quidem in rebus dubiis, quia hoc non fertur, nisi rationibus omnibus probè examinatis, quibus perpensis, jam non amplius dubitat intellectus, ubi unum præ aliis decrevit & voluntati eligendum proposuit: itaque per ultimum intellectus practici judicium hic intelligimus, conclusionem Syllogismi practici, quo judicio decernitur, qua conclusione concluditur, omnibus consideratis, perpensis, expensis, quid sit agendum, quid omittendum: itaque in singulis actionibus deliberatis, est unicum; judicia non ultima possunt esse varia ac dubia, & relinquunt semper locum ulteriori disquisitioni: at hoc ultimum est unicum, fixum, omnemque ulteriorem disquisitionem excludit, & in singulis actionibus est unicum: nec etiam ultimum datur, quasi ultimum in vita humana, sed ultimum in hac aut illa actione, quæ instituitur, postquam nihil ampliori consultationi aut deliberationi est reliquum.

II. *Quia judicium rationis ultimum interdum est falsum, & natura sua mutari & emendari potest.* Fiat Syllogismus: *si interdum est falsum, Ergo, &c.* Resp. Neg. consequentia tantum: Ergo non semper sequitur judicium rectum; fatemur, interdum sequitur judicium falsum, & nimis sæpe, in hac corrupta natura, & quotiescunque natura sua mutari ac corrigi potest judicium, pariter & mutari ac corrigi potest sequela voluntatis, quæ variatur pro variatione intellectus: itaque non sequitur, si intellectus judicium interdum est falsum, interdum mutari potest & emendari, Ergo voluntas illud non sequitur, quia tum sequitur falsum judicium, mutabile & emendabile in melius, adeoque, si emendetur, mutetur, verum reddatur, jam illud sequetur.

III. *Quia voluntas per alia mentis judicia, quibus judicamus, bonum ulterius examinandum, & deliberandum, adhuc alia media ad agendum necessaria quærenda inveniendaque esse, menti aliorum inquisitionem imperare potest.* Fiat Syllogis. *Si voluntas imperare potest, &c. Ergo, &c.* Respond. Negando minorem: voluntas non potest menti imperare, aliorum mediorum

diorum inquisitionem, nec præscribere menti alia judicia ulteriora, quibus examinet ac deliberet de aliis mediis inveniendis, post ultimum judicium factum, latum, ac pronunciatum: hoc enim si possit voluntas, judicium factum, latum, ac pronunciatum, non est ultimum: quod si ultimum fuerit, nulla restant media inquirenda, nihil supereſt deliberandum aut consultandum, ne dum ut voluntas tale quid intellectui imperare valeat.

IV. *Si voluntas necessario ad agendum moveret intellectum, non necesse esset in regeneratione renovari voluntatem, sed mentem solam; nam mens regenita voluntatem secum traheret necessario: sed hoc est falsum; nam non modo mente sed & voluntate à Deo regeneramur.* Resp. Ad hoc argumentum *exercit. præced.* est responsum, & laborat istâ falsâ hypothesi, quasi fieri possit, ut intellectus regeneretur, & non item voluntas. Sed, quæ *exercit* 10. sunt dicta, non repeto.

V. *Ad eliciendum actum amoris & spei supernaturalis non opus esset charitate & spe, sed sola sufficeret fides in mente, quia mens necessario secum traheret voluntatem.* Fiat Syllogis. in forma: *Si voluntas determ. &c. Ergo.* Resp. Nulla est sequela: quia non potest fieri, ut fides ingeneretur intellectui in conversione hominis, quin simul ingenerentur, spes & charitas, habitusque supernaturales voluntatis proprii in voluntate: in hoc argumento, primum, supponitur fidem esse in sola mente, quod tamen *Amesius*, aliique Theologi insignes, præsertim *Anglicani*, negant, qui fidem in voluntate collocant, & cognitionem & assensum, tanquam conditiones fidei & causas sine quibus non, exigunt. Communis plurimorum sententia, fidem in intellectu & voluntate, collocat: sed esto in intellectu; non sequitur: si voluntas ad volendum determinetur, &c. Ergo, sola fides sufficit in intellectu: quia intellectus est quidem causa quod velit, & intellectus fide illustratus, est causa quoque quod velit voluntas; sed non quod velit voluntas actum amoris aut spei supernaturalis, nisi in voluntate spes sit aut charitas: judicium intellectus determinat voluntatem non ad quemlibet actum, sed ad istum, ad quem est disposita per habitus, ideoque non potest intellectus fide illustratus voluntatem movere ad actum amoris aut spei eliciendum, nisi voluntas ad eum eliciendum fuerit disposita. Præterea, nulli habitus, sive supernaturales sive naturales, determinant voluntatem ut objectum, sed perficiunt ut subjectum: faciunt, non ut voluntas agat, sed, postquam agit, ut tali modo, vel alio agat, & hunc vel illum actum eliciat hujus vel illius conditionis, prout voluntas fuerit habituata: si ne ipse quidem voluntatis habitus eam determinat, multo minus eam determinabit fides, habitus alterius facultatis, puta mentis: & hoc semel tenendum est, nullum habitum esse principium elicitivum actionis in ista facultate cui ineſt: nedum, ut sit principium effectivum actionis in facultate alia cui non ineſt: itaque fides, non facit ut intelligat intellectus, neque eum determinat ad intelligendum, sed facit ut intellectus, cum intelligit, sine molestia intelligat, assentiatur conclusionibus revelatis supra rationem & captum suum positis. Ergo, multo minus poterit fides in intellectu facere, ut voluntas velit actum amoris aut spei, cum nequidem, ut velit, facere possit. Atque hinc patebit solutio 6 argumenti, quod tale proponitur.

VI. *Ad acquirendos habitus morales sufficeret prudentia in mente, quæ voluntatem necessario secum traheret.* Fiat Syllogis Resp. Si intelligat, prudentiam tracturam esse voluntatem, id est, eam esse reddituram ex non volente volentem, negamus, prudentiam, habitum mentis, hoc posse: si intelligat, mentem ipsâ prudentiâ imbutam, esse tracturam voluntatem ad actus illos, quibus habitus morales acquiruntur, negatur minor; plus sc requiri; nam, quid requiritur amplius, ut voluntas acquirat habitum fortitudinis, temperantiæ, justitiæ (suppono jam virtutes morales esse in voluntate, quod tamen falsum existimo) quam, ut actus exerat tales, qui sint conformes prudentiæ, ad quos ab intellectu, & mentis, pro sua prudentia, judicio, determinatur: nempe, nulla virtus moralis, si sit in voluntate (de quo

nunc non disputo) potest acquiri nisi actionibus frequenter exercitis: actiones exercendæ exerceri debent secundum rectam rationem ac prudenter: itaque nihil amplius requiritur ad virtutis moralis acquisitionem, quam ut velit, determinata ad volendum à judicio intellectus prudenter facto.

VII. *Charitas non esset habitus infusus, sed acquisitus; nimirum, mediis actibus mentis.* Fiat Syllog Resp. Nulla est sequela, quia laborat falsa hypothesi; quasi diceremus, voluntatem à judicio naturali intellectus determinari posse ad quoslibet actus volendi, etiam supernaturales, quod negamus & pernegamus: voluntas à judicio naturali intellectus determinatur ad actiones, tantum naturales, civiles, morales, non supernaturales, non spirituales: si inferat argumentum. Ergo, saltem charitas acquiritur mediis actibus mentis per fidem illustratæ; & hic negatur consequentia: quia nunquam mens fide illustratur, quin simul in voluntatem infundantur habitus, qui ipsi debentur, quod *Exercit. præcedent.* satis est dictum.

VIII. *Omnes virtutes essent prudentiæ quædam, opiniones, & scientiæ.* Resp. Nulla est sequela, quia non generantur per actus prudentiæ, scientiæ, aut opinionis, licet, non sine actibus prudentiæ: nam scientia & opinio huc non faciunt, & male afferuntur: nemo unquam dixit, aut cogitavit, solis actibus mentis & prudentiæ acquiri virtutes morales, licet non acquirantur sine iis, nempe, virtutes morales acquiruntur actibus voluntatis elicitis & imperatis, sed institutis secundum præscriptas à prudentia regulas: itaque sequitur, non, virtutes esse prudentias, sed virtutes non acquiri sine prudentia, quod verum est, alterum falsum.

IX. *Tam necesse esset, nobis, bonum eligere, quam nosse, quod, falsissimum esse, ipsa comprobat experientia.* Resp. Experientia non comprobat falsum esse, quod necessario bonum eligamus, ubi noverimus, ubi judicio ultimo fuerit determinatum, quod judicium ultimum non dari hic repetitur; sed ut repetitur ita à nobis rejicitur; quia contrarium probavimus: præterea, neque experientia docet, necesse esse, ut bonum cognoscamus: nam libere id cognoscimus; & non omnia bona statim convincunt intellectum suæ bonitatis, sed multa non nisi multo labore cognoscuntur: quare, tam parum necesse est, bonum nosse quam illud eligere: si argumentum loquatur de necessitate expedientiæ, in quantum expedit bonum nosse, sic multo magis expedit eligere: quare non video clare, quid argumentum velit: *si voluntas determinetur Ergo, tam necesse esset nobis, bonum eligere quam nosse Sed hoc falsum. Ergo.* Resp. Neg. minor: tam est necesse, si non magis, voluntatem eligere bonum, si fuerit cognitum & à mente judicatum, quam est necesse, illud cognosci, si menti aut intellectui offeratur cognoscendum: potest etiam abstinere intellectus à cognoscendo bono, si offeratur, non potest abstinere à volendo voluntas, si fuerit cognitum ac judicatum.

X. *Quo quisque doctior, eò melior esset; quia scientia & doctrina mentis necessario traheret & voluntatem.* Resp. Neg. conseq. & ejus probatio: nam scientia & doctrina mentis, habitus intellectuales, ne intellectum quidem, nedum voluntatem, trahunt, id est, agere faciunt: deinde, virtutes, ut comparentur, à quibus quis dicitur bonus & melior, non prærequirunt actum scientiæ, unde quis dicitur doctior & doctus, sed actum prudentiæ; & hoc verum est, quo quis prudentior, eo melior est.

XI. *Habitus morales, in nobis non generarentur actibus, habituum moralium consimilibus, sed dissimilibus puta, habitus bene volendi, juste, sobrie, & magnifice vivendi, actionibus mentis, puta, cognoscendi.* Resp. Nulla est sequela, ob falsam hypothesin: quasi habitus morales dicerentur gigni immediate ab actibus mentis tanquam causis, ex eò, quod voluntas statuatur sequi intellectus judicium, imo contrà dicimus, habitus morales gigni ab actibus voluntatis, sed iis, qui actus mentis judicantis tanquam conditiones necessarias ante se requirunt: itaque, habitus, juste, temperanter, magnifice vivendi, non generantur actibus mentis, quibus judicamus esse juste, temperanter, magnificè vivendum, tanquam causis, sed tanquam conditionibus, causis sine quibus.

bus non: contra gignuntur, juste, temperanter, magnifice vivendo, actibus à voluntate imperatis, sed juxta prudentiam intellectus judicantis institutis. Ergo, actus mentis non sunt causæ virtutum, sed actus voluntaris eliciti & imperati sunt causæ; licet actus mentis prærequirantur, tanquam conditiones necessariæ & causæ sine quibus non.

XII. *Voluntas plerumque agit contra judicium mentis, partim ob pecatum originale, partim ob vitiosos habitus, partim ob affectuum impetum.* Resp Neg minorem: nam, partim propter peccatum originale, vitiosos habitus, affectuum impetum, agit voluntas; non contra judicium simpliciter sed contra judicium rectum: ac, illa longe differunt; non dicimus, voluntatem semper sequi judicium rectum, sequi tamen judicium aliquod, si non rectum, saltem erroneum, quale est ob illas causas.

XIII. *Si voluntas necessario sequeretur mentis judicium, tam necessario ageret quam mens, sed hoc est falsum.* Ergo. Resp. Est idem cum argumento nono: & jam refutatum.

XIV. *Nullus homo poterit peccare contra conscientiam, nec Deum odio habere, quia conscientia dictat, aliquando non esse peccandum cum peccamus, & in damnatis, Deum, quem oderunt, maxime esse amandum.* Resp. Hoc argumentum *Exercit.* solutum est 10. judicium simplex, in damnatis, judicat, Deum esse amandum, & hoc est non ultimum judicium: comparatum, & ultimum in iis, contra, judicat, Deum esse odio persequendum, & sic peccant contra conscientiam, quatenus agunt contra prius judicium: & similiter respondendum est de peccantibus in S. Spiritum; illi judicant quidem absolute, veritatem non esse abnegandam, quia id malum in se est, attamen comparate judicant, in hisce aut illis circumstantiis id esse faciendum, ut odio suo adversus Deum & veritatem ejus obsequantur, & hoc respectu habet rationem boni apparentis, & sic voluit.

XV. *Falsum fore illud Medeæ, video meliora proboque, deteriora sequor.* Resp. Nullo modo. Sequor, quæ sunt deteriora, simplici judicio mentis; at, eadem, comparato judicio, videntur meliora & ideo sequor: imo hoc exemplum pro nobis est, quia, quæ in se erant deteriora judicio simplici, ac vere deteriora, ea sequor, quia apparent, licet falso, meliora judicio comparato.

XVI. *Quidquid mentem movet, idem etiam & voluntatem movere poterit, consequenter, Angeli, si possint species in mente producere, aut productas ordinare, utique & voluntatem movebunt, quod nulli creaturæ est concessum.* Resp. quicquid mentem movet objectivè, idem & voluntatem movebit objectivè, ut objectum cognitum, & judicatum, concedo: at Angeli, si possint species in mente producere aut productas ordinare (de quo disputari potest an possint) intellectionem producent non objective, sed efficienter; ideoque non sequitur illatio, à motione objectiva, quomodo intellectus movet voluntatem, ad motionem effectivam, quomodo moveret intellectum Angelus. Certe, nulla creatura efficienter potest movere voluntatem, sed solus Deus, quia est Dominus voluntatis: at creatura potest objective voluntatem movere: &, si angeli possint facere ut intellectus aliquid intelligat, per specierum intelligibilium in eo productionem aut ordinationem, objectum cognitum ab intellectu haud dubie movebit intellectum, non tamen ipse Angelus, quia res cognita objective movet, Angelus moveret efficienter.

XVII. *Sequeretur, omnium malorum in & à voluntate rationem petendam esse à judicio mentis pravo, & sic omnia peccata esse ex ignorantia.* Resp Hoc solutum est *exercitat. præced.* 15, quare non repeto.

XVIII. *Sequeretur, solam mentem per se peccato originali infectam, non voluntatem, sed mediante mente.* Resp. Et hoc *exercit. præced.* 15. est refutatum: Quia nunquam læditur mens, nisi simul lædatur voluntas: & corruptio est immediata utriusque, tum intellectus, tum voluntatis, & voluntas per se, & intellectus per se, læditur ac corrumpitur, cum utraque potentia suis habitibus vitiosis imbuitur.

XIX. *Sequitur, non peccare voluntatem, nisi quatenus peccantem mentem sequatur? at, hoc non est, & sic non potest mentem non sequi.*

Resp. Hoc idem est cum argumento 17 & *exercit. præced.* 15. refutatum. Non peccat, nisi quatenus mentem peccantem sequitur; & non potest non sequi; & illa necessitas libertatem non tollit.

XX. *Non esset, quod à Deo peteremus, ut cor lapideum, sed tantum ut cæcitatem, tolleret, & mentem solam illuminaret, hæc enim illuminata voluntatem secum traheret.* Resp. Sed hoc idem est agumentum cum 4. & *exercit. præced* refutatum. Videtur vir doctus hic numero potius quam pondere pugnasse, ut, quæ non prosint singula, multa juvent.

XXI. *Tota nostra beatitudo esset in sola mente, quæ necessario voluntatem traheret.* Resp. Neg. conseq. quia, sicut non corrumpitur mens nisi & voluntas, sicut non regeneratur mens nisi & regeneretur voluntas, sic nec beatur mens, nisi & beatur voluntas; nec beatur voluntas per mentem, sed ipsa in se, dum illa ordinatur æque istis donis in futura vita ad felicitatem necessariis, atque intellectus.

XXII. *Vltimò: Falsum esset illud Apostoli: inter virtutes, fidei, spei, & charitatis, maximam esse charitatem; major enim esset habitus mentis, ut ipsa mens voluntate.* Resp. 1. An mens sit major, i. e. nobilior, voluntate, sub judice lis est, & in utramque partem à *Scholasticis* disputatur. 2. Esto mens, quia dirigit, major voluntate, quæ dirigitur, non tamen sequitur, habitum mentis esse majorem. i. e. nobiliorem habitu voluntatis, quia habitus mentis non dirigit proprie habitum voluntatis, licet ipsa mens voluntatem dirigat. 3 Et hoc demus, habitum mentis dirigere habitum voluntatis, sequetur tum, ratione directionis, habitum mentis fore nobiliorem ac præstantiorem habitu voluntatis: at hoc non impedit, quo minus ab aliâ parte, habitus voluntatis, charitas, sit nobilior habitu mentis, fide, ratione sc. durationis, quam propriè respexit *Apostolus*, quando dixit, *Charitatem esse maximam virtutum, & majorem fide ac spe*, quia in futura vita, nullus fidei, nullus spei, erit locus: at, erit locus Charitati, quæ maxima dicitur, quia perdurabit in altera vita, & supererit, spe & fide, tum abolitis. Apostolus ergo non respexit ordinem directionis, qua mens voluntatem, aut fides, habitus mentis, charitatem, habitum voluntatis, dirigit, sed respexit durationem; & hoc respectu ait, *Charitatem esse maximam & majorem fide*, quod non vetat, quo minus sub alio respectu, fides sit major charitate, ratione directionis. Ita quidem omnia, quæ potuimus, argumenta, conquisivimus, ac dissolvimus, quæ contra sententiam nostram de determinatione voluntatis, ab intellectus practici judicio ultimo, excogitata sunt, quod tanto operosius egimus, quia hæc sententia & *Aristotelis* est, & *antiquorum Scholasticorum*, & multas difficultates in *Philosophia* ac *Theologia* facile expedit, & contraria pro Pelagianis, Jesuitis, & Remonstrantibus facit.

EXERCITATIONUM ETHICARUM

DECIMA-SEPTIMA,

DE

Objectionibus contra naturam liberi arbitrii.

THESIS I.

QUamvis sufficienter explicatam *Liberi Arbitrii* naturam judicemus *Collegii* nostri *Ethici Disp. undecima*, ne quid tamen deesse videretur, hac *Exercitatione* visum fuit, solvere illas objectiones, quæ scrupulum movere valeant alicui, Diximus in *Disp.* *cita-*

citatâ, Liberum Arbitrium in eo esse situm, ut homo dominium habeat & potestatem in actus suos, ut habeat facultatem ad utrumlibet, ad agendum vel non agendum, & ad agendum hoc vel illud: ostendimus, *liberum arbitrium male definiri facultatem, qua homo positis omnibus ad agendum requisitis possit, agere vel non agere, & agere, hoc vel illud, in sensu compositio*, scilicet, si compositio fiat inter prærequisita antecedenter & ipsius actus negationem aut contrarii actus exercitium. Nunc objectiones quædam sunt solvendæ, ex quarum solutione occasio suppeditabitur, plura adhuc de *Libero Arbitrio* dicendi.

II. Sic objici potest & solet. *Qui non est dominus suorum actuum, in eo non est liberum arbitrium. At homo non est dominus suorum actuum. Ergo. Cujus actus determinantur ab alio, is non est dominus suorum actuum. At hominis actus determinatur ab alio, puta à Deo. Ergo. Prob. major: ideo enim Deus est actuum suorum Dominus, quia illi non determinantur ab alio.* Resp. Ut ad argumentum illud respondeamus, hoc ante omnia notandum est; liberum hominis arbitrium habere quidem dominium sui actus, non tamen dominium primum, dominium absolutum: nam primum & absolutum & omnino independens dominium sui actus, penes solum est Deum, qui est universalis omnium Dominus. Liberum Arbitrium creatum se movet, sed motum à Deo: neque hoc est de ratione libertatis, ut sit prima causa sui actus liberi: & ideo, actus liberi arbitrii, licet habeat principium proximum intrinsecum, liberum arbitrium, quia tamen hoc principium ita est movens & causa sui actus, ut sit motum prius ab alio, illius actus liberi principium primum est extrinsecum, scil Deus, qui liberum arbitrium prius movit: & quemadmodum res sese habet in motu naturali, ita & in libero: at motûs naturalis primum principium est Deus, quia naturam movet: ergo idem est principium primum motus liberi, quia movet liberum arbitrium, ideoque liberum arbitrium non est primum se movens: & hinc est, quod liberum hominis arbitrium non habeat plenum, primum, & absolutum actus sui dominium. Sed ejus dominium reducendum est in Deum, tanquam primum dominum: & ratio hujus est, quoniam dominium creatum non excludit sed potius præsupponit dominium increatum, & ab eo dependet, sicut omnis causalitas creata cujuscunque causæ particularis dependet à causalitate Dei, tanquam à priori, & tanquam à causalitate causæ universalis: ideoque dicimus absolute; Dominium actus liberi non est in potestate liberi arbitrii primò, sed est primò in potestate & Dominio Dei, quod non tantum verum est de actibus supernaturalibus, sed & de naturalibus, atque adeo de omnibus, in quantum sunt actus, quia omnes subjacent providentiæ divinæ, ac divino regimini: & patet hoc ex ipsa ratione dominii: Dominium est facultas utendi re: sed nulla creatura habet potentiam utendi suo arbitrio, à se ipsâ, sed usus liberi arbitrii, respectu cujuscunque actus, ut actus, est à Deo, qui ante omnem actum extiturum prædeterminavit eum, & in tempore liberum arbitrium ad eum præmovet. Nunc ad argumentum facile est respondere. *Qui non est Dominus suorum actuum, in eo non est liberum arbitrium. At homo, &c. Ergo. Neg. minor. Cujus actus determinantur ab alio, is non est Dominus, &c. Atqui &c. Ergo* Resp. Ad majorem, is non est dominus primus & absolutus; attamen est dominus: est enim Dominus proximus sui actus, si non primus: ille est perfectissime & absolutè Dominus, cujus actus non dependet ab alio: & talis est Deus Et liberum arbitrium hominis, si haberet absolutum Dominium sui actus, non creatum foret aut hominis, sed increatum ac Dei. Sed instant. *Quod habet dominium proximum, in suum actum, habet dominium absolutum. Sed liberum arbitrium Ergo.* Resp. Falsa est major. Ac si sic argumentarer. Quod habet potestatem proximam, qua proximè attingit effectum, habet causalitatem & potestatem absolutam: Atqui instrumentum habet causalitatem, & potestatem proximam: Ergo absolutam. Ut hoc non sequitur, ita nec prius. Atque hæc fuit objectio quæ moveri potuit contra id quod diximus, *Coll. Ethic. Disp.*

Disp. 11. *th.* 4. liberum arbitrium consistere in dominio hominis supra suos actus.

III. Porro *Thes.* 6 *Disp.* 11. *Coll Ethici*, definivimus Liberum Arbitrium, *facultatem voluntatis & rationis ad utrumlibet* Contra id objici potest. *Quod ad unam partem determinatur, non potest dici liberum ad utrumlibet. Sed arbitrium hominis ad unam partem à Deo determinatur. Ergo non potest dici liberum ad utrumlibet.* Resp Ad maj. falsa est: nam determinatio potentiæ ad actum unum non tollit indifferentiam potentiæ ad utrumlibet: ego jam, dum loquor, maxime sum determinatus ad loquendum, sed tamen eo ipso non tollitur à me potentia & indifferentia ad non loquendum. Illa duo bene conspirant, liberum arbitrium, quoad actum, esse determinatum, idemque quoad potentiam manere indifferens ad utrumlibet: cum ambulo, quoad actum est liberum meum arbitrium determinatum, sed quoad potentiam, non item: nam cum ambulo, possum non ambulare, i. e. est in me potentia non ambulandi, non quidem, ut τὸ non ambulare actu ac de facto sit eo tempore quo ambulo, sed eo tempore est tamen in me potentia non ambulandi, aut ambulendi tempore alio: ideoque liberum arbitrium hominis, non tantum, antequam determinetur ad unum actū, sed postquam jam determinatum est, & actum istum agit, simul habet potentiam, qua potest actum istum non producere aut producere contrarium: non tamen habet potentiam ad actus contrarios simul habendos: aut ad actum habendum & simul ejus negationem: nam duo actus contrarii simul, aut actus & negatio actus, simul in eadem potentia esse nequeunt: hoc est, quod *Scholastici* barbare quidem sed tamen significanter sic extulerunt. Est in libero arbitrio hominis, cum est determinatum ad operandum ac jam operatur, *simultas potentiæ* ad operandum & non operandum; nam per hoc, quod operatur unum actum, non destruitur libera ejus facultas & potentia ad non operandum aut operandum actum alium; sicuti ab oppositō, ex eo, quod non operatur, non tollitur ab eo potentia ad operandum & ad operandum actum talem; at vero non est in libero arbitrio hominis, *potentia simultatis* ad actus contrarios aut contradictorios: nam hi simul esse nequeunt: fieri enim non potest, ut voluntas, dum agit, simul non agat, aut, dum agit illud, simul agat aliud. *Instant. Si in libero arbitrio hominis tantum sit simultas potentiæ, i. e. indifferentia in sensu diviso, & non potentia simultatis, i. e. indifferentia in sensu composito, ergo non magis erit liberum, quam ignis in urendo: nam, cum ignis actu urit, manet nihilominus potentia non urendi; ita enim urit præsens lignum, ut possit cessare, si lignum removeatur: non minus, quam in libero hominis arbitrio est potentia non agendi, tum quando agit.* Resp. In libero hominis arbitrio, cum agit, simul est facultas intrinseca non agendi vel agendi aliud, si velit: at talis facultas non est in igne cum urit, nec in ullâ causâ aut potentia non liberâ: nam, positis omnibus ad comburendum prærequisitis, non est in igne facultas, qua ex principio intrinseco activo possit non comburere si velit; sed ex necessitate naturæ à principio intrinseco, & non tantum ab extrinseco, est determinatus ad comburendum: &, quamvis remoto ligno non comburat illud, hoc tamen, quod non comburat, non provenit ex principio intrinseco activo, habente facultatem ad utrumlibet, sed hoc oritur ab extrinseco, à remotione ligni: at in libero arbitrio hominis, est principium intrinsecum non agendi, potentia intrinseca ad utrumlibet, quæ semper manet, sive liberum arbitrium agat, sive non agat; hæc est illa indifferentia liberi arbitrii essentialis, quam habet, antequam operetur; & servat, cum operatur; & retinet, postquam operatum est. Hæc est illa indifferentia, quæ opponitur naturali determinationi ad unum ex necessitate naturæ & à principio intrinseco, quam habet, sive actu operatur sive non: hæc est indifferentia, non passiva, sed activa, non privativa, sed negativa: Sola enim negativa & activa indifferentia est de ratione liberi arbitrii. Atque, ut semel distinctissime dicam, quomodo liberum arbitrium sit facultas ad utrumlibet, & quæ indifferentia sit de ejus essentia & ratione formali, illas distin-

distinctiones *indifferentiæ, negativæ, privativæ, activæ, passivæ*, paulo latius exponam, & præsenti negotio applicabo.

IV. *Indifferens indifferentia negativa* dicitur illud, quod ex se non est magis determinatum ad hoc quam ad illud, ad operandum quam ad non operandum; hoc modo voluntas divina, antequam statuisset creare mundum, erat in illo priori signo rationis, juxta nostrum concipiendi modum, indifferens ad istam partem, vel ad aliam, ad creandum vel non creandum, ad creandum hoc vel illud. Hæc autem indifferentia non importat in Deo aliquam imperfectionem, aut privationem perfectionis; nam Deus non perficitur in se ipso per hoc quod se determinet ad producendum aliquid extra se, sed tota perfectio ponitur in creaturis, quæ extra Deum producuntur. *Indifferens privativè* dicitur, quod est aptum perfici ac determinari, per aliquem actum, sive determinetur ac perficiatur à se ipso, sive ab alio, sive à se ipso & alio simul: & hæc indifferentia præsupponit in ipsa potentia aliquam imperfectionem, ideoque Deo non convenit, sed soli potentiæ creatæ. *Indifferentia* porro est, vel *activa*, vel *passiva*, vel *activa & passiva simul Indifferentia activa* est, quæ invenitur in potentia activa, qualis indifferentia est in artifice, qua potest facere aliquid artificiale, vel non facere, & facere vel hoc vel illud. *Indifferentia passiva* est, quæ invenitur in potentia passiva, qualis est indifferentia in materia prima ad hanc vel illam formam substantialem, & in subjecto ad hoc vel illud accidens, ad alborem vel nigrorem. *Indifferentia activa & passiva simul* est, quæ invenitur in potentia mixta, partim activa, partim passiva, quæ est activa in ordine ad unum, passiva in ordine ad aliud: sic intellectus est potentia passiva & indifferens passivè in ordine ad speciem productam ab objecto, quia recipit in se speciem illam: at recipere est pati: in ordine vero ad actum intelligendi est potentia activa & est indifferens activè: sic & voluntas in ordine ad actum volendi est potentia activa & indifferens activè, in ordine ad determinationem aut Dei aut intellectus practici, item, quatenus actum suum, elicitum à se, in se recipit, est potentia passiva, & indifferens passivè.

V. Hæc nunc applicemus præsenti instituto: primo: si quis liberum arbitrium velit sumere latissimè, secundum rationem communem analogicam, qua competit Deo & creaturis intellectualibus, tum *indifferentia passiva & privativa non sunt de ratione, non sunt de essentia, liberi arbitrii*, quia illa indifferentia utraque imperfectionem involvit; liberum arbitrium autem perfectio est simpliciter, & ideo Deo tribuitur: sic autem Deo tribui debet, ut omnis imperfectio removeatur: ergo à ratione liberi arbitrii removeri debent, indifferentia passiva & privativa. Contra, secundò, *indifferentia negativa & activa, est de ratione & de essentia liberi arbitrii* cujuscunque; & sic de intrinseca ratione liberi arbitrii est, posse agere & non agere, & agere vel hoc vel illud: sic recte fuit definitum liberum arbitrium, facultas ad utrumlibet. Tertio. *In omni libero arbitrio creato & hominis, quatenus creatum est, reperitur aliqua indifferentia & passiva & privativa secundum aliquam rationem, ea tamen utraque, non est de ratione liberi arbitrii ut sic, sed ut est creatum.*

VI. Reperiri in omni arbitrio hominis libero ac creato, indifferentiam & passivam & privativam, facile patet. Nam primo, omne liberum arbitrium ac creatum cum non sit purus actus, nec liberum per essentiam, sed per participationem, habet aliquam potentialitatem, quæ potest perfici per diversos actus; sed omnis potentialitas perfectibilis per diversos actus, habet aliquam indifferentiam privativam in ordine ad illos actus, à quibus perficitur. Ergo. Secundo. Liberum arbitrium creatum non est simpliciter primum se movens, sed movetur prius à Deo, ut statim vidimus; ergo in ordine ad moticnem istam Dei prævíam, habet indifferentiam passivam: itaque, licet hominis liberum arbitrium in ordine ad actum producendum habeat indifferentiam activam, in ordine tamen ad præmotionem Dei, habet indifferentiam passivam; & pariter, licet in ordine ad agendum vel non agendum, & agendum vel hoc vel illud, habeat indifferen-

tiam negativam, in ordine tamen ad actus suos, in quantum ab iis perficitur, habet indifferentiam privativam: itaque indifferentia liberi arbitrii creati atque hominis est mixta.

VII. Interim hoc tenendum est accuratè & diligenter: Indifferentiam & libertatem arbitrii creati liberi, formaliter consistere, non in indifferentia privativa, nec in indifferentia passiva, sed in indifferentiâ negativâ & activâ ipsius liberi arbitrii, in quantum sese habet indifferenter ad opposita: licet adjunctam habeat aut præsupponat aliquam indifferentiam privativam ac passivam. Atque hæc indifferentia activa & negativa, est ipsa ratio formalis & essentia liberi arbitrii Quod probo. Primo. Quod est potentia activa per se & essentialiter, id, si sit indifferens, erit indifferens indifferentiâ activâ. At liberum arbitrium est per se & essentialiter potentia activa: secundario enim tum patitur intellectus & voluntas, quoties actus suos recipiunt. Ergo liberi arbitrii indifferentia erit indifferentia per se & essentialiter activa: si passiva est, tum secundario est talis. Secundo. Facultas voluntatis & rationis ad utrumlibet, ad agendum & non agendum, & agendum vel hoc vel illud, est indifferens indifferentia negativa. Sed liberum arbitrium est facultas voluntatis & rationis ad utrumlibet, quod ex definitione ejus constat. Ergo est indifferens indifferentiâ negativâ. Atque ex his omnibus putem, clarissimum esse, quæ sit natura liberi arbitrii.

VIII. Finem hic imponeremus huic *Exercitationi*, nisi ad majorem lucem & plenorem libertatis nostræ ac liberi arbitrii intelligentiam vindicandum foret, quod *Exerc.* 15. diximus *th.* 7. scil, *potentiam peccandi, non esse de ratione liberi arbitrii, nec libertatem, nec partem libertatis:* quod axioma, licet receptissimum apud veteres *Scholasticos*, recentiores tamen *Iesuitæ* negare sunt ausi: atque inter eos *Gabriel Vasques & Leonardus Lessius.* Excipiunt enim sic. *Dicunt, potentiam peccandi non esse perfectionem libertatis, sed tantum ejus partem & extensionem.* Distinguunt enim *perfectionem libertatis ab ejus extensione:* Docentque, *libertatem liberi arbitrii, quod peccare potest, esse auctiorem & magis extensam, quam ejus, quod peccare non potest*: Sed Resp. Primo. Ergo libertas arbitrii creati atque hominis erit magis extensa, quam libertas arbitrii liberi increati atque Dei: quia in eo non est potentia peccandi, quæ tamen est in hominis libero arbitrio. Secundo. Fictitia est distinctio perfectionis & extensionis in libertate liberi arbitrii: nam extensio facultatis est ad objectum, & non ultra objectum: at malum non est objectum liberi arbitrii, non magis quam voluntatis, cum qua liberum arbitrium est idem. Ergo nulla est liberi arbitrii extensio ad malum. At foret ejus extensio ad malum, si de ratione liberi arbitrii esset potentia peccandi. Ergo illa non est de ratione liberi arbitrii. At, instant. *Si potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii, ergo nulla aut parva erit ejus laus, si bene operetur: quia male non potest.* Resp Ergone nulla est aut parva tum laus Christi, beatarum animarum, & Angelorum, cum bene operantur, quia in iis potentia peccandi ablata est? Ergone major est laus, posse peccare, posse id agere, quo non nisi dedecus tibi concilies ac vituperio fias dignus? siccine laus quærenda est nostra, in ignominia? quid? quod si potentia peccandi laudabilis est, & τὸ peccare laudabile erit: potentia enim ab actu æstimatur, propter actum datur, & ab eo perficitur. Faceſſat igitur *impia* istorum hominum *opinio, quod de ratione liberi arbitrii sit potentia peccandi.* Sed de objectionibus contra liberum arbitrium *hæc disseruisse sufficiat.*

MANTISSÆ.

I. Verba sequentia Eustachii à Sancto Paulo, Monachi Fulienſis, ac Cistercienſis, *in* Præfatione *ad suam* summam Philosophiæ Quadripartitam, *miramur & probamus. Quoniam illud semper alienum à Philosopho duximus, aliorum decretis astrictum, in Philosophando miseram servire servitutem (ut illi faciunt, qui sectis quibusdam quasi militari authoramento devincti ita fidem suam obstrinxerunt, ut ab eorum placitis ne latum quidem unguem discedere audeant),*

deant) *Lectorem monitum esse velim, Nos quidem Aristotelem, tanquam Philosophorum Principem, suspicere atque ambabus ulnis amplecti, utpote Naturæ, quam hic ducem sequimur, fidelissimum Interpretem, nulli tamen Peritatetico-rum, sive Thomistarum, sive Scotistarum, sive eorum, qui Nominales dicuntur, Sectæ addictos esse, tantumque fidei illis, imò ipsi Aristoteli, habituros, quantum Ratio suaserit.*

II. Ejusdem Commatis sunt verba Jesuitæ Benedicti Pererii *in* Præfatione ad Physicam *suam. Sunt nonnulli, qui divina, ut vocant, Platonis & Aristotelis ingenia, uberrimamque cunctarum rerum scientiam, cum excellenti eloquentiâ conjunctam, usque eo sunt admirati & amplexati, ut eos, veluti numina Deosque Philosophiæ, colerent, eorumque decreta Philosophica, tantâ animi assensione complecterentur, vix ut crederent, quicquam esse posse probabile, quod ab illis improbaretur, aut, quod ab illis probaretur, esse, improbabile.* O! miseras hominum mentes, ò! pectora cæca! *Quid enim vilius & abjectius, aut quæ major animi cæcitas esse potest, quàm nihil per se sapere, nihil judicare, totum ex alieno sensu judicioque pendere? nullâ duci ratione, sed quasi pecudes, aliorum sententiâ, nutuque tantum, moveri ac regi? Ego multum Platoni tribuo, plus Aristoteli, sed Rationi plurimum.* Quæ non minus miramur, quàm probamus.

III. Ex verbis utriusque Authoris, omnium Philosophiæ Aristotelicæ studiosorum manibus teri consueti, tale judicium formamus ac pronunciamus. Accuratè distinguendum est inter Philosophiam Aristotelis & Aristotelicam: hujus duo sunt vitia, Præjudicium & Servitus. Illud est, quo veritas apud solos istius Philosophiæ authores ac cultores habitare existimatur: hæc est, quâ fides istius Sectæ Authori vel Authoribus adstringitur, ut ne latum quidem unguem ab illius, illorumve placitis, recedere liceat. Quæ in Aristotelis Philosophiam non cadunt vitia: nam Aristoteles, & liberrimè, & nullius Philosophi præjudicio præoccupatus, est philosophatus: &, quò ad ætatem Aristotelis accesserunt propius Philosophi, eò fuerunt magis ab utroque vitio immunes: quò ab eâ abierunt longius, eò magis, utroque fuerunt contaminati. Quid igitur judicandum de Philosophis nostri ævi?

SENECA.

Nulli me mancipavi; nullius nomen fero; multum magnorum virorum judicio credo; aliquid & meo vindico.

IDEM.

Si vis omnia subjicere tibi, subjicere rationi.

EXERCITATIONUM ETHICARUM DECIMA-OCTAVA, DE Affectibus in genere.

THESIS I.

EXcussimus difficultates, quæ moveri possunt circa *Intellectum, Voluntatem,* & *Liberum Arbitrium*, actionum humanarum principia, & à quibus omnis derivatur ac deducitur virtus. Nunc ad *Affectus* transimus; virtutum omnium materiam, circa quam occupantur; affectus enim nosse, & recte simul rationis fræno coërcere, est, secundum virtu-

tem vivere, in quo omnis, summi boni & felicitatis civilis, cardo vertitur. Circa hoc quoque, quæ disputari solent, *Exercitat.* sequuturis ventilabimus. Cujus argumenti utilitas, præstantia, latitudo, quanta sit, dici non potest. Hæc doctrina, hominem suæ conditionis admonet, ipsum componit, ipsum, ut se sciat, edocet, &, ut verbo dicam, ex homine virum facit. Multum fecerint ad morbos animi sanandos de *Affectibus* instituendæ *Exercitationes*; imò, Affectuum notitia, omnium omninò disciplinarum studio inservit; quæ gemina est & non contemnenda doctrinæ de *Affectibus* utilitas, quam paulo plenius proponam, tanquam præloquii aut præfationis loco.

II. Tantam esse vim *Affectuum*, ut homines sæpe dejiciant de mente, ac posternant, vel summopere saltem infestent ac perturbent, nemo est, qui ignorat, quia hominum unusquisque nimis id in se experitur ac sentit. Affectus sunt, veluti clavi quidam, quibus animus humanus, rerum omnium dominus, corpori tanquam carceri includitur, imo ei, tanquam patibulo, affigitur. Affectus sunt, tanquam funiculi & restes, quibus ad hoc aut illud objectum quasi vincti & ligati homines trahuntur. Affectus sunt, veluti quidam igniculi, quibus homines inflammantur ac accenduntur. Affectus sunt, tanquam stimuli, qui nos frequenter pungunt & angunt ac lædunt; tanquam nervi, quos aliquando contrahimus, aliquando extendimus; tanquam venti, quibus animus noster tanquam mare procellosum perpetuò agitatur; tanquam nubes, quibus mens & ratio obscuratur. Quare omninò expedit & necessarium est, ut horum *Affectuum* origines, causas, ac denique remedia, quibus curantur, perspecta habeamus. Sicuti mare interdum occupatur malaciâ, summa tranquillitate, nullo navigantium usu, interdum perflatur & aura ad navigandum commoda, ubi clavus atque navis in potestate sunt gubernatoris; interdum vehementiore turbatur tempestate, quod etsi ad celeritatem navigationis faciat, res tamen est periculi plena, ne navis impetu deprimatur, vel in æstuaria, brevia, ac syrtes deferatur, interdum denique flatibus vehementissimis ab imo vertitur, attolliturque in fluctus ingentes: eundem in modum sese habet animus humanus, interdum quasi torpescit, destitutus omni aura ac vento affectuum, & affectus summa affectuum tranquillitate, interdum leniter incitatur amore, odio, affectibusque similibus, ut rationem sequatur ducem, interdum affectus urgent rationem vehementius, neque tamen opprimunt, periculum tamen est, ne in progressu eam obruant, interdum ex composito consurgunt, & in mentem ac rationem insurgunt, ut eam prosternant, & tum animus humanus fit præda affectuum, & ab iis abripitur quaquaversum: Atque hic præcipua nobis maximaque exurgit doctrinæ de affectibus utilitas, ut discamus affectus tanquam procellas, tempestates, ac flatus vehementissimos, ab humanæ vitæ mari prohibere ac cohibere, ut partem nostri meliorem, animam nimirum immortalem, ab eorum imperio, vi, & potestate, liberam servemus; sed & maximam præstat utilitatem omnium pæne disciplinarum ac facultatum studio, doctrina de affectibus. Multus de affectibus sermo est Theologis, cum de Deo differunt, de Angelis, de naturæ integritate ejusdemque corruptione, de actionum humanarum pravitate ac bonitate, &c. Orator sive Rhetor, dicendi artifex ac magister, affectuum notitiam sibi quasi propriam ducit, multisque docet, quâ viâ concitentur affectus ac commoveantur; quemadmodum libelli Rhetorici testantur, & ipse *Aristoteles* suo exemplo confirmat, qui 2. *Rhetoricorum* fusissimè singulorum affectuum naturam persequitur. Sed & conducit affectuum doctrina, naturæ Magistris, Doctoribus Physicis, qui causas rerum investigant, quas investigare nequeunt, nisi motus animi componant, & inferendam ac illatam sæpe ab affectibus abigant vim ac molestiam, qua à contemplatione retardantur. Sed nec affectuum doctrina carere valent, qui legibus condendis, vel interpretandis ac juri dicundo, præsunt; dum enim errata hominum emendant vel remittunt, curiosè ac diligenter affectuum momenta perpendunt, fuerintne pacato ac perturbato animo perpetra-

ta

ta, quæ emendantur vel remittuntur. Denique, quantum affectibus cognoscendis egeant Medici, in morborum curationibus ac valetudine tuendâ, quotidiana testatur experientia: illa enim docet, pulsis animi molestiis, sedatisque affectibus, gravissimos à corpore morbos abscedere: imò certissimum est, multos sanari non alio pharmaco, quam motibus atque affectibus animi ad quietem revocatis. Quare omnis generis facultatibus ac disciplinis conducit doctrina de affectibus.

III. *Affectuum definitionem, causas, & quomodo ex suis causis oriantur, expositum* satis est *Coll. Eth. Disp* 12. *&* 13 hoc ergo restat, ut videamus, quâ ratione exorti compescantur, ne nimis insurgant & rationem de throno dejiciant, quod interdum facere solent: Quare in remedia affectuum assignari possunt triplicia: naturalia, moralia, supernaturalia. Verum enimverò, ut affectuum remedia distinctè cognoscamus, nonnulla de eorum causis fuerint repetenda: nam quemadmodum morborum corporalium curatio potissimum in vera causarum, à quibus pendent, cognitione est fita, sic quoque, ut morbis, spiritualibus animi affectibus, cum modum exsuperant, occurratur ac succuratur, probè eorum cognosci causas oportet. Porrò, sicuti ægritudinum corporalium causæ, ut plurimum medicis in duas dispescuntur classes, ut aliæ sint externæ, aliæ internæ, ita & nos pariter affectuum, ceu animi ægritudinum spiritualium, causas facimus, vel externas, vel internas. Ad externas affectuum causas referri possunt, probrum, ignominia, inopia, honorum ac bonorum jactura, inimicitiæ, injuriæ, & id genus plura, quæ multas molestias, mœrores, indignationes, iras, similesve atque alios affectus in nobis excitare valent ac solent. Internæ affectuum causæ sunt, vel corporeæ, vel spirituales. Corporeæ, quæ primo loco in corpore occurrunt, ut sunt, dolores, aliique defectus; qui corpus discruciant, quibus, propter sympathian arctissimamque cum corpore connexionem, anima quoque afficitur ac patitur. Spirituales affectuum causæ, in quantum affectus rationis moderamen excedunt (nam in tantum de iis eorumque remediis hic Philosophamur; in quantum enim intra rationis rectæ præscriptum sese tenent, nullis opus est ad eos compescendos remediis) spirituales, inquam, earum causæ, sunt, corruptio & propensio naturæ nostræ ad malum, inconstantia ac mobilitas, aliæque. Quemadmodum verò medici felicissimè corporis morbos curant, sublatis eorum causis, ita & se res habet in præsenti affectuum negotio; sunt enim affectus, non nisi animi nostri morbi, ubi immoderati fuerint. Externæ affectuum causæ facilius tolli possunt quam internæ, quia externæ oculis & sensibus objiciuntur, non item internæ. Externæ igitur suis remediis primum auferantur, ac tum internæ, in affectuum curatione. Sed per classes remediorum incedamus. Principio, adhibeantur remedia naturalia: id est, temperamentum corporis exploretur, &, quoad fieri potest, corrigatur, & in melius mutetur. Deinde adjiciantur remedia moralia, id est, cohortationes, colloquia, rationes, exempla, elegantes ac vivæ picturæ virtutum ac vitiorum, graphicæque eorundem descriptiones oculis ægrotorum & affectibus perturbatorum objiciantur. Denique ex verbo Dei petantur remedia supernaturalia: in eo enim, verbo scilicet divino, certissimam & copiosissimam recreationis sylvam accipient spiritus etiam perturbatissimi. Omnibus hisce remediis accidit, quod alia sint prophylactica seu præservativa, alia therapeutica seu curativa Hæc autem remedia applicari volumus affectibus, non extirpandis, non eradicandis, quod *Stoici* voluerunt, sed verò moderandis tantum ac temperandis. Ut affectus animi suis remediis curentur, non est iis spoliandus homo in totum, sed perversi tantum sunt tollendi, ut integri affectus & sani maneant: planè ut boni facere solent medici, qui non omnes ex corpore humores suis pharmacis deturbare solent, sed eos tantum expellere, qui vitiosi sunt & impuri: & sicut hortulani noxias tantum herbas evellunt, relictis salutaribus. Quare omninò, cum *Peripateticis* hic facimus contra *Stoicos* & pronunciamus, immoderatos animi affectus esse corrigendos, quosque, suis remediis; at cum rationi subsunt ejusque imperio pa-

parent, utiliter eos retineri censemus: funditus verò extirpari nec posse nec debere existimamus. Sane, quotidiana docet experientia, affectibus valde juvari ac promoveri hominum functiones & actiones, quæ languebunt: si planè ἀπαθὴς, omni affectu destitutus reddatur homo, si affectus penitus tollantur ex animo, segnescet plane & torpebit. Et, quæ erit materia virtutum, si affectus omnes resecentur ac tollantur? Itaque potest omnino, sapiens timere, lætari, sperare, dolere, irasci, aliisque affectibus esse obnoxius, sine ulla sapientiæ aut existimationis suæ imminutione: modo hos affectus coerceat intra rationis septum ac præscriptum, ne illud transiliant.

IV. Sed verò hic acerrimè disputatur, utra via sit melior, *Aristotelis ne*, an *Thomæ Aquinatis*: quorum ille, jubet pravos animi affectus illicò opprimere, hic, sensim & paulatim eos ad mediocritatem redigi vult. Resp. *Thomæ* via planior est, sed longior ad virtutem adipiscendam, quæ in affectuum moderatione consistit: *Aristotelis* regula firmior est & brevior, sed non nisi magnis viribus usurpanda: interim hanc priori præferendam censemus: nam sicuti ignem, si vehementius fueris aggressus, extingues; si vero modice eum invadas, ureris: ita affectibus coercendis si paulatim tantum incumbas, eorum vi abripiêre; si verò totis viribus eos oppugnes, quam facillime eorum impetum retardaveris ac fregeris. Præter autem & supra remedia omnia ad affectus animi frænandos, quæ jam diximus, excellit devota precatio & stata norma vivendi.

MANTISSA.

Philosophia Aristotelica Latinorum, *non contenta* Aristotelis *sui ducis ac dictatoris* Logica, *excogitavit parva quædam* Logicalia, *vocabulo non minus horrida quam re. Ea* Summulas *vocârunt* Aristotelici, *quasi dicas* parvam summam: *continent verò farraginem quandam* terminorum, *tum* incomplexorum, *tum* complexorum: *est enim tota* Philosophia Aristotelica *mere* terminaria. Philosophi *hi* Aristotelici, Fratres Terminarii, *dicti sunt* Summulistæ. *Horum Princeps est* Petrus Hispanus *quidam, postmodum Pontifex: in cujus summulas commentatus est* Dominicus Soto, *dubito, an* Major, *an* Minor? *nam duplex eo nomine inter* Aristotelicos Monachos *venit* Soto. *Sed compendiosius hanc doctrinam tractârunt* Jesuitæ Aristotelici, Toletus, Fonseca, Conimbricenses. *Nos nunc, ingratiam* Aristotelicæ Philosophiæ *Studiosorum*, Terminos incomplexos *in suas classes digeremus, & ad disputandum proponemus, alias de* Terminorum *eorum variis* suppositionibus, formali, materiali, simplice, personali, communi, singulari, distributivâ, confusâ, determinatâ, naturali, accidentali, *de eorundem* adscensu ac descensu, ampliatione, restrictione, alienatione, diminutione, appellatione, &c. *Philosophaturi, ut & de* Termino complexo, *ejusque* quantitate, qualitate, æquipollentiâ, conversione, oppositione, *& speciebus*, simplici, modali, exponibili, exclusiva, exceptiva, restrictiva, reduplicativa, *aliisque elegantiis, quæ ex istis lacunis putidis* Summularum & parvorum Logicalium *derivari solent. Nunc ad rem.* Terminus incomplexus, *est id, scilicet vel* subjectum, *vel* prædicatum, *in quod* terminus complexus (enunciatio) *resolvitur ac* terminatur; *distinguitur, aut* ratione materiæ, *in quâ (quæ est vox, mens, scriptura) in* mentalem, vocalem, & scriptum, *prout vel animo concipitur, vel voce exprimitur, vel scripturâ pingitur; aut* ratione formæ, *seu ipsius significationis; estque vel* ex parte rei significatæ, *vel* ex modo significandi: ex parte rei significatæ, *est vel* primæ intentionis, *vel* secundæ: primæ, *vel* positivus, *vel* negativus: positivus *est, vel* particularis, *vel* universalis: particularis, *qui, si res significata sit multiplex, est vel* disjunctivus, *ut*, aliquis homo, *vel* collectivus, *ut* decem viri; *si sit unica; est* singularis; *vel* significatione, Petrus, *vel* demonstratione, *ut*, hic homo, *vel* circumscriptione, *ut*, Apostolus gentium: universalis; *qui dividitur; primò in* synonymum, univocum; *cujus nomen idem pluribus, & ratio essentiæ per omnia eadem est, ut* animal; homonymum, æquivocum, *cujus solum nomen pluribus est idem, ut*, canis *respectu sideris & animalis*; analogum, *cujus nomen est pluribus idem, & ratio essentiæ, aliquo modo eadem, aliquo*

quo modo diversa, *ut* ens, *respectu substantiæ & accidentis*, *Dei & creaturæ*: *secundò*, *in* Categoricum, *tum* in genere, *ut*, *sunt* decem prædicamenta, substantia, quantitas, *&c. tum* in specie, homo, linea, *&c. in* Transcendentem, *ut* ens, unum, verum, bonum, *&c. in* Supertranscendentem, *ut*, aliquid, intelligibile, imaginabile, *&c.* Terminus negativus *est*, *ut*, non-homo, non-lapis, *&c.* Terminus secundæ intentionis *est*, *qui aliquid significat secundum ea*, *quæ ipsi ratione nostræ cognitionis competunt*, *ut*, subjectum, prædicatum, *&c* Terminus incomplexus, ex modo significationis, *est*, *vel* categorematicus, *qui solus in enunciatione positus aliquid significat*, *ut*, homo, albor, currit, itur; *vel* syncategorematicus, *qui per se solus nihil significat*, *sed alteri adjunctus*, *ut omnia* adjectiva, albus, doctus, *&c. speciatim sic vocantur* particulæ quantitatis, *ut* omnis, quidam, nullus, &c.

EXERCITATIONUM ETHICARUM
DECIMA-NONA,
DE
Affectibus in specie.

THESIS I.

VUlgatissima est *Affectuum* divisio, in eos, qui sunt appetitus *Concupiscentiæ*, & eos qui sunt *Irascentiæ*: *illius* sunt sex, *Amor*, *Odium*, *Desiderium*, *Fuga*, *Gaudium*, *Tristitia*: hujus sunt quinque, *Spes*, *Desperatio*, *Metus*, *Audacia*, *Ira*. Atque hi omnes affectus versibus quibusdam sunt comprehensi memorialibus.

Hic amat, *hic* odit, desiderat, *aut* fugit ille,
Gaudet, tristatur, spes, exspes, *hic* timet, audet,
Iratum *hunc videas*: *varia est affectio nempe!*

Hanc divisionem hoc ratiocinio confirmamus, 1. Omnis res objecta, si bona sit, statim excitat in nobis sui *amorem*, quo res ut bona & grata per se appetitui placet ac libet: deinde ex hoc, quod res objecta, ut bona, placet; ad eam, si absens sit, *desiderio* ac *cupiditate* movemur: tertio, ex eo, quod sit bona, concupita, obtenta, delectationem seu *gaudium* parit: Contrarii his tribus affectibus sunt, *odium*, *fuga*, *tristitia*. Porro, si res objecta, bona quidem, sed magna, difficilis, ardua sit, & tamen futura, ac possit obtineri, excitat in nobis *spem*: si non possit, facit *desperationem*: si mala sit, & tamen futura atque exspectata, incutit *timorem*: si vero non futura, sed præsens sit res mala, contra eam indignamur, & eam conamur à nobis pellere, & oritur in nobis *ira*: atque si eam superandi ansam videmus, oritur *audacia*. Atque in hac affectuum enumeratione acquiescimus & singulos in specie excutiemus, quamvis ratio allata non sit usque quaque solida.

II. Principem ac primum sibi locum vendicat *Amor*, qui fons est omnium affectuum tendentium in bonum, juxta illud Parmenidis:

Cunctorumque Deum primum quæsivit amorem.

In quo considerabimus, primum *nomen*, mox *rem*, tertio *divisionem*, postremo ejus *causas*, *effecta*, *remedia*, & varia *attributa*. *Vocem* discutiemus primum, ne ambiguitate ejus detineamur. *Amor* aliis dicitur *dilectio*, *caritas*, *pietas*, *cupiditas*, *desiderium*, *benevolentia*, *amici-*

amicitia, στοργὴ, *favor*, quæ omnia vocabula sunt cognata. *Amor* est, ut genus, & tanquam aliquod universum: locum enim habet, tum in homine, tum in brutis: *dilectio* est, amor cum electione, nec reperitur nisi in iis, quæ deliberant: adeoque solius est hominis. Distinguunt *Critici*, inter *amorem* & *dilectionem*, tanquam inter magis & minus: *non solum te diligo, verum etiam amo*, dicit alicubi in epistolis *Cicero*. Sed vero hoc discrimen, neque perpetuum est, neque solidum. *Caritas* significat amorem validum & in res pretiosas: *pietas* amorem significat in superiores, in Deum, Patriam, Parentes. *Cupiditas* denotat amorem boni nobis conducibilis. Verùm *desiderium* est amor rei placitæ, sed absentis: faciunt alii *desiderium*, affectum divisum ab amore, nec male: *benevolentia* amorem sequitur, & est appetitus boni pro alio quem amamus: *amicitia* notat amorem mutuum, & mutuis officiis confirmatur: στοργὴ significat supremum amoris igniculum, in cordibus parentum ac liberorum accensum: unde ἄστοργοι dicuntur parentes, qui sese alienos ab amore liberorum ostendunt: *favor* propriè non est amor, sed ex amore animi inclinatio ad bonum cujuspiam & commodum: per favorem enim bene cupimus alicui: sunt fortassis & *alia* vocabula cognata, ut *cultus*, *optatio*, *&c.* sed vocabulis diutius non immoramur, cum hic sint alia longè utiliora.

III. *Definio amorem* cum *Thoma Aquinate*, *complacentiam rei appetibilis*. *Lud. Vives* definit *amorem*, allubescentiam, quâ amatum amanti allubescit. *Sanctissimo Augustino*, *amor*, est junctura, duo copulans. *Philosophis* optimè definitur, *affectus approbationis*, *appetitus concupiscentis*, *tendens in bonum sibi præsens*. *Amor dividi* potest in eum, qui sequitur *naturam*, & in eum, qui sequitur *cognitionem*: prior, rebus omnibus inest, etiam inanimis: posterior, animalium est proprius: estque, vel sensitivus, vel rationalis: ille brutis, hic homini, convenit. Amor, qui sequitur cognitionem rationis, vel ex virtute nascitur, & ad honesta fertur, licitusque est atque honestus; qualis est, in subditis, adversus magistratum, in liberis, adversus parentes, in studiosis, adversus viros doctos: vel ex vitio nascitur, & ad turpitudinem tendit, & illicitus est atque inhonestus, quem amorem melius *libidinem*, dixeris: aut *inordinatam turpitudinem* nam amoris nomen non meretur; porrò est *amor*, vel *complacentiæ* vel *desiderii* Scholasticis. *Amor complacentiæ*, est simplex, quo quis bonum suum vel alterius, præsens, approbat. *Amor desiderii* est, quo quis sibi aut alteri vult bonum absens, futurum tamen & exspectatum. Amor etiam dividi potest in *affectivum* & *effectivum*: ille, est actus elicitus appetitus, hic, imperatus. Est denique amor, vel *concupiscentiæ*, vel *amicitiæ*. Amor *Amicitiæ* est, qui rei amatæ commodum intuetur, seu, quo quis vult alicui bonum propter ipsum, absque ullo suo emolumento vel commodo: unde talis etiam amor dicitur *benevolentiæ*: amor *concupiscentiæ*, aliis *cupiditatis*, est, qui proprium commodum respicit, seu quo quis vult bonum alicui, sed proprii commodi gratiâ. Verum nunc *causas* hujus affectus, *Amoris*, videamus.

IV. Amoris causa tota atque unica, est bonum: nihil enim amatur, nisi bonum: solum bonum sui amorem ingenerat in animis mortalium. Omnia igitur, quæ utilia, quæ commoda, quæ salutaria, quæ jucunda, quæ grata, quæ honesta, quæ pulchra, quæ suavia, quæ placida, quæ nobis similia, quæ vinculo necessitudinis & nexu sunt conjuncta nobis, amare solemus: sed speciatim inspiciamus, qui amandi sint, & in quos plerumque amor noster tendat, & ob quas causas. Amamus eos, qui, rebus nostris gaudent prosperis, dolent adversis, qui eâdem nobiscum utuntur fortuna, vel bona, vel mala, qui in iisdem periculis nobiscum fuere, qui nobis cohabitarunt, cum quibus aut sumus peregrinati, aut in iisdem Academiis versati, qui iisdem utuntur nobiscum, vel amicis, vel inimicis, qui bene de nobis vel nostris sunt meriti, qui fortes, benefici, liberales, justi, uno verbo, qui virtute sunt præditi, qui sunt ἀπράγμονες, hoc est, qui alienis rebus se non immiscent, qui in arte aliqua vel facultate eminent, qui nobis aut ætate, aut studiis, aut vitæ genere

nere sunt pares, qui in quotidiana conversatione sunt suaves, faciles, hilares, humani, urbani, faceti, qui nos & nostra bona commendant, qui in vestitu corporis, cultu, aliisque rebus elegantiæ student, qui nec beneficia nec vitia nobis exprobrant, qui non sunt memores injuriarum, sed facile placantur, qui non sunt maledici, nec vitia nostra curiose scrutantur, qui nobis iratis non adversantur, nec illudunt seria tractantibus, qui nostri sunt amantes & studiosi, & vel nos laudant, vel admirantur, vel nostra consuetudine & familiaritate delectantur, qui nobis sunt fidi, & tam absentes nos quam præsentes amant, qui candidi sunt & aperti, nihil fingunt, nihil tegunt, nihil simulant, qui non sunt nobis formidandi: nam fieri nequit, ut, quos formidamus, vere amemus: & quis omnes rationes recenseat, ob quas alios amore complectamur? possunt autem omnes Amoris causæ nostro judicio redigi ad has quatuor: ut prima ac primaria amoris causa sit virtus: secunda, similitudo morum, studiorum, fortunæ: tertia, utilitas; vel ex receptis beneficiis, vel ex recipiendis: quarta, honores nobis tributi.

V. A causis ad *effecta* amoris transimus, quæ, utcunque diversissima sint ac plurima, præcipua tamen sunt, quæ ex *Thoma Aquinate* recensebo. 1. Amor, si res amata habeatur, cor & animum voluptate quadam emollit, ut animus reddatur mollis, tener, flexilis, & facile ducatur promptusque evadat ad officia & obsequia. Secundo, si res amata absit, gignit in amante tristitiam, animique languorem, redditque ejus animum sollicitum atque anxium, eumque vehementer accendit desiderio, rem amatam atque absentem videndi, consequendi, complectendi. Tertiò, si res amata adsit præsens, gignit amor lætitiam, cor, animumque dilatat, porrigit, pandit. Quarto, voluntates amantium jungit, copulat, interque eos producit amicitiam, concordiam, pacem, liberalitatem mutuam, &c. Quinto, gignit interdum amor ecstasin, raptumque mentis extra se animique quendam excessum, quo animus quasi extra se abiens totus defigitur in re amata, de se nihil cogitans. Sexto, gignit zelum, quo quis indignatur aut contristatur, eo quod alius potiatur bono, quod ipse concupierat: denique efficit, ut amans sæpe optet mutari in rem amatam ac pro amico cupiat interdum mori: & quis omnes amoris effectus recenseat? cum amans modo æstuet, modo frigeat; modo quiescat, modo moveatur & loco uno consistere nequeat, &c.

VI. Sed videamus, *quomodo honestus amor excitari* possit. Conciliamus nobis amorem alterius, si id velle videamur ac ostendimus, quod ipsi placet, quod ipsi est honorificum, utile, jucundum; si pro viribus nostris laboremus pro ejus honore, valetudine, fama, vita, bonis, &c. præsertim, si ista procuremus, sic ut omnia cedant in ejus, quem amamus, commodum, nihilque redundet in bonum nostrum ac proprium, ut etiam ignoret is, quem amamus, cui bonum hoc vel illud procuramus. *Aristoteles* ait, quæ amorem conciliant, sunt, gratia; & non rogatum feciisse, &, cum feceris, non indicasse. Quod si quis igitur velit affectum amoris movere in auditoribus, is ostendat, quantum beneficiorum sit collatum, sine illorum merito, ab iis, quos amandos esse, nobis persuadere quis studet: ita, si concionator velit ostendere, Deum esse amandum, per omnes causas amoris jam à nobis recensitas incedat, & plenam affectibus maximeque patheticam instituet concionem, præsertim, si causas amoris divini ex sacris litteris confirmet, & variis effectis, adjunctis, exemplis, aliisque argumentis Logicis illustret.

VII. Ad *remedia* amoris accedo: remedia non nisi morbis conferuntur; quare hic quoque de illicito & impuro amore nobis sermo erit: nam amoris liciti, puri, sancti, divini, media potius sunt quærenda, quibus excitetur, foveatur, conservetur, quam remedia, quibus pellatur: at impurus, illicitus, inhonestus amor, ac libidinosus, remediis curari debet: talem auferunt curæ, ac negotia; nam.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus:
Eum deterunt, ac convellunt plane, labores

ac calamitates: ac præsertim ei adversatur egestas: præterea, si quis sæpe ac serio cogitet horrorem, turpitudinem, infamiam, dedecus, morbos, mortem animæ, aliaque, quæ consequuntur tam inordinatum & fœdum affectum, facile eum exuet atque abjiciet: præcipuum inter omnia remedia, est devota precatio, qua flammæ amoris illiciti efficacissime exstinguuntur.

VIII. Nunc unam atque alteram, quæstionem non inutilem nec injucundam proferam, Primo quæritur, *Vtrum præstantius sit, amare, an amari?* Hæc quæstio debet formaliter accipi: hoc est, quæritur, *An amans, ut amans, nobilitate antecellat, & sit præstantior amato, ut amatur?* Cæteris paribus, affirmativam hujus quæstionis partem tenemus. Amare enim, est actus charitatis, quæ præstantissima est virtutum. Præterea amare, est conjunctum cum functione virtutis & est agere: at amari, est ociosum & pati: at agere præstantius est quam pati: &, quid multis est opus? dare præstantius est, quam accipere: qui amat, dat; qui amatur, accipit. Ergo. Secundo quæritur, *An Amor sit etiam erga bruta & inanima?* Resp. *Aristoteles* quidem *lib. Eth. 8. cap. 5.* φίλησιν, id est, amationem in res quasque inanimas conferri, ait: sed nescio, an satis rectè hoc à Philosopho sit dictum: nam res inanimes, ut, verbi causâ, fulmen, propriè non odimus, etsi metuamus: ergo, nec res inanimes propriè amamus: nam, cum amoris effectus, sit, bene velle, erga res inanimes non potest propriè esse amor, quia rebus inanimatis non possumus dici bene velle: quod spectat animantia rationis expertia, certum est, cum iis non esse amicitiam, i. e. amorem mutuum, quæ communia cum hominibus officia non obeunt, nec feruntur ad eundem finem, nec habent electionem, nec honestum à turpi distinguunt. Sed, *an hominis amor tamen in bruta non fertur? nam diligimus canes, imo & vicissim amamur ab iis, & cum sint capacia animalia doloris & voluptatis, illis vel bene vel male volumus imo nonnulli ardentissimo amore, canes, equos, aliaque amantia, prosequuntur.* Resp. Amor propriè est, adversus ea, quæ ratione pollent: est enim amor appetitus conjunctionis: quis vero cani vel equo vel animali simili jungi velit? &, qui amore tam grandi feruntur in animalia ista, irrationali magis quam rationali amore feruntur: itaque sic dicimus ac distinguimus. Bruta & inanima cara habemus, nostri commodi causa: sed non, quæcunque cara habemus, statim amamus: nam, carum esse, latius patet, quam amari. Sed de amore, primo ac primario affectu, sic satis: si quis plura desideret, præter *Thomam Aquinatem* in 1. 2. & *Commentatores*, inter *Aristotelicos Gallutium* adeat; tum insignem & disertissimum, *de perturbationibus animi*, scriptorem, *Brancifortium*, parte secundâ.

EXERCITATIONUM ETHICARUM VIGESIMA,

DE

Affectibus in Specie.

THESIS I.

DIsseruit *Exercitatio* præcedens de *Affectuum* omnium primo ac nobilissimo *Amore*, sequitur *Desiderium & Gaudium*, tum qui hisce opponuntur, *Amori*, *Odium*, *Desiderio*, *Fuga*, *Gaudio*, *Tristitia*. Atque hi omnes sunt *appetitus concupiscentiæ*: quos,

quos, eodem, quo *Amorem* pertractavimus, modo, exorsi à *Desiderio*, pertractabimus.

II. *Desiderium, est affectus appetitus concupiscentis in bonum absens, quod ut conveniens fuit perceptum*: nempe, quia ob multiplices in hominis vitam incurrentes difficultates non semper potimur rebus, quæ nobis placent & allubescunt, hinc in nobis oritur hic affectus, *Desiderium*: multa extant nomina, apud *latinos* authores, huic affectui inservientia: dicitur *votum*, *optatio*, *concupiscentia*, *appetitio*, *cupiditas*, *libido*: quæ tamen vocabula nonnihil inter se discrepant: nam *votum*, propriè est desiderium habendi bonum à Deo, cum pollicitatione aliquid præstandi: quamvis hanc pollicitationem non necessario exigant in voto nonnulli: dicunt enim, *Caligulæ* votum fuisse, ut populi Romani una foret cervix, nec propterea, si id consequeretur, quicquam se facturum promisit: sed hæc latior est voti acceptio. *Optatio* idem significat, quod desiderium; nisi quod optemus bona majora, desideremus qualiacunque. *Cupiditas*, significat desiderium vehementius & ardentissimum ac sine modo. *Libido* fere est, desiderium rei malæ: dico, *fere*, quia, utcunque vox hæc plerumque in malam partem sumatur, ex *Cicerone* tamen aliisque Latinæ Linguæ scriptoribus, notum est, eam vocem interdum & sumi in sensum bonum, & esse generale nomen omnis cupiditatis: sic dicitur, *ira*, *libido* ulciscendi, *ambitio*, *libido* damnandi, jactantia, *libido* gloriandi, &c.

III. *Desiderium* in multas & varias species dividi potest, pro multitudine & varietate illorum bonorum, in quæ desiderium fertur: est *desiderium honoris*, *est opum*, *est voluptatis*, est desiderium *dominandi*, quibus desiderii speciebus pecularia nomina non sunt assignata.

IV. *Causa* desiderii, est bonum absens, quo caremus, conceptum, ut conveniens: at, dicet hic quispiam: *& tale est objectum spei*: *ergo spes & desiderium erunt idem affectus*. Resp. *Desiderium*, est affectus omnino re ipsa distinctus à spe: nam spes, est facultatis irascentis, est boni, absentis quidem, sed difficilis & ardui: at desiderium est concupiscentis appetitus & boni simpliciter: quare materiale objectum & spei & desiderii idem est, sed non formale.

V. *Effectus* desiderii sunt iidem qui amoris, quos *Exercit. præced.* recensuimus: nisi, quod desiderium, quia bonum desideratum est absens, insuper gignat in desiderante molestiam, &, cum vehementius efferveseit, dolorem, præsertim si voto frustretur: sic docente ipso *Arist. lib. 3. Eth* Quæstio hic est utilissima & egregia, *An bono desiderato præsente expleatur & satietur hominis desiderium?* Resp. Desiderium est, aliud limitatum, aliud illimitatum: illud cessat, quando bonum desideratum præsens est, hoc non item. Deinde, nullum bonum creatum desideratum, plenè perfecteque appetitum satiat; solùm eum explet bonum increatum: quia enim hoc bonum continet omne bonum, quo perfecte ac medullitus, toto simul, ac sine metu amittendi, fruamur, id sua præsentia tollit omne desiderium: at, quia bona alia, præter Deum, non omnia bona continent, & metum amittendi non auferunt, nec desiderium nostrum perfectè quoque implent aut satiant. Et, cum istiusmodi bonis sic se res habet, ut, quo plus acquirantur ac possideantur, eo amplius expetantur: sic divitiarum cupiditas ac desiderium sine modo crescit ac terminum ignorat. Et, *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*: sic stulta quælibet & insana desideria præsentiâ rei desideratæ magis accenduntur. Sed remedia hujus affectus, si quando immoderatus evadit, spectanda sunt.

VI. *Remedia* eadem fere sunt, quæ sanando amori inordinato præscripsimus *Exerc. præced.* quia tamen latius patet *desiderium* quam *amor*, peculiaria quædam hujus affectus componendi remedia proponemus. Primum monemus, ne quis magna de se sibi persuadeat, nec temere sibi fidat: desideramus non semel, homunciones, quæ nunquam sumus consecuturi, & somniamus vigilantes ac mira nobis fingimus, ducti cæco impetu & decepti opinione nostri: quare optimum desiderio remedium est, moderate de se sentire. Deinde alius quoque error mentes mortalium invasit, quo fit, ut immodico multa-

rum rerum desiderio abripiantur: nempe tum demum felices se reputant, cum res cadunt, uti volunt; si secus cadant, vocant se infortunatos, & nescio quæ non tum desiderent: interim, quid sibi expediat, nullo modo habent exploratum. Hæc causa est, quod maxima pars mortalium maximis implicetur desideriis: huic desiderandi morbo remedium præscripsit luculentum *Stoicæ* sectæ haud infimus, in suo *Enchiridio*, *Epictetus*. *Ne postules*, inquit, *quæ fiunt, fieri arbitratu tuo, sed, si sapis, ita fieri quæcunque velis, ut fiunt: versandum in vitâ, ut in convivio: si quid circumferendo ad te perveniat, porrecta manu modestè capito: præteriit? ne detine: nondum adest? ne in longum appetitum extendito* Hęc *Epictetus*, & præclare omnino: futilis profecto est ingenii, viso jucundo, statim affici, & viso aliquo bono, statim cruciari desiderio potiundi: cohibet tantisper assensum, & desiderandi ille impetus, veluti flamma præterlabens, evanescet: Denique, si desiderio tuo fræna injicere cupis, ne admirere purpuram, magistratum, honores, opes, & si quid splendeat oculis mortalium: istarum rerum contemptus, optimum est desiderii & concupiscendi remedium. Sed de *desiderio* satis: ad *gaudium* transeo.

VII. Qui non temere animum appellit ad amandum, etiamsi re amata frustretur aliquamdiu, nihilominus post conatum sæpe fit voti compos, fruiturque tum, magna voluptate, qui affectus propriè nomine *Gaudii* venit. *Gaudium itaque, est affectus concupiscentiæ appetitus ob præsentis boni fruitionem*; vocatur, *delectatio*, *lætitia*, *voluptas*, quæ voces idem notant: nam, qui eas distinguunt, fortasse sunt nimium accurati. Cæterum, ut gaudii ac voluptatum variam & multiplicem naturam breviter ob oculos ponam; notandum est, gaudium & voluptatem percipi, vel ex iis, quæ subjiciuntur *menti*, vel ex iis, quæ subjiciuntur *sensibus*. *Gaudia* ac *voluptates mentis* præstant cæteris; primum ob facultatem, in qua existunt; deinde propter nobilitatem rerum, è quibus hauriuntur: contemplatio enim divinitatem imitatur; cujus gratia, *Philosophi* omnibus corporis voluptatibus nuncium mittunt. Sed & *alia* ratio est, cur mentis gaudia præstent sensuum voluptatibus; quia functiones mentis magis nos conjungunt, & quia non tam facilè fastidium pariunt, ob sui & soliditatem & sinceritatem, suntque ista gaudia mentis & solidiora & sinceriora; qualia sunt gaudia, quæ à Dei cognitione & amore summi boni promanant, quæ à naturę contemplatione proficiscuntur, quæ ab actione virtutis existunt, aliisque & similibus causis exoriuntur: hæc sunt ista gaudia, quæ solide unusquisque gaudere potest. Sed operæ pretium erit, distincte *in causas gaudii* inquirere, quæ profecto variæ admodum sunt, & ægre ad numerum rediguntur.

VIII. *Gaudii causa primaria* est, actio secundum naturæ propensionem exercita: nam per eam bono unimur desiderato: &, quod naturale est, delectat, gaudiumque adfert status omnis, naturæ consentaneus: gaudium quoque parit, quod ex consuetudine agimus: consuetudo enim est altera natura. Gaudium parit, memoria præteritorum bonorum, cogitatio futurorum: facit enim memoria ista bona quasi præsentia: malorum etiam, quæ præterierunt, recordatio, voluptatem adfert, propter & per bonum quoddam præsens, quod in mali locum venit: gaudium etiam facit similitudo morum & conditionis vitæ: æqualis enim æquali delectatur. Sed infinitum est, omnes *gaudii causas* referre.

IX. Sed non minus varia sunt *effecta Gaudii*, & eadem fere, quæ *Amoris* esse ac *desiderii*, recensuimus: nisi, quod quædam particularia hîc sint: ut, diffusio sanguinis atque oris rubor: rubent enim, qui delectantur, à dilatatione cordis & sanguinis diffusione: & hæc commotio, si sit moderata, juvat sanitatem, ob exercitationem & agitationem spirituum, qui aliàs in nimia quiete marcescerent; &, si nimia sit, perniciem adfert, quia ex nimia lætitia cor sanguine & spiritibus destituitur, iis sese ad partes exteriores recipientibus: hinc quosdam præ gaudio extinctos legimus.

X. *Remedia gaudii*, si sit nimium, sunt eadem, quæ amoris inordinati, quæ desiderii immo-

immoderati; quare ea non repetemus. Atque ita vidimus tres appetitus concupiscentis affectus, omnes occupatos circa bonum, *Amorem, Desiderium, Gaudium*, nunc iis tres oppositos, omnes occupatos circa malum, videamus, *Odium, Fugam, Tristitiam.*

XI. *Odium* opponitur Amori, ut negatio affirmationi: affirmat amor, cum tendit in bonum, negat fuga, cum recedit à *bono*: quod affirmatio & negatio præstant in mente, hoc amor & odium præstant in appetitu: sicut amor est actus & motus, quo quis sibi & alteri bonum vult, ita odium est actus & motus, quo quis alteri malum vult sine suo emolumento. *Sed & irasci, est velle alteri malum, ergo ira & odium non differunt.* Resp. *Irasci, est malum alteri velle ob emolumentum nostrum, nempe ob vindictam, qua injuriam acceptam ulciscimur, odisse vero, est alteri malum velle sine ullo nostro bono simpliciter, quia ipse nobis displicet.* Itaque *ira* nascitur, ex iis, quæ unusquisque ad se pertinere censet, *odium* existit etiam sine iis, quæ quis, ad se spectare, existimare possit. *Ira*, est adversus singulares, *odium*, adversus integram gentem: *ira* dolorem inferre cupit alteri, qui sentiatur; *odium* susque deque habet, an malum sentiatur, nec ne: *ira*, cum molestia est conjuncta; *odium*, doloris est expers; *ira*, facile sanatur; *odium*, fere est incurabile.

XII. Porro, *odium est, vel personæ, vel rei: odium personæ est, quo personæ malum volumus, quia ipsa nobis est infensa: odium rei, quo rei alicui malum volumus, non quia nobis ea noceat, sed quia per se nobis contraria est & inimica*: unde, qui odio rem habet, cupit ejus interitum & exitium. *Scholastici, odium personæ* vocant odium inimicitiæ, *odium rei*, odium abominationis.

XIII. *Causæ* odii sunt, oppositæ eorum, quæ amorem pariunt: itaque, causæ odii sunt, malum, quod, vel verè est tale, vel apparet: *causæ* odii sunt, habitus contrarii, in rebus aliis, vel naturæ vel ingenii, vel morum: uno verbo, odio habemus, omnia deformia, injucunda, molesta, turpia, quæ fastidium generant, omnia naturæ inimica & adversa; homines odimus austeros, morosos, alienæ laudis detractores, latrones, proditores, vitiis multis oneratos, & universum genus malorum ac maleficorum: odium vero crescit augeturque, si secreto condatur ac generetur.

XIV. *Effecta odii* sunt, fuga à malo, quod odimus, detrimentum ei, cui male cupimus, illatum, dolor, & à dolore, si nimius existat, corporis ægritudo: omne enim odium dolor aliquis comitatur, qui, si valde intendatur, valetudinem corrumpit: dolor enim destruit naturam, & non pauci, maligni homines ingenii, odio in alios, veluti tabe, sunt consumti.

XV. *Odii remedia* sunt non multa, sed unum, nempe charitas, ejus contrarium: nam, qui charitate flagrat, is non facile odium concipiet.

XVI. Odium alicujus rei *excitari* potest, si ostendatur, rem illam inhonestam, injucundem, inutilem, esse, cedere in perniciem nostram, nobis pudorem ac dedecus adferre, reddere Deum & bonos nobis infensos & inimicos, & afferendo contrarias rationes iis, quas ante protulimus, excitando affectui amoris: si quis, V. C. de suggestu auditoribus persuadere debet odium peccati, ostendat, peccatum esse malum, & quidem inhonestum, ac turpe, quod non deceat nos Christianos; esse tale, quod Deum & bonos, nobis, nos, Deo & bonis, reddat exosos; quod illud ametur ab iis, qui nostri sunt hostes, à diabolo & impiis, quod nobis illud maxime noceat, quia nos privat omnibus bonis à Deo in nos conferri solitis, quia contra omnia mala secum trahat, & in nos derivet, imo æternam nobis perniciem adferat, &c. quæ, maxima animi commotione in auditoribus excitanda, dici possunt.

XVII. Ut Amori opponitur Odium, ita Desiderio opponitur *Fuga*, quæ, quid, qualisve sit, quæ ejus causæ, effecta, remedia, ex iis, quæ nunc de *Desiderio* diximus, facile constabit; contrariorum enim est eadem cognitio: *Fuga mali, est contractio animi à malo absente, quod ut minus conveniens conceptum fuerat.* Hoc affectu ii maximi laborant, qui maxime cupiditatibus sunt mancipati.

XVIII. *Fugæ causa* est, odium; fugimus enim malum, quod & quia odimus: eademque sunt fugæ, quæ odii, *effecta*; quare, iis re-

censendis non immorabor, ne jam dicta repetam. Quæri potest hic non inutiliter: *num præsente malo fuga cessat, fuga enim absentis est mali.* Resp. etiam, præsente malo fugam perseverare, quia natura malum perpetuo detestatur ut inimicum, sive præsens, sive absens.

XIX. *Remedia fugæ nimiæ* aut supervacaneę, peti debent ab opinionibus nostris, quibus plerumque nimium indulgemus, quæ corrigi debent: hoc enim vitio laboramus nos omnes homines, ut non tam rebus perturbemur, quã iis quidem, quas de rebus habemus, opinionibus: qui igitur paucarum rerum *fugâ* corripi vult, is cohibeat opiniones, nec facile, visis & in sensus externos illatis, assentiatur: at verò, si quę vere sunt mala, ut de iis non possit aliter existimari, quam id esse quod sunt, considerandum est, an ea evitasse vel evitare, nostri sit arbitrii: si sit, fugi possunt ac debent: sin minus, frustra se quis in iis fugiendis fatigat. Postremo ut Amori Odium, D. siderio Fuga, sic Gaudio *Tristitia* opponitur: quare & eam breviter considerabimus

XX. Ante omnia hic quæritur. An *tristitia sit idem animi affectus, qui dolor, ut vocabula æque late pateant?* Resp Vulgò tristitia non tam late patere dicitur, quam dolor: dolor dicitur & de animo & de corpore, tristitia solum de animo dicitur: dolet, non tamen tristatur corpus, sed animus tristatur. Dolemus, cum nobis membrum inciditur, cum corpus secatur, cum cædimur, cum torquemur, cum vulneramur, cum pes noster offenditur, sic quidem vulgo: nos tamen *Tristitiæ* vocem tam late nunc extendimus quam *Doloris*, definimusque *tristitiam, affectum appetitus concupiscentis, super malo, vel re ipsa, vel per phantasiam, præsente*: ut enim delectatio est, de bono concupito, & quo præsenti fruimur ac potimur, ita tristitia est, de malo præsenti, quod, cum timeremus, evenit: hic affectus terrestris est, fugidus, aridus, durus, & consistens in atra bile.

XXI. *Tristitiæ species* sunt variæ: *Thomas Aquin. prim. secundæ quæst* 35. recenset 4. species, alii septem faciunt. Nempe *Prima* species *tristitiæ* est; Dolor de malo proprio, vel amicorum, ex eo tantum acceptus, quod illi primo, nos secundò malum patiamur, quæ simplicissima est, maximeque *pura tristitiæ species Secunda* est, dolor, *de malo proprio*, quod non quidem damnum sed dedecus adfert, *verecundiaque* dici solet vulgo. *Tertia* species tristitiæ, est, dolor *de malo alterius*, quo eum indignum judicamus, & dicitur *misericordia* vel *miseratio. Quarta* tristitiæ species, est dolor de bono alterius, non quod inde accipiamus detrimentum, sed quia is bono fruitur; & vocatur *invidia. Quinta species* est, dolor de bono alterius, quo eum indignum judicamus; & dicitur *indignatio. Sexta* species est, dolor de bono alterius, quod quidem ei ademptum nolumus, ægre tamen ferimus, nos eo carere; & vocatur *æmulatio. Postrema species* est, *anxietas*, sive animi quædam angustia ex fuga mali, & hinc orta *acedia*, quæ occupatis nimia anxietate mentis ita insurgit, ut homini, per eam presso, nihil boni agere lubeat: hanc comitatur, *tædium* mentis, *torpor, inertia*, & *somniculosa desidia.*

XXII. Tristitiæ *causa* est, malum, vel præsens, vel habitum pro præsenti; præterea, bonum amissum & jam præteritum: unde tristari solemus epulis finitis, conviviis expletis, jocis, ludis, spectaculis, diebusque festis ac lætis, exactis. Augetur mirè tristitia, si malum non possit ejici: sublata enim spe finis malorum, nullum supereſt miseris solatium: intenditur tristitia, si fuerit subitum malum & improvisum: tristitia etiam pro causa habet corporis temperiem frigidam & siccam, qualis est bilis atra: &, cum sit affectus frigidæ & siccæ naturæ, viget etiam in frigidis ac siccis temporibus ac locis.

XXIII. *Effectus* tristitiæ varii sunt. 1. Incommodat corpori, magisque valetudini nocet, quam ullus alius affectus. 2. Vexat animum, spirituſque cum calore debilitat, compressionem inducit cordi. 3. Lachrymas extrudit, quas tristitiæ partus, atque doloris fructus, ut poma, arborum, non ineptè, quis dixit. 4. Impedit omnes animi corporisque functiones, præter eas, quas ipsa elicit; hebetat ingenium, turbat rationem, totumque hominem de statu suo dejicit.

XXIV. *Remedia* tristitiæ, partim sunt *Medica*,

Medica, partim *Philosophica: Medica* sunt, balnea & somnus: balneis enim & somnis dilatatur sanguis, gignuntur spiritus recentes: multum contulerit quoque exercitatio modica & usus cibi εὐπέπτου, boni succi, vinique albi ac generosi: etiam fletus tristitiæ remedium est: nam, *expletur lachrymis egeriturque dolor. Philosophica* remedia sunt, consolatio ab amicis profecta: faciunt enim illi consolando sese quasi participes calamitatis nostræ: præterea, contemplatio rerum altissimarum, qua dum detinemur, mentem à rebus molestis avertimus, ne tristitia augeatur; denique efficacissimum leniendæ ac moderandæ tristitiæ remedium est reputatio conditionis vitæque humanæ, ac malorum consideratio, quibus illa est obnoxia, quorum pleraque vitari non possunt, quod non sint in hominis potestate; illud quoque mente diligenter est volvendum; primis rerum seminibus casum à natura implicari, & monstra generari: qua cognitione armatus, si quis inexpectatum rei exitum experiatur, nihil sibi novum accidisse putabit: magnitudo itaque animi, ejusque in adversos casus præparatio, rerum humanarum despectus, memoria conditionis hominum, & eorum, quæ eam circumstant atque ambiunt, malorum, tristitiæ, vel repellendæ, vel expellendæ, vel mitigandæ, sunt efficacissima Iræ remedia. Sed de *Tristitia* & appetitus concupiscentis affectibus sic satis pro ratione harum *exercitationum* qui plura desiderat, præter ante nominatum *Brancifortium*, adeat *Lælium Peregrinum de affectibus*, & duos olim in schola illustri Herbonensi Collegas Philophos, *Alstedium & Guthberletum*, utrumque in sua *Pathologia*.

EXERCITATIONUM ETHICARUM VIGESIMA-PRIMA, DE Affectibus in Specie.

THESIS I.

EXamini subjecimus, *Exercitatione secundâ præcedenti, Affectus, Appetitus concupiscentis*; eodem modo & ordine nunc eidem subjiciemus *Affectus, Appetitus irascentis*: eos quinque fecimus: *Spem, Desperationem, Metum, Iram, Audaciam*. A Spe ordiemur, ac primum vocem, mox rem excutiemus, more nostro.

II. *Spei vocabulum* apud Latinæ linguæ Authores non semper idem significat; interdum generalissimè sumitur pro quavis exspectatione, tum mali, tum boni, ita ut dolorem quoque *sperari Poëta* dixerit: *hunc ego si potui tantum sperare dolorem*, ubi *sperare* pro *timere* ponitur. Deinde, spes nonnunquam sumitur *pro ipsa re sperata*: sic *Christus* dicitur spes nostra. Tertiò, sumitur pro *certitudine spei*, quomodo dicitur, *spes non pudefacit*. Quartò, propriissimè, ut hic, *pro affectu, quo ferimur in bonum absens, arduum, possibile*, ac definiri potest; *Affectus, Appetitus irascentis, tendens in bonum absens, arduum, possibile*, hoc enim spei est objectum: hinc videre est, *quod spes differat à desiderio*: aliud enim huic, aliud illi, est objectum: *spes* est de bono arduo, difficilisque adeptionis; *desiderium* de bono, quod facile obtinetur: hinc fit, ut desiderium feratur in finem impetu suo; spes verò ad media primùm, post ad finem tendat.

III. Uterque affectus est boni absentis, sed

sed desiderium est boni absentis simpliciter, spes est boni absentis, verum ardui, ac cum difficultate conjuncti. *Spes maxime reperitur in juvenibus, ut docet Arsst. 2. Rhet. cap. 12.* sunt enim juvenes promptissimi ad sperandum: cujus rei variæ possunt assignari rationes. Prima, *quod illi multum habent reliqui à futuro, parum à præterito: plus enim juxta naturæ ordinem victuri sunt, quam vixerunt; spes verò futurorum est. Secunda ratio est, quia juvenes abundant sanguine, quo redduntur animosiores: spes vero fulcitur animi vigore. Tertia ratio est, quia juvenes carent experimento, & cum non admodum crebras tulerint repulsas, nec multos experti fuerint casus adversos, omnia se facile adsecuturos credunt ac sperant. Quarta, quia juvenes non animadvertunt pericula ob calorem ætatis, quo citissimè aguntur ad ardua quæque sine delectu adeunda.* Est verò hic affectus spei valdè necessarius humanæ vitæ, mireque juvat functiones ejus: ac primò, gignit voluptatem, quâ cessante humanæ functiones deficiunt: quis enim voluptate semotâ ullum suscipiat in agendo laborem? Hic igitur præclarus spei est fœtus, hominem reddere attentum ad munus & ad rem præsentem, ejus functiones excitare ac promovere: nihil tam acerbum est, quod non una spes reddat gratum: & voluit Deus, ut spes levissimis de causis nascatur, quæ homines in malis sustentet, consoletur, recreet. *Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis Semina, quæ magno fœnore reddat ager.* ait *Tibullus.* Spes ægros, captivos, vinctos, incarceratos, & id genus miseros, fulcit, adeoque eorum ultimum est solatium.

IV. Spei opponitur *desperatio*, nimirum in defectu: nam *in excessu* ei opponitur *temeritas*: qui enim sperat ac confidit sine causa ulla, temerarius est. *Desperatio est, recessus animi ab appetitione boni ex opinione, quod nunquam eo sit potiturus, respicitque primariò malum, puta imbecillitatem virium ad consequendum bonum.* Arguit desperatio animum abjectum & angustum, gigniturque maximè à torpore mentis & abjecta sui opinione: præsertim, cum accedit impendentium malorum metus. Desperatio enim timorem sequitur: & hic desperationem gignit.

V. *Effecta* desperationis sunt, incuria in rebus agendis, cessatio à præclaris facinoribus, vita voluptatibus inhonestis mancipata, magnaque improborum factorum colluvies. Ex eventu autem desperatio gignit audaciam, unde illud vulgare, *spes desperatione quæsita*: qui enim desperant, exitus omnes ad evadendum obstructos vident, & omnino censent si' i esse moriendum, jacturam illam magno hostium detrimento compensare student: sed à *Spe* ac *Desperatione* ad *Audaciam* Transeamus ac *Timorem*: ac de *Timore* prius videbimus.

VI. Hic *affectus* variis effertur nominibus: dicitur enim *timor, metus, formido, pavor, error*, quamvis Critici sint, qui hæc vocabula distinguant, ut *timor sit*, exspectatio futuri mali à vi superiore, *metus sit*, demissio animi ex malo futuro, *formido sit*, metus oriens à larvis & spectris, *pavor sit*, perculsio animi, *terror sit*, quid majus pavore. Definitur *Timor ab Arist. 2. Rhet. ægritudo ab oblatâ specie mali impendentis, quod interitum vel dolorem afferre possit.* Differt à *tristitia*, quia *hæc* respicit malum præsens, at *timor* futurum: *tristitia* plus admittit consilii, *timor* minus; *tristitia* perniciosior est naturæ, *timor* minus.

VII. *Causa* timoris est malum impendens, ut mors, cruciatus, infamia, bonorum amissio, & quodcunque naturam corrumpit, vel ei detrimentum adferre potest: gignit quoque timorem, in aliorum fide vitam habere collocatam, quia ea fides fluxa ferè est: qui injuriam facere possunt, metuuntur quoque iis, qui sunt injuriæ expositi. Timentur etiam, & qui injuriam acceperunt, & qui injuriam fecerunt: illi, quia observant perpetuò tempus ulciscendi, suntque locati in insidiis: hi, quia, si sint potentes, talionem reformidant, ideoque nova & nova subindè ingerunt incommoda. Denique nascitur sæpe metus ex naturali aversatione, ex ἀντιπαθείᾳ: sic ovis timet lupum, leo gallum; ovis enim lupum, leo gallum, concipit ut malum. Augetur verò timor: primò, si malum imminens difficillimè propul-

pulsari posse existimetur: Secundò, si sit magnum & grave: Tertiò, si sit repentinum; tùm, quia minus loci consilio & præparationi relinquit, tum, quia repentina apparent majora magisque percellunt. Quartò, si sit ignotum: hoc enim malum minus admittit consilii, quia ignoratur. A timore sunt immunes illi, quibus nihil mali contingere potest, ut sunt beati in cœlis; item & illi, qui in extrema malorum devenere, hi enim nihil amplius timent, quia nihil est malorum reliquum quod patiantur. Hic scrupulus moveri potest: *si timor est de malo imminenti, quare Deus ergo & Principes boni timentur?* Respondeo, Deus & Principes boni timentur, non quia sunt mali, sed quia possunt infligere malum: nam, si pœnam, quam possunt infligere, non apprehendimus ut malam, non timebimus, sed loco timoris nascitur reverentia.

VIII. *Effectus Timoris* sunt varii: obest corpori quam maximè, atque animo plus quam cæteri affectus, excepta tristitia. Quod timor corpori obsit, indè manifestum est, quia contrahitur & debilitatur cor, ad cujus opem & subsidium calor superiorum & inferiorum partium accurrit, quem retrahit cum sanguine timor, undè pallor oris, frigus artuum, tremor membrorum, præsertim eorum, quæ magis sunt mobilia, ut sunt, poplites, genua, labra. *Effecta* timoris sunt etiam, silentium, sitis, horror corporis, asperitas & erectio pilorum, canities, vocis exilitas, tremor, dentium concussio, linguæ titubatio, &c. In animo verò gignit timor perturbationem & inconstantiam: timor enim cogitationes confundit, suspiciones quoque parit: meticulosi enim sunt suspicioſi, neque unquam tantum est periculum, quin majus sibi fingant. In timore vero hoc est observandum, ab eo sæpè per exspectationem mali plus molestiæ inferri, quam ab ipso malo cum præsens est. Scribit *Curtius* aquarum penuriam in Alexandri militibus, desperatione prius quam bibendi desiderio, sitim accendisse; quod timor futuri mali interdum plus noceat, quam conspectus præsentis.

IX. *Remedia* timoris nimii, sunt in promptu; timemus, quia diligimus. Qui divitias non amat, fures non timebit: qui lucis hujus usuram non adeò caram habet, non timebit mortem. Amor itaque, timoris nimii causa, succidi ac tolli debet, & jam sustuleris timorem.

X. Timori, tanquam *extremum* longissimè dissitum, opponitur *Audacia*: *hæc est, affectus appetitus irascentis, quo animus in magnis ac periculosis rebus multum fiduciæ concipit, & fidit se superaturum mala & incommoda.* Gignitur audacia ab opinione propriæ virtutis, vel ab opinione, quam habemus de adversarii imbecillitate: habet & alias causas: calorem cordis, vinolentiam, ingenium præceps, & minus exercitatum: quo enim quis est minus expertus, eo est audacior, quia minus reformidat incommoda & pericula: videre hoc est in ducibus ignaris rerum bellicarum, qui sæpe clades accipiunt ob temeritatem & audaciam: porrò, qui viribus, qui opibus, qui amicorum copiâ, qui potentiâ valent, sunt audaciores, quia minus metuunt. Denique ex eventu desperatio sæpe gignit audaciam. Non debent audacia & fiducia inter se confundi; fiducia bonum per se primò respicit, audacia malum, non quidem ut fugiat, sed ut superet.

XI. *Effectus* Audaciæ sunt, sanguinis atque caloris diffusio, commotio bilis ab impetu animi, contemptus discriminum, ignava securitas, rerum profligatio & interitus.

XII. *Remedia* Audaciæ sunt, moderata opinio de se, non levis existimatio de viribus adversariorum, usus & experientia rerum.

XIII. Postremum inter affectus appetitus irascibilis locum tenet *Ira*, quæ concupiscentis facultatis rationisque veluti minister est. Eam definit *Aristoteles* 2. *Rhet. apparentis ultionis appetitum ex dolore, quando se aut sua quis contemni videt immerito. Dicit Philosophus, esse appetitum ultionis apparentis:* nam satis est ad irascendum, ut quis existimet ludibrio se haberi: dicit, *quando quis se aut sua contemni videt*: nam irascimus etiam,

si, qui nobis cari sunt, aliquid indignè patiantur. Nomine *ultionis* etiam *castigatio* intelligi debet: irascimur enim in eos, quos castigatos, non tamen detrimento affectos, volumus; uti irascitur pater in filium, præceptor in discipulum. *Iræ comites sunt voluptas, dolor, odium. Voluptas* quidem, quia jucundum est cogitare sese consecuturum ultionem, quam vehementer quis optabat. *Dolor*, quia injuriam accipere non contingit sine dolore. *Odium*, nam promptum est odisse eum, à quo fueris injuriâ affectus: quin etiam, ubi tenditur ad castigationem in eos qui sunt cari, aliquod odium intercedit, si non hominis, facti saltem. *Differunt* tamen plurimum *ira & odium*, quod & ante fuit dictum: nam, per *iram* volumus alicui malum cum impetu & exarsione animi, quia nobis injuriam intulerit, quam volumus vindicare: per *odium* verò optamus alicui malum, etiamsi nullâ ab eo simus affecti injuria, sed tantum, quia ipse, quem odimus, nobis displicet.

XIV. *Causa* iræ est, malum offendens. Ejus prima radix est, opinio, contemptus sui ab alio: ideo pauperes, senes, claudi, gibbosi, monoculi, manci, deformes, facile irascuntur, quia putant se ab aliis contemni: sic facile irascuntur, qui sunt animo angusto, minusque ad judicandum firmo. Ut enim imbecillia corpora à vento, sole, frigore, cæterisque incommodis facilè afficiuntur: sic exiles animi ab iræ impetu maxime divexantur. Pueri, fœminæ, frigidæ temperaturæ homines, centies de die succensent & irascuntur: at magnanimi, etsi ab innato calore ad irascendum sint proniores, tardius tamen irascuntur, quia vilia existimant, quæ grandia pusilli animi hominibus apparent. Bilioси facilius inflammantur, frigidi servant iram diutius: sanguinei citò concipiunt iram, quia calidi; citò deponunt, quia humidi sunt: sanguis enim, etsi sua natura pariat hilaritatem, copiosus tamen, vim habet bilis, facileque concipit iram. Est etiam victus ratio aliqua, quæ bilem & iram auget, ut sunt, cibi omnes calidiores, qui cerebrum, judiciumque debilitant. Augetur ira, si amicus erat, qui fecit injuriam, quia hoc inexspectatum est, ab amico lædi: at inexspectata magis movent, & res ferè intoleranda videtur, indè offensionem accipere, unde beneficium erat sperandum. Augetur ira, adventu miseriarum & calamitatum; solent enim istæ homines reddere iracundiores.

XV. *Effectus* iræ varii sunt, & alii ex ipsius iræ natura, alii ex eventu: prioris generis effectus, est dolor in animo à retardatione atque mora vindictæ, & anxietas & metus, ne non sequatur vindicta: ira, consternationis plenus est affectus, ac nunquam sine detrimento irascentis violentus, qui ipse dolorem, cum inferre vult, patitur: imò iratus, si non ulciscatur, ad rabiem adigitur, crudelitatemque exercet, sæpe in se, sæpe in alios. Secundus iræ effectus, est voluptas animi à spe futuræ ultionis excitata: ut enim jucunda phantasmata dormientibus, ita ultionis cogitatio, qui irati mente volvunt, irascentibus adfert delectationem. Tertius iræ effectus est, perturbatio rationis, & mentis de suo statu dejectio. Hinc fit, ut irati multi cogantur usurpare illud *Chremetis Terentiani, præ iracundiâ*, inquit ille, *non sum apud me.* Quartus iræ effectus est, sanguinis fervor circa cor: hinc in quibusdam sequitur pallor à contractione sanguinis, in aliis rubor, scilicet, in quibus sanguis est magis fluidus, vel qui sunt animo generoso; sequitur & palpitatio cordis ob excandescentiam, & ligamen linguæ atque organorum, quibus vox formatur & suis articulis distinguitur. Exarsio autem à flava bile oritur, quæ per iracundiam cietur. *Exarsere ignes animo*, inquit Poëta. Accedunt, ardor oculorum, tumor oris, tremor genuum & manuum, aliaque symptomata, ut febris, ac interdum mors: unde ira maximè officit valetudini, dum variis modis eam lædit.

XVI. *Effectus* iræ, ex eventu varii quoque sunt, *in jocando*, ira amicitiam mutat in odium, *in disputando*, studium veritatis vertit in libidinem contendendi, *in judicio*, ira potestati addit temeritatem, *in institutione*, ira addit mœstitiem & odium disciplinarum, *in rebus secundis*, auget invidiam, *in adversis*, irascentem misericordiæ eximit.

XVII.

XVII. *Remedia* iræ imprimis quærenda sunt nobis, quia difficilis apparet ejus, cum modum excedit, curatio, præsertim, quando varii affectus, quandoque inter se invicem pugnantes, in eam confluunt: ut, cum contrarii morbi semet complicantes, difficilem & ambiguam reddunt curationem; sic affectus animi, si plures commiscentur, medentis diligentiam & peritiam non vulgarem postulant. Primum igitur suspicio est removenda, nec opinandum, ea, quæ nobis displicent, esse facta in contemptum nostri, sed existimandum potius, ea per incuriam esse admissa. Deinde, de seipso sentiendum est moderatè, & existimandum, semetipsum posse æque committere quid contemptu & vituperio dignum. Tertiò reputandum, iram proficisci ab animo vili & abjecto: neque magni est animi aut generosi, irasci. Quarto cogitet iracundus, turpe esse, injuriam referre: nam, qui id facit, flagitii partem accipit, ac peccat: quemadmodum, qui fuliginosum complectitur corpus, & cum eo volutatur, fuligine abit inquinatus: cedendum est aliquando, ut superemus, nam &, qui cedit iræ, vincit: hæ sunt hujus palæstræ leges, ut Athletas imitemur, qui de industria aliquando humi depressi jacent, ut adversariis, supernè incumbentibus, victoriam eripiant. Quinto, utendum cibis frigidis, somno remisso ac brevi, aliisque, calorem ac bilem minuentibus. Sextò, aures admovendæ sunt sermonibus, cum doctrina, veritate, & gravitate, conjunctis; nullum est aptius moderandæ iræ pharmacum, quam viri gravis oratio. Septimò, cum facto aliquo offendimur & in iram concitamur, cogitandum, à nobis quoque non pauca perperam fieri. Octavò, juvant valdè proposita & vota de non irascendo per annum, menses, dies, quæ subindè renovari possunt. Nono, spatium animo est concedendum, ut se colligat & dissipatas quasi sui partes in unum restituat: *Athenodorus*, ab aula discessurus, monuit *Augustum*, nequid in ira diceret facerctvè, ut characteres Græcos prius recitaret: ita *Ambrosius Theodosio* author fuit, ut prius orationem dominicam recitaret, ne quid iratus perpetraret: his omnibus remediis efficacius est, quod Christianos decet, devota ad Deum precatio pro iræ impetu sufflaminando.

XVIII. Operæ est pretium, hanc quæstionem breviter decidere. *An sit difficilius iræ quam voluptati repugnare?* Egregia sanè difficultas. *Heraclitus*, majorem omnino vim iracundiæ tribuit, ut refert in *Ethicis* *Aristoteles*: *Philosophus* tamen existimavit, multo esse laboriosius aditum obstruere voluptati quam iræ. *Nos verò, ut omnis tollatur difficultas, notandum censemus, quod multa concurrant, ut quid ægrè tollatur: impedit enim vis vehemens ejus rei, quam amoliri studes; impedit affinitas ejus cum sensu: impedit latens & subdolus rei adventus*: hæc omnia faciunt ut ægerrimè aliquid tollatur. Quod si jam rectè calculum subducamus, & ab una parte, vim, tum iræ, tum voluptatis, debitè inspiciamus, videtur difficilius esse, iræ quam voluptati, repugnare: *est enim ira vehementissimus affectus*: undè dicitur, ab *Ethicis*, acerba commotio mentis: & leges multum indulgent ei, qui ob iracundiam factus est impos mentis, & sic peccavit: *si verò affinitatem cum sensu hominis & communem quis spectet assuetudinem, ab alterâ parte, cum major hominum pars in voluptatem propendeat, videtur difficilius esse, voluptati repugnare, præsertim, si quis spectet iras occultas, quibus voluptas illabitur animis mortalium*. Quare magis adhuc cum *Aristotele* quam *Heraclito* sentiendum videtur, licet utrinque sint rationes, quæ non sunt improbabiles. Sed hæc de affectu hoc, *irâ*, reliqui *irascentis* *Appetitus*, differuisse sufficerit. Plura videri possunt apud Authores ante citatos, & de *irâ* speciatim apud *Senecam in lib. de irâ*.

EXERCITATIONUM ETHICARUM VIGESIMA-SECUNDA, DE Quæstionibus circa Actiones Spontaneas, Invitas & Mixtas.

THESIS I.

QUæstiones, quæ moveri solent circa *finem ultimum, summum bonum*, circa *Subjectum ejus, Animam Rationalem* ac *Sentientem*, illius Facultates, *Intellectum, Voluntatem*, ac *Liberum Arbitrium*, hujus, *Appetitum Sentientem* atque *Affectus*, abundè in superioribus *Exerc.* excussimus: Nunc Media, quibus Summum bonum in Subjectum introducitur, ἀναπτυξιακῶς, ut ante factùm fuit, discutienda veniunt, quæ sunt *Virtutes*, & *Actiones*, earum productrices: prmum de *his*, ut *Causis*, deinde de *virtutibus*, ut *effectis Actionum*, philosophabimur. *Actionibus*, *Virtutes*, &, per Virtutes, *Summum Bonum*, producentibus, accidit, esse *Spontaneas* & *Bonas*: nam nec *malis*, nec *invitis*, actionibus, Virtus & *Summum bonum*, acquiri possunt: quia tamen contraria juxta se posita magis elucescunt, & contrariorum eadem est scientia, *de Spontaneo* simul & *invito*, *bono* simul & *Malo Morali*, disseremus. Quia vero *Bonitas & Malitia Moralis*, nulli competunt actioni, nisi sit *Spontanea*, primum de *hac* & ei oppositâ *Invitâ*, & inter utramque *Mediâ*, ac *Mixtâ*, quæstiones quasdam hac *Exercit.* movebimus. In *Collegio* enim *Ethico* ἡ κατασκευὴ satis est instituta: jam nunc ergo *Objectiones* quædam solvendæ restant.

II. Primo, adversus invitum per vim, nonnulla opponi possunt: diximus *in Coll. Ethico*, hoc esse, quod fit contra *voluntatem agentis* aut *patientis*. Hoc estò primum argumentum. 1. *Si nihil possit fieri contra voluntatem alicujus, ergo nullum est invitum per vim. Sed verum est prius. E. prob. min. Si voluntas non possit cogi, ergo nihil potest fieri contra ejus voluntatem. Sed verum est prius. prob. min. Si possit cogi, cogeretur in suis actibus; sed non cogitur in iis. Actus ejus sunt, velle, nolle: at utrumque liberum est, & nulla vi potest impediri, nullâ cogi.* Resp. Distinguantur voluntatis actus eliciti ab imperatis: eliciti sunt voluntatis proprii & in eâ hærent: imperati sunt, aliarum facultatum, sed ab iis, voluntatis jussu, atque imperio, exercentur, unde imperati dicuntur, actus eliciti sunt, velle, nolle: in iis nullam vim aut violentiam potest pati voluntas, quia nihil sunt aliud, quam quædam voluntatis ad aliquam rem propensiones, profectæ ab intimo principio, finem cognoscente: certè, ipsa voluntatis ratio & natura exigit; ut ubique ac semper promere possit actum istum suum internum: id vero, quod vim patitur, ab externo patitur principio: at hujusmodi principium externum voluntati admoveri non potest, quin ipsa voluntatis ratio funditus evertatur: pugnant enim hæc, actum aliquem esse voluntatis, & coactum esse: nam si voluntatis est actus, non est coactus, & contra. Quod vero attinet actus imperatos, idest, eos, qui ab aliis facultatibus ex imperio voluntatis exercentur, quales sunt loqui, scribere, progredi, movere, &c. in iis voluntas potest vim pati, quia per vim ipsa corporis membra & eorum facultates impediuntur, quo minus obtemperent & voluntatis faciant mandata. Potest enim externa vi, motus, incessus, loquela, inhiberi, & sic dicitur invitum esse quod contra voluntatem fit in actibus imperatis.

III.

III. 2. *Manum attollere, aut brachium, utrique est violentum: sic scandere, aut ad numerum, saltare pedibus, est violentum: & tamen neuter motus est invitus, neuter contra voluntatem fit: nam, & qui attollit manum aut brachium, & qui scandit, saltatque ad numerum, id facit uterque quia vult, ergo &c.* Resp. Ille motus brachii vel manus sursum, violentus dici potest, in quantum opponitur naturali gravitati, tendenti deorsum: sed non in quantum opponitur voluntati: distinguatur violentum, quod vel opponitur naturali, vel voluntario: manus aut brachii sublatio sursum, est violenta, in quantum est contraria naturæ, sed non est violenta secundo sensu, quia non est contraria voluntati, sed jubenti voluntati consentanea & obtemperans: idem respondendum est de saltatione pedum, & scansione.

IV. 3. *Invitum cum dolore ac tristitia est conjunctum: sed violenta multa non sunt &c. ergo v. c. cum ab amico levissimè percutimur, in significationem amoris, illa percussio violenta est, quia est ab externo principio, & tum non est invita, quia non est contra voluntatem percussi amici, quia ei placet ita percuti in signum amoris.* Resp. Invitum, seu involuntarium est duplex: vel significat solam negationem volendi, vel positivum voluntatis actum, per quem voluntas non tantum, certam aliquam rem negativè, non vult, sed vult præterea positive contrariã: jam vero, cum dicitur invitum, aut involuntarium, conjunctum esse cum tristitia, & dolorem gignere, intelligendum est invitum aut involuntarium positivè, uti etiam hic à nobis sumitur, cum Spontaneo opponitur, quando voluntas actu contrario tendit & nititur in contrarium. At voluntarium negative, consistens in sola volendi negatione, tristitiam non parit: nam, quam potest animo concipere tristitiam, qui hoc sibi accidere videt quod ita nolebat, ut nec etiam vellet positivè contrarium. Præterea in hoc exemplo allato, ibi ne quidem est negatio volendi, aut nolitio percussionis, sed contra, est volitio percussionis ab amico factæ, ut nec positivè, nec negativè, sit invita percussio, nec contra, sed ex ejus voluntate.

V. 4. *Delapsus in puteum extrahitur motu violento, quia vis fit rei aut corpori gravi, quando sursum trahitur: & tum non est ista extractio contra voluntatem extracti. E.* Resp. Eadem est Solutio, quæ secundi argumenti: est violenta, ut opponitur τῷ violentum naturali, sed non ut opponitur voluntario.

VI. 5. *Multa sunt, quæ neque volumus omnino, neque nolumus; ergo non omnis actio est invita vel spontanea: ut, cum quis neque volens neque nolens ab alio trahitur, permittendo tum se trahi* Resp. Qui sic trahitur, ejus respectu tractio non est invita, quia non habet positivum actum nolendi, nec spontanea, quia non habet actum positivum volendi, sed trahitur ἐκ ἀκόντων ἐκ ἑκόντων, sed illa tractio est medium negationis inter invitum & spontaneum, quale dari ex Aristotele ipso alias audivimus: talis etiam tractio est ejus, qui dormit. *Sed quid, si aliquis se patiatur trahi ad scelus.* Resp. Illa tractio est Spontanea, quia trahenti, cum posset & deberet, non restitit, & resistere non voluit: interim tamen distingui potest τὸ spontaneum seu voluntarium; aliud est simpliciter tale, aliud interpretative: si tractio ista, qua ad scelus quis se patitur trahi, non sit spontanea simpliciter, est saltem voluntaria per interpretationem, seu ut loqui amant *Scolastici*, interpretativè.

VII. 6. *Martyres liberrime ac sponte dolores subeunt ac cruciatus, & tamen vim patiuntur à Tyrannis. E. Non omnis vis actionem invitam facit, nec spontaneam tollit.* Resp. Per cruciatus & tormenta Martyrum vel intelligitur actio, quæ Martyres conficit, vel ipsorum Martyrum perpessio, qua ferunt cruciatus. Actio ipsa, quæ Martyres cruciat, est respectu Martyrum plane invita ac violenta, quia Martyres ad eam nihil conferunt, nec adjumentum aliquod, nec voluntatis consensum: at vero, perpessio illa Martyrum, respectu eorum, est voluntaria & spontanea, quia voluntatem patiendi conferunt, patiuntur enim, quia volunt: ergo cruciatus est violentus Martyribus, habitâ ratione agentis: idem est illis voluntarius, habita ratione Martyrum, eos sponte ac voluntariè perferentium.

VIII. Nunc quæstionem proponamus *de actionibus ex metu profectis: quænam actiones ex*

metu profectæ sint culpandæ, quæ laudandæ? quam quæstionem ut decidamus, distincte est procedendum. Quod ex metu fit, aut per se est bonum, aut per se malum. Nam indifferens in actionibus singularibus non datur. Si quæstio instituatur de metu, ex quo bonum aliquod inchoatur, conservatur, perficitur, dico, actionem, ex tali metu profectam, esse laudabilem, non vituperandam; si vero id, quod per metum efficitur, sit malum per se, omnis vituperanda est actio ex tali metu profecta. Utriusque exemplum est; prioris quidem, ut si quis ex metu pœnæ, ex metu judicis, aut ex timore Dei, quem timet offendere, aliquid boni, aut aliquam virtutem exerceat, actio, ex tali metu profecta, quam maxime est laudanda: Posterioris exemplum est, ut si quis ex metu mortis Deum abneget, aut aliquod peccatum committit, actio, ex tali metu profecta, est vituperanda. Contra hoc secundum membrum decisæ quæstionis nonnulla objici possunt, solvenda nobis.

IX. 1. *Malum, quod omnis boni possessione nos privat, est minus eligendum, quam quod alicujus tantum boni possessione nos privat. At Mors nos spoliat bono naturali & morali: peccatum commissum, tantum nos privat bono morali. E.* Resp. Neg. min. neq; enim Morsillud nobis adimet bonum, quod in eo est positum, ut vitam feliciter absolvamus, quam feliciter absolvimus; cum mortem oppetere malumus, quâ in honestum aliquod, aut turpe, aut peccatum committere: quid? quod à peccatis abstinentes, per mortem adimus possessionem æterni boni. Ergo mors non privat nos omni bono, sed contra, optimum largitur; quod tantum abest, ut per mortem tollatur, ut obtineri nequeat, nisi morte obita: præterea, mori, esse minus malum, quam peccatum committere, facile potest demonstrari. Qui metu mortis aliquod committit peccatum, is, bonum virtutis, quod summum in hac vita censetur, amittit, sese que induit in summum vitæ malum, quod est scelus & turpitudo: bonum vero, quod adipiscitur, est vitæ corporalis, brevissima propagatio. At contra, qui mortem anteponit peccato, eamque potius eligit, quam vitam flagitiosam, in fortitudinis, aliarumque virtutum actionem, sese confirmat, nec alterius rei, qui vitæ longioris, brevi tum finiendæ, jacturam facit: &, vita hominis propria non est, ac spiritum trahere brutorum instar, sed ex virtute vivere, quam vitam virtuosam perdit, qui peccat: at qui moritur, vitam tantum perdit animalem; at vita virtuosa est majus bonum quam vita animalis: Ergo, qui peccat, quandoquidem amittit vitam virtuosam, plus perdit, quam qui moritur, quandoquidem tantum amittit vitam animalem.

X. 2. *Id, quod toti conducit civitati, potius est eligendum, quam quod nemini conducit. At aliquod est peccatum, quod toti conducit civitati, quod si non faciat quis, nemini prodest: V. C. si quis, inquit Græcus Arist. Eth. interpres Eustratius; si quis, difficili ac periculoso tempore, stupri consuetudinem habeat cum uxore Tyranni, ad ejus arcana consilia deprehendenda, quibus conatur evertendæ Reip ut eam servet, tali libidine se contaminat, is, si id non faciat, nemini prodest, si facit, Remp. servat. E. Hæc turpitudo potius est eligenda quam honestas opposita* Resp. Non sunt facienda mala, ut eveniat bonum: non est committendum malum turpe seu culpæ, ut evitetur triste seu pœnæ. Et ad majorem Resp. id quod toti civitati est utile, potius est eligendum quam quod nulli prodest: limito, si cum honestate sit conjunctum: at, si cum honestate pugnat, eligi non debet, etsi toti civitati sit utile: ideoque ista stupri consuetudo cum uxore Tyranni, tanquam inhonesta & injusta, ad Remp. servandam, eligi non debet.

XI. Sed & objectiones quædam considerandæ veniunt, atque expendendæ, circa actiones mixtas, quas magis tamen spontaneas quam invitas asseruimus esse *Goll. Eth. Disp. de Actionibus mixtis*: imo, licet absque circumstantiis moralibus ac singularibus spectatæ sint invitæ, cum iis tamen consideratæ, debent simpliciter dici spontaneæ. Tales autem sunt, quæ proficiscuntur ex ira, cupiditate, alioque affectu simili ac vehementi. Contra sic potest objici. 1. *Illud non est spontaneum, quod proficiscitur à principio non spontaneo; at actiones ex ira &c. Ergò prob. minor, authoritate Arist. qui dicit Ethic. 2. Iracimur quidem & timemus, non sponte.*

sponte. Resp. ad minorem : principium actionis ex cupiditate &c. proficiscentis, primarium ac principale non tam est cupiditas &c. quam voluntas agentis. *Ad testim. Arist cum dixit, iraſcimur quidem & timemus non sponte,* eo non voluit significatum, istorum affectuum moderamen ac regimen, non esse voluntati subjectum: nam contrarium docet diserte lib. 3. Sed vero, ipsorum extirpationem non esse in totum nostræ aut voluntatis aut potestatis : hoc ergo voluit, simpliciter iraſci aut timere, nostræ voluntatis non est, quia perturbationes & affectus animi penitus extirpare non possumus, & sic sæpe non sponte iraſcimur aut timemus, sed moderate, vel immoderate, iraſci, aut timere, aut cupere, est nostræ, & potestatis, & voluntatis.

XII. *Quæ non fiunt per voluntatem, non sunt spontanea, sed quæ per iram &c. fiunt Ergo. Resp.* quæ per iram fiunt, omnino fiunt per Voluntatem, tanquam causam primariam, cui affectus subsunt, si non despotico imperio, saltem politico : itaque male colligitur, non esse Voluntarias actiones, quæ à Voluntate tanquam domina imperante proficiscuntur.

XIII. *Quæ interdum fiunt contra Voluntatem, non sunt Spontanea : sed actiones ex ira, aliisve affectibus, profectæ, interdum &c. Ergo. V. C. in incontinentibus, qui volunt seſe abstrahere ab impetu perturbationis, qui volunt affectum superare, & tum non possunt.* Resp. Appetitus Sensitivus, affectuum, & perturbationum sedes, ita resistit voluntati, ut cum ejus totam vim frangere non possit, si voluntas tota vi quam habet, adeoque omni conatu, affectus ac perturbationes coercere velit ac instituat. At si voluntas eas vires non adhibeat, quas adhibere potest, vincitur ab appetitu, quemadmodum cernimus in incontinentibus, quorum voluntas imbecillis est & infirma, nec satis idonea aut efficax, ad resistendum : Hinc tamen non sequitur, affectus esse ita contrarios voluntati, ut cum actu voluntatis esse non possint, sed plane contra eam sint : nam voluntas, aut prorsus obsistit, aut obsistit ex parte, aut omnino non obsistit, & causa tamen dicitur actionis ex affectu aut perturbatione animi profectæ, sicut dicitur causa submersionis navis gubernator, qui navis gubernationem ac clavim deseruit.

EXERCITATIONUM ETHICARUM VIGESIMA-TERTIA,

DE

Bono & Malo in genere.

THESIS I.

DUo assignavimus *Disputatione præcedenti* actionum, quibus summum acquiritur Bonum, attributa generalia: diximus enim *Thes.* 1. in actionibus istis requiri, &, ut sint *bonæ*, &, ut sint *spontaneæ.* Cum verò *bonitas*, & opposita ei *malitia*, actioni conveniat, quia spontanea est, prius de *spontaneo*, quæstiones movimus *Disp.* 22. atque de ei opposito, *invito*, & de *actionibus mixtis.* Jam nunc *Boni* rationem exposituri, pariter quoque, quid sit *Malum*, ei oppositum, explicabimus: contraria enim juxta se posita magis eluceſcunt. Ut verò & breviter & perspicuè de bonitate & malitia morali actionum humanarum differamus, certa quædam assignabimus *Exercitationis* hujus ac *futurarum* capita: materia enim hæc dignissima est, quæ seriò & diligenter enucleetur: primo

primo *in genere* quædam dicemus de *Bono* & *Malo*; quod faciemus hac *Exercitatione vigesimâ tertia*: deinde quid sit *Bonitas* & *Malitia Moralis*, unde sumatur, & quæcunque de ea dici solent ac disputari ab *Ethicis* & *Scholasticis*, indagabimus: tantò magis ac diligentius, quia id non est præstitum in *Collegio Ethico*. Hinc à primo exorsi, de *Bono* & *Malo* in genere nonnulla differemus.

II. *Bonum* dicitur, quasi *duonum*, ut *bellum*, quasi *duellum*: describitur in genere esse, *attributum entis, quo est conveniens alteri*, vel *quo convenit voluntati saltem divinæ*; quod bonum dicitur *transcendentale, essentiale, substantiale, reale, fundamentale*, & competit enti in quantum ens est: unde illa axiomata: *omne ens est bonum*, &, *omne bonum est ens*: hæc latissima est significatio Boni, & in hac significatione rectiùs describitur, quod enti, vel alteri, vel sibi, convenit, sub ratione, vel finis, vel medii. Nos, quia *Exercitationes* conscribimus *Ethicas*, *bonum* cum *Aristotele Ethic. lib.* 1. *c.* 1. describimus, *quod omnia appetunt*: atque hanc descriptionem breviter explicabimus.

III. Duæ sunt voces in hac definitione; (*omnia*) & (*appetunt*.) *Appetitus*, in communi, nihil est aliud, quam *inclinatio rei, in id, quod ipsi est conveniens*. Sumitur, vel in actu primo, vel in actu secundo: *in actu primo*, est ipsa appetendi facultas, vel rationalis, ut in homine; vel sensitiva, ut in homine & bruto: appetitus *in actu secundo*, est actualis propensio rei, ad aliquid, à quo perficitur: hic appetitus duplex ponitur vulgò, *innatus* & *elicitus*: *innatus*, quem ipsa natura indidit, qualis vulgo tribuitur materiæ primæ: *elicitus*, qui non à natura, sed à cognitione est, vel sensus, vel rationis. Cum bonum describitur ab *Aristotele*, *quod omnia appetunt*, intelligitur, vel innatus, vel elicitus, appetitus. Vox (*omnia*) sumi potest, vel *copulativè*, vel *disjunctivè*; si *copulativè* sumatur, hic erit sensus *bonum est, quod, & ab his, & ab aliis, & à cæteris omnibus, simul*, appetitur: si *disjunctivè* sumatur, hic erit sensus, *bonum est, quod, vel ab hac, vel ab alia re, & sic ab omni, appetitur*.

IV. Hæc boni descriptio ab *Aristotele* allata, & nunc explicata, non est omnimodò *perfecta*, nec *essentialis*: nam essentia boni consistit in eo, quod primum occurrit in bono: sed, *appeti*, vel, *esse appetibile*, non est id quod primum occurrit in bono. E. Prob. Minor. quia ratio boni est aliquid internum rei bonæ, cum tamen hæc appetibilitas sit externa quædam denominatio petita ab appetendi facultate: *præterea, appetibilitas supponit in bono convenientiam*: iccirco enim v. c. frigus est ab aqua appetibile, quia est ei conveniens.

V. *Boni* variæ possunt institui *divisiones*. Est verò primò, vel *verum*, vel *apparens*: *verum*, est illud bonum, cui inest illa bonitas, quæ videtur inesse: dicitur bonum existens & secundum veritatem: *apparens* bonum est, cui verè non inest illa bonitas, quæ videtur inesse, quod sub specie mentita boni sese offert appetitui. Secundò *bonum* est, vel *per essentiam*, quod independenter ab alio possidet omne genus perfectionis, qualis est *solus Deus*: vel *per participationem*, quod à summo bono participat aliquod genus perfectionis, quales sunt omnes creaturæ, quæ tantò habent plus bonitatis, quantò plus de summo illo bono participant. 3 *Bonum*, aliud est, *per se*, aliud, *per accidens*: *per se*, quod absolutè & simpliciter tale est; ut, *pietas*, *sinceritas*, &c. *per accidens*, quod certo respectu est bonum; *ita membrum resecare, quando illud gangræna invasit, bonum est*, ne pars syncera trahatur. 4 *Bonum* est *utile, jucundum, honestum*: *utile*, quod ad alicujus finis consecutionem est opportunum, quod non tam propter se, quam quia usum habet, expetitur: hæc *bonitas* est *propria* mediorum; sic *potio* medica est bona ad sanitatem. Bonum *jucundum* est, in quo, tanquam termino, desiderium acquiescit, quod sui fruitione delectationem parit in appetitu. Bonum *honestum* est, quod secundum rectam rationem est appetibile: atque *hoc bonum duplicem* involvit *relationem*: unam primariò; *alteram* secundariò: relatio conformitatis ad rectam rationem primariò & per se convenit *honesto*; sed eidem convenit secundariò alia relatio ad honorem, quæ est sita in eo, quòd bonum honestum,

neſtum, quatenus honeſtum eſt, honore dignum ſit, ratione ſuæ perfectionis eximiæ. Hæc autem diviſio boni, *inutile*, *jucundum*, *honeſtum*, tantum eſt penes diverſas formalitates, id eſt, ſecundum diverſos reſpectus ad varios terminos: nam actus virtutis conſummatæ, eſt ſimul, & honeſtus, & utilis, & jucundus: *utilis*, in quantum eſt medium conducibile ad beatitudinem ſupernaturalem; *honeſtus*, in quantum eſt conformis rectæ rationi, & honore dignus; *jucundus*, in quantum à virtute conſummata procedit cum voluptate. Denique *bonum* eſt, vel *naturale*, vel *morale*. *Naturale* eſt, cujuſlibet *rei perfectio*, rem quamlibet naturaliter perficiens; ſic, *calor eſt bonus igni*, malus aquæ. Bonum *morale* eſt, quod ab agente libero eſt appetibile ſecundum rectam rationem; tales ſunt *virtutis actus*. Alii deſcribunt bonum *morale*, eſſe rectitudinem, quæ in moribus requiritur, eſtque conformitas, animi, ejuſque facultatum, & operationum, cum voluntate Dei, id eſt, cum lege naturæ & divina. Atque hæc diviſio boni, in naturale, & morale, propriè huc ſpectat ad noſtrum inſtitutum: quare ea omnium maximè teneri debet.

VI. Notandum verò eſt, τὸ *naturale* hîc accipi latè, quando bonum dicitur *naturale*, prout ſignificat omne id, quod præcisè habet ordinem ad eſſentiam ſubjecti, cui ineſt; vel prout ſignificat omne id, cujus finis eſt ſimpliciter complementum eſſentiæ, ſive ſit in rebus corporeis, quæ propriè dicuntur res naturales: ſive in incorporeis reperiatur, quæ licet propriè non ſint res naturales (hoc enim nomine vulgò tantùm veniunt corpora naturalia) quodcunque tamen earum complet ac perficit eſſentiam, bonum dicitur *naturale*: nihil etiam refert, ſive bonum naturale ex ipſa rei natura emergat, ſive ei aliunde ingeneretur, infundatur, accedat, modo perficiat naturam, hactenus naturale eſt. Sic & *morale* vocatur omne id, quod ordinem habet ad aliquid extra rem, cui ineſt, id eſt, ut clarius loquar, quod habet conformitatem cum voluntate Dei revelata, cum ejus lege; ſive iſta conformitas oriatur à naturæ principiis, ſive aliunde atque extrinſecus ſubjecto accedat. Ab utroque hoc bono, & *naturali*, & *morali*, diverſum eſt *ſupernaturale*, quia utrumque illud ſola natura, ejuſque viribus naturalibus, parari poteſt, hoc non poteſt: poteſt tamen *ſupernaturale* bonum dici & *naturale*, in quantum naturam hominis aut angeli perficit, cui accedit; & *morale*, in quantum ſemper eſt conforme voluntati, & legi divinæ. Sed nos, miſſo *ſupernaturali bono*, quod eſt *Theologorum*, miſſo & *naturali*, quod eſt *Phyſicorum*, de ſolo *morali bono* in poſterum philoſophabimur: ſed prius de *malo* quoque in genere quædam inquiramus.

VII. *Malum* in genere, non eſt entis affectio, ut bonum, ſed eſt *privatio alicujus boni*, quod enti ineſſe debebat aut poterat: itaque *malum*, non eſt ens, ſed *non ens*; non dicit, eſſe reale aut poſitivum, ſed, eſſe realis & poſitivi abſentiam ac negationem. Verum, cum non ens vulgo triplex ſtatuatur, *non ens negativum*, *privativum*, & *ens rationis*; *malum* eſt *non ens privativum*: non enim eſt *non ens negativum*: ſic enim planè nihil foret, ac non eſſet: at malum ſuo modo eſt in rebus; & utinam non eſſet! quam multo foret beatior hominis ſtatus! Non eſt *malum*, *ens rationis*, quia tum eſſet tantum per mentis operationem: at hoc eſt falſum: ergo. Reſtat, ut ſit *non ens privativum*; notat enim defectum alicujus, ſive entitatis, ſive bonitatis, in rebus: itaque verè malum ineſt rebus, quo pacto privationes inſunt ſubjectis, ſed ſuo modo; non quo modo res veræ aut entia realia ſunt in rebus: τὸ *ineſſe alicui*, vel *eſſe in rebus*, dicitur *dupliciter*: *uno modo*, cum entitatem denotamus alicujus rei, quæ inſit; *alio modo*, prout intelligimus veritatem propoſitionis: malum & privationes dicuntur eſſe in rebus poſteriori modo: non quod verum & reale eſſe habeant, ſed quod verè ſubjectis competant citra mentis operationem.

VIII. *Malum*, quia oppoſitum eſt bono, ſignificat, ens eſſe *diſconveniens*, & *averſabile*: quæ *averſabilitas* fundatur in *inconvenientia*, quia dicit malum; ſicut *appetibilitas* fundatur in *convenientia*, quia dicit bonum: opponitur vero bonum malo, & malum bono, privativè: ut convenientia rei cum alia

eam facit bonam, ita privatio istius convenientiæ cum alia, eam facit malam.

IX. Variis quoque modis *malum dividi* potest. 1. Est malum, vel *verum*, quod reverà tale est, ut, *peccatum*: vel *apparens*, quod cum non sit tale, esse tantum videtur tale, ut, *puero frequentare scholam*. 2. *Bonum* dividebatur, in, per essentiam tale, & tale per participationem: sic malum dividi nequit, quia malum, per essentiam, tale nullum est. 3. Malum, aliud est *per se*; aliud *per accidens*: *per se*, quod simpliciter, absolutè, & in se, est tale; ut, *vitium*: *per accidens*, quod secundum quid in certo respectu est malum: dicitur hoc, *malum alicui*; ita, quod *huic venenum* est, & *malum*, alteri sub alio climate, *non erit*. 4. Malum est *inutile*, *inhonestum*, *injucundum*; hæc divisio ex contraria divisione boni satis est nota 5. Malum est, vel *naturale*, vel *morale*: malum *naturale* est privatio rei vel perfectionis, quæ naturam perficit, eique debetur: tale malum est *claudicare* Malum *morale* est privatio boni, quod homini conveniebat secundum rectam rationem, est privatio conformitatis cum lege naturæ ac divina, ut est, *peccatum*: vocatur malum & bonum *morale*, à more seu consuetudine, quia scilicet ejusmodi actionibus solemus adsuescere pro arbitratu nostro alicui generi operis.

X. Sed comparemus nonnihil, *bonum*, & *naturale*, & *morale*, inter se; item, *malum utriusque generis*: hæc enim ad nostrum institutum, & ad naturam utriusque manifestandam, maximè faciunt: *potest aliquid bonum esse naturaliter*, *quod non est bonum moraliter*; & contrà: pessimus, v.c. nebulo potest excellere, *ingenio*, *pulchritudine*, *robore*, &c. potest esse instructissimus bonis naturalibus, & orbus bonis moralibus; contrà, vir optimus omniumque bonorum *moralium* cumulo instructus, potest aliquibus bonis naturalibus carere; imò, *utrumque*, *& bonum naturale*, *& morale*, *potest separari à bono transcendentali*: ut, si quis, bonis & naturalibus & moralibus omnibus destitutus sit; bonitatem tamen transcendentalem servat, quia ens manet: similiter, & *malum morale*, *ac naturale*, *à se invicem discriminantur*. Malus quis potest dici moraliter, ratione corruptorum morum, in quo tamen multa sint bona naturæ: & contrà, in alio reperias multas animi virtutes, & moralia bona, in quo tamen reperiantur etiam naturæ mala, paupertas, mutilatio, &c. denique potest quid esse malum & ratione corruptionis, seu privationis boni naturalis, & ratione defectus moralis, quod tamen non est malum transcendentaliter, quatenus habet esse reale: nam malum transcendentale nullum est. Hæc in genere quidem de Bono & Malo, quoad definitiones, & divisiones, & utriusque inter se comparationes, à Philosophis differi solent.

XI. Hic unum restat monendum. Cum de *Bono Morali*, & *Malo* philosophabimur, intelligimus, utrumque id convenire actionibus humanis: bonis enim actionibus, summum bonum acquiritur, malis *amittitur*: unde, *actionem humanam*, dicimus vulgò considerari; vel in *genere naturæ*, ut est actio & motus Physicus; vel *in genere moris*, ut est bona, vel mala, moraliter: *neque* tamen *sola actio* dicitur *moralis*, sed & *quicquid in actione consideratur*, *objectum*, *circumstantiæ*, &c. solet dici *Morale*, prout nimirum habet respectum ad voluntatem & rationem: itaque, vocabulum hoc, τὸ *morale*, analogum est, cum tribuitur, & actioni bonæ vel malæ, & aliis ad actionem pertinentibus: nam primò & per se, competit actioni: secundariò, iis, quæ ad actionem pertinent, propter respectum, quem habent ad actiones: ac potest τὸ *morale*, etiam tribui, supernaturalibus actionibus, ut dictum est *Thes* 6 quatenus illæ sunt rationi rectæ conformes, & in quantum sunt actiones hominis, ratione & voluntate utentis: sed usus jam ferè obtinuit, ut *illæ duntaxat actiones* dicantur *morales*, quæ solis naturæ viribus exerceri possunt, & conformari rationi rectæ, ac legi naturali: supernaturales sint, quæ ab altiori principio, à natura distincto, ab auxilio gratiæ proveniunt: &, sic, *actio supernaturalis* à *morali* distinguitur: & sic nos de *morali* actione, ut à *supernaturali* & *naturali* est distincta, porrò philosophabimur, ac *sequenti Exercitatione*, in specie, *actionis*, *moraliter*, vel *bonæ*, vel *malæ*, naturam, excutiemus.

EXER-

EXERCITATIONUM ETHICARUM VIGESIMA-QUARTA,

DE

Bonitate, & Malitiâ Morali.

THESIS I.

DIsputavimus *Exercitatione præcedenti* 23. de *Bono* & *Malo in genere*, nunc *in specie* philosophandum nobis est, de *Bonitate*, & *Malitiâ Morali*, prout ea invenitur in actionibus humanis, ac videndum, quid sit *Bonitas*, quid *Malitia moralis*, *unde utraque derivetur*; Et multa alia hic sese offerent considerata dignissima.

II. *Bonitas moralis*, actionis humanæ, in eo est sita, ut nulla perfectio desit actioni, quam debeat homo in illa habere, quatenus ratione, & voluntate, utitur, in agendo hanc aut illam rem, atque ut actio sit prorsus consentanea rectæ rationi; quemadmodum naturalis bonitas in eo consistit, ut nihil desit rei, quoad naturam, & naturalem perfectionem. Ex opposito, *Malitia Moralis* consistit in eo, ut desit actioni aliqua perfectio debita, quatenus homo agit ex ratione, & voluntate, & ut actio sit dissentanea rectæ rationi: Alii *Bonitatem Moralem* describunt, per ordinem & convenientiam cum lege naturæ: *Malitiam* moralem, per discrepantiam à lege naturæ; Potest utraque descriptio conjungi: Et *Bonum morale*, tale dici, quod congruit cum recta ratione, & lege naturæ: *Malum morale*, quod à recta ratione, & lege naturæ discrepat: Atque in hac, vel conformitate cum lege naturæ, & recta ratione, vel difformitate ab iisdem, omnis ratio, natura, essentia, boni, & mali moralis, consistit. Quemadmodum vero bonitas moralis consistit, in convenientia, malitia in inconvenientia cum recta ratione & lege naturæ, ita in iisdem consistit *perfectio*, & *imperfectio moralis* actionum humanarum: Quo enim quid magis est congruum rationi rectæ, & legi naturæ, eo est perfectius in genere moris: Et, quo aliquid est iis minus congruum, eo est imperfectius in genere moris. Bonum est, V. C. misereri sui proximi, eique condolere: Sed melius est, ejus ærumnas sublevare aliqua eleemosyna: causa autem, cur datio Eleemosynæ sit perfectior, ac melior nuda commiseratione, est, quia in exhibitione beneficii est major convenientia cum recta ratione, & lege naturæ, quam in nuda condolentia

III. Cæterum quærunt hic *Ethici*: *Vnde derivetur ac deducatur bonitas & perfectio moralis, in actionibus humanis?* Resp. ab *objecto*, à *fine*, à *circumstantiis*: Ac primò, magnum habet pondus ac momentum, in conferenda actioni bonitate, ac perfectione morali, *objectum*: Sicut enim in rebus naturalibus speciem dat forma, ita in moralibus id præstat *objectum*. Sed, & *finis*, & *circumstantiarum ratio*, plurimum hîc conferunt: &, potest sæpe, quod bonum est ex objecto, malum fieri propter finem, &, quod bonum est ex objecto, & fine, potest malum reddi, propter circumstantiam aliquam; V. C. periculum vitæ ac capitis adire, in bello licito & honesto, bonum est ex parte objecti, si tamen id fiat, inanis gloriæ, vel auræ popularis, captandæ, gratiâ, malum est, ex parte finis: Præterea, idem periculum subire, patriæ & religionis defendendæ, causâ, bonum est, & ratione objecti, & ratione finis, si tamen id fiat temerè, tempore, loco, & auxiliis minimè opportunis, malum evadit propter circumstantias: Sic eædem circumstantiæ bonum, & malum non tantum faciunt in actionibus, sed valdè insuper bonitatem & malitiam augent, vel minuunt: Sed hæc omnia paulò fusius me-

rentur explicari; & videndum, *quomodo ab hisce tribus, objecto, fine*, ac *circumstantiis, actiones humanæ, suam bonitatem, vel malitiam, accipiant.*

IV. Res comperta est apud omnes, *primam ac præcipuam bonitatem* actionis moralis, desumi ab *objecto:* Nam, ut statim dicere cœperam; sicut se habet res naturalis ad suam formam, ita se habet actio moralis ad suum objectum: Sed res naturalis primam ac præcipuam bonitatem naturalem accipit à formâ. Ergo & actio primam ac præcipuam suam bonitatem moralem accipiet, ex *objecto.* Velle, fidem habere iis, quæ à Deo sunt prædicta, est bonum, quia ipsâ fides habita Deo dicenti, est bona. Item, velle, Deum colere, revereri, amare, est bonum, quia cultus, reverentia, amor in Deum, est bonus: Rursum, cultus, reverentia, amor in Deum, est bonus, quia Deus, cultu, reverentia, amore, est dignus: Sic, velle mendacium, furtum, homicidium, est actus malus, ratione objecti. Et, hujusmodi bonitas vel malitia, quæ ab objecto derivatur in actum, est omnium prima, ac maximè principalis: Sed & à *fine* deducitur actionis humanæ malitia ac bonitas; ac præsertim actio externa, bonitatem suam ac malitiam moralem, sumit à fine, quem sibi voluntas præstituit. V. C. Si Petrus Paulum occidat, ut omnia ejus bona surripiat, actus ejusmodi primam suam malitiam habet ex *objecto*, & hac ratione est homicidium: Sed, *fine* spectato, qui est, furari bona Pauli, quem sibi præstituit Petrus in occidendo Paulo, idem actus, furti speciem, naturamque, induit: Quod si actus exterior ratione suæ objectæ materiæ, in quâ versatur, sit medius & indifferens, totam suam bonitatem vel malitiam derivat à fine.

V. Controversia hîc moveri solet. *An finis, relatus ad internum actum voluntatis, tribuat ei primam bonitatem vel malitiam, an vero secundam tantum? Nam finis, si ad internum voluntatis actum referatur, est proprium ejus objectum: Ergo, bonitas, vel malitia moralis, à fine desumta, in actibus voluntatis internis, est prima, tanquam ab objecto proprio derivata.* Resp. Actus voluntatis est, vel intentio, vel electio. Si sit intentio, tunc, bonitas vel malitia, à fine deducta, est & prima, & tota, quia finis, est proprium objectum intentionis, Ergo, bonitas vel pravitas orta & profecta ex fine, descendit ab objecto, & ideo est prima: At vero si actus internus, voluntatis, sit electio, bonitas vel malitia desumta à fine, nec est prima, nec tota, sed secunda, quia objectum electionis, non est finis, sed id, quod est utile ad finem; Ergo, electio à suo proprio objecto primam accipit bonitatem, secundam à fine. V. C. Petrus respiciens, ut finem sibi propositum, charitatem in Deum, eligit largitionem eleemosynæ, in usum & sublevamen pauperis, tunc intentio, ex objecto, est actus charitatis, in quo actu Deus est finis & objectum; Electio vero, ex objecto proprio, est actus misericordiæ; Et, hæc est prima bonitas in electione, quâ Petrus, vult, & eligit eleemosynam; Ex fine vero constituto, est actus charitatis, quæ est secunda bonitas, nata ex fine, tanquam ex circumstantiâ electionis, non autem tanquam ex objecto. Quando vero id, quod eligitur ad finem consequendum, per se bonum non est, tunc electio totam suam bonitatem ex fine habet: Ut, cum ægrotus sumit potionem amaram. Quod vero attinet actum externum voluntatis, aut in eo nulla est pravitas vel bonitas moralis, quia est actus medius & indifferens per se, & bonitatem suam aut malitiam derivat à fine, aut est in eo bonitas vel malitia, ex objecto proprio, & propriâ materiâ, in quâ versatur, & hæc est prima bonitas actus exterioris; altera vero ex fine, proficiscens, semper est secunda: pariter dicendum est de malitia.

VI. Sed præter *finem* & *objectum*, etiam *circumstantiæ* largiuntur actioni, quandam, vel bonitatem, vel malitiam: Nam de *Bonitate & Malitiâ Morali actus humani*, judicandum est, sicut de bonitate & malitia aliarum rerum: Sed hæc existit, non tantum ex rei essentia, sed & ex accidentibus; Ergo bonitas ac malitia moralis existit quoque ex circumstantiis, quæ sunt veluti accidentia actus humani: Intelligimus autem *circumstantias, morales*, quæ sc. habent ordinem ad voluntatem.

tem in rebus humanis, ut pertineant ad hominem, quatenus ei est propositus finis ultimus; ac proinde tales intelligimus circumstantias, quæ profint vel obsint homini, ad beatitudinem supremam, summumque bonum. *Circumstantiæ* istæ, vulgò comprehenduntur hoc versiculo. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Hæ *circumstantiæ* bonitatem dant vel malitiam actionibus humanis, prout convenerint vel repugnaverint rectæ rationi, & legi naturæ.

VII. Quæstio hic disputari solet: *An actus possit esse in genere moris, qui sit indifferens, nec bonus, nec malus, nec rationi rectæ aut legi naturæ consentaneus, nec dissentaneus?* Atque de actu *singulari* est quæstio, qui *in individuo* spectetur, & ut *distinctus numero*, ab actibus aliis. Diversum hîc inter se sentiunt Scholastici. *Aquinas*, & omnes *Thomistæ* statuunt, *nullum actum singularem posse esse medium & indifferentem, sed omnem, vel bonum esse, vel malum:* Et probant: Quia, quodcunque facimus, vel secundum rectam rationem id facimus, vel non secundum eam. Si secundum rationem rectam quippiam agimus, actus est bonus: Si non secundum eam agimus, actus est malus. Deinde, si actus essent singulares, mediæ naturæ, & nec boni, nec mali, sed ad utrumvis indifferentes, potest ex ipsis sæpe repetitis, gigni habitus indifferens: Sed hoc est absurdum, ut dicamus, habitum esse indifferentem. Ergo, & absurdum est, actus tales dari. *Scotus* tamen, & *Scotistæ* planè *sentiunt contrarium*, & probant *dari posse actus indifferentes singulares, nec bonos, nec malos.* Potest quis, sæviente frigore, confricare manus, ut frigus naturæ contrarium depellat, ob solum naturæ commodum: Potest quis nasum purgare, ut se levet molestia; Potest quis deambulare, aut rus abire, res rusticas invisere, reficiendi animi causa: Qui actus omnes singulares, sunt indifferentes, nec boni, nec mali moraliter. Nos, distinctè, & in specie ad hanc quæstionem respondendum censemus, non in genere.

VIII. Dicimus ergo primò, *actus, omni rationis deliberatione vacantes, nec bonos esse, nec malos, moraliter:* Ut, si quis ex sola imaginatione, non animadvertens, fricet barbam: Tales enim actiones extra genus moris sunt: Genus moris, & actio in genere moris, sive moralis, dicit respectum quendam ad rationem deliberatam, quæ hic non est: Quare de hisce actionibus non est quæstio. Secundò, dubitari nequit, *quin bonus sit actus, quo quidpiam facimus ad tuendam ac conservandam vitam nostram, aut aliorum.* Quia, vitam tueri, est rectæ rationi consentaneum, & nos ad id propensos naturâ creavit, naturæ author, Deus. Tertiò dubitari nequit, *quin actus sit malus, qui otiosè fit, id est, qui necessitate, vel utilitate caret debitâ.* Tota igitur controversia in eo sita est, *an actus ex rationis deliberatione facti, ad recreandam solummodo naturam, sine ullâ, vel necessitate, vel utilitate debitâ, sint actus indifferentes?* Nam, si fiant ob utilitatem debitam, vel necessitatem, sive nostram, sive aliorum, tunc actus sunt boni, quia rectæ rationi, & legi naturæ conveniunt: Sed verò, si sine ulla, vel necessitate, vel debita utilitate, instituantur deliberato animo, solius oblectationis ergo: Quæritur, *an illi sint, vel boni vel mali, an vero indifferentes, nec mali, nec boni?* Prius volunt *Thomistæ*, posterius Scotistæ,

IX. Nos cum *Thomistis* facimus, ac dicimus, *omnem omnino actum, procedentem à ratione deliberatâ, in individuo, esse, vel bonum, vel malum*: Et sic probamus. Necesse est, ut omnis talis actus deliberatus, habeat rectum finem, & omnes alias circumstantias debitas, vel ut careat recto fine, vel aliquâ circumstantiâ debitâ Si prius, est bonus moraliter; Si posterius, est malus moraliter. Quod attinet ad exempla actionum, in contrarium allata, ad ea dicimus in *genere*; actum omnem bonum esse, quo fit aliquid, ut naturæ utile ac salutare: Bonum enim est, respuere ac declinare, quæ sunt naturæ adversa, sequi & amplecti, quæ sunt naturæ grata & jucunda: In *specie*, confricare manus, ut frigus, naturæ inimicum, pellatur: aut, nasum purgare, ut recreetur, & reficiatur corpus, boni sunt actus, ob utilitatem, & commodum, &, ob bonum finem, instituti: Longè verò disparatio est actuum, quando *non in individuo*, sed

secundum speciem suam, spectantur: De iis planè contrarium est statuendum, dicendumque, *actiones humanas quasdam, secundum rationem suam specificam, nec bonas esse, nec malas, moraliter, sed posse esse indifferentes*, & probamus. Actus tales sunt secundum speciem, quales sunt ex suo objecto: At, quidam actus sunt indifferentes ex objecto. Ergo, quidam actus sunt indifferentes secundum speciem: Major probatur: Quia ex objecto sumitur species. Minor probatur: Nam objecta quorundam actuum sunt talia, ut nullum habeant ordinem ad rationem rectam, aut naturæ legem, &, nec conveniant, nec repugnent ei: Ac proinde nec bonitatem præbent actui, nec malitiam. Concludimus ergo, *actus secundum speciem, posse esse indifferentes, non item in individuo.*

EXERCITATIONUM ETHICARUM VIGESIMA-QUINTA,

Quæ est prima,

DE

VIRTUTE MORALI.

THESIS I.

De Bonitate & Malitiâ morali, actum est *Exercit. præcedent.* Actionibus moraliter bonis acquiritur *Virtus moralis*. Eam *Coll. Ethic. Disp* 16. 17. 18. exposuimus κατασκευαστικῶς: nunc ἀνασκευῇ est instituenda: & discutienda veniunt, quæ contra explicationem à nobis factam objici possunt. Posuimus *Disp.* 16. *Th.* 2. *genus virtutis moralis* esse *habitum*. Multa possunt objici contra hoc virtutis genus.

II. §. 1. *Principium operationis in alio est potentia: At virtus est principium operationis in alio: Ergo.* v. c. *Fortitudo est potentia aggrediendi pericula.* Resp. *ad Maj. Dist.* Principium operationis primarium & proprium est potentia: at virtus est principium operationis primarium & proprium. *Neg. min.* Sed secundarium tantum est, & improprium principium: nempe, quod quis operetur, est à potentia; quod bene vel malè, facilè vel difficulter, est ab habitu. Virtus igitur, non est principium operandi simpliciter: hoc enim est potentia: sed virtus, est principium talis aut talis operationis, est principium qualitatis in operatione.

III. §. 2. *Nulla relatio est habitus. Omnis virtus est relatio*: E. Resp. Virtutem non esse formaliter relationem, licet relationem consignificet, aut comitem habeat, v. c. sanitas conjuncta est necessariò cum relatione, quam habet ad humores sibi invicem respondentes; & pulcritudo conjuncta est cum relatione ad partes, ac colores, quorum est proportio; & robur conjunctum est cum relatione ad membra, nervos, ossa, &c. Nihil tamen istorum proprie est relatio: sic virtus conjuncta est cum relatione ad affectus & rectam rationem, non tamen formaliter est relatio.

IV. § 3. *In definitione assumendum est genus proximum. Verùm habitus non est genus proximum virtutis moralis, sed virtus.* Ergo. Resp. 1. habitus per synecdochen generis sumitur pro virtute. 2. non est omnis hic ἀκριβεια & curiositas superflua, nimis anxiè quærenda, in definitione hac, ad normas & leges perfectæ definitionis exigenda. Virtutem sive dixeris pro genere sive habitum, verbo aliud, re tamen, idem dixeris.

V. §. 4. *Res non est definienda ex accidenti. Esse*

Esse habitum, est virtutis accidens: nec enim perpetuum est de virtute, quod sit habitus, in multis tantum est dispositio. Resp. Definimus virtutem, ut perfecta est, & in idea sua: definitio enim de ideis, seu perfectione, i. e. de rebus in idea & secundum perfectionem spectatis, instituitur. At, esse habitum, est perpetuum de virtute, in idea & secundum perfectionem, spectata: loquimur & philosophamur de virtute, quę quidem est in subjecto, homine (nam Deo virtus tribuitur ἀναλόγως) non tamē quatenus est in subjecto, homine; sic enim sæpe tantum est dispositio. Ideoque virtutem, in quantum est levis tantum quædam dispositio, Aristoteles definitam non voluit: quia sic non est secundum suam perfectionem; sed secundum suam imperfectionem. At definitio est de re, secundum suam perfectionem spectata.

VI. § 5. *Qui per omnem vitam castus fuit, & semel committit adulterium, is, ex intemperantiæ vitio, labitur, & tamen habitus in eo non est E non omne vitium est habitus.* Hinc *ab oppositio; E. nec omnis virtus est habitus.* Resp. Vitium vel significat actum, vel habitum: talis unus actus intemperantiæ est vitium, non ut habitus; concedimus; sed ut actus: & ille proficiscitur non ab habitu vitioso; una enim actio vitiosa non potest gignere habitum vitiosum, sed proficiscitur à perturbatione, aut affectu aliquo vehementiori, rationem & voluntatem abripiente,

VII. §. 6. *Continentia non est habitus. Continentia est virtus. E. quædam virtus non est habitus.* Resp neg. min. Continentia est semivirtus, non virtus perfecta, differentia enim inter temperantiam & continentiam hæc est: quod temperantia omnes cupiditates habeat subactas, ac facile sine molestia à voluptatibus abstineat, quia virtus est: at continentia non item, quia non virtus, sed semivirtus est.

VIII. A genere virtutis moralis, ad ejus transimus *formam* vel *differentiam*, quam *Th. 3. Disp 16. Coll. Eth.* posuimus, in *mediocritate*; qua voce indicari significavimus, virtutem esse medium negationis inter excessum & defectum, inter duo extrema vitia, & sic, eam esse sitam in mediocritate affectuum & actionum. Verùm, quia gravis hæc est, & perdifficilis, & à multis seculis antiquissima, & ab Aristotelis interpretibus, ferventissimo zelo agitata, quæstio, *An virtus moralis verè consistat in medio inter excessum & defectum? An vere dicatur forma virtutis esse mediocritas?* Placet eam nonnihil uberius pertractare. Sententiam, loco citato, explicatam, prius confirmabo; mox argumenta in contrarium refutabo.

IX. *Formalem rationem virtutis moralis* consistere in *mediocritate*, sic probat *Aristoteles 2. Eth cap. 5.* § 1. Cum omnium rerum tam naturalium, quam artificialium perfectio & bonitas ex mediocritate existimetur ac censeatur, virtutis quoque natura & perfectio ex mediocritate mensuranda est: virtus enim non modo æquat bonitate sua res naturales & artificiales, sed multum etiam eas superat: demonstrat hoc virtutis constantia & firmitas, quâ cunctis præstat rebus: confirmat hoc, virtutis maxima bonitas, quâ ita perfectissimè bona est, ut nemo ejus bonitate abuti possit, cum res aliæ naturales & artificiales in pessimos usus detorqueri valeant: Atqui rerum omnium, qua naturalium, qua artificialium, perfectio, in mediocritate consistit, & res demum illa perfecta est, cui, nec nimium, nec parùm, adest, cui nihil addi potest, nihil demi; sic natura, in omnibus inclinationibus ac motibus suis, medii & mediocritatis est amantissima: læditur ipsa, si nimium cibi vel potus ingeratur; vel, si justum alimentum detrahatur, mediocritatis autem observatione conservatur. Mediocris item motus, corroborat corpus: nimius, id ipsum affligit: nullus, corrumpit: E. & virtus, in mediocritate, fundata est. Sed speciatim argumentum desumit ab artibus & scientiis *Aristoteles*. Virtus moralis est simillima arti; opus autem artis, tum perfectum censetur atque existimatur, cum ad mediocritatem est perductum, cum neque aliquid necesse est addere, neque aliquid auferre. Igitur & in moralibus debet censeri perductum ad absolutam perfectionem opus, cum ad mediocritatem est redactum: Atqui in moralibus tum demum opus absolutum est.

est perfectumque, cum virtuti est consentaneum. Præterea, ut se habet scientia & virtus contemplatrix, ita & virtus moralis ac practica: sed illa posita est in medio: E. Probatur min. Posita est in vero; at verum nihil est aliud, quam medium inter duo: mentimur enim per excessum, cum dicimus id rem esse, quod non est, per defectum, cum affirmamus non esse, quod est, inter quæ extrema interjacet verum, i. e. dicere quod res est, & negare quod res non est: virtus E contemplatrix, quæ versatur in vero, medium obtinet, & in mediocritate consistit. Ergo & in mediocritate consistet virtus moralis.

X. Cum virtus sit, optimum quid ac præstantissimum, & possessores suos reddat beatissimos, in re quoque optima consistet: Atqui optimum in rebus, est mediocritas; nam in eo præcipuè omnium actionum & affectuum rectitudo ac laus consistit, ut medium observetur: reliqui enim affectus & actiones, in quibus non attenditur modus ac medium, sed excessus aut defectus dominatur, non laudabiles, sed illaudabiles ac vitiosæ sunt: sic laudabile est, si quis in timendo, & irascendo, & gaudendo, & dolendo, &c. modum non excedat, sed mediâ ingrediatur viâ: Illaudabile contrà est, si quis modum excedat, &, vel in siniſtram, vel in dextram partem, aberret, i. e. in excessum peccet, vel in defectum.

XI. Nunc ad objectiones solvendas me accingam, si in anteceſſum quædam præmisero, quæ veluti fundamenta solutionum substerni possunt. Ac primo notandum est, quod virtus, licet sit mediocritas, & medium inter duo vitia, extrema, sub alio respectu dici queat extremum, sicut & *Pythagoreis* ἀκρότης dici solebat: nempe, virtus moralis spectatur, aut secundum suam essentiam, & sic mediocritas est, aut in mediocritate consistit, quia virtus sola medium invenit ac ponit in actionibus & affectibus, aut secundum præstantiam, & hac ratione ἀκρότης, extremitas est ac summum quid. Virtus enim in rebus humanis ex summo bonorum ordine est, locumque excellentissimum inter bona omnia habet, adeoque cætera omnia bona, suâ excedit præstantiâ. E. diversa ratione, virtus, & mediocritas est, & extremitas. 2. notandum est accuratè cum virtus dicitur mediocritas affectuum & actionum, quod quidam affectus tantum, & quædam actiones tantum, sint mediocritatis capaces, alii affectus, & aliæ actiones, non item. Affectus enim (pariter de actionibus est philosophandum) vel, quà affectus sunt simpliciter, vel, quà morales, spectari possunt. Affectus quidam, simpliciter considerati, qua affectus, possunt, vel boni fieri, vel mali, &, sic mediocritatis sunt capaces: ita dolor & voluptas, amor & fuga, si in se spectenter, mediocritatem recipiunt. At verò, quidam sunt affectus, quorum nomina, non simplices affectus, sed aliquid affectibus superadditum, notant: hi morales dicuntur, quia, in sua natura, bonitatem vel malitiam, includunt, &, propter se, vel laudantur, si boni sint, vel vituperantur, si mali: v. c. timor Dei, pietas in patriam ac parentes, dilectio proximi, studium virtutum, &c. affectus sunt, sed non simplices affectus, qui mediocritatis capaces sunt, verum, qui in se jam legi Divinæ ac humanæ, rectæque rationi, sunt consentanei, & in quibus, nec excedendo, nec deficiendo, peccari potest. Contrà verò, invidia, malevolentia, immisericordia, affectus sunt, sed tales, qui in se, ac sua natura, mali, ideoque mediocritatis non sunt capaces, &, quidquid ab iis committitur, malum est: E. ut summatim hæc complectar: virtus est mediocritas affectuum & actionum, non qua bona sunt; bonum enim quo majus, eo melius est; non qua mala sunt; nam & mediocre malum in vitio est, absolutèque boni rationem habere nequit. Sed vero consistit virtus in mediocritate affectuum, qui natura sua sunt ἀδιάφορα, & moraliter, nec boni, nec mali, quos ad mediocritatem adigit ac ridigit.

XII. Nunc objectiones quasdam ordine solvemus. § 1. *Inter extrema, quæ sunt indeterminata, non potest dari medium*: *At excessus & defectus in affectibus sunt indeterminati*: *nam, in infinitum excedi in iis potest, &, in infinitum ab iis deficit*: *E inter ea non potest dari medium*: *E virtus non est medium.* Resp. ma-

ior

jor falsa est de medio negationis, vera de medio participationis: At virtus non est medium participationis, sed negationis: At medium negationis non postulat extrema definita ac determinata.

XIII. §2. *Extremum non est medium: Virtus est extremum. E Pr. min. Bonum & malum sunt extrema: Virtus est bonum quid: E.* Resp. 1. quomodo virtus sit extremum, non secundum essentiam, sed secundum præstantiam jam est dictum, &, non pugnat, ut sit secundum essentiam, medium, &, secundum præstantiam, inter omnia bona, extremum, h. e. summum ac supremum. E. Resp. 2. Virtus comparari potest, & cum malo simpliciter, & cum excessu ac defectu: in comparatione atque oppositione inter bonum & malum virtus habet rationem extremi, in comparatione & oppositione virtutis inter excessum & defectum, virtus habet rationem medii. Resp. 3. Si virtus & extrema referantur ad rectam rationem, virtus habet rationem unius extremi, & vitia habent rationem alterius extremi: Si vero virtus referatur, non ad rationem rectam, normam agendorum, sed ad affectus, qui secundum normam rectæ rationis componi debent, mediï rationem tenet, nec aliud est, quam mediocritas, & æqualitas, & medietas, affectuum.

XIV. §3. *Si virtus sit medium quid inter duo extrema, erit quid individuum; Sed non est quid individuum: sic enim unus non foret altero quoad virtutem præstantior, aut melior*: E. Resp. major vera est de medio rei: at virtus est medium rationis; & hoc non est individuum, sed admittit suam latitudinem; unde & alius alio quoad virtutem præstantior ac melior esse potest.

XV. §4. *Pietas est virtus. Pietas non est mediocritas*: *E. nemo enim excedere potest modum in pietate.* Resp. Pietas omnino est medium à quo recedi potest, & in defectu, & in excessu: in defectu, extremum pietatis est, contemtus Dei, qui contemtus à medio deficit; in excessu, superstitio & cultus humana autoritate institutus, qui in variis circumstantiis excedit medium.

XVI. §.5. *Aliquæ sunt virtutes per se tendentes ad summum: E. non existunt in mediocritate. v.c. magnanimitas, magnificentia* Resp. Istæ virtutes objectum habent magnum & summum; in id ipsum tamen tendentes mediocritatem servant: tendunt enim in id, ut oportet, quantum oportet, quando oportet, &c. hinc recte *Aristoteles lib. 4 Eth. cap. 4.* Magnanimus summus est & extremus, magnitudine; sed modo ac ratione, medius.

XVII. §.6. *Ab extremo ad extremum non datur transitus nisi per medium. E. si virtus sit medium, non poterit transiri ab uno vitio in aliud, nisi per virtutem.* Resp. major vera est de motu continuo: transitus vero, qui est ab uno vitio extremo ad aliud, non est continuus: quemadmodum non est continuus ille motus, qui fit in intellectu & voluntate, cum in diversa feruntur.

XVIII. §7. *Medium distat æqualiter ab extremis. Virtus non. E.* Resp. major est vera de medio rei, sed non de medio rationis, quale est virtus: sufficit, si hoc ab extremis eo distet modo, qui à ratione præscribitur.

XIX. §.8. *Virtus est potentiæ ultimum, ut loquitur Aristotel, 1. de Cœlo 116. At ultimum pugnat cum medio: E.* Resp. conced. majorem: est enim virtus ultimum in bono atque perfectione: ideoque difficillimum est, virtutem attingere; nam difficillimum est attingere extremum seu supremum. At neg. min. quod, hoc ultimum aut extremum pugnet cum medio: nam ultimum atque extremum inter bona, potest esse in moralibus medium, à ratione & prudentiâ præscriptum.

XX. §.9. *Humilitas Christiana non est medium; quia non potest excedi modus.* Ergo, &c. Resp. idem, quod de pietate est dictum: nam omnino habet humilitas suos fines, à prudentiâ & ratione præscriptos: nam hæc quoque virtus necesse habet, actum suum facere, ut oportet, quantum oportet, quo loco ac tempore oportet, &c.

XXI §.10. *Iustitia unum tantum habet extremum, à defectu petitum, cum non redditur, quod, & quando & quantum reddi debet; excessum verò non habet: si enim Petro debeo 100. florenos, & reddo 200. non sum injustus, neque*

modum excedo justitiæ. Resp. excipiunt hic nonnulli justitiam sc. commutantem, cui unum tantum opponunt extremum, non duo: si enim ducentos reddis florenos, cum tantum centum debeas, nihil revera agis contra justitiam, nec injustus dici potes; sed liberalis ac benignus, si rectè id facias, vel profusus ac prodigus, si temere largiaris: Itaque, unus est defectus, qui verè nos facit injustos, cum non redditur, quod, quando, & quantum debetur. Dici tamen potest adhuc, & hæc ipsa commutans justitia esse in medio posita, & excessum pati, ratione circumstantiarum: neque enim semper est reddendum unicuique suum: gladius enim furioso reddendus non est; neque telum ei, qui adversus patriam movet arma; & in similibus casibus.

XXII. §. 11. *Si intellectualis virtus non consistat in medio, E nec moralis: Sed. E. nam verum non est medium; opponitur enim falso, ut extremum extremo.* Resp. Jam ostensum est, verum esse medium duarum falsitatum extremarum, quarum altera plus nimio neget, altera supra modum affirmet: potest nihilominus falso simpliciter opponi, ut extremum extremo: nam etiam æquale opponitur inæquali, ut extremum extremo, & tamen est medium inter majus & minus.

XXIII. §. 12. *Si vitium sit medium; E. non virtus. Sed. E. ubi est magis & minus, ibi est medium: sed in vitio est magis & minus: E.* Resp. In vitiis inveniri medium, sed non illud, quale est, virtutis, definitum à ratione recta ex circumstantiis expensis: caret enim vitium omni circumstantia recta: nec aliud medium habet, quam gradum aliquem, qui cum majoribus & minoribus collatus, potest dici medius, attamen semper vitiosus: E vitium habet medium, sed vitiosum, non illud rationis rectæ ac prudentiæ medium, quale exigitur in virtute.

XXIV. §. 13. *Si virtutis forma sit congruentia cum lege naturæ & ratione rectâ: E. non mediocritas: At verum prius: E.* Resp. unum & idem sunt, congruentia cum lege naturæ & mediocritas affectuum. Cum enim affectus legi naturæ congruunt ac rectæ rationi, jam ad mediocritatem sunt redacti.

XXV. §. 14. *Nulla negatio est forma virtutis: At illa mediocritas est negatio.* Resp. non est nuda negatio, sed est positivum quid, respectu virtutis ipsius; dicitur tantum negatio respectu extremorum: quemadmodum spiritus, negatio est respectu caloris ac frigoris, & tamen in se positivum ens. Atque hæ sunt præcipuæ objectiones.

EXERCITATIONUM ETHICARUM

VIGESIMA-SEXTA,

Quæ est secunda,

DE

VIRTUTE MORALI.

THESIS I.

EXcussimus ac discussimus objectiones quasdam *exercitatione præcedenti*, quæ moveri possunt contra *genus* virtutis moralis, *habitum*, & *formam*, seu potius *differentiam* ejus, *mediocritatem*. Jam nunc ulterius abimus, quæstiones adhuc alias, *de virtute morali in genere* examinaturi: inter eas, non est infima *de subjecto virtutum moralium*, quæ mirum in modum agitata est inter *Scholasticos*, & *Ethicos*, quà veteres, quà recentio-

tiores, dum, horum quidam, in appetitu hominis sentiente, alii, in voluntate, eas collocârunt. *Thomas Aquinas*, quasdam virtutes, in hominis sensitivo, quasdam in rationali appetitu, locavit. Nos ab eorum stamus partibus, qui *virtutes morales* collocant in *appetitu hominis sensitivo*, quam sententiam late propugnat, *gradu 4. Philosophiæ suæ moralis, c. 7.* & aliquot seq. *Franciyc. Picolomineus.* Et nos eandem *Coll. Eth. Disp. 16. Th. 8.* adstruximus quinque rationibus. Restat, ut more solito, adversæ partis argumenta solvamus.

II. §. 1. *Appetitus sensitivus in operando sic movetur, quemadmodum corpus per qualitates naturales ac patibiles. Ergo non indiget habitu: si enim corpus multo calore perfunditur, excitatur appetitus ad venerem, si refrigeretur, ad temperantiam, varioque modo auctis, vel diminutis, qualitatibus, vario modo afficitur: sic absque habitu quoque, solius exercitationis & medicinæ beneficio mediocritatem possumus consequi in affectibus.* Resp. Licet qualitates illæ naturales per accidens facere possunt, ut aliquis facile, vel difficulter agat, secundum se tamen non movent hominem ad bonas malasve actiones, neque in hunc finem sunt institutæ à natura. Habitus boni, primo per se, & propriè, sunt instituti, ad bonas actiones: immutatio illa qualitatum, si quid conferat ad bene vel malè agendum, id totum est per actiones: bene vel male agere, per se est habitibus.

III. § 2. *Si in appetitu sentiente ponuntur habitus, oportet eos esse extensos, sicut est appetitus.* Resp. Concedo totum argumentum, neque est aliquid hic absurdi, ut habitus extendantur eo modo, quo extenditur ipse appetitus: sed illa extensio non est propria aut localis, ut in quantitate.

IV. § 3. *Si virtutes morales sunt in appetitu sensitivo, ergo fortitudo, temperantia, &c, non erunt in animâ separatâ.* Resp. Concedo totum: nam non sunt isti habitus propriè in anima separata: non sunt formaliter in ea, fortitudo, temperantia, &c. sed tamen remanent virtute: statim enim atque anima iterum corpori conjungitur, eosdem recuperat habitus, ac recipit virtutes, quemadmodum etiam illico recuperat, ac recipit virtutem sentiendi, quam separata non habebat..

V. §. 4 *Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens: at electio non est actus appetitus sentientis, qui non potest eligere: sed electio est actus voluntatis, amplectentis medium, quod à ratione est positum:* Ergo. Resp. Virtus moralis in appetitu sentiente est habitus electivus, & ipse appetitus est principium electionis, sed participatæ: electio quidem est actus voluntatis propriè, quia hæc propriè eligit, est tamen aliquo modo actus sentientis appetitus, ac potentiæ inferioris, quia hæc exequitur electionem voluntatis, ex ratione factam: Nam potest spectari appetitus sentiens, vel ut plane ἄλογον, & rationis omnino expers, illique nullo modo subjectus, qualis est in brutis, vel ἔλογον, rationis aliquo modo particeps, quatenus ab ea regitur ejusque imperio, si non despotico, saltem politico, subjicitur; qualis est in homine. Primo modo, non competit ei electio ullo modo. Secundo modo, competit ei electio participativè, sicuti & particeps est rationis, dum eam sequitur appetitus sentiens hominis. Atque hoc discrimen, aliarum difficultatum solvendarum est fundamentum: ut, cum dicunt, virtutem tendere ad honestatem, & laudem mereri; sentientem appetitum, in actionibus, non item: falsum est, de sentiente appetitu hominis, qui & electionis & rationis aliquo modo particeps est. Sic & hoc argumentum solvi debet. *Appetitus sentiens caret libertate. Ergo non est subjectum virtutis: hoc enim libertate esse præditum, oportet.* Resp. Est in appetitu sentiente, libertas participata, uti est, & ratio participata, & electio participata: Distingui enim solet libertas, in libertatem per essentiam, & per participationem: Libertas per essentiam, in solam cadit voluntatem: At libertas per participationem, etiam inferiorum est facultatum, ut sensitivi appetitus.

VI. §. 5. *Si in appetitu sentiente sint collocandæ virtutes morales, maximè fortitudo & temperantia: atqui hæ sunt in voluntate collocandæ: Ergo. Voluntas enim sua natura non propendet ad fortitudinis & temperantiæ bonum:*

Ergo postulat habitum: *Et sane, in voluntate est hic actus, volo temperanter vivere, volo fortiter agere.* Resp. *Nego minorem*: nam fortitudo & temperantia versantur circa metum & cupiditatem: ergo debet fortitudo ibi esse, ubi est metus, & temperantia ibi, ubi est cupiditas: atqui metus & cupiditas sunt in appetitu sentiente, ille in irascente, hæc in concupiscente, appetitu: ergo & fortitudo illic & temperantia illic sunt. Voluntas est ex se propensa ad temperanter agendum, ut vitam tueatur & proroget, nisi perturbationibus abripiatur, affectibus perturbetur; quare non tam voluntas postulat habitum temperantiæ ad temperanter agendum, quam quidem appetitus sensitivus, sedes cupiditatis, ne isto affectu voluntatem perturbet. Similiter de fortitudine est philosophandū. Quod attinet ad actus illos, *volo fortiter agere, volo temperanter vivere*, ad illos actus eliciendos non postulat voluntas habitum, vel fortitudinis, vel temperantiæ, sed requiritur tantum, ut uterque habitus sit in appetitu sentiente: Qui si fuerit, jam voluntas pro suo imperio potest dicere, *volo agere fortiter, volo temperanter vivere*. Nunc videamus, quomodo probent, voluntatem debere esse subjectum affectuum.

VII. §. 1. *Ea potentia, quæ discedere potest à rectitudine sui actus, indiget habitu quo ad eam reducatur: sed voluntas potest &c. ergo.* Resp. *Major* non est simpliciter vera: potest enim reduci ad rectitudinem sui actus aliqua potentia à ratione, præsertim, si ei sit conjuncta, ut voluntas est conjunctissima rationi: inde quoque fit, ut voluntas nunquam à rectitudine sui actus recedat, quin simul ab ea recedat ratio.

VIII. § 2. *Quod maximè indifferens est & liberum, eget habitibus, quibus determinetur: at voluntas est maximè indifferens, & libera: ergo.* Resp. *neg. maj.* quia sine habitibus sibi inexistentibus determinatur à ratione: jam enim aliàs, multis argumentis hoc evicimus, voluntatem ejusque indifferentiam determinari à ratione, & intellectus practici judicio.

IX. §. 3. *In voluntate est justitia, ergo in voluntate est virtus moralis. Prob. antecedens: quia justitiæ objectum est bonum alienum, quod excedit proportionem & sphæram appetitus sensitivi.* Resp. Justitia non potest esse in voluntate, si reliquæ virtutes sint in appetitu sentiente: nam justitia (loquimur de universali) est eadem cum omnibus aliis virtutibus, ac ratione tantum ab iis distinguitur: *Quod dicitur, objectum justitiæ, bonum alienum, excedere proportionem, & sphæram sensitivi appetitus*, id falsum est, si spectetur sensitivus appetitus, qui est hominis, qui rationis est aliquo modo particeps, in quantum rationi subjicitur; sic enim non minus ad bonum alienum, quam ad proprium, à ratione impelli potest ac dirigi. Instant. *Justitia definitur voluntas, &c.* Resp. Illa est impropriè dicta definitio, quia alioquin sic potentia esset genus virtutis, & significatur tantum, justitiam non exerceri posse sine voluntate, quod de omnibus omnino virtutibus est verum: nulla enim earum exerceri potest sine voluntate, id est, voluntate non consentiente. Atqui ita ostendimus, non in voluntate, sed in appetitu sentiente, esse collocandas virtutes: Intelligimus vero in toto hoc negotio virtutes morales: Quin enim in voluntate poni debeant ac possint altioris ordinis virtutes, scilicet supernaturales, ac Theologicæ, inficias ire nolim: nempe, in voluntate, si proprium ejus attendamus bonum, difficile, & excedens ipsam inclinationem propensionemque naturę, omnino ponendæ sunt virtutes, quibus ad illud amandum ac consequendum juvetur, & promoveatur; quales sunt fides, spes, charitas: neque enim rationis determinatio hîc sufficit, cum ratio eo non assurgat, utpote quæ, naturale tantum est lumen, & illud quidem corruptum: Nec ad earum virtutum actus, voluntas ex se aut natura sua, est aut propensa, aut idonea: unde, quia ratio dirigens est corrupta, & quia voluntas, quæ dirigitur, est corrupta, omnino oportet, utramque habitibus supernaturalibus, & virtutibus Theologicis, instrui, ut actus tales exerceat.

X. Hæc de *virtutis moralis subjecto* disputasse sufficiat ἀναστοδιαστικῶς, quæ tamen pro firmis & immotis demonstrationibus accipi nolu-

nolumus: quippe, qui fatemur, contrariam sententiam, *de voluntate, sede virtutum moralium*, non usque adeo improbabilem esse, sed præterquam quod nitatur maximorum virorum authoritate, non destituitur rationibus probabilibus. Sed ita fere se habet *Philosophia Aristotelico-Scholastica*, ut nonnulla in utramque partem disputari possint, ac soleant; quod, an solidæ ac masculæ Philosophiæ sit argumentum, valde dubito, ac disquirendum relinquo.

EXERCITATIONUM ETHICARUM VIGESIMA-SEPTIMA,

Quæ est tertia,

DE

VIRTUTE MORALI.

THESIS I.

POstquam, *de Virtutis Moralis subjecto* disputatum est. *Exercit. præced.* Hac, *de ejus Causa Efficiente*, Disputabimus. Diximus *Coll. Eth. disp.* 17. *th.* 8. *virtutem moralem* (nam de supernaturali ac Theologica nos non agimus) *produci ex actionibus frequentatis.* Hîc primo tenendum est, quid intelligatur *per actiones frequentatas, quæ & quales sint istæ actiones?* Cum causam virtutis moralis procreantem, dicimus, *actiones*, intelligimus, actiones intellectus, & voluntatis, judicium mentis, & voluntatis electionem; virtus enim gignitur ex actionibus honestis & bonis; actiones honestæ sunt & bonæ, quæ proficiscuntur ab electionibus, rectæ rationi, & judicio intellectus, consentaneis: nam ab hoc fonte, à recta sc. ratione, & legitima voluntatis electione, omnem suam bonitatem, derivant actiones, quibus gignitur virtus. Itaque, bene agimus, etiam nulla præcedente virtute: quotiescunque enim secundum rectam rationem agimus, jam bene agimus: at cum virtutem exercitatione comparamus, secundum rectam rationem agimus: aliter enim virtus procreari non potest. Ergo, cum virtutem exercitatione comparamus, jam bene agimus: bonæ igitur actiones, sunt causæ virtutis, &, ex iis virtus gignitur. Verum enimverò hîc secundò bene est notandum, quo sensu, ex actionibus bonis, i. e. rectæ rationi consentaneis, generetur virtus? particula enim ista, seu præpositio (*ex*) varias significat habitudines: interdum significat habitudinem causæ materialis, ut cum dicimus, ex ferro fit gladius: interdum significat terminum à quo, ut cum dicimus, ex albo fit nigrum, ex privatione fiunt omnia: interdum significat causam efficientem, ut cum dicimus, ex convitio oritur pugna: nihil autem hîc refert, utrum intelligatur causa principalis, an instrumentalis, quæ per vocula (ex) significatur. Hisce præmissis, dicimus, virtutes generari & produci ex actionibus bonis, non quatenus (τὸ *ex*) significat habitudinem causæ materialis; nam virtutes, quia habitus sunt, & qualitates, carent materia: neque quatenus (τὸ ex) significat terminum à quo; nam actio bona & honesta, quæ rationi est consentanea, non opponitur virtuti, ut terminus à quo, opponitur termino ad quem, sed illa particula (ex) significat in hac quæstione, habitudinem causæ efficientis, & quidem instrumentalis: atque hic est sensus. *Virtus producitur ab animi po-*

tentia secundum rectam rationem agente: quæ potentia est causa efficiens principalis, actiones autem potentiæ, *sunt instrumentum seu causa instrumentalis:* & sic asserimus, *virtutem moralem progigni ex actionibus bonis.*

II. 2. Objectio. *Si virtus gignitur ex actionibus bonis, E. gignitur ex iis, quæ virtutem antecedunt. Sed actiones, quæ antecedunt, non possunt gignere virtutem: ergo, &c.* Prob. min. *Omnis causa est perfectior & nobilior effecto. Sed actiones virtutem antecedentes, non sunt nobiliores, nec perfectiores virtute; imò, ipsa virtus longe est nobilior ac perfectior istis actionibus. E. Profectò, quod est imperfectius & ignobilius, non potest gignere nobilius. Atqui actiones istæ antecedentes sunt longè imperfectiores & ignobiliores virtute. Ergo.* Resp. *ad min.* Omnis causa sc. principalis, est perfectior & nobilior effecto, & ad probationem, quod est deterius, ignobilius, imperfectius, id non potest producere nobilius; hæc vera sunt de causis principalibus, sed non de instrumentalibus: nam instrumentum est ignobilius plerunque effecto: at verò, actiones virtutem antecedentes sunt causæ instrumentales, non principales: principalis causa est, ipsa recta ratio & voluntatis electio; actio imperata ista, qua virtus acquiritur, merum est instrumentum: & quando in *Coll. Eth. Disp.* 17. *th.* 8 diximus: *Actiones bonæ dicuntur, esse sola causa procreans, principalis, proxima, propria, virtutis moralis: particula* (*sola*) excludit, educationem, assuefactionem, conversationem, doctrinam, temperamentum, causas virtutum moralium, rejectas th. 7. 6 5. 4 sed non excludit potentiam agendi; imo spectantur actiones causæ virtutis moralis, ut conjunctæ cum potentia agendi, & cum ea constituentes causam principalem virtutis, licet respectu potentiæ possint dici causæ instrumentales.

III. 2. Objectio. *Si actiones, nec sint, nec dicantur, bonæ, nisi à virtute profectæ,* E. *virtus non gignitur ex actionibus bonis. Sed ver. pri.* E *post. Prob. min. exemplo justitiæ: justitia, si gignitur ex actionibus, gignitur ex actionibus justis; nam injustæ actiones non possunt gignere justitiam: at actiones non sunt justæ, nisi à justitia;* E. *justitia non gignitur ex actionibus justis:* E. *nec virtus ex actionibus bonis.* Resp. *ad min.* eam esse falsam, quod actiones, nec sint, nec dicantur, bonæ, nisi à virtute: dicuntur enim tales à rectâ ratione & lege naturæ, quia utrique congruunt. Ad probationem dico; actiones justæ, dicuntur duplici sensu tales; vel, quia, à justitiæ habitu & virtute illa, proficiscuntur, vel, quia, ab animi potentia, & recta ratione, promanant, quia, legi naturæ sunt conformes, quæ actiones planè sunt similes iis, quæ ab habitu aut virtute justitiæ prodeunt. Posteriori modo dicuntur actiones justæ, quibus gignitur justitia, non priori: & sic justè agit is, qui virtutem justitiæ nondum est consecutus, quia profert actionem justam in quantum rationi rectæ convenit; estque, quoad substantiam, eadem cum illa, quæ profertur ex habitu & virtute justitiæ.

IV. 3. Objectio. *Effectum ab iisdem causis habet, & firmitatem, & bonitatem, à quibus accipit entitatem. Sed virtus non accipit, vel firmitatem, vel bonitatem, ab actibus.* E. *Nec entitatem.* Resp. Verum est, si actiones spectentur, qua sunt actiones, in genere naturæ; at falsum est, si actiones spectentur, in genere moris: sic enim ab actionibus, prout rectæ rationi conveniunt, dicitur quis bonus.

V. Quæstionem movimus, *Coll. Eth. disp.* 17. *th* 9. *An actiones, virtutem antecedentes, specie differant ab actionibus, virtutem consequentibus.* Resp. Quod non: & rationem dedimus. Nunc videndum, quid à sententiæ adversæ partibus contrà adferri possit. Quæ hîc objici solent, facile dissolvuntur. Dicunt 1. *Actio, ex virtute proficiscens, non est eadem specie actio, cum illa, quæ ex virtute non proficiscitur. Atqui actiones consequentes, sunt ex virtute profectæ; antecedentes, non item.* Ergo. Resp. Negamus simpliciter, actionem ex virtute profectam, & actionem non ex virtute profectam, non esse eandem specie: nam, in genere moris si spectentur, ut spectari debent, sunt ejusdem speciei; utraque enim convenit rectæ rationi, à qua speciem desumunt actiones, moraliter, vel bonæ, vel malæ. 2 *Bonum & non bonum differunt specie.*

specie. Atqui actiones, virtutem consequentes, sunt bonæ, antecedentes, non sunt bonæ. Ergo. Resp. *ad minorem.* Negamus, actiones, virtutem antecedentes, non esse bonas: nam illa actio est bona, quæ est conformis rectæ rationi. Atqui actiones, virtutem antecedentes sunt conformes rectæ rationi. Ergo. Et actiones istæ præcedentes sunt bonæ: & reddunt hominem bonum, si non perfectè, quod facit virtus, saltem imperfectè & inchoativè. 3. *Quæ diversas habent causas, specie differunt: Atqui actiones, virtutem consequentes, habent diversas causas, quam antecedentes.* Ergo. *Nam consequentes, proficiscuntur à virtute, & antecedentes, non item.* Resp. Non habent diversas causas; nam causa utrobique est, ratio recta, & electio voluntatis, à qua utræque actiones, & antecedentes, & consequentes, emanant. Atque hæc sunt, quæ de causa, efficiente virtutem moralem, vulgò disputari solent.

VI. *Coll. Eth. Disp.* 18 quæstionem movimus *th.* 4. *An quælibet actio virtutis, etiam remissa, atque ipsa virtute minus intensa, virtutem augeat?* Resp. Quod sic: & rationem dedimus. Nunc objectio una dissolvenda venit. Dicet quispiam. *Æquale non potest agere in æquale, multò minus poterit, quod inæquale est, agere in majus*: loquar clarius: *calidum ut 4. non potest agere in calidum ut 4. multò minus in calidum ut 6.* Hinc illud est Physicorum: *à proportione minoris qualitatis ad majorem, non fit actio.* Ergo. *Non poterit habitum virtutis augere, vel intendere, actus remissior.* Resp. Hoc axioma Physicum, æquale non potest agere in æquale, aut minus in majus, semper est verum, de causis principalibus & univocis, sed non de instrumentalibus aut æquivocis: at verò, actiones bonæ, ut sunt instrumenta procreandæ virtutis (nam potentia agendi est causa principalis) ita etiam sunt instrumenta augendæ virtutis. Cum itaque actus virtutis eatenus augeat virtutis habitum, quatenus est instrumentum, nihil est mirum, si aliquid efficiat se excellentius & nobilius. Et, hæc argumentatio, si valeret, non tantum concluderet, actus remissiores non posse augere virtutem, sed ne intensiores quidem, id posse: nam, quilibet, etiam actus intensior, est ignobilior ipso virtutis habitu: Ergo. Nec intensior actus poterit augere virtutem: & quid multis est opus? quemadmodum quodlibet lumen, etiam exiguum valde, atque minutum, adjutum & promotum à lumine majore, potest augere lumen, quantumvis magnum, ita actus virtutis potest augere virtutem, utcunque gradibus aliquot se perfectiorem & excellentiorem: &, similiter fieri videmus in aliis rebus. v. c. videmus, habitum memoriæ crescere & augeri, non tantum actionibus intensis, sed & æqualibus, & remissis, atque imperfectioribus, quod ipsa nos docet experientia. Nulla causa est, cur non idem dicamus fieri, in adeptione virtutum, earumque incremento & augmento.

VII. *Aristoteles Eth. Nicomach. l. 2. c. 8.* triplicem instituit, virtutis, tanquam medii, & vitiorum, tanquam extremorum, antithesin, seu oppositionem. 1. Monet, virtutem opponi vitiis, & secundum excessum, & secundum defectum. 2. Monet, extrema, vehementius secum invicem, quam, cum medio pugnare: nam & longius à se invicem distant, &, vitia multa, virtutibus cognata sunt. 3. Demonstrat, extrema medio inæqualiter opponi: alterum enim magis, alterum, minùs, cum virtute pugnat; &, interdum defectus, interdum excessus, ad virtutem accedit propiùs: ita magis pugnant fortitudo & ignavia, minus pugnant fortitudo & audacia; atque hæc, & verè, & solidè, ab *Aristotele Cap. citato*, sunt asserta & demonstrata: ejus rationes, latius deductæ, videri possunt, apud ejus interpretes, sive antiquiores, *Eustratium*, *Acciajolum*; sive recentiores, *Balfoureum*, *Giphanium*, *Magirum*, *Riccobonum.*

VIII. Adversus hæc tria tamen, de vitiis comparatis ad virtutem, asserta ab *Aristotele*, quædam objici solent: primo quidem loco dicebatur, virtuti opponi vitium, vel per excessum, vel per defectum. *Sunt, qui tertium addunt membrum; nempe vitium per alienationem:* sed illud jam refutavimus *Coll. Eth. Disp.* 18. *th.* 11. *& comm. subjuncto.* Videamus

deamus nunc, quid objici possit adversus, id quod *Philosophus* secundo loco asserit. *Cap.* 8. *l.* 2. *citat.* cum dicit, majorem inter duo vitia esse pugnam, quam inter virtutem & extrema. 1. *Illa sunt minus inter se contraria, inter quæ est facilior transmutatio: ea enim, inter quæ facilior est transmutatio, minus inter sese distant, cum minor longinquitas possit facilius pertransiri, quam major: quæ vero minus inter se distant, minus profectò inter se sunt contraria. At facilior est transmutatio inter duo vitia, facilius transitur inter eadem, quam inter virtutem & vitium. Ergo. Duo vitia extrema sunt minus inter se contraria, quam virtus & vitium:* min. sic prob. *Facilius est ab excessu & nimio, ad defectum, & id, quod est parum, transire, vel, ab ipso defectu ad excessum transire, quam, vel ab excessu ad ipsam virtutem descendere, vel à defectu ad virtutem adscendere: timidus, v. c. facilius audaciæ ac temeritatis opus efficiet, quam veræ fortitudinis.* Ergo, Resp. *ad maj.* Illa sunt minus contraria, inter quæ est facilior transmutatio, eam non esse generaliter veram, sed tantum est vera, quando transmutatio fit inter terminos, habentes medium rei & participationis, quali modo inter album & nigrum, colores, medius est, viridis, ubi extrema sunt magis contraria, album & nigrum, quia est difficilior transmutatio albi in nigrum, quam alterutrius in viride: at verò, quando mutatio est inter illos terminos, quibus interpositum est medium rationis ac negationis, uti est virtus inter duo extrema vitia, potest fieri, ut facilior transitus sit inter ea, quæ magis tamen sunt contraria: quia, cum medium participationis nullum habeant, non est, quod illud transeant, unde facillimè in se invicem mutantur. 2. *Ea, quæ distant extra genus, magis distant, quàm, quæ intra genus. Atqui virtus & duo vitia extrema, distant extra genus, uti duo vitia distant intra genus.* Ergo. Resp. *ad min. cum distinctione.* Virtus, vel consideratur formaliter, quatenus est bona, i. e. quatenus est opposita vitio, & utrique extremo, in quantum utrumque est malum: sic distat extra genus: sunt enim transcendentia: at verò, si virtus consideretur materialiter, seu secundum substantiam, quatenus est habitus intermedius inter duos habitus extremos, tum virtus non distat ab extremis extra genus, nam genus est habitus: & sic, quatenus virtus est habitus, sed bonus, & vitia sunt habitus, sed mali, virtus & extrema, habent commune genus, habitum.

IX. Nunc, quid citra tertium ab *Aristotele* assertum dici queat, videamus. Statuit *cap.* 8. *lib.* 2. *cit.* virtutem magis cum uno, quam cum altero extremo pugnare 1. *Omne medium debet esse æqualiter interjectum inter sua extrema: si enim ad unum extremum propius accedat, ab altero remotius abeat, jam non est medium, non vere tale. At virtus est medium, & verè tale. Ergo. Æqualiter est interjecta inter vitia.* Resp. *Falsam esse majorem de omni in universum medio;* quod illud sit interjectum æqualiter inter exterma: est medium aliquod rei, aliud rationis. Medium rei, æqualiter ab extremo utroque abest ac recedit, sed medium rationis, non item, quia in eo situm est, ut tantummodo eousque ab extremo hoc vel illo abeat, quousque illud nobis est contrarium, & malè conveniens: virtus autem, est medium, non rei, sed rationis. Hinc fit, ut virtus ab extremis abeat & recedat, eatenus ac tantùm, quatenus & quantùm, extrema nobis sunt incongrua: extrema verò, nobis, non æqualiter, sed inæqualiter, sunt incongrua; neque enim fieri potest, ut res duæ ac tam diversi generis, uti sunt virtutis extrema, unum in excessu positum, alterum in defectu, æquali ratione nobis ac nostro fini malè congruant. Ergo, Virtus non æqualiter ab extremis, sed inæqualiter, ab iis recedit: est nihilominus virtus, media inter extrema: Ergo, non omne medium æqualiter inter extrema est interjectum, quod dicebat *Major* argumenti: v. c. fortitudo, est media inter timorem & audaciam, sed magis accedens ad audaciam, longius recedens à timore, quia timere, magis nobis, nostroque fini ac propósito, est incongruum, quam audere, ad quod magis inclinamur. 2. *Si alicujus rei perfectio, sit, esse in medio, Ergo eo erit perfectior res, quo erit magis in medio. Sed virtutis perfectio est, esse in medio.* Ergo. *Atqui virtus magis erit in medio, si æqualiter distet ab utroque extremo,*

mò, quam, si inæqualiter. Ergo, *Perfectior erit virtus, si æqualiter absit ab extremis.* Resp. Hoc argumentum solvitur eadem distinctione medii, in medium rei & rationis: nempe, ejus rei perfectio eo major est, quo magis in medio collocatur, si ejus perfectio, simpliciter est, esse in medio, verum est, de medio rei; sed non est verum, de medio rationis: virtus autem, est medium rationis, quod aliàs fuit probatum, cum de formâ virtutis fumus Philosophati, E. virtus eo perficitur magis, non, quo magis ponitur in medio rei, i. e. quo æqualiter interponitur extremis; sed verò, quo magis ponitur in medio rationis, i. e. quo propiùs vel longiùs abest ab extremis, prout rationi est visum.

EXERCITATIONUM ETHICARUM VIGESIMA-OCTAVA,

DE

Virtutum Moralium divisione, & earum inter se connexione.

THESIS I.

VNa est, ex rebus omnibus humanis, virtus, suo jure laudabilis, suo merito expetenda: quippe nihil pulcrum est, nisi quod virtus imbuit, nihil glorioſum nisi ex virtutis sit gestum imperio, nihil beatum, nisi quod virtutis processit auspiciis: quodcunque non vanum decus mortales possident, per virtutem obtinuerunt: sola virtus, omnem & totam, vitæ humanæ, felicitatem, conciliat: hoc non Philosophi tantùm, sed literati omnes, sed mortales omnes censent ac sentiunt, omnem honoris laudisque causam à virtute derivari, ut ipsa nullius laudis egeat, quæ omnem rebus aliis tribuit: accipere laudes, virtus non potest, quæ aliis eas conferre nata est: prosequi laudibus virtutem nihil est opus, cum ipsa laus sit, ut enim vitia culpar, ita virtutes, laudum nomine, rectè indigitantur: *ipsa sibi virtus, pretium est,* inquit *Poëta.* Virtutem qui nominat, eam laudat, qui adspicit, probat, qui cognoscit, amat: ad amorem enim virtutis excitandum, in animis mortalium, nihil requiritur, quam ut dextra & accuratâ virtutis cognitione imbuantur. Unde *Philosophorum,* oraculo Apollinis, sapientissimus *Socrates,* abunde, se suisque, ac Philosophi, partibus, existimabat defunctum, si homines ad notitiam virtutis deduxisset. Nos quoque *Socratis* exemplo insistentes, ad notitiam virtutis deducere unumquemque conati sumus, explicando *naturam Virtutis in genere, Coll. Eth. disp.* 16. *causas, disp.* 17. *incrementum* ac *decrementum,* & ejus *oppositum* vitium, *disp.* 18. In specie, singulas virtutes persequuti sumus, *à disp.* 19. *ad* 31. *usque,* atque in hoc *Exercit Eth.* curriculo, *exercit.* 25. 26 27. Et objectiones multas dissolvimus, quæ contra *naturam virtutis in genere, genus* ejus ac *differentiam, causas,* &c. objici solent: nunc ad virtutes in specie eodem modo descendendum est, ac videndum, quænam & hîc objici valeant.

II. Quæritur 1. *An virtus moralis dividi possit in species inter se distinctas?* Extitit enim olim *Menedemus quidam Eretriensis,* ut refert *Plutarchus in libro de virtute morali,* qui differentias omnes sustulit virtutis, eamque unam atque unicam constituit, quæ pluribus uteretur nominibus: paulo aliter *Aristoteles* sentie-

bat, qui, referente eodem *Plutarcho*, unam ipse virtutis substantiam constituebat, quam, *sanitatem*, appellabat, differentias varias assignabat, prout aliud atque aliud spectaret objectum; ut, si quis visum nostrum, potentiam unicam, cum album intuetur objectum, albi visum, & cum nigrum, nigri visum appellaret: eodem modo unicam in se virtutem, si ad metum & fiduciam referretur, fortitudinem, si ad cibi potusque & veneris cupiditatem, temperantiam, &c. appellitabat: & videtur hæc opinio aliqua ratione probari posse. 1. *omnes virtutes morales sunt ejusdem naturæ, ergo non differunt specie.* Resp. sunt ejusdem naturæ genericæ, quæ identitas discrimen specificum non tollit, sed ponit: nam præter naturam genericam, in qua virtutes conveniunt, differunt insuper specie, quia differunt causis efficientibus, effectis, finibus, objectis, &c. quæ differentiæ locum tenent. 2. objici potest. *Virtutes morales inter se non sunt oppositæ, ergo non differunt specie, quia species oppositæ non possunt existere in eodem subjecto. At virtutes morales, si sint plures, sunt in eodem subjecto Ergo.* Resp. Virtutes morales sunt oppositæ, non ratione subjecti recipientis, in quo inter se conveniunt, sed secundum ea, in quibus dissentiunt: ut sunt, propria uniuscujusque essentia, efficiens, finis, effectum, objectum, &c; species oppositæ non possunt existere in eodem subjecto, sc. si sint qualitates physicæ, reales, positivæ: At qualitates spirituales, ut habitus, & intentionales, ut species sensibiles & intelligibiles, possunt existere in eodem subjecto: ut visio albi & nigri simul est in eodem oculo, & notitia quarundam rerum, & aliarum ignorantia, sunt in eodem intellectu.

III. Sed admissa aliqua virtutis moralis divisione, quæritur. 2. *qualis illa, & quæ sit?* Receptissimus est virtutum numerus quaternarius quas cardinales vulgo vocant, quod iis ceu cardinibus vitæ humanæ ratio volvatur atque innitatur) prudentia, fortitudo, temperantia, justitia. Hæc divisio, inter *Patres* quoque, *Augustino* placuit, qui *lib. de spiritu & anima cap.* 10. in hæc verba scribit. *A prudentia anima scit, quid facere debeat: temperantiam habet contra prospera, fortitudinem contrà adversa: justitiam quâ scit, quod cuique debeat reddere*, sc. prudentiæ est, scire, quid possis, temperantiæ, non præsumere, quod non possis, justitiæ, non plus velle, quam possis. Et non *Augustino* tantum, sed omnibus fere *Orthodoxis Patribus*, ea virtutis divisio arrisit, unde fere ad hæc 4. capita, virtutes omnes reduxerunt. Hæc *divisio* à *Stoicis* est profecta. *Plato* hisce 4. virtutibus adjiciebat, 5., *sanitatem*, ut videre est in ejus *Protagorâ*.

IV. *Aristoteles, l. 2. Eth. c. 7.* virtutis species recenset, hoc ordine. Primum locum obtinet ἀνδρεία, *Fortitudo*, media inter duo extrema, in excessu, audaciam, in defectu, timiditatem: virtus secunda est, σωφροσύνη, *Temperantia*, media inter duo extrema, in excessu, intemperantiam, in defectu, sensuum stupiditatem, quam uno verbo ἀναισθησίαν Græci vocant. Tertia est ἐλευθερότης, *liberalitas*, media inter duo extrema, in excessu, prodigalitatem, in defectu, avaritiam. Quarta est, μεγαλοπρέπεια, *magnificentia*, media inter duo extrema, in excessu, luxuriem, in defectu, sorditiem. Quinta est, μεγαλοψυχία *magnanimitas*, media inter duo extrema, in excessu, fastum, in defectu, pusillanimitatem. Sexta est, *Modestia*, media inter duo extrema, in excessu, ambitionem, in defectu, honoris contemptum. Septima est, πραότης, *mansuetudo*, media inter duo extrema, in excessu, iracundiam, in defectu, lentitudinem. Octava est, φιλία, *comitas*, media inter duo extrema, in excessu, adulationem, in defectu, morositatem. Nona est, ἀλήθεια, *veritas*, seu *veracitas*, media inter duo extema, in excessu, jactantiam, in defectu, dissimulationem, Decima est, εὐτραπελία, *urbanitas*, media inter duo extrema, in excessu, scurrilitatem, in defectu, rusticitatem. Undecima est, *justitia*, media inter duo extrema, sed quæ eodem veniunt nomine: nam, & excessus & defectus à justitia, vocatur ἀδικία, *injustitia*: rationes, quibus hæc divisio innititur, reperiuntur apud *Commentatores Arist.* antiquos & recentiores. Multi tamen Christianæ Ethicæ scriptores hunc numerum virtutum Aristotelicarum insufficientiæ arguunt, & egrè aut non propriè, ad eum, referri omnes virtutes,

tutes, asserunt; ideoque de alia virtutis divisione cogitarunt. *Melanchthon, Danæus, Cassmannus, Perkinsius, Amesius, & casuum*, seu *moralium*, seu *spiritualium*, scriptores, secundum decalogum dividunt virtutes, in eas quæ Deum, juxta *Tab.* 1. & in eas, quæ proximum juxta *Tab.* 2. decalogi, spectant. Cui divisioni affinis est, *Timpleri, Burgersdicii, aliorumque* recentiorum divisio virtutis in *pietatem*, quæ in Deum, & *probitatem*, quæ in proximum tendit, aut, melius dicatur, qua, quis, in seipsum, & proximum, tendit.

V. Sunt, qui virtutem dividunt, in *universalem* & *particularem*: *universalem* vocant, quæ omnes virtutes suo complectitur ambitu: quæ vulgò dicitur *justitia universalis*, estque, obedientia erga omnes leges, habitus obsequendi legibus omnibus: aliis, hæc *universalis virtus*, dicitur *charitas*, quæ est habitus diligendi Deum, nosmetipsos, & proximum: itaque, justitia universalis, charitas, & obedientia generalis, reipsa non differunt, sed tantum nominibus & ratione. *Particularis*, virtus, est unaquæque virtutis species, contenta sub universali virtute; fortitudo, temperantia, &c. Verumenimvero, hæc divisio non est generis in species: sed perinde est, ac si quis genus aliquod v. c. animal dividat in universale & particulare: ipsa virtus moralis, generaliter sumpta, est genus; &, particulares virtutes, ut species sub se continet: itaque, qui, justitiam universalem, justitiæ particulari, ut speciem speciei, aut, qui virtutem moralem in genere sumtam, pro *Charitate*, aut *obedientia legum*, virtutibus specialibus, ut speciem speciei opponunt, toto cælo errant: nam virtutes particulares & speciales ab universali virtute, sive vocentur justitia universalis, sive charitas, sive obedientia, non differunt reipsâ, sed sola ratione; de quo aliàs.

VI. Sunt alii ex Recentioribus, qui dividunt virtutem moralem, in *dirigentem & directam*: & *dirigentem*, in prudentiam & justitiam universalem: *directam* vocant, quamque particularem, quæ à prudentiâ & justitiâ universali dirigitur. Verum hæc divisio eodem laborat vitio, quo altera ista statim refutata; nam opponit quoque justitiam universalem particulari, & virtutem in genere, unicuique virtuti singulari, ut speciem speciei: accedit alterum, quod prudentiam inter species virtutis moralis recenseat, quæ tamen virtus moralis non est, sed ejus causa procreans, efficiens, mater, ac dux.

VII. Sunt qui virtutem moralem dividunt, *in perfectam* & *imperfectam*; item in *ordinariam* & *extraordinariam*, in *communem* & *heroicam*: sed enim omnes istæ divisiones non sunt divisiones generis in species, sed subjecti in sua accidentia: at tales divisiones nunc non quærimus, sed prioris generis, scil. generis in species; quare eas missas facimus; nunc, ad virtutes, in specie singulas, transeundum venit: verùm, duæ primum sunt generales proprietates omnibus virtutibus, singularibus communes, hîc disputandæ. Earum *connexio*, & *æqualitas*, vel *divulsio*, &, *inæqualitas*.

VIII. Quæritur ergo 1. *An virtutes morales sint inter se connexæ, ut una sine aliâ non inveniatur, an contrà, an sint ita divulsæ, ut hæc sine illa, illa sine hac, reperiatur?* Nos, nexas esse inter sese virtutes, cum Philosophorum & Scholasticorum præclarissimis, nec eas sine pernicie, posse divelli ac separari, pronunciamus: sed distinctiones tamen adhibemus, ne crudum nimis hoc pronunciatum nonnullis videatur: virtus moralis, vel consideratur, quâ vel individui, vel in ideâ suâ, quatenus est hominis universim sumti: si virtutes spectentur, quà sunt individui, sunt disjunctissimæ, & quàm maximè inter se divulsæ. Si enim virtutes, quatenus sunt individuorum, non sunt divulsæ & disseparatæ, statim, quicunque unam haberet, is statim omnes haberet. Atqui posterius est falsum, ergo & prius. Multos videas temperantes, qui sunt injustissimi, multos fortes, qui sint intemperantes, & sic porrò. Vitiis nemo sine nascitur, & nihil est ab omni parte beatum: humanæ vitæ qui cursum inspiciet, & decursum, & vitiorum quoque cum virtutibus conspiciet in homine concursum. Nemo πεφυγως ἡ ἀναμίκτως vivit: si vero virtutes spectentur in ideâ suâ, in sua perfectione, omnino sunt inter sese conjunctissimæ, & à se

mutuò, non aliter quam annuli in catena, dependent. Et hoc est quod vult *Colleg. Conimbr. cum disp. 7. quæst. 4. art. 1. in Ethicis*, cum virtutes, in gradu, aut statu heroico, esse omnino connexas, asserit, ita ut fortitudo perfectissima nequeat existere absque temperantiæ, liberalitatis, & cæterarum virtutum, consortio, ac societate: & certè, cum virtutes omnes mutuum sibi præstent auxilium, cum aliæ aliis perfectionem adjungant, &, virtutes in gradu ac statu heroico omnem postulent conditionem & excellentiam, haud dubiè necessariò inter sese erunt jugatæ, ac conjugatæ, & connexæ: Qualis elementorum est concordia, per mutuam temperantiam viriumque in mixto conjunctionem: talis est, & virtutum, quarum una alteram, aut temperie suâ format ordinatque, aut subsidio perficit atque implet: semove à magnanimitate modestiam, quid aliud, quam arrogantia, relinquetur? semove mansuetudinem, & pro magnanimitate supererit ferocia: divelle gravitatem à comitate, tristitia & torvitas succedent. Sed, ne per singulas virtutum classes incedamus, quatuor istarum Cardinalium, quæ omnis actionis honestæ sunt fontes, contemplationem, intimamque connexionem, videamus.

IX. Quicquid ex unius virtutis Cardinalis imperio geritur ac ductu, cæterarum virtutum sociis atque operâ geritur: v. c. in doloris aut calamitatis tolerantia potissimas quidem partes fortitudo agit, undique hic conspicua, quæ intendit extollitque animum supra sortem humanam, & eo producit illum, ut sentiat omnem fortunæ aut injuriæ vim fortitudine ac virtute esse inferiorem, ac infirmiorem, quam, ut de statu animum dejiciat: sed nec reliquæ hic aut cessant aut otiosæ sunt virtutes. Adest temperantia, sollicita exactrix custosque, decori ac decoris, quæ, degeneris effæminatique animi turpitudinem fugiendam monstrabit: præsto est prudentia, omnium consiliaria virtutum, quæ ad finem summum, beatam sin hoc mundo vitam, perveniri non posse docet, nisi per ardua: nisi virtute omni, & præsertim fortitudine salva, quæ tolerandis adversis est destinata: sed nec justitia hic abest, quæ docet, unicuique suum esse tribuendum: ideoque injustum esse, ut, quis mortalis, miser natus, immortalitatem & ab omni miseria imminutam postulet, quæ conditio, non hujus, sed alterius, est vitæ: denique magno præsidio est, quam 4. Cardinalibus adjungi voluit *Plato*, sanctitas seu pietas, quâ priores illæ 4. arctiore etiam compagine compinguntur, quæ docet hominem oportere, ut ea, etiam calamitosa, ipsi placeant, quæ Deo placent, & quia Deo placent. Atque hanc individuam virtutis societatem, non *Aristotelici*, sed *Patres* etiam tradidere. Quid? quod unius de præceptis divinis violatorem, omnium spretorum esse reum, major dictet authoritas, & sacra pronunciet pagina? profectò, si servus quis de mandatis domini sui, quædam, quia placent, implet, quædam, quia non placent, negligit, ne in iis quidem, quæ curavit, satisfeciisse censetur, quia animo suo non domini imperio morem gessit, ita multò magis censemur officio nostro defuisse, si res quasdam Dei sanctissimis legibus observandas, elegerimus, cæteras neglexerimus. Atque ita non Philosophiæ tantum sed sacrorum etiam librorum authoritate docemur, individuis amplexibus individuo nexu cohærere virtutes. Una quidem virtus sæpe, præ cæteris eminebit, quæ potissimas exequetur partes, sed quæ tamen ex cæterarum virtutum præsentium quoque consilio rem geret: quemadmodum prætor solus sententiam pronunciat & exequitur, sed de assessorum consilio: verum relicta verbi sacri authoritate virtutibusque Theologicis, ac supernaturalibus, *virtutes morales esse inter se connexas*, eo sensu, quo diximus, ulterius probabimus, & objectiones solvemus exercit. seq.

EXER-

EXERCITATIONUM ETHICARUM VIGESIMA-NONA, DE

Virtutum moralium, connexione an divulsione; æqualitate an inæqualitate?

THESIS I.

EXercitatione *præcedente de virtutum moralium connexione* disputari est cœptum, ac monitum *thesi ultimâ*, non esse hic nobis sermonem de *virtutibus Theologicis*, fide, spe, & charitate, quas ita connexas esse in hac vita, ut à se invicem divelli nequeant, ex sacris constat, & apud Theologos est certum: licet in futura vita, Charitas sola sit invenienda: fidei enim istic & spei non erit locus. Sed *quæstio intelligenda est de virtutibus, qua talibus*, & per naturæ vires acquisitis, *non intellectualibus, sed moralibus*. Has esse *inter se connexas, invulsas*, & *connubio stabili junctas*, *Exercitatione* 28. pronuntiavimus, sed sub distinctione: nempe, si in idea sua ac perfectione, & ut cum *Conimbricensibus* locuti sumus, in statu ac gradu Heroico considerentur. *Thomas Aquinas* suis in commentariis ad *Aristotelis Ethicam*, *l.* 6 *cap.* 11. 12. ait, virtutes considerari posse, vel secundum esse earum perfectum, vel secundum esse earum imperfectum: spectantur secundum esse suum imperfectum, in quantum seminaria virtutum harum naturalium ac moralium insunt nobis à natura; quo sensu, unam virtutem ait, esse posse sine alia: quidam enim naturaliter apti sunt ac inclinati, ad liberalitatem, qui pariter sint proni ad intemperantiam, ex naturæ suæ complexionibus, & sic in aliis similiter, quos invenias ex natura deditos & propensiores simul ad hanc illamve virtutem, & ad hoc vel illud vitium. Virtutes spectantur *Thomæ*, secundum esse perfectum, in quantum ex consuetudine & assuefactione oriuntur; & sic, ait, inter sese esse connexas: verùm non satis explicatè hæc posuit *Thomas*; quare nonnihil ejus mentem explicabimus, quid intelligat *per statum perfectum virtutis*, secundum quem, vult, esse connexas virtutes: nempè res sic se habet, ut primùm rem totam clarè ob oculos ponam, deinde objectiones solvam.

II. *Virtutes sunt inter sese connexæ*, ait *Thomas, secundum statum perfectum*, id est: Nulla virtus ex moralibus habet perfectum statum virtutis sine reliquis: atque hic status virtutis perfectus consistit in hoc, ut virtus ob nullam, qualemcunque etiam, difficultatem, sive, in objecto proprio, sive alieno, deficiat ab officio recto, secundum rationem formalem objecti sui, sed ut officium suum, immutabiliter ac certò, quocunque in casu, exequi valeat: tum dicitur virtus, *Thomæ*, constituta in gradu perfecto, quando, inquam, nihil quicquam remorari valet virtutem, quo minus partes suas sibi demandatas & officium exequatur, ita, v. c. temperantia, non solum devicta difficultate, quæ oritur ex concupiscentia, proprio temperantiæ objecto, sed & devicto timore (quem fortitudo cohibet tanquam suum objectum) officii sui partes exequitur in materia delectabili: & tum dicitur esse in statu perfecto Temperantia; si sic non agat Temperantia, non est in statu perfecto: si, v. c. mulier, metu mortis, fortitudinis objecto, consentiat in turpem actum, non solum judicatur tum, peccare contra fortitudinem, sed & contra Temperantiam, quia munus Temperantiæ est, etiam eo casu abstinere à turpi delectatione: clarius non nihil

adhuc negotium proponam, si possim. Temperantia in statu perfecto inclinat hominem ad tuendum bonum Temperantiæ, ad nihil agendum intemperanter, in omni materia, circa omne objectum, omni occasione, quandocunque & ubicunque oportet: sed enim hoc non potest effectum dare Temperantia, sine præsidio & consortio aliarum virtutum. Ergo in tali statu, scilicet perfecto, oportet eam esse connexam cum reliquis virtutibus: quod non possit Temperantia hoc effectum dare, sine consortio & societate aliarum virtutum, sic ostenditur: ponamus casum: constituamus fœminam, quæ per castitatem libidines ac delectationes carnis in ordinem redegerit, quia castè vixerit (castitas autem species est temperantiæ, quod omnes norunt) hæc, potest corrumpi & contra castitatem ac Temperantiam agere, vel seducta pretio per nummos & pecuniæ cupiditatem, vel abrepta per metum ac timiditatem mortis, si intentetur: profectò in tali casu, oportet ut mulier ista, præter Temperantiam, &, ut tueatur bonum Temperantiæ, habeat virtutem vel liberalitatis vel fortitudinis, ut, istîc nummorum cupiditatem, hic, mortis formidinem, moderetur: ideoque, si temperantia fuerit in tali muliere, in statu perfecto, haud dubiè comites habebit, & liberalitatem, ad compescendam avaritiam, & fortitudinem, ad superandum mortis metum: & ratio dari potest optima: quia virtus & Temperantia non solum corrumpuntur à contrariis sui actibus, tanquam ab hostibus intrinsecis, sed à contrariis aliarum virtutum, tanquam ab hostibus extraneis.

III. Sed objiciunt in hoc casu Adversarii, dicuntque, *temperantiam suo muneri satisfacere, si compescat carnis libidines & delectationes in materiâ propriâ circa objectum proprium:* undè dicunt, *mulierem; quæ agit contra castitatem, ob pretium, esse avaram, non intemperantem; quæ intemperanter agit & minus caste ex metu, esse pusillanimem & meticulosam, non intemperantem.* Respondeo: falsum est, eam non fore intemperantem: nam quomodocunque & qualitercunquè agat mulier in tali casu constituta, est intemperans & impudica: nam, si contra castitatem agat, pretio seducta, & avara est, & impudica simul, si abrepta metu, & pusillanimis est & impudica simul: nam quis dicet, eam castam ac temperantem mulierem, quæ se prostituit ex avaritiâ, aut etiam ex metu; cum & metus compescendus & avaritia superanda fuisset? & ipse *Aristoteles in Ethicis alibi dicit: eum, qui furatur, ut mœchetur, aut adulteretur, & furem esse, & mœchum, seu adulterum,* quidni igitur ea, quæ ex pretio vel metu agit impudicè, & impudica dicatur, ac simul, vel avara, vel pusillanimis? Sed verò alia etiam ratione probamus, oportere, *ut virtutes morales sint inter se connexæ, in statu scilicet perfecto*: hoc modo.

IV. Virtus moralis perfecta requirit perfectam prudentiam, quod ex definitione virtutis moralis, liquet; est enim, habitus præelectivus in mediocritate consistens, prout vir prudens definiverit: si virtus requirit prudentiam, ergo perfecta virtus perfectam prudentiam: sed perfecta prudentia requirit omnes virtutes. Ergo & perfecta quælibet virtus requirit omnes virtutes. Prob. min. quod, qui habet prudentiam perfectam, is habeat quoque omnes virtutes, quia is, qui prudens est, perfecteque prudens, est vir bonus: vir bonus esse nequit, nisi omnibus virtutibus sit præditus: præterea, perfecta prudentia requirit perfectum & integrum judicium de rebus agendis: perfectum autem judicium non potest esse, si desit aliqua virtus: nam, tum passio aliqua affectusque aliquis animum ac judicium poterit perturbare, quia perturbatio judicium imperfectum reddit, imò excæcat interdum judicium rationis, & mentis, atque existimationem interdum corrumpit, nedum ut aliquam tantum imperfectionem ei affricet: denique, quid multis est opus? Prudentia non est timida, non impudica, non avara, non immodesta, &c. Ergo prudentia omnes secum trahit virtutes Ergo, ubi prudentia est perfecta, est perfecta virtus, ubi perfecta est virtus, ibi omnes sunt & inter se connexæ: quod erat demonstrandum.

V. Sed verò ulteriùs adhuc hanc virtutum

tum connexionem explicemus. *Commentatores in Thom. sum. in prim. secund. quæst.* 61. *art.* 1. docent, *modum connexionis virtutum esse duplicem, essentialem & dispositivum*; sic enim loqui amant homines Barbari *Essentialis modus connexionis virtutum*, est iterum duplex, *primus*, quando una virtus dependet ab alia in sua quidditate & essentia, sic unaquæque virtus moralis dependet à prudentia: *secundus*, quando virtutes morales non connectuntur immediatè, sed in aliquo tertio; ita virtutes morales omnes conjunctim connectuntur in prudentia. *Dispositivus connexionis modus* est, quo ita connectuntur inter sese virtutes, ut una ab altera in sua operatione adjuvetur; ut temperantia adjuvatur à fortitudine & liberalitate, ne ex metu aut avaritia contra temperantiam peccetur. Sed quasdam objectiones solvamus.

VI. §. 1. *Perfectiones partiales ita sese habent, ut per unam earum res possit perfici, non item per aliam. At virtutes sunt perfectiones partiales.* Erg. *non sunt connexæ.* Resp. Major non est universaliter vera: nam anima rationalis, v. c. perficitur intellectu & voluntate, & utriusque operationibus, tanquam perfectionibus partialibus, attamen non potest anima rationalis per alteram istarum perfectionum perfici, seclusâ alterâ: intellectus enim & voluntatis operationes semper sunt simul.

VII. § 2. *Tota definitio virtutis convenit fortitudini absque temperantiæ consortio; & vice versa: ergo non sunt connexæ: definitur enim virtus moralis, habitus, &c. ubi dicitur esse quidem connexio virtutis moralis cum prudentia, sed non cum cæteris virtutibus moralibus.* Resp. Ad hoc argumentum jam responsum est, ex antedictis; nam, si virtus moralis requirit prudentiam, comitem. Ergo, perfecta virtus moralis requirit, perfectam, prudentiam: at verò perfecta prudentia non est sine reliquis virtutibus. Ergo.

VIII. §. 3. *Si acquiruntur virtutes morales per actus divisos ac distinctos. Ergo potest una virtus acquiri sine aliâ. Ergo non sunt connexæ.* Resp. Quamdiu acquiruntur, sunt in statu imperfecto: in quo statu, damus, virtutes non esse connexas: at acquisitæ, & in statu perfecto, sunt connexæ.

IX. §. 4 *Quæ est ratio virtutum intellectualium, eadem est & moralium. Sed virtutes intellectuales non sunt connexæ; potest ergo aliquis habere scientiam, ut non habeat artem; & contra. Ergo.* Resp. Dispar est ratio virtutum intellectualium & moralium: nam intellectuales, non sunt inter se connexæ, quia sunt circa diversa rerum genera: at, quæ sunt circa diversa rerum genera, non sunt coordinata ad se invicem, aut sibi mutuo connexa: atqui virtutes morales habent ad se invicem ordinem; nam omnes passiones & affectus habent ordinem ad se invicem, ergo & virtutes, quæ circa passiones & affectus versantur.

X. § 5. *Aut virtutes sunt connexæ, ratione principii, aut ratione subjecti, aut ratione objecti: non ratione principii, quod est Deus, quia sic omnia bona essent connexa, quia sunt à Deo: non ratione subjecti, quod est anima, quia sic non essent connexæ: quædam sunt, ex multorum sententiâ, in anima rationali, quædam in sentiente: &, licet ratione subjecti essent connexæ, id non arguit, eas essentialiter esse connexas, aut ratione subjecti singularis: nec ratione objecti, quia per objecta distinguuntur: at idem non potest esse principium distinctionis & connexionis.* Resp. 1. Sunt connexæ ratione principii, non remoti, quod est Deus, sed ratione principii proximi, quod est prudentia 2. sunt connexæ ratione subjecti, quia sunt in eodem subjecto, saltem generico aut specifico, animâ sentiente, quod est ante demonstratum; sunt connexæ ratione objecti, scilicet in communi, in quantum versantur circa affectus aliquo modo inter sese connexos.

XI. Transeo ad alteram proprietatem virtutum in genere disputandam. Quæritur 2. *An virtutes sint inter sese æquales?* vetus fuit *Stoicorum* sententia, virtutes inter sese esse æquales. Hinc *Seneca epist. est virtus, non potest major aut minor fieri: unius staturæ est.* At nos contra *Stoicos* cum *Peripateticis* & *Scholasticis*, inæquales esse virtutes, pronuntiamus: sed distinctè explicamus. Non comparamus virtutes intellectuales cum moralibus,

bus, nec intellectuales inter se, sed morales inter se: atque de iis hæc asserimus. Virtus moralis ejusdem speciei, sive in diversis reperiatur hominibus, sive in eodem homine, diversis temporibus, non censetur una perfectior quam altera, si spectetur quoad suam definitionem: nam species sunt indivisibiles, & definitiones specierum in indivisibili sunt constitutæ; quare virtus ejusdem speciei, eademque definitione, definienda, ratione suæ speciei & definitionis, æqualiter est in Petro, quam in Paulo, & æqualiter in Petro nunc, quam ante quinquaginta annos: nam definitiones & species non variantur, nec recipiunt magis & minus. At verò, si spectetur virtus moralis unius speciei quoad gradus, & quoad gradus conferatur cum virtute ejusdem speciei, sive in diversis hominibus, sive in eodem homine, diversis temporibus, omnino una est perfectior perfectione graduali, in hoc homine, quam in alio, & perfectior in eodem homine, nunc, quam ante aliquot annos. Si porrò spectentur virtutes, diversæ speciei, eæ in diversis hominibus possunt esse inæquales: est enim Petrus sæpè perfectiori justitiâ præditus, quam Paulus fortitudine; sed & in eodem homine possunt esse inæquales, prout inæqualiter in earum exercitio participatur vis prudentiæ, & prout quis vel magis vel minus sese exercebit in hac aut illa materia atque objecto virtutis.

XII. *Clarius sic dici potest.* Virtus una est perfectior altera, consequenter inæqualis, dupliciter, vel ratione subjecti, vel ratione objecti. Ratione subjecti, in quo est; ratione objecti, circa quod versatur. v. c. scientia, quæ se extendit ad 10. conclusiones, est perfectior ea quæ se extendit ad 5 conclusiones; quæ est perfectio, ex parte objecti; perfectio ex parte subjecti est, si eadem scientia, quæ se extendit ad 10. conclusiones, firmiores egerit radices in Petro quam in Paulo. Jam verò, virtutes morales sunt inæquales ratione subjecti, sive sint in diversis subjectis, sive in eodem subjecto diversis temporibus. At verò ratione objecti sunt æquales: nec est hîc perfectio aut major aut minor: quia æqualiter sese extendunt ad objecti sui latitudinem: est enim de ratione cujusque virtutis, ut ad omne suum bonum se extendat: hîc non datur inæqualitas: debet enim per virtutem unusquisque sese bene habere, in omnibus, quæ ad istam virtutem pertinent. At, ratione subjecti, datur inæqualitas virtutum: nam unus potest sese melius habere ad exercitium hujus, vel illius virtutis, quâm alter; & unus idemque potest sese melius habere ad exercitium hujus vel illius virtutis, hoc tempore, quam alio: per terminos barbaros & consuetos sic hoc negotium decidunt Scholastici: Virtutes sunt æquales, extensivè; inæquales, intensivè, & subjectivè: sunt æquales extensivè, scilicet, sic, ut illa extensio referatur ad objectum: quia omnes & singulæ virtutes æqualiter ad omnia bona, intra sphæram sui objecti contenta, extenduntur. Temperantia omne suum bonum procurat: item fortitudo, item liberaltas &c. At intensivè sunt inæquales & subjectivè, quia plures sunt gradus hujus virtutis in uno, quam in alio, imò & in uno eodemque, hoc tempore, quam alio. Atque hæc est clara & perspicua hujus quæstionis solutio. Ita, & æqualitatem atque inæqualitatem, & connexionem atque divulsionem, virtutum inter sese, quomodo intelligi debeant, *geminâ exercitatione*, enarravimus ac disputavimus.

EXER-

EXERCITATIONUM ETHICARUM TRIGESIMA,

DE

Virtutum, inter Gentiles & Fideles, seu Paganos & Christianos, discrimine.

THESIS I.

QUia, *circa virtutum inter Ethnicos & Christianos discrimen*, à multis erratum fuit, & à nonnullis erratur hodie, & res est maximi usus, non malè tempus collocaverimus, si hoc discrimen dextrè enucleemus. Hoc igitur, pro fundamento jacimus, spectari posse *virtutes*, & *spectandas esse*, vel, *ut sunt in Ethnico*, vel, *ut sunt in Christiano*, vel, *ut sunt in in infideli*, vel, *ut sunt in fideli*, &, longè aliam esse, in hisce, quam in illis, rationem, ac viciſſim. Ea virtutum duplex consideratio, pro gemino earum subjecto, hîc tenenda est accuratè. Monemus quoque in anteceſſum, virtutes Christianorum ac fidelium Deo placere ad salutem, non quidem, ut merita salutis acquirendæ, sed, ut media salutis obtinendæ. Et rationem damus, quia Deo placet Persona, subjectum virtutis; est enim talis virtutis subjectum, gratum Deo, in Christo, propter fidem, sine quâ impossibile est placere Deo. Et longè secus sese res habet cum Ethnicorum seu Gentilium virtutibus, quæ Deo ad salutem placere nequeunt, quia, personæ Gentilium Ethnicorum vè sunt extra Christum, & fide carent. Virtutes Christianorum, ex fide fiunt, secundum legem Dei revelatam, ad gloriam Dei; quæ sunt tres conditiones operis, Deo placentis: at Gentilium virtutes, non ex fide, sed judicio aliquo corrupto, nec per fidem illustrato, imò ex opinione interdum meriti, atque adeo ex intentione proprii honoris, secundum rudera ac rudimenta, & reliquias legis naturæ, exercentur; quæ conditiones longè abeunt, à conditionibus operis, aut virtutis, Deo placentis: interim, in universum displicere Deo, gentilium virtutes, non dicimus: imò contrà, placere asserimus Deo, quamvis non ad salutem eorum: quodcunque enim in gentilium virtutibus boni resplendet, veluti in carbone parvulæ emicant scintillæ; quia verò à nonnnullis hic fit cespitatum atque erratum, qui non satis accuratè renatorum ac fidelium virtutes, à non renatorum & infidelium virtutibus dissepararunt, quod tamē discrimē accuratissimè tenendum esse, doctiores omnes censent; ut enim non vulgaris est sapientia, & ultissima cognitio, si quis Philosophiam ac Theologiam, legem & Euangelium, rite recteque discernat, sic nec minoris est usus, rite recteque discreviſſe inter sese renatorum virtutes: visum est, operæ pretium, discrimen illud latiùs adhuc expositum dare. Quod hic aggredimur.

II. Quod egregriæ extiterint atque excellentes in omni genere Ethnicorum virtutes, id ex veterum scriptorum monumentis perspici facile potest ac cognosci: inspicite atque evolvite vitas *Græcorum* quorundam ac *Romanorum*, quas posteritati reliquit sedula probatorum, inter *Græcos* & *Romanos*, authorum diligentia. Quot inter eos fuere, qui non item pro salute civium expetere ac vitam impendere Patriæ, suumque sanguinem, non dubitarunt, verè fortes animæ; quales extiterunt, *Codrus*, *Leonidas*, *Curtius*, *uterque Decius*, pater & filius, aliique plures; quid *Aristidem* referam, qui adeò excelluit inter Græcos, abstinentia, æquitate, innocentia, ut Δίκαιος cognomento, i.e. *justus*, fuerit appellatus? Quemadmodum & *Phocion*, ŏb singularem vitæ

integritatem χρηστὸς e. i. *bonus*, fuit dictus. Quanta extitit *Thraſibuli* fides, conſtantia, animi magnitudo, & in Patriam amor? quanta *Cimonis*, & quam pæne incredibilis in pauperes beneficentia & liberalitas? quanta *Epaminondæ* modeſtia, gravitas, veritas, & in arcanis celandis taciturnitas ac fides? Quanta fuit *Timoleontis* in rerum proſperitate moderatio, quam excellens & præſtans ejus in omni genere bonitas? quis non novit, *Socratis*, Delphico oraculo ſapientiſſimi, ſanctitatem, patientiam, atque manſuetudinem? Quis ignorat *Xenocratis* continentiam, frugalitatem, pecuniæque contemptum? præclara ſunt hæc virtutum præclariſſimarū inter *Græcos* exempla: at non minora extant inter *Romanos*. Quid dicemus de fortitudine vel erga patriam pietate *Cati Mutii* aut *Horatii Coclitis*? Quid dicemus de eximia caſtitate & pudicitia *Lucretiæ*, quæ per vim oblatum ſtuprum voluntaria morte luit? Omitto *Camillos*, *Curios*, *Fabritios*, *Cicerones*, *Catones*, *Lælios*, *Scipiones*, *Fabios*; & quis omnes inter *Romanos* recenſeat, quorum virtutes, longum nimis foret, enumerare?

III. Quamvis autem hæc & ſimilia virtutum in hominibus *Ethnicis* exempla (multos Chriſtianos in ruborem dare valeant) hiſtoriæ nobis ſuppeditent, & ad imitationem proponant. Multum tamen eſt, quod in tam eximiis Ethnicorum virtutibus deſideremus. Enimverò, quod virtutum eſt caput, & unum omnium maximum, vera Dei cognitio, & ſalutaris ſcientia Religionis, fideſque, defuit, ſine quibus, quodcunque in Gentilium virtutibus boni reſplenduit, nullius ad ſalutem iis momenti fuit, adeoque virtutes eorum, quaſi corpus fuere ſine capite. Nôrant quidem *Ethnicorum* plerique, aut utcunque habebant perſuaſum, aliquem eſſe effectorem ac conditorem omnium, eundemque conſervatorem Mundi ac gubernatorem, partim ex communibus notionibus, partim ratiocinio, defuit tamen illis vera, defuit certa Dei veri agnitio, & divinitus illa inſpirata atque infuſa Patrum, Prophetarum, aliorumque Chriſtianorum, ſapientia, quæ ex ſolis voluminum ſacrorum monumentis, & peti debet, & percipi poteſt, quâ quidem unâ ac ſolâ hominum ſalus continetur. Nihil de Deo Gentiles noverunt, ut ſe in verbo ſuo patefecit: invocarunt quidem Deum, ſed plerique fluctuantes, ſed dubitantes, ſed hæſitantes, an curam gereret Deus rerum humanarum, an reſpiceret ipſos, an preces exaudiret, an miſericordia noſtri afficeretur, an miſerturus eſſet in ærumnis & calamitatibus, an ex periculis erepturus? ita ſeſe in afflictionibus, nec erigere, nec animum ſuum ſuſtentare, valuerunt. Spe caruerunt, quæ non pudefacit, & fide, qua adverſitates omnes ſuperantur: hinc defuit quoque iis ex vera fide proficiſcens in rebus dubiis invocatio, opis divinæ imploratio, vera erga Deum fiducia. Nihil ſciverunt Ethnici de vitioſitate illa inſita, de occulta hominis malitia, & cordis pravitate, omnis mali labe prima, & radice omnium vitiorum, flagitiorum, ſcelerum. Nihil de cauſa peccati, miſeria hominis lapſi, nihil de redemptione generis humani ab æterna morte, nihil de recuperanda imagine, ex peccato primorum parentum amiſſa, nihil de adoptione noſtra in filios Dei, nihil de reviviſcentia mortuorum, nihil de vita æterna & futura gloria piorum: nihil denique de ea religione, in qua una, & ſalus eſt hominibus, & vera beatæ vitæ in terris ratio, & ſolida conſiſtit virtus. Ex quarum rerum ignoratione, quantum defuerit Ethnicis ad veræ virtutis profeſſionem, manifeſtum eſt ſatis: quamvis ergo & virtutibus maximis, adeoque incredibilibus ornati vixerint *Ethnicorum* nonnulli, *Ariſtides*, *Phocion*, *Epaminondas*, *Cato*, *Regulus*, aliique, quos recenſui, quod tamen virtutis omnis eſt caput, initium ac finis, defecit, vera Dei agnitio, & cor purgatum fide: quo ſenſu benè dictum eſt ab *Auguſtino*, Patrum maximo, omnem infidelis vitam, peccatum eſſe, &, nullum eſſe bonum, ſine ſummo bono. Nempe, ubi deeſt agnitio veræ divinitatis, & ex ſolo haurienda verbo Dei, falſo eſt virtus, etiam in optimis moribus; & ſine fide, etiam quod virtus eſſe videtur, peccatum eſt, nec Deo placet. In ſumma, ex cognitione demum fidei, & ex ſola fide in Chriſtum, proficiſcuntur honeſtæ

ſtæ voluntates, ſententiæ, actiones, &, ut verbo dicam, omnis omnino virtus, &, qui verum Deum ignorant, qui fide carent, non germana ſolidaque eſt virtus in iis, ſed imago, ſed effigies, ſed ſimulacrum, ſed veſtigium quoddam virtutis leviter impreſſum, atque adeo, ſi rem rectâ reputemus viâ, umbra fugax, & propriè, ſomnium virtutis: ſola quippe Dei notitia, ſola in Chriſtum fides, illas in homine procreat virtutes, quibus & in hac & in futura vita homini bene ſit: hæc enim mentem & rationem, originis peccato vitiatam, omni pulſa & diſcuſſa caligine, illuminat. Hæc voluntatem depravatam corrigit, novoſque in pectore motus ciet: hæc hominem divina Metamorphoſi ad imaginem Deitatis format, quæ renovatio, quæ regeneratio, quæ hominis transformatio, unicum, beatæ hîc, & in futuro ſeculo vitæ, medium, cum Ethnicis defuerit, defuit quoque illis vera virtus: defuit enim veræ virtutis fons atque ſcaturigo.

IV. Sed & à recto virtutis fine, à gloria Dei, per virtutes celebrandâ, aberrarunt *Gentiles*, dum alii gloria propria ducti, alii pudore, alii metu, virtutem exercuere: at verò, quæ ob inanem nominis gloriam auramque popularem exercetur virtus, vana eſt virtutis ſpecies. Et, qui metu ac pudore abſtinent à vitiis, ii non virtutis amore virtutem exercent, quod non bonorum eſt, ſed malorum potius. Noti ſunt verſus tritiſſimi,

Oderunt peccare boni, virtutis amore.
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

Ita ut, non iſta animi ſyncéritate, iſta mentis integritate, iſta conſilii ſimplicitate, iſta voluntatis rectitudine, iſto ſcopo & fine, virtutem exerceant Gentiles, ut quidem contrà faciunt *Chriſtiani*. At finium diverſitas, actionum diverſitatem inducit, ut in *Ethicis* docere ſolemus: ac multum omnino refert, ad quem ſcopum virtus omnis dirigatur: quali mente quicquam fit, tale revera exiſtit, taliſque exiſtimatur actio: ſi facultatibus ſuis, proximi quis egeſtatem ſublevet, ex Chriſti amore & fraterna charitate, virtus profecto eſt; ſin verò, vanæ laudis inaniſque gloriæ cupiditate, ut ſpeciem ſanctitatis præbeat, rumoremque bonum colligat, & magnam ſui exiſtimationem conciliet, turpe vitium eſt: atque in hunc modum, Ethnicorum omnibus contigit, quamvis honeſte viventibus, ut alio, quàm oportebat, ſpectaverint, nec eum finem intenderint, qui intendendus erat: nam ex nimio ſui amore, ex ingenita omnibus φιλαυτίᾳ, ut apud alios magni haberentur, non rectè fecerunt, quicquid fecerunt. Et illam φιλαυτίαν ſuique nimiam exiſtimationem, excutere non valuerunt, ut ſic in rectum virtutis collimaſſent ſcopum, quia ſolum Dei verbum, abditam iſtam & occultam humani cordis pravitatem, in medium profert: qua verbi divini face ac luce, cum caruerint, profunda quadam ſui ipſorum ignorantia, laborarunt; quo factum, ut germanum virtutis quoque finem, gloriam, non ſui, ſed divini nominis, atque adeo ipſam veram virtutem, aſſecuti non fuerint.

V. Quid igitur? dicet aliquis; *ergone vitia, loco virtutis, amplexati ſunt miſeri Gentiles?* ſi virtutes veræ non fuerunt, nihil retulerit, utrum *Ariſtides*, quis extiterit inter illos, an *Phalaris*? Utrum *Catilina*, an *Cato*? ſed enim, non hæc eſt animi noſtri ſententia, virtutes omnes *Ethnicorum*, ex albo virtutum delere in univerſum, & vitiorum titulo proſcribere: Cum veras, cum germanas, cum ſolidas, virtutes fuiſſe negamus, ſalutares fuiſſe negamus, ac Deo placentes, qualem eſſe oportet, veram germanam ac ſolidam virtutem: ſine dubio erant Dei dona, & eximia illa, excellentes Ethnicorum virtutes, & ſuam merentur laudem heroica eorum facta, ſi in ſe ſpectentur, aut ex donantis Dei gratia æſtimentur, qui bene novit uti, etiam eo, quod non omni modo bonum eſt: attamen præclara iſta facta, atque egregiæ Gentilium virtutes, eos ad ſalutem perducere, Deo gratos reddere, non potuerunt, nec morti æternæ ſubducere: Quia, quicquid præſtiterunt, non propter Deum fecerunt, nec Dei timore atque amore impulſi, nec ea mente, ut obedirent Deo, & cultum debitum exhiberent, nec, ut gloriæ Dei inſervirent, ſed alios ſibi in actionibus ſuis fines habuerunt, fortaſſe in ſpeciem ho-

neſtos, attamen in tanta Dei & ſui ipſorum ignorantia, non omni modo bonos, nec ad ſalutem profuturos. Quare, cum nec initium ac fons veræ virtutis, vera Dei agnitio & in Chriſtum fides, nec finis veræ virtutis, illuſtratio gloriæ divinæ, in Ethnicorum virtutibus reperiantur, quidni concludamus, licet in ſe quippiam boni contineant, veræ tamen, germanæ, ſolidæ ac ſalutaris virtutis nomen titulumque non mereri? quo ſenſu nonnullis dicuntur, ſplendida peccata.

VI. At verò longè alio cenſu ac loco habendæ ſunt virtutes Chriſtianorum: hi hunc ſibi proponunt finem & intuentur ſcopum, ut omnia ad Deum divinique nominis gloriam referant, eum illuſtrare, omnibus virtutibus, ſatagunt: plus apud eos valet timor Dei, quàm dulcedo gloriæ propriæ; plus amor proximi, quàm ſuamet ipſorum utilitas; plus æternum præmium, quam temporarium commodum. Nihil ſibi tribuunt, ſed omnia gratiæ divinæ; & virtutes, benignitatis divinæ in ſeſe effecta, agnoſcunt: à φιλαυτίᾳ longè abſunt, ſed humiliter & abjectè de ſe ſentiunt. Inveniunt in ſe veram Dei notitiam, ex ſacro codice hauſtam, inveniunt fidem & fiduciam in Chriſtum, qua Deo confidunt, eumque filiali honore proſequuntur, qua ſtatuunt, ſibi remiſſa peccata eſſe: inveniunt ſpem, non pudefacientem, qua exſpectant divinitus auxilium in malis, liberationem ex adverſis, nituntur promiſſionibus divinis, credunt ſe adjutum, protectum, ſervatum iri, à Deo; denique de Deo, ut ſe in verbo ſuo patefecit, ſentiunt, &, ut verbo omnia complectar: viva ac ſolida & ſalutaris virtus Chriſtianos docet ac fideles, quales ſeſe gerere debeant erga Deum, quales erga proximum, quales erga ſeſe ipſos: in quo virtutum ternario numero, Chriſtiana virtus omnis abſolvitur atque impletur.

VII. Summa omnium hûc redit. Virtutes Ethnicorum & Chriſtianorum, in duobus differunt, cauſa efficiente, & fine. Efficiens cauſa virtutum in *Chriſtianis*, eſt vera Dei agnitio, fideſque in Chriſtum, à Spiritu ſancto, per verbum, in eorum cordibus, genita. At in *Ethnicis*, eſt ſolum naturale ac mentis corruptæ judicium, &, quæ ſequitur voluntatis itidem corruptæ electio: ad quæ duo accedit quidem concurſus Dei generalis, ſed non gratiæ ſpecialis, intellectum illuminantis & voluntatem renovantis ac regenerantis: fine differunt *Gentilium* & *Chriſtianorum* virtutes, quod Gentiles, cum operam dant virtuti, ſuam aucupentur gloriam; ac *Chriſtiani* ſolam Dei gloriam ſibi habent propoſitam. Adde nunc tertium diſcrimen: quod perfectione differant quoque, tum partium, tum graduum, Gentilium & Ethnicorum virtutes: perfectione partium, quia, etſi Gentiles quaſdam habeant virtutes, non tamen omnes, non certe eas, quæ ſalutares ſunt, veram Dei agnitionem, veram fidem, veram contritionem, aliaſque: perfectione graduum, qua Gentilium virtutes, utcunque extrinſeca ſpecie videantur eſſe alicujus ſplendoris, in receſſu tamen, plurimum habent immunditiei ac ſordium, quia proficiſcuntur ex corde non puro; Unde exteriora quidem membra cohibent, interdum & coercent, at interim plerumque perturbationum flammis interioribus valde æſtuant atque uruntur. Nunc ad virtutum accedimus ſpecies, quò de ſingulis in poſterum diſputando nos exercere valeamus, quod aggrediemur *Exercit.* ſequenti.

EXER-

EXERCITATIONUM ETHICARUM TRIGESIMA-PRIMA, DE

Varia divisione Virtutis Moralis, speciatim, de Virtute Heroicâ.

THESIS I.

CIrca *divisionem virtutum moralium* jam ante *exercit.* 28. quædam à nobis sunt disputata: ac visum fuit, 1. *an virtus moralis possit dividi in species? respondimus dividi posse.* 2. ostendimus, *quomodo virtutem diviserint in 4 Cardinales Stoici, quomodo quintam adjecerint Platonici, quem numerum virtutum recenseat Arist. 2. Eth. cap. 7.* diximus *quoque Ethicæ Christianæ Scriptores & Casuistas,* dividere virtutes, *secundum geminam decalogi tabulam,* ut alia, *in Deum* immediate, alia *in proximum* feratur. Cui affinem judicavimus divisionem Modernorum, qua dividunt virtutem *in probitatem & pietatem,* ut pietas in Deum, probitas in proximum, & nos ipsos tendat, quæ eadem est cum divisione Apostolica in *epist. ad Titum,* qua docet omnem virtutem, quam in nobis operatur salutaris Dei gratia, nos docere, quomodo nos gerere debeamus adversus Deum, quomodo adversus nos, quomodo adversus proximum: adversus Deum oportet nos esse pios, adversus nos temperantes, adversus proximum justos: nunc porro alias adhuc divisiones prosequamur, ut ex iis omnium commodissimam nobis eligamus, quam sequamur.

II. *Picolomineus gradu morali cap.* 19. Virtutem moralem facit quadruplicem, *Civilem* seu *Politicam, purgatricem seu purgatoriam, animi purgati, & exemplarem*: quæ *Platonicorum* quorundam esse divisio videtur: *Civiles seu Politicæ,* sunt hominis, qui est animal sociale, quæ pertinent ad servandam communem societatem: atque hæ sunt minus perfectæ; & exteriora saltem membra continent in officio, ac legibus satisfaciunt Politicis, quibus satisfit, si externi mores ad earum normam componantur, licet interim cor non sit purum, cui leges præcavere *Politicæ* nequeunt. *Purgatoriæ aut purgatrices* non tam, nec tantum, exteriora, quam & quantum animum purgant, à quo detergere solent vitiorum sordes, ita tamen, ut aliquid labis adhuc sit reliquum. *Animi purgati* virtutes dicuntur, quæ animum reddunt ab omni labe & aspersione hujus mundi plane defædatum, quod tum fit, si penitus sint domitæ cupiditates, & rationi non amplius obluctentur. *Exemplares* sunt omnium perfectissimæ, quia ad divinæ mentis ideam proxime accedunt, vel à divinarum virtutum exemplo quasi defluunt.

III. *Scholastici* virtutes diviserunt in *acquisitas* & *infusas: acquisitæ sunt,* quæ nostris actionibus naturæque viribus acquiruntur, ut *temperantia, liberalitas, fortitudo,* quæ dicuntur nostris acquiri & actionibus & viribus, non, quod influxum & concursum Dei generalem excludant, sed quod non sint ab influxu & concursu specialis gratiæ divinæ, uti quidem sunt infusæ, quæ sic vocantur, quia Spiritus Sancti gratia & efficacia hominum animis induntur & infunduntur, ut sunt, *fides, spes, charitas*: addunt nonnulli *Scholasticorum* 3. genus virtutum, quas vocant dona, quæ distinguuntur à virtutibus, sive *infusis,* sive *acquisitis, quod per dona* statim & prompte & in repentinis operemur, *per virtutes* sive *acquisitas* seu *infusas,* non tam cito, nec tam promte, sed paulatim ac pedetentim agamus; quod discrimen an satis solidum sit, in medio

relinquo: ita videbitis *de donis* multa disputari à *Scholasticis in summam Thomæ & Mag. sent.* commentatoribus: sufficit scire, quid *per dona* intelligant, in quibus, illa à virtutibus, tum acquisitis, tum infusis, distinguuntur: interim & hoc monendum est, omnem virtutem, sive acquisitam, sive infusam, Dei donum esse: de *infusis* certum est, quia supernaturaliter donantur hominibus: de *acquisitis* minus est certum; nam, licet illæ dicantur acquiri frequenti actuum exercitio, & assidua bene operandi assuefactione, tota tamen illa vis agendi & assuefaciendi, imo ipsum actionum exercitium & ipsa assuefactio, sunt donum Dei, sunt actio ipsius Dei, nos ad agendum & assuefaciendum moventis & impellentis: unde, qui sic acquisitas virtutes vocant, quia sunt sc. hominum *opera* atque *effectus*, non Dei item dona, errant: sunt enim magis Dei dona, quam hominum effecta: & virtutes *infusæ*, omnino sunt Dei dona: ergo nihil est necesse, distinguere dona à virtutibus, sive *infusis*, sive *acquisitis*: sed omnes virtutes, sunt Dei dona, sive semel & cito, sive sæpius & lente, aliquid boni & honesti, iis faciamus.

IV. *Melanchthon* sub finem *lib.* 1. *Eth.* virtutes dividit, in simpliciter necessarias, & non simpliciter necessarias: *illas* vocat, sine quibus nemo bonus esse potest, ut sunt, agnitio, & timor Dei, fides, charitas &c. *has*, sine quibus *quis* potest esse bonus, & quæ aliis virtutibus sunt ornamento, ut magnanimitas, magnificentia, sine quibus quis potest esse bonus.

V. *Postremò* est divisio quædam adhuc virtutis apud *Arist. lib. Eth. 7. cap.* 1. qua dividitur in ἡρωϊκὴν sive *divinam* & ἀνθρωπίνην sive *humanam*: quæ divisio virtutis non est generis in species oppositas: neque enim virtus *Heroica* differt specie ab *humana*: sed tantum per excellentiam quandam & eminentiam virtus *humana* dicitur *Heroica*, *quando* cadit in *Heroas*, viros excellentes, illustres, & quasi semideos, unde *Heroicæ* dicuntur virtutes, quia existunt in *Heroibus*, quo pacto fortitudo, in *Hercule*, de *Heroica* dicitur: in alio, *humana* virtus: eadem tamen virtus specie, ac moralis utrobique; sic constantia in *Scævolâ*, virtus est *Heroica*, in alio, *humana*: sic justitia in *Aristide*, virtus est *Heroica*, in alio, *humana*: datur quoque *Heroica* virtus, *divina*, qua propius ad Dei similitudinem accedunt homines, qui iis sunt præditi, quam alii: sic vero virtutes *Theologicæ* quædam dici possunt heroicæ, in quantum extiterunt in quibusdam *heroibus*, ut fides in *Abrahamo*, patientia in *Iobo* &c. *heros* dictus est *Poetis*, *semi-Deus*, ex Deo & homine natus: nobis hoc loco *heros* est, qui virtutis eminentia & perfectione in hac vita, supra communem & humanam sortem, supra cæteros homines assurgit: tales mortales θείους ἄνδρας, Græci vocant: quorum rariora licet sint exempla, omni tamen ætate, quædam, ceu lumina eminere voluit Deus: potest autem in omnium genere virtutum heroica ista animi ac divina affectio cerni: & errant, qui virtutem heroicam tantum in una fortitudine, quam ἀνδρείαν Græci vocant, collocare solent: longe *aliter Phil. lib. 7. Eth. cap.* 1. *jam cit.* qui virtutem heroicam definit, excellentiam & eminentiam virtutis cujuslibet, quæ humanam transcendit imbecillitatem, & ad Deum proxime accedere videtur: est itaque *virtus heroica*, ut quam plenissime eam describam, *per quam non tantum constanter & admirabili quâdam facilitate, quæ cæteris sunt difficiliora, quis gerit & facit, sed insuper tanta vi & dexteritate, ut vigor appareat plus quam humanus, & longe major quam in aliis, qui in eadem virtute sese exercent*: estque hæc virtus, peculiare Dei donum, quod indolem confert generosam; nullique contingit, sine peculiari Dei afflatu atque influxu: in quo ab humana ac communi discedit ac dissidet virtute.

VI. De virtute heroicâ variæ possunt ac solent institui quæstiones, quas pertractabimus: Quæritur, 1. *an virtus heroica sit virtus, quandoquidem virtus in medietate & mediocritate consistit, at vero virtus heroica non item; imò hæc potius in excellentia & eminentia est sita*: Resp. virtus heroica & μεσότης est ac medietas, & ὑπεροχὴ sive eminentia, medietas, ratione extremorum, inter quæ est sita; & sic virtus est: eminentia, ratione perfectio-

ctionis, qua cæteris præstat virtutibus, & sic non virtus est simpliciter, sed heroica.

VII. Quæritur: *Afflatus ille Dei, & impulsus, & motus, & ductus, qui ad virtutem heroicam requiritur, ad quam actionem Dei referri debet?* Resp. Actiones Dei, quibus influit Deus in inferiora, vel speciales sunt, quæ pertinent ad solam Ecclesiam, & ad pios tantum homines; vel generales, quæ pertinent ad totam rerum naturam, ad homines quoque profanos & impios, imo ad ipsos diabolos: atque hæ, vel sunt ordinariæ vel usitatæ, ut solis ortus & occasus, vel extraordinariæ & inusitatæ, ut, *Cyri, Romuli*, aliorumque similium: *Virtutes Heroicæ* piorum, & Dei afflatus ad illas virtutes, pertinent & referri debent ad actiones Dei speciales, quæ spectant Ecclesiam: virtutes Heroicæ Gentilium, & afflatus Dei ad illas pertinent, & referri debent ad actionem Dei generalem, quâ influit, sed extraordinariam & inusitatam.

VIII. Quæritur. *An & virtus Heroica cadat in infideles & prophanos?* Resp. quemadmodum sine vera Dei cognitione ac sine fide, nulla est vera ac sincera virtus, ut exercit. 30. est demonstratum, ita nec sine iis est virtus vere Heroica: sed quæ laudatur in infidelibus unumque Deum ignorantibus, animi promtitudo, affectio, & alacritas, ea umbra tantum & assimilatio quædam est virtutis vere Heroicæ: suo tamen modo in *Ethnicos* cadit *Heroica virtus* æque, ut in *Christianos*; quod exemplis demonstrari facile potest. Heroicæ & plus quam humanæ justitiæ exemplum est inter pios *Moses* & *Salomo*: inter prophanos, *Aristides* & *Cato*. Fortitudinis plusquam humanæ exempla sunt pia, *Iosua*, *Sampson*, *David*, & ii, qui illius sæculo & ætate, inter triginta Fortes censentur: nostra ætate & superioribus sæculis tales extitere plerique Christi Martyres: prophani verò, *Hercules*, *Themistocles*, *Scipio*, *Coriolanus*: temperantiæ plus quam humanæ exempla sunt, *Iohannes Baptista*, & *Elias*, in sacris: inter Ethnicos, *Socrates*: prudentia plus quam humana fuit in *Salomone*, inter impios in *Achitophele*: & quid opus est per plures ac singulares virtutum classes incedere.

IX. Quæritur, *An virtus Heroica cadat in pueros?* Resp. indoles Heroica cadit in pueros, quod, exempla *Davidis*, *Alexandri*, & aliorum testantur: sed ipsa virtus Heroica in ætate tam tenella tantum est in spe, non in re, nisi peculiari afflatu Dei excitetur, ut factum fuit in *Daniele*.

X. Quæritur, *An mulieres sint capaces virtutis Heroicæ?* Resp. sunt capaces, sed rarius tamen capiunt: sunt enim fœmellæ animo imbecilliores, & affectu turbulentiores: habent minus confidentiæ, minus plerumque roboris: sunt tamen nonnullæ, in quibus virtus Heroica, *ceu* novum quoddam sidus, effulsit: quales fuere in Sacris, *Debora & Iaël*, in prophanis, *Semiramis*, *Amazones*, *Arthemisia*, & Patrum sæculo *Elisabetha Anglica*.

XI. Quæritur. *An & in spurios cadat virtus Heroica?* Resp. ita esse, exempla evincunt spuriorum, qui virtute non vulgari res maximas gesserunt, & ad summos honores emerserunt: ex sacris est *Iephte*; ex prophanis *Themistocles*, *Homerus*, *Romulus*, *Carolus Martellus*, *Iohannes de Austria*; &, si fides sit habenda vitæ descriptori, *Erasmus Roterodamus*. Causæ ejus rei dari possunt, *Divinæ*, *Physicæ*, *Ethicæ*: *Divinæ*, nam, ut Deus interdum humilia extollit, excelsa deprimit, ita hic interdum spurios maximis ornat virtutibus, alios non item: *Physicæ*; ingenia & corpora spuriorum sunt vegetiora, quia parentes habent plerumque bene validos, juvenculos & totos in libidinem effusos: *Ethicæ*, quia cum passim habeantur contemtui, qui sunt spurii, summa contentione emergere, & omnium virtutum studio hoc probrum amoliri conantur.

XII. Quæritur. *Quænam sint extrema virtuti Heroicæ opposita?* Resp. in excessu est feritas, in defectu stupor quidam, ad omnem videlicet honesti sensum. *feritas Arist. 7. Eth. 2.* est & dicitur θηριότης, ἀπὸ τῶν θηρίων, ab *animalibus brutis*; estque, vel ἀπροαίρετος, quæ absque ratione, vel προαίρετος, quæ cum ratione fit: in priori nihil aut parum omnino est rationis, uti est illa feritas, quæ ex morbis & humoribus existit depravatis, qualis est in *Phreneticis & Melancholicis*, & illa, quæ in

ὑδρο-

ἀνθρωποφάγοις & *Cyclopibus*: feritatis vero, quæ est ἀνθρωπίνῳ cum ratione, sed perversa ac corrupta, tot sunt species, quot sunt species Heroicæ virtutis: sic feri fuerunt ex perverso rationis usu, cum sciente & volente malitia, *Mezentius*, *Phalaris*, *Dionysius major*, *Sylla*, *Caligula*, *Nero*, & id genus monstra ac zizania, *defectus virtutis Heroicæ*, quem *stuporem* vocavimus, ignavia quædam est, & ineptitudo, qualis est in iis, qui porcorum instar aut caprorum in omni voluptatum luto sese volutant, ad cœlum & virtutem, quæ in cœlum mortales ducit, nunquam suspicientes: *feritas* tamen hoc *stupore* pravius censetur vitium, & magis adversari virtuti Heroicæ.

EXERCITATIONUM ETHICARUM TRIGESIMA-SECUNDA,

DD

VIRTUTE HUMANA.

THESIS I.

EXercitatione postremâ, *varias virtutis moralis* protulimus *divisiones*: postrema fuit, qua dividi solet in *Heroicam* & *Humanam*. De *Heroicâ* tum egimus: de *humanâ* agere, nunc est animus. *Humanam* vocamus *virtutem*, oppositam *Heroicæ*, quæ in communi hominum sorte, natura, conditione, ac vulgo, invenitur. *Heroica* est in solis Heroibus, ac in supra humanam sortem elevatis viris ac semideis reperitur: *humana* ergo virtus *ab illâ summâ excellentiâ* non nihil recidit, quæ quidem in Heroica cernitur.

II. *Humana virtus* subdivitur in *perfectam* & *imperfectam*: etsi enim virtus humana ad supremum illum perfectionis gradum non pertingat, quem tangit *Heroica* virtus, in se tamen suoque modo interdum *perfecta* est, interdum plane *imperfecta*: si *perfecta*, *virtus* simpliciter; si *imperfecta*, *semivirtus* vulgo dicitur: unde *Ethicorum* nonnulli, nec male, τελχοτομίαν instituunt virtutum: dicuntque, virtutem esse, vel *inchoatam*, vel *perfectam*, vel *Heroicam*: *inchoatam* vocant, cui debita adhuc perfectio, virtutisque plenæ ratio, deest: in qua, & per quam, mediocritas quidem servatur, sed cum difficultate, ægritudine, quia affectus nondum subjugati, difficulter parent rationi, imo reluctantur: *perfecta* virtus est, cum affectus ita sunt subjugati, & sub imperium rationis redacti, ut ejus præscripto reniti aut reluctari non valeant; *heroica* est, quæ supra communem aliorum hominum captum & modum, opus suum, singulari alacritate, & facilitate, præstat; de qua, quantum satis est, actum est *exercitatione postremâ*: nunc paulo plenius discrimen virtutis perfectæ & imperfectæ, seu consummatæ & inchoatæ, seu virtutis simpliciter & semivirtutis, inspiciamus: &, an sano satis sensu aliqua dicatur virtus cadere in hanc vitam perfecta, aut consummata? nam hic satis graviter errari potest. Res sic se habet, ut hoc vulgo explicant.

III. *Duplex* est *virtutis humanæ gradus*: Heroicam enim virtutem plane missam facimus: *unus* est, quando virtus statuitur eo assurrexisse, illudque fastigium conscendisse, ut contrarium omnem rationi rectæ impetum extinxerit plane atque aboleverit: *alter* virtutis gradus est, quando ea quidem exercetur, sed in exercendo sentit impetum & vim affectuum, rectæ rationi reluctantium: *prior gradus* ἀρετὴ, simpliciter autem *virtus*, dicitur Philosophis: *alter*, ἐγκράτεια, *continentia* vulgo. *Prior gradus*, verus, perfectus, ac plenus est habitus:

bitus: *alter*, non item, quia minus est firmus, ac dispositio magis videtur. *Virtus humana perfecta* ita hominem afficit, ut vitii contrarii vim amplius non sentiat, sed pleno animo, totoque voluntatis impetu, & sponte suâ ad honestas virtutis actiones feratur: nam, quæ ex virtute fiunt, præterquam quod scienter & volenter fiant, etiam firmè constanterque, atque adeo immutabiliter, fiunt: sic enim dispositum oportet esse animum ejus, qui ex perfectâ operatur virtute, ut immobiliter agat, ut sine reniſu, promptè atque expeditè. Hæc quidem sic, pulchrè in speciem à Philosophis dicuntur ac discernuntur, de virtute perfecta: sed verò larva hic aliqua est, quæ detrahi debet.

IV. Profecto, si quis expendat bene naturæ humanæ conditionem ac statum, facile videbit, non cadere in hominem, quamdiu in hoc corporis ergastulo concluditur ac vivit, virtutem, isto sensu perfectam ac consummatam, ut omnes in contrarium renitentes affectus sint subjugati: neque enim natura humana, qualis est in hac vita, propter conditionem, quam sibi accersivit atque imposuit per peccatum, tam felicem, tam beatum, tam perfectum statum, assequi unquam sibi potest, ut omnem peccati fomitem exuat, omnem affectuum rebellionem compescat; quod tamen exigit virtus perfecta, ut quidem de ea in suis contemplationibus philosophantur Philosophi: nam depravata nimis est, & eam non nisi peccata delectant: sine lucta affectuum, sine pugna ac reniſu, bene agere nulli mortalium est concessum in hac vita: sed post hanc demum vitam ad istam naturæ integritatem reducetur, ac restituetur homo, ut sine molestia, sine difficultate, benè sit acturus, quodcunque aget. Certe, sanctissimi in hoc mundo, cum bene agunt, sentiunt nihilominus rebellantis carnis & obstrepentium affectuum vim atque impetum: neque enim perfecte hîc regenerantur: nimirum, justo Dei judicio, mancipatus hic est homo peccatis, quam, ut vincula ista omnia peccatoris excutere possit: at posset, si plena perfectaque ac consummata in eum caderet virtus, quæ tum demum dicitur talis, cum affectus in solidum parent rationi: quo casu, peccato non est locus: at vero peccato hic semper est locus: & quamdiu vivimus, ac corpusculum hoc nostrum circumgestamus, peccamus. Hanc peccandi necessitatem miseri mortales sibi imposuerunt, dum à Deo ad Satanam, à vitâ ad mortem, à luce ad tenebras, à primâ & nativâ justitia, ad scelus, sponte deflexerunt: atque ex hac peccandi necessitate, satis est, ut perfecta virtus non cadat in hominem in hac vitâ, quia nunquam perfecte homo liberatur ab ista peccati potestate: illa enim liberatio post hanc demum contingit vitam: quare concludimus, virtutem perfectam ac consummatam, sine ulla rationis & affectuum pugna, sine ulla lucta carnis & spiritus, in hominibus individuis, non dari: sed vero omnis virtus, quæ in hanc incidit vitam, imperfecta est, & cum lucta ista inter rationem & affectus est commixta: nunquam enim in ullo homine ad summum illud culmen fastigiumque victoriæ pervenit virtus, ut non reluctentur rationi affectus: & hoc est, quod Apostolus volebat, cum dixit, bonum volo, sentio adhærere mihi malum: sed paulo plenius de hoc imperfecto virtutis gradu, quem semi-virtutem vocant, philosophemur. Res sic se habet.

V. Hominis, naturæque humanæ, status medius fere est inter eos, qui perfectè virtutem sunt assecuti; quod contingit beatis in cœlo: &, qui omnino ac planè sese omni vitio dediderunt, omnibusque peccatis sunt adstricti; quod contingit damnatis in inferno: tales sunt, qui pro virtutibus contra vitia luctantur, qui vitiorum vim necdum abolitam in se præsentiscunt, qui, nunc volunt, nunc nolunt, bonum, imo, interdum bonum, quod volunt, non faciunt, malum, quod nolunt, faciunt: hi dicuntur Græce ἐγκρατεῖς & ἐγκρατεύοντες: & *virtus ipsa*, aut, ut Peripatetici loqui amant, *semivirtus*, dicitur ἐγκράτεια, *Latini* vocant continentiam: atque talis est omnium hominum conditio, ut virtus sit vitio commixta, & contra, ut ratio pugnet cum affectibus, & nunc hi succumbant, nunc illa superet, ac contra: cum ratio vincit affectus, cum virtus superat vitium, *status hominis* aut *ipsa virtus*, vel *semi-virtus*, ut illi

loquuntur, dicitur *continentia*, ἐγκράτεια: cum affectus superant rationem, cum vitium vincit virtutem. *Status hominis* seu *vitium* seu *semivitium*, vocatur *incontinentia*, ἀκρασία: itaque voces hæ, tum apud *Græcos*, tum apud *Latinos*, non pro una aliqua speciali virtute, aut vitio hîc à nobis sumuntur, quomodo interdum *continentia* sumitur pro *temperantia*, & *incontinentia* pro *intemperantia*, sed pro gradu imperfecto, tum virtutis, tum vitii, pro lucta affectuũ cum ratione, cui, nunc subsunt, nunc præsunt.

VI. Dicat quispiam: *contraria se mutuò expellunt ex eodem subjecto*; *virtus & vitium sunt contraria*; *ergo non datur medius naturæ humanæ status, in quo sit & virtus & vitium, quæ inter se pugnent, qualis hic à nobis dicitur, continentia & incontinentia.* Resp. contraria se mutuo expellunt ex eodem subjecto, quando utrumque plenè perfectèque, atque absolutâ essentiæ suæ ratione in eodem subjecto esse dicitur: tunc enim oportet, ut unum expellat alterum: sed potest multis in rebus rerumque generibus talis status observari, in quo sit utriusque contrarii commixtio ac contemperatio quædam: quemadmodum in humanis corporibus illa sanitas in nemine constituitur à Medicis, quæ consistat in perfectâ εὐκρασίᾳ, id est, quæ habet ἐν ἀκμῇ perfectam & absolutam omnium humorum temperiem, sicuti etiam non constituit in ullo homine status tam pravus, in quo sit omnium omnino humorum dissolutio, & plena perfectaque κακοχυμία: sic in aliis rebus sese res habet: est in homine ratio, est appetitus inferior, quem sensualitatem vulgo vocant: hinc oritur medius quidam status virtutis & vitii, ut neque sit homo optimus, neque pessimus: sed sit spiritus & carnis, rationis & affectuum, quædam quasi temperatio ac commixtio: & hunc *Statum* vocamus, *hominis* aut naturæ humanæ, quia in hominibus, si non omnibus, plerisque saltem, ista, vel spiritus & carnis, vel rationis & affectuum, pugna reperitur: nam, qui inter homines eo impietatis & malitiæ devenerunt, ut omnem conscientiæ vim, omnem honestatis & rationis sensum excusserint, ut ne homines quidem dicendi sint: fateor, in talibus non esse luctam: non luctantur tales, sed victi sub potestate peccati prorsus jacent, vel longâ male agendi consuetudine, vel peccandi voluptate, pellecti atque irretiti: atque hi toti præcipites in vitia omnia & scelera ruunt, uno ac pleno impetu: sed nec hominum titulo ac nomine sunt digni, in quibus humani nihil est, quia ratio abrepta est, & sub potestatem affectuum redacta. At verò, qui verè homines sunt, vere rationis & affectuum pugnam sentiunt, si homines tantum: si insuper fuerunt fideles ac Christiani, etiam ultra ac præter rationis & affectuum certamen, in se sentiunt luctam carnis & spiritus: hæc enim lucta in irregenitos non cadit, sed in regenitos, in quibus solis est caro & spiritus; irregeniti enim carne carent & spiritu: sed ratione sunt præditi & affectibus: atque hic pugna est.

VII. Quæ hic sumus philosophati, atque hactenus diximus, ea planè sunt conformia opinionibus *Aristotelis*, qui *libro septimo Ethicorum, capite octavo*, insignem habet & præclarum hac de re locum: *intemperans*, inquit, *& vitiosus*, μόχθηρὸς & κακὸς, dicit, *non est is, quem sui peccati pœniteat*; *perstat enim in proposito*: *incontinens autem omnis ad pœnitendum est prochvis*: *quocirca, ille incurabilis est, hic curabilis*: *nam pravitas seu vitiositas similis est aquæ intercuti & tabi, incontinentia comitiali morbo*: *illa, continua, hæc, non continua est improbitas*: *atque omnino diversum est* ἀκρασίας, & κακίας, *incontinentiæ & vitiositatis nomen*: *vitiositas enim latet, incontinentia non latet.* Ex quibus verbis Philosophi liquet, nos eadem hic dixisse ac docuisse, quæ Philosophus dixit ac docuit, de virtutis hoc gradu imperfecto: adeoque de virtute perfecta & inchoata, hæc sufficiant.

EXER-

EXERCITATIONUM ETHICARUM TRIGESIMA-TERTIA,

DE

Quæstionibus quibusdam circa Fortitudinem.

THESIS I.

POstquam ea, ἀναπολογητικῶς ferè, persecuti sumus, quæ *Virtutem moralem* in genere, ejusque *definitionem*, & *divisionem* spectant, jam nunc ad *species Virtutis Moralis*, transimus, non quidem earum naturam speciatim explicaturi; (hoc enim abundè præstitum est in *Coll. Ethico*) sed quæstiones quasdam moturi, & dissoluturi, circa virtutes singulas. Ordiemur à *Fortitudine*. Diximus in *Coll. Eth. Disp.* 19. cum Fortitudinem explicaremus, eam esse medietatem seu mediocritatem, inter timiditatem & audaciam, atque id tum confirmavimus: objici quædam possunt, quæ nunc dissolvemus.

II. 1. *Si fortitudinis sit, vincere libidinem, coërcere cupiditatem, frænare iram, omnes affectus & commotiones continere in officio. Ergo non est tantum medietas inter audaciam & timiditatem. Sed verum prius. Ergo & post.* Resp. Ad hoc argumentum facilè potest responderi, si distinguatur vocabulum, *fortitudo*: interdum dicitur fortitudo, quælibet animi constantia & firmitas ac stabilitas, estque generalis omnium virtutum affectio: atque ejus est, vincere libidinem, coercere cupiditatem, frænare iram, omnes affectus continere in officio, &c. interdum sumitur fortitudo specialiter, pro ea virtute, quam exposuimus, quæ moderatur timiditatem & audaciam: & sic non est ejus, vincere libidinem, sed vincere timiditatem & audaciam; non est ejus coërcere cupiditatem, sed coërcere metum & audaciam.

III. 2. Objici potest. *Si fortitudo versetur circa tristitiam, ergo non circa metus. Sed verum prius. Ergo. Minor est Aristotelis, cujus est vox: fortes in tristitia ferenda maxime cerni, ac propterea fortitudinem ipsam dici tristem.* Resp. Omnis virtus aliquo modo versatur circa tristitiam & delectationem: itaque, nihil est mirum, si etiam circa tristitiam suo modo versetur fortitudo: imo peculiarem ob causam, circa tristitiam versatur fortitudo, quia versatur circa περὶ φοβερά, circa ea, quæ metum incutiunt, quæ terribilia sunt, circa mala tristia: itaque rectè dictum est ab *Arist. fortes in tristitia perferenda maximè cerni*: non tamen ideo inferri debet, quod fortitudo propriè versetur circa tristitiam, ac si per se esset tristitiæ moderatrix, aut per se incitaret directè ad tristitias perferendas: hoc enim falsum est: est enim per se ac directè moderatrix audaciæ & timiditatis: sed, quia timiditas, & mala, quæ timentur, aliquam tristitiam afferunt, indirectè ac per accidens dicitur versari circa tristitiam: nam eadem ratione potest quis contendere, etiam circa spem versari fortitudinem, quia spes comitatur audaciam: qui enim audet fortiter agere, is sperat: sed verò indirectè ac per accidens, circa spem æque, atque circa tristitiam, versatur fortitudo.

IV. Diximus etiam *Coll. Eth. Disp.* 19. Fortitudinem versari circa mala tum repentina, tum prævisa, magis tamen fortitudinem conspici, in repentinis, quam prævisis, & rationes dedimus: opponi possunt quædam, quæ discutiemus. Primò *Timiditas sic impellitur à malo, ut spes à bono. Sed experimentum boni, auget spem, ergo & experimentum ma-*

li, auget timorem: ergo repentinum malum & subitum, cujus nullum antea cepimus experimentum, minus metuetur, quam præviſum malum & ſolitum. Reſp. Antecedens verum eſt: ita in malo verſatur timiditas, quemadmodum in bono ſpes, non quidem omnino, ſed eatenus tantum; quatenus malum, eſt timiditati propoſitum, bonum, ſpei: hactenus enim conveniunt hi duo affectus: ſed hinc non ſequitur, ac malè infertur, quod debeat, propter experimentum mali, ſic augeri timor, ſicut propter experimentum boni augetur ſpes: & ideo, adhuc pejus infertur, repentina mala viro forti eſſe magis metuenda, quam prævisa: imo, ſi ad experientiam provocandum eſt, contra fieri & uſu venire experimur, & magis elucere fortitudinem in metuendis malis repentinis, quam prævisis.

V. Secundo. *Quæ ſunt improviſa & ſubita, minus poſſunt conſiderari, quam, quæ nobis intelligentibus & prævidentibus accidunt: ſed, quo magis mala conſiderantur, eo magis timentur: ergo prævisa mala, quæ nobis intelligentibus accidunt, magis ſunt metuenda, quam ſubita & improviſa.* Reſp. Neg. min. quod, quo magis conſiderantur mala, eo magis timeantur: imo contra eſt: quo magis quis malum imminens conſiderat, ſi ſapiens ſit, ſi rerum, etiam terribilium, pretia æſtimare novit, eo minus metuit: quicquid enim eſt humani, ſive bonum ſive malum, eo minus eſſe deprehendetur, quo plus conſideratur & reputatur animo: nam, tam bonum, quam malum, ſubitum atque improviſum & animo non ſatis perpenſum, homini videtur eſſe majus.

VI. Dicitur vulgo, cum de diſcrimine fortis & audacis, agitur, audacem antè pericula, eſſe animoſiorem, in ipſo periculo ſæpè ac plerumque ei animum cadere: at contra fieri, cum viro forti, cui animus in periculo eſt major, quam antè pericula: quæritur, an hoc rectè ſit dictum, nam videntur quædam objici poſſe, quæ contrarium evincant. Primò *Qui initio pugnæ tremit, is non eſt animoſus. Sed audax initio pugnæ tremit. Ergo. Minor eſt Ariſtotelis. ſect. 17. prob. 3. ubi dicit, audaces interdum initio ante periculi aggreſſionem contremiſcere. Ergo. ante pericula & pugnam, non ſunt promptiores, quam in periculis & pugnâ.* Ad Maj. eam non eſſe veram: qui ante pericula & initio pugnæ tremit, is non eſt animoſus, ſed timidus: nam ſæpe tremor reddit homines audaciores: quod ut intelligatur, notandum venit, & in audacibus, & in timidis, tremorem interdum reperiri, quia in utriſque calor revocatur ab extremis partibus ad interiores: ſed inverſo tamen modo: unde etiam, tremor quoſdam, reddit audaces, alios, formidoloſos ac timidos: nempe, audacium calor revocatur ad cor, timentium aut timidorum calor revocatur ad partes inferas, ac cor deſtituit: nam ſanguis, calor, & ſpiritus eorum, qui timent, deſcendit, & recedit à corde; contra, ſanguis, ſpiritus, & cor eorum, qui audent, aſcendit, & confugit ad cor: quæ differentia facit, ut audaces, licet tremant initio, poſſint tamen eſſe alacriores, & promptiores, quia tremoris illa cauſa, cor ipſum confirmat; nam calor ad cor abit & fugit: at contra, timentes aut timidi non poſſunt eſſe alacres, aut promti, quia tremoris eadem cauſa, deſtituit cor: uterque enim tremor, & in audacibus, & in timidis, à caloris diſceſſu naſcitur: ſed in audacibus calor ab extimis & inferioribus partibus abit ad cor: in timidis, ab intimis & ſuperioribus partibus, imò ab ipſo corde, abit ad partes infimas.

VII. Secundo objici poteſt. *Objecto creſcente, creſcit affectus: ſi enim bonum eſt optabile, ergo, quo aliquid eſt melius, quo magis creſcit ejus bonitas, eo eſt optabilius. Sed, arduum eſt objectum audaciæ: ergo, ſi augeatur, ſi creſcat τὸ arduum, ipſa creſcet & augebitur audacia. at periculum magis eſt arduum in ipſa pugna, quoniam præſens eſt, quam ante pugnam, cum longius abeſt: ergo creſcet & augebitur audacia in ipſa pugna. Ergo audaces inter ipſa pericula erunt promtiores, fortiores, animoſiores, contrà quàm erat dictum; dictum enim fuit, audacibus ante pugnam animos eſſe erectiores, in pugna dimiſſiores.* Reſp. Hoc argumentum ſatis eſt difficile, ſic tamen reſpondendum cenſemus. Videtur neganda univerſalitas majoris: quod objecto creſcente ſemper creſcat affectus: &

ad

ad probationem, quod, quando bonum est optabile, quo fuerit melius, eo erit optabilius, dico: hoc quidem verum esse, in affectu circa bonum optabile, in amore: amamus enim bonum optabile: &, quo magis est optabile, eo magis illud amamus: sed nego, esse eandem rationem audaciæ circa objectum suum: objectum amoris, est bonum simpliciter, ideoque amor augetur, si bonum simpliciter augeatur: objectum verò audaciæ, est compositum ex bono & malo: sic ut motus posterior audaciæ, in objectum malum, nascatur ex spei motu in objectum bonum: ideoque, si tantum difficultatis addatur periculo, ut spem superet ac vincat, non sequetur audaciæ motus; sed, vel desistet, vel minuetur: quod si audaciæ sequatur motus, propterea, quod bonum augetur propositum spei, ipsa quoque crescet audacia, crescente periculo, modo non sit periculum tantum, ut ipsam spem superet: sed verò hoc non accidit audacibus; semper enim iis minuitur spes in mediis periculis, quæ antè non bene præviderant: est enim virorum fortium, pericula prævidere.

VIII. Diximus *Coll Ethico Disp.* 20. ex quinque speciebus fortitudinis spuriæ, fucatæ, adulterinæ, eam, quæ prima est, ac πολιτικὴ *Aristoteli*, latinè *civilis*, dicitur, esse magis propinquam & similem veræ fortitudini, quam sunt cæteræ: quæritur, an recte hoc à nobis sit dictum? videntur enim quædam objici posse. Primò. *Illa fortitudinis fucatæ species est similior veræ fortitudini, quæ magis est particeps ejus regulæ ac modi, quâ regulâ, quo modo, singulæ virtutes utuntur in agendo: sed ejus regulæ ac modi magis est particeps militaris fortitudo seu experientalis, quam politica, aut cæteræ. Ergo Prob Min. fortitudo militaris, aut experientalis, magis utitur prudentia, quam cæteræ species fortitudinis fucatæ: at prudentia est regula, & modus, qua regula, quo modo, singulæ virtutes utuntur. Ergo. Probatur iterum minor, quia fortitudo experientalis ac militaris nititur & ducitur experientiâ, & peritiâ militaris artis, & cognitione periculorum: at experientia ista, & peritia militaris, & cognitio periculorum; nihil est aliud, quam prudentia. Ergo. Prudentia enim est ratio recta rerum agendarum. Ergo.* Resp. Militarem & experientalem fortitudinem, non niti prudentiâ, sed arte: quod ut intelligatur, operæ fuerit pretium, discrimen inter artem & prudentiam nonnihil latius exponere. Prudentiæ proponuntur res agendæ; ideoque dicitur recta ratio rerum agendarum: arti proponuntur res faciendæ; ideoque dicitur recta ratio rerum faciendarum: differunt vero multum res agendæ & faciendæ, seu agibiles & factibiles: res agendæ, seu, ut loquuntur, agibiles, sunt res eligendę aut eligibiles propter finem honestum: at res faciendæ seu facibiles, sunt eligendæ aut eligibiles propter finem quemcunque propositum, sive honestus sit ac bonus moraliter, sive non sit talis. Docet ars, qua ratione, quibus præsidiis & instrumentis, aliquod opus sit faciendum, sed nihil attendit, an propter finem honestum fiat, vel propter alium: hoc tantum attendit ars, ut secundum istas fiat regulas, secundum quas fieri debet: at contrà, prudentia sibi proponit honestum, atque adeo optimum semper in agendo finem, docetque, in eum esse referenda omnia, insuper præscribit semper media & ea præsidia atque instrumenta, quæ ad honestum illum optimumque finem perducunt. Atque jam facile liquet, quare dixerim, fortitudinem militarem, aut experientalem, magis niti & duci arte quam prudentia: miles enim non semper, imo rariùs, honestum pro fine habet, sed sæpius lucrum, & raptum, aliaque commoda & emolumenta utilia. Et miles dicitur æque bene pugnare, victoriamque bello parare, si ad lucrum, ad emolumentum, aut similem finem, suam pugnam ac victoriam referat, quam si ad reipublicæ salutem: itaque ratio, quæ docet in bello milites fortiter agere & temnere pericula, illa non tam in iis est prudentia, quæ hoc doceret ob finem honestum, quam ars, quæ ob alios ac quosvis hoc docet fines.

IX. *Fortitudo* διὰ τὸν θυμὸν, *ab ira, est similior fortitudini veræ. Ergo, non Politica, quia vera fortitudo utitur ira, & iram assumit veluti ministram & instrumentum; docente ipso Arist. Cap. 8. L. 3. Eth. Ergo.* Resp. Non de-

bet ideo aliquid dici similius veræ virtuti, quia assumitur à virtute tanquam adminiculum aut instrumentum, ad finem honestum consequendum & obtinendum: virtus enim omnibus utitur, animi, corporis, ac fortunæ bonis, tanquam adminiculis, præsidiis, mediis, atque instrumentis, ad bene agendum; idque sæpe honoris causa: quod si ergo fortitudo honoris causa exerceatur, sicuti sæpe exercetur ex ira, non tamen inde sequitur, fortitudinem, proprii honoris causa exercitam, esse similiorem veræ fortitudini, quam si ob aliam causam exerceatur: ergo, nec sequitur, fortitudinem ex ira profectam, ideo esse similiorem veræ fortitudini, quia & quum utitur ira ut instrumento: nam, sive ex honore, sive ex ira, proficiscatur fortitudo, non ideo magis vel minus est similis veræ fortitudini: sed videndum potius, quid conferat majus momentum ad veram fortitudinem, an ira, an honor, an aliud quid?

EXERCITATIONUM ETHICARUM TRIGESIMA-QUARTA, DE Quæstionibus quibusdam circa Fortitudinem.

THESIS I.

Exercit. præced. movimus ac dissolvimus nonnullas quæstiones, quæ circa Fortitudinem moveri possunt; sed non omnes movimus. Quare & hanc Exercitationem movendis objectionibus ac solvendis dabimus. Diximus *Coll Eth. Disp.* 19. cum de objecto Fortitudinis fumus philosophati, Fortitudinē magis versari circa τὰ φοβερὰ, terribilia, quæ metum incutiunt, quam circa τὰ θαρραλέα fiducialia, quę audaciam gignunt. Hinc nascitur quæstio: *An igitur Fortitudinis actus potior, magis præstans ac præcipuus, sit, sustinere, perferre pati, quo versatur circa τὰ φοβερὰ terribilia, quam aggredi, quo versatur circa τὰ θαρραλέα, quæ audaciam gignunt?* Alii sic proponunt quæstionis statum. *An potius in malis ferendis, an verò in rebus gerendis, versetur Fortitudo?* vel, *an Fortitudo potius consistat in ferendo? an vero in feriendo?* Resp. Utrumque Fortitudinis officium, uterque actus, suam meretur laudem: honoratius est, res gerere magnas, sed difficilius est, tolerare adversas. *ex Aristotelis* quidem sententia, primarius Fortitudinis actus est sustinere, pati, perferre, non aggredi, aut invadere; quia, ex ejus placito, magis versatur in rebus, quæ timorem adferunt, quam in iis, quæ audaciam gignunt: at circa res timendas versamur ferendo, non aggrediendo. Contra hanc tamen *Aristotelis* sententiam multa possunt objici: quæ ordine suo expendemus, ac dissolvemus: *si prius Aristotelis*, opinionem nonnihil confirmaverimus.

II. Quod Fortitudinis actus præstantior sit, sustinere, ac pati, quam invadere, & aggredi, sic probari potest: Fortitudo maximè versatur in eo opere, quod est difficilius: quod vero est difficilius, illud est præstantius & excellentius. At verò difficilius est, sustinere & pati, quàm invadere & aggredi: qui enim sustinet, habet pericula jam præsentia: qui aggreditur, prospicit pericula tantum futura: sed difficilius est, non moveri à præsentibus, quàm à futuris, fortiter ferre præsentia mala, quæ jā cervicibus nostris incumbunt, quam aggredi futura, quæ utcunque

que immineant, adhuc tamen evanescere possunt. Sed *secundò* probatur *Aristotelis* sententia tali modo Ille actus virtutis est præstantior, ac magis præcipuus, ex quo, tanquam magis ex propinquo, virtus attingit honestum bonum. Sed sustinere, tolerare, pati, sunt tales actus Fortitudinis, quibus Fortitudo immediate, proximè, & in propinquo maxime attingit bonum honestum, ac magis prope, quam per τὸ aggredi aut invadere: nam aggressio, aut invasio, quamquam bonum honestum pro fine habeat, non tamen proximè aut immediatè in illud fertur, sed immediatè fertur, ac proximè, in expetitam victoriam, vel lucrum, vel depulsionem hostium, & remotè, in bonum virtutis, in patriæ defensionem &c. at vero tolerantia, quæ cernitur in tolerando, in perferendo, ac patiendo, nihil eorum expetit immediatè, sed fertur proximè in bonum honestum: Nam, qui perfert ac sustinet fortiter mala, is id agit, ut turpitudinem fugiat, quæ sequeretur ex fuga malorum, si ea fugeret, ac perferre detrectaret. Hæc *Aristotelis* sententiam confirmant: quæ ut dextrè intelligatur, unum hic notandum venit: *sc non simpliciter ab Aristotele* asseri, quod τὸ sustinere, sit melius quam aggredi, in quocunque casu, in quacunque occasione: imo, interdum fieri potest, ut τὸ aggredi longe sit melius, quam τὸ sustinere: certe, si quis eo loco ac statione sit constitutus, ut aggrediendo insignem cladem hosti, insigne bonum patriæ, adferre possit, is, si non aggrediatur, sed sustinere malit, impetum hostium, in se irruentium & mala ac mortem sæpe inferentium, non melius fecerit, sed pejus. Quid igitur voluit Philosophus? nempe hoc: cæteris paribus, Actus fortitudinis, qui est pati, nobilior est actu eo, qui est aggredi: itaque, hic sensus est quæstionis. *Actus sustinendi perfectissimus, collatus cum actu perfectissimo aggrediendi, hunc tamen superat suâ excellentiâ atque præstantia:* i. e. ille dicitur magis fortis, qui debitè ac perfectè sustinet & patitur mala toleranda, quam qui aggreditur debite ac perfectè audenda. Nunc objectiones videamus.

III. 1. *Melius est, uti, quam possidere. Sed aggredi, est suis viribus uti, pati, est, tantum vires suas possidere. Ergo, &c.* Resp. Concessa majore, negatur minor: quoad membrum posterius; imo contra dico, eum qui patitur, multaque sustinet, ac tolerat mala, magis uti viribus, animæ sc. suæ, quam qui aggreditur: habet enim periculum præsens, qui sustinet; qui aggreditur, habet futurum: magis sane viribus suis utitur, ut debitè animum componat, fortiterque agat, qui in præsenti versatur periculo, quam, qui futurum exspectat: & ipsa docet experientia, eum, qui sustinet ac patitur, quam maximè vires animi sui exerere atque exercere: non otiosè possidet eas, sed vel maxime exerit atque ostendit & exercet.

IV. 2. *Virtutis magis est, bene agere, quam bene pati: aggredi, est bene agere; sustinere, est bene pati. E. Resp.* Falsa est major, universaliter sumpta, nam non in omnibus virtutibus melius est, bene agere, quam bene pati, sed in aliquibus, tantum hoc habet locum ac potissimum in liberalitate: ejus officium magis est, dare, quam accipere; unde in dando potius seu agendo, quam in accipiendo seu patiendo, vulgo constituitur. At vero, in omni virtute rem ita se habere, nondum est probatum: contra contendo, in Fortitudine, esse præstantius, τὸ sustinere seu pati, quam τὸ aggredi, seu agere; cæteris paribus: donec contrarium mihi fuerit probatum.

V. 3. *Melius est bene agere, quam turpia non agere: sed aggredi, est bene agere: sustinere est turpiter non agere: qui enim sustinet & patitur, is non proripit se, non eximit se malo, turpi fuga: itaque aliquid non turpe præcavet & prævenit: at videtur adhuc melius, de facto bene agere, quam aliquid non turpe omittere: non committere bonum, est melius, quam omittere malum.* Resp. Ad membrum posterius minoris: quod τὸ sustinere, plus sit & dicat, quam aliquid turpiter non agere, & τὸ aliquid turpe omittere, quam non fugere: significat insuper, estque reipsa etiam, bene agere, recte obire Fortitudinis munus; nam qui id facit, quod Ratio, virtus, & prudentia jubet, is in genere moris bene agit: at, qui sustinet mala, quæ, quando, quamdiu, ea sustinenda sunt, is id facit, quod ratio, virtus, & pru-

& prudentia, jubent. Ergo, qui sustinet mala, &c. is bene agit. Ergo τὸ sustinere, non tantum est omittere malum, sed & committere bonum.

VI. 4. *Iste actus Fortitudinis est nobilior, cui maxime debetur laus. Sed aggressioni hostium maxima debetur laus: certè, qui aggrediuntur hostem, magis sunt laudandi, quam qui impetum eorum sustinent, & perferunt vim ingruentem.* Resp. 1. Viri sapientes, rerumque periti æstimatores, sæpe magis laudabunt eos, qui periculum exspectant ac sustinent, cum perferendum illud ac sustinendum est, quam eos, qui aggrediuntur: plebs fortasse, rerum ignara, & zelo aliquo, sæpe imprudenti, ducta, aggressores magis laudabit, quam eos, qui patiuntur: sed non à vulgo & imperita plebe, verum à sapientibus, & rerum æstimatoribus peritis, hujus rei judicium petendum foret. Si dicas, *etiam à sapientibus interdum laudari magis, qui aggrediuntur periculum, cum aggrediendum est, quam qui idem sustinent.* Tum Resp. 2. Hîc comparari actus duos Fortitudinis, τὸ sustinere, & aggredi, non ut versantur circa rem eandem, objectum idem, pericula eadem, quod accuratissimè est notandum hîc, sed prout singuli versantur circa suum peculiare ojectum. Clarius loquar. Cum aliquid viro forti proponitur, aut occurrit, sub istis circumstantiis, ut sit aggrediendum, & aggrediendum esse ratio doceat, ac prudentia dictet, certè non foret melius, sustinere: imo pati, tum, simpliciter est malum: & aggredi, est bonum ac melius: sed vero, hoc est, quod dicimus, quando comparamus actum aggrediendi suis item instructum circumstantiis circa objectū suum, & actum sustinendi suis item instructum circumstantiis circa suum objectum, sic, ut circa illud non sit nec cadat actus aggrediendi, tum dicimus, actum sustinendi, circa suum objectum, esse nobiliorem & præstantiorem Fortitudinis actum, quam actum aggrediendi circa objectum suum.

VII. 5 *Ille actus Fortitudinis est nobilior, qui Reipublicæ majorem adfert utilitatem; sed aggrediendi actus majorem Reipublicæ utilitatem adfert, quam sustinendi. Ergo, Pr. min. per aggressionem depelluntur hostes, per subsistendi actum, tantum retardantur, non depelluntur.* Resp. Major falsa est: non semper illud est simpliciter melius, quod Reipublicæ est utilius. v. c interdum est Reipublicæ utilius, ærarium plenum, & pecunia, quam civis bonus: attamen non licet ideo concludere, quod ideo ærarium plenum, & pecuniæ ingens summa, sint simpliciter meliora, quam civis bonus: hoc enim falsum est: nam ærarium, & pecunia, non possunt comparari cum virtute, aut ei prævalere. Deinde, ad minorem, potest quoque fieri, ut τὸ sustinere mala ac pericula, multo melius & utilius sit Reipublicæ quam aggredi, aut saltem æque bonum ac utile: nam talem casum aut occasionem incidere quid vetat?

VIII. 6. *Nobilius videtur, posse in aliud agere, quam ab alio non immutari: at aggredi, est in aliud agere: sustinere, est ab alio non immutari. Ergo.* Resp. Falsum est membrum posterius minoris, quod, qui sustinet, tantum ab alio non immutetur; imo etiam se movet, non quidem motu corporis, sed motu animæ, omnes vires suas intendentis, adversus pericula gravia ac præsentia. *Concludimus ergo, actum sustinendi esse nobiliorem, præstantiorem, dignorem, Fortitudinis actum, quam aggrediendi.*

IX. Ex hisce ita jam dictis, nova emergit quæstio: Cum enim difficilius sit, sustinere periculum, quam illud aggredi, ideoque nobilior etiam sit actus sustinendi, quam aggrediendi, ut vidimus, quæritur: *An quoque difficilius sit ac nobilius, æqualitatem animi servare ac retinere in rebus adversis, quam in secundis: hoc enim sequi videtur*: & est illa sententia *Aristotelis c 9. l 3. Eth.* ubi diserte dicit, *facilius nos à rebus secundis jucundisque abstinere, nos posse, quam inter res adversus fortiter agere, easque, ut virum fortem docet, sustinere.* Contrarium tamen sensit *Archytas Tarentinus, Philosophus Pythagoreus*, ut de eo refert *Stobæus* in suis *Sermonibus*. Certè, cum fortuna nobis blanditur, difficillimum est, tenere modum: & res secundæ, facilè nos, à circumspectione ad incogitantiam, à modestia ad insolentiam, à metu ad audaciam, etiam

etiam aliud agentes, abducunt. Noti sunt versus Ovidiani:

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est æquâ commoda mente pati.

Et, Fortuna, quem nimium fovet, stultum facit: &, docet nos experientia, prosperam fortunam parere varios animi morbos, superbiam & elationem, &c. itaque difficilius videtur & nobilius, res secundas moderate ferre, quam adversas. Resp. Utrimque sunt rationes non contemnendæ: vix est, ut aliquid certi hic decidatur. Profecto, ut reperiuntur nonnulli, qui res secundas pulchrè ferunt, & res adversas immoderatè, in quorum numero fuit *Cicero*: ita alios invenias, qui res adversas optime ferunt, sed non item res secundas: verum, rebus prosperis spiritus statim sumunt atque insolescunt. Si quid tamen in genere pronunciari debet, videtur esse adhuc difficilius & nobilius, adversas res sustinere, quam ferre secundas; quæ est sententia *Aristotelis*: & ratio est, *quam hac exercitatione* deduximus: quia, sustinere, est difficilior & nobilior fortitudinis actus, quam aggredi: at sustinendo versamur circa res adversas, aggrediendo circa res secundas: Ergo difficilius est & nobilius, res adversas moderate ferre, quam rebus secundis non insolescere: quod erat demonstrandum.

EXERCITATIONUM ETHICARUM TRIGESIMA-QUINTA, DE Ἀυτοφονίᾳ & Duello

THESIS I.

DEcidimus quæstiones aliquot circa *Fortitudinis* naturam, *Exercitatione trigesimâ tertiâ & quartâ*, nunc casus morales quosdam proponere, est animus, ac discutere, circa eandem virtutem: &, ne diu hæreamus in ordine & numero quæstionum ac casuum moralium, ab hac quæstione initium faciemus. *An ii, qui sibi mortem afferunt,* αὐτόχειρες, αὐτοφόνοι, *sint fortes?* Casuistæ (sic vocamus casuum conscientiæ expositores) ita proponunt quæstionem ac casum: *An liceat alicui in aliquo eventu sibi mortem inferre?* quod si enim fortis est, vereque fortis, qui sibi violentas infert manus, utique illud licitum est: sin minus, non est licitum. Ut idem sit utriusque quæstionis sensus. *Decisio nostra hæc est.* Non est fortis, qui sibi ipsi mortem conscisci, quacunque demum de causa: &, non est licitum ulli mortalium, se ipsum occidere, quocunque tandem eventu: neque ob vitandum peccatum, neque ob defendendam pudicitiam, neque ob vitanda mala hujus vitæ, neque ob defendendam fidem aut religionem, neque ob virtutem tuendam, neque ob conservandam salutem, vel sui, vel aliorum. Si Aristotelem nostrum, judicem hic accipere placeat, nobiscum facit. Negat diserte 3. *Eth Cap. 7 in fine,* αὐτοχείρας, αὐτοφόνους, sui ipsorum occisores, esse fortes, & rationem addit, quia timidi hoc est potius, & mollis, quam fortis viri. Verba ejus sunt: τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἢ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ; *Mortem obire, fugientem inopiam, amorem, vel molestum quid, fortis non est, sed potius timidi.* Contrà senserunt *Stoici* ac *Platonici*, qui in calamitatibus & ærumnis, licitum existimabant homini, vitæ suæ finem imponere. De *Stoicis* res certa est, & constat, ita eos sensisse ex *Senecæ* epistolis, aliisque libris, & variis, *Epicteti*,

ſteti, apud *Arrianum* in *Diſſertationibus*, dictis. De *Platonicis* non ita certò conſtat, quid ſenſerint: nam *Plato* non eodem ſenſu ſemper hîc locutus eſt, ſed autoritates mittimus: multos ſaltem gentilium, propriam ſui, necem, fortitudinis veræ ſignum, habuiſſe, & licitam exiſtimaſſe, exempla convincunt, *Catonis*, *Bruti*, *Caſſii*, *Hannibalis*, *Mithridatis*, & aliorum, ferè ſine numero. Memorabilia ſunt inter *Stoicos*, *Zenonis* & *Cleanthis*, exempla, quorum, *Zeno*, jam 98. annos natus, cum è ſcholâ domum rediret, ac fortè fortunâ pedem offendiſſet in lapidem, lapſuſque in terram eſſet, manu eam pulſavit; ac, *quid me*, inquit, *appellas? venio*; & domum reverſus, ſtatim ſponte ſua vitam poſuit. *Cleanthes* verò, cum ex ulcere quodam, nato in ore, de Medicorum conſilio biduum abſtinuiſſet à cibo, exactoque biduo jam melius ſeſe haberet, ſuadentibus medicis, ut ad cibum capiendum rediret, renuit ac negavit: & inquit, *non puto mihi jam redeundum, majore parte viæ confectâ*. Sed enim hæc veſania eſt, & furor *Stoicorum* & gentilium, & imbecillitatis potius, animique dejecti, quam veræ fortitudinis ſignum. An non fatuus, an non ſtolidus cenſeri debet, qui propter mala leviſſima, aut nulla, certum ſibi exitium attrahunt, uti fecere *Zeno* & *Cleanthes*? optimè hoc explosum ivit epigrammatum ſcriptor *Martialis*?

Vt mortem fugeret, ſe Fannius ipſe peremit;
Hic rogo, non furor eſt, ne moriare, mori?

Sed videamus, quæſo, quantum inter ſe diſtent, *Fortitudo* & ἀνδρεία.

II. Fortitudinis cauſa, eſt recta ratio: ἀνδρείας, deſperatio, furor, rabies, belluina feritas, malorum quorundam corporis aut hujus vitæ præſentia. Fortitudo, ut omnis virtus, eſt affectuum moderatio: ἀνδρεία, eſt affectuum exceſſus ſœdiſſimus. Fortitudinis finis primarius, eſt τὸ καλὸν, honeſtum; ſecundarius, utile publicum & privatum: at vero ἀνδρείας finis, eſt fuga mali, quod & honeſtè & utiliter, & interdum citra majorem difficultatem poterat tolerari. Denique, vir fortis libenter verſatur in periculis neceſſariis: at ἀνδρόγυνος, etiam, cum nulla ingruit neceſſitas, in mediam proruit mortem. Verumenimvero, paulò plenius hoc negotium adhuc eſt excutiendum, & quæſtio hæc accuratiſſimè eſt reſtringenda, nam in caſibus moralibus, ſeu conſcientiæ, decidendis, non poteſt quis nimis eſſe circumſpectus.

III. Notandum eſt, quod *occiſio ſui ipſius* interdum ſit *directa*, quando quis intendit ſe ipſum de medio tollere, atque ex propriâ intentione ſe interficit; interdum *indirecta*, quando quis non ſe ipſum, ſed alios intendit de medio tollere, ſed dum intentionem interficiendi exequitur, alioſque interficit, in talem rerum ſtatum conjicitur, ut aliorum intenta ac juſte intenta cædes, comitem trahat propriam necem: quæ duo accuratiſſime ſunt diſtinguenda: quin occidere ſemetipſum ex intentione directa, ſit vitium ac vetitum, & non virtus aut fortitudinis effectus, nullum eſt dubium, aut rationibus ſolidiſſimis oſtendi poteſt: ſed, *an occiſio illa indirecta ſui ipſius, quâ quis non tam ſeſe occidit, quam quidem ſe occidi patitur, ſit vetita, ac non licita potius?* non ita facile eſt dictu, præſertim, ſi circumſtantiæ in tali caſu diligenter examinentur. Quid enim? ſi quis pro patria, pro fide, pro religione tali ſeſe exponat periculo, ex quo mors ſua ſit certo, ſed indirecte conſecutura, anne is reus eſt cenſendus ſuæ mortis, præſertim, ſi tali periculo exponere, ſit conſtrictus atque obligatus ex mandato ſuperiorum, quibus obſequium debet, ſacramentum dixit, fidemque adſtrinxit? quemadmodum milites noſtri ſæpe iſtam ſtationem ſumunt, juſſu centurionum ac præfectorum, in qua certò ſibi occumbendum ſciunt, & nautæ noſtrates, quando pulverem pyrium accendunt, injecto in eum igne, atque ita noxam ac necem inferunt hoſti, unde tamen ſua ac propria clades & mors conſequatur. Ego quidem non facilè hos, reos fecero violati præcepti ſexti, de non occidendo: neque inter ἀνδρόγυνος, eos numeravero; contrà pro verè fortibus habuero; neque enim ſeſe directe occidunt aut occidere intendunt; ſed contrà, hoſtem occidunt, eundemque occidere intendunt: quod ipſorum mors & clades conſequatur, per acci-

dens

dens est, & vel cum proprio vitæ periculo, ac præsenti discrimine, tenentur, pro aris & focis, pro patria, ac religione, & libertate, dimicare, & juramento ad id se obstrinxere, quod temerè violandum non est: nam, aut ad id adstringi non debent à magistratu (nullus enim à magistratu adstringi potest ad sui ipsius homicidium directè, multò minus debet) aut, si ad id adstringi possunt atque adstringuntur, etiam juramento interposito, licitum est, ac tenentur ita se gerere, & magistratui obsequium præstare: at Christianus magistratus nihil illicitum præscribet inferioribus, si id prænoviſſe aut præcaviſſe valuit. Quare huc potius recidit casus hujus gravitas: An sit licitum magistratui, sacramento dicto, juramento facto, exigere, ut milites ac nautæ, etiam cum præsenti vitæ periculo certoque discrimine, cladem ac noxam & necem inferant hosti, pugnando pro patria ac religione, etiam, dico, quando sui ipsorum, militum sc. & nautarum, mors sit consecutura certò, sed indirecte tamen: neque enim Magistratus hoc ipsis imponit aut exigit, ut directe se ipsos interficiant; neque si imponeret aut exigeret, ei obedire tenerentur milites ac nautæ: sed an non Magistratui sit licitum, militibus & nautis imponere & exigere id, ex quo illi, interficiendo communem *Dei* hostem ac religionis, ipsi quoque interficiantur. Quod si licitum est Magistratui, id imperare, non peccant milites aut nautæ, qui mandatum licitum exequuntur: quod si non est licitum Magistratui, id imperare, peccat maxime Magistratus, qui rem illicitam subditis mandat: ipsi nautæ ac milites extra reatum sunt, nisi sciant, esse illicitum, quod sibi est demandatum, & quod se executuros promiserunt ac jurarunt. Atque ob hasce rationes, Ego benignius semper de nautis nostratibus navem suam incendentibus, accenso pulvere pyrio, judicium tuli, neque patior, eos pro αὐτοφόνοις censeri ac tales pronuntiari, utcunque nonnulli hîc Theologi, nimium sæpe ad condemnandum proni, aliter judicent: at contrà, quicunque voluntariam sibi mortem conscisscunt, sive proprio ductu, sive impulsu superiorum, sive positive, quemadmodum, qui se jugulant, suspendunt, præcipites dant, in flammas aut aquas tradunt, aut alio quocunque modo, sibi violentas inferant manus; sive negative, cibum non sumendo, non fugiendo manus inimicorum quas fugere possunt ac debent: illi omnes, non fortes sunt, sed molles, timidi, αὐτοφόνοι, αὐτόχειρες, & rei legis naturalis ac moralis violatæ, de non occidendo. Et nulla causa est, tam honesta, tam bona, quæ alicui veniam det directe seipsum occidendi, seu positive, seu negative; neque ulli hîc prætextus juvant eos, qui putant esse licitam sui ipsius internecionem, ut mala magna evitentur, ignominia, servitus, inopia, morbus, dolor, aut ut magna bona acquirantur, ut v.c pudicitia sarta tecta conservetur, ut virtus, ut religio, ut patria defendatur, ut vita proximi conservetur; hi sciant, nunquam esse facienda cuiquam mala, ut bona consequantur, aut alia minora mala evitentur; neque unquam malum turpe esse committendum, ut evitetur malum triste. Itaque reos pronuntiamus, *Catonem*, *Zenonem*, *Cleanthem*, *Lucretiam*, & alios, inter gentiles, αὐτοφόνους. Qui licitam putant αὐτοφονίαν, ut peccatum aliquodimminens, vel proprium, vel alienum, præcaveatur, aut, quando instituitur ex vindicta propter peccata admissa, ii sciant, non esse unumquemque statutum idoneum judicem, ad tale quid de se, vel in sui, vel in alterius gratiam, statuendum. Sed rationibus sententiam nostram probemus.

IV. § 1. Nulla lex, neque divina, neque humana, patitur hominem occidi indemnatum aut innocentem: atqui quicunque seipsum directe occidit, ille occidit aliquem hominem indemnatum & innocentem. E. Nam, vel est nocens, vel innocens, qui se interficit: si innocens, peccat, agitque contra rationem rectam, qui semetipsum innocentem de medio tollit; si nocens, non est hoc hominis privati, sed magistratus & personæ publicæ, nocentem è medio tollere; ac damnandus est primum nocens, antequam morti tradatur: at qui se interimit, indemnatum morti tradit. E. § 2. Occidere seipsum directe, est contra naturalem inclinationem hominis: nam uni-

cuique insitum est à natura, ut se, vitam, valetudinem, ac corpus tueatur; sed facere aliquid contra naturalem inclinationem, est peccatum. E § 3. Unusquisque pars est & membrum Reipublicæ, ideoque, qui sese interimit, Rempublicam aliqua parte & membro privat, ac destituit: at, qui hoc facit, Reipublicæ injuriam facit, ut docet *Aristoteles lib. Eth. 5. Cap. ult.* Denique, qui se interficit, peccat adversus *Dei* authoritatem, qui solus est dominus vitæ & mortis; nam, ut non sumus domini vitæ aliorum, ita nec potestatem accepimus nostræ; quam, ut ex arbitrio nostro non assumsimus, ita nec pro arbitrio eam deponere licet; peccat contra Dei bonitatem, quod vitam, tantum Dei beneficium, contemnat: peccat in Dei providentiam, quod ordinem à Deo constitutum, turbet: peccat adversus charitatem, quâ non minus se, quam proximum, tenetur in vitâ conservare. Alias & plures rationes adducit *Augustinus de civitate Dei lib.* 1. *Cap.* 20, 26, & *alibi.* Sicuti vero ob nullam causam, licitum est homini, seipsum directè occidere; ita variæ possunt esse causæ, cur aliquis indirecte sit suæ mortis causa, patiendo se occidi, ut alterius vitam servet, patriæ salutem tueatur, religionem & veritatem Christianam suo sanguine confirmet; qui actus sunt Heroum, vere fortium. Atque hoc nomine commendandi veniunt, præclari Christianæ religionis Martyres, qui ἀυτοφόνοι non sunt, neque directe aut active se interfecerunt, sed indirecte ac passive, interfici sese, sunt perpessi.

V. Quæritur secundo. *An fortes sint illi, qui alios ad duella provocant, qui provocati ineunt, & manus utrinque conserunt?* *Casuistæ* simpliciter sic proponunt, *An Duellum sit licitum?* quod si ad aliquam veræ fortitudinis speciem pertineat, est licitum: sin minus, non est licitum. Per *Duellum* intelligitur pugna duorum, verùm non quælibet, sed ea, quæ ex pacto ac conducto suscipitur, sponte, sine necessitate, ac conjuncta est cum periculo, vel occisionis, vel mutilationis: nam quando unus cum uno congreditur ex necessitate, ut si quis invasus cogatur congredi cum invasore, ut vitam suam tueatur, is congressus & pugna, Duellum dici nequit. Porrò, *Duellum* est, vel *publicum*, vel *privatum: publicum*, quod ex Magistratus vel imperio vel permissione instituitur? *privatum*, quod à singularibus personis inter sese committitur. Quæritur, *An omnia ista Duella sint vetita, an quædam, an omnia sint licita?* primum de *privato*, tum de *publico* decidemus Duello. Resp. ego. Privatum Duellum, nec ex parte provocantis, nec ex parte acceptantis est licitum, & neuter fortis est, nec qui provocat, nec qui provocatus se sistit Non esse fortes, privatos illos & singulares homines, qui Duello congrediuntur, ex sequentibus liquet rationibus.

VI. § 1. Quicunque ex irâ, ex furore, ex vindictæ cupiditate, se & adversarium, in præsens adducit discrimen ac sine ulla causa, is non est proprie fortis. Sed qui Duello congrediuntur privati ac singulares homines, ista agunt. Ergo. §. 2. Temerarii & audaces non sunt fortes. Qui Monomachiam instituunt aut Duellum ineunt, sunt temerarii & audaces. E Prob. Min. Quia non rectam sequuntur rationem, ad cujus monita jam obsurduerunt, non leges sequuntur publicas, quæ Duellum condemnant, non authoritatem sequuntur Magistratus, qui frequentibus edictis Duella prohibet. At tales, temerarii sunt, audaces sunt. §. 3. Qui pericula adeunt non necessaria, non sunt vere fortes. Sed Duellatores adeunt pericula non necessaria. E. Prob. Maj. Nam, viri fortis officium est, non temere cuilibet se exponere periculo, sed necessaria pericula non detrectare. §. 4 In quibus nullum est affectuum moderamen, non est in iis vera fortitudo. At in congredientibus Duello, nullum est affectuum moderamen. E prob. Min. Quia immoderatissimè faciunt omnia, sive affectum animi, sive gestus & conatus corporis, sive rerum & personarum circumstantias, quis spectet. Spectate mihi provocantis & provocati utrimque iracundiam, pallorem, tremorem, furorem, rabiem, maledicta, convitia, execrationes, blasphemias; plagas, ictus, vulnera, denique cædem, quid in iis est moderati? quis non potius affectuum excessus? 5. Finis fortitudinis, ut & virtutis omnis, est honestas. Duellatores, honestum ne pili qui-

quidem faciunt; sed vindictam pro fine habent, etiam ignominiosam, loco honestatis. Hæ rationes sunt contra Duellum privatum, nunc prætextus videamus, quibus se muniunt, qui, aut ipsi Duello congrediuntur, aut aliis id licere, existimant.

VII. Ajunt 1. *Duellum esse medium idoneum ostendendi vires & audaciam: sic enim periculum fit uter duorum pugilum sit prævaliturus?* Resp. non est justa illa causa, ob quam in periculum vitæ quis adducatur, ut vires tantum ostendat suas & audaciam. Quis non videt eam rationem nullius esse valoris? ajunt 2. *Duellum esse medium idoneum defendendi honorem, & vitandi ignominiam.* Sed & hæc injusta & iniqua Duelli causa est. Quasi verò aliquid de honore decedat, aut ignominia accedat, ei, qui Duellum inire detrectat, provocatus; pertinacissima quidem, sed contra sanam omnem rationem, est persuasio multorum, quod animi sit degeneris & ignavi, detrectare pugnam, & quod ejus, qui provocatur, nec se sistit, periclitetur fama ac nominis decus. At verò longè nos judicamus aliter: quid? hoccine esse animi degeneris & abjecti, dicemus, hoccine honori & existimationi obesse, si quis legibus, & magistratui pareat, si quis ex rectæ rationis præscripto agat? at sic facit, qui lacessitus ac provocatus, Duellum detractat. Pugnā recusant boni, non timore perculsi, sed legum observantia permoti, quod apud viros bonos & cordatos, honori est omnibus, nemini dehonestamento: neque curandum est, quid hominum vulgus sentiat, illud temeritatem sæpe habet, pro fortitudine, prudentem cessationem pro ignavia, veram gloriam, pro ignominia. Ajunt 3. *Duellum esse, medium idoneum ad bonorum temporalium defensionem: si cui enim ab alio lis moveatur de bonis temporalibus, ea dirimi potest, si ex consensu mutuo descendant in Monomachiam.* Resp. injusta & iniqua est vitæ nostræ & alienæ, cum bonis temporalibus commutatio, nec illa ratio terminandi litem de meo & tuo, per Duellum à Deo est præscripta, nec à Magistratu instituta: quare prætextus est, & mera phrophasis, hæc bonorum temporalium defensio, pro causa Duelli. Ajunt 4. *Duella facere ad voluptatem spectaculi, quomodo olim apud Romanos in publicum educebantur gladiatores, qui coram populo mutuis sese vulneribus perfodiebant.* Resp. *Nocet emta dolore voluptas*: emitur enim ista voluptas dolore, imo morte sæpe pugnantium; at, quæ est cruenta ista voluptas, ut ob eam in discrimen vitæ abeant duo, qui confligunt, & tam peccatur ab iis, quibus volupe est, tam cruentem spectaculum spectare, quam ab iis, qui illud, dum Duello congrediuntur, exhibent. Illa Romanorum Duella, voluptatis ergò instituta, ac cruenta spectacula, jam diu à Magistratu Christiano sunt abolita. Ajunt 5. *Duellum, esse præsens remedium vindictæ capiendæ; quando nempe aliquis exceptus contumeliose, Duello provocat alterum, facile est, ut se ulciscatur.* Resp. illa vindicandi & ulciscendi ratio est indigna Christiano: neque conceditur, sed prohibetur privatis vindicta; quis judicem fecit aliquem in propria causa; hic obtinet illud; *lacessitus, ne iterum lacessas*: &, *Dei est vindicta*, publicique Magistratus, non privatæ personæ.

EXERCITATIONUM ETHICARUM TRIGESIMA-SEXTA, DE DUELLO.

THESIS I.

EXercit. *præced. Casus quosdam* circa *Fortitudinem* movere cœpimus: ac quæsivimus, 1. *An homicidium sui ipsius sit licitum?* seu, *an αὐτοφόνοι sint fortes.* 2. *An duellum sit licitum?* seu, *An, qui duello congrediuntur, sint fortes?* utrumque hoc negavimus: prius absolutè, posterius, si intelligatur duellum privatum. Varios duelli privati prætextus removimus, docuimusque, nec ob honoris recuperationem, nec ob bonorum temporalium defensionem, nec ob vindictæ cupiditatem, nec ob ostentationem virium, nec ob aliorum in aliis hominibus oblectationem, duella esse licita: &, quicunque tandem prætextus prætenduntur, nullus talis est, qui duellum privatum possit reddere licitum. Sed, *quod si Magistratus duellum privatum demandet ac jubeat, idque ob finem bonum*, v. c. *ad probationem veritatis, ad purgationem criminis, aut simili de causa? quid dicendum de tali casu, anno tum quidem est licitum duellum?* Resp. Non esse: itaque dicimus expressè, cum crimen aliquod est commissum ab uno in alium, cum injuria alicui ab altero est irrogata, & uter fecerit, non constat, neque veritas per testes, nec per tabulas, nec per ulla signa, indagari potest, non tamen licitum est, id tum tentare per duellum, quasi ille sit criminis reus & injuriam fecerit, qui fuerit, victus, & victor, innocens: & ratio est, quia fieri potest, ut victus, & qui in duello succumbit, sit innocens, & victor, ac qui superat, sit nocens, criminisque atque injuriæ factæ reus, utrique peccant in Deum, eumque tentant, &, qui duellum ineunt, homines privati. &, qui jubent Magistratus, cum criminis purgationem, aut veritatis probationem duellis committunt: quid enim aliud faciunt, quam ut sorti committant, aut morti exponant, innocentis (alter enim innocens est) vitam ac valetudinem; hoc enim duello, signum quasi petitur à Deo, imo præscribitur, quo innocentiam ac jus alterius declaret; quod profectò est, tentare Deum Fateor, multum olim, huic, probandæ veritatis, purgandique criminis, rationi, fuisse tributum, eamque fuisse usitatam antiquitus: sed enim indigna est hæc agendi ratio moribus Christianis, & contra sacras litteras ac rectam rationem. Legitima media inquirendi veritatem, & purgandi quempiam à crimine dubio, in sacris litteris proponuntur, vel testimonia duorum aut trium, vel tabulæ sive chirographa, vel publica confessio, vel juramentum. Quod si Magistratus nihil possit expiscari aut rescisere per hæc media, præstat absolvere reum, & rem occultam Deo commendare, quam ut dubio duelli eventu eam exploret: & rationi rectæ contrarium est, sic agere: nam profectò temerarium est, ne dicam stultum, petere veritatis dubiæ testimonium ab eâ re, quæ testificari veritatem nullo modo potest: qui enim vincit, fortiorem quidem se esse adversario suo ostendit, sed non eo ipso se justum aut verum, adversarium vero injustum aut falsum, esse demonstrat: victoria, fortitudinis & roboris, non veritatis, non justitiæ est argumentum: nec Deus unquam pollicitus est, se duello patefacturum mendaces & perfidos. Quare, cum hoc medium purgandi criminis, aut probandæ veritatis per duellum, nec sacris litteris conveniat, nec rationi sit consentaneum, nec à Deo institutum, illud, ut illegitimum, censemus ac pronuncia-

ciamus, atque annumeramus temerariis sortibus, quarum exitus incerti sunt ac fortuiti, nisi Deus adhiberi eas voluerit aut permiserit. Neque valet *Exceptio, quod in aliis casibus sortes adhibeantur*, E. Nam, in talibus casibus adhibentur & adhiberi tantum debent, ubi sortes sine uniuscujusque vitæ periculo cadunt: neque in rebus vitam & salutem hominis concernentibus unquam licitè admittuntur aut admitti debent: at quando quis duelli sorte atque eventu crimen aut veritatem indagat, vita & sulus ac valetudo hominis, periculo exponitur. Ergo &c. Adde, divinatorias sortes esse prohibitas, præsertim de vitâ, solas divisorias fuisse permissas, & tantum, ubi necessitas, & pax familiaris, hoc exigebat, aut exigere posset.

II. Sed novus hic fingi potest casus: nempe *Quæritur, si duo sint per judicis sententiam damnati ad mortem, an possit licite Magistratus iis jubere, imo eos cogere, ut duello congrediantur, ac sese mutuo occidant?* vix video, ut ingenuè fatear, quid determinandum sit: ab una parte videtur esse licitum, quia hoc nihil est aliud, quam decernere, ac constituere, ut alter sit minister justitiæ ad occidendum alterum, &, cum uterque sit reus mortis, & ad mortem damnatus, non videtur peccare Magistratus, si alteri in alterum jubeat sic agere: præterea, si potest Magistratus licitè jubere, ut reus mortis fame pereat, quidni, ut pugnet cum altero? nihilominus ab altera parte videtur non esse licitum, saltem non expedire, ut sic fiat à Magistratu, neque enim expedit, ut utrique detur facultas sese tuendi contra alterum & resistendi alteri, præsertim, cum extent ad supplicium mortis sumendum de reo ad id auctorati carnifices aut lictores, similesque humanæ carnis laniones. Quicquid sit, sive licitum sit Magistratui, id jubere, sive non sit, quæri potest ulterius; *An, si jubeat, reus unus alterum licite occidat, & uterque duellum illud licite acceptet atque ingreditur?* Resp. Videtur, id reis esse licitum, quia uterque constituitur, tum minister publicus justitiæ ad occidendum alterum.

III. Sed alius adhuc incidit Casus. *An licitum sit Principi aut Magistratui, quando duo sunt ad mortem condemnati, justè iis duellum mandare ineundum, in eum finem, ut, qui victor occidendo alterum evaserit, vitâ donetur & libertate?* Resp. Id non esse licitum; Neque enim expedit in tali casu, concedere utrique jus & facultatem aggrediendi alterum, & tuendi se contra alterum.

IV. Sed adhuc alius casus dari potest. Quæritur, *An privatus aliquis, qui ad duellum provocatur, prævidens, sese certò interimendum esse, ni si duellum acceptet, tutâ & bonâ conscientiâ possit acceptare duellum & inire?* Resp. Posse, sub hac conditione, si aliud remedium non suppetat vitam suam tuendi, & se à præsenti morte liberandi: si aliud medium evadendi, vel fugâ, vel quocunque modo suppetat, planè est illicitum: at si non sit aliud medium, licitum est, quia unusquisque tenetur tueri vitam suam: est enim illud tum duellum coactum, & non nisi inculpata vitæ propriæ tutela. Sed de duello privato, hæc *hac exercit. & præced.* differuisse sufficiat. Nunc *publicum* inspiciamus, atque, *an hoc sit licitum*, dispiciamus.

V. *Publicum* intelligo *duellum, quod ex Regis, Principis, Magistratus, aut Reipublicæ, imperio, permissione, authoritate, tempore belli initur, ad compendium belli faciendum, inter duos milites utriusque exercitus, aut plures utrimque:* quæritur ergo, *an tale duellum publicum sit licitum, quando ab utroque exercitu, unus contra unum, vel duo contra duos, vel decem contra decem, & pari numero utrimque pugnant, ex Magistratus potestate & authoritate, ad bonum publicum ac pacem communem?* Sunt, qui affirment, *Casuistæ*, sunt, qui negent: qui affirmant, exempla proferunt & rationes pro sententiâ suâ: exempla, tum profana, multa; in sacris, unum: hoc vero est *Davidis*, cum *Goliatho Philistæo* Monomachiam ineuntis, & publicè, ex consensu utriusque exercitus, decertantis. Inter profana exempla antiquissimum est certamen illud singulare, inter tres *Horatios Romanos*, & tres *Curiatios Albanos*, institutum in agro *Albano*, ubi victis *Curiatiis*, vincentibus *Horatiis*, bellum inter *Romanos* & *Albanos* diremtum fuit, ob conditio-

ditionem ante pactam, ut, vel victis his, vel vincentibus aliis, illi, vel victi, vel vincentes, haberentur, quorum causam & partes defenderent. Ad pacem similiter minimo cum sanguine componendam, Imperatorum suorum concessu, & apud alias nationes, varii ex composito ac pacto utriusque exercitus, in arenam ac certamen singulare descenderunt: sic in bello *Neapolitano*, sub *Magno Consalvo*, inter tredecim *Italos* totidemque *Gallos*, dimicatio singularis instituta fuit: itemque in bello *Venetorum* & *Germanorum*, inter *Antonium Mariam Rubeum Italum*, & *Georgium Sonnebergium Germanum*. Hujusmodi sunt inter *Hectorem* & *Ajacem*, inter *Paridem* & *Menelaum*, singulares apud *Homerum* pugnæ, & illa *Turni*, atque *Æneæ*, spectante utroque imperatorum exercitu, apud *Virgilium* concertatio. Neque nostrum seculum, nec nostrum bellum, hisce Exemplis caret. Nota est celebris illa, Anno (nisi memoria me fallit) jubilæo 1600. *sub mœnibus Sylvæ ducis*, prope pagum *Vucht*, viginti duorum *Gallorum*, sub *Heroe Breautæo*, cum viginti duobus *Hispanis*, sub *Leckerbetio*, *Grobbedoncii Sylvæ-ducensis gubernatoris Vice-Præfecto*, pugna & dimicatio, plura Exempla colligere, nihil est necesse, nam exempla non probant. Ergo ad rationes redeamus affirmantium.

VI. Non tantum eum, qui singulari certamine adversus hostem, cum quo publicum est bellum, ex Imperatoris præcipientis jussu aut permittentis venia, propter publicam causam, digladiatur ac dimicat, esse fortem, sed vero perfectissimæ fortitudinis actum exercere, sic probant: ille est veræ, addo, & perfectissimæ fortitudinis actus, qui producitur, ut oportet, cum oportet, & ejus rei gratiæ, cujus gratia eum produci oportet. Sed actus ejus, qui sic pugnat, ut dictum est, est actus omnibus hisce circumstantiis cumulatissime instructus. Ergo est actus veræ & perfectissimæ fortitudinis: probatur minor de circumstantiis singulis: primò, producitur talis actus, boni publici causa: qui finis est honestissimus, & primus. 2. Producitur cum oportet, quia producitur eo tempore, quo res communis, & salus publica, alicujus privati militis aut plurium, ex Imperatoris judicio, periculum exigit ac postulat: possunt enim multa incidere tempora, quibus Imperator recte ac prudenter existimat, è re communi esse, in ejusmodi discrimine ex suis militibus aliquem vel plures committere vel adducere: ut, cum videt, sibi ac suis non satis esse virium ac roboris, ad resistendum hosti, tum enim, ut bellum componatur, rem, inter duos plureſque ex utroque exercitu lectos milites, componendam, compromittit: vel, cum intelligit, hostium provocantium exercitum animosiorem redditum iri, suæ vero aciei milites animum desponsuros, nisi cum provocantibus ad monomachiam deveniri patiatur: vel, cum sperat, facilius sese potiturum victoria, si antè singulari pugnâ aliquem quasi præludere permittat: & aliæ causæ excogitari possunt, cur aliquem, vel aliquos, ex suis, in periculum abire sinat Imperator aut Princeps: Porrò, hic actus producitur, ut oportet; nam producitur ille actus à militibus duello congredientibus, ex jussu aut venia Imperatoris vel Principis, id, vel præcipientis, vel permittentis. Atque hæc quidem tale *duellum publicum* probare videntur.

VII. Alii tamen negant, hoc duellum publicum esse licitum, & negant, veræ fortitudinis actum esse: & rationes hasce proferunt; quia temeritas non consistit cum verâ, nedum perfectissima, fortitudine: at temerarium est, unius hominis aut duorum pluriumve, sed paucorum, vel fidei, vel fortitudini, totam aciem & universum committere exercitum: neque licet in tanti momenti negotio, unde reliquorum omnium salus dependet, quasi sortiri aut sortem ducere; quod fit in tali duello, ubi omnium totiusque exercitus, salus, vita, ac fortuna, uni aleæ jactui, subjicitur, unius, aut duorum, aut paucorum, periculo exponitur: profectè, non videtur satis, vel tutum, vel consultum, salutem Reip. vel tot hominum, tam cæco & dubio eventui, committere: præsertim, cum hic liberationis & agendi modus divino careat mandato, atque ex diffidentia in Deum oriatur: nam metus succumbendi, propter

minus

minus robur & infirmitatem majorem sui exercitus, fide potius ab Imperatore, reliquisque militibus superandus est, quam, ut Imperator jubeat vel permittat, aut miles ineat tale duellum. Deo æque facile est, per paucos, quàm per multos, vincere: &, fides est victoria nostra: qui Deo fidit, facile fit, ut hostes suos, & fortiores ante se cæsos videat.

VIII. Quod Exemplum *Davidis* hîc proferri soleat, qui cum *Goliatho* de summa rei feliciter dimicavit, ad id dicimus, singularia & heroica sanctorum facta non esse trahenda in exemplum, ut hoc factum *Davidis* potius sit admirandum quam imitandum. *David*, inermis juvenis & opilio; sed futurus populi Israëlitici servator, atque in eo erat *Typus Christi*, pugnam istam suscepit cum *Goliatho*, *Typo Diaboli*, peculiari instinctu Spiritus Sancti; quo spiritu ostendant se duci prius, qui duella ista, vel imperent Magistratus, vel suscipiant subditi: nec *David*, humana, vel sua, nixus fuit confidentia, sed solo Dei auxilio fretus: at nostri duellatores, etiam publici, de quibus nunc disserimus, suis virtutibus, robore, fortitudine, nituntur: unde robustissimi ad hoc duellum potissimum deputari ac committi solent. Omnes circumstantiæ pugnæ *Davidicæ* cum *Goliatho*, satis evincunt, illud duellum fuisse extraordinarium, quod non magis ad imitationem trahi potest, quam ejusdem *Davidis* cum urso & leone miraculosa pugna. Protuli argumenta utriusque partis, & affirmantis & negantis, duellum publicum esse licitum: habet utraque suos Authores, & Ethicos & Theologos, defensores: judicium, quod à Deo datum est cuique liberum, & liberum relinquo. Ego negantibus potius accedo, & statuo, animoso exercitui aut Imperatori, non tam nitendum unius aut duorum aut paucorum robore, quam quidem certa Dei, divinique auxilii fiducia.

EXERCITATIONUM ETHICARUM TRIGESIMA-SEPTIMA, DE QUÆSTIONE:

An vim vi repellere liceat, & invasorem occidere?

THESIS I.

ERgo, Duellatores, virorum fortium numero, exemimus: sententiam nostram, edicto publico contra Duella, confirmarunt nuperrime *Ill. status nostri Ordines*. Nunc ad alios circa fortitudinem casus morales descendendum est nobis. Ac jam hac *Exerc.* visum est discutere hanc quæstionem; *An vim vi repellere, adeoque hostem invasorem occidere, viri sit fortis? an id non repugnet fortitudini?* Hoc igitur est, quod quæritur. *An qui vim vi repellit, possit ac debeat dici fortis? atque etiam is, qui vim repellendo, invasorem iniquum occidit? an utrumque hoc sit licitum?* Resp. Neutrum repugnare fortitudini, utrumque esse licitum: quod explicabimus & probabimus, varioque casus utrobique decidemus. Quæstio licet gemina videatur, una tamen est: hic enim est controversiæ status. *An liceat homini privato, adversus vim illatam, ita se tueri, ut, si aliter fieri nequeat, aggressorem occidat?* Resp. licere, quod dum affirmamus, non patrocinamur vindictæ privatæ, quam detestamur, homine-

que Christiano indignam libenter pronunciamus: nam ita sunt hominum plerique, ut facile privatam illam vindictam per se illicitam, pallient atque tegant, necessariæ defensionis pallio: itaque his, diligenter distinguenda est injuria quæcunque, à vi: injuriam nobis illatam pari injuriâ compensare, similemque referre, nullo modo licet: vindicare enim privata maleficia, aut male nobis facta, non est nostrum aut ullius privati, sed superioris, authoritate præditi, aut ipsius Dei, cujus est vindicta: at vim, violentiam, injuriam, quæ infertur vitæ nostræ, tolerare, perferre, patique, non est, nobis aut ulli mandatum, sed contra, eam repellere, & Scripturis, & legi naturæ, & rationi rectæ est consentaneum: quod antequam singulatim ostendamus, sententiam probandam recte prius explicabimus.

II. Non asserimus, injuriam injuriâ propulsandam, aut compensandam: neque enim volumus, ut, qui verbis, & signis, ac factis contumeliosis, excipitur & afficitur, eadem regerat & referat: sed asserimus, vim & violentiam proprie dictam, repellendam vi; sub his conditionibus. 1. quando tam subita est violentia, ut nulla ratione, nec fugiendo, nec cedendo, evadere quis possit. 2. quando invasor est pertinax: ita ut invasor aliquem persequatur, licet alter deprecetur injuriam, & vim, qua afficitur: nam, si, invasor fugit, aut te percutere, aut vim inferre, aut persequi, desistat, sic ut non amplius metuatur, non licet tibi ipsum insequi, aut percutere, aut occidere: quia tum non amplius in vitæ periculo es constitutus. 3. quando manifesta est violentia, ut non possis aliter aut alia ratione defensionis, vitam & corpus tuum tueri ac conservare, nisi referiendo & occidendo. 4. quando magistratus abest, ut hic opitulari non possit, & quando periculum est in mora. 5. quando servatur moderamen inculpatæ tutelæ, id est, cum ea adhibetur moderatio, sine qua injuria aut vis depelli non potest: nam in defensione legitima non licet uti majore vi, quam quæ exigitur & necessaria est ad injuriam arcendam, & vim repellendam: alioquin fieret ista defensio ex propria vindicta, quæ culpanda est, & defensio sic, & ob eam causam facta, est tutela immoderata & culpabilis

III. Ut igitur quis sciat, quando in repellenda vi servet moderamen inculpatæ tutelæ, enumerabo, quænam requirantur ad illud. Tum servatur modus se tuendi sine culpa, id est moderamen inculpatæ tutelæ; cum invasor est injustus, id est, invadit contra justitiam. 2. cum invasus se tuetur & defendit statim, atque eo ipso momento & tempore, quo eum adoritur atque aggreditur invasor, ut ipso congressus atque aggressionis articulo invasus repercutiat, non post aggressionem finitam, non ex intervallo post vim illatam, sic enim non propulsandæ injuriæ, sed ex amore vindictæ fieri videretur: si enim mora intercedit, jam justæ defensionis & tutelæ inculpatæ ac moderatæ nomen amittit, & privatæ ultionis nomen accipit naturamque induit. 3. cum invasus, quamdiu potest se tueri, non occidendo invasorem, eum quoque non occidit: si enim occisio invasoris possit declinari ab invaso, ut tamen se tueatur ac defendat, non debet invasus ad occisionem devenire: nam nihil debet fieri sub specie & titulo defensionis & tutelæ propriæ atque inculpatæ, nisi quod necessarium est ad illum finem: alioquin exceditur modus, & non est moderamen tutelæ inculpatæ, sed immoderata & culpata aut culpabilis sui defensio: atque hinc etiam liquet, non licere invaso, ut repellat vim majori vi, quam est vis invasoris: V. C. si pugnis cæditur invasus, non debet gladio cædentem aggredi, nisi percutientis pugni tam sint magni, ut possint mortem inferre, aut præsens mortis periculum afferre: si invadatur quis ab inermi, non debet se defendere armis: si baculo percutiatur, non debet se defendere cultro, nisi periculum sit præsens, ex ictu baculi, moriendi, quod tamen ex baculi aut pugnorum ictu rarius est metuendum. 4. non debet invasus repercutere, nisi videat & judicet se occidere, si vim non repellat. 5. nunquam debet adesse invaso, scopus, intentio, aut animus se ulciscendi, sed simpliciter ac solummodo sese defendendi. Hisce omnibus positis, licitum esse, ut

quis

quis vim vi repellat, imo ut quis invadentem occidat, servato modulamine inculpatæ tutelæ, nunc porrò, probabimus, non quidem ex sacris (hoc enim interdictum est) sed ex lege naturæ & ratione rectâ.

IV. Hoc est opus legis, inscriptum cordibus omnium mortalium; sicuti nemini est est nocendum, ita proprium corpus & vita, contra vim injustam, sunt defendenda; idque, vel magistratus auxilio, vel, si magistratus adesse non possit, propriâ defensione: quod gemino *Ciceronis*, *maximi* inter *gentiles Scriptoris*, testimonio confirmabimus: unum est, lib. 1. de Offic. *Principio*, inquit, *omni animantium generi à natura tributum est, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videntur.* Alterum est in *oratione pro Milone. Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & natura ipsa feris præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, à vita sua, propulsarent.* Hæc Sapientissimus *Orator.* Et certè ipsa nos docet experientia, quid non pro vitæ conservatione & tutela tentetur ac præstetur ab omni etiam animantium ac viventium genere, quibus omnibus hoc inditum est à natura. Fateor equidem, hanc naturæ legem, in multis hominibus, per & propter corruptionem nativam, vitium contraxisse, & latius extendi quam par est, dum ex naturæ hac lege omnibus insita, de repellenda vi, statim concludunt, privato appetitu & contumacia, absque ullo respectu ad authoritatem publicam, posse unumquemque ulcisci injurias sibi illatas; sed vero illa naturalis hujus legis interpretatio prava emendanda est & corrigenda, ex Dei verbo, & euangelio præsertim, quod non abolet hanc naturæ legem, hanc veritatem Dei, mentibus omnium insitam, sed pravas ejus & perversas explicationes corrigit & emendat, ut justa & vera ejus praxis exerceri possit, qualis correctio & emendatio potissimum reperiri potest, *Matth. 5.* sed præter legem naturæ, ac positivam Dei, etiam lege civili licitum fuisse, ut vis vi repelleretur, ex codice constat, *ad legem Corneliam de Sicariis*, ubi hæc habentur: *Is qui aggressorem, vel quemcunque alium, in dubio vitæ discrimine constitutus, occiderit, nullam, ob id factum, calumniam metuere debet.* Item *si quis percussorem ad se venientem ferro, depulerit, non tenetur crimine homicidii, quia defensor propriæ salutis videtur in nullo peccasse*: & ad *legem Aquiliam*: vim vi repellere, omnes leges, omnia jura, permittunt Unde *Ovidius: Armaque in armatos sumere jura sinunt.* Sic leges 12. Tabularum, nocturnum etiam furem, quia præsupponitur venire animo grassandi, occidere apud Romanos permiserunt. Ex hisce omnibus satis constat, aliquando licere uti vi adversus invasorem, ad eum repellendum, etiam ad occisionem illius usque, etsi per se non intentam, sed quæ sequitur; quia non possumus aliter tueri vitam, quam invasor vult perdere.

V. Asserta ergo defensione propria, videndum ulterius: 1. *an hoc jus tuendi se contra invasorem, sit licitum cuicunque personæ, sive sit ecclesiastica sive secularis, & quocunque loco etiam sacro, & quocunque tempore etiam sacro, & contra quemcunque invasorem, etiamsi fuerit vel pater invasor, vel princeps, vel pastor?* Sunt tam laxi *Casuistæ*, qui contra quemvis invasorem, etiam naturalem parentem, etiam principem, aut summum magistratum, licitam esse sui defensionem existimant. 2. *quænam sint istæ res tanti faciendæ ab unoquoque, ut eas teneatur redimere etiam periculo mortis alienæ, imo & alterius internecione: an solum sit vita propria res tam pretiosa: an vero præter vitam, & honor noster etiam, castitas aut pudicitia nostra, etiam bona nostra temporalia hîc redimi ac conservari & defendi debeant?* Atque hîc difficillimi casus sunt decidendi; nos, qua poterimus prudentia & circumspectione, singula decidemus.

VI. Casus primus. *An cæteris paribus, omnibusque ad justam sui defensionem requisitis, rite rectèque se habentibus, ut propriam mortem evadat, unicuique sit licitum, invasorem occidere, etiam personæ ecclesiasticæ?* Resp. omnino: nam, sive quis sit religiosus, sive secularis, hæc statuum diversitas non eripit homini, cuicunque tandem, jus naturale vitam suam conservandi: hoc enim jus convenit homini, quà homo est simpliciter, non quatenus est in

hoc vel illo statu, religioso vel seculari.

VII. Casus secundus; *An licitum sit, ad defensionem vitæ, invasorem occidere in templo ac loco sacro, si ibi nos adoriatur, nec possimus nos aliter vitam nostram conservare?* Resp. licitum esse: nam jus naturale, nullis alligatur locis, sed ubique locorum, cum necesse est, id conservari atque exerceri debet ac potest: quod adeo verum est, ut, si quis in loco sacro, cum operatur sacris, invadatur à latrone, nec possit fugere, aut alio modo vitæ suæ consulere, ut liceat ipsi, sacra intermittere, & ad defensionem vitæ, etiam in loco sacro, se componere.

VIII. Casus tertius, *An sit licitum, se tueri contra quemvis, eum occidendo, etiam filio contra patrem, uxori contra maritum, servo contra dominum, subdito contra regem aut principem?* Hic casus est difficillimus, neque *Casuistæ* hic idem sentiunt; sunt qui disertè id affirmant, licere contra quoscunque superiores, parentes, dominos, principes, reges, &c. se tueri, eosque, si necesse sit, dum invadunt, occidere: ac sic sentiunt omnes Jesuitæ: exemplo sint eorum primipili, *Lessius*, & *Suarez*. *Lessius* scribit *lib. 2. cap 9 dubit. v. de justitia & jure*, hæc verba: *Defensio sui concessa est, contra quoscunque, etiam superiores, ut monacho contra Abbatem, filio contra parentem, servo contra dominum, vasallo contra principem, & in quocunque officio sit constitutus.* *Suarez* vero contra *regem Angliæ Iacobum* glorioſæ memoriæ. *lib. 6 cap. 4.* ita argumentatur. sunt verba ejus. *Si pro vitâ propria licet occidere regem invadentem, multo magis pro communi bono: itaque, si supponatur Rex actu aggrediens civitatem, ut eam injuste perdat & cives interficiat, tunc licebit ei resistere, etiam occidendo illum, si aliter fieri non possit defensio.* Hæc *Suarez*. Ex quibus *Suarezii* verbis videre est, quam facilem affirmans sententia in hoc negotio viam sternat, reges & principes de medio tollendi, ut hæc eorum decisio, multis occasio fuerit temere occidendi principes & reges, cujus sceleris authores quoque ac patroni hi Patres existunt. Sed vero ego cum iis facio, qui statuunt, non in quemvis violentum invasorem hoc jus se tuendi esse exercendum. De filio saltem contra patrem, aut de uxore contra maritum non facile concessero: imo absolutè negavero; etsi enim pater invadens tyrannicè filium, officium patris non faciat, nondum tamen pater esse definit, quia vinculum illud naturale inter patrem & filium nullo casu rumpitur: & filius semper tenetur honorare parentem, etiam duriorem, etiam tyrannum: qui honor non tantum consistit in verbo & opere, sed & in patientiâ, qua tolerare debet durissima quæque à patre sibi illata, imo mortem ipsam potius, quam mortem inferre ei, à quo vitam accepit. Pariter dicendum est de uxore adversus maritum, propter vinculum illud conjugii indissolubile, qua, quasi unus homo, saltem unum sunt facti, ut sic uxor, occidendo invadentem maritum, ferè quasi se ipsam occidat. Itaque sic censeo; licet quidem parenti aut conjugi resistere injustè invadenti, quantum fieri potest, eo fine, ut impediatur pernicies nostra, & vita defendatur nostra: si tamen evitari non possit malum quodlibet, quod hujus vitæ termino continetur, præstat succumbere & mortem oppetere, quam fieri reum tam nefandi homicidii, quale est aut parentis aut conjugis occisio; &, si violanda alterutra lex est naturæ, honorabis patrem, neque eum occides, ab una parte, vel, unumquodque tenetur se & vitam suam conservare, præstat violari eam, quâ non peccatur, quam eam, qua peccatur, præstat eam violari, qua quis patitur injuriam, quam qua facit: sed qui patrem occidit, peccat & facit injuriam, & quasi duas naturæ leges violat: qui patitur se occidi, non peccat, si aliter non potest, & injuriam patitur, & unam tantum legem violat naturæ. Deinde, si persona invadens sit princeps, rex, aut aliquis ex supremo magistratu, cujus vita sit admodum utilis Reipub. & is, qui invaditur, non sit adeo utilis Reipub. tenetur hic mortem potius perpeti, quam vitam suam tueri, auferendo vitam principi, vel regi: quia bonum commune est præferendum particulari, publicum privato: atqui princeps, rex, aut supremus magistratus, dum vivit, eorum vita est bonum commune & publicum: at vero vita hominis vulgaris est bonum privatum

& par-

& particulare. Ergo &c. Ex interitu principis, regis, aut ſupremi magiſtratus, ſic facto, ingens poteſt oriri reipub. damnum, ſeditio, bellum civile, turbæ aliæ: an non præſtat mortem pati injuſtam ab invaſore rege, principe, aut magiſtratu ſupremo, capitibus unctis, quam ſui defenſione occaſionem præbere tot turbis & bellis civilibus, aliiſque calamitatibus, quæ ſæpe conſequuntur. De domino & ſervo aliter pronuntio, quia dominus, nec pater eſt ſervi, nec princeps, & uterque privatus eſt; ſic enim pono: nam ſi dominus idem eſt, qui rex & princeps, ex prioris caſus deciſione agendum exiſtimo.

EXERCITATIONUM ETHICARUM TRIGESIMA-OCTAVA,

DE

Quæſtione: ob quas res & cauſas liceat invaſorem occidere?

THESIS I.

DUos propoſuimus *Exercit. præced.* caſus decidendos. Unus eſt, *an ſit licitum ſe tueri contra quemvis, eum occidendo, etiam filio contra patrem, uxori contra maritum, ſubdito contra principem, ſervo contra dominum*? alter, *Quænam res ſint tam pretioſæ, tam dignæ, ut ob eas ſervandas liceat, invaſori ſtudenti illa eripere, mortem inferre ac de medio tollere*? priorem caſum decidimus, poſterior nunc decidendus venit. *Quænam iſtæ ſint tanti valoris ac pretii ut ob eorum retentionem ac conſervationem liceat eripientem occidere*, per claſſes ac ſeriatim eſt pronuntiandum.

II §. 1. *Vitæ propriæ defenſionem, juſtiſſimam hic eſſe cauſam*, extra omne dubium poſitum eſt ab omnibus *Caſuiſtis*: nihil quippe collatum eſt nobis pretioſius vita noſtra, quam ſi quis ſtudeat eripere nobis, ſi eam aliter tutari non valeamus, quam eripientem occidendo, ejus tutela, cum invaſoris morte, inſtituta, omnino eſt licita; namque hoc legi naturæ eſt congruentiſſimum. *Sed quæritur, an id etiam liceat pro vita parentis, filii, amici, proximi*? Reſp. cum *Caſuiſtis*, ſi non omnibus, fortaſſe pleriſque ſaltem ac nobilioribus; nobis eſſe licitum: ſi enim licet vitam propriam ponere pro amico ac proximo, pro patre, pro filio, licet quoque eorum vitam defendere adverſus vim & hoſtilem impetum invaſoris; non minus, quam ſi noſtram ipſorum vitam defenderemus; & ſi aliter defendi nequeat, niſi invadentem occidendo, & hoc licitum pronuntiamus: nam tenemur diligere proximum ſicut nos ipſos: atqui noſtram propriam vitam tueri licet etiam cum occiſione invaſoris, ſervato ſemper moderamine inculpatæ tutelæ, ut ante probavimus, Ergo & ſic licet tueri vitam proximi, in eodem caſu. Sed *excipiat* hic aliquis, *antecedens illud non videri verum, quod liceat vitam ponere pro proximo, ex quo conſequens deduximus: nam charitas incipit à ſe, à nobis: & tenemur magis diligere vitam propriam, eamque conſervare, quam vitam propriam amittendo, conſervare alienam.* Reſp. 1. Contra eſt illud *Servatoris* in *Evangelio Ioh. 16. Majorem dilectionem hac nemo habuit, quam ut vitam ſuam ponat pro amicis ſuis.* 2. Etſi is, qui vitam propriam ponit pro amico, magis diligat alios quam ſe, reſpectu hujus vitæ corporalis, non tam id eſt contra legem naturæ aut moralem, jubentem, proximum diligere uti noſ-

nosmetipsos, quia ordo charitatis & dilectionis hoc exigit, ut bona gratiæ & salutis, ut virtutes aliasque dotes salutiferas, prius velimus nobis quam proximo, non tamen exigit, ut cætera bona, vel vitæ corporalis, vel honoris ac famæ, vel opum temporalium, prius velimus nobis, quam proximo. Sed *excipiat* quis porro; *tam ille qui invadit, quem occidis, quam invasus, cujus vitam conservas, priorem occidendo, est proximus. E. tam parum licet vitam priori eripere, quam posteriori servare.* Resp. est quidem uterque proximus; sed hîc etiam in proximitate, ut sic loquar, sui sunt gradus: prior proximus est, sed nocens; alter proximus, sed innocens: potior est ratio proximi innocentis, quam alterius nocentis. Sed videndum an alia etiam præter vitam, seu propriam, seu proximi, sint digna, quæ à nobis conserventur, etiam cum damno vitæ alienæ.

III. Quæritur Ergo 2. *An honor proprius redimi, si lædatur, vel recuperari vel defendi debeat, tali modo, cum occisione proximi, honorem nostrum lædentis vel minuentis?* Resp. quamvis honor præstantissimus sit hominis thesaurus, imo aliquando ipsa vita charior esse possit, non tamen dixerim, pro defensione honoris proprii, licitum esse, occidere proximum: nam differunt multum honor & vita: & levior est jactura honoris, quam vitæ; nam honor amissus recuperari potest, vita non item: sed, *an nunquam id licet, ne tum quidem, quando honor est ejusdem cum vita dignitatis, & æque ac vita recuperari nequit, ut est honor pudicitiæ ac castitatis, cum ille violatur?* Resp. est alius tum casus, & tum videtur licitum: sed ut distincte casum hunc decidamus, paulò plenius excuti debet. Potest honor hominis violari, vel verbis, vel factis. Verbis quidem, per contumeliam, convitia, calumnias: factis, per vim & injuriam illatam corpori; idque multis modis, cum alicujus invaditur pudicitia, cum viro honorato etiam in publico aut alibi impingitur alapa, &c. Injuria facta verbis contumeliosis, convitiis, vel calumniis vindicari non debet per cædem proximi; nam hujusmodi contumeliæ aliter repelli possunt, & vindicari debent, per magistratum: itaque peccant omnino, qui ad contumelioſum verbum (*tu mentiris*) statim cultrum strigunt aut gladium, & proximum, vel occidunt, aut lædunt: nam talio privata non est licita, nedum, ut pro verbis verbera retalientur, aut ut pro verbo contumelioſo reponatur ac referatur corporis alieni mutilatio aut mors alterius: imò, licet alapa alicui impingatur, quin si id quoque fiat in publico, non tamen hæc injuria illata corpori atque honori reipsa ac facto, sufficiens est causa proximum repercutiendi, nedum occidendi: nam vindicta omnis privata est illicita, ob quamcunque contumeliam ulisscendam instituatur: & hîc, pati præstantius est quam agere, & cogitandum illud, ni fallor, *Socratis*, cum percussus non referiret, dictum. Quid, inquit, *si asinus me ungula feriat, an referiendus foret?* aliter hic sentiunt *Iesuitæ*, laxi omnino *Casuistæ*, &, qui nobiles ac generosi solent vocari in hoc mundo; statuunt Jesuitæ, viro nobili, generoso, atque alicujus notæ, si percutiatur alapa, fuste, verbere, quia hoc valde ignominioſum est, præsertim in publico, esse licitum, non tantum simili injuria afficere percutientem, sed & occidere: imo existimant, eam injuriam tantum esse vindicandam cæde percutientis, non alio modo: nam alapa, fuste, verbere, viciſſim excipere percutientem, longe infra nobilitatem & dignitatem viri generosi ac nobilis esse, ajunt: imo asserunt, viro nobili, si videat, injuriam aliquam sibi jam inferendam aut inferri, etiam si fugere possit, non tamen esse fugiendum, quia ista fuga ei in dedecus & ignominiam cederet, sed contrà, eum, qui injuriam infert, licitè à viro nobili ac generoso occidendum: atque sic fovent vanitatem nobilium hujus mundi, qui quidvis posthabent, etiam vitam proximi, suo honori.

IV. Nos aliter judicamus, & istam honoris defensionem aut recuperationem, factam cæde proximi, plane esse illicitam quocunque etiam prætextu, pronuntiamus, ob hasce rationes. 1. honor iste est res vana, pendetque ex vanorum hominum opinione, neque tanti est aut esse debet ulli, ut redimatur, recuperetur, conservetur vitâ proximi; imo barbarum est,

imma-

immane est, vitam proximi posthabere nostro honori, famam nostram præferre vitæ proximi. Si lædatur honor noster, aliis modis & mediis defendi potest, per mortem saltem & cædem detractoris recuperari non potest. An igitur, qui alapa, aut fuste percussus est, si percutientem occidat, eo sibi honorem suum recuperabit? an non majorem reportasset honorem, si colaphum illum, aut verbera, aut id genus injuriam generoso contemtu sprevisset? hoc verè est fortis, & generosi, animum gerere tam excelsum, qui supra omnes injurias sit, qui etiam, cum inferuntur, iis non afficitur & læditur. Si hæc adversæ partis sententia obtineat, annon apta sternitur cædibus via? hoc fundamento semel posito, ut infamia, quæ talis non est ex verâ causâ, sed ex falsâ hominum opinione esse videtur, sufficiat ad proximum de vita tollendum: nihil offensionis unquam quis accipiet ab alio, quin ad honoris quasi defensionem, statim deventurus sit ad proximum occidendum, sanguinemque ejus fundendum: itanè verò licebit vitam eripere, quæ reparari nequit, ei, qui honorem nostrum nobis eripuit, qui reparari potest? quæ est via proclivior grassandi in vitam proximi, & cædibus omnia permiscendi? avertat Deus à conscientiis nostris tam laxos *Casuistas*. Fateor, viro honesto grave esse, honoris pati damnum ac periculum, nunquam tamen, si prudens sit, illum suum honorem, redemtum velit vita alterius. Sed vero, *quid si honor pudicitiæ nostræ ac castitatis, periculum incurrat violationis*? hic aliter pronuntiamus. Existimamus, puellæ, pro tuenda corporis sui integritate & castitate, licitum esse, ut aggressorem occidat, si, nec clamando, nec compellando alium, se tueri valeat ac pudicitiam suam: quia pudicitiæ invasor vim infert talem tamque atrocem, ut jure videatur morti adæquari, præsertim cum castitas læsa recuperari nequeat, non magis quam vita: deinde, periculum est consensus & peccati in virgine, si non omnia adhibeat media, etiam extrema ad castitatem servandam, imo facile est saltem, ut in suspicionem veniat talis consensus, si non omnia etiam extrema tentet. Sed, *an idem licet pro defensione pudicitiæ alienæ, quando videmus ei vim inferri*? Resp. si pudicitia & vita pari passu ambulent, quandoquidem licet pro vita aliena, quidni id & liceat pro defensione pudicitiæ alienæ?

V. Sed videndum est, *an etiam bona nostra temporalia debeant conservari, si aliter non possint, cum occisione auferentis aut eripientis*? profecto, non satis facile est hoc decidere: sunt, qui affirment, sunt, qui negent, & quæstio est, *non, an hoc liceat noctu, quando non potest quis decernere, an quis veniat furandi, an occidendi gratia*, nam *tum licere* ante probavimus, *sed insuper, an hoc liceat de die, quando hoc discrimen haberi potest ac videri?* Qui affirmant; sic sententiam suam explicant ac probant. 1. quando, inquiunt, bona temporalia ita sunt necessaria, ut sine iis vita corporalis conservari nequeat, licebit occidere invasorem ac furem, pro defensione rerum suarum, quia, hoc est, tueri vitam suam propriam: præterea tum quoque, si de die se, telo defendat fur, & eo petat possessorem; dum sua bona studet defendere, ne fur auferat: nam in tali casu miscetur periculum personæ cum periculo rei familiaris. 2. quando res & bona non sunt tanti momenti, quin vita possit commodè conservari sine iis, tunc revera non licet occidere auferentem: certè non licet proximo vitam eripere ob parvum detrimentum rerum nostrarum. Hæc sententia affirmantium, hactenus non videtur esse aliena à ratione: quidam ulterius abeunt & statuunt, sed pro defendendis bonis propriis, quando sunt tanti momenti, ut quis non possit satis honestè & commodè sine iis vivere, licitum esse, si aliter servari nequeant, auferentem occidere, quia alioquin, inquiunt, daretur occasio furibus, viros probos & honestos, bonis suis spoliandi: & foverentur satis clarè hominum injustitiæ: quippe nihil foret tutum, si defensio necessaria non possit opponi: concessa autem bonorum nostrorum defensione necessaria, & conceditur occisio, quia bona nostra sæpe defendi nequeunt, sine auferentis & furantis occisione. Hæc ratiocinatio plausibilis est, namque habet probabilitatem: nos tamen aliter judicamus, ac pronuntiamus,

mus, quia non est satis tutum, ut unusquisque hic relinquatur ac instituatur judex & arbiter in æstimando momento, & pretio, & valore rerum suarum ac bonorum, an sine iis honestè ac commodè vivere nequeat: sæpe judicabit bona, quæ ei eripiuntur, esse talia, ut sine iis honeste ac commodè vivere nequeat, & tum ut ea servet, si licitum sit ei servare illa etiam cum occisione proximi, facile impetrabit à se, ut furantem occidat, cum tamen bona possint alterius judicio esse talia, imo fortè ipsius possessoris judicio, si bene rem examinet, ut sine iis commodè & honestè vitam transigere valeat. Nam sæpissime res in se leves, nec multum necessariæ, habentur à possessoribus pro rebus gravibus & maximi ponderis, præsertim additâ clausulâ honestatis, quæ valdè latè patet: si enim licet, furem occidere, quia aufert ea, sine quibus honeste vivere nos non posse, judicamus; fortè, quia pallium aut pileum aufert, occidi ab aliquo posset, quia sine pallio aut pileo quis honeste vivere non potest: ita ut hoc judicium de honestate & commoditate vivendi per hæc aut illa bona, mihi non videatur satis gravis & solida esse causa, quæ possit facere licitam defensionem bonorum temporalium cum occisione proximi, quando ille aufert ista, sine quibus honeste aut commodè vivere quis se non posse judicat: quin plus dicam; imo hoc ipsum judicium de bonis, sine quibus vivere non possemus, satis difficile est: nam sæpe existimamus hæc aut illa bona absolutè nobis ad vitæ conservationem & sustentationem esse necessaria, quibus tamen si careremus, nihilominus possemus esse superstites: at ne tum quidem ob ereptionem talium bonorum fur occidendus foret: & poterit *Deus* statim prospicere nobis de bonis aliis ad vitam tuendam necessariis. Quare, si fur de die furatum veniat, & non aggrediatur possessorem telo vel armis, cum fur diurnus occidi non debeat, nescio an prætextus, non dicam honestatis & commoditatis, sed & necessitatis, sufficiat ad bonorum defensionem per occisionem proximi: certè mihi videtur esse & mitior & securior negantium sententia: vitam sc. non esse auferendam furi simplici, qui non simul aggreditur armis ob nostra bona, sive ad esse sive ad bene esse necessaria. 1. quia omnia bona recuperari possunt, vita erepta recuperari nequit. 2. quia difficulter judicari potest de bonorum necessitate; an simpliciter, an secundum quid, ad honeste vivendum sint necessaria? nec sequitur, quod inferebatur, *Viros bonos & honestos fore obnoxios latrociniis & spoliationi*, quia ordo publicus superiorum & magistratus cohibere valent & debent fures, ne impunè grassentur in bona aliorum: & eorum injustitia legibus & pœnis publicis potius est coercenda, quam ut ipsorum morte privata & occisione sit compensanda: occisio furis simplicis à privato possessore facta, nimia est talio pro ereptis bonis temporalibus. Quod si non liceat occidere furem de die, non adorientem telo, ob ereptionem bonorum nostrorum eorumque defensionem, multo id minùs licet ob ereptionem bonorum alterius, eorumque defensionem: atque hæc de hac quæstione sufficerint.

EXER-

EXERCITATIONUM ETHICARUM TRIGESIMA-NONA,

Quæ est prima.

DE

BELLO.

THESIS I.

CIrca fortitudinem tres excussimus quæstiones, 1. An fortes sint dicendi, qui violentas sibi inferunt manus. 2. An fortes sint, qui Duello congrediuntur? 3. An fortis sit, qui hostem invasorem occidit, & qua de causa hoc liceat? Nunc 4. Quærimus, an fortes sint qui bellum gerunt? seu, an bellare sit licitum? nos affirmamus & probamus, non scripturæ locis, quod relinquimus Theologis, sed ratione.

II. Hoc modo. 1. quod convenit cum lege naturæ & recta ratione, hoc est licitum: sed bellum gerere &c. Ergo. Minor probatur ex iis, quæ ante disputavimus. Si privatus ex lege naturæ & congruenter rationi rectæ potest manifestam vim à se repellere, vitam ac corpus suum tueri, multo magis potest magistratus, personam publicam gerens, & gladium, divinitus sibi datum, portans, manifestam violentiam repellere à suis subditis, eorum vitam, fortunas, & corpora, tueri, ut conatibus & injuriis hostium obsistat, qui religionem & regionem eversam cupiunt, & publicum bonum, cujus cura magistratui incumbit, penitus sublatum expetunt. Sed verum est prius, ut ante probavimus Ergo & posterius. prob conseq Majoris. Quia par hic omnino est ratio, imo major in Magistratu quam in privato, & major est ratio circa tutelam salutis publicæ quam privatæ. Hæc certè consequentia valet. Si privata vitæ corporisque defensio jure naturæ permissa est & rectæ rationi non adversa; & Magistratui subditorum ac Reip. defensio jure naturæ est concessa nec rectæ rationi adversa. At verum prius. Ergo. Si paterfamilias in ædium oppugnatione se, familiam ac suos defendere & vim sibi illatam propulsare jure naturæ potest, & Magistratus in hostili invasione facta Reip. potest jure naturæ subditos defendere & vim repellere: neque est hîc ulla disparitas, sed argumentum potius à minori ad majus: Si privata vitæ tutela est licita, & publica salutis defensio erit. Addo, si Magistratus potest privatam sumere vindictam de aliquo subditorum, qui alterum læsit, eum puniendo, multo magis poterit publicam sumere de hoste, qui Remp. lædit, eum puniendo: est enim bellum publica de hoste vindicta. Hoc argumentum desumptum à jure naturæ, cui bellum gerere est congruum, tam est solidum, ut nullam patiatur contradictionem: Qui hic excipiunt: *sub euangelio jus belli fuisse abolitum, quod sub lege morali in Veteri fœdere fuit permissum*; illi probent prius, Euangelio aboleri legem naturæ, quæ immutabilis est & aboleri nequit. Ergo nec jus belli, quod legi naturæ est congruum, aboleri potest. Ut Euangelium usum solis, lunæ, aeris, aquæ, & aliorum ad hanc vitam necessariorum nobis non interdicit, sic nec prohibet, quo minus agamus & vivamus ex jure naturæ: at cum Magistratus bellum gerit pro salute totius Reip. vivitur & agitur ab eo ex lege naturæ. Notanter vero dico, *Magistratui esse bellum gerendum*, ei enim hoc jus tantum convenit, quia ei gladius est concessus, *non item privatis ac subditis*: itaque subdito arma non sunt capienda, nisi jussu & ex imperio Magistratus,

qui, si jubeat & imperet ob publicæ injuriæ & hostilitatis propulsionem, subditis id permissum est, imo tenentur.

III. Cujus fines atque effectus sunt utiles & necessarii, illud, si per se ac simpliciter malum non sit, improbari non potest. Atqui belli fines etiam nec bellum per se & simpliciter malum est. Ergo. Minor bimembris sic probatur quoad membrum prius. *Fines atque effectus belli sunt.* 1. *Reip. conservatio & salutis, & corporis defensio.* Nihil est in omnibus universi partibus, quod non habet suum hostem, quodque non exerceat cum aliis rebus inimicitias, quas ἀντιπαθείας, vocant Physici, nam, aqua igni, medicamenta venenis, sunt opposita: sic quoque nullum est imperium quod non habet suos hostes, quorum insultibus & conatibus nisi resistatur consilio & armis, funditus illud interire, est necesse: sine bellis Resp. nulla potest firmari, nulla conservari, nulla ab interitu vindicari. 2. *Pacis acquisitio.* Sine bello in pace vivere, pietati & virtuti operam dare, honestati studere, rem familiarem curare, cætera pacis munia obire, non possumus; hunc ergo finem, qui volunt obtinere, bellum simpliciter improbare non possunt. 3. *Hostium repressio.* Nemo audet provocare eum, quem novit esse pronum & expeditum ad sui defensionem: & sic militaria & bellica exercitia exteros etiam hostes reprimunt, ne citra Remp. insurgere audeant. Alterum minoris membrum, *quod bellum per se ac simpliciter malum non sit*, inde probatur: Quia quod nec legi naturæ nec rationi rectæ est adversum, non est per se aut simpliciter malum. Atqui bellum &c., ut primâ ratione est probatum. Ergo. Deinde, quod per se ac simpliciter est malum; illud semper & perpetuo est tale: nam καθ' αὐτὸ, præsupponit τῷ παντὶ, per se, præsupponit de omni. Atqui bellum non semper & perpetuo est malum, quod patet ex sacris ubi & à Deo probatum est, & rationibus variis: nam tunc nunquam esset licitum: at semper est licitum, quando justum: Idem est illicitum & malum, quando est injustum: Nam dum bello hic patrocinamur, & licitum esse, rationibus probamus, ac juri naturæ consentaneum pronunciamus; nemo nos *quodlibet* bellum habere *pro tali* existimet, sed justum tantum, sed legitimum, sed necessarium. Quando belligerandi necessitatem salus Reip. exigit, tunc Magistratus, cui salutis publicæ cura commissa est, arma merito expedit: semper justum est bellum, quibus est necessarium: semper pia sunt arma, quibus nulla nisi in armis, spes vitæ est posita, omnibus aliis rebus justis tentatis & latis. Quando vero aliâ ratione aliisve modis ac mediis, publicæ saluti ac tranquillitati consuli potest, à bellis omnino abstinendum censemus ac pronunciamus: nam temeraria & non necessaria bella, omnia, sunt illicita: Et pax semper bello est melior.

---- *Pax optima rerum,*
Quas homini novisse datum est: pax una triumphis
Innumeris potior. ----

In pace floret religio & pietas, vigent honestæ leges, sua constat authoritas Magistratui, excoluntur literarum studia, administrantur jus & justitia, matrimonio suus tribuitur honos, conservatur liberorum erga parentes obedientia, virginum castitas & pudicitia, juniorum erga seniores reverentia, exercentur securè commercia, strenue opificia, augescunt villæ, incrementum capiunt urbes, ditescunt subditi. Sed in bello omnia contraria eveniunt. Pax ergo simpliciter bello est potior. At, si illa pacis commoda turbentur nobis, nec obtineri amplius possint per vim hostium, bello tanquam necessario medio ad reprimendos hostes, uti licet. Sed speciatim videndum est, *quæ conditiones requirantur, ut bellum sit justum & legitimum*: nam in eo multum est situm, nec tam facile hoc est dictu.

IV. Casuistæ hic in diversa abeunt: nos ad 4. capita reducimus ac revocamus, conditiones belli justi & legitimi: ad causam efficientem, impulsivam, modum, & finem. Oportet igitur, ut bellum sit justum, legitimum, necessarium, licitum. 1. ut is bellum gerat, cui authoritas belli gerendi justè competit. 2. ut justæ sint ac necessariæ causæ impellentes ad bellum suscipiendum. 3. Ut modo debito, justo,

justo, ac legitimo, geratur. 4. ut ob finem legitimum & ex justa intentione suscipiatur ac geratur. Has 4 conditiones belli justi & legitimi, & liciti, plenius nonnihil explicabimus, varioſque casus hic movebimus ac decidemus.

V. Qui bellum est susceptorus vel aggressurus, oportet, eum esse Magistratum, & authoritate suprema munitum: Magistratus authoritatem in bello requiri, constat ex sacris litteris, quæ testantur, Magistratui datum esse gladium & non subditis: Præterea Politici authores, jus gerendi belli ad jura Majestatis referunt, quæ haud dubiè pertinent ad Magistratum: Denique, convocare multitudinem, non pertinet ad privatum, sed ad Magistratum. Atqui in bello gerendo convocantur. Ergo. Si subditi multitudinem convocent, exercitum conscribant, rei sunt læsæ Majestatis, cujus hoc est proprium. Unde, lege Julia, Majestatis tenetur, qui iniussu principis bellum gesserit, delectumve habuerit, aut exercitum comparaverit Hinc multa consequuntur observatu digniſſima. 1. Si inferior oppugnet superiorem, & subditi arma capiant adversus ordinarium Magistratum, non est illud bellum, sed seditio: quia deest subditis Authoritas belli capiundi. 2. Si manus aliqua sceleratorum coëat, sive in terra, latronum, sive in mari, prædonum, & excursiones faciat, &, si duces suos habeant isti scelesti, non tam bellum est, sed latrocinium; Sic, si quis etiam exilio multatus, denunciet publicas vastationes civitati, ex qua est ejectus, non illud bellum est, sed seditio quoque: quia nulli istorum legitima authoritate Magistratus sunt muniti 3. Si fœminæ imperii fasces gerunt, ad illas quoque pertinet jus belli indicendi ac gerendi, quia tum penes illas est jus Magistratus, ad quod pertinet jus gerendi belli: Nec tamen illas in acie consistere, aut in castris versari, expedit, nisi sint viragines ac heroinæ, quales fuere in sacris, Debora, in profanis, Semiramis & Amazones. 4. Authoritas belli suscipiendi est penes quosvis Magistratus superiores, non agnoscentes, sive illi sint Monarchi, sive Aristocratici, sive Democratici: ideoque etiam penes liberas Respublicas, quia superiorem non agnoscunt: at Magistratui inferiori, superiorem agnoscenti, illud jus belli suscipiendi, non est datum, nec debetur. 5 Subditi illi, qui arma capiunt jubente suo Magistratu, & militiam exercent, bene faciunt, justeque suscipiunt bellum: cum enim Magistratus portet gladium sibi divinitus datum, potest eum dare subditis, ut adversus hostes Ecclesiæ eodem utantur: non aliter quam sicuti Carnifici tradit gladium, quo facinorosum plectat. Et cum Princeps *solus non possit* Remp. administrare, & vindictam publicam erga paucos exercere, multo minus potest solus *bellum gerere*, ideoque subditos, exigente id Reipub. necessitate, potest ad bellum vocare, & illi, salvâ & illæsa conscientia, gladio adversus hostes utuntur: ex quo sequitur mercenarios milites nihil facere mali, si certo stipendio, operam suam in bello locent Magistratui.

VI. Contra hoc primum belli legitimi requisitum, authoritatem Magistratus ad illud gerendum, proferunt nonnulli exemplum Abrahami ex sacris, qui privatus, armavit tamen suos domesticos ac Lothum liberavit, ut sacer r. scriptor, Genes. 14. 14. Resp. 1. Abrahamum non fuisse merè privatum, quia fœdus pepegerat cum Aner, Escol, & Mambre, qui erant viri Principes, quorum auspiciis etiam milites suos armavit. Quod autem non ecclesiasticum duntaxat aut Oeconomicum munus, sed & Politicum gesserit munus, Abraham, ex eo patet, quod ex familia sua armavit 318. vernas, qui ex servorum conjugiis ipsi erant nati, quem cœtum absque Politico imperio regere non potuit. 2. Responderi potest in genere, non exemplis sed legibus esse vivendum, &, in sanctis quosdam heroicos & extraordinarios motus à peculiari Spiritus Sancti instinctu profectos, non esse trahendos in exemplum. At talis motus videtur fuisse Abrahami. 3. Arripuit Abraham arma, non ad vim inferendam, sed ad injuriam propulsandam, qualia absque expressa Magistratus authoritate suscipi posse aliquando censent Casuistæ: ad hanc enim quæstionem & casum, *An subditi in nullo plane casu, citra authoritatem Magistratus contra extraneum arma capere possint*, sic Respondent: distinguendum esse inter

bellum offensivum & defensivum; bellum offensivum est, quo alios invadimus; defensivũ, quo nos & nostros & nostra ab aliorum invasione defendimus. Bellum offensivum, sine authoritate Magistratus, subditi, nec possunt, nec debent, suscipere. Quoad bellum defensivum, distinguunt inter mandatum Magistratus expressum & tacitum. Expressum Magistratus mandatum in tali bello defensivo non semper requiritur, sed sufficit aliquando tacitum mandatum. Quidni etiam licet homini privato in subita violentia & oppressione adversus latronem gladio sese defendere, si vel maximè non accedat expressum Magistratus mandatũ; ita quoque, si urbs aliqua subitò ab hoste obsideatur & oppugnetur, ac periculum sit in mora, si Principis, aut Regis aut supremi Magistratus voluntas primum exploretur, licet omnino subditis, adversus hostem pro virili se defendere, quia Magistratus, & Rex, & Princeps, in tali casu tacite jubent, ut se & urbem subditi tueantur. Ita etiam sentit *Cl. Amesius l. 5. cas. c. 33, Ad bellum justum justa requiritur authoritas. Talis autem authoritas, quamvis quoad bellum defensivum reperiatur in qualibet Rep. etiam imperfectâ, quoad aggressivum tamen, non est nisi penes Rempublicam perfectam, quæ non dependet ab alia superiore.* pag. 333. Addo: distinguatur authoritas juris & judicis: vel authoritas juris naturalis & positivi: alterutra sufficit ad bellum defensivum, utraque requiritur ad offensivum: Jus naturæ est, ut unusquisque sese tueatur, & Patriam, & suos, & sua, vel mandante Magistratu, vel etiam eo absente, ut propter absentiam aut loci distantiam mandare Magistratus nequeat, quia ubique locorum & semper hoc jus naturæ cæteris paribus exequi licet: itaque bellum defensivum, & mandante Magistratu, & eo non mandante, quia abest, sed tacitè tamen approbante, geri potest: Nam jus naturæ arma capere docet, ubi aliquando jus positivum mandatum ipsius Magistratus accedere nequit: & sic potest inferior Magistratus, aliquis Gubernator, castelli aut urbis, sese defendere adversus obsidentes sine expresso mandato magistratus: at in bello offensivo, & jus naturæ & jus positivum atque expressum mandatum Magistratus, exigitur.

VII. Diximus statim, Magistratum supremum, nec male facere, si militem conscribat, nec militem male facere, si opem & operam suam locet supremo Magistratui, quia supremus Magistratus, ut Rex, aut Princeps, solus potest seque & Rempub. sibi commissam defendere à vi hostium. Hic quæri potest. 1. *An subditi teneantur obsequi Magistratui, ad quodvis bellum illos vocanti?* Resp. distinguendum hic est inter bellum notoriè & manifestè injustum, & illud, cujus causa est justa, vel dubia saltem atque occulta: si bellum notoriè ac manifestè est injustum, subditi, ab obedientia, absolvuntur, nec tenentur ad bellum suscipiendum à Magistratu indictum. Si enim Magistratus citra Deum, Religionem, aut pietatem Christianam, arma sumi jubeat, subditi ad id nullo modo tenentur: nam hic valet illud, *Deo magis est obediendum quam Magistratui:* ita rectè fecerunt obstetrices Ægyptiacæ, quod obedientiam detrectaverint Pharaoni, mandanti, ut infantes Israëlitarum projicerent in profluentem: si vero causa belli sit dubia, obscura, vel occulta subditis, subditi observent regulam vulgatam: *tene certum, relinque incertum:* jam vero certum est, quod subditi obedientiam teneantur præstare Magistratui, non præcipienti manifestè impia & injusta: neque est subditorum officium, præposterè & curiosè nimis in belli causas & Magistratus consilia inquirere: sed est illorum, suum tantum obsequium præstare: quia enim subiti ad id non sunt constituti, ut examinent causas belli (hoc enim est Magistratus) neque etiam possunt satis examinare easdem causas, & quia sunt tantum executores sententiæ alienæ, & rationem habent instrumentorum sc. moralium: (Nam non tam moventur proprio consilio ac deliberatione, quam quidem motu causæ principalis,) hinc est, quod in causâ belli, ipsis dubiâ, vel occultâ, vel obscurâ, si ad bellum vocentur à suo Magistratu, possint illud, salvâ conscientia, suscipere; quia non tenentur obsequium præstare ei, cum illis manifestè constat de injustitia belli, quod hic non est, ubi causam tantum dubiam & occultam

aut

aut obscuram ponimus : imo plus dicam. Quando ipsi Magistratui supremo, causa belli est dubia, & tamen Magistratus supremus bellum indicit, subditi tenentur ad imperium Magistratus supremi arma capere; & peccatur quidem hic, à Magistratu, bellum indicente, & imperante in causâ belli dubiâ, sed non à subditis bellum ineuntibus & arma capientibus : quemadmodum, ut simili illustrem, peccat judex, qui aliquem, cujus causa nondum est satis examinata & cognita, sed adhuc est dubia, morti adjudicat: sed carnifex, sententiæ executor, non peccat, qui morti adjudicatum occidit, quia obsequitur superiori, cujus sententiam, in dubio positam, examinare aut discutere, non tenetur; ita & hic se res habet.

VIII. Sed quæritur hic adhuc specialius. 1. *An etiam qui non sunt subditi supremo Magistratui bellum gerenti, possint eum juvare in bello, si dubitent de justitia causæ aut belli?* Resp. aliam esse rationem horum sc. militum extraneorum, qui ad militandum non sunt obligati, quia isti Magistratui superiori non sunt subjecti, & alia est ratio subditorum, qui subsunt imperio sui Magistratus superioris. Extranei milites accuratè debent considerare, an bellum sit justum ab illa parte cui operam suam addicunt, atque hoc debet illis constare: neque enim illos excusat posita in dubio conscientia, quia ad militandum isti Principi cui operam suam locant, non sunt obligati: At subditi milites alligati, adstricti, suo Principi supremo, etiam cum dubia est belli causa, militare tenentur ad imperium sui Principis, etiamsi causa belli ipsis sit dubia, modo non constet illis eam esse manifestè injustam.

IX. Quæritur. 2. *An liceat Principi Christiano non tantum exteros, sed infideles etiam milites assumere ad bellum gerendum, si operâ eorum uti possit, vel petitâ, vel oblatâ?* Resp. pone, si necessitas exigat: Nam si liceat in bello uti auxilio elephantum, equorum, similiumve brutorum, licet quoque uti operâ hominum eorum, qui ad bruta proximè accedunt: hoc tamē non facile agendum est, sed cum fit, circumspectione & prudentia est opus; quia facile est ut gravissima exoriantur inde scandala & mala, si infideles cum Christianis militibus conjungantur, quia infideles isti sunt homines efferi & plane Dei cultum ignorantes, qui ad omnia vitiorum genera facile sese dedunt ac tradunt. Si excipias, *aliquando fuisse punitos in veteri fœdere Israëlitas, quod usi essent auxilio infidelium.* Resp. eos non fuisse punitos simpliciter ob id, quod usi essent infidelium auxilio, sed quia infideles milites adhibuissent ex diffidentia mera, vero Deo præstita, & quia nixi erant, non Deo suo, sed humano auxilio : Deus singularem protectionem iis sæpe promiserat, cui protectioni promissæ quamdiu fiderent, vinci non poterant; sed cum alios infideles milites adsciscerent, omnem in Deo & Dei protectione promissa fiduciam deposuerant : & ob istam diffidentiam sunt puniti: & sic certè non licet Christiano Principi assumere infideles milites, quasi omne auxilium ejus sit in carne, & cum ipse Deo vivo ac vero diffidit: extra hunc casum, si necessitas postulet & exigat, licere putamus.

X. Quæritur 3. *An Principi vel supremo Magistratui liceat bellum denuntiare alteri, quando adhuc dubium est ipsi, an causa belli, quod denuntiat, à sua parte sit justa?* Resp. talem Principem peccare, & rationes addo. 1. quia non ex fide agere est peccatum, qui agit ex conscientia dubia, non agit ex fide : at qui non agit ex fide, peccat: atqui superior Magistratus cum bellum indicit, causa belli adhuc ipsi dubia, agit ex conscientia dubia. Ergo. 2. Qui temerè se & alios gravissimis exponit periculis, peccat. At Magistratus supremus, justitia belli nondum cognita, sed causa existente dubia, temerè se & alios, &c. Ergo. 3. Nulla sententia executioni debet mandari, nisi certo constet, de justitia ejus. At hîc sententia, eaque publica & vindictæ publicæ executori mandatur, cum tamen incerta sit justitia sententiæ. Ergo. Neque sufficit exceptio, *etiamsi causa belli in se sit dubia, si Princeps tamen aut supremus Magistratus existimet, causam sibi & â sua parte esse justam, quod tum liceat ei bellum indicere*: quia ne quidem ex conscientia opinante agendum est in hoc negotio : sicuti & judici non licet aliquem condemnare, quia putat eum esse reum mortis, sed debet hoc ei certo-

certo constare: ita etiam non licet Magistratui supremo, bellum indicere, quia putat se ad id habere causam justam, sed debet hoc ei constare: quia, qui bellum gerit, vicem tenet & locum judicis: Est enim judex de sententia publica & executor vindictæ publicæ, sicut inferior Magistratus est judex & executor sententiæ ac vindictæ privatæ: judex autem is tenetur, primo omnem diligentiam adhibere in causa, justitiaque causæ examinanda, neque sententiam ferre, multo minus exequi, quamdiu, & causa & justitia causæ, non sunt plenæ ipsi cognitæ. Quare omnino abstinendum est Principi à bello, si post serium examen, justitia belli adhuc maneat dubia. Hæc omnia intelligenda sunt de bello aggressivo: sic enim statum formavimus posterioris quæstionis, *an liceat bellum denunciare alicui. i. e. ipsum aggredi*? Nam in bello defensivo aliter se res habet: licet Principi aut supremo Magistratui se tueri, adversus hostem invadentem, quando aliter tueri sese non potest, licet dubia sit justitia belli.

XI. Quæritur 4. *An Principi vel supremo Magistratui liceat, bellum indicere, quando inter doctos viros est varia opinio, aliis asserentibus, bellum esse justum, aliis negantibus?* Resp. putant nonnulli Casuistæ, esse licitum Principi aut Magistratui summo, quia in practicis, satis est, sequi opinionem probabilem; nam ibi non possunt haberi demonstrationes, sicuti medico satis est, si eam exhibeat ægro Medicinam, quam ex opinione probabili doctorum, judicat convenire: sicuti Advocato satis est, si eam partem litigantium defendat, quam prædicat esse justam, ex opinione Doctorum. Sed vero, ego potius abstinendum censuero à bello, in tali negotio: quia ob causam incertam & nondum doctis cognitam, non debet tam facile periculo exponi vita tot hominum, & salus Reip. & nec Medico, nec Advocato, tam standum est judicio Doctorum, in judicanda, causæ suæ, vel Medicinæ probitate, quam quidem agendum est ex propria conscientia, eaque non dubia, non opinante, non scrupulosa, sed certa, sed firma; sed indubitata. Legatur *Amesius c. 5. & 6. l. 1. Cas. Consc.*

XII. Sed ad secundam transeamus conditionem belli & legitimi & necessarii: ea est *justitia causæ*. Quemadmodum enim non potest Magistratus contra quosvis privatos gladium stringere pro arbitrio, sed accedere oportet grave quoddam delictum, capitali supplicio dignum, sic Magistratus supremus, non habet potestatem quovis tempore & quibusvis bellum indicendi, sed accedere oportet, causam justam, legitimam, ac sufficientem. Quemadmodum enim peccat is judex; qui morti adjudicat quemque, si causam non habeat eum adjudicandi morti, ita peccat Magistratus, si bellum indicat, & indicendi causam nullam habeat: justa autem belli causa, non est injuria quæcunque levis aut parva; multo minus libido dominandi, aut ambitio, aut iracundia in Principe; sed injuria gravis & atrox in totum Reip. corpus intentata, quæ aliter, quam bello, post omnia pacis media tentata, repelli nequit: hæc sola justi ac necessarii belli causa est impellens legitima. Quo autem distinctissimè causas omnes impulsivas belli justi proponamus, per dichotomiam incedemus. Bellum est, vel defensivum, cujus causa legitima est & necessaria defensio, vel offensivum, cujus causa legitima est, vel justa vindicta, vel rerum injustè ablatarum repetitio. Potest etiam sic procedi. Causa belli justi est, vel defensoria, vel vindicatoria: & vindicatoria, vel propter injuriam Deo & Reip. illatam, vel propter recuperationem bonorum ablatorum. Defensionis causa, justum & legitimum bellum suscipi à Magistratu supremo, jure divino, naturali, & humano, probatur. Nobis, relicto divino & humano jure, sufficit jus naturale: si enim vim privatam vi repellere liceat ob justam defensionem nostri, quando aliter non possumus, multo magis vim publicam repellere licet vi, Magistratui summo, ob defensionem religionis, Patriæ, parentum, religionis & salutis Reip. Cæterum duplex est defensio, cujus causa bella geruntur: propria, & aliena: propria defensio est, si à subditis & suæ curæ commissis, vim repellat Magistratus: aliena, si à confœderatis & oppressis vim repellat Magistratus.

Sunt

Sunt enim diversa hominum genera, pro quibus justè capit arma Magistratus. 1. pro subditis suis quos defendere tenentur, quia subditi sunt. 2. pro cognatis, cujus defensionis exemplum est in Abrahamo, qui Gen. 14. Lothum filium fratris sui, contra 4 Reges. qui ejus substantiam & bona in bello abstulissent, defensum ivit per 318. vernas suos, 3. pro confœderatis. Egregia sunt verba *Aristot. in Rhet. ad Alex. Oportet injuriam passos pro se ipsis arma capere* (intelligit Magistratum supremum) *itemque pro cognatis & beneficis, & pro sociis injuriâ affectis*. 4. pro clientibus, qui in fidem & clientelam supremi Magistratus sese dediderint.

XIII. Sed pergo ad secundam causam legitimam impulsivam justi belli. *Ea est, vindicta publica, injuriarum, Deo, aut Patriæ, illatarum.* Duo vero sunt genera injuriarum publicarum, ob quas vindicandas, coërcendas, puniendas, Magistratui licet bellum suscipere offensivè. Unum est injuriæ Ecclesiasticæ, alterum Politicæ, Ecclesiastica injuria, quæ bello licitè à Magistratu potest vindicari, est gentis vel civitatis cujusdam Idololatria, & manifesta blasphemia: videtur tamen hæc causa una, sc. Idololatria pertinere propriè ad Remp. Judæorum, quibus hoc specialiter mandatum fuit, ut omnem Idololatriam extirparent, & bellum gererent adversus civitatem, quæ populum Dei, Idololatriam doceret aut eam exerceret: de quo varia exstant loca *Deut. cap.* 7. & 13. At manifesta blasphemia, omnibus Magistratibus justa est belli offensivi & vindictæ publicæ causa. Politicæ vero injuriæ, ob quarum vindictam publicam bellum potest suscipere Magistratus, sunt variæ. 1. *Legatorum violatio*: cum enim Legati jure gentium sint inviolabiles, ideo Legatorum violatione, jus gentium violatur, & summa Magistratui leganti injuria irrogatur, quam armis & bello vindicare jure potest. 2. *Pactorum violatio.* Cum enim fœdera & pacta sint jus gentium, eorum violatione iterum violatur jus gentium, quam fœderis disruptionem vindicare bello licet, Magistratui: tum enim confœderati ante, aperti fiunt hostes. 3. *Cum hostibus conjunctio.* Qui enim hostibus nostris in bello se conjungunt, eodem loco pro hostibus nostris haberi debent: æque in eos atque in hostes bellum suscipere licet Magistratui. 4 *Publicorum flagitiorum, ut blasphemiarum & profanationum neglecta vindicatio*: Si enim Magistratus aliquis supremus, ad id à Deo institutus, ut blasphemias, profanationes publicas, aliaque flagitia, notoriè committi solita, non puniat in suis, si externam disciplinam non tueatur, sed omnia miscere ac turbari patiatur, licet alteri Magistratui, alterum bello involvere & implicare, & justa vindicta persequi blasphemias, profanationes, aliaque flagitia committi solita: Ejus rei exemplum est in historia Judicum cap. 20. ubi Israëlitæ mittunt legatos ad tribum Benjamin, & sceleratos hostes ad supplicium poscunt, quod cum facere recusarent Benjamitæ, bello eos invadunt. 5. *Causa impulsiva, legitima, belli justi, est oblatorum injustè bonorum recuperatio*: Nam & jus divinum, & humanum, & naturæ, rapinas & injustam possessionem alienorum bonorum, prohibent. Quid? quod hoc ipsum evincit, defensio subditorum demandata Magistratui; si Princeps aut supremus Magistratus totum imperium cupit esse salvum, non feret, ut singulæ ejus partes sensim depascantur & decerpantur, quia sublatis partibus totum perit: Si ergo aliqui hostes, subditorum bona per rapinam & vim abstulerint, nec reddere velint, licet Magistratui, ea, per vim & bellum atque arma repetere. Notandum tamen est, tantum ea bona sic esse repetenda, quæ injustè sunt oblata per vim subditis: nam, quæ juste sunt ablata, ea ne quidem repetenda sunt, nedum bello: propterea prudenter hic agendum, ne ob recuperationem bonorum temere aut præcipitanter cum fortioribus hostibus bellum ingrediamur, ne bona fortunæ repetendo, & vitam, & alia majora bona, perdamus. Casus egregios & utiles, ac duas alias conditiones belli justi, *exercitatio proxima* persequetur.

EXERCI-

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUADRAGESIMA,

Quæ est secunda,

DE

BELLO.

THESIS I.

EXercitatio *præcedens*, belli justi, legitimi, ac necessarii, quatuor posuit conditiones. Prima est, ratione causæ efficientis, ut is, qui bellum gerit aut suscipit, justa sit authoritate munitus, ad id faciendum; qualis est solus Magistratus supremus. Secunda est, ratione causæ impulsivæ, quam diximus, *exercitatione postremâ*, esse in bello defensivo, necessariam defensionem, in offensivo, vindictam injuriæ Deo aut publico illatæ, vel recuperationem bonorum. Tertia fuit conditio, modus legitimus. Quarta, recta intentio, & legitimus finis. Duas priores conditiones exposuimus, & casus morales circa primam decidimus: quod nunc pariter circa secundam præstabimus, inde transgressuri, ad tertiam, quartamque, conditiones explanandas.

II. Posuimus, inter causas motivas justas & impulsivas belli legitimi, defensionem necessariam, quâ Magistratus supremus, Rempublicam, suæ fidei & curæ commissam, ab irruentium hostium vi atque impetu, defendit, armis in hostes motis. Hic quæritur primo. *An quovis defensionis casu arma expedienda sint Magistratui summo?* Resp. Diximus, *exercitatione postremâ*, non ob quamvis injuriam, levem aut exilem, esse defensionem instituendam Magistratui; sed ob eam, quæ religioni totive infertur Reipublicæ: uno verbo, vel religionis tuendæ, vel regionis conservandæ causâ. Quod religionis tuendæ causâ, si veram religionem evertere conentur hostes, adversus eos bellum iniri possit defensivum, non controvertitur: nam fidem defendere; & veritatem Christianam, religiosissimum est: sed quæritur secundo. *An & ob regionis defensionem sint arma capienda?* Resp. Omnino: nam, quandocunque, & quacunque de causa, subditi injustè ab hostibus opprimantur, sive, religionis causa, sive, ut iis sua vivendi libertas eripiatur, sive, ut regiones eorum vastentur; Magistratus semper tenetur defensionem eorum suscipere: nam ad id Magistratus à Deo est ordinatus, & gladio munitus: proinde, si Patriam, si fortunas, si libertatem, invadat hostis, multo magis, si religionem; justum gerit bellum, si ea omnia defendat Magistratus ac pro aris pugnet & focis.

III. Tertio quæritur, *An in bello offensivo ob quamvis vindictam sint bella movenda?* Resp. Hic opus esse prudentia: non enim id licet: Primo, si offensæ sint leviores, quæ absque salutis & authoritatis publicæ detrimento, condonari possint; tunc præstat, pœnam remittere, quàm ut Magistratus eam injuriam vindicet. Secundo, si offensio à persona una vel altera proficiscatur, non ideo toti regioni, aut civitati, adversæ partis bellum esse inferendum: sic enim innocentes sæpe alienam luerent culpam. Tertio, si, qui læserunt nos, hostes, sint viribus superiores, præstat Magistratui supremo injuriam dissimulare, quam se & sua periculo exponere. Quarto, si hostes, qui læserunt, ad satisfactionem, vel legitimam causæ cognitionem, sese offerant, non sunt bello invadendi: in eum enim, qui jure agere & satisfacere paratus est, nefas est, bellum assumere, atque injuriam: hic enim valet illud Terentianum. *Omnia prius verbis experiri sapientem decet, quam armis.* Quintò, si vel maxime

xime hostis non offerat satisfactionem, cum tamen bellum sit medium vindictæ instituendæ periculosum & grave, atque ab utraque parte, cum noxa conjunctum, prius, quam illud inferatur, omnia satisfactionis & pacis media sunt petenda, ut, si verbis & intercessione conciliari possint partium utrimque animi; à bello abstineatur. Sed hinc novus oboritur casus.

IV. Quæritur ergo quarto. *An, si hostis nolit initio satisfacere, postea in bello jam inchoato, pacem petat, & satisfactionem offerat, Magistratus alter aut Princeps teneatur arma ponere, & à bello cessare. Cajetanus*, in *summa casuum conscientiæ*, statuit, quod ante bellum inchoatum teneatur quidem satisfactionem acceptare; nam *bellare*, inquit, *non est necessitatis, sed voluntatis*: at, post bellum inchoatum, postquam, ut ille loquitur barbare, semipræliatum est, & mortes hominum hinc inde interfecerint, non tenetur, habens justum bellum, revocare bellum, propterea, quia hostis nunc offert satisfacere: & ratio est, quia habens justum bellum, gerit personam Judicis, criminaliter procedentis: est enim Judex, quia bellum justum est, actus justitiæ vindicativæ; est Judex criminalis, quia procedit ad cædem & servitutem personarum: at talis non tenetur retrocedere, quando causa justa est. Hæc est sententia *Cajetani*, sub titulo, *Bellum* Verum enimvero, & inter blandum Christianæ gravitatis fervorem, si strictum justitiæ rigorem expendere velimus, Princeps, qui justam belli causam habet, non tenetur, stricto jure, satisfactionem, post bellum inchoatum, acceptare quia gerit personam judicis, & vindex est scelerum publicus, à Deo constitutus: nihilominus tamen, quia bellum est supplicium gravissimum, quo non solum is punitur, qui peccavit, sed multi etiam innocentes simul è medio tolluntur, ideo charitas Christiana exigit, ut à bello cessetur, quando debita satisfactio offertur, nisi bono communi magis expediat, funditus extirpari hostem, cum quo bellum geritur: quemadmodum legitur in sacris, *Deuter.* 20. 17. Deum voluisse, ut Cananæi penitus delerentur.

V. Quæritur quinto. *An contra Turcas & Saracenos, quilibet Christianus Princeps jus habeat bellum suscipiendi & gerendi.* Resp. Omnis Princeps, aut Respublica Christiana, superiorem non cognoscens, jus habet belli gerendi adversus Turcas ac Saracenos: primo, quia occupant & detinent terras & Provincias Christianorum: secundo, quia bellis ac persecutionibus vexant Christianos, & religionem Christianam: nam, ut feroces & feri hostes, perpetuò student delere legem & imperium Christianorum.

VI. Quæritur Sextò. *An infideles, paganos, ac Barbaros populos, qui nulla nos affecerunt injuria, bello invadere liceat?* Notum est, quâ crudelitate & tyrannide, *Hispani Americanos*, innoxios populos, à quibus nunquam læsi fuerant, tractaverint: memini, me legisse, in *Celsissimi*, & sempiternæ memoriæ *Principis* nostri *Wilhelmi Auriaci Apologiâ*, *Hispanos* in Indiis plusquam vicies centenas myriadas hominum innocentissimorum crudeliter neci dedisse, idque, tam portentosâ crudelitate, ut omnes, omnium temporum crudelitates ac tyrannides, de quibus aut audivimus, aut legimus, jocus fuerint ac ludus, præ illorum in *Indos* immanitate: & refert idem, liber, seu historia, Tyrannidis Hispanicæ, in Occidentales Indos exercitæ, Belgico sermone extans. Ergo, Barbaros ac Paganos populos, quando nihil noxæ inferunt, eo solum, quod infideles sunt, bello invadendos non existimem: neque enim armis, religionem propagari, fas est; neque bello ad veritatis lucem perducentur: & quid multis est opus? absunt hîc omnes causæ impulsivæ justi belli: nec enim defensionis gratia contra infideles talia bella instituuntur; ponimus enim casum hunc, quod nihil noxæ inferant: si enim noceant, aut noxam inferre tentent, jure merito reprimuntur: nec ob vindictam injuriarum, quia eos nunquam injurias intulisse ponimus: nec ob bonorum recuperationem, quia nihil abstulerunt, ut supponimus; respicimus enim hîc, eorum infidelitatem, an ea satis gravis & justa causa sit, bello eos invadendi? quod negamus: hic tamen multa possunt objici.

VII. Primo, *Christiani sunt meliores, quia*

fideles, pagani deteriores, quia infideles: at justum est, ut meliores imperent deterioribus: Ergo juste possunt pagani sub imperium Christianorum bello subigi. Resp. Nullam hic esse consequentiam, quod Princeps Christianus fidelis, debeat Paganos atque infideles bello subigere, quia ille melior, hi pejores sint: neque hoc justitia exigit, sed illud tantum, ut Princeps suis, quibus eum præfecit Deus, bene imperet.

VIII. Secundò. *Religio infidelium est corrigenda, ergo armis sunt invadendi.* Resp. Nulla est sequela: Religio eorum corrigenda est, sed non bello, non armis, sed instruendo, edocendo, & similibus mediis.

IX. Sed quæritur 3. *An non licet bellum inferre paganis, quia sunt idolorum cultores?* Resp. Multi putant, quia idolorum cultus est contra jus naturæ, & summam Deo injuriam infert. Alii tamen, contrà sentiunt, idololatriam, non tam armis, quam rationibus expugnandam, præsertim eam, quæ ex tam crassâ oritur ac profunda ignorantia: alia est idololatriæ species, quæ oritur, non ex ignorantia puræ negationis, qualis cadit in Ethnicos, sed ex ignorantia pravæ dispositionis, quando, qui Deum norunt, juxta eum tamen, alios Deos colunt.

X. Sed ulterius 4. *An non licet bellum inferre paganis, quia violatores sunt juris naturæ in proximos, quia paganorum Principes impune permittunt furta, fornicationes, usuras, adulteria, homicidia, quia carnibus vescuntur humanis; quia innocentes ac nocentes, belloque captos immolant idolis, quia conjugia dissolvunt, quia uxorum pluralitatem admittunt, &c. agunt contra naturæ legem.* Resp. Si paganorum princeps simpliciter ea peccata permittat impune, ut non puniat, ut non præcipiat tamen, videtur iterum, ipse & subditi convinci debere rationibus, instructionibus, institutionibus, aliisque mediis similibus, quam bello superari, & ad virtutes illas cogi atque adigi; præsertim, si paganorum Princeps unâ cum paganis tam sit simplex atque innocens, ut fœditatem istorum scelerum non videat, non cognoscat: si vero ea præcipiat, & reluctantes paganos aut invitos ad ea cogat, potest talis Princeps invadi bello, & armis, & rationibus subditi pagani melius edoceri.

XI. Verùm ut distinctè hunc casum resolvamus. Hæ videntur mihi tantum esse *justæ causæ, ob quas principi Christiano licet paganis inferre bellum*: primò, si pagani fidem Christi & Christianam impediant, vel blasphemiis, vel persecutionibus, vel persuasionibus: secundò, si paganus Princeps suos subditos, jam ad Christum conversos, conetur abducere iterum à Christo, bello invadi potest: tertiò, si quidquam in Christianos tentent pagani, verbis vel factis, contumeliosè eos, tractantes: quartò, si Euangelicos concionatores impediant, ne Euangelium prædicent, bello possunt invadi, quia jus est Christianis, Euangelium ubique prædicandi.

XII. Septimo quæritur. *An, quando est dubium, inter duos Principes successores in aliquo regno, uter eorum sit legitimus successor in regno, sit licitum alteri bellum gerere contra alterum, ut regnum sibi acquirat?* Resp. Si alter eorum est, in Regni possessione, quamdiu nihil est certum, utri jus debeatur regnandi, qui possidet, potest jure se defendere, ne possessionem amittat, si ab altero invadatur: qui tamen invadit & bellum indicit, non tamen justam habet causam belli indicendi, ob ereptionem regni, quod alter possidet, nam cæteris paribus, in re dubia melior est conditio possidentis: quemadmodum in rebus privatis, si quis possidet rem, de quâ dubito, an sit mea, an ipsius, qui possidet, jus tum non habeo, quia dubito, auferendi rem ab eo, qui eam possidet: Secundò, si neuter est in possessione regni, & jus succedendi est dubium ex æquo utrimque, neutri licitum est, bello regnum acquirere, quia uterque periculo se exponit usurpandi regnum alienum, &, quia non est major ratio, aut claritas de justitia unius, quam de alterius justitia. *Quid igitur fiet in tali casu?* Resp. Lis est componenda, vel arbitrio bonorum virorum & optimatum, per compromissum, ut vocant, vel sors deberet duci; vel per alios Principes lis esset dirimenda.

XIII. Octavo quæritur. *An deficiente legitimo successore, cui jus successoris debeatur, lici-*

licitum sit alicui, regnum illud bello occupare? Resp. In eo casu, jus regni ad ipsam rempublicam devolvi, cujus est tantum, Regem eligere, & in alium potestatem transferre: qui vero sine consensu reipublicæ hoc occuparet, invasor esset & occupator alieni juris, & respublica potest se defendere.

XIV. Nono. *An propter negatum, exercitui, per terram alienam transitum, Domino illius terræ juste inferatur bellum?* Resp. *Casuistas* plerosque affirmare, modo id fiat sine detrimento & noxa inhabitantium: quia, ut utatur quis via publica, prohiberi nequit, &, sicuti licet pluviam excipere à cœlo in alieno agro, sine nocumento agrorum alterius, ita quidni liceat innoxio uti transitu, & uti alienis terris ad transeundum. Alii tamen negant; ideo esse bellum inferendum, quia alter Dominus non tenetur hoc permittere, aut concedere transitum, per sui dominii terram, & quia iste transitus non sine noxa inhabitantium est.

EXERCITATIONUM ETHICARUM

QUADRAGESIMA-PRIMA,

Quæ est tertia,

DE

BELLO.

THESIS I.

EX quatuor conditionibus ad bellum legitimum ac necessarium requisitis, duas expositas dedimus, *authoritatem justam*, & *causas impulsivas justas*: circa *ambas*, *varios casus* movimus: nunc circa *duas alias conditiones* pari modo versabimur. *Tertia conditio justi belli*, est *modus bellandi* legitimus: neque sufficit, bellum à magistratu supremo ex causa necessaria & justa suscipi, sed oportet etiam legitimo modo illud geri: bella enim multa, etiam justissimè suscepta, displicuerunt Deo; quia non justo modo fuerunt executioni mandata. Ut vero bellum justè geratur, nihil quicquam fieri debet adversus legem Dei latam, nihil adversus jus gentium: ut ille modus sit justus belli gerendi, quando, nec naturæ lex, nec lex moralis, violatur. Verum enim vero, ut legitimum belli gerendi modum dextrè explicemus, hæc quatuor ponimus requisita; scilicet, ut bellum geratur *piè*, *justè*, *prudenter*, ac *fortiter*.

II. *Pietatem requiri in bello*, patet; tum ex generali regula, quod pietas omnium nostrarum actionum debeat esse directrix & norma; tum specialiter ex promissione divina, quia habet præsentis & futuræ vitæ præmia. *Hæc in bello pietas* complectitur; 1. veram & sinceram, tum ducum, tum militum, ad Deum conversionem: nam equus paratur ad prælium, sed Dominus tribuit victoriam: atqui omnis victoriæ spes, vana est & frustranea, nisi ad Deum convertamur. 2. Auxilii divini implorationem; dona enim Dei, non nisi per preces ex pœnitente & fideli corde profectas, à nobis obtinentur: at victoria in bello, donum est Dei, & illud insigne. 3. Fiduciæ in solum Deum collocationem: Quamvis ergo causa belli justa sit, & omnia ad bellum necessaria habeantur in parato, nunquam tamen est confidendum bonitati causæ, nec militum copiæ, nec humanæ prudentiæ, aut potentiæ, sed solius Dei auxilio ac præsidio. 4. Pacis oblationem. Pium est & humanum, omnia prius media pacis tentare, quam arma

capere. Bellum quippe est unum ex atrocibus & sævis remediis, quæ adhibenda non sunt, nisi summa exigat necessitas: quemadmodum medici non secant, non urunt, nisi totius corporis salus periclitetur. 3. Exigit pietas, flagitiorum & scelerum in castris prohibitionem. Exulent igitur è castris diræ blasphemiæ, libidines, &c. in ipsis etiam oppidorum expugnationibus, temperandum à sanguine civium, à sævitia, in sexum muliebrem, in infantes ac pueros, à stupris & raptu virginum & puellarum: denique postulat pietas post impetratam victoriam gratiarum actionem: cum enim victoria in bello sit grande Dei donum, profectò, si obtineatur, exigit, grates Deo reddendas

III. Secundus belli legitimè gerendi modus est, justitia; ea requirit 1. ut præcedat legitima belli denunciatio: fit illa denunciatio per fecialem, qui pro injuria illatâ satisfactionem, aut honorum ablatorum restitutionem, flagitat, eam vero negantibus bellum indicit: atque hoc juri divino, gentium, ac civili, est congruum. Certè; æquum est, bellum prius indicere, quam inferre, quemadmodum in causis forensibus prius vocamus in jus, & litem denunciamus: & stolidum foret armis repetere, quod, vel postulationis æquitate, vel solâ armorum comminatione impetrare possis. 2. Petit justitia, ne instituatur eorum, qui sunt hostes, oppressio ac direptio: caveant ergo gregarii in bello milites, & præsidiarii, & subsidiarii, ne ulli rapinis & direptionibus sint molesti. 3. Ne adversus victos exerceatur crudelitas, & atrox insultatio: quando enim hostis se in potestatem victoris dedit, servandum ei jus est supplicum & dedititiorum.

IV. Tertia conditio, ad belli gerendi modum justum, est *prudentia*: hæc in bello rarissimè patet, nec potest certis præceptis includi, sed longo rerum usu & exercitatione comparatur. Ad hanc prudentiam bellicam pertinet 1. ante bellum, omnium necessariorum matura præparatio. Felix civitas, quæ pacis tempore de bello cogitat. 2. In ipso bello, loci ac temporis apti ad pugnandum observatio. 3. Post bellum, obtentâ victoria, insignis circumspectio, ne vel negligentia, vel injuria, vel nimia fiducia ac temeritate, victoria è manibus excutiatur; sed de his & similibus scriptores Politici consuli possunt.

V. Quarta conditio, belli justè gerendi, est *fortitudo*, quæ bellis maxime est necessaria, sine qua nihil rectum vel salutare sperari potest: & videmus ferè in bello iis esse periculum maximum, qui maximè timent: audacia pro muro habetur: inquit *Sallustius in bello Iugurthino*. Sed circa modum justum belli gerendi, & conditiones jam positas & propositas, atque expositas, sic satis; nunc casus quosdam moveamus ac decidamus.

VI. Quæritur primo, *an in bello liceat uti stratagematis, vel insidiis?* Resp. Notus est *Virgilii* versus: *dolus an virtus quis in hoste requirat?* itaque omnino approbamus insidias, & stratagemata esse licita, pronunciamus: nam, ut jus divinum taceam, Jos. 8 2. ubi expressè Deus Josuæ dixit, pone insidias urbi; & varia Jud. 10. Genes. 14. & alibi in sacris exempla præteream, jus gentium proferam: quippe consensu omnium gentium, omnes bellorum eventus, dolo facti, laudantur: Lacædemonii, cum dolo hostem superassent, bovem Marti sacrificarunt; cum, aperta vi, gallum; cujus rei hanc dat rationem *Plutarchus in quæstionibus Laconicis*, quod voluerint assuefacere duces, non modo, ut bellicosi essent, sed & ut essent callidi atque astuti. Sicut nihil interest, quomodò captivus sit reversus, utrum dimissus, an vero vi, vel fallacia, potestatem hostium evaserit; sic nihil refert, dolum an vim in oppugnando hoste adhibeas. Feras partim ferro capimus, partim solertiâ in laqueos & retia inducimus: & facinorosi, non solum aperta vi, sed etiam lictorum insidiis, in vincula pertrahuntur: quidni idem liceat in hostes, quando bello sunt subigendi? Sed & ab honesto argumentamur. Prudentia militaris est laudanda, non culpanda: atqui stratagemata sunt species militaris prudentiæ. Ergo: imo potiora videntur & laudabiliora, quæ ratione & mente, quam quæ vi aut corpore peraguntur: &, minus est cruenta, quæ astu, quam hastâ, acquiri-

quiritur victoria: imò, sæpe necessitas, quæ lege caret, exigit ac postulat insidias; quando hostes nostri sunt potentiores, vel apparatu bellico superiores: non, nisi stratagemate, debellari tum possunt: interim stratagematum loco non sunt habenda mendacia, quæ semper ac per se sunt mala: itaque stratagemata licita dicimus, sub hisce conditionibus. 1 Ne fides data frangatur: hæc enim perfidia est & fœderum violatio, quæ semper est vetita & illicita. 2. Ne dolus malus adhibeatur. Sed accuratè tenendum est, quid pro dolo malo haberi debeat: non debet censeri dolus malus, multo minus mendacium, si quis consilia sua & propositum occultet; nec, si quis signis aut factis quibusdam præ se ferat intentionem hanc aut illam, quam non habet: sed dolus malus est, & mendacium, si quis directe verbis significet, quod falsum est: at, si quis gestibus aut factis tale quid indicet ac significet indirectè, seu illud faciat, ex quo verisimile est, alium conclusurum, quod falsum est, is tamen non mentitur, nec dolum malum committit: & ratio est hæc, quia facta illa, aut signa, nec ex natura sua, nec ex instituto arbitrio, aut pacto certo, significant hanc aut illam sententiam: ideoque non sunt doli mali, nec mendacii rationem habent, etsi in significatione falsa & plane alia accipiantur, quam, sub qua fiunt, imò quamvis aliter ea acceptum fieri prævideatur, & ut aliter acciperentur, quæratur, studeatur: sed alia ratio est in sermone: quia voces sunt signa, ex instituto certas res ac certam sententiam significantes, quæ, si aliter accipiantur, jam falsitas, est, & qui aliter accipi facit, quam pro eo quod significant, mendaces sunt, ac mentiuntur.

Secundo quæritur, *an in bello liceat uti exploratoribus*? Resp. In bello licitum esse: & sic probatur. Exploratio pars est militaris prudentiæ, per quam ea, quæ hostium sunt, inquiruntur; natura locorum, ingenium ducis, mores militum, &c. quæ ad bellum bene gerendum sunt necessaria. At prudentia militaris, licita est ac laudabilis: E.

VIII. Tertio quæritur; *an etiam liceat uti in bello proditoribus*? Resp. Differunt proditores ab exploratoribus: exploratio fit ab hostibus circa hostes: at proditio fit à conjunctis. Exploratores, ea, quæ sunt hostium, scrutantur, animo bono ac fine non malo, quando bellum est legitimum: proditores ea, quæ parti adversæ videntur nocitura, vel quæstus gratia, vel ultionis causa, vel alium ob finem, clanculum produnt, & aperiunt ipsi parti adversæ: itaque proditores improbamus, quia perjurium committunt; siquidem ad patriæ, quam produnt, salutem & defensionem ac conservationem juramento sunt obstricti: deinde violant jus naturæ, quod exigit, ut subditi patriam ab hostium violentia tueantur, at proditores eam conculcare ac pessundare student: at vero bene judicandum est & dispiciendum, quinam proditores sint: tales certe non debent censeri, quicunque cruenta sceleratorum consilia clanculum magistratui aperiunt: hoc enim non est, prodidisse patriam, sed profuisse patriæ.

IX. Quarto quæritur, *An proditores, qui sponte sese offerunt, liceat recipere*? Resp. *Casuistæ* ad hanc quæstionem respondere solent, per illud *Augusti Cæsaris*; *proditionem amo, proditorem odi*: & illud *Antigoni*; *proditores tantisper amo, dum produnt, at ubi prodiderint, odi*: itaque, proditionem recipiendam licitè docent, non proditores: & videtur ex re & de salute esse reipub. interdum proditiones accipere, atque ipsos pariter proditores, si sese offerant ultro. Contra tamen proditionem nullam, & proditores nullos recipi debere, etiam si sese sponte offerant, alii sic probant. 1. Quam actionem, ut turpem atque illicitam, detestamur, eam, & authorem, recipere non debemus. Atqui talis est proditio, etsi sponte ab alio facta. Ergo. 2. Jus naturæ requirit, ut, quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris: jam vero nemo est, qui se & sua hostibus prodi velit. Ergo, nec proditio ab aliis facta, accipienda est. 3. Qui alienos populos ad proditionem, quam offerunt, accipit, suos proditionem docet: at, illa doceri non debet, quia mala est. 4. Quia proditoribus pessima interdum retributa sunt præmia. Quid igitur statuendum? Ego sic existimo,

& sic animum induco meum. 1. Ea quæ perfidè ac scelerate produntur, & quæ talia sunt, ut sine turpitudine & improbitate executioni nequeant mandari, ab aliquo Christiano principe accipi, & admitti non debent; etiam, si sponte à proditore offerantur. 2. Si aliqui, justo bello capti, hostium consilia & arcana patefaciant, admitti atque audiri à Christiano principe possunt: neque enim illa proditio censeri debet. 3. Etiam tum, istis, qui tali modo produnt adversæ aciei consilia, non nimis est fidendum: nam proditores fortè sæpe & simulatè agunt. Nota est historia omnibus, quam de *Zopyro* refert *Herodotus*. 4. Si spes est, hostes nostra integritate & humanitate deliniri posse, proditores ipsis sunt remittendi, & perfidia proditorum ipsis est manifestanda. Sic Pyrrhi medicus, qui Romanis pollicebatur, in illorum gratiam, se Regem neci daturum, ab ipsis Romanis Regi est indicatus; unde pax inter ipsos & regem consecuta est. 5. Proditores, qui patriam suam & suos principes hostibus produnt, gravi supplicio sunt digni, & puniendi acerrimè ab ista repub. quam produnt, aut prodere studeant, si accipi queant.

X. Quinto quæritur. *An usus tormenti bellici, ac bombardarum sit probandus?* Resp. Optandum foret, ut ea nunquam fuissent reperta, 1. propter ingentem hominum & ædificiorum stragem, ad quam inventa videntur. 3. Propter bellicæ virtutis interitum ac perniciem: nam quod *Archidamus*, referente *Plutarcho*, *in quæstionibus Lacon.* novum catapultæ genus, ex Sicilia advectum, olim vidisset, dixisse fertur; *Hercules, viri periit virtus*; id magis de hoc tormenti genere dici potest. Cum tamen tales machinæ, in oppugnandis urbibus, præliisque committendis, nunc sint usu receptæ, videntur legitimè usurpari posse, in bello justo: quia quovis modo de hoste in bello justo vindictam sumere licet.

XI. Nunc obiter *quartam ac postremam conditionem, ad belli gerendi justitiam*, exponamus. Ea est, *recta intentio magistratus supremi, debitusque finis*: hic, est pacis acquisitio, & reipub. conservatio: nam, propter pacem & reip. salutem, bellum suscipitur. Hunc ergo finem, hanc intentionem solam, habeat Magistratus, ut præter gloriam Dei, finem ultimum omnium rerum & actionum, in bello gerendo bonum commune promoveat, publicam tranquillitatem & pacem procuret, non autem, ut imperii fines dilatet, non ut gloriam nomenque sibi comparet, non ut aliis simpliciter noxam inferat: itaque, sunt fines indebiti & pravæ intentiones, cum quis bellum indicit, cupiditate tantum nocendi, crudelitate ulciscendi, feritate rebellandi, libidine dominandi, aliisque pravis affectibus satisfaciendo. Atque utinam hic querelæ non foret locus: multa bella ob alium finem, & alia intentione geruntur, quam ob pacem, aut salutem reipub. Sed alienum est in querimonias digredi.

EXER-

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUADRAGESIMA-SECUNDA,

Quæ est Quarta,

DE

BELLO.

THESIS I.

DIsseruimus postremis Exercitationibus multa de bello, & belli legitimi ac justi conditionibus. Nunc varias adhuc quæstiunculas tumultuario ordine, prout inciderint, proponemus. 1. *Quæritur, quot genera personarum justè possint occidi in bello licito, & quot non?* Resp. absque ambagibus 1. In bello licito justè licet occidere in ipso conflictu, Duces hostium. 2. Milites hostilis exercitus. 3. Quotquot non tantum pugnant, sed auxilium, sed consilium, sed opem suam, quomodocunque præstant in exercitu hostium. 4. Imo ipsi infantes, & cæteri omnes innocentes, existentes in exercitu hostili, dum belli communis conflictus durat, & aliter hostes debellari non possunt commodè, nisi etiam simul occidantur: etiam justè occiduntur, quia justum est bellum, & aliter hostes debellari nequeunt: hic enim casus supponitur: at ante belli conflictum, & post finitum be li conflictum, non licet occidere infantes, & innocentes in exercitu: Imo, post belli conflictum finitum, nullos occidere licet milites, aut alios, in exercitu hostili operam suam conferentes, ante belli conflictum initum licet eos occidere in bello justo, quia omni modo licet in bello licito noxam inferre hosti: at post partam victoriam, jus occidendi cessat: quare tunc omnino abstinendum ab occisione.

II. *Quæritur, an finito belli congressu, & obtentâ victoriâ, liceat occidere omnes nocentes?* Resp. Si sint malefactores, & causam belli dederint, licet, ad terrorem & exemplum aliorum, & ut delicta puniantur, non verò debent occidi, nisi post cognitam delicti causam: & sic si fiat, pax & securitas magis imposterum haberi poterit.

III. *Quæritur, an in bello contra Turcas & Saracenos, licitum sit occidere infantes, & pueros, finito belli congressu?* ratio dubitandi est, *quia illi, cum adoleverunt, fierent hostes Christianorum?* Resp. Non licet: quia ab omni sevitia, in quoscunque tandem, est abstinendum post victoriâ partam: & non sunt facienda mala, ut eveniant bona: ergo non sunt occidendi infantes Turcarum, ne postea nos lædant: quid scimus, an non Deus sit illos conversurus: & nemo justè occiditur pro culpa futura: denique, futura mala evitari possunt, etiam sine occisione, si in captivitatem, aut servitutem redigantur.

IV. *An liceat occidere eos, qui sese dediderunt in bello, vel obsidione?* Resp. Si nocentes sunt, & non dediderunt se eâ conditione, ut salva esset eorum vita, licet eos occidere: at si vitam salvam stipulati sint, & concessum sit, non licet: multo minus licet innocentes occidere, si sese dediderunt: nam ne quidem hosti est fallenda fides.

V. *An Dux, sive Imperator belli, licitè possit tradere militibus suis civitatem hostium, in direptionem & prædam, victoriâ obtentâ?* Ratio dubii est, *quia, post devictos hostes, non est licitum innocentes occidere; at si civitas in prædam detur ac direptionem, multi innocentes occidentur: nam milites, cum spolient, nulli parcunt, ne innocenti quidem, sed & infantes, ac tenellos occidunt pueros; & virginibus, ac puellis stuprum inferunt.* Resp. Si victoria in justo bello de hoste obtineri non possit aliter, nisi promissione facta de civitate militibus in prædam dandâ, tum licitum

tum est Duci, id promittere, & promissum præstare, quia aliter hostes debellari non possunt; quæ est hypothesis, ac supponitur, & quia bellum est justum, atque omnes conditiones adsunt ad justitiã belli necessariæ. Præterea, militum animi, spe pecuniæ, & prædæ, concitantur, & confirmantur, ad fortius se gerendum; &, quia aliter, re malefactores puniri non possent: denique ad terrendas hostium civitates, ut sese dedant: sed verò, nescio an liceat hæc omnia mala facere, ut eveniant bona; Ego sic sentio, & censeo, si possit abstineri, ab occidendis infantibus, & aliis innocentibus, posse civitatem certo casu, & certo rerum statu objustascausastradi in prędam militibus: quia tamen non abstinent, & vix abstineri potest ab iis, non facile à Duce hoc militibus est concedendum.

VI. *An licitum sit occidere obsides si hostes fidem fregerint?* Resp. Censent Casuistæ, hoc esse licitum. Quia 1 eâ conditione dantur obsides, ut hostes fidem servent. Quia 2. aliter pax & securitas in bello haberi nunquam potest. Quia 3. Hostes, semel devicti, in officio commodè contineri non possent.

VII. *An privatis militibus licitum sit occidere, aut prædas agere, aut incendia absque Ducis, seu Imperatoris potestate?* Resp. Non esse licitum, quia tunc bellum facerent, ac gererent milites privata authoritate, contra conditionem primam justi, & legitimi belli.

VIII. *An si Rex aliquis, V. C. Imperator olim Romanus, nollet satisfacere Carthaginensibus pro injuriis, quibus Carthaginenses afficiuntur à Romanorum privatis militibus, privatâ authoritate irruentibus in Carthaginenses, an ideo Rex Carthaginensium jus habeat gerendi belli contra omnes Romanos?* Ratio dubii est, *quia non omnes Romani in prædicto casu sunt nocentes.* Resp. Omnino Regem Carthaginensium habere jus bellum inferendi Romanis? Nam Romanorum Rex in culpa est, quod nolit punire nocentes inter suos milites; & quod nolit Carthaginensibus, pro injuriis illatis satisfacere: ideoque, in tali casu, Rex Carthaginensium debitam habet causam petendi, & accipiendi compensationem pro injuriis illatis & acceptis à Romanorum militibus: addendæ tamen sunt hic conditiones, sub quibus licet Carthaginensium Regi vindicare injurias à Romanorum militibus illatas; ut 1. Rex Romanorum moneatur de injuriis, quæ illatæ sunt à suis, & ab eo petatur, ut Romanorum nocentes puniat, & cogat eos satisfacere pro injuriis illatis. 2. Ut solum Romani viventes in ditione Romanâ, sub Rege Romanorum, lædantur, non alii innocentes Romani, extra ditionem Regni Romani viventes.

IX. *An licitum sit, homines, bello justo captos, in servitutem redigere?* Resp. Esse licitum: nam si licet eos occidere, quod majus est, quidni & liceat eos abducere captivos, quod minus est; mitius certè agitur cum iis, si vivi serventur, & capientium fiant servi, quam si neci dentur. Atque hoc omnium judicio verum est, de iis, qui nocentes sunt, & bello justo capiuntur: *Sed an etiam licet infantes, & pueros hostium, qui capiuntur bello, abducere captivos?* Resp. Jure gentium id licet: quia, ob pœnam & delictum parentum, possunt infantes & pueri puniri perpetua servitute; nam perpetua infamia æquivalet perpetuæ servituti: at possunt infantes & pueri puniri perpetua infamia ob delictum parentum: ergo perpetua servitute. Sed, *an, si liceat infantes, & pueros hostium justo bello captos, in perpetuam redigere servitutem, ob delictum parentum, etiam liceat eos occidere ob eandem causam eodem casu?* Resp. Non esse licitum, quia mors innocentum jure naturali est vetita

X. *An, si Christiani, capti ab infidelibus paganis bello justo, servi fiant capientium, non sit illis, in servitutem traditis, licitum fugere?* Resp. Quod servi fiant capientium, & fieri possint, certum est: nam jus gentium in iis non est abrogatum: sed, *an liceat iis fugere, si possint,* difficile est dictu. Sunt multi, qui negant, esse licitum ut fugiant, nisi cogantur deficere à fide & religione: at simpliciter fugere non debent. Alii tamen contra, eos fugere posse, censent, licet non cogantur à fide deficere: neque est contra jus gentium, si Christianus captus à pagano, in patriam redeat, & suam sibi libertatem vindicet: nam jus belli hoc non exigit, ut capti bello, & servi facti, non fugiant; exigit quidem jus gentium, ut capti bello servi fiant,

fiant, sed ut servi facti non fugiant, non est præscriptum jure gentium; quidni etiam aliquis in libertatem pristinam se asserat, si possit? &, cum servitus jure gentium sit introducta, debet benignè explicari: sed non licet Christiano captivo fugere, sic, ut intra paganorum confinia vagetur, aut commoretur. Ego quidem accedo posteriori sententiæ; putemque esse licitum Christiano absolutè, ut fugiat, si possit, cum factus est servus Turcarum, aut Saracenorum; quia Turcæ ac Saraceni, bellum injustum gerunt contra Christianos; ideoque Christiani, ab iis capti in bello, non sunt jure belli servi capientium, quia bellum est iniquum ab illorum parte.

XI. *Quæritur in genere, an Paganus à Pagano, aut Christianus à Christiano captus, & servus factus, possit fugere licitè?* Resp. Quidam negant, quia cum est servus factus, est capientis tanquam domini sui: quare si fugiat, & se subducat, insciо domino, furtum committit: nam se ipsum, possessionem domini, ei eripit. Alii tamen censent, esse licitum, quia jus belli tantum dedit domino capienti potestatem, captum apud se retinendi, ejus operâ & famulatu utendi: quod si fugiat, pariter est jus Domino eum persequendi, capiendi, & conjiciendi in vincula, in pœnam fugæ: Captus autem in bello, & servus factus, si potest fugere, non nocendo domino, non resistendo, jus habet fugiendi: Quia naturale jus est, ut unusquisque, si potest, libertatem sibi restituat.

XII. *An jure belli licitum sit, devictis hostibus imponere tributa, & alia onera personalia, ac realia, ut in bello Germanico multum fit: &, an licet, jure belli, deponere de Magistratu aut superiori potestate excidere, qui inter hostes summam rerum tenuere, & alios in eorum locum substituere?* Resp. Utrumque licitum esse, jure belli, gentium, ac naturæ. Atque hæc de *Bello* quatuor *Exercitationibus* disseruisse sufficiat.

IMPERTINENS.

Philosophia Aristotelico-Scholastica, non est penitus ex Gymnasiis atque Academiis eliminanda, sed reformanda, ac corrigenda, & liberanda, à nimia, non necessariorum mixturâ, minutiarum consectatione, sciendorum confusione, terminorum obscuritate, & styli barbarie: quoad cætera, multa continet bonæ frugis, sed quæ, uti gemmæ ferè ex sterquilinio, ex eâ erui debent: &, vel hoc solum eam commendat, quod quam plurimos terminos, voces, phrases, distinctiones, ex eâ mutuo acceperint, atque ad usum accommodaverint superiores disciplinæ (quas vulgò Facultates vocant) quæ absque præmissa vulgaris illius ac receptæ Philosophiæ notitiâ, aut difficulter, aut non satis benè, apprehenduntur, quod ipsa satis docet experientia: quare, qui, vel in totum eam transiliunt, vel, ea neglectâ, aliam quamcumque arripiunt, illotis manibus pedibusque in superiorum disciplinarum sacra irruentes, infelicius in iis excolendis versantur, nec fructum laboris ac studiorum exspectatum reportant.

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUADRAGESIMA-TERTIA, DE Quæstionibus circa Temperantiam.

THESIS I.

EXcussas circa *fortitudinem* quæstiones varias excipiunt illæ, quæ circa *Temperantiam* moveri possunt. Et cum de eâ, in *Collegii Ethici Disp.* 21. κατασκευαστικῶς satis sit actum, nunc ἀνασκευαστικῶς, quæ de ea dici possunt, edisseremus. *Temperantiam esse virtutem*

tutem assertum fuit *disp.* prædictæ *Thes.* 3. Nunc quæ in contrarium proferri possunt ac solent, proferemus atque expendemus ac dissolvemus. Ergo Temperantiam esse virtutem, sic probari potest ac solet.

II. § 1. *Quodcumque non est situm in Mediocritate, non est Virtus; sed Temperantia non est sita in mediocritate. e pr. min. Quod magis est situm in voluptate quam in tristitia, id non est medium inter voluptatem & tristitiam; sed Temperantia est sita, &c. teste Aristotele cap.* 10 *l.* 3. *Eth.* Resp. Distinguimus mediocritatem seu medium in medium rei & rationis: medium rei dicit æquale intervallum inter duo extrema: tale non requiritur in temperantia aut ulla virtute, excepta justitiâ commutante; sed requiritur medium rationis, quod dicit proportionem & convenientiam affectuum & operationum cum recta ratione, quæ esse potest, etsi ad alterum extremorum magis abundet, aut, ut clarius loquar, etsi ad alterum extremorum propius accedat virtus Consequenter & Temperantia virtus est, etsi propius accedat ad voluptatem quam ad tristitiam, & magis in illa, quam in hac sit sita: quicquid enim fit, modo secundum rectam rationem fiat, virtus est, &, licet magis in uno affectu regundo occupetur, quam in alio, modo utrumque ex præscripto rationis moderetur, virtus est: ideoque temperantia, etsi majorem in voluptate regenda, quam in tristitia coërcenda collocet operam, mediocritatem tamen servat, quia secundum rationem rectam utrumque agit.

III. §. 2. *Nulla virtus est contra naturæ propensionem: virtutes enim morales non sunt quidem à natura, sed nec sunt contra naturam aut præter naturam: at Temperantia est contra naturæ propensionem Ergo quod delectationes naturæ & voluptatem reprimit, id est contra naturæ propensionem; sed Temperantia hoc facit. Ergo. prob maj. quia naturæ ductu & instinctu propendemus & impellimur ad voluptates; tristitia enim naturæ contraria est & inimica. Ergo voluptas amica est & conveniens: atqui natura propensa est ad id, quod sibi amicum est & conveniens. Ergo, si Temperantia coërceat naturæ propensionem & inhibeat, quâ ad voluptatem feri-mur, agit contra naturam. Atqui sic non agit virtus; Ergo temperantia non est virtus.* Resp. ut hoc argumentum solvatur, notandum est, quod voluptates duplici sensu possunt dici naturales & naturæ esse convenientes, quemadmodum ipsa vox naturæ duplicem habet significationem: natura interdum significat ipsam rei substantiam, essentiam, materiam aut formam, uti in Physicis, aut etiam qualitates, quæ rei essentiam consequuntur: interdum natura significat non ipsam rei essentiam, nec aliquid necessario ex ea fluens, sed aliquid naturæ consentaneum: ut sunt habitus consuetudine introducti, & usu diuturno confirmati: unde consuetudo dicitur natura altera: sic duplici modo est aliquid naturale, vel ut ipsa sit natura, aut ab ea immediate fluat, vel ut ab habitu per naturæ seu naturalium potentiarum exercitium introducto proficiscatur, qui habitus instar naturæ agit. Voluptates possunt utroque modo dici naturales; &, quia ab ipsa fluunt immediatè naturâ, quemadmodum voluptas est unicuique rei naturali, conservare seipsam; &, quia ab habitu aliquo in naturam introducto eliciuntur. Hæc applicemus. Temperantia non coërcet, multo minus exstirpat voluptates primo sensu naturales, quas ob sui conservationem postulat ipsa natura, sed coërcet eas, & tollit nimium ab iis voluptatibus, quas ex habitibus quibusdam excipimus: dedit quidem natura nobis propensionem ad voluptates, ut eas cum aliqua propensione, inclinatione, & cupiditate expetamus, sed non dedit nobis veniam, multo minus potestatem, ut eas immodicè expetamus: nam præter istam naturæ propensionem ad voluptates, dedit nobis rationem propensioni naturali aversantem: voluit quidem nos uti ac frui istis voluptatibus, ad quas impellit, sed tamen sic, quemadmodum postulat regimen & gubernatio rationis: itaque, appetere voluptates, & ad eas propendere, non est simpliciter naturale; aut proprium naturæ humanæ, quia humana est: sed appetere eas & propendere ad eas secundum præscriptum rectæ rationis, est naturale homini, & proprium naturæ humanæ; hoc autem ut fiat, imperat atque efficit

ficit Temperantia: quare nec contra nec præter naturam est hominis, sed naturalis, ut cæteræ virtutes.

IV. Collegii Ethici disp. 21. Thes. 6. ἀναισθησίαν inter extrema temperantiæ opposita posuimus, tanquam vitium in defectu. Nunc rationes videamus, quæ contra adferri possunt. 1. *vitia sunt in nostra potestate, aut saltem circa ea, quæ sunt in nostra potestate. at ἀναισθησία non est, &c. Ergo. prob. min. quia non possumus contemnere, etsi velimus, voluptates illas, quæ retinendæ & servandæ vitæ inserviunt, nisi velimus, ipsam temnere vitam: fames & sitis sunt appetitiones naturales, quæ cum explentur habent suas voluptates conjunctas; neque est humanæ potestatis vel istas appetitiones aversari, vel voluptates ex earum impletione ortas: Itaque hæc ἀναισθησία nulla est, &c Vitium haberi non potest, cum non sit ἐφ' ἡμῖν.* Resp. Hoc argumentum laborat falsa hypothesi, quasi ἀναισθησία hic nobis significet omnem sensus & appetitus extirpationem: nihil minus: si enim talis in hominem caderet aut cadere posset ἀναισθησία, vitam ei extingueret. Sed vero significat nobis ἀναισθησία appetitionem & sensum minorem, quam ratio exigit, & tum respondemus ad minorem, quod hæc ἀναισθησία sit in nostra potestate. *ad prob.* fames quidem & sitis & voluptas, quæ eam sequitur, utramque cum explet, non sunt in nostra potestate, ut eam in totum contemnamus ac rejiciamus. Sed ob eam famem aut sitim plus vel minus cibi ac potus sumere, & vel majorem vel minorem in explendâ fame ac siti capere voluptatem in nostra est potestate. Qui jam non tantum cibi ac potus sumit, quantum est necesse, nec voluptatem illam capit, quam capere potest, ac licitè, imo quam capere debet, is dicitur ἀναίσθητος.

V. 2. Obj *Non debet vitium dici, quod homini maxime convenit ei, qui perfectâ virtute est præditus. Sed hæc ἀναισθησία sensuum vacuitas maxime convenit, &c. Ergo. pr. min. eo enim perfectior quis est in virtute, quo magis omnes contemnit voluptates.* Resp. Negamus simpliciter, ad perfectam virtutem requiri sensuum vacuitatem omnium, voluptatis contemtum, sed requiritur earum existentium moderamen debitum: virtus perfecta non tollit voluptates sensuum, sed moderatur.

VI. 3. *Quod laudabile est, non est vitandum. At ἀναισθησία, &c. Ergo à cibo & potu & jam debitis abstinere, famem sitimque pati, laudabile interdum est: quando enim jejunandum est, quando ob valetudinem vel recuperandam, vel confirmandam, abstinetur, certe ille tum voluptatum etiam licitarum per se contemtus laudabilis est.* Resp. ut hoc argumentum solvatur, distincte est respondendum: potest quis fugere & contemnere voluptates sensuum in se licitas duplici de causa. 1. Propter bonum finem, qualis est, valetudo vel recuperanda vel confirmanda, vel pietas Deo exhibenda, ut est jejunium, vel facilior muneris functio, ob quem finem athletæ olim & pugiles abstinebant, etiam à debitis & licitis voluptatibus. 2. Propter tædium quoddam & molestiam, quâ afficitur appetitus sentiens hominis, dum cogitat & judicat, ejusmodi delectationes esse malas atque improbas. Postremi generis homines propriè ac vere laborant vitio ἀναισθησίας, non item illi priores. Itaq; hęc ἀναισθησία non est contraria Christianorum jejuniis, non, valetudinis vel recuperandæ vel confirmandæ intentioni, vel muneris melius exercendi scopo: hæc enim ἀναισθησία, quæ ad tempus est, proficiscitur à judicio recto: at, quæ vitium est, Temperantiæ oppositum, proficiscitur à judicio pravo & corrupto, absque ullâ rectâ intentione.

VII. Quæsitum fuit: *An intemperantia sit vitium turpissimum. Aristoteles quidem in fine cap* 10. *l.* 3. *Eth.* sic asserit: & revera sic res se habet: nam pugnat maxime cum hominis excellentia, dignitate, splendore; quibus omnibus hominibus exuit temperantia, quia brutis & feris eum reddit similem, quod ex affectu intemperantiæ, ad oculos demonstrari potest, si necesse esset. Sed contrà quædam objiciuntur quæ sunt dissolvenda.

VIII. *Parricidium sacrilegium, impietas, sunt graviora & pejora quam intemperantia. Ergo hæc non est vitium pessimum.* Resp. Distinguendum est inter peccati seu vitii gravitatem & turpitudinem. Non asserit Philosophus, nec nos asserimus, intemperantiam esse

omnium vitiorum graviſſimum, ſed turpiſſimum: ſunt quidem alia vitia graviora & pernicioſiora, ſed nulla turpiora ac magis probroſa: quia nullum vitium magis excellentiam, gloriam & honorem lædit hominis. Probroſum dicitur vitium, quod adjunctam habet ignominiam: at multa ſunt vitia, quæ quidem ſunt graviora quam intemperantia, ſed tamen, quæ, non majorem, imo minorem habent adjunctam ignominiam.

IX. 2. *Vitia, quo magis ſunt vulgaria, eo minus ſunt probroſa: ex uſitatis enim vitiis minori pudore ſuffunduntur homines, quam ex inuſitatis: at intemperantiæ vitium maxime eſt vulgare. Ergo, &c.* Reſp. Falſa eſt major. Neque ideo peccatum fit minus probroſum, quia fit magis vulgare. Conſuetudo & communitas peccandi poteſt facere, ut in opinione hominum aliquod vitium non ita videatur fœdum, ſed per ſe tamen & in ſe æque manet probroſum.

X. 3. *Intemperantia verſatur circa cupiditates & voluptates humanas. Sed hæ licet turpes ſint, iis tamen dantur turpiores, belluinæ ſcilicet & ferinæ cupiditates & voluptates.* Reſp. 1. Cum intemperantiam dicimus eſſe omnium maxime probroſam ac turpiſſimam, eam conferimus cum vitiis humanis, iiſque quæ circa humanas voluptates & cupiditates verſantur: at vero vitia circa voluptates & cupiditates belluinas ac ferinas, humana non ſunt. 2. Etiam intemperantia verſatur circa belluinas & ferinas voluptates ac cupiditates, quatenus voluptates & cupiditates guſtus ac tactus homini cum brutis ſunt communes. Sed dicet quis, *voluptas ex carnium humanarum eſu eſt turpior, quam ex nimia cibi vel potus ordinarii appetitione.* Reſp. Eſto: at hæc voluptas inordinata, ex eſu carnium humanarum nata ad intemperantiam refertur, ac ſub ea continetur. Nam quælibet voluptas immoderata ex quocunque cujuſcunque cibi ac potus deſiderio ac fruitione nimia, hic intemperantia dicitur. Cæteras, quæ temperantiam ſpectant quæſtiones, proximâ perſequemur *Exercitatione.*

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUADRAGESIMA-QUARTA,

DE

Quæſtionibus quibuſdam circa Temperantiam.

THESIS I.

QUæſtiones quaſdam circa ipſam Temperantiæ naturam diſcuſſimus *Exercitione præcedente*, nunc morales quoſdam, ut vocant, caſus conſcientiæ diſcutere eſt animus, in quibus tamen decidendis, nullius conſcientiæ laqueum injectum volumus, ſed libertatem, ut ſumimus pronuntiandi, id quod judicamus, ita eandem omnibus relinquimus.

II. Quæritur primo: *An per leges Temperantiæ liceat intereſſe convivüs?* Reſp. Convivia per ſe non ſunt illicita, poteſtque iis per leges temperantiæ quis intereſſe: ſi intelligimus, convivia iſta, quorum finis eſt honeſta recreatio, & jucunda atque liberalis amicorum converſatio, in quibus nulli invito obtruduntur pocula, nemo potu cibove obruitur, & ſua cuivis, quantum lubet, edendi ac bibendi, permittitur libertas. Convivia frugalia & ſobria, nec Philoſophi, nec Theologi, nec

nec ſancti Vet. & N. Teſtamenti, unquam ſunt averſati. Sed immodicis, intempeſtivis, ac luxu diffluentibus conviviis per leges Temperantiæ intereſſe non licet.

III. Quæritur ſecundo: *An per leges Temperantiæ liceat in alterius ſalutem bibere?* Reſp. Non recens eſt, ſed antiquus valde bibendi in alterius ſalutem mos, & deductus, à *Græcorum* uſque & *Romanorum* temporibus, quibus in more erat poſitum, in honorem & in ſalutem bibere, tum abſentium, tum præſentium, ſicut id probat alibi *Lambinus in ſuis ad Plautum Commentariis*. Hanc propinandi conſuetudinem uſitatam fuiſſe ſuo tempore refert *Ambroſius in libro de Iejunio*, ubi hæc reperiuntur. *Quid autem obteſtationes potantium loquar? quid memorem ſacramenta? quæ violare, nefas arbitrantur. Bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum, & qui non biberit, ſit reus in devotione*, &c. Illa in ſalutem propinandi conſuetudo, à Græcis Romaniſque derivata, etiamnum fortiter obtinet apud Moſcovitas, aliaſque nationes; atque apud Germanos etiam ac Belgas noſtrates, qui tali modo ad bibendum fere invitare ſolent homines: obtinet & mos apud Gallos, ſed longe tamen eſt apud eos cautior & moderatior. Quæritur, *an hic mos conſiſtat cum legibus Temperantiæ?* Reſp. Licet bibere in alterius, aut præſentis, aut abſentis, ſalutem, quatènus id fieri poteſt nullo valetudinis detrimento. Ratio eſt, quia hoc ritu, tanquam manifeſto lætitiæ ſigno, teſtamur gratam nobis eſſe alterius incolumitatem, & affectum promimus; quem, ſi alio ſigno promere licet, quidni & hoc? nam certè, ſi hoc bibere in ſalutem alterius fiat nullo incolumitatis noſtræ damno, uti fieri poteſt, & ſæpe atque à multis fit, non magis poteſt improbari, quam ſi alio quovis ſigno conceptam animo noſtro lætitiam de alterius ſalute conteſtemur. Quod ſi vero propinantis animus ſit, alios obruere poculis, onerare potu, eumque de ſtatu mentis dejicere: & alter ſtudeat implere votum propinantis, dicimus ac pronunciamus, illum ritum eſſe deteſtandum & execrandum: tum, *namque eſt in potâ nulla ſalute ſalus*. Itaque, ritum admittimus, nec improbamus, abuſum rejicimus, ac deteſtamur.

IV. Quæritur tertio: *An cum legibus Caſtitatis, quæ Temperantiæ eſt ſpecies, bene conveniat recepta illa apud noſtrates Belgas, aliaſque nationes, conſuetudo, qua peregrini oſcula figunt alienis uxoribus, viduis, ac virginibus, quando eas humanitatis cauſa ſalutant?* Reſp. Vetus eſt illa oſculandi, humanitatis & officii cauſa, conſuetudo: eam tamen non bene convenire caſtitati cujuſque legibus, multi ex antiquis ſapientiæ antiſtitibus exiſtimârunt. *Socrates* apud *Xenophontem* abſtinendum eſſe in totum ab iſta oſculandi conſuetudine cenſet: quia nihil, inquit, ad amorem incendendum acrius eſt oſculo: apud ſapientiſſimum *Senecam*, Virginis, Sacerdotem petentis, inde arguitur impudentia, quod oſculo ſalutata fuiſſet: & certe oſculo pudicitiam Virginis delibari cenſebant Veteres, unde illud *Ovidii*,

Oſcula qui ſumpſit, ſi non & cætera ſumpſit,
Hæc quoque quæ data ſunt, perdere dignus erat.

Attamen, oſcula, innoxia eſſe, & abſque libidinis ulla titillatione, ſolius officii cauſa, caſtè impingi poſſe, quid vetat? neque exiſtimandum eſt, omnium eſſe tam pronam & irritabilem ad libidines naturam, quin citra violationem caſtitatis, ac citra libidinem ullam, id genus mediorum, officii teſtandi cauſa, adhiberi poſſit; quare ſimpliciter non repugnare caſtitati, rite cenſemus.

V. Quæritur quarto: *An ſalva caſtitatis lege, proſtibula & lupanaria tolerari poſſint?* quæ quæſtio, à Politicis quoque ventilari ſolet ſub hoc titulo, an in bene conſtituta Republica ferenda ſint: non quæritur, an ſint excitanda, probanda, laudanda, commendanda? hoc enim boni omnes negant: *Sed an ſalvâ & inviolatâ caſtitate ſint toleranda?* habent lupanaria & proſtibula ſuos, ac publicè quidem, Patronos, in Italia præſertim atque Hiſpania, ubi Magiſtratus indultu patent ubique, ac tolerantur: quin, quòd amplius eſt, Bononiæ ac Romæ tributum exigitur, à meretricibus publice permiſſis. *Vrbs eſt jam tota lupanar*, inquit non nemo de Roma, *Mater & Æneæ regnat in urbe ſui.* Nos contra leges caſtitatis fieri pronuncia-

mus, quod lupanaria & prostibula tolerentur. 1. Quia per licentiam horum prostibulorum omni libidinum generi fenestra aperitur, omnia mala, publica, privata, corporis, animæ, fortunæ, consequuntur, omnis adolescentia corrumpitur atque enervatur. 2. Si in Veteri Judæorum Republica ad sanctitatem nationis Israëliticæ vetuit sanctissimus Deus, ne scorta & lupanaria existerent, ut vetuit *Deut.* 23. multo minus id Christianorum moribus convenire existimandum est, à quibus non minor, sed major potius vitæ probitas, morumque exigitur sanctitas. 3. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona: at sic faciunt, qui Lupanaria permittunt, qui propter tributum publicum, aut ut privatarum familiarum pudori consultum eant, lupanaria permittunt: profectò, ista copiâ & licentia voluptatum impurarum non restinguitur flamma libidinis, sed provocatur magis, atque accenditur, & remedium libidinis est pejus morbo, & aliud ad eam extinguendam mortalibus à Deo est concessum remedium, scilicet matrimonium. Sed videamus quid in contrarium proferri possit pro lupanaribus in Rep. tolerandis: primo, *inter duo, inquiunt, mala, eligendum est minus, uti inter duo bona, majus: at longe minus malum est, tolerare prostibula & lupanaria publicè, quam pati, ut honestæ matronæ, & tenera puellæ, libidinosis impurorum hominum conatibus prostituantur, & quasi exponantur: & hoc quidem imprimis ferendum videtur, iis in locis, in quibus, nec censuris Ecclesiasticis, nec Magistratuum edictis, nec gravitate pœnarum, libidines reprimi possunt, ut in gentibus & nationibus in hoc flagitium propensioribus.* Resp. Inter duo mala eligendum est minus, si utrumque caveri non potest: at nullum est dubium quin hoc malum prætensum tolli possit, si vel ad conjugii remedium unusquisque, qui libidinis flammam sentit, sese conferat, aut se conferre compellatur, aut legibus & pœnis severioribus, submittantur libidinosi; quidni enim pœnarum severitate occurri possit huic malo? aut si non possit, proscribantur libidinũ propudia, & in malam rem abire jubeantur, ab iisque Resp: liberetur: & pone, non omnem hujus mali sentinam exhauriri posse, maxima tamen mali pars tolli potest per leges ac pœnas, & si quid reliquum sit eventus dubii, id Deo committendum: denique, ex duobus malis neutrum est eligendum, si utrumque sit turpe: atqui sic sese res habet in hoc negotio: nam turpe est, ut privati libidinibus sese polluant, & turpe est, ut per publicam lupanarium licentiam libidinum occasio plena offeratur. Sed secundo videamus, quo prætextu vectigalium & tributorum, ex lupanaribus & prostibulis, exactores ea defendant: *Isto, inquiunt, imposito onere & tributo deterreri potest ista libidinosorum hominum fex à turpitudine: verebuntur, enim impositum vectigal, tanquam supplicium.* Resp. Experientiam contrarium docuisse atque etiamnum docere: quippe ex imposito vectigali ac tributo, non fuit restricta libido, sed amplius inflammata; & isti tributorum impositores atque exactores excogitârunt multas artes, quibus fœda libido magis exerceretur, quo plus nummorum ex turpi tributo ad suos loculos rediret: & docet experientia, metu vectigalis non abstineri à libidinibus exercendis, ut nullibi fræna iis laxentur magis quam in Italia & alibi, ubi tributa sunt imposita. Tertio objiciunt: *Lupanaria concedi, jure canonico, jure civili, sententiis Patrum & Scholasticorum, proferuntque testimonium Augustini in libro de Ordine, cap. 4. & Thomæ libro 4 de Reg Princ. cap.* 14. Resp. Jus canonicum & jus civile, quando repugnat juri divino, non jus, sed injuria est: pluris est Dei, quam legum humanarum, Autoritas: ipsa rei æquitas & recta ratio, potior est omni testimonio humano, seu publico legum, seu privato, vel Patris, vel Scholastici: ac speciatim non est audiendus *Augustinus ex libro de Ordine prolatus*, quia eum librum scripsit adhuc catechumenus, postea ætate & prudentia factus sapientior, aliter statuit, ut videre est *libro de Civit. Dei, cap 5. & libro* 14 *cap.* 18. *Quarto, Deus fert divortia, quæ tam malâ sunt, ut majora mala evitentur, uxoricidium, aut simile, ergo & licebit Magistratui tolerare lupanaria* Resp. Est elenchus parium Deo multa sunt licita, quæ nobis non sunt; Deus novit, ex malo, quod permittit, bonum elicere; & habet justas causas permittendi hoc aut illud: at homo non

non potest ex malo bonum elicere, ideoque causam permittendi justam non habet: profectò, non omne potest humana potestas, quod potest divina, quia illa finita est, hæc infinita. Jussit Deus Israëlitis, ut secum auferrent supellectilem Ægyptiorum: sed nullus hominum est, qui hoc juris sumere, vel ausit, vel debeat.

VI. Quæritur quinto, *An Choreæ tolerari possint salvâ castitate? An eæ in Rep. sint ferendæ? An licitæ?* Resp. sunt varii generis choreæ & saltationes, quæ distinguendæ sunt, ne quicquam temere pronuncietur. Choreas quasdam damnamus, alias non item. In sacris litteris mentio fit Chorearum, frequentissima: earum quædam fuerunt licitæ, quædam illicitæ. Licitas quasdam fuisse, vel ipse sapientissimus Salomon comprobat *Eccles.* 3. est tempus lugendi, est tempus saltandi. Miriam, Mosis soror, mortuo Pharaone, tympano lusit, & cum mulieribus choreas egit. *Exod.* 15. 21. mulieres musicis organis & saltationibus triumphos Davidis & Saulis celebrarunt. 1. *Sam.* 18. 6. ipse David lineo amiculo ornatus saltabat coram arcâ ipsi Domino. 2. *Sam.* 6. 14. in hisce choreis & saltationibus nihil fuit peccatum, sed sancti gaudii fuerunt testimonia. Saltarunt Israëlitæ circa vitulum aureum *Exod.* 32. saltavit Herodiades in Nov. Test. *Matth.* 14. sed superstitiosa fuit Israëlitarum, profana Herodiadis saltatio. Extra sacras litteras, apud Gentiles, non unius generis fuerunt Choreæ: multæ extiterunt inter eos choreæ superstitiosæ: nullum fuit solemne iis sacrum, in quo non fuerit saltatum: has plane condemnamus: at habuerunt quoque saltationes bellicas, quibus exercebatur corporis agilitas, quæ instituebantur, ut tanto quis redderetur aptior ad ea peragenda, quæ sibi incumberent: imo & in armis saltabant, ut tanto firmius ac robustius redderent corpus: hasce saltationes non improbamus: quin amplius dicimus: saltatio simpliciter considerata, absque circumstantiis his aut illis, quæ fiat ab uno, ad motum certum, bono fine, non videtur esse absolutè damnanda: si enim ad motum & modulum digitos licet movere in cymbalo ac cytherâ, honestæ voluptatis ergo, quid ni & pedes? quid magis peccatur in harmonico pedum quam manuum motu, cæteris paribus? &, natura ipsa nos docet, motus quosdam, vel tristitiæ & angoris, vel lætitiæ & gaudii, testes; qui si decenter & modeste fiant, licet ad modulum componantur, damnari non possunt: si quod hic est peccatum, totum illud est in excessu & abusu, cum motus ille simpliciter sit innatus, non hominibus tantum, sed animalibus: quare cum ars naturam imitetur, quandoquidem natura quosdam lætitiæ motus ciere solet, non peccabitur, si ars addatur naturæ, &, qui motus, sed inordinati, naturaliter sunt signa & testes gaudii, iidem, sed ordinati & compositi ad modulos; gaudium animi ac lætitiam, sed honeste ac modestè, testantur: itaque saltationem simpliciter ἀπλῶς pronunciamus, &, si modesta, si honesta, si gravis, si verecunda est, si ab uno, aut pluribus, sed ejusdem sexus, hoc modo & sub hisce conditionibus, in finem bonum fiat, bona est. At hæc omnia nihil faciunt, pro choreis & saltationibus hodiernis, quas utriusque sexus homines, viri cum mulieribus, adolescentes cum puellis, instituunt, in conviviis & extra convivia: has in totum detestamur, atque abominamur, ac prorsus damnamus: ob varias rationes, primò, furibundi, insolentis, atque insani animi argumentum, sunt choreæ istæ mixtæ, sive in conviviis, sive extra ea, institutæ: lascivum enim & libidinosum esse saltantium morem, ipse usus comprobat: &, homines tum potissimum ad choreas ducendas sese conferunt, quando, vel ex ebrietate, vel procaci amore, insaniunt: secundò, non ad gloriam Dei instituuntur, sed ad carnis titillationem, ad spurcas voluptates, & fædas libidines excitandas, ut multa possint obscœne vel loqui vel agere: imo repræsentant gestibus, ea, quæ in natura pudorem habent conjunctum: unde laquei sunt, non tantum saltatoribus, sed & spectatoribus, & maxima sunt peccatorum occasio: dissolutas reddit & minus castas matronas: redeuntque ab istis choreis mixtis, & saltantes, & spectantes, multo proniores, ad violandas sanctas

Dei

Dei leges de castitate, pudicitia, verecundia, sermonis, gestuum ac cogitationum: tertio, est in choreis mixtis defædatio quædam gravitatis & dignitatis, quæ Christianum docet, imo, quæ hominem compositum & sedatum ac gravem decet: unde ipsi Ethnici, signum levis animi & hominis irrequieti, choreas ac saltationes habuerunt. Prætextus hîc nulli juvant ad hodiernas choreas excusandas: fieri scilicet posse, ut sint licitæ, si non fiant loco & tempore sacro, modo non impudico, animo non libidinoso, in præsentia honestarum personarum. Resp. modum hîc nunquam servari hodie, & frustra quæri modum, ubi est excessus in modo: deinde intentio bona non facit bonum opus, si cæteris circumstantiis sit pravum: & spectari debet hîc finis, ut Logicè loquar, non operantis, sed operis: denique, non fit licitum & rectum, quod est illicitum & pravum, per locum aut tempus, aut præsentiam virorum proborum & honestorum: quin, extra locum & tempus sacrum, choreæ mixtæ, in præsentia personarum honestarum factæ, illis sunt offendiculo. Hæc igitur est decisio mea: quamvis res sit indifferens, saltatio, ac natura sua, nec bona nec mala, nostratium tamen choreæ, in quibus fœminæ mixtæ viris saltant, malæ sunt, quia à Gentilibus ortum traxere, ad nullius faciunt ædificationem, occasionem præbent multorum peccatorum, & plerumque à benè pastis & potis instituuntur.

VII. Quæritur sexto, *An salvâ castitatis pace, eaque illæsa, institui possint, ludi scenici & theatrici, uti hoc nostro tempore instituuntur?* Sunt qui hosce ludos licitos existimant, & spectari licitè atque agi posse asserunt sub hisce conditionibus: primo, si pro fine habeant honestatem: secundò, si illis gloria Dei non lædatur: tertiò, si nemini scandalum præbeatur: quartò, si thema tractetur & argumentum, & actoribus & spectatoribus, dignum: sed quandoquidem hodie ad gloriam Dei non instituuntur, verum eâm lædunt: quandoquidem pro fine non habent honestatem, sed vel proprium emolumentum, vel turpem voluptatem: quandoquidem non sine scandalo aguntur: quandoquidem argumenta indigna sæpe & indignis modis tractant: ego ad eorum accedo sententiam, qui, eos nec agi nec spectari posse, censent, illæsa castitate: loquor de iis, ut hodie ab histrionibus aguntur. Notum id est omnibus, finem ludorum scenicorum esse, virtutes & vitia ad vivum exhibere: atqui hoc facere, tali modo, non licet: nam, si scelera, si vitia ne nominari quidem debent, multo minus ad vivum, voce, gestu, vestitu, repræsentari: itaque, nulli Christiano licet istam personam induere, in qua viva scelerum effigies eluceat: nam, seriò hoc agunt & sedulò histriones, ut ad vivum quâ maxime fieri potest, omnis generis scelera, ac vitia repræsentent, atque ob oculos ponant, quæ spectata & audita, an non maximam habeant vim polluendi, & inficiendi spectantium & audientium animos, cogitandum unicuique relinquo: ne nunc dicam, quod experientia docet, quædam vitia non posse repræsentari, nisi simul exerceantur, ut sunt, spurci, vani, & ridiculi sermones, desperationes, & execrationes: atque inde oritur, ut plures scenica vitiorum repræsentatione corrumpantur quam corrigantur: inimica enim & mala tenacius hærent. Et certè est, quod Christiani pudore suffundantur eorum, quorum ipsos puduit Gentiles: unum tantum proferam pro omnibus, sapientissimi *Senecæ* testimonium: hæc ejus vox est; *nihil tam est damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt.* Quòd prætexant, histrioniæ & horum ludorum Patroni, recreationem & voluptatem. Resp. illa non nisi honesta est petenda & sumenda. Quod dicant, sic vitia dediscì: 1. Resp. addiscuntur, & ut dediscantur, monita, præcepta, & exempla, in sacris una & profanis, si legantur, sufficiunt. Quod dicant, tali modo etiam linguas addiscì peregrinas. Resp. eæ aliter & tutiori medio & honestiori modo addiscì possunt.

EXER-

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUADRAGESIMA-QUINTA,

DE

Quæstionibus quibusdam circa Liberalitatem.

THESIS I.

VArias hactenus movimus quæstiones circa Fortitudinem & Temperantiam, eundem tenere modum circa Liberalitatem est decretum. Liberalitatem per virtutem definivit *Colleg. Eth. disp. 22. Thes. 2.* In contrarium objici possunt, quæ sequuntur.

II. 1. *Nulla virtus impellit possidentem ad id, quod naturæ & rectæ rationi est contrarium. At liberalitas hoc facit, quia largiri proximo suo, est contra naturam, & rectam rationem, quæ docet, quod proximus sim egomet mihi, & charitas incipit à se, unusquisque tenetur se plus diligere, quam proximum*; Sed facili brachio hoc argumentum repelli potest. Resp. unusquisque tenetur plus se ipsum diligere quam proximum: sed hoc non pugnat cum eo, ut proximo aliquid de suo largiatur: quin tum magis se diligit, quam proximum: quia hoc faciendo, comparat sibi virtutem liberalitatem: si amittit bona fortunæ, dum largitur proximo stipem, recuperat virtutem, bonum animi, quod omnibus, fortunæ bonis longe est potius; tantum ergo abest, ut hoc fit contra naturam & rectam rationem, & amorem sui, ut nihil dici possit magis congruum rationi rectæ, & amori sui ipsius.

III. 2. *Nulla virtus alteram impedit in suis functionibus. Sed liberalitas impedit magnificentiã in ejus functionibus: nam liberalis non facile magnas divitias accumulabit, sine quibus nemo potest esse magnificus.* Resp. liberalitas non impedit Magnificentiam, quia nunquam dat nimium, aut ea, quæ non sunt danda, sed dat danda, & retinet retinenda: si daret non danda liberalis, sic viam sibi obstrueret ad magnificentiam, sed tum non foret liberalis, verum prodigus.

IV. 3. *Virtutes sunt inter se connexæ. At multi sunt virtutibus aliis præditi, qui tamen liberales esse non possunt, ut pauperes. Ergo.* Resp. Pauperes liberales esse non posse, falsum est: quia liberalitas nunquam mensurari aut æstimari debet, ex dono aut magnitudine doni, sed ex dantis ac donantis animo. Pauper, aut nihil planè habet; & tum animus, promptus ad dandum, si haberet, eum facit liberalem; aut habet parum, & exiguum quid; quod si ab exiguis rebus suis & exiguum quid benigno animo dat, liberalis est: nota est ex sacris Evangelii tabulis, istius pauperculæ viduæ liberalitas, quæ unicum nummum in Gazophylacium conjecit.

V. *Coll. Eth. disp. 22. Thes. 5.* probatum fuit, liberalitatem consistere, tum in dando, tum in accipiendo, magis tamen in dando quam in accipiendo: nunc videamus, quæ contra objici possint, ac dissolvamus. 1. *Una specie virtus tantum unum requirit actum: sed liberalitas est una specie virtus: dare & accipere sunt duo actus specie distincti. Ergo.* Resp. dare & accipere moraliter non sunt specie distincti actus, sed in genere naturæ tantum: In genere mortis sunt numero distincti actus, & quidem sibi invicem subordinati: alter enim actus ad alterum refertur, & alterius gratia fit, quippe accipit liberalis ut det. 2. *Non potest esse actus virtutis alicujus, qui consumit præsidia & adminicula felicitatis: sed dare pecuniam, est consumere præsidia, & adminicula felicitatis. Ergo.* Resp. falsa supponitur Hypothesis, quod scilicet divitiæ possessæ & re-

tentæ, sint præsidium & adminiculum felicitatis, cum potius divitiarum consumptio debita, & usus, felicitatem summam promoveat: itaque, cum liberalis suas opes rectè dat, & consumit; eo ipso utitur opibus, tanquam felicitatis instrumento. 3. *Nemo ex opere & actione virtutis contristatur: at dans liberaliter ex actione contristatur, quia dando sua amittit. Ergo.* Resp. liberalem, si prudenter det, & cui oportet, secundum omnes circumstantias rectas, non tristari; sed si imprudenter dederit, cui non oportet dare, tum tristatur, quod sua amiserit.

VI. Officia viri liberalis, tum in dando, tum in accipiendo, ex *Aristotele* expositi *Coll. Eth. disp.* 22. *thes.* 6. nunc ex eodem ad ampliorem liberalitatis explicationem, quinque quas proponit, quæstiones decidemus. Prima est. *utrum in beneficiis conferendis, habendus sit beneficiorum delectus, sic ut meliora retineamus.* Resp. *Aristoteles* negando: nam qui deteriora alteri dat, meliora sibi retinet, is majorem sui, quam alterius rationem habet: At vero liberalis, non tam se, quam eum, cui benefacit, respicere solet: quin suo sepositio commodo, unam spectat ac totam accipientis utilitatem: hoc tamen de tota liberalis viri substantia, seu de omnibus ejus opibus intelligi non debet, sed de hoc aut illo tantum beneficio, quod confert: neque enim quoad omnes suas possessiones, tenetur majorem aliorum, quam sui habere rationem: sic enim omnibus sese exueret, ut alteri benefaceret, quod Christiana charitas non exigit: sed in hoc aut illo beneficio conferendo, si eo valde possit prodesse proximo, etsi aliquo modo sibi desit, potest & debet tunc majorem proximi, si justè egeat, habere rationem, quam sui.

VII. 2. Quæstio est, *quo pacto sint æstimanda beneficia, quæ ex liberalitate proficiscuntur?* Resp. *Aristoteles*, ea non magnitudine, aut multitudine, sed ex animo, atque secundùm facultates dantis, æstimanda esse censet: hinc infert consectarium quoddam, fieri posse, ut, qui pauca dedit, liberalior sit eo, qui plura dedit: & sanè, hoc ipsius Servatoris nostri χαλκῷ calculo comprobatur, qui *Luc. cap.* 21. Viduam illam, quæ duos obulos in Gazophylacium injecerat, plus dedisse asserit, quam reliquos divites: & rationem addit, quia reliqui ex abundantiâ dederant, hæc ex penuriâ universam suam substantiam ferè obtulerat. Atque hinc liquet, pauperes quoque liberales dici posse, etiam eos, qui parum dant, imò, qui nihil, quod dent, habent: Nam tales habitu intimo, & animo saltem liberales sunt: at in eo liberalitatis natura potissimum est posita. Distinguunt hîc Ethici inter liberalitatis praxim, vel interiorem, vel exteriorem. Interiore praxi, seu animo potest pauper quis esse liberalis, imo liberalior divite: at dives exteriore praxi: quia habet abunde quod det, liberalior esse potest.

VIII. 3. Quæstio est. *An liberaliores sint, qui opes suas ab aliis acceperunt vel hæreditate, vel donatione, aut similiter; an, qui suo labore eas sibi acquisiverint? seu, an liberaliores sint, qui de acquisitis, an qui de hæreditariis, vel aliunde acceptis opibus, donant, atque impendunt?* Respondet Aristoteles, plerumque esse liberaliores, qui bona sua jure hæreditario, aut alio modo acceperunt, quam qui divitias proprio labore conquisiverunt. Atque hujus rei duas adfert rationes. 1. Qui aliunde acceperunt, paupertatem experti non sunt, nec labores senserunt, & difficultates rei faciundæ: Ideoque minoris pecunias faciunt facileque eas consumunt. At verò, qui multo labore ac sudore opes suas collegerunt, memores harum difficultatum, & molestiarum, non tam facilè eas erogant (quemadmodum scilicet, qui truculentam Martis faciem nunquam conspexêre, eos ante pericula bellica promptiores, & faciliores, reperire est,) ita quoque, qui nunquam antè egestatis incommoda angustiasque sensere, ad liberalitatem proniores sunt. 2. Unusquisque opus suum magni facit, &, quæ sibi peperit, chariſſima habet: quod Parentum & Poëtarum exemplo probat *Aristoteles*; parentes multo magis amant liberos suos, quam alienos: & Poëtæ singuli amant versus suos, magis quam alienos. Ergo & opes majore habent in pretio, qui eas summo labore congesserunt, quam

ii,

ii, qui eas ex curis & laboribus alienis acceperunt.

IX. 4. Est: *An liberalis facile possit ditescere?* negat *Aristoteles*, 1. quia ad dandum magis proclivis est, quam ad accipiendum; atqui accipiendo ditescimus, non dando, 2. qui ditescere cupiunt, pecunias propter se magnifaciunt: at liberalis pecunias non facit magni propter se, sed tantum ut de illis posset aliis benefacere: ergo: hæc tamen *Aristotelis* sententia, an veritati Christianæ conveniat nescio, usquequaque: tritum apud nos Belgas est proverbium, quod Eleëmosyna non depauperet; &, certè Deus, promisit majori divitiarum cumulo sese remuneraturum liberalitatem in egenos exercitam.

X. Quæstio quinta est: *An Reges & Principes, quia plurimum solent iis donare, quos amant, ideo dicendi sint liberales.* Affirm. *Aristoteles*: quia eorum opes tantæ sint, ut non possint facile exhauriri: sed tamen hæc responsio *Aristotelis* non est sufficiens: nam, testantur Historiæ, opulentissimos, interdum nimia liberalitate se, & res suas, exhausisse funditus: Exemplum est in Antonino, qui & ærarium publicum exhausit, & privatum ita diminutum ivit, ut multum æris alieni contraxerit.

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUADRAGESIMA-SEXTA,

DE

Quæstionibus quibusdam circa Liberalitatis extrema, & Magnificentiam.

THESIS I.

VTi quæstiones quasdam ventilavimus circa Liberalitatem *Exerc. præced.* ita nunc hac *Exerc.* nonnullas pertractabimus circa *liberalitatis extrema*, *Avaritiam ac Prodigalitatem*, item circa *Magnificentiam. Collegii Ethici disp. 23. thes. 5. & 6.* duas proposuimus, atque exposuimus quæstiones, unam thes. 5. *an Avaritia sit vitium oppositum Liberalitati, ac non alteri virtuti?* alteram thes. 6. *utrum vitiorum sit majus, avaritia, an prodigalitas?* ad quæstionem priorem quod attinet, sunt, qui existimarunt, avaritiam potius opponi justitiæ, quam liberalitati: & sic probant.

II. *Avaritia in eo sita est, quod mensuram, & modum transiliat in ipsâ rerum possessione. Sed hic modus, & hæc mensura, constituitur à justitiâ. Ergo Iustitiæ opponitur & non liberalitati. Præterea, fæneratores, aleatores, fures, inter avaros recenset Aristoteles, lib. Eth. 4. cap. 1. sed omnes illi injusti sunt, & justitiam magis violant, quam liberalitatem.* Resp. Avaritia quidem sæpissime conjuncta est cum injustitia: sed tamen non est eadem cum injustitiâ, neque opponitur proprie justitiæ: quod ut intelligatur, notandum est, avaritiam versari, in pecuniâ propria, & injustitiam in aliena, & quidem tali modo; ut avaritia studeat aliquid lucrari, possidere, & suum facere, quodcunque occurrit; injustitia verò studet rem alienam rapere, injuriam facere, ac nocere. Hinc duplici fere modo avaritia conjungitur cum injustitia: uno quidem, si is, qui non stat, aut accipit; quod justitia, vel dare, vel non accipere jubet, velit, primo quidem, & per se lucrari aliquid; deinde quidem ac se-

cundario injuriam facere, quia, scilicet, ad quæstum pervenire, sine aliena injuria non potest: altero modo, si quis primo, ac per se velit injuriam facere, deinde ex injuria lucrum obtinere, tanquam aliquid ex ea redundans.. Utroque modo avaritia conjungitur cum injustitia; sed prior, avarus est primariò, injustus secundariò: alter, primariò est injustus, & secundariò avarus: non tamen confunduntur rationes formales avaritiæ, & injustitię: si enim primo quis velit lucrari, avarus est, sin primò injuriam facere, injustus est.

III. Quod secundam spectat quæstionem; *prodigalitatem simplicem, esse meliorem simplici avaritiâ*, variis rationibus ex Aristot. allatis, *thes. 6 disp. 2. Collegii Ethici*, probatum ivimus. Sed argumenta quædam dissolvenda sunt, quæ in contrarium adferri possunt contra Aristotelis sententiam. 1. *Majus est vitium, quo quis in se peccat, quam id, quo peccat in alios: sibi enim nocere, est magis contrarium naturæ, quam nocere alteri: est quippe unusquisque proximus sibi: at, qui prodigus est prodigentia simplici, in se peccat, dum patrimonium suum, & opes suas consumit: at avarus in alios peccat, dum non dat alius, quibus dare potest: imò, ne quidem in alios peccare videtur, quia nequidem aliis tenetur dare: quo enim jure adstringitur?* Resp Ad minorem, prodigus magis nocet sibi, quam avarus, si bona fortunæ spectentur, quæ avarus servat, prodigus dilapidat: sed, si spectentur animi bona, avarus plus sibi nocet, quam prodigus; prodigus enim, quia per profusionem studet adipisci nominis aliquam famam, licet inanem, qua captat benevolentiam & gratiam popularem; honorem, licet non verum illum, apparentem tamen, pro fine habet; nam simpliciter expetit honorem prodigus, sed decipitur, dum eligit ea præsidia, quibus honor verus non acquiritur: sed avarus nullam honestatis, aut honoris, nec veri, nec apparentis, rationem habet: ita enim amat bona fortunæ, ut præ iis nihil existimet; &, sic sibi magis nocet avarus, quam prodigus, quia avarus sibi nocet in bonis animi, at prodigus in bonis fortunæ: sed bona animi præstantiora sunt bonis fortunæ: ergo noxa in bonis animi, est gravior, quam in bonis fortunæ. 2. *Quod magis peccat contra prudentiam, est majus vitium; sed prodigalitas magis peccat contra prudentiam, quam avaritia. Ergo: Major.* Prob. *quia prudentia est norma, mater, & mensura virtutum.* Resp. Nego minorem: neque enim prodigalitas magis peccat contra prudentiam, quam avaritia: ratio est, quia prodigus peccat contra prudentiam ex inconsiderantiâ: at avarus, ex animi pravitate, ac destinatione: scil avarus, sciens, & volens, per electionem peccat, præferens utile honesto: quin & rationem, per corruptam istam, & nimiam pecuniæ appetitionem, in errorem abducit: qui verò, sic peccat, gravius peccat contra prudentiam, quam, qui peccat ex inconsiderantiâ. At dicet quis, *quare igitur vulgo prodigos vocamus imprudentes; at non item sic avaros?* Resp. Quia ista prodigi imprudentia magis est conspicua, quam avari, qui suam imprudentiam magis novit recondere. 3. *Prodigentiæ proprium est, dare, quibus non oportet, avaritiæ verò, non dare quibus oportet. Sed dare quibus non oportet, est pejus, quam non dare, quibus oportet.* 1. *Quia subducere bonum morale, pejus est, quam non dare bonum fortunæ At prodigus, dans quibus dare non oportet, h e pravis, atque improbis hominibus, eripit illis bonum morale, quia eorum improbitatem alit opibus, & pecunia. Avarus vero, cum non dat quibus oportet, subducit tantum illis bona fortunæ, ergo minus peccat avarus, quam prodigus: deinde, pejus est illud, ex quo pejora sequuntur mala: Atqui ex eo, quod detur, quibus non oportet, pejora sequuntur mala, quam ex eo, quod non detur, quibus oportet: nam ex eo, quod pecunia detur profusè improbis, sequitur, ut improbi ipsi pejores fiant; atqui ex eo, quod pecunia non detur bonis, non sequitur, bonos fieri malos.* Resp. Hoc argumentum, licet probabile videatur, sic solvi debet: 1. cum dicitur, eripere alicui bonum morale, pejus esse, quam non conferre bonum fortunæ, verissimum est: sed cum additur, eum, qui dat, quibus dare non oportet, uti facit prodigus, eripere iis bonum morale, hoc falsum est: si enim hoc contingat, id totum est per accidens: neque enim prodigus, qui simpliciter est prodigus, eo consilio dat,

ut

ut qui donum accipit, eo ad sui, & suorum perniciem abutatur: sic enim non simpliciter, sed compositè esset prodigus: sed ille simpliciter spectat honorem, & nominis famam, quam inde aucupatur. Ille vero, qui non dat, quibus oportet, ut avarus, subducit iis bonum fortunæ, & insuper sibi ipsi eripit bonum honestum, ac temporale. Quod secundò dicebatur, graviora mala sequi, quod detur, quibus non oportet, ut facit prodigus; nam possunt, ex prodiga ejus donatione, sequi adulteria, cædes, aliaque flagitia: Resp. hæc per se, & ex ejus intentione, & consilio non sequuntur: neque dat simpliciter prodigus, ut illa consequantur: itaque argumentum non concludit.

IV. Ab *extremis Liberalitatis* ad Magnificentiam transimus, quam esse virtutem assertum fuit, *thes.* 7 *disp.* 27. *Coll. Ethici*, contrà quædam objici possunt, quæ dissolvemus. 1. *Virtus quælibet talis est, ut unusquisque ejus esse particeps valeat: at unusquisque esse particeps magnificentiæ nequit; non certè inops, quia sumptus magnos facere non potest.* Resp. Inops potest esse magnificus, quantum ad intimum animæ habitum attinet, licet non possit esse talis, quoad externum actum; affectu est magnificus, licet non effectu: pone enim aliquem, qui affectu, & reipsa fuerit magnificus, redigi ad paupertatem, non tamen ideo ille perdet virtutem, aut habitum magnificentiæ, licet posteà virtutem illam exercere non valeat, ex carentiâ sumtuum magnorum, quibus nunc est privatus. Certè, nulli præcluſa est virtus, nec pauperi, nec diviti; omnibus patet: invitat omnes, omnes admittit, & ingenuos, & libertinos, & servos, & reges, & exules, & pauperes, & divites. 2. *Virtus omnis in nostra est potestate. Sed magnificentia non est. Ergo. Quia magni sumtus non sunt in nostra potestate.* Resp. Eadem est solutio: actus virtutum interiores, & qui in animâ hærent, sunt in nostra potestate, nec ulli fortunæ, aut temeritati, sunt obnoxii: externi verò actus, & exercitium virtutis dependet à fortunæ bonis: & sic magnificentia, licet, quoad exercitium sumtuum faciendorum, non sit in nostra potestate, est tamen in ea, quoad actus internos animi. 3. *Virtutes omnes inter se sunt connexæ. Sed magnificentia non est connexa reliquis. Ergo.* Resp. De majore dubitari potest; sed admittamus eam; vera enim saltem est de statu heroico virtutum, quamvis is non cadat in hanc vitam: ad minorem dicimus, omninò, magnificentiam esse conjunctam cæteris virtutibus, si in statu heroico, & perfecto considerantur. 4. *Virtus consistit in mediocritate, sed magnificentia non consistit in mediocritate. Ergo. Probo minorem, quia sumtus magni, & maximi non sunt mediocres: at versatur magnificentia in sumtibus maximis.* Resp. Objectum materiale Magnificentiæ sunt quidem sumptus maximi; sed in iis ipsis faciendis, est parum, nimium, & mediocre: itaque, si rei, circa quam magnificentia versatur, quantitas spectetur, ea maxima est, id est, non versatur circa sumtus mediocres; sed, si spectetur rationis regula, in medio consistit, ut quælibet virtus: quamvis enim magni sint sumptus, quos facit magnificus, in iis tamen mediocritatem servat, quando in iis faciendis servat regulam, à recta ratione præscriptam; à qua receditur circa sumtus magnos, & in excessu, & in defectu.

V. *Magnificentiam esse virtutem, non specie*, ut multi volunt *Aristotelici*, sed gradu tantum, distinctum à liberalitate, evictum fuit, *Thesi* 8. *Disp.* 23. *Coll. Ethici.* nunc objectiones adversariorum dissolvemus. 1. *Liberalitatis actiones sunt, acquirere, seu accipere opes, & eas largiri, ac dare: sed magnificentia non acquirit aut accipit, sed tantum largitur & impendit. Ergo.* Resp. falsa est minor: nam accipere, & dare, acquirere, & largiri, sunt actus utriusque virtutis, & liberalitatis, & magnificentiæ: utrumque actum uterque, & liberalis, & magnificus, exercet, sed principaliter tamen dat uterque, ac largitur, hic quidem majora, ille minora: &, ut dare uterque, & largiri valeat, acquirit interdum uterque, & accipit. 2. *Si omnis magnificus quidem sit liberalis, sed non omnis liberalis sit magnificus, ergo magnificentia, & liberalitas, non est eadem virtus. Sed: ergo.* Resp. negatur conseq. quia hoc tantum infert discrimen gra-

duum, non ſpeciei: nam, qui verſatur, putà magnificus, circa pecunias majores, idem verſari poteſt circa pecunias minores, & eſſe liberalis, licet, qui verſatur circa minores pecunias, putà liberalis, non poſſit verſari circa majores, & eſſe magnificus: verùm, id non infert diſcrimen ſpecificum, ſed graduum. 3. *Alia eſt liberalitatis, alia magnificentiæ, ratio formalis, & definitio, ergo non eadem eſt virtus.* Reſp. negatur conſeq. ratio formalis & definitio diverſa, non infert differentiam ſpecificam, aut diſtinctionem realem rerum, ſed modalem ſæpe, aut rationis ratiocinatæ, quia diverſa ratio formalis, & definitio, fundatur ſæpe in reſpectibus, & varia habitudine tantum.

EXRECITATIONUM ETHICARUM QUADRAGESIMA-SEPTIMA, DE Quæſtionibus quibuſdam circa Magnanimitatem & Modeſtiam.

THESIS I.

POſt excuſſas, circa *Liberalitatem & Magnificentiam*, objectiones varias, eodem modo verſabimur circa *Magnanimitatem & Modeſtiam*: de qua utraque καθ' ὁδηγησιν actum eſt *diſp.* 24. *Coll. Eth. ac theſ.* 2. probatum fuit, *Magnanimitatem eſſe Virtutem*; diſſolvenda veniunt quædam, quæ objici poſſunt.

II. *Nulla virtus eſt alteri virtuti contraria: non enim virtus, virtuti, ſed vitio opponitur: ſed magnanimitas adverſatur virtuti alteri, ſcil humilitati: hæc enim docet contemnere magnos honores.* Reſp. nonnulli dicunt, humilitatem eſſe virtutem Chriſtianam, & non moralem; ideoque Ariſtoteli non fuiſſe cognitam. Alii, eam aliis nominibus ab *Ariſtotele* deſcriptam arbitrantur: quicquid ſit, nos dicimus, humilitatem non pugnare cum magnanimitate: ſed poſſe aliquem, qui humilis ſit, eſſe magnanimum, & contra, qui magnanimus eſt, poſſe eſſe humilem. Quod ut intelligatur, videndum eſt, quid per humilitatem intelligant, & qualis hæc ſic virtus. *Thomas Aquinas in* 2. *parte ſuæ ſummæ Quæſt.* 161. deſcribit humilitatem, quod ſit virtus, quæ refrænat & continet in poteſtate animum, ne in magnos honores immoderatè tendat: at, profectò, ſi nihil aliud dicatur de humilitate, non video, cur inter *Chriſtianas* virtutes, & *Chriſtianis* ſolis proprias, numeretur; quidni autem talis virtus in ethnicos cadere valeat? Quid? an non multi gentilium animos ſuos continuerunt, & refrænarunt, ne immoderatè in magnos honores tenderent? certè, iſtâ laude non omnes ſunt privandi. Quid? quod tali ſenſu humilitas à magnanimitate non differat: Magnanimitas eſt enim *Ariſtoteli* illa virtus, quæ frænum ponit animo, ne modum excedat in magnis honoribus appetendis: ſi eam placet, virtutem, non magnanimitatem, cum *Ariſtotele*, ſed humilitatem, cum *Chriſtianis* appellare, per me licet; qui circa voces nunquam ſum difficilis: modò res ipſa dextrè intelligatur: & ſic magnanimitas non adverſatur humilitati; ſed eſt eadem cum ipſa; & non omnia tum ſunt ipſa, ſed verò plura ſunt, quæ *Chriſtiani Theologi* exigunt circa humilitatem, ut doceat ſolummodo magnos honores appetere moderate: nempe, volunt inſuper per illam virtutem animum, hominis *Chriſtiani*, in totum ſubjici Deo, tanquam bonorum omnium authori, ac largitori: ſicut, qui vere humilis eſt, quamquam

quam videat in se virtutes varias, aliaque animi ornamenta, ea scit & confitetur esse, non sui ipsius merita, sed Dei optimi maximi dona & munera, & per ejus benignitatem illa sibi esse collata; atque hinc, summâ animi demissione, Deum, fontem omnium bonorum, veneretur, ac colat: ac licet, hæc humilitatis *Christianæ* requisita, aut vix, aut non videantur, *Aristoteli* fuisse cognita, non tamen pugnat cum magnanimitate: quidni enim possit vir humilis magnos expetere honores, modò eos expetat ad venerandum Deum, ut profiteatur, non se dignum isto honore, quem, vel expetit, vel suscipit, sed honorem, sibi delatum, deberi Deo? Itaque negamus, quod in argumento dicebatur, *Magnanimitatem sic pugnare cum humilitate, ut, qui humilis est, idem nequeat esse magnanimus; & contrà:* quamvis enim actus utriusque virtutis, & magnanimitatis, & humilitatis, non possit quis simul exerere, quidni idem tamen, nunc humilitatis, nunc magnanimitatis actum, exercere valeat? potest enim uterque habitus in eodem animo hærere, & pro temporis, loci, personæ, aliarumque circumstantiarum varietate, producere, nunc humilitatis, nunc magnanimitatis actus: neque existimandum est, virtutes morales & Aristotelicas, pugnare cum virtutibus Christianis, & spiritualibus: quin potius ab iis perficiuntur, & iis subordinantur: quod, semel in genere monitum volo, & teneri rectè debet.

III. *Virtus moralis omnis aliquem regit affectum, sed magnanimitas nullum: E: G: quia affectus sunt animæ sentientis, & fiunt cum corporis motione, ac mutatione: sed honoris cupiditas non est talis affectus, quia cietur corpore nihil patiente, ut ipse docet Aristoteles cap. 3. lib. 4. Eth.* Resp. Cupiditatem honoris, tam esse affectum animæ sentientis, ac sunt reliquæ aliarum rerum cupiditates; & cieri etiam, cum corporis motione: &, cum *Aristoteles* dixit, *Honoris cupiditatem in nobis excitari, corpore nihil patiente*, hoc significatum voluit, non tantum commoveri corpus, in cupiditate honoris, quantum quidem movetur ac patitur in cupiditate voluntatis, aut vindictæ, aut simili.

IV. Sed objectum Magnanimitatis paulò plenius excutiamus; illud fecimus *Coll. Eth. disp. 24. thes. 3. cum Aristotele*; honores magnos, quos appetit & sectatur *Magnanimus*, accipit, custodit, negligit, contemnit, dimittit, ut oportet, juxta præscriptum rectæ rationis. Quæri hic solet ab Ethicis, *Utrum Magnanimus honores magis appetat, an contemnat?* cum enim in his duobus actibus æque versari & occupari non possit, quæritur, *in utro magis versetur & occupetur? Aristotelis* quidem sententia, & ab affirmantibus & à negantibus in contrarias partes trahitur: nos distincte mentem nostram proponemus: ac primò notandum est, ut de *objecto Magnanimitatis* nonnihil philosophemur: honoris nomen interdum sumi pro ipsa honoris causa, quæ virtus est; interdum pro judicio & opinione, quam fovemus, & tenemus in animo nostro de aliorum excellentia: propriè tamen significat aliquod externum signum reverentiæ, quo judicium nostrum patefacimus, & virtutem sic in aliquo honoramus: qualia signa sunt, varii gestus, significantes observantiam, loca in consessu, prima, & in congressu honoratiora, monumenta publica, triumphi, orationes, versus, &c. quæ soli virtuti propriè debentur, licet à vulgo interdum, & bonis fortunæ, vel ob ea iis, qui ea possident, exhibeantur: hæc nunc applicemus. Magnanimus honorem, primo sensu acceptum, pro ipsa virtute, honoris causa, nunquam contemnit, nec contemnere potest, si verè est magnanimus: sed hæc magnanimitas latior est, & significat cujuslibet virtutis studium constans: deinde, honores deferri solitos propter bona fortunæ tantum, et si nulla virtus comitetur eos, quibus deferuntur, strenue contemnit: tertiò, illos verò honores, qui ob ipsa virtutum merita, conferuntur, interdum expetit, interdum contemnit, pro ratione circumstantiarum: est enim hoc utrumque Magnanimi officium, aliquando expetere, aliquando negligere honores, quos virtus est promerita; & quidem sic, ut, sive contemnat eos, sive expetat, recta semper ducatur ratione: nam, cum expetit eos honores, atque accipit, quos sua virtute est promeritus, nunquam eos anteponit honestati, imo verò ideo expetit, quòd videat eos esse honesti con-

congruentes: intelligit tum *Magnanimus*, honores sibi delatos esse utiles aliis, ut ad similes virtutes, quibus meritus est honores, illi excitentur: intelligit & vult, alios, qui honores deferunt, agere, quod suarum est partium, dum rependunt honores, virtutibus meritisque debitos: &, uno verbo, nunquam honores illos, sibi delatos, ad se refert magnanimus, sed ad honestatem semper, atque utilitatem, vel publicam, vel privatam: & hunc eundem scopum ac finem habet, quando honores contemnit; quos non contemnit, nisi rei, vel publicæ, vel privatæ, ratio postulet, & honestas præscribat: itaque possunt ea esse tempora, loca, personæ, aliæve circumstantiæ, ut interdum appetere, interdū contrà, contemnere honores, sit honestius. Sed quæritur adhuc, *utrum duorum sit præstantius, quando utrumqeu rectè fit.*

V. *Buridanus in suis quæstionibus Ethicis*, censet, magnanimitatem magis consistere & elucere in honoribus appetendis, quam in contemnendis. Alii tamen contrà sentiunt, magnanimitatis esse potiùs, honores contemnere, quam expetere: quorum sententiam probabiliorem existimo: & ratio hæc est: in eo magis consistit virtus, ex quo major reportatur laus: sic enim argumentatus est ipse *Aristoteles*, quando docuit, liberalitatem potius, in dando esse sitam, quam in accipiendo; quia major laus redit in dantem ex dando, quam in accipientem ex accipiendo: atqui magis quoque laudatur magnanimns, quod contemserit, quam, quod expetierit honores: quod probatur ex variis encomiis Magnanimorum, quæ in scriptis extant authorum: multò enim sæpius invenias laudatos, qui honores, statuas, monumenta, contemserunt, quibus tamen erant digniſſimi, quàm, qui ista honoris signa, & insignia, sibi conferri sunt passi: deinde, id in unaquaque virtute melius, dignius, ac præstantius censeri debet, quod est difficilius: sed difficilius est, contemnere honores magnos, ut oportet, quam expetere, ut oportet: habemus enim insitam in natura nostra honoris cupiditatem, sumusque omnes à natura propensi ad honores accipiendos: & contrà, nullam sortiti sumus propensionem ad honores contemnendos: ergo, &c. Concludimus itaque, Magnanimitatem esse, virtutem circa honores magnos, vel contemnendo, vel expetendo; magis tamen cerni in contemtu eorum, quam in expetitione.

VI. Sed quæri hic potest adhuc: *An ullo modo honores magni possint appeti?* Resp. Quidni! omnis enim honor, qui defertur, tanquam virtutis comes, & bonorum virorum approbatio, bonus est: at omne bonum appeti potest. Si verò honor simpliciter appeti potest, quia per se non est malus: etiam magnus honor, pro merito magnarum virtutum, appeti potest: certè, honor à virtute ad virtutem, & ad publicam, ac privatam, salutem tendit: at, quod tale est, licitè appeti potest. Quid? quod honores magni magna sunt incitamenta, & calcaria ad virtutes magnas.

VII. *Extrema* Maganimitatis, ei opposita vitia, sunt in defectu; μικροψυχία, *pusillanimitas*, & in excessu, κανότης, *fastus*: *pusillanimitas est*: si quis minoribus se dignum honoribus judicat, quam dignus est, pusillanimus est: *fastus est*: cum quis majores sibi, quàm meretur, honores arrogat: Quærunt *Aristotelis interpretes: Vtrum extremorum magis adversetur Magnanimitati? Aristoteles* si consulatur, is pusillanimitatem pronunciat magis adversari magnanimitati, quam fastum, quia frequentior est: at, malum, quo frequentius, eò est deterius: at nescio, an hæc *Aristotelis* sententia sit vera: & nescio, an pusillanimitas sit frequentior fastu: imò contrà, fastus est animi elatio ista, quando quis sine virtute, ac merito, honorem expetit, & est pejor illa pusillanimitate, quæ honorem virtutibus debitum, repudiat simpliciter: sed pusillanimus, qui non honorem tantùm, sed virtutem, honoris causam, aspernatur, is æque pravus est, atque elati animi homo, & fastu corruptus: & vix est hic discernere, uter altero sit pejor: variat enim utriusque vitii magnitudo, ac parvitas, pro ratione circumstantiarum.

VIII. Magnanimitatem excipit apud *Arist. Modestia, in parvis ac mediocribus honoribus, vel expetendis, vel contemnendis, occupata*; hæc ita se habet ad *Magnanimitatem*, ut *Liberalitas ad Magnificentiam*. Quæsitum est *thes.*

12. *Coll. Eth. disp.* 24. *An Modestia magis sit sita in expetendis, an in contemnendis honoribus?* R. nos, quod de Magnanimitate pronunciavimus, idem de Modestia pronunciamus, easdem ob rationes; asserimusque, modestiæ radios, vim ac virtutem, magis elucere in honoribus mediocribus contemnendis, quam in iis expetendis, quia longè plus difficultatis in priori actu, quã in posteriori, cernitur; quippe ignei sunt hominum plerumque animi, & pectora mortalium ambitiosa, honorumq; avida; at rariùs sese eò abjiciunt, ut non admittant honores meritos: quare etiam Modestiæ exemplum, & jubar clarius, sese exerit in honorum mediocrium contemtu, quam in eorumdem appetitu, & prosequutione: sed verò circumstantiarum hic sedulo habenda est ratio; hisce enim neglectis, aut, per imprudentiam, sufficienter non examinatis, facile est, ut quis à medio hujus virtutis alterutro actu, vel contemnendi, vel expetendi, honores debitos recedat ac resiliat, atque in extrema impingat.

IX. Quæri hic potest non incommodè, circa hanc virtutem, Modestiam: *an nunquam quisquam se ipsum, citra invidiam, laudare possit? an id semper sit inhonestum, & immodestum?* quæstio sanè utilis & jucunda, de qua integrum libellum reliquit *Plutarchus*: utcunque propria laus sordeat, videtur tamen non in omni occasione esse rejicienda: nempe, si calumnia sit repellenda, & accusatio injusta depellenda, videtur aliquis sine ulla animi vanitate proferre posse ea, quæ ad laudem propriam faciunt, sine ulla invidia, ad justam sui defensionem; quidni enim liceat, rectè à se facta, quando alii ea culpant, tueri? inprimis verò, si nostrum accusetur officium, licet justè, virtutes, in officio obeundo, præstitas, deprædicare; quomodo eas de se enarravit ipse *Apostolus*, satis fuse in 2. *ad Corinth.* cap. 12. 12. Deinde, si homines sint ingrati, & debita laude aliquem privent, quidni liceat ipsi esse præconem laudum propriarum, ut eos sui officii admoneat, modò ne alta nimis buccina eas canat? ita videmus, Ajacem non inepte, multa sua præclarè facta, recitare, in ista concertatione cum Ulysse, quando putavit justa se laude privari: in tali æmulatione non videtur esse licita laus propria: sed, si hisce, aut aliis casibus, virtutes suas quispiam ipse laudet, opera tamen ipsi semper danda est, ut propriæ laudes aptè vadant ad institutum præsens, serveturque decorum, ad omnem evitandam invidiam: &, laudes istæ non tam nobis adscribendæ, quam Deo, & aliis hominibus, quorum opera & auxilio quis multa præclarè fecerit: sed pro prudenti circumstantiarum examine, hæc omnia sunt agenda.

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUADRAGESIMA-OCTAVA, DE Quæstionibus quibusdam circa Mansuetudinem.

THESIS I.

A *Magnanimitate* & *Modestia* ad *Mansuetudinem* transimus, secuti in eo filum & seriem *Aristotelis Eth.* ad *Nicomach.* L. 4 c. 3. & 4. Hunc enim pro Duce & Luce, præscripsit *trium litterarum Tyrannus*, *MOS*. Licet alii non tanti ejus authoritatem faciendam

dam existiment, ut pro norma agendi assumi debeat, quia parum sæpe sibi constet, versetur que frequenter in incerto & ancipiti, &, apud quem innumera deficiant, abundent innumera, innumera fallant, contradicant innumera, quod probatum inter alios vide apud *Gassendum* in *exercit. Paradox.* Sed quid facias, ubi regnum obtinet, & supremam potestatem illud, *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Sequamur ergo communem palantium gregem, ac *Modestiæ & Magnanimitati* subjiciamus *Mansuetudinem*, αὐστηδιαιτικῶς pertractandam, hac *exercit.* ut circa reliquas ante virtutes est actum: καθαστηδιαιτικὴ ejus pertractatio instituta fuit in *Coll. Eth Disp.* 25.

II Dictum est inter alia, *disp. cit. th.* 2. *Mansuetudinem esse virtutem.* Objici solent duo hæc. *Quod pœnam & iram imminuit, & alteri virtuti contrariatur, illud ipsum non est virtus. Sed mansuetudo utrumque facit: prius liquet ex ejus officiis, posterius ex eo, quod adversetur severitati, quæ nec iram, nec pœnam minuit. Ergo ipsa non est virtus. Resp.* Ad hanc objectionem respondet *Wendelinus in Eth l.* 1. *cap.* 23. distinguendo, inter defectum, & moderationem iræ & pœnæ: posterius convenire Mansuetudini, nec in eo repugnare severitati. Nos rem hanc sic exponimus; semper in moralibus habendam esse rationem circumstantiarum (*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*) à quibus omnis & tota rata ratio bonitatis ac malitiæ dependet: quæ si impræsentiarum examinentur, apparebit, mansuetudinem, nec imminuere pœnam aut iram simpliciter, aut ullo modo contrariam esse severitati: nam *Mansuetudo* non imminuit iram aut pœnam, nisi quæ imminui utraque quando, quamdiu, &c. debet, & sic non consistit in defectu, qui est vitium, sed qui est virtus: sic enim deficere circa iram aut pœnam, ubi deficiendum esse recta ratio suadet, imo jubet, in virtute collocandum est. Nec hoc repugnat *severitati*, quæ istam infligit pœnam, istam exercet iram, quæ infligi & exerceri debet, quod iterum ex circumstantiis dijudicandum est: ideoque in idem subjectum, eodem tempore cadit, & *Mansuetudo* sive *Clementia* (quas non distingui re ostendimus *Coll. Eth. disp.* 25. *th.* 5.) & *Severitas*, licet in actu secundo, circa objectum idem, utraque simul exerceri nequeat: neque enim fieri potest; ut idem Judex, eodem tempore, circa eundem hominem, & imminuat & infligat, eandem pœnam, iram exerceat debitè & non exerceat: si enim debitè, ex præscripto rectæ rationis, iram exerceat; abest ab ipso, quod debitè non exerceat, si pœnam debitè infligat, tribui ei non potest, quod debitè eam imminuat, sic, ut actus *Mansuetudinis & Severitatis* circa objectum idem (*objective* vulgò) pugnent eodem tempore; circa subjectum idem (vulgò *subjectivè*) non item: potest quis esse simul *Mansuetus & Severus*, ut non exerceat virtutem utramque simul, eodem tempore, circa eundem, licet circa diversos possit: ideoque virtutes ipsæ inter sese non pugnant, neque una alteri contrariatur: res sic se habet, uti in Deo in quo est *Justitia* puniens peccata (*hæc instar Severitatis est*) & *Misericordia* condonans peccata (hæc instar est *Mansuetudinis*) hæc duo attributa à Deo, eodem tempore, circa subjectum idem, exerceri nequeunt: neque enim fieri potest, ut, cui Deus hoc tempore condonat peccata, eundem eodem tempore ob ea puniat, aut vice versâ; neque tamen hinc licet inferre, Ergo *Justitia* in Deo adversatur *Misericordiæ*, aut contrà: sed nihil impedit, quin circa diversos homines, etiam eodem tempore, exerceantur simul, ut, hunc puniat Deus & peccata, alteri eadem condonet, eodem temporis articulo. Non pugnant in actu primo in Deo, neque in actu etiam secundo, si referantur ad objecta diversa, sed tantum si referantur ad objectum idem. Hæc applicentur *Mansuetudini & Severitati* in homine, & res est eadem.

III. *Coll. Eth Disp.* 25. *th.* 5. Quæsitum fuit, *An omnis ira sit in vitio posita?* Distinctum fuit, inter iram temerariam, & justam indignationem, inter immoderatam, & moderatam: illam illicitam, hanc licitam esse, assertum fuit. Valde multa habet contra hanc sententiam *Seneca in libris de ira.* Sed omnia ejus argumenta ex ejus *de ira libris* colligere, non est, hujus aut nostri instituti: collegit & dissolvit *Tarquinius Gallutius in lib.* 4. *c* 4. *Eth. Nicom.*

Nicom. quæst. 1. Unum proponam tantum argumentum contrà, quod adferri tamen vulgo solet. *Quodcumque est inimicum rectæ rationi, eamque non audit, multo minus exaudit, illud est vitium. Sed ira omnis est talis & hoc facit. Ergo &c. Resp.* Ira ad rationem rectam dupliciter se habet, vel antecedenter, vel consequenter. Ira antecedens rectam rationem, ei est inimica, neque eam, vel audit, vel exaudit, sed corrumpit ac de throno suo sæpe eam dejicit: & sic, ut non audit currus habenas, ita nec ira rationem. Ira rationem consequens, est amica ei, quia eam jam audivit, exaudivit, ei se subjecit, ejus consilium sequitur: ut si quis irascatur vitiis, vel suis, vel alienis, postquam eorum turpitudinem vidit, & agnovit.

IV. Illud gravius est, de quo *th.* 8. *disp.* 25. *coll. Eth. comm.* (a) agitur, *An vindicta consistere possit cum Mansuetudine?* seu, *An vindicare injuriam, sit licitum?* Distinximus inter *vindictam privatam, & publicam*: *illam esse illicitam, pronunciavimus, hanc licitam.* Ac, quamvis hæc distinctio & solutio sit omnibus sanioribus Philosophis approbata hactenus, *Timplerus* tamen *lib.* 3. *Eth. c.* 1. *quæst.* 1. convellere eam ac penitus subruere, conatus est, asseritque hæc duo: 1. neque privatam vindictam in totum esse illicitam; 2. neque publicam vindictam in totum esse licitam: ratio prioris, quam adfert, hæc est; quia, inquit, hinc sequeretur, Patrem familias non posse absque peccato castigare infantes, vel alios in rem familiarem peccantes punire, & sic injuriam domesticam vindicare: ratio posterioris, quam adfert, hæc est; quia, inquit, sequeretur hinc; Magistratum in puniendis peccatis non posse peccare. *Timpleri* sententia propria hæc est. Distinguit inter vindictam moderatam seu justam, & inter immoderatam seu injustam: illam, homini cuique, sive fuerit persona publica, sive privata, esse licitam: hanc, indifferenter omni personæ, seu privatæ, seu publicæ, illicitam esse. Sed non insuetum est *Timplero*, cornicum oculos velle configere, & novaturire, quippiamque proferre, quod à vulgari sententia abeat, ut solus incidere videatur in viis suis; quam gloriolam ei non invidemus, dum perpetuo ferè non in Practicis modo, sed in *Physicis* præsertim, ac *Metaphysicis*, & *Exercit. Philosoph.* laureolam in mustaceo quærit. Sed enim multa hic sunt animadversione omni dignissima. Quomodo probabit *Timplerus*, aut unde, ullam vindictam esse justam, aut moderatam, aut licitam, quæ ab homine exercetur privato in privatum; aut quænam causa eam possit reddere justam, moderatam, licitam, nisi in unico casu, quem vocamus moderamen inculpatæ tutelæ, de quo à nobis actum fuit *Coll. Eth Disp.* 25. *th.* 7. *comm* (a) *in fine.* Vindicta publica est bellum, quod, quæ causæ reddant licitum & justum, jam ante 4. *exercit.* in hoc curriculo discussimus. Generale est illud Apostoli, omnes omnino subditos obligans, *dilecti, ne vindicate vos ipsos.* Ideoque, si privatus à privato injuriam tulit, non licet ipsi parem injuriam referre, sed vindicta Deo est relinquenda, qui dixit, *Mihi est vindicta.* Quod si privato privatum non licet vindicare, multo minus licet ei, de superiori, aut Magistratu, à quo læsus est, vindictam sumere; imo, ne quidem id licet, etiamsi possit clanculum; amplius dicam, ne quidem personæ uni publicæ in alteram licet, quando injuriæ sunt privatæ: ita pepercit Sauli David, cum esset in manu suâ, capitali tamen hosti, ut uncto Domini, & tamen David ipse in regem unctus fuerat: sic non licet uni Consulum de altero injuriam sumere, ob injurias particulares mutuas. Hinc liquet obiter, quanto minus liceat subditis in Principes suos, aut Reges, etiam iniquos, insurgere? Deinde gravissimè impingit, *Timplerus*, cum existimat, ad privatam vindictam pertinere, cum parentes animadvertunt in liberos ob eorum delicta, aut domini servos suos moderatè ac justè puniunt: gerunt enim ambo personam magistratus, ejusque officium exequuntur, ac sustinent rationem personæ publicæ. Denique, quod dicat, si vindicta publica in totum sit licita, sequi, magistratum in puniendo nunquam peccare. Resp Nulla est sequela: quia, si Magistratus in puniendo modum excedat, tum vindicta publica non est justa, at nos per vindictam publicam intelligimus,

juſtam, ac moderatam : quam, quoties & quamdiu exercet Magiſtratus, numquam peccat, nec modum in puniendo excedit. Ideoque, ſi illud à judice fiat, jam non vindicta publica eſt, ſed privata, quia privato affectu, & odio aut ira, plus pœnæ ſumit de reo quam meretur, quod eſt ulciſci privatas injurias, non publicas, & vindictam ſumere ſibi, non Reip.

IMPERTINENS.

Quicquid eſt, & fit, principia quædam habet, à quibus eſt & fit, *mole* parva, *numero* pauca, *habitu* ſimplicia, *à quibus tamen res, in ſtupendam* magnitudinem, multitudinem, varietatem, *ſeſe diffundunt. Omnia id oſtendunt.* Flumina *ſuos habent fontes, è quibus ſcaturiunt*: Arbores & herbæ *ſua ſemina & radices, ex quibus ſurgunt*: Ædificia, *ſua fundamenta, quibus innituntur* : Mundus *ipſe, ex paucis elementis, pauciſque formarum differentiis conſtat* : Ars *item quælibet, ſua habet principia, quorum variâ tranſpoſitione omnem ſuam operationem peragit. Quidni igitur* Sapientia *ipſa, totus nempe, rerum & intellectus humani, apparatus, ſuos quoque habeat primos fontes, prima ſemina radiceſque, prima fundamenta, & elementa ſua? Viderunt id jam pridem Philoſophi, diſciplinam quandam eſſe conſtituendam* generalem, *quæ omnes humanæ mentis conceptus in aliquas ſummas, & ſummas in aliquam* ſummarum *ſummam redigat. Hanc* Ariſtoteles *cum conſtitueret*, Philoſophiam primam *appellavit, item τὰ μετὰ τὰ φυσικά, i. e.* poſt Phyſicam, *unde &* Ariſtotelici *eam docendam, diſcendamque volunt poſt Phyſicam* : *quem errorem Philoſophi hactenus errarunt fermè omnes, ſcientiam hanc eruditionis faſtigio ſervantes, cum eruditionis fundamentum ſit* : *tradit enim (rectè conſtituta) principia Rerum & Cogitationum omnium. Atqui, ſi prima eſt iſta, cur in ultimum retruditur locum? ſi principia explicat cur concluſionibus poſtponitur? Aberratum profectò hîc fuit à januâ, quod, non hæc, omnibus ad ſcientias & artes aditum quærentibus, reſerata ſit primum atque aperta. Sed* Metaphyſicam, *hîc intelligo & deſidero, non ſpinoſam illam, & vulgarem, atque altercatricem, ſed quæ ſit*, ordinatiſſima compages terminorum generaliſſimorum & principiorum per ſe notorum, nec ulla probatione, ſed per exempla tantum illuſtratione, egentium, è quibus, omnia inferiorum, ſcientiarum, ſive principia, ſive concluſiones, nullo negotio deduci queant. *Talem* Ianuam Rerum *exſpectamus ab eo, qui* Ianuam Linguarum *dedit.*

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUADRAGESIMA-NONA,

DE

Quæſtionibus quibuſdam circa virtutes ὁμιλητικάς.

THESIS I.

MAnſuetudinem apud *Ariſt. lib. 4. Eth. cap. 5.* excipiunt *cap. 6.* Virtutes ὁμιλητικὰς, *converſatrices*, quarum naturam ſatis expoſitam dedimus *Coll. Eth. Diſp. 26. 27. 28.* nunc quæſtiones circa eas movebimus ac diſſolvemus; prius tamen obiter *Comitatis* originem paulò altius ab origine repetemus.

II. Ait

II. Ait *Arist. Polit. lib. 1. cap. 1.* hominem ex naturâ suâ esse ζῶον πολιτικὸν, animal societate gaudens, imò magis, quàm ipsæ gaudeant apes aut similia animantia, quæ sine grege aut sociis vivere non solent: unde homo quoque nonnullis dictus existimatur, ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ vel ὁμῷ, simul, quod homo simul esse cupiat cum aliis: Certè, homo multis indiget, quibus parandis, & acquirendis, sibi solus non sufficit; sed aliorum hîc auxilio eget: alius texit, alius coquit, alius agrum colit, alius oves pascit, alius alia vitæ humanæ sustinet ac persequitur munia, quæ singuli ac soli obire nequeunt. Hinc cum aliis homini est versandum, agendum, transigendum: per sermones, gestus actusque externos, quibus significat, quid desideret, ac petat, vel auxilii, vel consilii, ex communi congressu: ac, cum in hisce, vel bene, vel malè, sese gerere possit homo, *Comitas* est, quæ eum bene se hic gerere doceat. Est vero actuum externorum, ac sermonum triplex ferè ordo: primus eorum, quibus animi nostri sensa aliis aperimus: secundus eorum, quibus ad capiendam voluptatem jocamur, ac ludimus: tertius eorum, quibus utilia tractamus & seria: primum genus actuum externorum, & sermonum, regit *Veracitas*, secundum *Vrbanitas*, tertium *Comitas*, de qua impræsentiarum verba faciemus: serios hic spectamus actus, ac sermones, non ad veri manifestationem, nec ad ludum jocumque compositos; & quamvis aliæ quoque versentur virtutes in rebus seriis, attamen nulla earum præscribit, quomodo jucundè, suaviter, decenter, agamus ac vivamus, uti facit Comitas.

III. *Materia, in qua Comitas* exercetur, vel intrinseca est, & proxima; vel extrinseca, & remota. *Materia intrinseca & propria* Comitatis, sunt, quædam passiones, ut lætitia, & tristitia, quas hæc virtus moderatur. *Remota, & extrinseca materia*, est sermo, vel alii actus gratiosi, & delectabiles in hominum convictu: nam vir comis, quantum in se est, delectare studet, & tristitiam pellere, nisi circumstantia aliqua aliud suadeat, *Comitatem* Aristoteles *Amicitiam*, vocat, græcè φιλίαν; vel quia nomen hæc virtus aliud non habet, vel quia similis est amicitiæ. Non tamen hæc duo confundi debent, quippe in actu externo Comitas & Amicitia conveniunt, quia, sicut Amicus cum Amico gaudet, & dolet, quando, ubi, quomodo oportet, ita & Vir Comis in convictu, & vita communi se gerit; aliter tamen Comitas & Amicitia differunt, quippe amicitia sine amore esse non potest? Comitas potest; Comis enim, non tantum erga amicos, sed & erga omnes, ignotos pariter, atque notos, extraneos atque amicos, humaniter se gerit; Amicus tantum erga notos, ac domesticos.

IV. *Veracitatem esse virtutem*, probatum fuit. *Coll. Eth. Disp. 27. thes. 4.* sed quædam hic objici possunt, quæ dissolvi debent. 1. *Nulla virtus moralis est in intellectu; sed veracitas est in intellectu. E. non est virtus moralis, pr. min. Cujus objectum est in intellectu, illud, &c. Atqui objectum veracitatis est in intellectu, sc. veritas. E.* Resp. Veritas ista, quæ est objectum veracitatis, non est in intellectu, sed est alia veritas, sc. congruentia rei intellectæ cum intellectu: at veritas, quæ hic spectatur, est congruentia rei cum dictis ac factis, quibus bona, vel mala, quæ sunt in nobis, significantur ac manifestantur; & veracitas, est ille habitus, quo per idonea signa patefacimus id, quod in nobis est.

V. 2. *Omnis virtus abhorret ab extremo. Veracitas non abhorret ab extremo. E pr. min. quia, quò magis atque amplius verum dicitur, eo magis est veritas: nemo autem, verum dicendo, modum excedere potest.* Resp. Potest quis verum dicendo modum excedere, si id dicat intempestive, aut non omnibus circumstantiis præsentibus, quam ratio exigit: medium Veracitatis, ut omnis virtutis, excepta justitia commutante, est medium rationis, quod ex omnium circumstantiarum consensione & conspiratione est æstimandum, quæ statuunt, quousque virtuti unicuique sit progrediendum, & ubi consistendum. Nulla virtus in tam laudabili versatur opere, quin habeat suos limites à circumstantiis; ideoque & veracitas, quamvis quoad rem ipsam ac veri professionem nimia esse, & modum excedere non posse, videatur, habitâ tamen

ratione circumstantiarum, omnino, & nimia esse & excedere modum, potest. Quis non videt, verum, alieno tempore ac loco prolatum, sæpe nocere, & eum, qui sua recte facta, ac præclare gesta, plus nimio commemorat, quamvis vera pronunciet, majora facit bona, quam sunt, modum tamen excedere in veracitate? neque enim semper & ubique, & apud omnes, verum est dicendum, & qui id facit, nimium est verax: circumstantiæ semper videndæ sunt ac ponderandæ, quibus veritatis modus & ratio definitur: verum ergo profiteri, & patefacere ea, quæ in nobis sunt, bonum quidem est, sed tum, cum id fit quidem, quo tempore, quo loco, & apud quos, fieri id debet.

VI. 3. *Quod respicit debitum, non est virtus distincta à justitiâ Sed veritas respicit debitum. Debet ergo homo verax in civili conversatione profiteri verum, in signis, verbis, ac gestibus.* Resp. Debet quidem homo unusquisque verum profiteri in conversatione civili, & id debitum exigit Veracitas, sed non est tale debitum, quod respicit justitiam: quippe illa respicit debitum, quod ex legibus, ex pacto, ex jure jurando, nascitur: at debitum, quod respicit Veracitas, nascitur ex ipsa necessitate vivendi: quia enim homo cum aliis vivere debet, ut qui est animal societate gaudens, hinc necesse est, eum, ut bene cum aliis vivat, verum profiteri in actionibus externis: sic ut debitum, quod spectat veracitas, sit debitum naturalis honestatis, quod ipsa exigit natura ac honestas: at debitum in justitia est ex conventione libera & transactione.

VII. 4. *Quod pertinet ad quamlibet virtutem, non est virtus specialis. Sed manifestare ea, quæ sunt in nobis, pertinet ad quamlibet virtutem. E.* Resp. Omnis virtus quidem aliquid manifestat in homine per actus externos: sed non omnis virtus exprimit animi sensa, &, quæ in nobis sunt bona, per externa signa, & verba, & gestus: unde minor falsa est.

VIII. Urbanitatem esse virtutem, probatum fuit *Coll. Eth. Disp.* 28. *th.* 3. nunc argumenta expendamus, quæ eam ex virtutum numero & censu excludere videntur: nam videtur virtutis majestas tanta, & nomen ejus, tam magnificum, ut alienum sit, circa jocos ac ludos virtutem ponere, idque ob sequentes rationes. 1. *Virtus omnis in opere versatur arduo: at jocari & ludere, non est arduum. E. circa ea non est virtus.* Resp. ludere quidem simpliciter, & jocari non est arduum: sed arduum est & difficile, bene ludere, & bene jocari: tum enim bene recteque & jocamur, & ludimus, cum illud rationis medium tenemus, quod in omnium circumstantiarum collectione, ac complexione consistit. Atqui hoc tenere, non usque adeo est facile. 2. *Ludere & jocari, & puerorum est, & bestiarum; ergo non est circa ea virtus.* Resp. Ludere quidem est bestiarum, & jocari puerorum: nam jocus sermonem respicit, qui in bruta non cadit: sed ludere, ut oportet, jocari, ut decet, nec puerorum est, nec bestiarum, sed adultorum tantum, in quos cadit virtus. 3. *Vitii opus non est opus virtutis: at jocari, & ludere, est opus vitii: est enim opus animi intemperantis, & mollis.* Resp. Neg. Min. ludere & jocari, pro ratione circumstantiarum, ut decet, non est hominis intemperantis, aut mollis, sed temperantis, & prudentis, qui non ludit, jocatur, solius voluptatis causa, sed ut honeste se recreet, & ad cæterarum virtutum opera se reddat aptiorem. 4. *Nullius virtutis effectus est risus tantum: sed urbanitatis effectus,* &c. E. Resp. Effectus urbanitatis non est risus, sed utilitas animi relaxati & recreati: si risus sequatur, est ille prudentia, ratione, ac circumstantiis suis, temperatus. 5. *Omnis virtutis opus, vel est felicitas, vel ad felicitatem via: sed jocus ac ludus neutrum est.* E. Resp. & jocum & ludum hactenus esse viam ad felicitatem, quatenus reddunt hominem alacriorem ad aliarum virtutum exercitia & actiones. 6. *Si aliqua sit virtus circa ludum, E. qui optimè scit ludere, maximè erit præditus hac virtute: consequenter histriones, qui omnium sunt callidissimi in ludendo, omnes alios superabunt hac virtute. Posterius falsum. E. & pr.* Resp. melius dicitur quis ludere, aut per artem, aut per prudentiam: qui scit melius ludere per artem, non ideo meliori aut majori virtute est præditus: tales autem sunt histriones, qui

ex

ex arte omnium optimè noverunt ludere: imo, qui ex arte ludunt optimè, solent, fere nimiùm ludere, & in ludendo modum excedere; unde peccant. Sed verò, qui meliùs scit ludere per prudentiam, per rectam rationem, tribuentem ludo circumstantias suas, haud dubiè virtutis gradum excellentiorem obtinet, & majori virtute est præditus: sed talis non est histrio. 7 *Vbi, nec excessus, nec defectus, est culpabilis, ibi nec cadit virtus; sed circa ludos, & jocos, nec excessus est culpabilis, nec defectus. Ergo. Prob min. Non defectus, quia si quis non jocetur, non ludat, eo nullum sibi adfert impedimentum ad virtutum reliquarum exercitium, aut summi boni acquisitionem Nec excessus est culpabilis, quia multi sunt, qui per totam vitam jocis indulgent, ac ludis faciendis, qui tamen à nemine accusantur, imo à Magistratu tolerantur.* Resp. & minorem, & probationem esse falsam, quoad membrum utrumque: ac primum, defectus est culpabilis, neque enim semper animi gravitas, & personæ dignitas à ludo abhorret, ac joco: incidere possunt & incidunt sæpe tempora, quibus oportet animi gravitatem deponere, atque ad ludum descendere, quod magni sæpe fecerunt ac sapientes viri: tali tempore, animum non remittere ludis ac jocis, omnino vituperabile est, & peccatum in defectu positum: quod ad excessum attinet, is culpabilis est, sed non committitur ab histrionibus, si honestis concessisque jocis ac ludis utantur ad necessariæ vitæ suæ præsidia acquirenda: etiamsi enim toto vitæ decursu nihil aliud agant, quam ut alios ludis faciendis, jocisque dicendis, oblectent; si tamen, nec rerum, nec verborum obscænitate id agant, si non exhibeant ludos illicitos, aut jocos vetitos, si, loco ac tempore commodis, id præstent, si omnium circumstantiarum rationem habeant, modum non excedant, sed mediocritatem servent, quæ ab *urbano* servari debent: & tales histriones, & ludi, à Magistratu tolerantur, ab aliis probantur: at, si inconcessos ludos exhibeant, & jocos dicant illicitos, etsi id parum faciant, justum modum & mediocritatem excedunt.

8. *Virtuti præmium est constitutum, urbanitati non est. E.* Resp. Si præmium sumatur, uti solet, pro laude, honore, & approbatione prudentum, omnino est urbanitati, ut reliquis virtutibus, constitutum præmium: nam, & in laude ponitur, & honori est, & prudentum judicio approbatur. 9. *Vera virtus internum habet objectum, urbanitas tantùm externum; jocos & ludos. E* Resp. Respicit Urbanitas animum, & mentem, & facultates animæ interiores, quæ linguæ & cæteris membris imperant ad sermones & gestus jocosè ac ludicrè, sed pro prudentiâ & cum circumspectione instituendos. 10. *Si omnis jocus est illicitus, E. circa nullum est virtus. Sed omnis jocus illicitus. E* Resp. Falsa est minor: sunt enim joci duûm generum, vel liberales, vel illiberales: posteriores, sunt illiciti: priores, non item: usus jocorum liberalium est multiplex: sæpe enim joci liberales, maximarum rerum momenta vertunt: affectus tristes solvunt: odium & iram frangunt: severitatem mitigant: tædia diluunt: odiosa risu dissolvunt: in congressibus amorem & benevolentiam conciliant: non omnes sane jocos illicitos esse, exempla in Sacris demonstrant: conquiri possunt, 1. Reg. cap. v. 27. Jer. 14. v. 11. Job. 12. v. 2. 1. Cor. 8. v. 1. 2. Cor. 11. v. 8. imò ipse Deus multis Theologorum per jocum censetur dixisse de primo parente, Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis. Sed de virtutibus ὁμιλητικαῖς, Comitate, Veracitate, Urbanitate, hæc disseruisse, sufficiat.

IMPERTINENS.

1. *Sacra Scriptura sine mediocri totius Encyclopædiæ cognitione feliciter explicari nequit.*

2. *Nulla est via compendiosior ad solidam eruditionem perveniendi, connexionatâ omnium rerum delineatione, compendiisque artium omnium, memoriæ mandatis.*

3. *Philosophia Aristotelico scholastica emendanda est ac reformanda, sed non in totum tollenda, quia ejus terminis & distinctionibus uruntur omnes Christianæ veritatis adversarii.*

EXER-

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUINQUAGESIMA, DE Casibus Moralibus circa Temperantiam.

THESIS I.

QUinquasima est hæc *Exercitationum Ethicarum*, quas ἀναστρόφως instituimus huc usque : quas cum instituere cæpimus, propositum nobis fuit, hæc duo agere : ut, & quæstiones atque objectiones moveri solitas, circa *virtutum & rerum Ethicarum* explicationem καθαστρόφως, in *Collegio Ethico* olim institutam proponeremus, atque dissolveremus, & casus morales, circa easdem, occurrentes, exponeremus, & decideremus. Primum quidem harum *Exercitationum* caput confecimus, & *rerum Ethicarum, ac virtutum* naturam in *Collegio Ethico*, ante annos aliquot expositam, hisce *Exercitationibus*, ab objectionibus, quæ in contrarium moveri possunt, liberavimus, deduximusque harum dissertationum seriem ad justitiam usque, de qua fusius nonnihil erit differendum, in gratiam *Theologiæ* ac *jurisprudentiæ* studiosorum, quibus gravissimarum quæstionum in utrâque disciplinâ superiori fundamenta jaciuntur. Alterum harum *Exercitationum* caput, in casibus moralibus (quos Theologi *conscientiæ* vocant) decidendis occupatũ, exequi incepimus circa Fortitudinem & Temperantiam, ad *lib. 3. Eth. Arist. ad Nicom.* post objectiones enim solutas, quæ contra earum καθαστρόφως moveri possunt, subjecimus casus nonnullos morales, qui utiliter circa eas moveri possunt, Circa *fortitudinem* quæsivimus ac decidimus; An, *homicidium sui ipsius sit licitum ?* An, ὠτοφόνοι *verè sint fortes ?* An, *pro* ὠτοφόνοις *habendi sint nautæ nostrates, cum extremo in casu necessitatis, pulverem accendent pyrium, & sic unà cum hostibus pereunt ? An vim vi repellere liceat ? An bellum sit licitum ?* &c. Ita quoque egimus circa *Temperantiam*, ibique quæsitum ac decisum fuit, An, *per leges Temperantiæ liceat interesse conviviis ? An ; per easdem liceat libere in salutem alterius ?* An, *per easdem, advenienti, seu mari, seu fœminæ, in signum lætitiæ aut boni affectus, liceat infigere osculum ? An, in bene constitutâ Rep. per leges castitatis, lupanaria possint tolerari, aut debeant ? An, choreæ salvâ castitate institui possint, aut unquam institutæ fuerint* Circa Liberalitatem, reliquasque ad justitiam usque, virtutes, casus nonnullos morales movimus ac decidimus ; & eas explicatas, ab objectionibus & exceptionibus vindicatas, primum, dedimus: hoc ergo superest, ut, casus, qui circa eas incidere possunt, nunc imposterum resolvamus. Verum antequam hoc institum persequamur, visum fuit hac *Exercitatione* quosdam adhuc casus movere circa *Temperantiam*, antea non motos, qui tamen suâ se probant utilitate & commendant. *Temperantia* fuit definita, *Virtus moralis circa cibum, potũ, & venerem* : unde fuit divisa in frugalitatem, sobrietatem, & castitatem, quarum ista circa cibum, illa circa potum, hæc circa venerem, leges tulit. Circa singulas hasce Temperantiæ species, singulas proponam quæstiones & decidam. 1. Circa frugalitatem & cibos, quæri potest, *An temperantia exigat aliquem ciborum delectum?* Ad hanc quæstionem ut respondeamus, de ciborum delectu, distinctè nonnihil est agendum ; & per sæcula diversa ad nostrum usque, quo nunc vivimus, est eundum : sunt enim homines, uti olim fuerunt, qui nimium hic sunt temperantes, ac temerarii potius, in omni ciborum delectu contemnendo: neque tamen omnia hîc persequemur, quæ singuli in ciborum fortasse delectu observant: hoc enim infiniti foret laboris, nec mei est temporis, nec necessitas exigit: sed ea proferemus, quæ qualicunque lectione nostrâ observavi-

vavimus : atque ut per sæculorum classes incedamus, sic procedimus.

II. Primo quidem mundi conditi tempore, in statu adhuc integritatis, primi parentes, ante lapsum, delectu sunt usi ciborum : nam de omnibus horti ac paradisi fructibus comedebant, exceptâ arbore boni & mali, à quâ ipsis abstinendum erat, ex mandato ipsius Dei, qui cibum vitæ sustentandæ eis concesserat, sed cibum quendam certum certarumque arborum fructum delegerat ; quem ciborum & fructuum delectum cum non servarunt primi parentes miserè peccarunt, & se, & omnes posteros in præsens exitium adduxerunt. Post lapsum, cum cibus fuit quærendus laboribus ; *quæritur*, *An aliquis fuerit cibi delectus* ? ac speciatim quæritur : An *ad Noachum usque, ante diluvium, carnium fuerit usus & esus inter fructus terræ ciboque alios ?* Atque hic una est doctorum virorum sententia. Plerique Theologorum, quia, ante diluvium Scriptura nullibi facit mentionem esus carnium, eam vetitam fuisse existimant, post diluvium demum, *Noacho* fuisse permissam : & rationes adferunt, quia post diluvium major fuit facta hominis indigentia : unde majore, & validiore alimento, præter fructus terræ ei fuit opus : causam indigentiæ majoris etiam adferunt, quia salsis Oceani fluctibus perfusa terra, non tam fuit apta ideoneis vitæ sustentandæ fructibus proferendis quam ante diluvium, quam jacturam novo priveligio vescendarum carnium à Deo compensatam volunt. Sed ego contrà etiam ante diluvium, licitum fuisse esum carnium, existimo : quod mihi probabile reddunt hæ rationes. 1. Ante diluvium statim post peccatum ad vestitum homini concessæ fuerunt exuviæ ac pelles animantium : at quis credat carnes animantium istorum, quorum pelles pro vestibus inserviebant, fuisse abjectas aut ad edendum prohibitas ? 2. Ante diluvium primi homines ex animantibus obtulerunt sacrificia : atqui ex sacrificiis aliqua pars cessit sacrificantibus, quod ex lege promulgata post modum, est manifestum. 3. In quem finem fuerit, animantium, tum volatilium, tum aquatilium, tum terrestrium, tanta multitudo multiplicata, si, nec esui, nec usui fuerint ? præsertim, cum homo eorum fuerit dominus factus : quodnam in ea exercuerit dominium, si ea edere & uti ad cibum non potuerit aut debuerit. Quod ab adversa parte dicatur, post diluvium demum exprimi in sacris carnium esum, id non arguit, non fuisse earum usum ante diluvium : etsi enim ante-diluviano tempore is non legatur expressus, non sequitur eum non fuisse concessum : nam, nec potus fit mentio ; non tamen licet argumentari. Ergò non fuit ejus usus : sufficit, prohibitionem fuisse nullam ante diluvium : quod post diluvium demum mentio fiat carnium comestarum, factum est, quia, tum demum, legem, de sanguine & suffocato non comedendo, sancire, voluit Deus : nec argumentum deductum ab indigentia majori, postquam, ante diluvium quicquam valet : non enim sequitur, si major est facta hominis post diluvium indigentia, E. esus carnium ante diluvium fuit prohibitus. Sed pergo. Post diluvium, à *Noacho ad Mosen*, carnium quarumcunq; usum, fuisse licitum, nec esum fuisse vetitum, ex sacris constat : tantum abstinendum erat, istorum seculorum hominibus, ab esu & usu sanguinis ac suffocatorum : loquimur de hominibus, qui tum populum Dei constituebant. Ad gentiles enim quod attinet, qui extra populum Dei erant, apud eorum nonnullos, carnium esus & usus, planè fuit illicitus, apud alios licitus. Saturni tempore, rejectis carnibus, frugum & pomorum tantum fuisse usum, ex Ovidiano illo versu liquet : *At vetus illa ætas non polluit ora cruore*. *Pythagorei* ab omni animalium esu abstinuerunt, ac *Pythagoreos* multi secuti ex veteribus *Philosophi*, quod ex *Plutarchi orationibus* & *Symposiacis*, videre est. Alii tamen *Ethnicorum*, inter *Græcos*, postea & *Romanos*, carnibus pro cibo usi sunt : In Dei populo, sub *Mose & Lege* usque ad *Christum & Evangelium*, esus carnium fuit licitus, sed non omnium : Itaque maximus hic fuit delectus. Fuerunt istis seculis, ex Dei instituto, quædam carnes immundæ habitæ, quibus, sive avium, sive quadrupedum, sive piscium, vesci non licuit : aliis vesci licuit : imò ne mundis quidem licuit vesci, omni tempore ; non tempore fermenti, diebus Paschatis ; non, si mundum animal, rap-

ptum fuisset, aut laceratum, ab aliqua fera, aut sponte mortuum, de quibus omnibus inspici potest tertius & quintus *Deutern.* liber. Hic ciborum & carnium delectus, observatus fuit, ad tempus usque *Evangelii*, quando adventu suo *Servator* noster hunc delectum sustulit, ut & ritus alios, & libertatem istam hic pristinam, quæ *Noacho* fuerat & primo mundo concessa, nobis restituit; quâ in hanc usque horam fruimur omnes *Christiani*, quibus caro omnis munda est, & cibus omnis sine ullo delectu, modo cum gratiarum actione accipiatur, mundus est. Liberum sine delectu, sed non sine ratione, non sine prudentia, ciborum esse usum, pronunciamus: hoc est quod dicimus: nullis nunc legibus abstringimur ad certos cibos non comedendos: nulla nunc est obligatio, delectos tantum cibos, hos & illos, & non alios, assumendi: At interim potest esse delectus ciborum aliquis, & *privatus* & *publicus*, isque vel *œconomicus* vel *politicus*: sed sponte, omnis institutus.

III. *Privatus ciborum delectus est*, ratione individuorum, quæ, nunc, hoc tempore, propter adversam valetudinem, aut aliam indispositionem, hunc aut illum cibum, ferre non possunt, alio tempore possunt: alius cibus ægris, alius sanis, alius infantiæ, alius juventuti, alius senectuti, convenit: sic alius cibus, sano eidem, hoc tempore, alius, alio, est convenientior: alius, huic commodior, alteri minus propter temporis diversitatem: sic privatorum & privatus in cibis est delectus. *Oeconomicus* est, qui in bene ordinatis familiis observari solet, neque superstitiosus est, sed ad rationem œconomiæ & prudentiæ œconomicæ institutus: ita, diebus Solis & Martis & Jovis, in familiis plerisque carnium est usus; Lunæ & Mercurii, leguminum & olerum; Veneris & Saturni, piscium: qui delectus arbitrarius planè est, ad beneplacitum patrum matrumque familias. *Politicus* ciborum delectus is mihi est, quo Resp. bene constitutæ olim atque etiamnum multis in locis, certos in conviviis epulisque cibos, certis diebus & certo ferculorum numero apponendos, ordinârunt: unde *leges sumptuariæ* originem traxerunt: huc pertinet delectus ciborum, quem *Magistratus* facit, tempore obsidionis, cujus insigne exemplum præbet hæc ipsa Leida, in qua vivimus ac disputamus, ante annos 83. obsessa acerrimè: sic, superiores possunt, aut abstinentiam, ab omni cibo, aut certæ mensuræ tantummodo, in cibis electis, præscribere, tempore belli, diebus precum, &c. imò potest unusquisque delectum sibi sumere ciborum, à quibus comestis minus oneratur, magis est idoneus, & alacris, ad omnia pietatis & vocationis munia obeunda.

IV. Hic triplex delectus ciborum ultroneus, & sponte factus, ad honestatem, ad uniuscujusque salutem, proximi ædificationem, directus, nec à temperantiæ medio abit, nec cum libertate Christiana pugnat, quia secundum rationem & prudentiam est institutus. Contrà, rejiciendus est delectus ciborum superstitiosus; qualis est, cum mortale peccatum statuimus, hoc, vel illo cibo, vesci; cum alligatur certis temporibus, sine ullâ causâ, ac solo, sed vano, religionis prætextu; cum non prodest ad coercendam carnem, quia ad eam extimulandam, alii interea cibi, & delicatiores, & efficatiores assumuntur, sicuti fit ab iis, qui abstinent à carnibus, tempore quadragesimæ, & interea utuntur piscibus, tragematis, & vino generosissimo; cum in abstinentiâ à certis cibis, istoque delectu, singularis sanctitas, ac pietas quædam, collocatur; cum hic mandato Dei, ac contra ejus verbum instituitur. Quin Magistratui Politico, ad fines certos, occasione id postulante, liceat indicere delectum ciborum, & abstinentiam, aut à carnibus, aut à vino, &c. nullum est dubium; quin sit isti præscripto Magistratus obtemperandum, nec illud est dubium: sed, ut aliquis delectum instituat ciborum; & ad eum obliget conscientias hominum, faciatque mortale peccatum, si quis contra agat, ac velit haberi pro mandato Dei, ferri, & accipi non debet: contra enim rationem hoc est, & contra Scripturas, quod posterius *Theologi* ostendunt in suis locis communibus, ubi docent, non esse Papæ, vel Ecclesiæ, ut hoc ordinet, &c. quæ nunc non est commemorandi locus. Nos hoc unicum ex

ratione

ratione reponimus: quod temperantia in sola carnium abstinentia non sit sita, nec certo tempori adstricta, sed in omni cibo, ac potu, adeoque omni tempore sit servanda: ideoque contra leges, & medium temperantiæ faciunt, qui eam certis cibis, solisque carnibus & certo tempori adstringunt.

V. Circa *sobrietatem*, aut potius, ejus oppositum extremum, *Ebrietatem*, hic potest moveri casus. *An liceat ebrietate uti tanquam medio, vel tuendæ, vel recuperandæ sanitatis.* Ita sentiunt, *Aquinas in Summa Theologiæ: & Cajetanus in commentariis, & in Summa casuum*, quia inquiunt, *Ebrietas propriè & formaliter consistit in potu nimio, non quomodocunque hausto, sed habitâ ratione, & consideratione ipsius bibentis; qui, ut sanitatem recuperet, non ut se inebriet, largius bibit.* Resp. ego, esse peccatum, si quis ebrietate utatur, ut medio, vel tuendæ, vel recuperandæ valetudinis: peccat is, qui facit: peccat medicus, qui præscribit. Hîc valet illud: non sunt facienda mala, ut eveniant bona: non est peccandum in temperantiam, & sobrietatis leges, in quo malum est turpe, ut evitetur malum triste, adversa valetudo; non est amittendum bonum animi, ut acquiratur bonum corporis: at inebriando amittitur bonum animi, sobrietas scilicet; acquiritur tantum bonum corporis, bona scilicet valetudo: insuper aliis mediis & remediis potest consuli nostræ valetudini, seu tutandæ, seu recuperandæ: &, si non potest aliter consuli, ne tum quidem faciendum est, quia præstat, corpus affligi adversâ valetudine, quam animos affligi peccato: & certe, sicuti hodie ab hominibus quibusdam profanis ebrietas assumitur, ut vomendi medium, quo impuros etiam evomunt humores, ita detestandum, conservandæ, aut recuperandæ valetudinis, est instrumentum: quasi non alia sint, quæ vomitum provocare valeant, quam ebrietas: profectò, affirmans hæc Casuistarum laxiorum sententia, præbere valeat multis ansam & occasionem potandi, & inebriandi.

VI. Nunc casus movendus adhuc supereſt, circa *castitatem*, aut potius extremum ejus, quod *luxuriem* vocant morales *Philosophi*, & *Casuistæ*: fateor, luxuriæ vocem interdum extendi generalius, & significare quemlibet excessum in rebus iis, quæ pertinent ad cultum corporis, ac voluptatem. Sed Philosophi morales, & Casuistæ, ea voce designant communiter vitia illa, quæ castitati opponuntur in excessu circa delectabilia tactus in venere: est ergo *luxuries*, non unum aliquod speciale peccatum in specie infimâ, sed genus quasi multorum peccatorum specialium, quæ omnia, & singula adversus castitatem committuntur: ea vulgò referunt ex *Aquinate, in secundâ secundæ, quæstione* 154. & enumerantur, *fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, & vitium contra naturam. Fornicatio simplex*, est congressus viri solum cum fœmina soluta, sive una, sive pluribus, sive meretrice, sive virgine; vocaturque concubinatus, si quis vir certam aliquam pro uxore alat, & habeat. *Adulterium*, significat, illicitum congressum conjugis cum non conjuge, & vice versa. *Incestus* est, concubitus inter consanguineos, qui, lege prohibente, matrimonium inire non possunt. *Stuprum* est, vitium castitati oppositum, quod exercetur vi cum virgine tantum, quæ etiamnum virgo est, nulla præcedente conjugali pactione: Itaque stuprum non viri est passivè, sed virginis, quæ sola dicitur stuprum passa, si ab aliquo vi fuerit violata, absque fide data. *Raptus* est, quando fœmina aliqua ipsa renuens, vel renuentibus parentibus, aut illis, quorum curæ commissa est, insciis, vel invitis, abducitur ab aliquo, vel clanculum, vel vi ad matrimonium contrahendum cum illa, vel libidinose ea utendum. *Peccatum contra naturam est*, quod ne nominari quidem à nobis debet. Quin 5. posteriores luxuriæ species sint peccata, *castitatem* violantia, à nullo est dubitatum: sed de *simplici fornicatione*, ac *concubinatu*, à multis est dubitatum: certè inter multos Ethnicorum non fuisse habitum peccatum, fornicationem, comprobant *Corinthii*, apud quos fornicationem ἀδιάφορον fuisse ex *epistola ad Corinthios* liquet, & ex *Herodoto*, ac *Strabone* patet, qui referunt Veneris fanum Corinthi fuisse tam locuples, ut mille habuerit sacrorum famulas meretrices. Et illud

Mitionis Terentiani in *Adelphis* notum est, *non est flagitium mihi crede*, inquit, *adolescentem scortari*: atque hæc ratio datur à *Theologis*, cur fornicatio in *actis Apostolicis capite 15. jungatur rebus adiaphoris, sed pro tempore vetitis, suffocato & sanguini non comedendis*; non, quod scortatio sit adiaphora, sed quod talis apud *gentiles* haberetur: error hic in gentilibus condonari potest, sed in *Christianis*, quibus verbum *Dei* est concessum, tolerari non potest: Invenias tamen *Theologos* inter adversæ partis doctores qui scortationem simplicem, ac concubinatum pro peccato non habuerunt. Nota est vox *Campegii*, quam refert *Sleidanus libro 4.* qua *legatos Argentinenses* alloquutus, *gravius esse peccatum* dixit, *si Sacerdotes fiant Mariti, quam si plures domi alant concubinas*. Simile videre est apud *Costerum in Enchiridio, tractatu de Cœlibatu*. Et quid aliud clamant tot *lupanaria* apud partes adversas, impunè tolerata? Nos tamen contrà, peccatum esse *Castitati* oppositum, & *fornicationem*, & *concubinatum*, pronuntiamus: quod ex sacris litteris à *Theologis* probari solet, nos ex ratione probabimus. Actus inordinatus est peccatum: sed fornicatio, & concubinatus sunt actus inordinati. Ergo: nam violant ordinem proprii corporis, violant ordinem à Deo institutum, quo cavit, ne congressus esset nisi conjugum, violant ordinem τῆς πολιτείας: nam qui ex scortatione, & vago concubitu liberi procreantur, eorum negligitur cura, & educatio, quæ nulla est, ubi parentes non cohabitant, nec communia conjugii officia, communesque curas circa liberos sustinent: quod verò extra matrimonium aliqui nihilominus habeant curam prolis, non tollit deformitatem & turpitudinem fornicationis: quippe manet hoc incommodum, quod non ita honesto, ita certo modo, consulatur proli, ut quidem oporteret, si ratio haberetur rectæ educationis; à qua pendet, salus Reipublicæ: & certe recta educatio tanti est momenti, & respectu Reipublicæ, & respectu ipsius prolis, ut necesse sit, quam certissimè, & quam honestissimè hac in re, proli consuli, quod fieri non potest, nisi parentes indissolubili vinculo matrimonii jungantur, & sic communes curas educandæ proli conferant: ut ipsum rectæ rationis judicium satis significet, turpe esse, ut, quæ personæ non sunt ligatæ generationi dent operam, eum educationi dare non valeant.

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUINQUAGESIMA-PRIMA,

DE

Casibus moralibus circa Liberalitatem.

THESIS I.

INter virtutes *l. 4. Eth. ab Arist.* pertractatas, & à nobis in *Collegio Ethico* explicatas, primum jure meritoque tenet locum Liberalitas, in dandis, erogandis, atque accipiendis etiam, pecuniis, constituta. Quæ de ea dici solent ab *Ethicis*, ibi tum edisseruimus. Liberalitatis actus inter postremos est *eleemosyna*. De qua quæstiones quasdam & casus movere, ac decidere nunc est animus, secundum varias circumstantias, quis, quid, cui, quando, quantum, &c. si primum vocem exposuerimus. *Eleemosyna*, vox Græca est, quę descendit à voce ἔλεος, *misericordia*, & significat aliquid ad misericordiam pertinens. Sumitur vero hæc vox, vel pro objecto, quod ex misericordia conceditur, quando qui stipem dat, dicitur *eleemo-*

leemosynam facere, vel pro actu ipsius misericordiæ: & sic sumitur vel late, pro omni opere misericordiæ, seu corporali, seu spirituali, vel stricte, pro opere misericordiæ, ac liberalitatis, impensæ in proximum, sublevandæ egestatis causa: atque hoc sensu à nobis sumimitur hoc in loco.

II. De eleemosyna, de tali sensu quæritur primo, *Quorum sit liberalitatem & misericordiam hanc exercere, an & cujusvis sit eleemosynam dare?* Resp. Quamvis omnium omnino hominum sit, aliis bene cupere, ac aliorum miseria affici pariter & ardere, serio amore proximi juvandi: eleemosynam tamen largiri, proprium est eorum, quibus per divinam benignitatem suppetit, unde alienæ indigentiæ subveniant: atque tales sunt duum generum mortales: primo divites, qui rebus ultra necessitatem abundant: secundo, vulgaris fortunæ homines, qui res necessarias tantum possident, quales sunt illi, qui ex opere manuum suarum victitant, imò, qui parum admodum possident: dicitur vero alicui quippiam suppeditare, unde alteri largiatur, quod supervacaneum est, vel vitæ, seu naturæ, vel statui: supervacaneum vitæ, dicitur id, sine quo vita transigi potest, non tamen conservari status personę: proinde, quod, si non ad vitam, ad statum tamen vitæ tuendum, est necessarium: supervacaneum statui dicitur, sine quo non solum vita, sed & status retineri potest: quod vero jam attinet ad erogationem eleemosynæ, ad eam obligamur, non tantum, quando abundamus bonis, ultra id, quod est necessarium vitæ & statui, vel nostro, vel nostrorum; sed & obligamur, quando habemus, tantum necessaria vitæ præsidia, ita scilicet, ut possimus aliquid de iis erogare citra vitæ nostræ periculum: si enim proximus sit constitutus in extrema necessitate, omnino æquum est, ut ipsi largiar aliquid de frusto panis, quo famem meam sedare cogito. Quæritur hic jam à Casuistis: *An promiscue & indiscrimatim sit uniuscujusque, largiri eleemosynam?* Resp. quoad affectum, propensionem & aliam dispositionem; & quoad conatum, est hoc, omnium & singulorum hominum: quoad vero externum ipsum donandi actum, officium hoc eorum est tantum, qui habent aliquid proprium, cujus donandi potestatem habent, penes quos est jus donandi: unde sequitur, illos, qui ita aliis sunt subditi, ut nihil habeant proprium, vel quoad dominium & usumfructum, vel quoad usumfructum solum, non posse largiri eleemosynam, nisi de consensu superiorum: itaque, nec servi, qui sub dominorum potestate, nec filii, sub imperio parentum, nec uxores, quæ sub dominio maritorum sunt constitutæ, sine omnium eorum consensu, eleemosynam largiri possunt, hic tamen certæ cautiones circa liberos, servos, uxores, sunt observandæ, quas singulatim proponam: nam circumstantiæ in istiusmodi casibus multum variant rem ipsam.

III. *Filius Familias* potest dare eleemosynas ex *bonis castrensibus, aut quasi castrensibus*, quia eorum plenum jus, potestatem, & administrationem habet: dicuntur vero *bona castrensia* (ut terminos illos explicem) quæ ipse filiusfamilias militia acquisivit, aut quæ à parentibus, cognatis, extraneis, aliisve, filio familias donantur in militia agenti: *quasi castrensia* dicuntur, quod acquirat ea filius familias ex artium liberalium professione, ex publico munere aut functione aliqua; ex hujusmodi bonis potest dare filius eleemonynam: ex bonis vero *profectitiis, vel adventitiis*, non potest sine parentum consensu: ex *profectitiis* quidem non potest, quia eorum proprietas & usus fructus est penes patrem: *ex adventitiis* non potest, quia eorum proprietates quidem habet, sed non usum fructum, qui est apud patrem, dum vivit: dicuntur bona *profectitia*, quæ à bonis patris, ejusve causa, nomine, vel occasione, ad filium proficiscuntur: *adventitia*, quæ filius familias aliunde, quam ex re patris sui, vel propter patrem, accipit, sed quæ alia de causa donantur: hæc autem, quæ dicimus, intelligenda sunt de magnis eleemosynis; nam, quin parvam eleemosynam, aliquid panis, vini, aut simile quoddam, etiam ex bonis vel *profectitiis* vel *adventitiis*, filio familias, largiri liceat, patre inscio, nullum est dubium: porrò, cum filius familias, à patre abest, veluti, si peregri-

regrinatione fuscepta, de voluntate patris, iter faciat, vel in Academia aliquâ, seu schola, studiorum causa, versetur, vel paterna negotia extra paternas ædes procuret, potest tuta conscientia ex bonis paternis, si frugi sit, eas eleemosynas dare, quas erogare solent alii filii familias, ipsi pares, aut quas ratas habiturum patrem, bona fide, credit: insuper, si ex iis, quæ pater suppeditat ad victum, aliquod demat, aut detrahat, potest id in pauperum usum impendere. *Servos* quod attinet, possunt ii, ex peculio, cujus plenam, consensu dominorum suorum, habent administrationem, & ex eo, quod sibi à dominis concessum est ad victum, ac subtrahunt sibi parce vivendo, largiri eleemosynam; in hisce enim casibus tacita dominorum voluntas subest: ut servi impendant id, in quos voluerint usus: at vero extra hos casus, non potest servus dare eleemosynam ex se, quia quicquid habet, est domini sui, & quicquid acquirit, domino suo acquirit. Quod attinet *uxores*, dicunt *Casuistæ*, quod uxor non possit dare eleemosynam, nisi ex consensu mariti, quia ei subest: potest tamen in hisce casibus: primo, quando sibi aliquid subtrahit in datis ad victum: secundo, quando maritus plane est negligens & avarus in dandis eleemosynis: tum enim invito etiam marito potest benefacere pauperibus ac proximo, cujus exemplum est in *Abigaile*, quæ *Davidi* subvenit, etiam invito *Nabale* marito suo, qui erat durus, inhumanus, & planè ἀνελεήμων: tertio, quando mos est in provincia, ut uxores erogent eleemosynas: quarto, potest dare eleemosynam ex bonis paraphernalibus: dicuntur *Casuistis* bona *paraphernalia*, quæ uxor accipit præter dotem à parentibus, cognatis, aliisve, in suos usus: denique, potest dare eleemosynas ex bonis, quæ sua industria acquirit ac labore: sed hæc iterum intelligenda sunt de magnis eleemosynis: quin etiam modicas & tenues dare possit ex bonis communibus absque mariti consensu, aut scientia, non est dubitandum: nam in iis supponitur mariti consensus generalis & implicitus: duplex est mariti consensus; unus, expressus verbis disertis: alter, implicitus: atque hic iterum est triplex: primo, quando maritus non dissentit: secundo, quando uxori generatim eleemosynas dare permittit, sed neminem in specie nominans, cui dandum: tertio, quando uxor probabiliter conjicere potest, maritum, si resciscat, in suarum eleemosynarum erogationem, consensurum: citra vel contra mariti, si non sit avarus, consensum omnem, non potest eleemosynam largiri uxor, quia in omnibus imperio mariti subest. *Minorennis*, *furiosus*, aut is *prodigus*, qui magistratus mandato rem suam administrare vetatur, nullo modo eleemosynam dare possunt; *tutores* pupillorum, *curatores* minorennium, aliique *procuratores*, & *administratores*, quibus alienorum bonorum cura est commissa, possunt dare eleemosynam, ex bonis curæ suæ commissis, nomine, non suo tamen, sed eorum, quorum bona administrantur. Sed de prima eleemosynæ circumstantia, satis: scilicet, *quorum sit dare eleemosynas*?

IV. Videamus nunc quibus sit dandum? Resp. Dandum est egenis seu indigentibus, qui non possunt se ipsos sustentare. Neque aliquis obligari potest ad dandam eleemosynam, ubi nulli sunt pauperes: si enim miseria est nulla, & misericordiæ nullus est locus: deficit enim tum liberalitatis objectum. Tres enim solent indigentiæ ac necessitatis gradus à *Casuistis* assignari. Est enim *indigentia*, ac *necessitas*, quædam *extrema*, quædam *gravis*, seu *magna*, quædam *communis* seu *ordinaria*. *Extrema dicitur* necessitas & indigentia, quando quis necessariis vitæ præsidiis omnino destituitur, ut probabile mortis discrimen incurrat. *Gravis* indigentia seu *magna* necessitas, est, cum, non quidem extremum subest mortis periculum, sed admodum grave: cum quis scilicet rem habet familiarem, valde arctam, & angustam, parumque ad se alendum & suos. *Communis* indigentia & *ordinaria* necessitas est, quando nonnihil quidem adest, sed quod non sufficit, aut iis non sufficere videtur, qui eleemosynam petunt, qualis fere est, ostiatim mendicantium. Quicunque in primo vel secundo necessitatis & indigentiæ gradu sunt constituti, iis haud dubie eleemosyna est danda, ex liberalitatis Chri-

Christianæque charitatis præscripto. Ad secundum genus indigentiæ, pertinet indigentia senum decrepitorum, orphanorum, & viduarum, laborare non valentium, cæcorum, surdorumque, aliorumque id genus pauperum, quibus succurrendum.

Hic duæ incidunt egregiæ quæstiones. prima. *An egenorum nomine recte veniant mendicantes, qui ostiatim, ac domatim oberrant, & victum emendicant, & an his sit succurrendum stipe?* secunda: *An in eleemosyna danda sit habendus personarum delectus?* Ad primam quæstionem quod attinet, duo sunt mendicantium genera: vel enim robore valent, ac viribus ad laborandum idoneis; vel debilitate, languore, mutilatione corporis, ad laborandum sunt inidonei. Validis mendicantibus nihil est dandum, quippe fures plerumque sunt & grassatores & errones, & morbo simulato laborant, ac vero pigritiæ: id genus homines in rep. bene ordinata tolerari non debent, sed ad labores cogi, aut in ergastulum compingi, quale Amstelodami est, & hîc Leydæ, & alibi locorum: neque enim Deus hunc ordinem instituit; neque ipsi, Deo, neque proximo, inserviunt; & id, quod vere pauperum est, intercipiunt: & certè, qui istiusmodi pigros ventres alunt, eorum impietatem quoque & scelera videntur alere. non ferebantur sub veteri fœdere in populo Dei: sed & ex aliis Rebusp. ejecti fuere, ut putida membra: tantum abest, ut status perfectionis, quod nonnulli faciunt, collocari debeat in mendicitate, qua nonnulli ostiatim victum quæritant, abjurata omni rerum proprietate. Quod alterum attinet genus mendicantium, qui ad victum quærendum sunt impotentes, & illi ab ostiis sunt arcendi, & ad eos ablegandi ac mittendi, quibus cura incumbit istiusmodi hominibus providendi: debet autem particularis ac privatus ad eorum sustentationem opem & operam suam conferre; Magistratus est, erigere nosocomia, ptochotrophia, gerontocomia, orphanotrophia, xenodochia, in quibus tales ex infirmitate mendici, & imbecilles egeni, ali possunt: subditorum est, collectas instituere & opes conferre de suo peculio, ut semper sint in promptu sumptus ad alendos eos, ne cogantur ostiatim stipem petere, & panem quærere domatim: atque hoc & inter Christianos, & inter gentiles receptum fuit. *Ecclesiæ Apostolicæ* primitivæ collectas instituerunt pro pauperibus: idem factum esse suo tempore, testantur, *Tertullianus*, *Origenes*, *Chrysostomus*, aliique patrum. *Ethnicos* non toleratse in Rep. ullum mendicum testatur *Plato l. 11. de legibus*, ubi hæc extat lex. *Nemo in Civitate nostra mendicus esto.*

VI. Ad secundam quod attinet quæstionem: *An personarum delectus sit habendus in danda eleemosyna?* Resp. Quamvis omnibus egenis teneamur dare, adeoque petenti cuivis, nè quidem negata ope nostra juratissimis hostibus, & diversissimæ à nobis religionis, hominibus: nihil tamen impedit, quo minus ordo servetur in Eleemosynis dandis: magis enim tenemur domesticis, quam extraneis, ejusdem nobiscum, quam diversæ religionis, hominibus providere: æquius est, inquilinos, quam advenas, nostra liberalitate sublevare: neque enim hic personæ simpliciter est respectus, sed conditionis, & qualitatis ejus, quæ pertinet ad arcem causæ: sicut enim ordo est servandus in diligendo, ita & in danda eleemosyna. Primò, patre & filio, nostris, in æquali extremitate constitutis, potius est subveniendum patri nostro, quam filio nostro Secundo, si pater & mater in extrema eademque necessitate sint, patri magis quam matri succurrendum Tertio, naturalibus parentibus magis prospiciendum est, & prius quam spiritualibus, notis quam ignotis, domesticis quam peregrinis, amicis quam inimicis, bonis quam malis, bene de nobis meritis, quam iis, qui nihil de nobis sunt meriti. Quartò, debitor debet potius sublevare sua liberalitate, creditoris, quam aliorum, egestatem, cæteris paribus. Atque sic fuit secunda circumstantia eleemosynæ & liberalitatis exercendæ: cæteras quoque inspiciamus: quibus minus immorabimur, quia sunt faciliores.

VII. *Quantum liberali largiendum sit*, videamus: *hîc privatorum eleemosynæ distinguendæ sunt, ab ecclesiarum, rerumpub. Collegiorum, societatum eleemosynis*: unaquæque societas, seu

seu ecclesia, seu resp. tantum, si possit, debet expendere, ut suos alat pauperes: si tamen ecclesiæ & resp. fuerint opulentiores, debent ecclesiis, rebusp pauperioribus subvenire, Quod spectat privatorum eleemosynas, oper. tet dare eleemosynas pro viribus & facultatibus, quas Deus nobis concessit; ut illæ nobis non pereant: Liberalitas non debet esse aliis sublevatio, & nobis afflictio: nostri fontes & rivi ad alios debent derivari quoad usum, sed sic ut non exsiccentur, ut nos maneamus domini: in casu tamen extremæ necessitatis, ad eleemosynam dandam, adeo debemus esse prompti, ut, etiamsi possessiones quædam nostræ ac facultates forent dividendæ, illud non esset nobis omittendum. Denique, quantum sit largiendum, ex omnium circumstantiarum prudenti consideratione, tum respectu dantis, tum respectu accipientis, est dijudicandum ac desumendum.

VIII. *Videndum, quomodo eleemosyna sit facienda?* Resp. Primo, ex religione erga Deum. Secundo, ex charitate erga proximum. Tertio, ex cordis simplicitate, non ex vana gloria. Quarto, ex animi, virtutisque lætitia. Quinto, sine cunctatione. Sexto, sine pauperum contemptu, aut exprobratione. Sed *quot modis potest exerceri eleemosyna?* Resp. *Casuistæ* tribus modis. Primo, gratis dando aliquid, victum, vestes, pecuniam, & quodcunque fuerit: neque enim debet, qui dat ex liberalitate eleemosynam, aliquid in compensationem exspectare ab eo, cui dat. Secundo, gratis commodando, seu mutuando: nam hoc nonnunquam non juvat minus, quam gratuita donatio, Tertio, æs alienum remittendo.

IX. *Videndum, quando & quo loco dandum?* Resp. Tempus hic certum à *Casuistis non definitur*, nec ab aliquo definiri potest: sed toties est tempus, liberalitatem exercendi, & eleemosynam dandi, quoties id præsens exigit necessitas: Sacra pagina novi fœderis, specialem diem, Dominicum nominat, in quem colligebatur, & congerebatur, quicquid de septimana reliqua lucri per laborem accessisset & accrevisset. Loca largiendi eleemosynas publica, sunt templa, aut alia, ad eam rem à magistratu destinata, in quem quoque finem diaconi, aliique, hodie ad eleemosynas colligendas sunt destinati. Hæc suffecerint, ad eleemosynæ naturam, secundum varias circumstantias explicatam, intelligendam.

EXERCITATIONUM ETHICARUM
QUINQUAGESIMA-SECUNDA,
DE
Casibus moralibus circa Liberalitatem.

THESIS I.

Casus quosdam decidimus *Exercit. præced morales circa Liberalitatem*, sed non omnes: examinavimus, quorum sit dare? quibus, quantum, quomodo, ubi, &, quando sit dandum? restat, ut expendamus, unde sit largiendum? hoc enim *exercit. præced.* omissum fuit. Resp. Liberalitatis & misericordiæ atque Eleemosynæ actus, exerceri debent ex nostris & propriis bonis, non ex alienis, sed ex iis bonis, quorum quis dominium ac plenam habet potestatem. Nunc casus morales ac quæstiones quasdam speciales, ut cœpimus *exercit.* 51. hac 52. porrò excutiamus.

II. Quæritur porrò: *An is, qui abundat bonis, vitæ & status, supervacaneis ex præcepto ac le-*

ac lege, teneatur sublevare proximi necessitatem, non tantum extremam aut gravem, sed etiam communem ac ordinariam? Resp. *Casuistæ* hîc in diversum abeunt: putant enim nonnulli, ex lege & præcepto charitatis ac liberalitatis, tantùm nos teneri, ad Eleemosynas præstandas, & actum istum liberalitatis exercendum, in extrema proximi aut magnâ saltem & gravi necessitate. Ego tamen, cum aliis sentio, etiam nos obligari in necessitate communi atque ordinaria: nam præceptum de liberalitate exercenda & Eleemosyna præstanda, obligat quidem minus in minori necessitate, magis in majori, maximè in extrema: attamen semper aliquo modo obligat. Sed dicet aliquis, *proximus sum egomet mihi: ego, quæ mihi superabundant vitæ meæ & statui, bona, possum mihi impendere, ut fortunas meas augeam, honores iis consequar, conditionem vitæ meæ lautiorem reddam*, &c. sed Resp. Quod necessitates ordinariæ & communes, modico sumptu possunt sublevari, ut nihilominus sit futurum reliquum, quo quis rerum suarum statum reddat auctiorem: & notum est ac verissimum tritum illud; *quod Eleemosyna neminem depauperet.* At vero, si necessitas sit extrema proximi, aut indigentia valde gravis, etiamsi inde aliquid detrimenti caperemus, si ex iis, quæ vitæ nostræ ac statui superabundant, in eum conferremus, tenemur tamen id facere: & præstat, proximum sublevari, quam res nostras auctiores fieri. Sed quærat hic aliquis, *an ergo teneatur, qui habet bona superva canea vitæ & statui suo ac suorum, inquirere, an sint extremæ aliquæ necessitates & indigentiæ graves?* Resp. Non teneri: nam satisfacit præcepto ac legi de liberalitate & Eleemosyna exercendis, quando necessitatibus extremis vel gravibus indigentiis, quas novit, commodè succurrit, & paratum habet animum ad sublevandum alias necessitates, si resciverit.

III. Quæritur secundò: *An tutâ conscientiâ possit quis uni indigenti & petenti Eleemosynam negare, & alteri indigenti & non petenti dare?* Resp Distinguendam esse indigentiam. Si utriusque fuerit extrema, primò petenti succurrendum est. Si gravis quidem fuerit aut communis utriusque indigentia, liberè potest quis ac tutò petenti negare, & non petenti dare Eleemosynam: nam eo ipso, quòd alter petit, nullum sibi jus acquisivit. Ergo possumus, in quem volumus, liberalitatem nostram exercere.

IV. Casus est speculatione dignus, quem movent *Casuistæ.* § 3 *Si Debitor & Creditor, ambo extremâ necessitate pariter laborent, num debitor jure teneatur reddere creditori, quod penes se adhuc habet & ei debet?* Sunt qui affirmant, in tali casu, potius esse creditoris jus, quam debitoris, ideoque, & eam rem creditori esse solvendam, quia duplici jure ac nomine ea res creditori debetur; tum, quia est ab eo accepta; tum, quia creditor in extrema necessitate est constitutus. Alii existimant, tuta conscientia posse debitorem eam rem sibi retinere, ut suæ extremæ necessitati occurrat, quia possidet rem, & melior est conditio possidentis, cum ambo in extremam necessitatem inciderint: & in extrema necessitate omnia sunt communia. Tertia opinio est eorum, qui distinguunt. Aut res, quæ creditori debetur, est ex numero earum, quæ statim usu consumuntur, ut panis, cibus, aut non est, ut equus, navis, &c. Res prioris generis, ut panis, in extrema fame, retineri potest à debitore, modo animum habeat restituendi æquivalens aliquid, cum poterit, quia hic debitor non est debitor speciei, sed generis tantum, i. e. debet solvere, non illud idem, quod accepit, seu non debet restituere eundem panem, quem accepit, sed similem, & cum poterit: Res verò posterioris generis, quæ usu non statim consumuntur, ut equum aut navigium, tenetur debitor statim restituere creditori: fit casus hic: Indiget creditor equo, ut vitam suam servet, & eodem equo, quem debitor commodatò accepit, sed ipse quoque debitor eget, ut fugiendo salvus evadat, debet equum creditori restituere debitor, quia creditor equi dominium habet, & perinde esset, ac si debitor creditorem equi possessione vellet privare. Ego quidem inter has tres sententias mediam puto esse eligendam: & debitorem in extrema necessitate constitutum, non teneri ad restitutionem,

sive res accepta usu consumatur, sive non: quia hic valet illud, Charitas incipit à se: & quisque sibi est proximus: &, si quis in extrema necessitate constitutus, re præsenti, licet aliunde acceptâ, ad servandam vitam non uteretur, sibi ipsi injuriam facere videretur, essetque vitæ propriæ prodigus. Sed quid dicendum est, quando debitor, extrema necessitate, rem creditoris, ab eo acceptam, consumpsit, postea ad pinguiorem fortunam perveniens, debetne tantundem restituere? Resp. Nullum est dubium: extrema enim debitoris necessitas debitum antiquum non extinguit, non perimit, sed suspendit ad tempus, ita ut sit quasi sopitum, aut sepultum, sed non ablatum aut peremtum.

V. Quæritur quartò: *An, qui in extremâ necessitate est constitutus, peccet, rem alienam accipiendo, pyrum, putà, vel pomum ex horto, ut sub levet suam egestatem?* Resp. Nullo modo: quia in articulo extremæ necessitatis omnia fiunt communia: ipsa enim natura instituit, ut res sint ordinatæ & destinatæ ad hominum vitam & salutem conservandam; quare, licet sit facta rerum divisio, & hoc sit meum, & illud tuum, semper tamen manet naturalis ordo, quo res omnes sunt propter vitam hominum: nec obstat, quod in tali casu aliquid domino insscio & invito auferatur, quia, cum urget extrema necessitas, res, quæ habent proprium dominium, fiunt communes: nec impedit contraria possessoris vel domini voluntas, quippe quæ, in tali casu præter & contra omnem rationem resistit. Hinc, Discipuli Servatoris non peccarunt, dum per segetes transeundo, evellerent spicas, ut famem sedarent: sic, qui per uvas incedunt viatores, si sitiant, ad sitim sedandam possunt uvas aliquot decerpere, quas statim in vinea, aut ipso itinere comedant: sed non licet, illas colligere, ut secum deferant.

VI. Quæritur quintò: *An, qui pauperi mutuum dat, non gratis, possit dici actum istum liberalitatis exercere, quem Eleemosynam vocant?* Resp. Potest dici beneficium contulisse, sed non hunc liberalitatis actum, Eleemosynam exercuisse: v. c. potest quis dives pauperis sublevare necessitatem, si aliquid ei det, aut commodet, putà equum, ut iter aliquò faciat, vestem, ut corpus tegat, honestè, lectū, ut decumbat: sed, si ea omnia postea repetat, non Eleemosynam aut liberalitatem exercuisse diceretur, sed officium præstitisse, quia mutuum dederit id, quo pauper carebat. At verò, is tum liberalis est & ἐλεήμων, qui gratis dat, absque repetitione aut spe recuperandi.

VII. Quæritur sextò: *Quid sit dicendum, si quis ita sit avarus, ut nihil de suo velit consumere; an talis sit sublevandus alterius ope?* Resp. Si ex malitiâ avari sint, & nihil velint consumere de suo, quia verentur ne cumulus minuatur, nullo modo illis est succurrendum, etiam si fame laborent: nam volentes famem patiuntur; & ultro in Deum sunt ingratissimi, quod ex divitiis suis Deum faciant, quas magis quam ipsum Deum verentur: quare esuriant strenuè potius, ut bonis suis uti discant. Si vero ex morbo aliquo scilicet melancholiâ sint tenaces & avari, quod imaginentur se habere nihil, unde vivant, ex condolentia illorum infirmitati nostra liberalitate est succurrendum: sed hoc rarum est.

VIII. Quæritur septimò: *An quis debeat largiri de suo, quod sibi supereſt, si credat futurum, ut post hebdomadam aut mensem, id sibi, ac suis sit defuturum?* Resp. Aut bona id fide credit, aut mala: si bonâ, potest sibi retinere, quia quod parum distat, nihil distare tenetur, nisi extrema sit proximi necessitas; si mala fide, & persuasione non fundata, id credat, debet illud erogare in usum communem pauperum, & ad sublevandam necessitatem communem.

IX. Quæritur octavò: *An, si apud nos sint aliena bona, & propria etiam habeamus, possimus tutâ conscientiâ esse liberales ex bono alieno, reservato proprio?* Resp. Non possumus. Quamdiu habemus bonum proprium, de alieno largiri non debemus.

X. Quæritur nonò: *An ex bono alieno, per nefas accepto, possit liberalitas exerceri, aut Eleemosyna dari?* Resp. Distinguendum est. Aut pauper est in extrema necessitate constitutus, aut non: si primum, danda est Eleemosyna, & liberalitas exercenda, quia in necessi-

ceſſitate extrema, omnia ſunt communia: ſi ſecundum, non eſt danda Eleemoſyna, nec liberalitas exercenda; quia tunc alienum ſuo domino debetur, non pauperi.

XI. Quæritur decimò: *An ex bonis, uſurâ comparatis, liceat eſſe liberalem, & Eleemoſynas dare?* Reſp. Si uſura ſit mala, bona in eum finem non ſunt corradenda: ſed tamen, ſi per malam & nimiam uſuram ſint corraſa, ex iis poteſt quis liberaliter ſtipem largiri; multò magis, ſi uſura legitima ea conquiſiverit, poterit licitè ex iis Eleemoſynam facere. Atque hi caſus ſuffecerint circa actum *Liberalitatis*, *quem Eleemoſynam* vocant.

XII. Quoniam vero, nullus liberalitati, nullus Eleemoſynæ, foret locus, ſi bonorum concedatur communio, quæ veterum nonnullorum, ac *Platonis*, vulgo dicitur fuiſſe opinio, placet, eam hîc quæſtionem quoque ſubjungere. Certè, nemo Eleemoſynam accipere, nemo dare poteſt, ſi omnia eſſent communia: quia, qui daret, non de ſuo daret, ſed de alieno, & qui acciperet, non de alieno, ſed de ſuo acciperet. Utrumque vero illud jam rejecimus. Ergo; *an bona omnia debeant eſſe communia? an bonorum omnium communio in Rep. benè conſtituta debeat tolerari? an non repugnet huic Liberalitati, de quâ agimus*, porro diſcutiamus. A *Politicis* hæ quæſtiones & *Ethicis* ſolent agitari, & ſunt utiliſſimæ.

XIII. Communio bonorum, à *Pythagorâ* olim & *Platone*, originem traxit: Teſtatur enim *Gellius Pythagoreos* ſic vixiſſe. Quos enim *Pythagoras* recepiſſet in diſciplinam; eos oportuit, ſi quæ haberent, bona in communem conferre uſum. *Pythagorâ* ſubſecutus *Plato*, dogma hoc retinuit, ac communionem bonorum inducere voluit in ſuâ, alioqui non peſſimè inſtitutâ, Rep. ſi quis loca *Platonis* deſideret, legat, *l. 5. de legibus.* Verum hæc *Platonis* Reſp. nullibi potuit locum, vel invenire, vel habere: unde, licet ter à *Dionyſio Siciliæ Tyranno* vocatus fuerit *Plato*, ad Reip. emendationem, nunquam ei aut Siculis perſuadere potuit. Viderunt enim viri cordati, exoriturum inde, non, niſi meram confuſionem. Inter *Chriſtianos*, olim quidam, hanc opinionem de rerum communione tenuerunt, qui *Apoſtolici* ſunt dicti: & ante ſeculum, *Anabaptiſtæ* quidam, præſertim *Monaſterienſes*, ut *Hiſtoriæ* referunt. Habemus originem & progreſſum hujus opinionis; nunc argumenta audiamus: Primum *ſumunt à lege naturæ, quod ita omnia ſint condita, & in hominis poteſtatem ſic tradita, ut omnia eſſent communia.* 2. *Ab exemplo Apoſtolicæ, ac primitivæ Eccleſiæ, in quo omnia fuerunt communia, ut Act* 2. 44. *legitur, & à mandato Servatoris, mandantis juveni iſti, Matth.* 19. 21. *ut omnia venderet, & pauperibus donaret.* Ut ad hæc argumenta Reſpondeamus, ad poſterius, prius Reſp. Præceptum datum iſti juveni, fuit perſonale, quare non eſt trahendum in exemplum: ſic & *Apoſtoli* omnia reliquerunt, non ut ſic omnes idem facere teneantur, multo minus ut teneantur in commune omnia conferre, ſed ex peculiari dono & vocatione ad id. Quod attinet ad exemplum Eccleſiæ *Apoſtolicæ*, non in omni, ſed in ſola *Hieroſolymitanâ*, obtinuit bonorum communio; in aliis non item, quod ex collectis apud alias Eccleſias factis patet, & *Apoſtolus* alias inſtituit Eccleſias, *Corinthiacam, Philippenſem, Epheſinam*, ſed nullibi voluit bona eſſe communia: itaque exemplum Eccleſiæ *Hieroſolymitanæ*, nec aliis Eccleſiis, nec nobis quicquam præſcripſit, & peculiaris fuit cauſa, cur illa Eccleſia ſic factitare voluerit, ut, quæ fons eſſet cæterarum, aliquid extraordinarium ſuſciperet, & oſtenderet ſuo exemplo poſſeſſiones & agros non eſſe tanti faciendos, quam ſpirituales illas merces, quas Eccleſia vænum exponit: & probent prius adverſarii, ſe eo ſpiritu duci, quo ducti fuere viri Apoſtolici, qui hanc communionem bonorum urſerunt, hi ſub prætextu communionis, furta, rapinas, cædes, &, neſcio quæ non ſcelera, commiſere: Ad rationem primam, *quod communio bonorum ſit de jure naturæ, & obtinuerit in ſtatu integritatis initio creationis.* Reſp. Cum omnia dicuntur communia jure naturæ, intelligi id debet, partim negativè, quia jus naturæ diviſionem illam non fecit, quæ inter homines nunc obtinet; partim poſitivè, quia jus naturæ omnibus poteſtatem fecit,

utendi quavis re & capiendi dominii, priusquam ab alio sit occupata, quod jus etiamnum durat. *Quod dicitur, communio bonorum obtinuisse, in primo rerum statu adhuc integro, statim à creatione.* Resp. Esto: non tamen necessarium fuit de jure naturæ, ut obtineret: nam, quidni obtinere quoque potuit rerum divisio, & proprietas? nulla lex est naturæ, quæ rerum communionem jubeat, ut necessariam, prohibeat rerum divisionem, & distinctum dominium, ut aliquid illicitum, & non necessarium. Consonam quidem fuisse statui innocentiæ rerum communionem, non nego, quia, indivisa tum bona, nullam litem, aut rixandi occasionem, præbuissent, ob rectitudinem voluntatis, quæ pacem conservasset in usu; tum etiam, quia terra, vel nullo, vel saltem non laborioso cultu, indiguisset; denique, quia nemo aliquid superfluum appetiisset, & necessaria alteri lubens concessisset: sed tamen, nullo tum præcepto prohibita fuisset, aut fuit, quod quidem constat, rerum proprietas: quia Deus res mundi subjecit hominis potestati, & dispositioni: itaque potuissent etiam tum homines consentire in divisionem rerum: quod si factum fuisset, nullum secutum fuisset incommodum: quippe singulis fuisset relictum, quod abunde potuisset sufficere, & quivis cum altero libentissimè de rebus suis communicasset: itaque, qui sic argumentantur: *si communio bonorum ab initio in statu innocentiæ fuerit naturalis, non est abolenda in statu peccati, quia jus naturæ aboleri non potest: sed verum prius.* E. Illi supponunt hypothesin falsam; quasi communio bonorum fuerit naturalis homini, in isto statu, hoc sensu, ac si fuisset de jure naturæ, ac si lex naturæ eam præcepisset, quod audivimus esse falsum: congruebat isti quidem statui, sed non erat simpliciter necessaria, ut illa, quæ sunt de jure naturali. Quod vero nunc loco communionis bonorum, bene sit factum, introducta rerum divisione, ratio docet naturalis, ut dissidia præscindantur, pax servetur, & tollatur negligentia, qua singuli res multorum administrare consueverunt; hoc enim tum fit negligenter. Dabo simile: natura nulli homini, cum nascitur, vestitum dedit: in lucem enim editur nudus. At, ratio tamen naturalis dictat, hominem esse vestiendum, ne frigore & aliis cœli injuriis pereat: sic natura, rerum divisionem primitus non constituit, nihilominus ratio naturalis docuit, talem divisionem fieri oportere. Hoc sensu dici potest, & debet, divisionem rerum esse juris naturalis, quia ratio naturalis dictat, eam esse necessariam ad pacem generis humani. Absolutè tamen, juris naturalis non est, quia natura non præcipit absolutè, eam fieri, nec secundum se, ad eam inclinat: &, quia à gentibus illa divisio postmodum facta est ad communem tranquillitatem, vulgò & benè dicitur, *esse de jure gentium*, quod nihil est, quam commune hominum judicium & consensus gentium, quo judicarunt, divisionem rerum expedire, tum ad pacem, tum ad meliorem rerum expeditionem, spectata mortalium conditione, quæ sui amans, alterius negligens, & ad ambitionem & cupiditatem nunc est prona. Hoc sensu, bella, regna condita, dominia distincta, servitus, emtio, venditio, &c. dicuntur esse de *jure gentium*. Tale jus gentium oritur ex *jure naturæ* per ratiocinationem, quia hæc omnia ratio naturalis dictat, etsi primario, & immediatè non sint principia naturæ: sed de hisce ad *materiam Ethicam de Justitiâ* pluribus differemus.

XIV. *Argumenta Platonis* pro communione bonorum facile solvi possunt: primò, *quod hæc faciat Remp. maxime unam fore.* E. Distinguo unitatem: posset esse unitas, quæ Reip. & civitati præjudicaret; talis esset ex communione bonorum: sicut est mala unitas, quando mali homines in unum conspirant: sic hæc unitas Reip. foret, quod omnes in malum conspirarent: secundò, *quod per communionem bonorum sit auferenda causa omnium discordiarum, quæ oriuntur omnes ex hisce duabus voculis* (*meum, tuum*) Resp. Nego ex tali communione sublatum iri discordias; imo dico contrà, auctum iri: sed probat *Plato*: *si omnes possent dicere, hoc est meum, ergo nullus est discordiæ locus*: *sed verum est prius.* E. Negatur minor. Nam vocula (*omnes*) accipitur, vel *collectivè*, vel *distributivè*: si collectivè,

ctivè, nemo poterit dicere, *hoc est meum*, sed, *hoc est nostrum*: si distributivè, singuli non poterunt vere dicere, *hoc est meum*, quia unius rei non possunt constitui plures domini: at illi constituerentur, posita communione bonorum: ergo ea est rejicienda, quod erat demonstrandum.

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUINQUAGESIMA-TERTIA, DE Quæstionibus variis, ac moralibus circa Liberalitatem.

THESIS I.

VErsamur in *casibus moralibus* ac *conscientiæ* decidendis & resolvendis circa *liberalitatem* & ejus extrema; & quid de eleemosyna, & quomodo illa ex liberalitate exerceri debeat, latius deduximus: nunc alia quædam prosequemur, non minus utilia, quàm quæ differuimus. Diximus *in Coll. Eth Disp* de *Liberalitate* ex *Arist. Liberalitatis* objectum esse τὰ χρήματα, id est, *pecunias*, seu divitias, tum naturales, tum artificiales. Diximus ibidem, liberalem versari circa divitias, tum δόσι, tum λήψι, tum dando, tum accipiendo, tum χρήσι, tum κτήσι, tum usu, tum possessione. Hic casus potest moveri conscientiæ, *an homo pius bonâ cum conscientiâ opes & divitias possidere valeat*? quem *casum* ex parte attigimus, non totum resolvimus, cum de communicatione bonorum, an illa sit licita, differuimus. Inter gentiles, *Stoici*, divitias & opes quæ bona fortunæ vulgo vocantur, quod hæ interdum sine studio & labore & quasi fortuito contingant, pro veris bonis non habuerunt, sed tanquam summi, & veri boni impedimenta, humanique generis pestes ac perniciem, rejecerunt. Stoicorum igitur sententiâ, non potuit mens pia, salva conscientia, bona fortunæ, divitias puta, possidere. Inter Christianos hanc quoque sententiam fovere ac tueri videntur, qui bonorum communionem docuerunt, ut fanatici quidam *Anabaptistæ*: & illi, qui in desertione bonorum spiritualium, magnam, si non maximam partem, felicitatis & perfectionis *Christianæ* constituunt. Contra hosce omnes muniendus est animus pius, & docendus, quod nullum sit peccatum, divitias possidere, sed quod tutò id, & salva conscientia liceat: quod desertio possessionum & divitiarum non faciat Christianum: quod variis rationibus probatum imus.

II. Primo contra *Stoicos*. Quæcunque per se sunt bona, ea tutò possidere licet piæ menti? sed τὰ χρήματα sunt per se bona: Ergo. Cujus oppositum per se est malum, id per se est bonum Sed oppositum τῶν χρημάτων, divitiarum, est per se malum. Ergo τὰ χρήματα sunt per se bona. Oppositum τῶν χρημάτων divitiarum est paupertas, quæ per se est mala; est enim pœna peccati. Et bona fortunæ, vera esse bona, fusiùs à nobis fuit probatum, cum de summo bono dissertavimus. Secundò, est contra Christianos quosdam. Quodcunque à Deo est, bonum est. At τὰ χρήματα à Deo sunt. Ergo. Omne bonum à Deo est. Divitiæ sunt bonum. Ergo. Sunt bona, si non moralia, utilia saltem, & à Deo. Nam τὰ χρήματα in se spectata, & ad bona moralia collata, per se bona sunt, nec mala moraliter, sed res mediæ; quibus vel benè vel male, possunt uti homines: &, quid

multis opus est? Deus pietati, etiam hujus vitæ bonorum promissionem dedit: at hæc, inter cætera in opum abundantia, & possessione, consistit. Perfectio vero Christianorum frustrà quæritur in desertione bonorum temporalium: nam perfectioni spirituali, nihil quidquam derogat possessio bonorum propriorum: mandatum nullum extat, de perfectione hoc modo acquirenda. Quod de abjiciendis bonis adolescenti isti in Euangelio dictum est, fuit dictum ad retundendam singularem ejus jactantiam, de plena legis observatione; & peculiariter fuit hoc ipsi propositum ad obsequiū ab eo præstandum. Quod dicant, divitias comparari denso luto (in sacris) aggravanti & inquinanti tenentē, spinis, quæ pungunt, laqueo irretienti; & inde concludunt, eas esse per se malas; nulla est consequentia: quippe hæc omnia non sunt de essentia divitiarum, sed adjuncta earum, quæ ad eas accedunt iisque accidunt, ratione subjectorum, hominum possidentium, quibus propter corruptionem humanam, divitiæ per se bonæ, abeunt in spinas, lutum, laqueum: sicut vinum per se bonum, respectu ebriosi abit in malum ipsi & damnum: & propter luxum, superbiam, aliaque, quæ divitias in hominibus corruptis consequuntur, fit, ut divitiæ pejus audiant, in sacris mali sint ominis ac nominis *Quod vetitum sit in novo Fœdere*, thesauros colligere in hisce terris, id non significat, divitiarum collectionem esse improbandam, sed avaritiam tantum & fiduciam in rebus terrenis reprehendit: immodicus amor habendi rejicitur, non modica, & juxta rationis præscriptum instituta divitiarum possessio. Sed enim quæ est ista in mediocritate instituta bonorum possessio?

III. Hic secundus & novus oritur conscientiæ scrupulus & casus. *Num Christiani plura possint possidere cum bonâ conscientiâ bona, quam quotidianus eorum postulat usus?* Inveniuntur & hodie, qui id negant, & ultra privatam & justam necessitatem, aliquas quæri & recondi divitias, illicitum pronunciant: nec ab hoc errore longè recedunt *Sociniani*, quod ex eorum *Catech. Racov.* videre est. artic. 5. cap. 1. At verò contra & sacram paginam & rationem, hæc est opinio. Nam ubi hoc interdictum est, plura possidere bona, quam quotidianus exigat usus? contrà jubet Deus parentibus, ut liberis thesauros quærant: at quomodo hoc facient, si ultra necessarium vitæ usum nihil divitiarum possidere liceat. Deinde tollitur omnis negotiatio & mercatura, vitæ tamen ratio, & vocatio juxta alias à Deo instituta. Quod dicatur alibi in sacris, ut habentes alimenta & vestimenta contenti simus, eo non prohibetur abundantia opum, si contingat; sed si non contingat, commendatur αὐτάρκεια, contentatio, ne nimium divitiis inhiemus; sed si non contingant, contenti simus: si contingant, ne cor apponamus.

IV. Tertius conscientiæ casus & quæstio circa liberalitatem, & possessionem, atque acceptionem divitiarum moveri potest hæc. *Quæ sint media, quibus divitiæ, bona cum conscientia acquiri, accipi, & possideri possint?* Resp. Etsi benedictio Dei divites facit, non tamen immediate Deus supra nos effundit pluviam suæ bonitatis, sed certa à nobis voluit adhiberi media, quibus divitię ex ipsius quasi manu acciperentur, acquirerentur, possiderentur: Primum est hæreditas: quæ enim ad nos deveniunt divitiæ, à parentibus hæreditate, legitimè accipiuntur, acquiruntur, possidentur: &, Deus ipse idcirco hæredibus verbo suo modum præfixit, juxta quem sint distribuendæ: est vero hæreditas, legitimum medium, accipiendi divitias, si fine dolo, fraude atque impostura instituatur. Secundum medium est labor assiduus in operibus vocationis: unde ipsi Ethnici dixerunt, Deum laboribus vendere homini sua dona. Omnia Dii superi vendunt superante labore. Et Deus ipse varias vocationes, & vitæ occupationes in eum finem instituit, & qui extra certam vitæ occupationem ac vocationem vivunt, peccant. Loquimur de iis, qui cum justis sint instructi & corporis & animi viribus, ac donis, quibus Reipub. operam suam locare possunt, malunt tamen vivere privati, atque è reditibus suis se alere, quam cum labore in officio aliquo & vocatione occupari. Tales male agunt. 1. Quia placet Deo, ut unusquisque in certo officio occupetur, Deum glorificet, & aliis inserviat; ita primo homini, adhuc integro, omnibus bonis affluenti,

affluenti, injunxit terram colere, & post lapsum in sudore vultus voluit hominem vesci pane suo: nec hæc lex in novo Fœdere est abrogata, sed stabilita, cum Christus voluit & jussit, ut unusquisque talentum suum exponeret fœnori. Secundò, otium iners fugiendum est, tanquam mater & nutrix omnium vitiorum, præsertim malarum cogitationum, cupiditatum, curiositatum, vanarumque machinationum. Porrò, certum medium legitimè acquirendi divitias sunt legitimi contractus emptionis, venditionis, commutationis, donationis, negotiationis, mercaturæ. In hisce contractibus, si omnia fiant absque dolo, fraude, iniquitate, ne venalia faciamus bona alterius, præter ejus voluntatem, ne impediamus emptores alios, ne vendamus merces nullius pretii, aut malas pro bonis, ne emptores venditoribus, aut venditores emptoribus, numerent pecuniam adulterinam, aliisque pluribus circumstantiis hic observandis, tam contractus tales sunt legitimum medium acquirendi divitias. Verùm, quia nonnulli olim & hodie existimant mercaturam & negotiationem non esse legitimum medium, opes comparandi, hoc negotium est discutiendum.

V. Mercatura omnis & negotatio in rerum constitit mutatione. Rerum vero commutatio duplex est, ex *Arist. lib.* 1. *Polit.* una quidem quasi naturalis & necessaria, per quam fit commutatio rei ad rem, vel rerum & nummorum, propter necessitatem vitæ: qualis est commutatio pecuniæ pro pane & carnibus, cibo ac potu. Talis commutatio nō proprie pertinet ad negotiationem, aut mercaturam, quia hæc communis est omnibus œconomis & patribus familias, & omnibus Politicis, imo omni homini, familiam, & se, ac suos, alenti: nam cujusque est, providere domui suæ, familiæ suæ; & magistratus est, civitati piæ de rebus ad vitam necessariis, prospicere; quæ provisio absque hac rerum, cum rebus, vel cum nummis, commutatione fieri nequit: Ideo eam commutationē vocavi necessariam & naturalem. Sed est alia commutationis species, in eo sita, ut per eam quis non quærat solum res necessarias vitæ, sed lucrum aliquod ex ea commutatione captet: hæc ad negotiationem pertinet. De hac negotiatione & commutatione, qua quis rem aliquam comparat, ut eam vendendo & commutando, aliquid ex ea lucretur; quæritur, *an sit medium licitum & honestum acquirendi opes ac divitias*? omnino. Si enim ut medium illicitum tollatur hæc negotiatio ex vitâ humanâ, Respublicas omnes & communitates aboleri est necesse, utpote, quæ sine mercatura consistere, aut subsistere nequeunt: & ubi locorum Deus prohibuit in verbo suo mercimonia? sanè nuspiam: sed modum tantum statuit iis, ne quis alteri in pondere & mensura defraudet: & sanctissimos viros, Abrahamum, Jacobum, Josephum, alios, contractu emptionis & venditionis, esse usos, sacræ testantur literæ: &, cum Deus, non omnia dederit ac concesserit regioni (neq; enim omnis fert omnia tellus) merces aliunde ad nos sunt advehendæ: quo in genere & negotio, quidni mediocre lucrum, tanquam merces laborum, ad sui & suorum sustentationem, peti possit, & petere liceat? *Dicent: non est necesse, lucrum aliquod sumere in mercibus vendendis & commutandis.* Resp. Est necessarium, saltem secundum quid, ut inde familiam & nos alamus, quod aliàs facere non possemus: & pone, tale lucrum, quod in negotiatione reportatur, nihil includere necessarium, attamen nihil quoque includit vitiosi per se, vel quod virtuti sit contrarium: sed & necessarium est necessitate finis, tale lucrum, quatenus sine eo, multi familiā suam sustentare non valent; quia nullam aliam quam negotiandi ac mercandi acceperunt vocationem: quid si aliquis negotietur, & ex negotiatione lucrum intendat, ad patrię bonum, ad publicam utilitatem, ne res necessariæ ad salutem patriæ desint, anne & hoc lucrum fuerit illicitum ex mercatura? si id sit licitum, quid ni & illud, quod ad privatæ rei sustentationem & augmentum intenditur, & acquiritur? neq; aliquid hic reponi potest. Qui proferunt, ementes & vendentes fuisse ejectos ex templo, nihil proferunt; eo enim Servatoris nostri facto, non damnatur negotiatio, sed ejus exercitium in loco sancto. *Dicunt aliqui, lucrum non debere Christiano esse finem ultimum.* 1. Resp. Nec mercatoribus in negotiatione, lucrum, est finis ultimus; sed lucrum ut medium

dium in sui & suorum sustentationem ordinant: & vitia mercatorum, si quidam in lucro ut fine ultimo acquiescant, non sunt imputanda mercaturæ, uti nec vitia artificum imputanda sunt arti. Itaque pronunciamus, mercaturam esse licitum medium acquirendi divitias, si debitè exerceatur: exercetur debitè, cum exercetur ab iis, quos decet, modo, quo decet, fine, quo decet.

VI. Primo convenit mercatura iis, & negotiatio, quibus illa, tanquam vocatio contingit: non aliis, in alia vocatione constitutis; præsertim non decet Clericos, id est, personas Ecclesiasticas, in munere Ecclesiastico constitutas: nemo enim militans Deo, implicat se negotiis secularibus: qui enim sunt ex Clero, non tantum debent abstinere ab iis, quæ per se mala sunt, sed ab iis, quæ eorum statum, ac conditionem minus decent: oportet enim, illos esse intentos suis stipendiis, neque terreno inhiare vel incumbere lucro. 2. Debet exerceri negotiatio, modo debito, ne dolose aliis imponatur: usitatum quidem est venditoribus, res suas duplo pluris facere quam merentur, & nimis laudare venales merces, ut extrudere valeant, additis sæpe mendaciis: usitatum est & emptoribus, infra pretium & meritum rem velle emere; sed uterque modus mercandi utrobique est pessimus, & à negotiatione & mercatura, quam asserimus licitam, arcendus. 3 Finis, qui conveniens est mercaturæ, debet adesse, ut nos & nostros sustentemus, ut labori debitam mercedem comparemus, non vero, ut simpliciter ditescamus: quare, qui immoderatum tantùm intendunt lucrum, & nihil aliud, illi legitimo negotiationis fine excidunt. Hisce igitur conditionibus servatis, & contrariis vitiis omissis, mercatura seu negotiatio æque atque labor manuum nostrarum, aut hæreditas, medium est idoneum, divitias acquirendi, accipiendi, possidendi.

VII. Sed verò videamus etiam obiter, *quis sit legitimus bonorum rectè acquisitorum usus; qui cum bonâ conscientiâ consistere possit? nam liberalitas, & in κτήσει, seu, possessione, & in χρήσει, seu usu, consistit.* Resp. Rectus bonorum fortunæ usus est situs, in dando iis, quibus dari debet: dari potest cum peccato, ut cum effunduntur opes ad ingluviem, ad lusum aleæ, ad superbiam in vestitu, ad inutilia ædificia; uno verbo, cum dantur, ad damnum, vel proximi, vel nostrum. At verus usus seu χρῆσις divitiarum, consistit in recte dando: rectè damus, si demus, primo, Deo, qui partem aliquam bonorum sibi vendicat in ministerii sui sustentationem: quemadmodum enim omnia flumina ex mari sunt, & in mare redeunt, sic omnia bona à Deo sunt & ad Deum redeunt. 2. Rectè damus, si demus magistratui: dandum Cęsari est, quod est Cæsaris. 3. Rectè damus, si demus liberis & familiæ nostræ: qui enim familiæ suæ curam nō habet, est deterior infideli. 4. Rectè damus, si demus pauperibus, viduis, pupillis, exulibus, ægrotis, opificibus, egentibus, & omni petenti, qui eget. Hoc enim est debitum charitatis, quę nobis præscribit, ut pauperibus subveniamus liberaliter: 1. eleemosyna. 2. mutuatione. 3. sublevatione ægrotorum. 4. hospitalitate. 5. solutione mercedis debitæ. Atque hi sunt casus conscientiæ, qui circa liberalitatem & ejus extrema incidere possunt: circa magnificentiam, magnanimitatem, modestiam, reliquasque virtutes, qui incidunt, persequemur exercitat: sequuturis.

EXER-

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUINQUAGESIMA-QUARTA,

DE

Quæstionibus & casibus moralibus circa Magnanimitatem, & Modestiam, & Mansuetudinem.

THESIS I.

Vidimus, & exposuimus ante habitis *Exercitationibus*, *casus morales ac conscientiæ*, qui circa cupiditatem divitiarum, circa τὰ χρήματα, tum quoad χρῆσιν, usum, tum quoad κτῆσιν, possessionem, moveri possunt. Atque ita defuncti sumus quæstionibus circa Liberalitatem decidendis. Nunc, quid moveri possit circa *Cupiditatem honorum* & *Magnanimitatem ac Modestiam* disquiremus, ac dispiciemus: inde, juxta virtutum seriem *Aristotelicam*, ad *Cupiditatem vindictæ* & *Mansuetudinem* transituri. De *Honore*, quid sit, abunde egimus, cum de *Magnanimitate & Modestia* in *Coll. Eth.* disputavimus: Eum esse bonum quippiam, audivimus, quia virtutis est præmium: atque hinc, honoris appetitum non esse illicitum, multis probavimus, & insuper, qui propriè & maximè sint honorandi: illi scilicet, qui veris virtutibus sunt præditi. Summa omnium hæc fuit. Quod testificatio excellentiæ & præstantiæ alicujus, externè facta verbis & signis, profecta ex internâ dignitatis aut excellentiæ alicujus agnitione, in qua consistit honor, licitè excipi possit, ac recipi ab eo, qui suis virtutibus talé testimonium meretur. Quæ objici possunt, quia tunc non dissolvimus, obiter videamus

II. Primò, *Modestia passim commendatur, ergo Cupiditas honoris est vitiosa.* Resp. Modestia, & honorum cupiditas, sed moderata, non magis pugnant, quam moderata cautio, seu timiditas, & fortitudo, quam liberalitas & parsimonia, quam Mansuetudo, & ira licita. Nec enim quamlibet honoris cupidinem admittimus, sed eam, quæ intra præscriptum rectæ rationis sese continet: at talis neutiquam pugnat cum modestiâ, sed cum eâ amicè consPirat. Secundo, *objiciunt exemplum Servatoris nostri, qui honores contemsit.* Resp. Honores fugit Christus, quia non hominum judicio, vel arbitrio, debebat Rex constitui; jam enim erat ipsé Rex in se, ex instituto & arbitrio Dei Patris: & regnum ejus non erat de hoc mundo: ideo mundanos contempsit honores. Tertiò *ajunt, dictum esse in Euangelio Matth.* 13. *Nolite vocari Rabbi, quia unus vester est Magister Christus.* Resp. Illo pacto & modo, quo Christum habemus Magistrum, nemo vocandus est Rabbi, sed interim gradus officiorum & honorum nequaquam sunt abrogandi. Ita unum Patrem habemus in cœlis, &, tamen in terris etiam Patres habemus. *Sed ajunt, omnis caro fœnum est, & omnis gloria quasi flos agri: & Apostolus vetat 1. Thess. 2. quærere ab hominibus gloriam.* Resp. Primò, honores quidem in se sunt mutabiles, ut fœnum, & flos agri: in se tamen non sunt contemnendi, aut despiciendi. Secundò, vetatur vana gloria, quæ à Carne est & à Mundo, & ab hominibus mundanis ac mendacibus: sed est alia & honestissima, imo & sanctissima veræ gloriæ cupiditas, cujus laus apud Deum manet. Sed, ut constet uniuscujusque conscientiæ, quousque sic fit eundum, videbimus, *Primò, quousque proprium nostrum honorem debeamus curare, speciatim quousque liceat curare nominis sui famam propriam. Secundò, quomodo sit resistendum ambitioni, & nimiæ honorum cupiditati.*

III. *Ad primam quod attinet.* Resp. Honor, aut mundanus est, aut Divinus: ille à mundo confertur, hic à Deo est ordinatus, & destinatus in virtutis præmium, & compensationem; Honor mundanus, si veniat in comparationem cum honore divino, aut contemnendus, aut longo intervallo posthabendus; itaque studendum est iis rebus omnibus, quibus Deus verum ac solidum honorem adjungit: tales sunt res, pietas, & officia pietatis, omniumque virtutum, in genere, & specie. Honores ab hominibus delatos non spernit, sed & non ita magnifacit, non tristabitur, si vituperetur, nec nimium lætabitur, si laudetur, quia eum, nec depravare potest injuria, nec coronare laus humana: ob humanum saltem honorem nihil mali committet. Quod spectat in specie boni nominis ac famæ curam? Resp. Fama bona, est ex natura sua testimonium de virtute: & fama mala est testimonium de vitio. Fama ergo bona est per se optanda: Fama mala est per se contemnenda: uti ipsa optanda est virtus, & contemnendum vitium. Nec magis potest contemni fama bona, quam virtus ipsa: nec magis optari fama mala, quam ipsum vitium. Interim fama bona, quia est testimonium virtutis tantum, non ipsa virtus, debet semper virtuti postponi: neque fama unquam quærenda est desertione virtutis, & fama talis ne bona quidem foret: ac cum fama quæritur bona, ea magis est quærenda, in corde & conscientiis hominum, quam in facie externa, magis est solidis virtutum actionibus comparanda, quam ex arte captanda. Fama insuper bona quærenda est, non propter se, sed propter virtutem, tanquam ejus testimonium, non propter nos, quasi aliis testantibus de nobis, haberemus fidem majorem quam nobis ipsis, sed propter gloriam Dei est quærenda, & ædificationem proximi, ut aliis, vel exemplo, vel opera nostra, prodesse valeamus, ut alii ad glorificandum Deum propter virtutes nostras, & virtutum famam excitentur. Ideoque, ut hi fines obtineantur, singularis incumbit bonæ famæ cura iis, qui muneris sui ratione singulariter vocantur ad Dei gloriam, & hominum salutem promovendam: Ea tamen hîc differentia teneri debet, ut minor cura habeatur famæ circa ea, quæ minus faciunt ad gloriam Dei, & major circa illa, quæ magis eo spectant: sic gentium Apostolus, humanæ scientiæ & eloquentiæ famam contemnens, magis curabat famam solidæ cognitionis Christi; *Nihil*, inquit, *desidero scire, nisi Christum, eumque crucifixum. Quæri hîc possit, an, qui doctus est, nobilis, dives, eloquens, ingeniosus; si habeatur pro indocto, ignobili, paupere, balbo, hebeti, patiatur infamiam, & bonæ famæ violationem?* Resp. Nequaquam: quia bona fama, non eruditionis, divitiarum, nobilitatis, eloquentiæ, vel ingenii, est testimonium, sed solidæ ac masculæ virtutis βραβεῖον, signum, & compensatio.

IV. *Nunc secundum videamus. Quomodo sit resistendum nimiæ honoris cupiditati, seu ambitioni, extremo & magnanimitatis & modestiæ.* Non potest melius ei resisti, quam si noxia ejus cogitentur effecta: qui enim nimium sunt cupidi gloriæ & honoris, primò, neminem juxta se ferre possunt, nec parem, nec superiorem: quæ causa fuit, quod, nec *Themistocles* cum *Aristide*, nec *Cæsar* cum *Pompeio*, vivere potuerint in eadem urbe. Secundò, falsum & vanum quærunt honorem, non quem virtus & honestorum hominum judicium peperit, qui licitus est, modo non nimium expetatur, sed qui ab imperito defertur vulgo, sine respectu, vel virtutis, vel vitii, imo sæpe ob causas alias quam virtutem. Tertiò, opponunt se Deo, dum quærunt honorem proprium, non Dei, cui soli omnis debetur honor & gloria. Quartò, multarum seditionum, litium & turbarum causa sunt. Gloriæ cupido nimia, *Esavum* contra fratrem immani odio concitavit, *Saulem* contra *Davidem* irritavit, *Carthaginenses* cum *Romanis*, *Romanos* cum aliis, bella gerere fecit. Quintò, immisericordes sunt in proximum, cujus miseriam non considerant, sed potius in suâ gloriâ alto cum supercilio eum despiciunt, ac contemnunt. Ambitio enim superbos facit, superbia contemptores aliorum. Sextò, se ipsos in miserias conjiciunt; ambitio enim protoplastos

plastos paradiso ejecit, cum vellent esse similes Deo : Nebucadnesarem bestiis assimilavit; Herodem vermibus rodendum objecit. Septimo, se ipsos non agnoscunt, quam sint viles & abjecti vermiculi, quam planè sint nihil coram Deo Creatore suo. Cogitet hic gloriabundus *Thraso*, & vanus homo, unde sit factus, è luto terræ, quam miser sit redditus, post lapsum primorum parentum, quam omni gloria & honore sit spoliatus, quibus & quantis sit expositus miseriis, quas sit promeritus pœnas. Cogitet infirmitatem corporis sui, quot & quantis illud sit obnoxium morbis, quam omnem suum splendorem sit perditurus in sepulchro. Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror, sic in non hominem vertitur omnis homo. Hæc sufficerint utrique quæstioni propositæ dissolvendæ.

V. Nunc porro inquiri posset, quem honorem oporteat Magistratum accipere à subditis, parentes à liberis, Dominos à servis, Præceptores à discipulis, Personas Ecclesiasticas ab Ecclesiæ membris, & in genere superiores ab inferioribus; verùm, quia hæc omnia fusè persequitur *Doctissimus & Clarissimus Dominus Amesius in casuum Conscientiæ. lib. 5. cap.* 19. usque ad *caput* 26. exclusivè: qui & quia in omnium est manibus, ab hisce decidendis abstinebo, me conferam ad alterum hujus exercitationis caput, quod est de *Casibus Conscientiæ circa Mansuetudinem & iræ cupiditatem.* De irâ, quid sit, verba fecimus, cum de Mansuetudine disputavimus in *Coll. Eth* & aliquam esse licitam, obiter demonstravimus. Nunc paulo uberius, quando sit licita, enarrabimus, & iræ illicitæ remedia proponemus.

VI. In irâ licitâ & justa tria sunt observanda. Primo, causæ procatarcticæ seu initia legitima iræ Secundo, objectum ejus æquum. Tertio, recta irascendi ratio. Ut iræ initia sint minimè vitiosa: requiritur primo, ut occasio & causa iræ justa sit, & gravis, qualis est, aperta Dei offensa: talis fuit non semel in *Mose* iræ justissima causa, aperta Israëlitarum à vero Deo apostasia. Secundo, requiritur, ut ex prævio consilio & deliberatione ira concipiatur: nam affectiones nostræ omnes ratione regi debeant: quanto magis affectus. Tertio, ut debito fine ira instituatur, scilicet studio gloriæ & laudis divinæ tuendæ, ex justitiæ & virtutis amore, ex vitii & mali odio ac detestatione. Porro, requiritur in ira justa & legitima objectum debitum: quod ut sit tale, primo persona ipsa à persona offensa, seu peccato, sollicite debet discerni: peccatum enim personæ est proprium iræ objectum, non persona ipsa peccans: Ita Moses Israëlitarum idololatriæ vehementissime succensebat, at pro ipsis idololatris Deum precabatur. Secundo: Dei causa & Dei offensa diligenter ab offensa & causa hominum discerni debent. Ira debita & sancta, & licita, propter causam & offensam Dei proprie suscipitur, non ob privatam causam aut offensam nostri, nisi quoties illa nostri offensa, & causa, ad Deum quoque offendendum facit. Denique, ut ira sit licita & justa, debet ratio concipiendæ iræ esse legitima: atque ut talis sit, hæ cautiones teneri debent.

VII. Primo. Ira justa ac legitima debet esse temperata, ac permixta amore & charitate: ipse enim Deus in ira sua recordatur misericordiæ suæ; ad cujus exemplum si nos componamus, non malè irascemur. Secundo. Ira justa ac legitima adversus offensam ac peccatum, cum tristitia & dolore de offensa & offendentibus debet esse commixta. Ita Servator noster Judæorum contumaciæ quidem irascebatur, sed tamen duritiem cordis eorum dolebat: & illius ratio est, quia in societate humana, si unum delinquat membrum, condolent reliqua; sicut in corpore humano cum unum membrum sese habet malè, dolent reliqua. Tertio. Ira justa ac legitima intra propriæ vocationis & decori, seu τὸ πρέπον, limites ac cancellos est concludenda, id est, ita est temperanda, ut ad officia Deo, hominibusque debita, negligendi, aut ad decori communis præscriptum violandum, nos minime adigat. Hæ si observentur conditiones, ira justa est, legitima, & sancta: Contrà, ira in peccatum abit, quando ab hisce conditionibus abitur, & ad oppositas

rationes transitur. Primo. Cum citra & præter consilium antegressum, & absque prævia deliberatione concipitur ira: quæ temeraria est, & præceps, & subita, & violenta ira, in sacris & à recta ratione ipsa damnatur. Secundò. Injusta & illicita est ira, quæ, nulla vel levi & frivola oritur de causa. Tertio, Quando ἀφορμὴ seu occasio justa quidem est, sed ira justum excedit modum, ac mensuram, jam est illegitima. Quartò. Quando officii Deo hominique præstandi immemores nos reddit, & ad convitia, execrationes, & abominationes, nos propellit. Quinto. Quando privatis de causis, quæ nos ipsos tantum concernunt, Deum non attingunt, iras concipimus. Hæc omnia si adsint, iram reddunt vitiosam, injustam, illegitimam. Sed videamus nunc iræ hujus injustæ remedia, quibus illa, & iræ vindicta, tollatur.

VIII. Remedia iræ injustæ & illegitimæ sunt, quædam *Theoretica*, quædam *Practica*. *Theoretica* remedia in meditationibus consistunt & contemplatione, *Practica* in opere & actione. Meditationes ac Theoriæ, iram in justam compescentes & frænantes, vel Deum respiciunt, vel proximum, vel nos ipsos. Quæ meditationes circa Deum, iram cohibent & tollunt injustam, huc ferè recidunt. Primo, cogita, Deum nobis expresse vetare iram injustam, & contraria Charitatis ac Mansuetudinis officia præscribere. Secundo, cogita, injurias omnes non sine Dei providentia singulari nobis obtingere, per quam in finem bonum, nostrum scilicet emolumentum, nobis convertuntur. Tertio cogita, Deum incredibili uti longanimitate, etiam in maxime impios: qua in re nos ejus exemplum imitari docet. Quartò cogita, Deum immensa lenitate erga nos uti, qui tot noxas & offensiones nobis condonat & remittit, quibus divinam suam Majestatem quotidie offendimus. An non, ergo æquum est, ut & nos longanimitati & mansuetudini operam demus. Quinto, cogita, vindictam omnem ad Deum pertinere, qui ipse dixit, mihi est vindicta: ideoque homo se, & injurias sibi illatas, ulciscendo, Dei partes assumit, quin, & judicis, & actoris, & testis, & lictoris partes sibi arrogat, contra omnem æquitatem, jus, & fas.

IX. Meditationes de proximo, iram, vel præveniunt, vel sedant, si cogitemus, primo, eum esse fratrem nimirum, ad imaginem Dei factum, cui irascimur. At fratrem in fratrē irasci non debet; & ipsa sanguinis communio & humanitas iram hîc omnem vetant: & non debemus imaginem Dei aliqua injuria afficere, aut ullo modo lædere. Secundo, si cogitemus, quid nobis à proximo fieri vellemus: scilicet, si aliquem læsimus, & vel dictis, vel factis injuriam intulimus, cupimus nobis à proximo noxam, & offensionem condonari: quapropter, & nos illi omnem injuriam condonare oportet, absque injusta ira: & cogitemus, vel eadem vel majori injuria, nos affeciisse alios de proximis, quàm qua nos nunc afficimur.

X. Meditationes de nobis ipsis, iræ injustæ sunt remedia, si ad sequentia animum advertamus. Primo, qui iram temere concipit, atque eam alit, fovetque, iræ divinæ reatu se ipsum involvit; imo, cum veniam petit, nec aliis det, ipse non impetrabit, si quidem precamur nobis remitti peccata, ut ea remittimus debitoribus nostris. Secundo, jubemur nos mutuo diligere: Dilectoris vero proprium est, pati, tolerare, nec facilè ad iram incitari. Charitas omnia sustinet. Tertio, nos hominum animos non satis percipimus ex eorum actis, & verbis, & signis externis: & facilè hîc decipimur: itaque, non debemus tam facilè irasci; quia experientia docet, nos sæpe irasci, quod mentes hominum siniistre interpretemur, aut non satis rectè assequamur. Quartò, ira temeraria correpti, nulla cultus divini parte possumus defungi: nec orare possumus, nec verbum Dei audire, nec vocationis nostræ munia & officia obire. Quinto, fructus expendamus, & effecta iræ in nobis ipsis: valetudini nocet, cerebrum lædit, spiritus enecat, animum perturbat, rationem aufert, justitiam, lætitiam, pacem, patientiam, concordiam, tollit; & uno verbo, via compendiaria est ad universi corporis, animi, ac vitæ intemperiem, atque indispositionem. Sexto, causas expendere oportet iræ injustæ, quæ sunt variæ, & omnes,

non

non nisi vitia. Primo, superbia: Superbi enim nullas patiuntur injurias, sed ad minimas excandescunt. Secundo, amor sui: qui enim nimium se amat, aliis cito irascitur. Tertio, curiositas & suspicio: qui enim in singulis curiose inquirit, facile invenit quippiam, cur & suspicetur, & irascatur. Quarto, Temeraria credulitas; qui enim omnia credit, facilè irascitur, si aliquid male ab adulatore audiat dici. Quinto, negligentia, quod non attendamus ad nos, & non cogitemus, quam facile nos Sathan ad vitia præcipitare valeat. Sexto, invidia: nam ex hac quam citissimè irascimur ei cui invidemus.

XI. Remedia practica iræ præveniendæ aut cohibendæ sunt. Primo: Si in æstu iræ eam, omni modo, tum verbo, tum facto tegere studeamus. Secundo: Si ab iis quibus irascimur, aut irasci facile possumus, secedamus. Tertio: Si irritamenta & incitamenta iræ studiose & diligenter vitemus, caveamus, fugiamus. Quarto: Si de mane quotidie & Deum precemur, ut nos à præcipiti ira servet, & nos decretum faciamus de non irascendo, quod sæpius de die recolamus, ac volvamus; sic fiet, ut non facile in iras erumpamus.

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUINQUAGESIMA-QUINTA, DE Quæstionibus moralibus quibusdam circa Mansuetudinem.

THESIS I.

EXcussimus *exercit. præced. casus* quosdam & *quæstiones morales* circa *Modestiã Magnanimitatem & Mansuetudinem*. vidimusque quousque proprium honorem, speciatim, boni nominis famam curare ac tueri debeamus: vidimus, quibus mediis & remediis sit resistendum ambitioni, & nimiæ honorum cupiditati: vidimus, quæ, & sub quibus conditionibus ira sit licita & justa; vidimus, quibus remediis, tum theoreticis, tum practicis, sit resistendum iræ illicitæ & injustæ, ac jam possemus transire ad quæstiones alias morales, *circa comitatem, urbanitatem, veracitatem* instituendas, dissolvendas: verum enim vero, quia nonnulla adhuc restant quæ spectant *Mansuetudinem*, & cum fructu quæri hic possunt ac dissolvi, ea primum excutiemus: quæ dicemus, ad hæc 3. referri possunt capita, sc. *an & quomodo homini mansueto sint injuriæ propulsandæ, vindicandæ, ferendæ?* quæ tria scire oportet, ut medium in mansuetudine communi servandum rectè servemus in vita. Hæc tria asserimus licita esse, sed sub conditionibus debitis. *Interdum propulsare* licet ac *repellere* injurias illatas, *interdum ulcisci* ac *vindicare, interdum perferre* oportet ac *tolerare*. A duobus hic est cavendum extremis. 1. Cavendum est ab eorum opinione, qui putant omni injuriæ esse cedendum, & nihil opponendum, ac reponendum, Grassatori, rem domesticam evertenti, latroni, bona & vitam eripienti, nebuloni, famam & bonum nostrum nomen violanti; cavendum quoque est ab eorum sententia, qui putant omnem injuriam, & levissimam, ac quamcunque tandem esse repellendam, &, quod plus est, esse vindicandam, aut propria

manu, aut ſtatim ad tribunalia convolanda. Contra utroſque, & utrumque extremum ſedulâ diligentia hac hæc tria capita diſcutiemus, *quæ & quouſque ſunt injuria, propulſanda, vindicanda, toleranda*? quod antequam diſtincte decidamus, prius injuriæ proponemus definitionem & diviſionem.

II. *Injuriam* impræſentiarum vocamus, in *qua jus alterius læditur, ſive dicto, ſive facto, ſive geſtu, ſive ſcripto, aut quocunque modo illud contingat*. Itaque injuria eſt in & de genere malorum, eſtque *malum culpæ ac turpe*, reſpectu *facientis*, & *malum pœnæ* ac *triſte*, reſpectu *patientis*: dicitur vero injuria committi *dicto*, cum maledicto laceratur vir bonus ac læditur, quod genus injuria *Græcis* dicitur ὕβρις, *contumelia*; huc refer *calumniâ facto* committitur injuria, cum alicui vis infertur, ut, cũ graſſator viatori eripit facultates, aut fur alicui bona aufert contra alterius voluntatem: *geſtu* infertur injuria, cum quis habitum & mores alterius probrosè imitatur ad ipſius contemptum & ludibrium: *ſcripto* affertur injuria cum quis famoſis libellis, & convitiis chartę mandatis, at typo expreſſis, alterum perſequitur. *Græci* duo injuriarũ genera conſtituunt: aliud enim ipſis eſt, ἀδίκημα ἑκούσιον, quod ſponte, ſcienter, & volenter, admittitur, quod fere ſolum hodie *injuria* dicitur. Aliud injuriæ genus eſt ἀδίκημα ἀκούσιον, quod eo fine admittitur, ut lædat alium, ſed propter ignorantiam aliquam excuſatur: verum hęc injuria huc non pertinet. Poteſt etiam injuria diſtingui, in univerſalem & particularem. Univerſalis eſt illa, quæ non uno modo lædit jus alterius ſed infinitis, qualis eſt tyrannica gubernatio, in qua ſcelera ſunt comprehenſa infinita. Alia eſt injuria *particularis*, qua ſingularium unus proximus læditur ab alio, qualis eſt injuria, furtum, quo alteri inſcio aut invito ſuum eripitur. Hanc injuriæ diſtributionem alii commodioribus terminis efferunt: & dicunt, injuriam aliam eſſe publicam, qua Magiſtratus ac ſuperiores opprimunt ſubditos, aliam eſſe privatam, qua ſinguli ſingulos lædunt. Sed præter utramque hanc injuriæ ſpeciem datur adhuc, quæ utrimque eſt publica, & à parte facientis, & à parte patientis, ut, cum rex regem, Reſp remp. invadit, regio regionem. His ita præmiſſis, nunc quæritur. *An non impingat Chriſtianus in Virtutem, Clementiam aut Manſuetudinem, ſi injuriam repellat ac propulſet, deinde, ſi vindicet?*

III. 1. Si Magiſtratus Magiſtratum alium, Rex unus Regem alium, Reſp. Rempublicam aliam, injuria afficiat & contumelia, & variis modis perſequatur, officii nomine tenetur repellere, & propulſare injurias, ille, vel Magiſtratus, vel Rex, vel Reſp. ſibi & ſuis illatas; namque in eum finem accepit gladium, & ob eam cauſam eſt inſtitutus & ordinatus à Deo magiſtratus. 2. Si Magiſtratus alienis ſubditis injuriam faciat, ſubditi Magiſtratus ſui præſidium & debent & poſſunt implorare: illius enim eſt, tueri ſubditos ſuos, & omnes eos, quos Deus Magiſtratus illius patrocinio commiſit: quos ſine magno ſcelere non poteſt negligere Magiſtratus. 3 Si Magiſtratus ſuis ac propriis ſubditis injuriam faciat, ea à ſubditis violenter propulſanda aut repellenda non eſt: neque Magiſtratus armis invadendus eſt à ſubditis; quia Scriptura Sacra nullibi ſubditis in Magiſtratum ſuum poteſtatem fecit arma capiendi ob injurias ſimpliciter à Magiſtratu illatas; quia malis etiam principibus parendum eſſe, jubet: ſi quid Magiſtratus contra *Deum*, Religionem, aut Pietatem, vel agat, vel agi præſcribat, *Deo* hîc quidem magis obediendum, quam Magiſtratui, ſed non ſubditis ſtatim ſunt arma capienda, nec huic aut illi ſubditorum ſtatim licet, telo aut armis invadere Principem ſuum, aut Regem, etiam Tyrannum. David Saulem regem, cum poſſet, tamen, noluit occidere, quia Rex erat, & Magiſtratus: & *Servator* noſter hîc ſuo exemplo præivit, qui injuriam, ſibi innoxio illatam ab ordinario Magiſtratu, patienter tulit, nec vindicavit; cum eam facile accerſitis in ſui defenſionem, Angelorum legionibus repellere ac propulſare potuiſſet: quare ſubditis perferendæ potius ſunt injuriæ, ſibi à Magiſtratu illatæ, quam à ſe vindicandæ.

IV. Supereſt *quartum injuriarum genus*, quo privati privatis ſunt moleſti. Quæritur. *An hæ ſint propulſandæ?* Reſp. Et hoc genus injuriarum defenſionem admittit & propulſationem; ſed honeſtam utrimque, & non tam

tam privatam quam publicam exigit, aut si publica haberi nequit, etiam privatam, servato moderamine debito. Duplex est injuriarum, quas privatus privato facit, species. Una, res ipsas, quas possidemus, petit, sine vitæ periculo, in qua multa concedet pius, etiam de jure suo, ignoscet, condonabit, verbis admonebit, etiam de suo largietur, siquidem necessitas sic exigat & ferat. Alia est, cum extremo vitæ periculo conjuncta, in qua, non tam cunctabitur, aut moras nectet, aut cedet, in multis, antequam se defendat injuriasque propulset, sed paratam habebit sui defensionem, & in promptu, quæ, ut necessaria, ita justa quoque est, propter periculum præsens in mora: & hæc naturalis est propensio, & innatus affectus, se defendendi, injurias à vita sua propulsandi, quem sui conservandi affectum Deus non eripit, sed ardentiorem potius facit in regeneratione, ut in regenerato ac verè pio non sit extinctus, sed licitus atque ardentior, quam in impiis: itaque in casu necessitatis, nec cum pietate nec cum mansuetudine, pugnat, ut privatus *privatas* injurias repellat, quod fusius probavimus, cum de eo disseruimus circa *fortitudinem*; *an vim vi repellere liceat?* atque repulsionem injuriarum esse licitam, cum vita in periculum adducitur, nec potest Magistratus auxilium, aut implorari aut haberi, nihilque tum fieri circa jus divinum aut humanum, satis est probatum, neque in controversiam usque adeo trahitur: Sed hoc est magis controversum, *an propter honoris nostri violationem, liceat, injuriam istam famæ nostræ illatam, repellere, ad mortem vulnerando, aut & occidendo violatorem?*

V. Resp. Etsi viro gravi & honesto grave est honoris periculum pati, attamen honoris æstimatio, nulli hominum tanti esse debet, ut per vitam alterius redimatur: neque enim ejusdem hîc sunt ponderis, fama nostra, & vita alterius: si injuria sit verbalis, sufficit, si verbis repellatur, & legitima vindicta à Magistratu compescatur; si sit realis, ut, si quis virum gravem alapâ percutiat, quod cum ejus honoris læsione est conjunctum, aut honestam virginem vel fœminam impudicè attingat, aut adoriatur, potest talis injuria repelli, vel per Magistratum, vel, si ejus auxilium non sit præsto, per aliquam repercussionem, ut nonnulli *Casuistæ* existimant, modo id non fiat, ex vindicta, sed ad vitandam infamiam atque ignominiam, ac fiat statim & è vestigio: quod, jam non disputo, an recte fiat, sitque licitum nec ne? Interim nunquam ad mortem vulnerandus est aut occidendus, qui injuriam infert: unum tantum excipiunt *casum*, quo licere id existimant, cum virgo non tantum impudice attingitur, sed insuper, violatur; quia castitas, ut vita, semel amissa, nunquam recuperari potest. Sed de isto *casu*, antè diximus de *Fortitudine*. Atque hæc de primo hujus *Exercitat.* capite, sufficiant, *de injuriarum propulsatione, an ea cum Mansuetudine consistat, & sit licita?* alterum est, *an sint injuriæ vindicandæ?*

VI. *Propulsantur* propriè injuriæ nondum factæ; ita vis propulsatur contra latronem, Grassatorem, prædonem, stupratorem: *Vindicantur* injuriæ, jam factæ: sic res repetitum ibant Veteres *Romani*, &, in civilibus actionibus, lege talionis apud Judæos, postulabatur ad pœnas, *author* injuriarum, ut quantum v. c. abstulisset, tantum restitueret, aut quantum damni ac noxæ intulisset, tantum ipse etiam pateretur. Hæc ratio vindictæ erat apud *veteres*. Nunc controversia est, an *vindicta sit licita?* peccant hic in excessu, qui sine modo omnem vindictam approbant; quo vitio videntur laborasse Judæi, qui ex lege talionis nihil non licere sibi putabant, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. quo etiam vitio laborant, qui prætextu Juris naturalis, ad quasvis injurias objiciunt, *vim vi repellere licet*: quasi nulla sit charitatis regula, quæ vindicandi studium, & possit, & debeat, mitigare. In defectu peccant hic nonnulli *Anabaptistæ*, & *Socinani*, qui dilectionis Jus ita extollunt, ut vindictæ nullus plane relinquatur locus, nec privatis eam permittunt personis, nec publicis, tolluntque è manibus ipsius Magistratus, Gladii Jus & usum. *Nos hîc medium tenemus*, &, *publicam vindictam semper licitam pronunciamus*: at, *vindictam privatam in societate humana, & Republicâ, ubi sub Magistratu vivitur, non item.* Ethnici est ad quamvis offen-

offensam excandescere & ultionem expetere: sed stipitis quoque est ac lapidis, imò fungi, ac contra pietatem, socordi negligentia se & suos negligere, nullo pacto vim ullam propulsare, nullam injuriam vindicare, cum vindicari licitè potest. Vindictam publicam, à Magistratu exercitam, esse licitam, dum fontes pœnis afficit, insontes ab injuria tuetur, facilè probari potest. Quia Magistratus à Deo ordinatus est ut bonos defendat, malos puniat; at illud sine vindicta & ultione publica fieri nequit: & quia Magistratus est pacis publicæ custos: At pax publica custodiri nequit sine vindicta, qua scelera hominum turbulentorum & machinationes irrequietę vindicentur ac puniantur.

VII Vindictam privatam, qua privatus privatum ulciscitur, ipse vindicat injurias illatas, sibi esse illicitam, facilè probatur. 1. Quia vindicta est propria *Dei*: Ergo, aut *Deo* committenda, & relinquenda, aut iis, quibus eam Deus potestatem fecit, qui idcirco *Dii* quoque vocantur, ut est *Magistratus*: *Deo* & *Magistratui* jus suum eripit, qui se ipsum ulciscitur. 2 Vindicare injuriam illatam, est ejus, qui est potestate superior: sed privatus injuriis affectus, non est superior privato afficiente. 3. Actus Judicii non convenit privato, quia est actus publicus. Sed vindicta est actus judicii Ergo. Certè, nemo est idoneus Judex in propria causa: At talis erit privatus, si se vindicet de injuria irrogata. 4. A quo non possunt obtineri fines vindictæ ob quos instituitur, ad eum non pertinet vindicta. Sed à privato non possunt, &c. Ergo. Hæc tria spectantur à Magistratu, in alienis injuriis vindicandis. 1. Ut eum, qui punitur à Magistratu, Magistratus emendet. 2. Ut animadversio facta à Magistratu in aliquem, alios reddat meliores & cautiores 3. Ut parti læsæ & aliis in posterum securitas præstetur. Atqui nihil horum assequitur privatus, si sese ulciscatur: Nam, 1. Non emendat, nec corrigit adversarium, sed magis irritat ac lacessit. 2. Alios non reddit, suæ ultionis privatæ exercitio, meliores, sed vero deteriores, suo scandalo, quod iis præbet, dum se ulciscitur. 3. Non securitatem sibi, aut aliis, procurat, sed vexationem potius & metum, ne alter, quem ultus est, sese iterum vindicet & ulciscatur. Quare, *vindicta privata nullo modo est licita*

VIII. Sed tertium videamus *exercit. nostræ caput, quæ & quando sint ferendæ injuriæ?* Duplex est injuriarum consideratio, una, ut sic loquar, *juris*, altera, *voluntatis*. *Juris est*, quando disputatur, *An liceat, & quas, ac quousque liceat, vel propulsare, vel vindicare, injurias*? hanc considerationem injuriarum jam absolvimus; & de utroque sententiam diximus: restat ut consideremus, *non, quid possit fieri, circa injurias, vel propulsandas, vindicandas, sed, quid velit homo pius & probus*? Non semper quis utitur summo jure, quo uti potest: itaque etiamsi quis possit, vel propulsare, vel vindicare, sæpe tamen non vult, ac tum tenetur perferre: imo, quædam sunt injuriæ, quas non potest nisi perferre: necesse autem est, ut perferat eas patienter & cordatè. Sed videamus, quæ sint perferendæ injuriæ viro pio, & quomodo?

IX. 1. Quas propulsare aut vindicare quis nequit injurias, eas ferat patienter, oportet, ferat modestè, ferat animo humili, tanquam coram *Domino*. 2. Quas propulsare quidem quispiam potest injurias, sed medio tamen non satis justo, eas ferat, oportet: huc pertinet casus ille: *Si quis coram infideli Iudice cogatur litigare de injuriâ acceptâ, & ab eo vindictam petere, præstat in tali casu, injuriam ferre, quam ulcisci.* Si sc. vindicta injuriæ, etsi licita, apud infidelem Judicem, vel alios infideles, aliquid scandali daret, aut ludibrii quippiam crearet, veræ religionis professioni: sed, si absunt ista, non necesse est, perferre injurias, sed vindicari possunt illæ ab infideli etiam Judice; imo fieri potest, ut quis apud infidelem Judicem melius jus suum persequatur, quam apud religionis suæ Judicem: si Judex sit homo impius, præstat concoquere & devorare injuriam acceptam, quam ad tribunal deferre. 3. Quascunque injurias non potest quispiam repellere aut vindicare, nisi cum offendiculo fratris, eæ potius tolerari debent, quam vindicari aut propulsari, quia finis semper, est ædificatio proximi: quodcunque non ædificat ex indifferentibus, præstat omitti, quam fieri. 4 Si sine injuria rei domesticæ, si sine jactura nominis ac famæ,

ac famæ, tolerari possunt injuriæ, tolerentur: si suadeat pietas, si mandet charitas, ferantur: Multa enim sunt concessa, quæ non sunt statim facienda; tempus facile leniet injurias, quas alioquin vindicare licet. In ferendis verò injuriis, ut quis patienter eas ferat, se consolabitur unusquisque qui eas fert, providentiæ divinæ scuto: Cogitet, hanc esse voluntatem *Patris Cælestis*, ut eas ferat: & latas esse similes injurias à Magistro & capite nostro *Iesu Christo*: cogitet, longè majus esse bonum, patientiam, constantiam, mansuetudinem, de qua egimus, quibus perfert injurias, quam sunt injuriæ, malum: cogitet, ipsis *Gentibus* adfuisse, nec uni, sed multis eorum, hunc perferendi injurias potius, quam vindicandi, animum. Exemplis probatum dare id, facile foret. Sic ergo tria hæc capita, *quæ & quousque injuriæ sint, propulsandæ, vindicandæ, tolerandæ*, absolvimus, & in universum *casus morales ac conscientiæ*, qui circa *Mansuetudinem* aut *Clementiam* moveri possunt. *Exercit.* prosequemur secuturis, *casus* alios, circa virtutes ὁμιλητικὰς, *Comitatem, Vrbanitatem, Veracitatem*, moveri solitos, ubi insignis sese de pluribus rebus egregiis differendi offeret campus.

IMPERTINENTIA.

I. Ingeniorum maximus obex, sunt præjudicia.

II. Veritatis, & inquisitionem, & inventionem sistunt atque impediunt, anticipatæ opiniones, obstinatio pertinax, fuga laboris, desperatio doctrinæ melioris, reverentia erga magistros, Novatoris opprobrium, Adversariorum multitudo, & perversus zelus, veritatis studiosos, schismatis & hæreseos titulo calumniantium, eosque cum Ecclesiâ & Magistratu committentium

III. Multa sunt, quæ, etsi videamur à naturâ edocti, à consuetudine tamen inconsideratè judicandi; accepimus.

IV. Præjudicia *sunt, judicia, de rerum veritate, naturis ac proprietatibus lata, vel ante debitum rationis examen, per solum sensuum dictamen, vel ex solâ authoritate Philosophi, cujuscunque tandem, profecta.*

V. Præjudicium, *præjudiciorum omnium, pessimum est, se & alios mancipare studiosos, uni cuidam* Philosopho, *seu Veteri, seu Recentiori, cuicunque, quasi, vel* Aristoteles, *vel* Ramus, *vel* ὁ θεῖος, *vel, quicunque fuerit, omnem exhauserit veritatem, atque in aliquo eorum nullus fuerit error.*

VI. Aristotelem, *plurimum de Rep. Philosophicâ meritum esse, judicamus; sed &, uti* Homo *fuit, ac* Gentilis, *non* Deus, *errare potuit, atque in multis erravit: idem pronuntiamus de* Ramo, *&* τῷ θείῳ: *neque ullus* Philosophorum *unquam debet, Philosophiæ aut veritatis, norma statui infallibilis.*

VII. Vnicuique liberè Philosophari, licet, Philosophos *calumniari, non licet: illud vetari non potest, hoc potest.*

VIII. In liberè Philosophando, ordo teneri debet, ut non statim Philosophiæ studiosus incipiat à materiâ subtilissimæ contemplationis, qualis est in Physicâ ἀκροάσει Aristotelis, Meditationibus Metaphysicis, aut Principiis Philosophiæ, & θείοις, sed à rudimentis Logicæ; & iis, quæ sunt facilioris cognitionis.

IX. Philosophia Aristotelis, non est eliminanda ex Scholis & Academiis publicis, nec in contemptum adducenda apud studiosos, ut in totum negligatur ac posthabeatur, sed corrigenda ac reformanda; &, prius addiscenda, quam ulla cujuslibet recentioris.

X. Nulla major studiorum est pestis, quam præcipitantia studiosorum, qui, neglecto Philosophiæ cultu, illotis manibus pedibusque ruunt in sacra superiorum disciplinarum, cum sui, Ecclesiæ, ac Reip. detrimento.

XI. Nec tantum est rerum Metaphysicarum in Institutionibus Theologicis, nec Ethicarum aut Politicarum in Iuridicis, nec Physicarum in Medicis, multo minus Logicarum in ullis quantum scire debet unusquisque, Theologiæ, Iurisprudentiæ, aut Medicinæ, Studiosus, disciplinis, antequam se ad earum culturam transportet aut accedat.

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUINQUAGESIMA-SEXTA, DE

Quæstionibus Moralibus quibusdam circa Veracitatem, ac speciatim, de Mendacio.

THESIS I.

OCcupârunt se hactenus *Exercitationes* nostræ *Ethicæ*, in enarrandis *casibus, seu moralibus, seu conscientiæ*, ut alii vocant, circa virtutes moveri solitis: vidimus, & exposuimus quæstiones, quæ circa *Fortitudinem*, *Temperantiam*, *Liberalitatem*, *Magnificentiam*, *Magnanimitatem*, *Modestiam*, *Mansuetudinem*, occurrunt, morales. Supereſt, ut nunc ad *virtutes ὁμιλητικὰς*, seu *Conversatrices*, transeamus, & qui hîc casus decidi possint, dispiciamus. Diximus in *Coll. Eth.* olim disputato, virtutes *ὁμιλητικὰς*, occupari circa sermones, & actiones hominum, in quotidianâ conversatione: spectando in iis, vel *Veritatem*, & *Falsitatem*, quod est *Veracitatis*, vel *Iucunditatem* & *Molestiam*, tum in *Seriis*, quod est *Comitatus*, tum in *Ludicris*, quod est *Vrbanitatis*. Nunc primum quæstiones, & casus morales circa *Veracitatem*, tum circa *Comitatem* & *Vrbanitatem* simul, quia sunt affines, videbimus.

II. Veracitati diximus opponi Mendacium: de quo hic quæri solet à Casuistis, An quodvis sit illicitum? ut hanc decidamus quæstionem, videndum est, *quid sit Mendacium, & quotuplex? Mendacium vulgò & bene definitur, Voluntaria falsi enunciatio cum animo fallendi. Tria enim in Mendacio requiruntur: 1. ut sit falsum id, quod enunciatur. 2. ut adsit voluntas falsum enunciandi. 3. ut adsit intentio fallendi. Vbi vero non est voluntas falsum enunciandi, nec intentio decipiendi, ibi non est Mendacium, sed potest tamen esse falsiloquium, ut, si quis verax, fabulam, quam accepit, & ignorat esse falsam, alis seriò, narret, is quidem falsum loquitur, non autem mentitur, quia abest animus falsum dicendi, & intentio fallendi: at contrà potest quis mentiri, dicendo verum. Si quis enim verum dicat, quod tamen falsum esse arbitratur, animo, & intentione fallendi, is mentitur.* Scholastici, Ethici, & Casuistæ, Mendacium faciunt triplex, Pernicioſum, Jocoſum, & Officioſum. Pernicioſum est, cum malâ mente cuipiam conamur inferre detrimentum, & falso ad id sermone, ac Mendacio, tanquam instrumento, utimur: quod locum fere habet in spargendis calumniis, perjurio exercendo, &c. Jocoſum est, quod oblectandi causa profertur. Officioſum est, quod juvandi animo, & ad amicitiæ, charitatis, aut utilitatis aliquod officium præstandum, adhibetur. Sed de pernicioso Mendacio nullum est dubium, quin sit grave peccatum. De Jocoso, & officioso, à multis, tum Theologis, tum Philosophis, est dubitatum. Nos, omne Mendacium, quodcunque tandem, esse illicitum, pronuntiamus: ratio est: Quia omne mendacium est vitium, Veracitati contrarium. At nullum vitium est licitum. Ergo. Deinde, quod secundum se, per se, & in se, est malum, id non est licitum. Sed mendacium est tale. Ergo. prob. min. quia est actus, ordini naturæ, Deique, contrarius: cum enim voces sint signa eorum, quæ sunt in intellectu, contra naturæ ordinem est, ut aliquis voce significet id, quod non habet in mente, imo cujus contrarium habet in animo: non est alia via, qua possit animus, & voluntas unius hominis aperiri alteri, nisi per verba, & voces, sine quibus alter ab altero intelli-

telligi nequit: at in Mendacio verba & voces significant contrarium ejus, quod in animo & voluntate est dicentis. Theologica argumenta ex sacris à Theologis petantur. Nos objectiones refutabimus, quibus pro *Mendacio officioso, & jocoso pugnant adversarii*: quæ vel ab exemplis sanctorum instituuntur, quos mentitos volunt, vel à rationibus.

III. Pro officioso profertur 1. exemplum Rebeccæ Genes. 27 quæ per Mendacium imposuit Isaaco jam cæco, cujus historia est nota: Resp. 1. In genere ad omnia exempla ex sacris proferri solita, quod non exemplis, sed legibus vivamus, quæ Mendacium simpliciter omne vetant. Deinde, non, quicquid legimus factum à sanctis in verbo Dei, id nobis statim esse faciendum, sequitur: neque statim omnia sunt trahenda in imitationem, & exemplum, cum & sanctissimi viri non fuerint expertes peccati, & multa fecerint malè, quæ à nobis fieri debent bene. Denique, multa videntur fuisse interdum Mendacia sanctorum, quæ, si bene examinentur, non esse deprehendentur. Resp. 1. In specie de Rebecca: eam turpiter fuisse lapsam, & peccasse, dum filium suum ad fraudes quascunque adducit, & pellicit suis blanditiis & promissis, & licet rationes speciosæ, & prætextus apparentes boni, videantur proferri posse pro Rebecca, & facto ejus: sc. quod maternæ dilectionis viscera eam incitaverint, & speciatim, quod divina promissio juniori facta filio ejus potuerit reddere confidentiorem, & alia excogitari possent, non obstante quocunque prætextu, Rebecca Mendacii ac culpæ est rea: imò non solo falsitatis vitio fuit polluta, sed infidelitate, & incredulitate insuper: nam in duas veluti distracta partes, dubia ferebatur mentis, num pollicita vellet Deus præstare sua, de Jacobo præferendo alteri: si fidelem credidisset Deum, & ejus promissi eventum expectasset, mediis nonnisi piis usa fuisset. Rebeccæ itaque exemplum nullo modo facit pro mentiendi licentia, nec probandum, sed improbandum.

IV. Exemplum proferunt Abrahami Genes. 12. & 20. dicentis Saram esse sororem suam, cum esset uxor. Resp. Cum Saram sororem vocavit, dixitque, Abraham non mentitus fuit. Sub sororis enim appellatione, ut etiam sub fratris nomine, consanguinei Hebræis designabantur, quo sensu aliqui sunt dicti Christi fratres in Nov. Test. id est consanguinei. Clarum autem est ex sacra Geneseos historia Saram fuisse cognatione propinqua, Abrahamo junctam, ideoque nihil in sermone Abrahami est compertum falsi. Sin verò mentiendi animo imponere Abimelecho per fraudem cupivit Abraham, passus est aliquid humanitatis, neque tum à nobis excusatur, sed tum, quod de Rebecca dictum est, hoc factum in exemplum trahi non debet. Idem pronunciamus de Mendacio Jacobi, primogenitum se dicentis in eadem historia.

V. Exemplum proferunt obstetricum Israëliticarum Exod. 1. 19. mentientium Pharaoni. Hebrææ, inquiunt, non sunt, sicut mulieres Ægyptiæ: sunt enim vividæ, quum nondum venit ad ipsas ulla obstetrix, jam pepererunt: idcirco benefecit illis Deus. Resp. 1. Nonnulli putant non fuisse mentitas mulieres illas obstetrices, & Israëlitarum uxores fuisse revera tam vegetas, ut ante obstetricum præsentiam pepererint. Si mentitæ fuerint, non tamen benedixit Deus iis propter mendacium, quod odit, sed quod in infantes innocuos exstitissent misericordes, & propter hoc benefactum, vitam infantium servatam, acceperunt retributionem. 4 Exemplum proferunt Rachab, cujus historia extat Jos. 2. Resp. Benefactum fuit isti Rachab, vel Meretrici, vel Cauponatrici, non quod falsa pronuntiarit, sed verò quod exploratores Israëlitas texerit, divinæque voci crediderit de tradenda Josuæ Hierichunte, & terra Canaan. Misereri solet Deus super erratis, & peccatis suorum, & ignoscere, præsertim, si alias virtutes exercuerint, Deo gratas. Exempla alia ex sacris adferre solita, aut non sunt talia, aut si sunt, non sunt imitanda; & videatur, qui in omnibus est manibus, *Wendelinus in Eth. l. 1. c. 31.*

VI. Sed cum non defuerint ætate omni, nec desint hac ætate, qui mendaciis fuerint patrocinati, rationes expendamus, quæ ab iis adferuntur. 1. *Mendacium officiosum sæpe*

conjunctum est cum insigni utilitate, etiam publicâ: eo enim, & animæ, & corporis, & reipublicæ saluti, interdum consulitur: ergo est licitum. Resp. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona: nec, quod in se est malum, ideo fit bonum, quia bonum aliquod eo procuratur: nec intentio bona, aut finis bonus, facit opus bonum: possumus furando, possumus adulterando, prodesse alteri: non ideo furtum, & adulterium, definunt esse peccata. 2. *Quemadmodum occisio, & alienæ rei ablatio possunt juberi à Deo, & fieri licitæ: ita quoque & mendacium: ergo aliquando est licitum.* Resp. Deus nunquam jussit, vel homicidium, vel furtum, prout in decalogo prohibentur, sed dispensat de materia istius præcepti utriusque. i. e. vitam & bona, quæ non sunt in alterius potestate, alterius tradit potestati; quod cum fit, ille alter jus accipiendo, & illud exercendo in vitam & bona, quæ suæ potestati sunt tradita, non transgreditur legem, nec fit homicida, aut fur: itaque ablatio rei alienæ, & occisio hominis, etsi materia sint furti, & homicidii, possunt tamen esse sine formali utriusque vitii aut peccati: at nemo potest contra mentem suam falsum dicere sine formali mendacio: & Deus, si posset dispensare de materia hujus præcepti, posset de sua sanctitate, & veracitate, dispensare: nam falsum, qua tale, juberet: quod tam pravum est, quam mentiri: at Deus, mentiri, fallere, & falli non potest: ergo non potest hic circa materiam hujus præcepti dispensare. 3. *Mendacio officioso non convenit definitio mendacii: quia non est voluntas, & animus fallendi.* Resp. Neg. min. nam qui persuadere alteri vult rem aliquam, ita se habere, cum se habeat aliter, is animum habet fallendi proximum: & si id faciat, mentitur formaliter, licet habeat intentionem alicujus utilitatis procurandæ. 4 *Error in alio genitus non est semper peccatum. Mendacium vero error est in alio genitus* R. Error est, vel involuntarius, vel voluntarius, qui in alio gignitur. Error involuntarius in alio circa voluntatem genitus potest esse sine peccato: at voluntarius est peccatum, quando scilicet quis verbis mendacibus in alterius animo gignit errorem, etiamsi error genitus sit innoxius 5. Omne *Mendacium est in verbis, sicut simulatio in factis. Sed licet interdum simulare in factis. Iosua cap. 8. jussit filios Israël simulare fugam. David 1. Sam. 21. simulavit insaniam. Iehu. 2. Reg. 10. simulavit se cultorem Baal. Christus simulavit se longius velle ire. Luc. ult.* Resp. Simulatio proprie dicta habet rationem mendacii, quia nihil est aliud, quam mendacium in exteriorum factorum signis consistens: itaque in factis Davidis, & Jehu, in quibus talis fuit simulatio, agnoscimus Mendacium, & peccatum; sed in Josua non fuit simulatio propriè dicta, nec peccatum. Voluit tantùm hostibus suum occultare consilium, & eis insidias struere, quod adversus hostem facere, & licitum est, & laudabile. De Christo quidam dicunt, quod, etsi composuerit gestum, & motum corporis sui, ut faciunt longius progressuri, non id fecerit, ut discipuli crederent eum longius ire velle, quamvis id existimaturos non ignoraverit; sed ut eorum erga se amorem, & hospitalitatis affectum excitaret. Alii resp. intentionem Christi fuisse, ut ulterius procederet nisi à discipulis ad manendū fuisset invitatus: ut nulla hic fuerit simulatio: *Wendelinus* respondet, Græcum προσποιεῖσθαι non significare simulationem, sed apertè profiteri: & quod Christus apertè fuerit professus se ulteriùs perrecturum, sed cum conditione subintellecta, nisi amica invitatione retineretur: promissiones, & comminationes sæpe sunt conditionatæ, quamvis conditiones non sint expressæ.

VII. Pro mendacio jocoso proferunt has rationes. 1. *Qui joco mentitur, nec fallit, nec fallere nititur, ergo non est proprie mendacium.* Resp. Mendacium jocosum, etsi ad fallendum noxiè, non usurpetur, adhibetur tamen ad fallendum: quia aliter significat, quam res est: idcirco culpa ex hac parte non caret, & vitiosum est, etsi non lædat quempiam, sed delectet. 2. *Fabulæ, parabolæ, hyperbolæ, ironiæ, sunt licitæ, ergo & mendacia jocosa, quia talia sunt.* Resp. Parabolæ & locutiones tropicæ, non sunt mendacia ullo modo, nec fabulæ etiam, seu apologi: quia in iis, nec materiale, nec formale est, mendacii: sed in iis veritas doce-

docetur, occultiore & jucundiore, agendi ratione: non est in iis materiale Mendacii, quia falsum non enunciatur, sed verum figurata locutione, atque hominibus usitata, exprimitur: ut enim propria, & nativa, sic etiam tropica, & figurata, loquendi ratio, pendet ab usu, & arbitrio loquentium. Siquis v. c. dixerit hominem crudelem & ferum, esse lupum, vel leonem; si quis aliquam recitet parabolam, qualis est *Iud.* 9. de arboribus sibi regem eligentibus, &, ut sunt fabulæ Æsopi, is dicendo, & recitando, non mentitur: omnis enim enunciatio est vera, cum ita enunciat, ut res est: enunciat uti res est, cum id significat, quod significare debet: figuratè ergo dictum, si in significatione figuratâ sumatur, uti enunciat, verè est dictum: ergo, *Herodes est vulpes*, non erit mendacium, si vulpes sumatur istâ figura, & tropo, ut hîc significat. Sed difficultas major est de hyperbolis: utrum illæ sint expertes mendacii, ut si dixero, *fugit ocyus Euro*: certè, oratio est dissimilis rei. Ergo est falsa: Nemo enim potest esse ocyor Euro: sic cum quis dicitur, *immobilior scopulis, violentior amne: videtur esse mendacium: nam rupes est immota, & amnis suo flumine omnia dejicit, ut non detur quid, rupe immobilius, & amne violentius*: Sunt, qui omnes in universum hyperbolas, talesque loquendi formulas damnant: sed enim, nolim ego omnes hyperbolas facere reas mendacii, aut esse Mendacio conjunctas, pronuntiare, quia in Scripturis Sacris, disertis exprimuntur verbis hyperbolæ. Dicuntur *Iud* 7. 12. Cameli Medianitarum, & Amalekitarum fuisse innumerabiles, & pares arenæ, quæ est in maris littore; quæ hyperbole alibi sæpius in sacris usurpatur litteris: & insignis est hyperbole in fine Euangelii secundum Johannem, cum ait, si omnia, quæ Christus fecerat, scribantur sigillatim, ne mundum quidem capturum libros eos, qui scriberentur: & nulla ratio est, cur hyperbole magis referatur inter mendacii species, quam allegoria, aut metaphora, vel metonomia, vel ullus tropus, aut loquendi figura. Licet ergo in hyperbole plus dicatur, quam est in re, eo tantum significatur quidam excessus, & in dicendo ornatus. Exercitatione proximâ, de mentali *reservatione*, & *æquivocatione*, &c. casus morales, discutiemus.

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUINQUAGESIMA-SEPTIMA,

DE

Quæstionibus quibusdam Moralibus, circa Veracitatem, ac speciatim de æquivocationibus, & mentalibus reservationibus.

THESIS I.

DIsseruimus *exercitatione præcedenti* de *mendacio*, & vidimus nullum esse licitum, nec pernicioſum, nec jocoſum, nec officioſum, ac, quæ in contrarium proferri solent dissolvimus. Mendaciis proximæ sunt *æquivocationes*, *& mentales reservationes*, à sophistis quibusdam introductæ. Volunt enim nonnulli sic licere in certis casibus cum proximo agere, ut ad ipsius mentem non respondeamus, sed ita verbis ludamus ambiguis

& *æquivocis*, & talia in mente reservemus, ex quibus apud nos intelligamus quidem veram enunciationem, sed ei, cum quo nobis res est, ea verba demus, ex quibus novimus eum intellecturum esse contrarium, nec aliter posse. Hoc est artificium mentiendi multis hodie usitatum, & Reformatis, & in religione Heterodoxis, ac præsertim Jesuitis: nos tamen istam artem habemus fraudulentam, & pro mendacio vero ac mero: quod antequam demus probatum, terminos primum explicabimus.

II. Ambiguitas omnis, ut docent nos Logici in Elenchis Sophisticis, vel est in terminis simplicibus, vel in complexis. Ambiguitas in termino Simplici dicitur *Homonymia*, Latinè *Æquivocatio*, unde *Sophisma Homonymiæ, seu Æquivocationis*. Ambiguitas in terminis complexis, seu in oratione, dicitur *Amphibolia*, unde sophisma *Amphiboliæ*, quod est, cum oratio una diversos potest inducere sensus, & diversis rebus applicari, ex circumstantiis loci, temporis, personarum, aliisque diversimode sese habentibus. *Mentalis reservatio* dicitur, cum quis limitationem aliquam, habet, mente tantum reservatam ac verbis, & oratione nullo modo expressam, nec ex dictis colligendam, aut colligi possibilem. Et hæc occultatio veritatis per mentalem reservationem facta, & *amphibolia*, & *homonymia*, interdum veniunt, uno nomine *æquivocationis*: ut dicatur *æquivocatio*, &, quando ambiguitas est in voce, &, quando in re, &, quando aliquid mente reservatur: propriè tamen de primo intelligitur: nunc statum controversiæ primùm figamus, mox argumentis pro & contra adductis decidamus.

III. *Æquivocatio*, quæ nihil est aliud, quam simplicis termini diversa significatio, excusare potest à mendacio sub legitimæ limitationis respectu; quæ limitatio, vel supponitur, vel exponitur: in colloquiis supponitur, vel ex mutuo colloquentium consensu, vel ex circumstantiis in medio positis. Priori modo, oppositiones inter disputandum liberantur à mendacio. Quamvis enim oppugnent veritatem, norunt tamen, qui audiunt, & quibuscum nobis res est, falsa sic proferri, ut veritas eruatur, & tentandi, experiendi, ac discendi animo, hæc proferri, non asseverandi, aut affirmandi: neque enim opponens existimat, illa esse vera, quæ profert, ut se, & alios exerceat, ac veritatem indaget. Posteriori modo, quando scil. ex circumstantiis in medio positis, supponitur limitatio intelligi, nec tum mendacium est, quando intelligi facilè potest, & ipsæ circumstantiæ ostendunt, propositionem esse restringendam ad materiam certam, sensu quodam præciso, ac recepto, etsi aliàs absolutè ad alia ac diversa possit inflecti, & applicari. Sic, cum *Apostolus ad Rom.* 3. dicit, *legem tantum loqui iis, qui sub lege sunt*, cætera, quæ ibidem præmittit, præcise ad istum sensum sunt referenda. Hæc de *limitatione suppositâ*, vel ex mutuo consensu colloquentium, vel ex circumstantiis.

IV. Nunc *expositam limitationem* videamus: ea dicitur nonnullis proponi, vel exponi, aut externè, aut internè: externè in oratione, internè in mente. Quæ externè in oratione proponitur limitatio, ea à mendacio est libera: sed, quæ internè in mente latet, reservata limitatio, ea à mendacio non excusat. Quis enim novit mentem alterius? non equidem diffiteor, *limitationem externam* posse distingui in *explicitam & implicitam*: implicitam colligi debere, vel ex re subtrata, vel ex annexis circumstantiis; atque, si quis hæc duo negligit, vel minus perpendit, is se ipsum decipit: ideoque non excusantur, qui se ipsos fallunt, aut falli patiuntur, ex æquivoco, & ambiguo in sacris litteris textu, aut sensu textus, cum habeat suas limitationes, si attentè, & non oscitanter quis animum advertat: *limitatio explicita* nos informat *per res & verba*: per res, exprimuntur conceptus, vel in typis, vel in habitu, & gestu proferentium: ex typis limitantur antitypa: ex gestu & habitu, aut simili indicio, colligitur, si quid seriò sit dictum, aut ironicè, per verba, vel propria, vel figurata, conceptus exprimuntur: in figuratis locum habent tropi, hyperbolæ, parabolæ, quas ab omni mendacio ante vindicavimus.

V. Nunc statum controversiæ figamus, & certa

certa ab incertis distinguamus. 1. Simulatio in factis, & æquivocatio in dictis, si subsit fallendi intentio, utrimque est mendacium. 2. Limitationes & restrictiones Logicæ, quæ, ex propositis, per certas circumstantias elici possunt, excusant à mendacio. 3. Parabolæ, hyperbolæ, typi, tropi, figuræ, non sunt mendacia; quod antè ostendimus. 4. Veritatis celatio, & occultatio simpliciter, non est mendacium: nam licet interdum veritatem celare, & occultare, pro re, & circumstantiis natis: aliud est verò, veritatem celare, & occultare, aliud mentiri. Tacendo licet veritatem tegere, quando, nec pietas, nec charitas, nec justitia, postulat, ut reveletur. Præceptum enim affirmativum de veritate dicenda, non obligat ad semper, dicunt *Casuistæ*. Ita non mentitur, si quis aliquam partem veri dicat, aliam occultet, si habeat justam ejus occultandæ rationem 5. Nec mendacium committit, qui salvâ veritate illa profert verba, ex quibus probabiliter novit, auditores aliquid concluſuros falsi, non ad peccatum committendum, sed ad vitandum: hoc enim non est mentiri, vel falsum testari, sed, cum verum dicas, occasionem tantum præbere alteri errandi, & tantum præbere, ad fugiendum, non ad faciendum peccatum. 6. Non tamen à mendacio excusari potest directa occultatio veritatis proferendæ, facta per mentalem reservationem, aut æquivocationem, quæ non potest deprehendi: *itaque hic est controversiæ status. An æquivocatio, amphiboha, & simulatio ad fallendum composita, non logicè, vel ex indifferenti significatione, aut sententiæ constructione, aut circumstantiarum collatione, deprehendi possibilis, sed quæ talis est, qua mente reservatur limitatio, nec proposita, nec supposita, nec ullo modo intelligibilis, excuset à mendacio, seu in foro conscientiæ, interno, seu in foro externo hominum?* ut exemplum proferam Si quis v. c reus, dicat se non fecisse, aut nescire, quod fecit, & novit tamen, sed reservat in mente sua illum sensum, quod non fecerit, aut noverit, ut velit manifestare. Quæritur, an hoc sit Mendacium? Negant inter *casuistas*, *Navarrus in suo Manuali*: negant *Iesuitæ* omnes, qui talem modum loquendi, & agendi, à mendacio excusant, *Toletus*, *Valentia*, *Suares*, alii: Nos pro mendacio habemus, nec ab eo excusamus, aut excusari posse censemus, imo merum & nudum esse mendacium pronuntiamus, & probamus.

VI. Si reus, qui hoc aut illud fecit, diceret, se fecisse, testimonium ejus esset verum: Ergo, si negat se fecisse, testimonium ejus est falsum. Atqui in tali casu negat. Ergo: imo non tantum reus ille dicit & testatur, quod falsum est; sed & novit, & sentit esse falsum, quod est formaliter mentiri: & profectò, si hoc non sit mentiri, tum talis reus nullo modo potest mentiri, quamvis maximè vellet: nam, qui hoc aut illud fecit, non potest aliter mentiri, quam dicendo, hoc, aut illud non feci: si hoc dicat reservando in mente, non feci ut tibi dicerem, potest tale quid reservare in omni mendacio: nam semper potest mente cogitare, quamvis hoc sit falsum, & suo loco, ac tempore hoc faterer, tamen hoc loco, & hoc tempore, propter causas, nolo fateri: præterea, talis modus agendi, enuntiationis, & testimonii doctrinam ac naturam evertit, quia illa pars sententiæ, quæ in mente reservatur, nihil cuiquam enuntiat, significat, aut testatur. Denique, provenit ex intentione fallendi; vult enim contrariam veritati opinionem gignere in animo audientiũ, quod est contra naturam testandi, & veritatis. Excipiunt ad hoc postremum *Iesuitæ, æquivocantem non enunciare falsum, animo fallendi, sed conservandi, vel se, vel alios.* Resp. utcunque se vel alios conservet, & conservare intendat, si id facit aliter pronuntiando, quam est, jam & fallit, & simul fallere intendit, & fallendo, se, aut alios conservare: neque est legitimus ille evadendi modus. Certe non sunt facienda mala, ut eveniant bona, quod hic obtinet & hæc vera sententia, à multis inter ipsos pontificios, Jesuitarum adversariis, seriò defenditur; inter alios, *Iohannes quidam Barnesius, Benedictinus Monachus*, integrum edidit Gallicè, ac Latinè, librum, contra æquivocationes Jesuiticas, & mentales reservationes, à Parisiensi Sorbonâ approbatas: at verò denudemus plane sæditatem hujus artis, atque impostura.

VII.

VII. Rogetur aliquis sacerdos, qui versatur in terris, ubi, eum sacra facere sua, & versari, est vetitum: sitne sacerdos necne: ille respondeat, se non esse sacerdotem, sed mente reservet, vel Apollinis, vel Baalis, vel se non esse, ut dicat, vel se non esse talem, tam perfectum, quam desiderat: Quæritur, *an sit reus mendacii?* Resp. esse omnino: nam, & materiale est in eo mendacii, & formale. Materiale; negat enim, id quod est: formale; quia hac sua negatione intendit falsam opinionem in mente audientis imprimere. *Excipiunt adversarii, non esse falsam talem enuntiationem, quia unica tantum est, quæ partim exprimitur, partim mente concipitur: ea autem vera est: scilicet non sum sacerdos Apollinis, aut Baalis, aut, ut dicam tibi.* R. enuntiationem quidem illam esse unicam, sed tamen verũ est, eam, quæ sola exprimitur, esse integram, & ab ea, quæ mente reservatur, diversam: quæ in mente est reservata, negat secundum quid; quæ in oratione profertur, negat absolutè. An non mendacium est, si quis negat absolutè, quod negandũ est secundum quid, aut neget secundum quid, quod est negandum absolutè: itaque hac ipsa sua exceptione, mendacii convincuntur isti Heroes: nam veram concipiunt animo enuntiationẽ, non sum sacerdos Apollinis, aut Baalis, aut, ut tibi dicã, & falsam enuntiant, dicendo simpliciter, non sum sacerdos: & sic, etsi verum sit, quod habet clausum in pectore Sacerdos qui respondet, falsum tamẽ est, quod pronuntiat ore: Mendacium autem propriè respicit externam mentis per verba, & signa declarationem: quando verba non declarant mentem, uti illa est enunciatio, quando verba declarant absolute, & simpliciter, quod in mente est limitatum, & secundum quid, est purum putum mendacium. v. c. ut simile proferam exemplum. Interrogetur aliquis, *an ignis sit calidus?* Si quis respondeat negative, hac reservata in pectore distinctione, non esse calidum calore adventicio: vel si quis rogatus, *an homo sit animal rationale?* respondeat, non esse animal rationale volatile, aut aquatile: *an putamus talem liberum, & immunem esse à mendacio?* nullo modo. Atqui non tantum sic mendacium excusant nonnulli, sed insuper tales loquendi formulas, & agendi modos, juramento confirmare audent: at, tum nostro judicio, non mendaces tantum, sed & perjuri sunt insuper: nam, quacunque verborum arte juretur, Deus accipit juramentum, sicut ille, cui juratur, intelligit: & accipitur secundum communem usum loquendi; & profectò non fuit controversum roganti, an quis sit sacerdos Apollinis? an ignis sit calidus calore adventitio? an homo sit animal rationale volatile? itaque, qui hoc respondet, quod in quæstionem non venit, is respondet aliud, quam debet, *& mendax est: ac si juramento confirmet, perjurus. Quod excipiant, limitationem mente reservatam efferre, propositionem veram, in conspectu Dei, & sensu loquentis, ideoque Dei, & loquentis respectu, non esse mendacium.* Resp. veritas non est æstimanda ex sensu dicentis, aut respectu, quem habet ad Dei scientiam, sed ex sensu audientis, & respectu, quem habet ad audientem: nam respicit proximum, cui dicitur: Præterea, logicè nullam constat esse admittendam limitationem, quæ, nec ex verborum significatione variâ, nec ex ancipiti sententiæ structura, nec ex diversa sententiarum dispositione, nec ex dicentis scopo, potest elici: at verò, in tali casu, quod Deus sciat mentem dicentis, ipse sciat suam, cum aliud verbis enuntietur, non potest, qui audit, cognoscere alium mentis in dicente sensum, etsi Deus, & ipse dicens, sciat: quid enim potest Dei aut dicentis scientia juvare audientem, qui alterius mentem non novit, nec nosse potest, nisi ex verbis, quæ, cum aliter sonent, quam intelligit dicens, jam mendacium continent. Sed videamus, ex rationis lumine, quæ in contrarium adferri possunt: nam argumenta Theologica, ad hasce mentiendi artes destruendas sponte omitto, ut quæ ad Theologos spectant, in quorum messem ego falcem meam non immitto.

VIII. 1. *Objiciunt. Verba dicentis judicant mentem ejus. Ergo sufficit, si menti suæ, id est, dicentis respondeant, etsi non respondeant menti interrogantis. Confirmatur, qui alicui loquitur, non tenetur ei totam suam aperire mentem, potest solùm aliquam ejus partem explicare, & aliam reticere,*

reticere, quod fit in restrictione mentali. Ergo ibi nullum est mendacium. Resp. verba sunt indices, & signa mentis, non ejus, qui loquitur, qui novit mentem suam, nec sibi opus habet mentem suam exprimere verbis, sed aliis serviunt, quippe verba sunt in usum proximi: itaque, cum quis proximo loquitur, mens non debet restringere, & limitare, quod verba non restringunt, sed in hoc utraque consonare debent. Quid juvat, verba nostra nobis esse vera, & esse juncta cum mentis nostræ supplemento, si nihilominus, per ea proximum fallamus: quod dicant *neminem teneri propriam mentem aperire*, ex toto verum est: quia tamen nemo debet mentiri, debet, aut denegare responsum, aut, si respondeat, verè respondere, & ad mentem interrogantis: mentitur autem, qui sola mente id supplet, quod ad veritatem requiritur externæ orationis.

IX. 2. *Sicuti, quæ joco dicuntur, neminem fallunt, tanquam seriò dicta, eo quod sciantur esse joco dicta, ita restrictiones mentales, quando tantùm adhibentur in materiâ debitâ, non fallunt proximum, quia satis novit etiam veritatem solere in talibus occultari artificiosè;* Resp. ea, quæ joco dicuntur, aut figuratè, non sunt similia iis, quæ mente reservantur, & restringuntur, quia, quæ joco dicuntur, habent quædam signa externa sibi conjuncta, quibus potest dignoscere, qui audit, ea joco dici; sed ea, quæ dicuntur mentali reservatione, non possunt ullo modo ab audiente sciri, quia nemo mortalium alterius novit cogitationes. Ergo magnum inter ista est discrimen.

X. 3. *Qui illegitimè rogatur, potest tam liberè verba sua usurpare ad significandum sensum, quem vult, ac si sibi soli loqueretur. Sed quando quis sibi soli loquitur, potest sensu sumere verba, quo vult, & sine mendacio. Ergo & sine mendacio, sensu, quo vult, potest sumere verba, quando respondet alteri inique interroganti.* Resp. Majorem esse falsam, quia is, qui alteri loquitur, debet ea verba usurpare, quæ non tantum à se, sed & ab aliis hominibus, saltem à prudentioribus possunt intelligi, eo, quo ipse loquitur, sensu: quod si nullo tali sensu vera sunt, quæ profert, & ipse hoc novit, imo intendit, non potest à mendacio excusari. Et, qui solus secum loquitur, ille uti potest verbis sensu, quo vult, quia nihil alteri testatur; sed, qui alteri aliquid testatur, is debet sumere verba, non eo sensu, quo vult, sed quo sumi solent, & ab interrogante possunt intelligi. Proferunt adversarii exempla sanctorum ex sacris, imo ipsius *Christi*, quem *Ioh.* 8. octies æquivocatione esse usum asserunt impudenter. Sed vide ad sacra respondentes Theologos, & inter eos Doctiss. *Amesium*, in aureo opere *Cas. Consc. l. 5. c. 53.* quæ restant de aliis conscientiæ casibus *circa veracitatem*, proxima persequemur *exercitatione*.

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUINQUAGESIMA-OCTAVA,

DE

Quæstionibus variis Moralibus circa Veracitatem.

THESIS I.

EXcussimus duos circa Veracitatem casus morales, ac quæstiones. Prima fuit, *An Mendacium officiosum aut joco sum sit licitum?* Secunda, *An æquivocationes & mentales reservationes sint licitæ.* Rejecimus utrumque genus, ut Veracitati contrarium. Nunc affines

quasdam movebimus quæstiones. 1. *An omnis simulatio sit vitium? & illa, qua in stratagematis, & infidiis bellicis uti solemus, cum signis aut factis quibusdam præ nobis ferimus intentionem quam non habemus, ut sic consilia & proposita nostra occultemus.* Doctissimus *Amesius lib. 5. Cas. Consc. c. 33.* Distinguit inter stratagemata, quorum quædam esse licita, alia illicita pronunciat: illicita sunt, quando quis fidem vel illicitè dat, vel licitè datam non servat: hoc enim genus stratagematum cum mendacio est conjunctum. Licita sunt stratagemata, quando quis gestibus aut factis tale quid indirectè significat, ex quo verisimile est, alium conclusurum, quod falsum est; & ratio datur, quia facta illa aut gestus ex natura sua non destinantur, neque ex pacto aliquo significant hanc aut illam sententiam uti quidem voces ex instituto significant, ideoque debent sumi eo modo quo institutæ sunt ad significandum. Alii tamen *Casuistæ* & *Ethici* hic sunt paulo scrupulosiores. *Aquinas* 2. 2. quæst. 111. omnem simulationem facit mendacium, quia per externa signa & facta contrarium ejus significatur, quod in animo est: & sive verbis, sive factis quispiam significat contrarium ejus, quod in animo tenet, jam mendacium committere censetur: in hac sententia quoque est *Wendelinus, in lib Ethicæ suæ primo cap.* 31. istam *Amesii* exceptionem, quâ non esse eandem rationem verborum & factorum, excipiunt, rejicit: & tam factis posse quempiam mentiri quam verbis asserit, quia non minus factis quam verbis contrarium possumus testari ejus quod est in animo, neque tam signi naturam vult respici, quam quidem intentionem fallendi per signa: itaque etiamsi facta ex natura sua non significent id, quod simulator vult, tamen ad fallendum idonea judicantur, & sic quoque adhibentur. In contrarium tamen objicit *Amesius*, Deum justitiæ authorem stratagemata & insidias in populo suo approbasse manda o quod extat Jos. 8. 2. & exemplis multis. Jud. 7. 16. & 20 29. &c. Nonnulli igitur, ut *Scotus inter Scholasticos, & Pererius in Genesin*, quatuor faciunt simulationis species & modos. 1. Simulationem noxiæ deceptionis, institutam ad alios fallendos, aut ad aliquid improbe obtinendum, qualis est in hypocritis & improbis mercatoribus. 2. Simulationem in loco & tempore utiliter usurpatam ad admonendum, instruendum, corripiendum, &c. qualis fuit Davidis apud Regem Achis. 1. Sam. 21. v. 14. 3. Simulationem ex divino instinctu & monitu profectam, ut fuit Ebræorum Ægyptios spoliantium, & Josuæ contra hostes, ubi fugam simularunt Ebræi. 4 Simulationem in bello justo contra hostes adhibitam, quam stratagema militare vocant. Primam simulationis speciem plane improbant Scotus & Pererius; tertiam laudant; secundam & quartam sine peccato admitti posse contendunt. Quin prima species simulationis, in stitutæ ad decipiendum, sit mendacium pernicioſum, nullum est dubium. Secunda pertinet ad mendacium officiosum, quod quia nuper rejecimus, neque nobis ista simulatio ad admonendum, instruendum, aut reprehendendū, probatur. Tertia ac divino instinctu profecta simulatio, à nobis non accipitur: neque Ebræi auferentes bona, quæ fuerant Ægyptiorum, id per simulationem fecêre, sed petebant ab iis, jam tanquam propria sibi facta, ex Dei authoritate Recessum Ebræorum fugam sunt interpretati cives Haii, non culpa & vitio Josuæ, recessum imperantis, sed culpa & vitio ipsorum civium. Quarta speciesſimulationis in bellicis stratagematis, quoties iis consilia occultantur, simpliciter nobis non improbantur, sed non necessario cum simulatione conjunguntur.

II. Secunda quæstio quæ hic ventilari potest, est, *An fides sit servanda hæreticis? nam fidem servare, est actus* Veracitatis, ejus virtutis, de quâ agimus. Negant, fidem esse servandam Hæreticis, qui æquivocationum & reservationum mentalium sunt authores, insignes mentiendi artifices. Affirmantem nos tuemur, &, aut non dandam fidm Hæreticis, aut iis servandam, pronunciamus: nam, & Hæretici homines sunt, & sub nomine proximi continentur: at mandatum generale est, non dices proximo tuo falsum testimonium: & profectò, tollunt suę societatis vinculum, qui fidem tollunt è mundo: & inepti sunt, qui fidem censent Hæreticis non esse servandam, quia dicitur

tur cum mentali reservatione; sed hoc commentum nuper est à nobis explosum.

III. Tertiò hic quæri potest, *An fides data latroni, de pecuniæ certâ summâ, pro vitâ conservandâ, & juramento confirmata debeat teneri, & an obliget?* Nobilis hæc est & difficilis quæstio: de quâ in utram vis disputatur partem, multis *Philosophorum, Theologorum, Iurisconsultorum*, affirmantibus, aliis negantibus. Pro affirmante sententia stat Amesius *lib* 4. *de Cas. Consc. cap.* 22. *Rivetus in* 3 *Decal. præceptum.* Pro negante pugnat *Christianus Liebenthalius in Coll. Eth. Exerc. 5. quæst.* 8 Nos pro affirmantibus pronunciamus, & probamus. 1. Omnis fides data & juramento confirmata teneri debet, quando est de re possibili & licita. At promissio certæ pecuniæ pro vita servanda, facta latroni, est de re licita & possibili. E. &c. Vitam sanè pecunia redimere licet, & talis pecunia dari potest. Si dicas, nullam hic esse obligationem: quia in juramento promissorio obligatio fit non homini tantum sed & Deo: quamvis autem, si solius hominis vim inferentis habeatur ratio, ille quidem meritus sit faciendo injuriam, ne ei fides teneatur, quia tamen fides juramento confirmata sit, & juramentū Deo fiat, non potest id quod promissum est, omitti sine injuria Dei, & non nisi cum violatione reverentię Deo debitæ: ideoque si quis in latronis manus incidens, aut non debet jurare se certam pecuniæ summam daturum, aut debet juramentum factum servare. 2. Si hosti sit servanda fides, ergo & latroni ac prædoni, quia hostis tuus est. Sed verum est prius: quod confirmat militaris experientia. 3. Omnia juramenta facta de re possibili & licita à non planè invitis sunt servanda. At juramenta quæ fiunt latroni ad servandam vitam fiunt à non planè invitis: nam fiunt spe majoris boni, & metu majoris mali: nam vita est bonum majus pecunia, & jactura vitæ major jactura pecuniæ: at quæ tali modo fiunt, fiunt à non planè invitis Ergo debent servari talia juramenta: & certe, juramentum omne fit cum invocatione nominis divini, quod non est profanandum: itaque repeto quod statim dixi. Si quis incidens inter latrones, promittat jurejurando certam pecuniæ summam, ne occidatur, is debet hoc quod juravit præstare: si simplex tantum fuisset facta promissio, irrita fieri posset, & ad solvendum non teneretur, quia extorta est promissio contra bonos mores per metum incussum; at quia juramentum accessit, hoc est tenendum, quia Deo factum est, non homini simpliciter, & quia est actio mixta, quæ quoad circumstantias magis est spontanea quam invita, docentibus Ethicis.

IV Quæ in contrarium profert *Liebenthalius*, facile solvi possunt, primò inquit. *Iuramentum latroni præstitum est contra bonos mores, Ergo non obligat. Prob min. quia promissam summam pecuniæ solvendo videris latrocinia publica approbare.* Resp. Qui latroni summam pecuniæ promissæ solvit, is eo non comprobat latrocinium, sed juratam fidem tantum solvit, & cum maxima improbatione, execratione, ac detestatione latrocinii: neque cum juramento promisit summam certam pecuniæ, eò sese obligavit ad comprobandum latrocinium, quod pœna dignum censet: viator talis nec juvat latrones, nec latrocinia probat, sed fidem simpliciter liberat, quam juramento obfirmaverat. Excipit *Liebenthalius*, turpe esse contra utilitatem publicam dare aliquid latroni tanquam præmium. At non datur ut præmium, sed ut promissum: & quare illud est turpe ac contra publicam utilitatem, dare pecuniam pro eo, quod vitam redemeris: an turpe est & contra utilitatem publicam, vitam redimere certa pecuniæ summa, quæ postea detur; & an præstaret utilitatem publicam promoveri per fidem violatam?

V. Sed secundò inquit. *Si juramento promissa pecunia danda sit latroni, juramentum esset vinculum iniquitatis.* Resp. Non sequi: nam eo non vincitur aut confirmatur iniquitas latronis, si fides data ipsi servetur; nam potest, qui latroni pecuniam promissam mittit, latronem nihilominus aperire magistratui & patefacere: neque enim ad silentium obligatur viator cum summam pecuniæ simpliciter promittit, & quidem juramento adducto. *Sed quid si juraverit insuper silentium, & factum hoc latronis Magistratui non revelaturum?* Resp. Difficile esse quam maximè hîc aliquid certi statuere. Tutius tamen videretur si silentium

non præstet, sed ut latrones magistratui indicet, licet hoc se non facturum juraverit: quia juramentum hoc est de re illicita: & ejus executio est conjuncta cum salutis publicæ detrimento: & habet quandam quasi speciem collusionis cum latronibus: & si maxime absit ista collusio, justitiam tamen impedit, ne exerceatur, & latrones in malitia confirmantur, & alii viatores in simile discrimen adducuntur, ac multis modis in pietatem, caritatem & justitiam proximi peccatur: at juramenta, quæ sunt contra Deum, & contra amorem proximi, & quæ rebus malis atque illicitis occasionem præbent, non sunt tenenda sed rescindenda: quia omnem vim suam habent juramenta à verbo Dei, cui cum adversantur, vim obligandi nullam insuper habent.

VI. Quarto hoc quæri hic potest ac solet à Casuistis. *An Causidici bona cum conscientia recipere possint patrocinium causæ quam norunt esse malam? Resp. Amesius c 54 l 5. Cas. Consc.* negando primò, quia hoc esset mentiri, & contra conscientiam agere. secundò, hoc modo fraus fit proximo, & perversitas exercetur in judicio. tertiò, sic non tantum communicatur peccatis proximi, sed & occasio subministratur adhuc ulterius peccandi. Contra eorum officium est, iniquitatem causæ clienti suo indicare: imò ubi primum ignoraset causam clientis esse injustam, si postea in agenda ea rescisat injustitiam causæ, præstat eam deserere, quam ulterius agere.

VII. Quintò quæritur hîc ab *Ethicis & Casuistis. An Iudex debeat semper sententiam ferre secundum acta allegata & probata, an vero interdum secundum conscientiam?* De hac quæstione in diversas itur sententias. Qui judicem volunt sententiam ferre semper secundum acta allegata & probata, quicquid sit de privata ejus scientia ac conscientia, illi urgent, Judicem sustinere vicem & locum personæ publicæ, & sententiam quam fert, esse totius Reip. sententiam: at si tota judicaret Respublica, non procederet nisi secundum scientiam publicam, quæ ex actis habetur, allegatis & probatis. Ergo & ita procedere debet Iudex. Alii negant Judicem juxta acta publica, allegata, & probata, judicare posse, contradicente sua conscientia: & ideo suadent, in hoc casu omnia ipsi media esse tentanda, ut liberet accusatum, vel impediendo actionem; vel sæpius examinando testes, sicubi forte varient: si his rationibus nihil effecerit Judex, jubent eum rem remittere ad superiorem judicem, aut & personam judicis deponere, & assumere personam testis apud superiorem, etiamsi unico suo testimonio parum efficiat, tamen ut conscientiam suam liberet. Alii distinguunt inter causas criminales & civiles: in illis, sc. criminalibus, putant juxta conscientiam, in his, puta, civilibus, secundum acta publica allegata & probata judicandum esse. Alii distinguunt inter judicem inferiorem, à quo fieri potest appellatio, & inter superiorem à quo appellare non licet: illum dicunt, sc. superiorem, secundum acta publica judicare debere. Ut nos de ardua hac quæstione aliquid pronunciemus, videndum est, 1. quæ dicantur acta publica, seu allegata & probata. 2. Quid intelligatur per conscientiam Judicis.

VIII. *Acta publica* non sunt qualitercunque producta testimonia, non certe cum veritate pugnantia, aut ad decipiendum judicem accommodata: sed intelliguntur verissimæ probationes, quibus etiam conscientia judicis assentiri cogitur: sunt acta illa publica, *allegata & probata*, nihil aliud quam assertiones veritatis; quæ contra veritatem sunt, tantum nomine tenus sunt allegata & probata. Conscientia judicis non est aliqua privata ejus opinio, in favorem vel odium rei, ex rumoribus vanis, aut ex præjudicio, aut ex corruptione adversarii, concepta: sed certa scientia ejus, qua ex ἀποφία, aut aliis irreprobabilibus mediis, judici de veritate constat. At hæc scientia, quemadmodum veritas una est, ita & ipsa est unica ac simplicissima, & perperam hic inter scientiam judicis publicam ac privatam distinguitur.

IX. His præmissis sentio, Judicem indistincte secundum conscientiam judicare debere, quia peccatum est decernere contra judicium conscientiæ: nemo contra veritatem sibi certo comprobatam judicare debet, im-

pri-

primis judex, qui debet esse vir bonus, & veritatis amans: certe aliquid aliter pronunciare quam scias, est mendacium: & videte, quid hinc sequatur. Si judex ex infallibilibus argutiis innocentiam accusati, & præsertim capite condemnati sciat, & tantum, quia acta & probata ipsum reum faciant, ipsum ex allegatis condemnet, an non is judex insontem & justum occideret, contra illud sacræ paginæ edictum, *Justum & insontem non occides*, Exod. 23. 7. & videamus finem judiciorum, is est veritas & justitia: allegata & probata sunt media ad veritatem & justitiam manifestandam: contra veritatem ergo infallibiliter notam judici nihil quicquam debet valere: & si judex aliter pronunciet, quam in conscientia sua compertum habet, tantummodo, quia acta allegata & probata aliter habent, finem judicii, veritatem & justitiam amittit. Denique juris naturalis est, judicare secundum ipsius rei veritatem, & ex propria conscientia: juris gentium, secundum acta & probata: at jus gentium nihil potest derogare juri naturali. quæ in contrarium objici possunt, quia habet & dissolvit *Amesius in Cas Consc. l. 5 c. 54.* multique alii, ea non proferemus, sed conflictui reservabimus.

IMPERTINENS.

Augustum est Philosophi nomen, quod multi assumunt, pauci merentur. Hodie eo nomine ferè veniunt, qui, ab infantia utentes sensibus, imaginationem suam complent, notitiis præcipuorum sensibilium, antequam sapere incipiant, & ratione uti, quemadmodum decet: hinc sine labore, distinguunt corpora cœlestia ab elementis; hæc verò à mixtis, ex quibus dignoscunt, alia esse inanimata, ut lapides ac metalla, alia animata, in quibus vegetabilia distinguunt ab animalibus, & seipsos à brutis: præterea, non obscure observant, hunc mundum elementarem regi à corporibus cœlestibus, observata per sensus vicissitudine diei, & noctis, & quatuor Anni tempestatum: quin & ex sensibilium motu, primum motorem, colligunt, quem colendum, sentiunt. Eousque assurgit hodie vulgaris, de Deo & Mundo Philosophia. Verumenimverò, cum homo sit rationalis, neque possibile sit, ratiocinari nisi ex iis, quæ rationi sunt per se nota, illi rectius dicuntur, & verè sunt Philosophi, qui toti in hujus incumbunt ratiocinationis studium, & adultâ gaudentes ætate, rationisque suæ plene compotes, abjectis, repudiatis, abjuratis, semel omnibus sensuum præjudiciis ac fallaciis, inquirunt, in id, quod rationi per se & primo est notum, atque eo invento, inde ratiocinando pergunt ad ea, quæ, ei minus nota, demonstrando redduntur nota, nihilque accipiunt pro vero, nisi, quod jam demonstratum clare distincteque cognoscunt. Ac qui sic procedunt, ex notitia sui ad Dei, & ex utriusque ad mundi cognitionem, perveniunt, longè veriorem, ac certiorem.

EXERCITATIONUM ETHICARUM QUINQUAGESIMA-NONA, DE Quæstionibus quibusdam Moralibus circa Comitatem & Urbanitatem.

THESIS I.

DIscussimus casus potissimos & quæstiones morales circa *Veracitatem*, nunc circa *Comitatem & Urbanitatem*, quæ moveri possunt, discutiemus. Cum verò Comitas servet mediocritatem in voluptate seriâ, Urbanitas in ludicrâ, de utraque quosdam

movebimus casus. Primum quæri potest. *An non peccet in Comitatem, qui in civili conversatione incedit larvatus? en Mascarades*, dicunt *Galli*. pro larvis & larvatis nonnulli hodie pugnant & ratione, & experientiâ: ratione, quia usus larvarum consistit in simulatione personæ. Sed simulatio personæ est licita. Ergo & usus larvarum. Minorem probant exemplis sacris. Quia *Iacob* personam *Esavi* simulavit. *David* coram Rege *Philistæorum Achi* se stultum simulavit. *Ioseph* simulavit se alienam esse personam coram fratribus. *Experientiâ*, constat, larvas usurpari in Comœdiis & Tragœdiis, & in aulis magnorum Principum, nec reprehendi ille mos solet. At verò hæc omnia videntur nobis esse vanissima. Nam primùm simulatio personæ tam parum est licita quam simulatio facti aut verborum, quam utramque, ut veracitati contrariam rejecimus *Exercitat. præced.* Nec exempla aliud probant: *Iacobus* & facto & verbis fefellit Patrem Isaacum, ut hoc exemplo, licita, personæ simulatio, non reddatur. *Davidem* quoque aliquid humani fuisse passum, dicere malim, quam exemplo ejus admittere, esse licitas personarum simulationes; certè, qui aliud gestibus simulat quam est, ut David fecit, non est expers in totum peccati. Josephum quod spectat, ejus & dicta & facta in veritatem impingunt: verba, gestus, & facta externa, à mente Josephi discreparunt, nec vitio caruere. Fratres suos accusavit furti & ingratitudinis, quos tamen neutrius reos scivit: finis bonus nunquam facit, ut aliquid bonum fiat, quod per se malum est. Larvarum usus in Comœdiis & Tragœdiis eas non commendat, nec ipsas Comœdias aut Tragœdias, quæ, an sint licitæ, statim videbimus: certe, si licitæ forent, larvarum usu non licitæ evaderent, quia sic fœmina sæpe latet sub larvâ & scemate viri, estque personatus vir. Multo minus larvas commendat aut probatas reddit earum usus, in aulis Principum, utcunque vitio seculi non reprehendatur: nos quidem illas larvas, pro animi levitate, petulentiâ, pravitate habemus, & contra honorem Dei, cum offensione proximi, contra Reip & Ecclesiæ ædificationem, institutas, propter omnis generis nequitiam, quæ sic exerceri solet, censemus; adeoque, non tantum in *Comitatem*, sed & in *Castitatem*, impingere statuimus. Illa larvatorum, Bacchantium, præsertim tempore Bacchanaliorum, simulatio, quâ etiam in publicis oberrant plateis, omnino est improbanda, & muris ac parietibus Ecclesiæ Christianæ ejicienda atque proscribenda: quippe quæ ab Ethnicis originem traxit: profectò variis scatet peccatis, Deum graviter offendit, dum sexum muliebrem & virilem confundit, quem Deus distingui voluit, imo in candorem & veritatem manifestè pugnat, dum hominem in satyrum & diabolum immutat, scandalum & offensionem præbet omnibus spectantibus, ideòque, perpetuo Senatus consulto gravissimâ pœnâ sanctâ interdici debet. Hæc de quæstione primâ sufficiant, quæ fuit circa *Comitatem*.

11. In *Collegio Ethico*, olim disputato, disputatione de *Vrbantiate*, eam versari diximus *in jocis & ludis*. De utrisque videndum. *De jocis* quæri potest, *An sint liciti?* quod quidem antè à nobis fuit discussum cum de *Veracitate* egimus, ac *quæstionem* tractavimus, *An mendacium jocosum sit licitum? exerc. 56. Ethicâ*. Verum hoc restat discutiendum, quod tum fuit neglectum, quod in mentem non incidit, *An jocus non sit species mendacii? videtur enim idem esse cum mendacio joco so*: verum enimvero hoc ipsum negamus, *Vrbanitas* enim ita suos jocos instituere docet, ut mendacii nequeant insimulari: & jocos cum mendacio conjunctos ab *Vrbanitate* proscribimus: ut vero intelligatur jocus, quoties est actus *Vrbanitatis*, non esse mendacium, vel ex eo liquet, quod mendacium non sit, quando quis, id, quod res est, cum gratia & suavitate eloquitur, absque intentione fallendi: hoc mendacium non est, si quis dicat; *oportet famulum habere rostrum suillum, aures asininas, dextram explanatam, pedes cervinos*, quibus quis venustè indicat famuli laboriositatem, attentionem, promptitudinem, & celeritatem. Et quænam est mendacii species in illo *Ciceronis* joco, cum *Lentulum*, generum, hominem exilis staturæ videns cinctum longo gladio, dixit, *Quis generum meum alligavit gladio?* Dices in

ces in *jocis esse verborum seu signorum abusum: nam recitantur vera, quæ sic per naturam esse nequeunt, ut in illo joco priori: non habet famulus nostrum suillum, aures asininas*, &c. Respondeo, hîc nullus est abusus vocabulorum, si accipiantur vocabula in significatione tropicâ & impropriâ & metaphoricâ: nisi quis abutatur vocibus, quando quis utitur tropis: ostendi *exercitatione. 56.* nullas tropicas locutiones facere mendacium, aut ejus speciem: sic non est mendacium, cum Herodes dicitur vulpes, si *vulpes* sumatur pro astuto homine: sic nec in isto joco est falsitas, si per Metaphoram sumantur, *rostrum suillum, aures asininæ, &c.*

III. Nunc de *ludis* videndum est, *an sint liciti? ludorum* varia sunt genera, quæ ex fine suo ferè distinguuntur: finis ludorum, est oblectatio: ludi quidam oblectant aspectu & auditu, ut ludi scenici, comici, & tragici: quidam solo auditu, ut musica: quidam solo aspectu, ut ars digladiandi & torneamentorum, ars saltandi & currendi: quidam oblectant spe victoriæ, aut etiam spe honoris vel lucri, quæ victori cedunt tanquam præmia, ut ludus aleæ, chartarum, latrunculorum, pilæ, sagittandi, &c. quin Musica, quæ auditum; artes digladiandi, currendi, imo & saltandi (sejunctis sejungendis, quę hanc artem reddunt pravam) & siquę alię visum oblectant, sint ludi liciti, licitéque spectentur, non solet in dubium trahi, imò hanc egregiè defendit *in Epistolis illustrium Belgarum* nobilissimus *Marnixius* Epistola. 51. ad *Casparum Heidanum*, unum ex præcipuis reformationis promotoribus, & nos eam vindicavimus à criminationibus, in *Coll. Ethico disput de Vrbanitate*: sed tota controversia est de *ludis scenicis & histrionicis Comœdiarum & Tragœdiarum; an sint liciti, licitèque spectentur atque audiantur?* tum insuper de *ludis aleæ & chartarum, an & ii quoque licitè exerceantur?* nos de utrisque videbimus, & sententiam pronunciabimus.

IV. *Amesius* quidem universos ludos scenicos proscribit. *Cas. Conf. lib. 5. Cap* 39 ita & *Rivetus suis in Decalogum Commentariis, Burgersdicius* Præceptor noster, piæ memoriæ, in sua *Ethica*, *Cap* 20 ludos admittit scenicos, si absint impia, obscœna, vana, bonorum virorum detrectationes, & omnia ista, quæ *Pietati, Temperantiæ, Comitati, Vrbanitati*, aliisque virtutibus moralibus sint contraria. Verum enimvero nescio, an ista unquam absint ab hodiernis histrionum ludis? si quidem absint, fateor, nulli tum culpæ videri obnoxios istos ludos: Sed quid si nunquam ista absint, quid si abesse nequeant? ità quidem censent *Amesius & Rivetus*: & profectò hodierni ludi, si in exemplum trahantur, videbuntur histriones causâ cadere, quippe in iis quædam scelera ita repræsentantur, ut simul fiant, quod nemo non reprehendere potest: alia ita graphicè & ad vivum exprimuntur, ut magnam vim movendi & impellendi animos ad ea, in audientibus & videntibus relinquant: mulieres in scenam producuntur contra decorum, aut viri larvati & sub muliebri vestitu latentes, contra Dei prohibitionem, *Deut.* 22 *v.* 5 stulta plerumque immiscentur, quæ voluptatem pariunt, sed inhonestam, & liberali homine indignam. *Aristoteles* quidem docet, voluptatem ex visu & auditu nihil per se mali secum trahere, ut facit illa ex gustu & tactu: attamen si quis totos dies multumque temporis terat, in auribus & oculis oblectandis, per spectacula & acrôamata histrionum, nescio, an ex numero luxuriosorum eximi debeat, & quam facile est, ex rebus visis & auditis, suboriri pravum quempiam animi motum, juxta illud Poëtæ, *ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error*: & certè, nihil est notius, quàm hodiernos ludos scenicos totos ad omnem lasciviam excitandam in animis spectantium & audientium esse compositos, & ut suggerant fomenta vitiorum & voluptatis motus inordinatos cieant: quemadmodum contrà *Vetus Comœdia* ad detrahendum per scommata & convitia instituebatur: ante omnia verò maximè illicitum censeo, sacras historias per histrioniam repræsentare, ut in pagis apud *Rusticos* fieri solet, quod & indecorum est, & impium insuper: quare videntur, hodierni saltem Comici ludi & Tragici esse condemnandi. Denique spectacula ab Ethnica superstitione & idololatria gentium

habent

habent ortum, cui videntur favere, qui spectandis hisce ludis & audiendis ita sese oblectant. Quæ adferri possunt in contrarium pro horum ludorum exercitiis licitis, & abunde ab *Amesio* & *Riveto*, locis statim citatis, refutantur, & apud ipsos videri possunt, quod attinet ludos omnes, exercitio corporis fieri solitos, ut saltandi, torneamentorum, currendi ac hastarum, & sagittarum, eos non improbo, modo non cum periculo lædendi proximum conjungantur & præveniatur omne periculum.

V. Postremo quæritur *de ludis sortium, aleæ, ac chartarum, an illi sint liciti, nihilque habeant contrarium Urbanitati*? non hic verba faciam de sortium vario genere, de sortibus divinis atque humanis, de sortibus divisoriis, consultatoriis, divinatoriis: hoc alienum foret ab instituto nostro: sed missis illis, agam tantum de sortibus ludicris, quæ ad ludum & jocum, aut voluptatem animi, adhibentur: quales sortes sunt, alea, chartiludium, &c. Quæritur de hisce sortium ludis, *an sint liciti*? Negat *Amesius in Med parte poster: cap. 7 de sorte, & in Cas Consc. Lib. 4 cap. 23.* affirmat *Thomas Gattakerus in tractatu* suo, de *usu sortium*, & peculiari libello *Amesii* argumenta refutavit, *uti & Voetii*, qui tamen vir pius & concionator Londinas gravissimus, tractatu eo, patrocinium non voluit suscipere alcæ aut alcatorum. *Amesius* duobus utitur argumentis. 1. *quia in istiusmodi ludis ratio ipsa sortis occasionem præbet variis peccatis, ut blasphemæ cujusdam execrationis fortunæ, quando sors est adversa; prædicationis bonæ fortunæ, quando sors favet, pertinacis contentionis, quando expectatur sors æquior &c.* verumenimverò ista tantum sunt concomitantia & adjuncta horum ludorum; quæ alios item ludos concomitari possunt, & ab hoc ludo separari. Quæstio est. *An ludus sortis ex se sit malus, ex natura sua, non propter concomitantia aut adjuncta vitia? nam vitia, quæ concomitantur, ex accidenti tantum reddunt eos ludos malos*: Quæritur *An separatis separandis, per se & ex se sint mali*? affirmat *Amesius* hac ratione secunda, *Quia non debet illud in ludum verti, quod singularem respectum habet sua natura ad specialem Dei providentiam. At vero sors ex sua natura quæstionis determinationem exspectat à speciali Dei providentiâ: mera enim contingentia per se nullam omnino aptitudinem habet ad quæstionem aliquam determinandam: neque præter meram contingentiam quicquam spectari potest in sorte, præter specialem Dei providentiam. Hic verò* negat minorem *Gattakerus*, quod sors dicat, ex natura sua peculiarem & singularem respectum ad specialem Dei providentiam: quam hic non magis agnoscimus quam in aliis ludis; ut, si quis sagittam mittat in altum aut lapidem, & hîc eventus est incertus, quo loci puncto sit casurus: num & hic specialis est Dei providentia? specialis Dei providentia cernitur in miraculis, & in iis, quæ contra, præter, ac supra, naturæ fiunt ordinem. At quid in jactu aleæ, in emissione sagittæ, aut lapidis projectione in altum, fit, contra, præter, aut supra naturæ ordinem? dicit *Amesius, nihil hic esse artis, sed totum esse opus meræ contingentiæ.* At quæ ars effectum dare potest, ut lapis aut sagitta in tale punctum terræ incidat. Dicit *Amesius, Capite prov. 16. Salomoni, illum peculiarem respectum ad providentiam Dei specialem indicari, cum dicit sapiens, sortes mitti in gremium, sed eventum esse à Domino.* Ast regerit *Gattakerus*, hoc istis verbis non indicari; non magis, quam in alio loco Prov. 21. cum dicitur, equos parari ad prælium, sed victoriam esse à Domino, indicatur, in omni victoria esse specialem Dei providentiam, cum generalis & ordinaria in victoriis, si non omnibus, pleriſque saltem, sit Dei providentia, qua ordinariis mediis reddit alteram partium superiorem. Quicquid sit, *Gattakerus*, in ludo sortis & aleæ ac chartarum & similium, quando in se spectantur, nihil videt peculiare aut plus, quam in multis aliis ludis, in quibus eventus æquè est incertus: nec magis in sortiludio invocari nomen Dei, aut respectum dici ad peculiarem ejus providentiam docet ac probat, quam in aliis ludis: idem tamen, aleatorum, & qui sortiludio atque aleæ & chartis, tempus terunt, res suas dilapidant, vocationem negligunt, iis juramenta, blasphemias, aliaque miscent vitia, infensissimus est hostis, & uti scribit

scribit pro indifferenti fortium natura, ita vehementer invehitur contra fortium & ludorum istorum abusum. Certè multa in se sunt adiaphora quæ vitio hominum ac temporum, quibus vivimus, sunt reddita pessima. Diligenter discernendum est inter id, quod per se est malum, & id, quod per accidens est tale: interim præstat abstinere ab eo indifferenti opere, quod per accidens sed frequenter tamen, propter concursum & concomitantiam vitiorum adjunctorum evadit malum. Sed, de hac quæstione pluribus actum est in Collegio nostro *Ethico*, olim disputato, *disp.* de *Vrbanitate*.

EXERCITATIONUM ETHICARUM SEXAGESIMA,

DE

Quæstionibus quibusdam circa Justitiam universalem.

THESIS I.

POstquam quæstiones excussimus ac casus decidimus morales, qui moveri possunt circa virtutes ὁμιλητικὰς, restat, ut idem agamus circa Justitiam, tum universalem, tum particularem, quam utramque explicatam dedimus *Coll. Eth. Nostr. Disp.* 29. & 30. *ac thes.* quidem 4. *Disput.* 29. definivimus ex *Aristotele Justitiam universalem*, quod sit *habitus animi, quo homines idonei sunt ad agendum ea, quæ sunt Justa, & Justa agunt ac Justa volunt.* Definitur *habitus* potius, quam virtus, quia Justitiam spectamus nunc, ut indifferenter sese habet ad universalem & particularem, & sic non est species Virtutis, sed tota & omnis virtus. Porrò, est *habitus, quo homines redduntur idonei ad agendum Justa*, quia omnis habitus largitur aliquam facilitatem & idoneitatem, idemque est *habitus, quo homines Justa, agunt, & volunt*, quia non sufficit aptitudinem inesse Justa agendi, sed oportet insuper Justa agere & velle: laus enim virtutis in actione consistit. Atque ex hac explicatione definitionis, liquet, Justitiam rectè ab *Aristotele* fuisse definitam, quippe constat *definitio* hæc *genere*, *objecto*, & *actu proprio*, quibus omnis definitur habitus moralis: hæc tamen definitio suas patitur objectiones, quæ solvendæ sunt nobis.

II. 1. *Videtur hæc definitio aliqua continere supervacua: nam illa verba, (quo justa agimus & justa volumus) jam in priori parte comprehenduntur, (quo ad justa agenda sumus idonei) nemo enim justa agere vult, nisi sit ad ista idoneus.* Resp. Non debent dici supervacanea, quæ ponuntur ad differentiam magis ac magis elucidandam: sed hæc verba maximè declarant differentiam in definitione Justitiæ: nam opus & actus maximè explicant ipsum habitum justa volendi. Præterea, non decet esse nimis accuratam in rerum moralium definitionibus. 2. *Si Justitia sit habitus, quo facimus & volumus justa, ergo, quando nec volumus nec facimus justa, non est in nobis Justitia. Sed posterius est falsum, ergo & prius.* Resp. Nulla est sequela: quia cum justitia definitur habitus, quo justa volumus & facimus, eo non significatur ut semper velimus & agamus justa, quasi nunquam sit cessandum aut intermittendum, aut quasi, dum cessamus vel intermittimus ipso actu & opere velle aut facere justa, non foremus justi: sed intelligenda est definitio ex hypothesi, ut vir justus, ex justitia, & per eam, justa agat & velit si velit, & cui oportet ac decet: sed non sem-

per oportet. 3. *Si per voluntatem volumus res justas, ergo non per justitiam Sed verum est prius. Ergo.* Resp. Neg. Maj. Nam per voluntatem volumus justa tanquam per facultatem, per justitiam tanquam per habitum: Alterum non tollitur per alterum. Sed utrumque stat simul. 4 *Si justus sit potius, qui* juste *agit & vult, quam qui* justa. *Ergo malè definitur justitia, &c. Sed. Ergo.* Resp. Qui per habitum justitiæ res justas vult & agit, is vult & agit juste: nam habitus facit juste velle & agere: itaque non fuit necesse repetere, *juste*, quia hoc in voce habitus includitur: nam quotiescunque *justa* agimus ex habitu, tum *juste* agimus. 5. *Si justitia sit constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, Ergo definitio Aristotelis non est bona. Sed. Ergo.* Resp. Solis verbis discrepat ab Aristotelicâ definitione, si rectè intelligatur: Nam voluntatis nomine non potentia intelligitur, sed actus atque habitus: ut sit sensus: Justitia est habitus, quo cum constantia & firmitate ad jus suum cuique dicendum & faciendum sumus prompti.

III. Quæstio est, *An detur talis justitia universalis, qualis est definita?* Resp. Dari justitiam universalem (quæ alias legalis dicitur) facile ostendi potest. Omnis Reipublicæ pars duplici modo comparari potest: primo quidem ad alteram ut pars ad partem, sive ut civis ad civem: Ex quâ comparatione oritur justitia particularis: secundo ad totum Reipublicæ corpus, cujus unusquisque est membrum, & ex hac comparatione oritur justitia universalis. Particularis docet, quid homo homini debeat: Universalis quid homo debeat Reipublicæ. Unde dicitur virtus relata ad alium, Justitia, quia vel ad proximum, vel ad Rempublicam refertur hæc virtus: dicitur legalis, quia Respublica leges fert, quibus unumquemque civium præstare obsequium, justum est & æquum

IV. Quæri hic solet ab Ethicis. *Sitne justitia universalis eadem cum omni virtute singulari, an vero à singulis differat?* Atque in duas hic abeunt sententias Philosophi morales: quidam enim justitiam universalem faciunt distinctam propriam, & sejunctam virtutem à cæteris, *ut Thomas* 2.2. *quæst.* 58. *Art.* 6. & qui eum sequuntur hodierni *Scholastici*. Alii eam eandem faciunt cum reliquis virtutibus & ab iis ratione tantum distinguunt: ita *Buridanus* & qui *Aristotelem* presse sequuntur. Et sanè *Aristoteles* pro posteriori pronunciat sententiâ: dicit enim disertè, *Cap.* 1. *l* 5. *Eth.* justitiam legalem non esse virtutis partem sed totam virtutem, eique contrariam justitiam, non esse partem vitiositatis, sed totum vitium: Ergo legalis justitia nihil fuerit aliud, quam omnium virtutum complexio & congregatio: congregatio vero & complexio à partibus ex quibus coalescit non distinguitur. Deinde, virtutes quę sunt diversæ ac differentes, diversis distinguunturobjectis: virtutum enim, ut habituum distinctio ab objectis petitur. Sed legalis justitiæ nullum aliud est objectum, quam cæterarum virtutum. Ergo. Objectum enim universalis justitię est omne id, quod præcipit lex. At lex præcipit singularum virtutum actus: imperat enim fortitudini, ne deserat aciem, mansuetudini, ut temperet iras, temperantiæ, ut frugaliter vivat. Ergo objectum legalis justitiæ ab objectis cæterarum virtutum non differt, nec ipsa justitia consequenter à cæteris virtutibus: differentia tamen est aliqua. Nam virtus refertur propriè ad possidentem seu habentem quem perficiat: justitia ad alios. Virtus est habitus in mediocritate positus, sive ut κτῆμα, sive ut χρῆμα, consideretur, sive ad nos ipsos sive ad alios referatur: justitia est idem ille habitus, sed prout ad alios refertur: hoc ipsum tamen quod dico comparatè est accipiendum: justitia primò refertur ad alios, secundò ad habentem, virtus primo ad habentē, secundariò ad alios: quemadmodum lex in eo differt à nudo virtutis præcepto, quod lex respiciat ad totam communitatem, & societatem civilem includat, prout in ea homines cum hominibus conversantur; virtutis vero præceptum, hominem privatum, ut talis est, ad se ipsum ordinatè disponit; & tamen lex omnis rectè lata, præceptum ex virtute desumptum benè dicitur: ita etiam à virtute differt in eo justitia, quod virtus ordinem tantum ad possessorem, justitia, ordinem ad alios, involvat. Clariùs loquar: nudæ virtutis est, reddere virum bonum simplici-

pliciter : justitiæ universalis est, facere, ut idem virtute sua aliis totique Reipublicæ commendet, & utilitatem adferat publicam. Est enim triplex finis nostrarum actionum : Primus & principalis est, gloria Dei. Alter est communis & politicus, ut omnia referantur ad publicam pacem ac tranquillitatem. Tertius est privatus, pertinens ad nos ipsos & nostros, justitia Particularis respicit finem tertium : Universalis secundum : utraque primum. v. c. non tantùm ideo est temperanter vivendum, quia prodest unicuique privatim, tum in vita, tum in valetudine, sed &, quia id postulat honestas & utilitas publica, quæ non potest servari, si unusquisque intemperanter vivat : sic non tantum fortiter pugnandum est, ut nos & nostra tueamur, sed & ut religionem ac rempublicam servemus : Præter hunc finem utrumque, nostri & nostrorum salutem, ascendimus altius nos, & omnia dirigimus ad gloriam Dei.

V. Justitia universalis seu legalis. 1. Dividitur in νομικὴν, quæ legibus exactè morem gerit, & ἐπιείκειαν, quæ jus summum moderatur. 2. In religiosam & profanam : prior agit cum Deo, posterior cum hominibus : Aut illa divinis, hæc humanis legibus, obsequium præstat. 3. In propriam & minus propriam. Propria juri legitimo & naturali satisfacit erga alios. Minus propria observat jus Oeconomicum : quod est, vel herile, δεσποτικὸν ; vel Paternum, πατρικὸν : vel nuptiale, γαμικὸν. *Injustitia universalis* est, non pars malitiæ, sed tota malitia, & illa quidem, ad alios seu ad Rempublicam relata : vel est, legũ divinarum, & humanarum, violatio. Sunt autem legis præcepta duplicia, quædam affirmativa, quæ jubent facere virtutes, quædam negativa, quæ prohibent facere vitia illius : injustus injustitia legali peccat, vel omittendo vel committendo : & hinc peccata existunt vel commissionis vel omissionis.

IMPERTINENS.

Nulla per universam Logicam utilior est doctrina, quam Distinctionis *&* Restrictionis, *sine quâ utraque infiniti* Scripturæ sacræ loci *intelligi nequeunt ; tantùm abest, ut, vel hæc, vel illa, sit* inventum Dæmonis ; *nisi quis velit, absque inventu Dæmonis, verbum Dei explicari non posse. Imò horret ipse Dæmon, horrent ipsius* γνώμας *& Hæretici & sectarii, omnes sensus* Scripturæ *corruptores ac detortores, cum vident, per hanc solam doctrinam, loca Scripturæ à se detorta & sensu corrupto prolata, ad rectum, & cum scopo Sp. S. atque analogiâ fidei congruentem, sensum, reducta, & à suis corruptelis & detorsionibus vindicata. Quare hoc de sensum imus, & nunc, & semper, nunquam Studiosum Theologiæ, feliciter congressurum cum Adversariis veritatis Christianæ, nunquam sensum Scripturæ multis in locis percepturum rectè, nunquam in Theologum perfectum evasurum, sine hac* Distinctionis & Restrictionis (*ut de aliis* Logicæ *partibus jam nunc nihil dicam*) *doctrinâ neglectâ aut ignoratâ.*

EXERCITATIONUM ETHICARUM SEXAGESIMA-PRIMA, DE Quæstionibus quibusdam circa Justitiam particularem.

THESIS I.

QUæstiones, seu objectiones potius, quæ institui possunt, contra *justitiam universalem*, dissolvit *exercitatio præcedens*; hæc nunc, quæ sequitur, ipsas solvet, quæ institui possunt circa *justitiam particularem*: eam definitam ac divisam, & diffuse explicatam dedimus olim in *Coll. nostri Ethici Disp.* 30. nunc, cum adversus definitionem ejus nihil soleat objici, quod ullius sit vel operæ vel pretii, quæ contra *divisionem* ejus in *distribuentem & commutantem* objici possunt, discutiamus ac dissolvamus: atque hæc duo sunt.

II. Primum, quod hic objiciundum venit, est illud: scilicet, *quod videatur tertium membrum dari justitiæ particularis, sc justitia ultrix seu vindicans, distincta à distribuente & commutante justitia: nam est justitia quædam sita in vindicta, quoties vel ipsa Resp. vel aliqua Reip. læsa pars, ultionem reposcit ac pœnam: tali enim casu judices & ad quos ea vindicta pertinet æquum exigunt, infliguntque supplicium pro proportione delicti. At talis justitia, nec sub distribuente, nec sub commutante continetur. ergo, &c.* Resp. hanc justitiam vindicantem & ultricem, sic affinem esse commutanti, ut ad illam reduci posse videatur: quia inspecta rerum atque personarum proportione, pro delicti magnitudine vel parvitate infligitur pœna: sed vero quia pœna ipsa, quam ultrix hæc justitia ad vindicandum scelus imponit, non compensat, nec resarcit damnum illatum, sed tantum facit, ut tantundem patiatur reus, quantum, æquum est, ipsum pro crimine perpetrato pati, nonnihil à perfecta ratione commutantis justitiæ abit: ad hanc tamen potiùs quam ad distribuentem referri posse, censemus.

III. Alterum, quod objici potest, illud est. *Videtur commutans justitia interdum sibi assumere partes justitiæ distribuentis & in ejus materiam involare. Cum enim Resp militi dat stipendium, cum mercedem dat publicis operariis, videtur fungi officio justitiæ distribuentis, quia largiturbona communia eaq; distribuit: attamen ab alterâ parte: videtur esse hæc commutans justitia, quia nulla hic respicitur personarum conditio, sed pretium operæ conductæ ac præstitæ ex pacto privatorum cum Rep. persolvitur.* Resp. Justitiam commutantem non exercere officium partis erga partem, quasi nunquam possit Resp. idem officium exercere erga partem: nam in tali casu Resp. sustinet vicem ac locum unius partis: quemadmodum enim, si Resp. mutuò det alicui civium aureos mille, debet civis totidem aureos reddere Reip. non aliter ac si esset persona privata: sic, ubi Resp promisso pretio conducit aliquorum operas, vel alia ratione cum iis contrahit, tenetur non minus, quam privata persona, id, quod ex contractu debetur, persolvere: ideoque, cum stipendium, mercedem, pretium promissum, persolvit, non distribuentis, sed commutantis justitiæ officio fungitur.

IV. *Disp.* 30. *Th.* 10. *Coll. Eth.* quondam hîc disputati, longe omnium nobilissimam proposuimus atque expossuimus quæstionem hanc: *An pœnæ sint irrogandæ secundum proportionem Geometricam, pertineantq; ad justitiam distribuentem, an secundum proportionem Arithmeticam,*

ticam, pertineantque ad justitiam commutantem? Tres hîc sunt sententiæ, quæ singulæ suas habent rationes. *Prima est eorum*, qui pœnas faciunt objectum justitiæ distribuentis oppositè ad præmia, & in iis irrogandis servari volunt proportionem Geometricam; ita sentiunt *Conimbricenses disp. 9 Eth. quæst. 1. art. 2. Theoph. Golius in 5. Eth. cap. 5. Keckerm. in Syst Eth. l. 2. c. 5. Timpl. l. 3. Eth. c. 10. q. 12. Alstedius in Syst. Eth. cap. 24. Waleus in suo Ethicæ compendio*, ubi agit de justitia, *Burgersd. in idea Philosophiæ moralis, cap. 22.* qui ex Jurisconsultis allegant *Wesenb. in paratitlis*, & *Mynsingerum in Institutis*, utrumque, ad titulos *de justitia & jure.* Experientia insuper pro iis facere videtur, quæ docet, nobiles mitius puniri quam ignobiles, liberos quam servos, magistratus quam subditos, integræ famæ homines quam famosos: præter experientiam leges pro se citant *ex jure civili. l. 9. tit. de pœnis*, dicitur, discrimina pœnarum esse, neque omnes eadem pœna esse afficiendos, aut affici posse: nam decuriones in metallum damnari non posse, nec in opus metalli, nec furcæ subjici, nec vivos exuri; *& l. seq.* dicit *lex*, ex quibus causis liber fustibus cædatur, ex iisdem servum flagellis cædi; ex quibus causis liber fustibus cæsus in opus publicum damnatur, ex hisce causis servum sub pœna vinculorum, ad ejus temporis spatium flagellis cæsum domino reddendum: similia de distinctione personarum in irrogandis pœnis habentur *l 28. par 5 & 16 ideoque* toto *illo titulo de pœnis*, præter authoritatem *Aristotelis*, quoque proferunt, *qui l 5 Eth. cap 5. text. 45.* plurimum interesse docet, an quis magistratum gerens quenquam percusserit, an alius? item, an ipsum magistratum quis percusserit, an alium quempiam hominem privatum? qui locus, tam diserte id videtur docere, ut, licet alibi *Arist.* aliter loquantur, hîc sibi in aliis locis contradicere censeatur quibusdam interpretibus.

V. Sed & ratione pugnant, pro sua sententia authores hi: omnis, inquiunt, virtus consistit, vel in sola mediocritate rationis, vel in mediocritate rei & rationis simul: mediocritas autem rationis inter cæteras circumstantias etiam personæ conditionem includit: si igitur secundum dignitatem & conditionem personæ delicta puniuntur, videtur omnino punitio instituì juxta proportionem Geometricam: sed verum est prius: ergo. prob. minor. *à Burgersd. Deus in Vet. Test.* aliter puniri voluit, qui in populo malè dixisset principi, aliter eum, qui privato, aliter, qui filiam sacerdotis violasset, aliter, qui filiam privati civis: & plurimæ, inquit, sunt constitutæ pœnarum differentiæ in eodem genere delicti.

VI. *Nonnulli*, pœnas, partim referunt ad justitiæ distribuentis, partim ad commutantis, objectum Ita *Amesius in l. 5. cas. Conse.* nec sub justitia distribuente, nec sub commutante, contineri eas proprie, asserit: sic & *Heiderus in system. Ethico*, illas submittit justitiæ distributivæ simul & commutativæ: commutativæ quidem, quia damnum & lucrum tollunt, & ad æqualitatem Arithmeticam omnia reducunt, &, quia pœna delictis exactè dicitur respondere: distributivæ vero, quia pœnæ ad ea pertinent, quæ inter cives dividi possunt, & quia aliis peccatorum generibus aliæ pœnæ irrogantur.

VII. Alii denique pœnas referunt, tantum ad objecta justitiæ commutantis seu corrigentis, cujus actum, docent, esse, punire, & in puniendo volunt servari proportionem Arithmeticam, non Geometricam: ita *Thomas Aquinas, lect. 6 & 8. in Eth. Arist l. 5.* & in *summæ suæ secundæ secundæ, quæstione 61. art. 2.* ita & *Cajetanus* suis in locum istum commentariis: ita *Acciajolus* in *commentariis* ad *c. 4 l. 5. Eth:* ita *Soto de justitia & jure. l. 3. quæst 5. art. 1.* & *Scholasticorum* plerique, & ex *Ethicis* ac *Politicis* recentioribus multi, *Arnisæus*, *Hornæus*, *Willius*, aliique: hi Aristotelis, pro se allegant citantque verba ex *c 4. Eth. l. 5* ubi sic loquitur: jus autem, quod in contractibus versatur, est illud quidem æquale, & injuria, inæquale: verùm non ea proportione, sed Arithmetica: nihil enim refert, utrum vir bonus malum hominem fraudaverit, an malus homo virum bonum: neque, utrum vir bonus aut malus homo adulterium fecerit, sed damni tantum differentiam intuetur lex, iisque utitur tanquam æqualibus, faciatne hic injuriam, ille injuria afficiatur? & an hic damnum intule-

rit, ille acceperit: hæc ſunt verba *Ariſtotelis* ex quibus liquet, ſi in contractibus corrigendis ſit ſervanda proportio Arithmetica, uti docet ibi *Ariſtoteles*, qui non diſtinguit illic, inter voluntarios & invitos, omnino & ſervanda eſt illa in irrogandis pœnis: nam quid eſt aliud punire, & pœnas irrogare, quam contractus invitos emendare ac corrigere? & notetur exemplum *Ariſtotelis*: ſi homo, alioqui probus, defraudet hominem nequiſſimum, non minus eſt fraus & injuria, quam ſi peſſimus defraudet optimum: adeoque res utrimq; eſt digna ſupplicio: ita non minus puniēda eſt perſona una, quam altera: ſi enim perſonę dignitas non vetat, quo minus ſit delictum, quod delictum eſt per ſe, nec vetabit eadem, quo minus pœna ſit dignum & puniatur; uti meretur: ſed quid opus eſt teſtimoniis, nos ratione tertiam hanc ſententiam confirmabimus, quam amplectimur.

VIII. Duo ordine præſtabimus. 1. oſtendemus, *pœnas non eſſe rem, quæ diſtribui poſſit, nec niſi improprie, hoc dici, quod diſtribuantur, adeoque non Geometricam ſed Arithmeticam eſſe ſervandam proportionem, in iis irrogandis. 2. hanc proportionem Arithmeticam non tollere ea, quæ de perſonarum diſcrimine ſunt allata, à primæ ſententiæ authoribus, unde eorum ſolventur argumenta. Pœnas non cadere ſub diſtributionem, & eas recte irrogari vel infligi, non diſtribui, ſic probamus* 1. quod diſtribuitur, eſt commune; ſeu clariùs; quod diſtribuitur, id, cum ſit totius communitatis aut communionis, inter membra dividitur: veluti pecunia publica, agri ab hoſtibus capti, honores & dignitates, quas Reſpub. confert, onera, quæ civibus imponit, & ſimilia. At vero tale quid, non ſunt pœnæ: quis enim ſic loquatur, pœnas has aut illas eſſe Reip. & civibus tanquam de publico promi & imponi, ſeu inter illos dividi debere, ut unuſquiſque partem earum ferat? at, pecunias diſtribuendas, onera ferenda civibus pro ſua parte, cuilibet, & inter eos perferenda, recte dicimus. 2. Quicquid diſtribuitur, id unicuique ideo, vel confertur, vel imponitur, quia civitatis pars eſt, & membrum ejus communitatis, cujus, vel bona illa ſunt, vel mala: at nemo afficitur ideo ſupplicio, quia civis eſt, & Reip membrum ac pars, nec publico nomine tenetur, ad ferendas pœnas, uti quidem tenetur ad ferenda onera: licet enim civis ſit, qui punitur, interim non tamen punitur ut civis, aut quia civis eſt, ſed quia deliquit, quod puniri, Reip. intereſt: at onera fert publica, ut civis eſt, & quia civis eſt. 3. Quicquid diſtribuitur, ejus pars quotacunque & portio omnibus, & ſinguliscedit: at pœnę nunquam irrogantur civibus omnibus, ut ſingulis ſuæ infligantur pœnarū portiones. Ergo non cadunt pœnę ſub juſtitiam diſtribuentem. 4. Quicquid commune eſt & diſtribuendum, illud natura prius eſt partibus, in quas diſtribuitur: quemadmodum tota prædæ ſumma militibus dividenda, prior eſt portione, quam ex ea, Dux, decurio, miles, capit: at vero, cum multis ſimul pœnæ irrogantur, aggregatio pœnarum non eſt prior pœnis ſingulis quibus hic aut ille maleficus punitur: certè, prout major aut minor pecuniæ vis ab hoſtibus capta, in promptu eſt, ita unicuique militi, majus aut minus præmium aſſignatur: at verò ita ſe res hîc non habet in pœnis irrogandis; nec enim ideo magiſtratus ex facinoroſis, hunc furcæ, illum igni, tertium cruci, quartum virgis, adjudicat, quod tantum pœnarum facinoroſorum gregi toti ſemel ſit diſtinatum: nihil minus: imo contrà, ideo major aut minor cumulus ſuppliciorum oritur, ideo atrociora vel minus atrocia ſunt ſupplicia, quia huic aut illi ex facinoroſis hoc aut illud ſupplicium pro ratione aut proportione delicti debetur: ex hiſce rationibus patet, pœnas eſſe tale quid, quod diſtribui non poſſit.

Porrò, quod proportione Geometrica irrogari nequeant, ſed Arithmeticâ, infligi debeant, ſic probamus. 1. De Geometricæ proportionis natura eſt, ut pro inæqualitate perſonarum ſeu dignitatis civium in Rep. inæqualia etiam ſint præmia & onera: ita ut majus præmium ferat, & majus onus ſuſtineat, qui major; minus, qui minor eſt: ergo, ſi pœnæ debeant infligi ſecundum proportionem Geometricam, pro eodem delicto nobilis & liber acrius, & ignobilis & ſervus, mitius erunt puniendi: poſterius abſurdum: contra eſt, & jus & fas, ipſis adverſariis fatentibus: ergo & prius. 2. Si ſufficit proportio Geo-

Geometrica in plectendis delictis, ergo & ſuffecerit, ſi ſimpliciter, quanto majus eſt unum delictum altero, tanto majori puniatur pœna: at verò iſta proportio pœnarum ad delicta non ſufficit. Ergo non ſufficit proportio Geometrica: prob minor. ſint plura delicta à pluribus commiſſa, ſed gradibus diſtincta & inæqualia: unus eorum v. c. commiſerit fornicationem, alter adulterium ſimplex, tertius adulterium duplex, quartus inceſtum: ponamus, adulterium eſſe crimen duplo majus fornicatione, adulterium duplex iterum eſſe duplo gravius adulterio ſimplici, inceſtum duplo majorem adulterio duplici, hîc ſervata fuerit proportio Geometrica in pœnis irrogandis, ſi poſterioris pœna ſemper fuerit major & gravior pœnâ prioris: attamen nondum fuerunt pœnæ irrogatæ, ut decet, juſtè: nam ponamus, fornicatorem pœnæ loco ſolvere duos obolos, adulterum ſimplicem ſolvere 4. obolos, adulterum duplicem octo ſolvere, inceſtuoſum 16. hîc proportio fuerit ſervata Geometrica: ſed, an quis dicere auſit, flagitia iſta eſſe juſtè & juſtis pœnis pro merito punita? Ego quidem non dixero. Geometrica ibi quidem eſt proportio: nam ut ſe habet perſona ad perſonam, delictum unius perſonæ ad delictum alterius, ita ſeſe habet pœna unius ad pœnam alterius; ſed tamen non eſt juſta pœnarum pro delictis inflictio: non ſunt juſtè flagitia punita. Si dicas, primo illi, fornicatori, ſc. non eſſe pœnam ſufficientem ſtatutam, ideoque nec cæteris quoque. Reſp. Sed unde æſtimabimus, quanta eſſe debeat primi illius, puta ſcortatoris, pœna, ſi in pœnarum inflictione ſufficiat proportio Geometrica: hæc enim jubet tantum, ut totuplo major ſit pœna ſecundi, quam eſt pœna primi, quotuplo crimen ſecundi eſt majus crimine primi: quantam verò oporteat eſſe pœnam, tum primi, tum ſecundi, non docet, nec exprimit, proportio Geometrica, nec vero docere nec exprimere poteſt: ut itaque ſit juſta punitio, judicandum eſt, quanta pœna debeatur fornicationi, quanta adulterio ſimplici, quanta duplici, quanta inceſtui: at, hoc judicium facere, nihil eſt aliud, quam pœnam adæquare delicto; ideſt nihil eſt aliud, quàm rem rei adæquare: at hoc eſt proportionis Arithmeticæ: juſtitia ergo punitionis non eſt petenda ex comparatione perſonarum delinquentium inter ſe, ſed ut ſit juſta punitio, petenda eſt juſtitia, ex adæquatione delicti & pœnæ, uniuſcujuſque, ut talem ferat pœnam, qualem meruit delictum: adeoque pœnæ irrogandæ ſunt ſecundum proportionem Arithmeticam, non Geometricam, quod erat probandum. 3. Juſta diſtributio eſſe poteſt, & proportio Geometrica ſervari, etiam, quando unuſquiſque non tantum conſequitur, quantum virtus ejus merebatur, ſed quantum ex ſumma dividenda ad ipſum pro ratione circumſtantiarum & ſua portione recipere poteſt: ita, ſi præda ſit dividenda inter milites, & ſatis ea magna non ſit, ut militis uniuſcujuſque virtuti reſpondeat, nihilominus, juſta fit diſtributio, cum quiſque militum ſuo loco pro ſua portione capit, quantum ad ſe pro ratione prædæ redundare poteſt: at quis dixerit pœnas juſtè irrogari, cum pro merito quis non punitur: de præda diſtribuendâ militibus dici poteſt: plura quidem militis uniuſcujuſque mereri virtutem, quàm aufert, ſed prædam hac vice majorem non eſſe, ut de ejus ſumma plus decedere nequeat: at, cum pœnæ ſunt irrogandæ, dici nequit, majora ſupplicia commeritos eſſe maleficos, ſed de cumulo pœnarum non ſuppetere, quo puniantur pro merito. 4. Si ideo pœnæ ſunt irrogandæ ſecundum proportionem Geometricam, quia, ut eſt diverſitas graduum & inæqualitatis in delictis, ita quoque gradatio quædam eſſe debeat inter pœnas, ſequitur, in proprie dictis contractibus eandem proportionem habituram locum: v. c. aliquis civium vendit ædes, alter fundum, tertius arcem, fundus ſit duplo melior ædibus, arx duplo melior fundo: emtio venditioque juſta eſſe nequit, niſi pretium arcis ſit duplo majus pretio fundi; & hoc duplo majus pretio ædium: ſed, an ideo emtio & venditio ad juſtitiam pertinent diſtribuentem, aut reſtituenda eſt ſecundum proportionem Geometricam: hoc ne ipſi quidem adverſarii conceſſerint. Quemadmodum

dum ergo, cum res emuntur & venduntur inæquales, pretia earum habent istam proportionem, quam habent res inter sese, nec tamen proportio ista Geometrica est fundamentum emtionum & venditionum, sed ex accidenti supervenit, ita, cum delicta sint inæqualia, etsi pœnæ debeant habere istam proportionem inter sese, quam inter se habent delicta; tamen proportio Geometrica non est fundamentum in irrogatione pœnarum; sed verò pœnis irrogandis secundum proportionem Arithmeticam ex accidenti supervenit.

X. Verumenimvero secundum caput videamus: *Quomodo non violetur proportio Arithmetica, etsi in puniendo aliquis habeatur personarum respectus, ut sic argumenta solvantur.* 1. Non hic quæritur, quid fiat, sed quid fieri debeat; non attendimus factum, sed jus. 2. Delicta, vel ex proæresi, vel ex imbecillitate, committuntur. Conferamus nunc nobilem & plebejum; si ex proæresi deliquerit nobilis, aut, qui in dignitate est constitutus, item & plebejus, tantum abest ut mitiùs debeat puniri, quam plebejus, ut contra sit plectendus graviùs; nam delictum ejus, ratione personæ est majus: nempe, *tanto conspectius in se crimen habet, quantò, qui peccat, major habetur.* Nam nobiles aliique superiores faciliùs potuerunt resistere malo, quia majore sunt instructi scientia & virtute, quàm ex plebe homines. Deinde, illi plus debent operari bonæ menti & virtuti, quia aliis in exemplum facti sunt. Denique, quo pluribus à Deo beneficiis sunt affecti, altiusque evecti, eo major est eorum ingratitudo in Deum. Porrò, notandum est illud quoque, & inquirendum, an constet de proaireſi mala, an tantum præsumatur? si constet, nulla est prærogativa nobilis aut in dignitate constituti, sed acrius est puniendus: si non constat, prærogativam aliquam habent: quicquid enim rarò, quis commisit, id magis ex imbecillitate, quam ex destinatione, feciſſe censendus est.

XI. Verumenimvero quæstio hæc nostra potissimum procedit de delictis ex imbecillitate commissis: & quæritur, *an in talibus detur discrimen graduum in pœnis?* hic notandum venit, pœnam, quæ qualitate eadem est, quantitate differre tamen, prout alia atque alia est persona, quæ afficitur ea: ita fustigari, est eadem qualitate pœna; sed major, si nobili contingat; minor, si plebejo: hinc fit, ut nobilis, cum pœna afficitur, mitiori in specie, æque tam graviter plectatur atque alius, cui major ad speciem apparet, & videtur pœna decreta: quin una tantum circumstantia efficere potest, ut unica & eadem pœna duplo sit major, quando uni infligitur, quam est, quando infligitur alteri: sic oculo privari, duplo gravius est malum, unoculo, quam habenti duos oculos, quia unoculus planè excæcatur, alter non item: certè, non æquali pœna afficitur, si utrique unus oculus eruatur. Jam hæc applicemus, & ostendamus, *quomodo non violetur proportio Arithmetica, etsi nobilis & in dignitate collocatus*, aut *virtute præstans, mitius puniatur in eodem delicto, quam plebejus aut scurra.*

XII. Arithmetica proportio hoc vult, ut tam nobilis quam quivis alius puniatur tantum, quantum alteri nocuit, ut pœna simpliciter sit æqualis delicto; hoc immotum est & immutabile: & manet etiam ac manere debet, quando etiam nobiles aliiq; puniuntur mitiùs plebejis: nam vel delictum tam grave non est in nobili, quam in alio; vel, si est, non tam facilè præsumitur; vel pœna utrique irroganda est, una & eadem, etsi vulgò non appareat. Commiserint duo idem delictum: unus virtute præstans, alter nebulo & nullius virtutis homo: constet etiam, utrumque, non tam ex proaireſi, quam ex affectu & imbecillitate, peccasse: erit sane delictum prioris levius, quam posterioris: causa est, quia cum sedulo semper prior caverit, in tale delictum inciderit, alter verò, licet ex proaireſi non peccavit, non tamen satis aliàs sibi caverit, omnino delictum idem est gravius in posteriori, levius in priori: rursus, si duo iidem commiserint idem delictum, nec constet, eos ex imbecillitate peccasse, magis censetur ex proaireſi peccasse posterior, quam prior, & ideo, ejus delictum censetur & præsumitur gravius, prioris levius. Denique,

sit

sit idem per omnia, viri præstantis & hominis nequam, delictum: fustigatur unus, alter è senatu ejicitur: mitior videtur pœna posterior, sed æque gravis est, quia nebulo non pluris faciet fustigationem, quam gravis vir ignominiam, quam reportat ex eo, quod ex senatu ejiciatur: sed vero hæc non vetant, quo minus tantum pœnæ luant, quantum nocuerint: *dices, hic haberi rationem dignitatis personæ, quam non respicit proportio Arithmetica.* Resp. Quod dignitas personæ respiciatur, planè est per accidens, cum proportio Geometrica eam per se respiciat: hæc enim simpliciter fundatur super comparatione personarum & præmiorum: proportio Arithmetica non super dignitate personarum, sed super sola adæquatione delicti & pœnæ: illic per se attenditur persona, hic per accidens; qualis personæ consideratio, delictum, vel aggravat, vel elevat: itaque uno verbo: personæ dignitas non attenditur hic propter se, ut in justitia distribuente, sed tantum ad delicti & pœnæ magnitudinem eo rectiùs intelligendam & æstimandam, ut adæquatio delicti & pœnæ eo rectiùs inveniatur. Hæc omnia, *experientiæ, Arist. authoritati & rationi* antea allatæ, applicare, facile est unicuique: ne enim thesium excedamus modum aut mensuram, id cujusque judicio relinquimus.

EXERCITATIONUM ETHICARUM SEXAGESIMA-SECUNDA,

DE

Quæstionibus quibusdam circa Justitiam, Jus, & Injuriam.

THESIS I.

CIrca *Justitiam*, *Jus*, & *Injuriam*, variæ quæstiones, tum ex *Aristotele*, tum ex *Scholasticis*, moveri solent: Nos quasdam ex iis, & selectiores, nunc proponemus & solvemus: de cæteris videri possunt, ipse *Aristoteles*, qui l. 8. Eth. c. 9. octo movet, & Commentatores in eum, inter *Græcos Eustathius*, inter *Latinos Veteres* seu *Scholasticos*, *Buridanus*, inter recentiores, *Sallustius*, qui *Buridani* vitulâ semper arat, ejusque rationes usurpat, sed *Latiniores* tantum reddidit, ac præsertim hîc videndi sunt, tum ipse *Thomas in secunda parte summæ Theol.* & *Commentatores* omnes infinito numero, in ipsum. Præter omnes, peculiaribus voluminibus prolixissimè omnes quæstiones, quæ hic possunt moveri, pertractarunt, *Soto de Justitiâ & Jure*, *Suares & Lessius de Legibus*, *Iohannes de Lugo Cardinalis, de Justitiâ & Jure*, *Azorius in institutionibus moralibus*, *multique alii.*

II. Prima, quam nos ventilabimus, quæstionum, erit hæc, *An quis, volens patiatur injuriam?* seu, *An volenti possit fieri injuria? &c.* Prima quidem facie nihil videtur certius, quam neminem volentem pati injuriam: sed tamen hoc ipsum est multis difficultatibus cinctum & obseptum. Resp. *Neminem pati injuriam, volentem voluntate simplici, perfectâ, liberâ, expressâ.* At vero imperfectâ, semiplena, circumscripta, & limitata voluntate, potest quis injuriam pati. Hoc utrumque explicandum est pleniùs. Primò, quod nemo plena, perfecta, libera, atque expressa voluntate patiatur injuriam, ex eo liquet, quia,

pati injuriam, non tantum est pati damnum, sed & id pati præter voluntatem, ut sit contradictio, pati injuriam, volentem: qui enim patitur injuriam, non vult eam: ut enim jus omne est voluntarium, ita injuria omnis est involuntaria. Secundò, quod semiplena, imperfecta, circumscripta, & limitata voluntate possit quis pati injuriam, id quatuor in casibus ostendi potest. Primus est, cum aliquis tacitè vult damnum suum, nec verbis tamen eam voluntatem exprimit: Ut, si quis equum suum velit interfici à vicino, quo vicinus damnetur à judice, pœnasque luere, ac damnum sarcire teneatur; Sed profectò, hæc voluntas vix est voluntas dicenda, quia non tam suum damnum, quam inimici incommodum vult. Secundus casus est, cum voluntas integra non est, sed altera ex parte velle videtur, ex altera nolle; ut, si quis lædi velit, & injuriam pati, quod sibi bonum hoc esse intelligat, sed minime vellet alterum, à quo læditur illud facere, injuriam illam importare, ex quo faciendo inimicitiam cum Deo contrahit, & iram ejus in se derivat. Sic Martyres volentes patiuntur injuriam, quippe, qui non detrectant subire crucem, quam ferunt; sed nollent eam sibi inferri ab hominibus cum peccato: tormenta non refugiunt, sed volunt; sed refugiunt ac nolunt scelus aliorum ea inferentium. Tertius casus est, cum voluntas, non est absoluta aut simplex, sed alicujus conditionis accessione implexa: ut, si quis fœnori pecuniam accipere velit, quia non potest accipere gratuitam. In tali casu, is voluntarie quidem contrahit cum fœneratore, sed tamen mallet non contrahere tali modo, adeoque vult damnum suum & non vult. Quartus casus est, cum voluntas obligata, & vincta est, non soluta, non libera, qualis in puero vel in homine graviter ægrotante conspicitur, qui noxia plerumque volunt & pestifera: Hæc enim, qui puero & ægro suppeditarit, iis volentibus noceret, & damnum inferret: & uterque volens patitur, injuriam. Atque ita patet, *quomodo & qua voluntate, vel plenâ, vel semiplenâ, volenti fiat injuria*: &, his observatis, facile est argumenta solvere, quæ objici possunt, quippe quæ omnia nihil aliud demonstrant; quam aliquas injurias & damna pati homines voluntate, vel non integra & plena, vel non simplici & absoluta, vel alio aliquo modo imperfecta, quod non diffitemur: sed, ut aliquis volens patiatur injuriam voluntate absoluta, plena, perfecta, completa, hoc est, quòd negamus ac pernegamus, & sic intelligenda est quæstio à nobis proposita, cum dicimus, *neminem volentem pati injuriam.*

III Quæri hîc solet secundo. *An aliquis sibi injuriam facere possit?* *Aristoteles* quidem *Ethicorum* l. 5. c. 11. negat, sequenti argumento motus, quod est à majore ad minus. Si in maxima injuria, non potest quis esse erga seipsum injustus, multo minus propter cæteras injurias minores. Sed in maxima injuria, quando quis sibi ipsi facit injuriam, seu quando quis sibi ipsi mortem conscisci, non facit ille sibi injuriam. Ergo &c. Quin, seipsum interficere, sit maxima injuria, inde patet, quod vita sit maximum bonum: ea enim sublata simul reliqua omnia bona auferuntur. Quod vero is, qui sibi ipsi vitam aufert, non sit erga seipsum injurius, probat *Aristoteles* à consequenti, quia videtur potius Remp. læsisse, quæ ipsum quoque punit, quam semet, quia illam spoliavit membro, id est, cive, & per consequens eam spoliavit auxilio, quod in bello ac periculis ab ipso exspectare potuisset civitas aut Resp. Punitur verò à civitate aut Rep per infamiam, quatenus ipsum aut planè non vult sepeliri, aut non sepeliri loco honesto. Et potest hæc ratio *Aristotelis* sic instrui, aut suffulciri. Nemo patitur volens injuriam, ut statim probavimus. Sed, qui seipsum interimit, is patitur volens injuriam: ergo, qui seipsum occidit, is non patitur injuriam. Sed verò, possit hîc quis regerere, quod hæc ratio non stringat, *quia, cum quis interimit se, non appetit mortem voluntate simplici, sed eâ, quæ mixta est, & aliquid habet de invito: quippe ob aliqua rerum infortunia, aut animi corporisque dolorem acerbissimum, à quo non nisi beneficio mortis liberari potest, interficit sese, qui id facit: &, licet liberari malit, quam vivere, simpliciter tamen vivere mallet, quam mori.*

Sed

Sed voluntarium quod mistum est, non potest facere, ut id, quod patimur, non sit invitum injustumque. Ergo, qui se occidit, quia id facit voluntate mixtâ, is patitur injustum aut injuriam: ergo sibi injustum, aut injuriam facit.

Resp. Voluntarium mistum non potest facere, ut, quod patimur, dici possit injustum, si mistum ita fit, ut plus unam velimus partem quam alteram: qui enim latroni pecuniam dat, ne occidatur, magis vult dare quam non dare, tametsi etiam dare nollet: deinde, cum is, qui damnum patitur, aliquam actionis partem omnino vult, vel saltem multo magis vult, quam aliam, debet voluntarius dici potius quam invitus. At talis est is, qui sibi mortem consciscit: quamvis enim vivere vellet, mavult tamen interire, quam cum isto animi dolore, aut inopia, aut ignominia, vivere. 2. Argumentatur *Aristoteles*: genus non potest inveniri absque specie: Nam, si animal movetur, & currit, etiam, vel homo vel brutum, movetur & currit. Sed in nulla injuriæ vel injustitiæ specie, potest homo sibi ipsi facere injuriam. Ergo, simpliciter absoluteque injuriam sibi facere nequit. Species injuriæ sunt, furtum, adulterium, perfossio parietum, &c. Sed nemo dicitur adulterari, cum conjuge utitur sua, nemo furari, cum rem accipit suam, nemo ædes diripere, cum parietem perfodit suum. Ergo nemo sibi facit injuriam. Atque hæ sunt rationes *Aristotelis*, quibus probat, non posse aliquem sibi facere injuriam, quæ ipsæ ratiunculas solvunt adversas, quarum palmaria hæc est. *Quod aliquis seipsum interficere valeat, & sic in seipsum sit injustus.* Sed verò jam dictum est, talem esse injustum in Remp. magis quam in seipsum: sed ad alia transeamus.

IV. Nihil usitatius est apud *Ethicos*, quam inter Jus, seu rigorem juris, & ἐπιείκειαν, seu æquitatem juris, qua aliquid de rigore juris remittitur, ne summum jus, summa, quod ajunt, fiat injuria. Hoc igitur omnes asserunt, æquitatem esse juris stricti correctionem; hic duo objici possunt, quæ nunc sunt solvenda. Primum honesta, si *æquitas, juris & legis correctio, sit, laudabilis, ergo sequitur jus non esse bonum & honestum. Sed jus est bonum & honestum.* Ergo. Respond. negatur connexio majoris. Et æquitas est laudabilis, & jus est laudabile: & æquitas est honesta, & jus est honestum: & æquitas est bona, & jus est bonum. Est enim laudabilitas, honestas, bonitas, affectio generis, & speciebus est communis: neque enim sequitur, si condimentum cibi sit bonum, ergo ipse cibus non est bonus. At dicunt, *summum jus summa sæpe est injuria*, Resp. summum jus hic dicitur non per se & in se consideratum, sed iniqua juris applicatio ex neglectu circumstantiarum, quæ facta mutant, adeoque valde sunt attendendæ quamvis in lege non sint expressæ, sicuti quoque propter varietatẽ exprimi non possunt; sed prudentiæ judicis perpendendæ relinquuntur. 2. objici potest: *Quod discrepat à justo, id est injustum. At æquitas discrepat à justo. Ergo æquitas est injusta.* Respond. Major non est simpliciter vera: omnes enim aliæ virtutes morales discrepant à justitia, nec tamen propterea sunt injustæ: quemadmodum & justitia discrepat à castitate, neque tamen ideo est incasta: si *discrepare*, sit aliquo modo pugnare, major non est vera: nisi de omni simpliciter justo fortè accipiatur: at tum minor falsa est: nam æquitas non discrepat ab omni justo simpliciter, sed à justo, quod in specie, rigidum & naturale vocatur.

V. Vulgatissima est divisio, apud *Ethicos*, Juris, in Jus naturæ, Gentium, Civile, & Canonicum. Quam divisionem in *Meletematis* nostris expositam alibi dedimus. Impræsentiarum quæritur solum, *An detur jus naturæ?* dicimus ominò, quod sic. Contra, hic, duo objici possunt. Primum, *Si intellectus humanus sit tabula rasa, in quâ nihil est scriptum, ergo nullum jus per naturam ei est insculptum. Sed verum est prius. Ergo.* Resp. negatur major. *Aristotelis* mens est. Nihil actu secundo esse insculptum cordibus aut animis hominum: & hoc verissimum est, quippe infantes recens nati nihil intelligunt actu ipso, quia cerebrum propter humiditatem nimiam nondum bene est dispositum, ad species intelligibiles formandas. At, quando legis opus dici-

tur inscriptum cordibus nostris, id non intelligitur, de actu secundo, quasi reipsâ ex legis naturæ principiis primis statim conclusiones eliciamus: sed vero de potentia propinqua, per quam etiam nullâ accedente institutione vel demonstratione, confirmato & adulto rationis usu, principia practica sese exerunt, & secundum ea, in communi vitâ, legis opera exercentur. Unde dicuntur gentes τῇ φύσει ποιεῖν τὰ τοῦ νόμου, quamvis de lege, per Mosen lata nihil unquam fando acceperint. Cum enim à natura brutis impressa sit potentia & solertia, qua, ætate jam ad speciei perfectionem progressa, naturæ suæ convenientia & admiranda moliuntur opera, ut videre est in aviculis nidificantibus, in apiculis mellificantibus, quid ni, & menti humanæ, quæ divinæ particula est auræ, impressi quoque sint divinitatis Characteres, qui in homine jam adultiore & ætatis confirmatioris, sese exerere & fulgere incipiant. Quemadmodum ergo facultas naturalis discurrendi est innata homini, non actualis discursus, qui tamen postmodum ex facultate manat sine ulla præeunte institutione, ita lex naturæ innata est, id est, potentia conclusiones practicas ex principiis in se reconditis colligendi, non vero ipsa actualis conclusionum collectio. 2. objicitur. *Si nulla sit justitia naturalis, ergo nullum quoque jus naturale. Sed verum est prius ergo. Si justitia sit virtus moralis, ergo, non naturalis, quia moralis à naturâ non inest. Probatur consequentiâ, quia jus non est sive justitia.* Resp. 1. ad minorem & probationem. Justitia moralis propriè sic dicta distinguitur à naturali, quia hæc est quasi semen quoddam illius. 2. ad consequentiam. Naturale jus consistit in principiis practicis, justitia in praxi principiorum. At verò non semper cum notitia principiorum practicorum est conjuncta praxis.

VI. Nihil quoque receptius est apud *Ethicos*, quam, jus naturæ esse immutabile: & hîc quædam possunt objici. 1. *Multi peccant contra jus naturæ. Ergo illud, vel extinctum est vel mutatum: patet antecedens in parricidis, homicidis, blasphemis, &c.* Resp. Negatur consequentia. Quia etiam, qui jus naturæ violant, nihilominus illud inscriptum in cordibus habent, quod etiam positivi juris scientissimi faciunt, cum in id peccant: peccant enim contra conscientiam, quam contra se testem habent: & hæc distinguenda sunt: aliud est nosse legem, & aliud præstare. 2. *Ipse Deus mutavit jus naturæ, quando præcepit Abrahamo, ut filium mactaret; & quando Israëlitis permisit bona Ægyptiorum auferre, ergo jus naturæ est mutabile. Antecedens probatur. Quia præceptum illud & permissio fuit contra jus naturæ.* Resp. Non fuit mutatio legis, sed materiæ, circa quam lex versatur. Vita innocentis Isaaci filii, subjecta fuit & objecta Abrahami Patris potestati, non tanquam causæ principali, sed tanquam instrumento dominii & beneplaciti Divini: adeoque nihil hic fuit jussus Abrahamus facere præter officium Patris à naturali jure definitum, sed jussus fuit servire juris naturalis Domino, cui in creaturas suas licet, quicquid libet: non enim sibi, sed homini legem posuit: eo ipso, igitur, quo filium mactasset Abrahamus, tanquam minister Dei, obedientia ejus summè prædicanda fuisset, etsi jure naturali, tanquam Pater & Dominus ab eo manum abstinere debuisset; cessare & suspendi ad tempus possunt patrum officia, manente tamen obligatione, quando sunt obeunda superioris Dei ministeria. Ægyptiorum vasa aurea abstulerunt secum Israëlitæ, non tanquam res alienas, sed tanquam suas, per Dei liberalitatem ipsis concessas: desierunt enim esse Ægyptiorum, & cæperunt esse Israëlitarum, eo ipso momento, quo à Deo jussi sunt auferre. 3. *Depositum repetenti reddere, est naturale: sed hoc jus interdum mutatur, neque enim gladius depositus & repetitus ad occidendum est reddendus. Ergo jus naturale quandoque mutari debet & potest.* Resp. Major conceditur, sed observatis certis circumstantiis & conditionibus, scilicet, ut redditio depositi sit tempestiva, ut non sit majoris mali causa: tum enim præstat depositi redditionem differre, quam intempestiva redditione deponenti & proximo innocenti nocere: quod faceret, qui depositum gladium furioso ad patrandum homicidium redderet; non igitur mutatur jus naturæ, quando depositi reddendi op-

di opportunitas exspectatur, & hac cautione atrocior juris naturalis violatio evitatur. Quę circa *jus*, aut *justitiam* institui possunt quæstiones aliæ, aut aliàs à nobis sunt excussæ, aut videri possunt apud *Authores* jam ante citatos *thes.* 1.

EXERCITATIONUM ETHICARUM SEXAGESIMA-TERTIA, ET ULTIMA,

DE

Quæstionibus quibusdam circa Amicitiam.

THESIS I.

POstquam circa virtutes omnes, generatim spectatas & speciatim, multis nunc *Exercitationibus Ethicis*, varias discussimus *quæstiones*, *casusque* decidimus *morales*, possemus hîc jam nunc illis imponere finem; quia tamen hasce *Exercitationes* destinavimus jam statim à principio, & instituimus quoque, tanquam ἀναστοιχὴν ad partem κατασκευαστικὴν, in *Collegio* nostro *Ethico*, olim traditam, atque ibi, post virtutum, rerumque omnium *Ethicarum*, explicationem, subjungitur & agmen claudit *ultima*, de *Amicitiâ*, instituta *Disputatio*, ne aliquid desit huic parti ἀναστοιχαστικῇ, quod repertum fuit in κατασκευῇ, & ut pars destruens *falsitatem* respondeat parti adstruenti *veritatem*, ac pari ambulent passu, etiam hac *Exercitatione* ultimâ, *quæstiones* quasdam movebimus, & *objectiones* removebimus, quæ circa *Amicitiam* institui possunt *Eustachius* quidem, *Raco*, *Conimbricenses*, aliique, eam tractationem in totum omittunt: alii tamen, ut *Casus*, *Timplerus*, *Kekkermannus*, & plerique, de ea circa finem *Ethices* nonnihil agere solent: & sequuntur in eo *Aristotelem*, qui *l.* 8. *Ethic. c.* 1. duabus probat rationibus, *Philosopho Morali* esse agendum de *Amicitia*. 1. Quia, aut virtus quædam est, inquit, aut cum virtute conjuncta. Et, si virtus non est, maximam tamen habet affinitatem ac cognationem cum virtute: & sanè, virtus in *Ethicâ* debet tradi completè secundum omnes suos modos, effectus, attributa, & consequentia: alioqui tractatio foret manca. Sed inter effecta & consequentia atque adjuncta virtutis, imprimis eminet *Amicitia*, quia est virtutum usus commodissimus & præcipua applicatio. 2 Quia ad omnem vitam bene beateque transigendam, amicitia maximopere est necessaria. De iis verò, quæ conferunt & faciunt ad beatitudinem, *Philosopho morali* est differendum. Quod verò ad beatitudinem faciat Amicitia, non quidem ut medium, sed ut usus & exercitatio medii moralis, *Aristoteles* probat omnium testimonio ac consensu, quia nemo sine amicis vivere cupit, & inductione, ab ætatibus & societatibus hominum, desumta. Opus est amicitia, ditioribus & potentioribus, 1. ad beneficentiam, quæ ad omnes quidem homines, sed maximè tamen ad amicos sese debet extendere, 2. ad custodiam rerum suarum; *Tantis parta malis, curâ majore, metuque, servantur: misera est magni custodia census*, cecinit *Iuvenalis*: opus est amicitiâ, pauperculis & calamitosis; his enim est in amicis perfugium. Opus est *Amicitiâ*, pueris & adolescentibus, scil. ad educationem & institutionem honestam, ne peccent. Opus est amici-

tia, senibus, ut auxilium ab amicis nanciscantur; & sic porrò. Solet vero doctrina *Amicitiæ* sequi doctrinam virtutum, partim, quia *Amicitia* est virtutum quoddam effectum, (causæ autem antecedunt in ordinata rei tractatione effectum) partim, quia Amicitia est usus & exercitatio virtutum: usus autem rei sequitur rem ipsam: &, priùs natura rei ipsius est discenda, quam praxis docenda.

II. Nunc ergo quæstiones varias promiscuè, ut sese offerent atque incident, dissolvamus. 1. Quæri potest. *An amicitia sit contrahenda cum paucis, an cum pluribus?* Resp. Cum paucis potius quam cum pluribus, quod multis rationibus probatum dari potest. Hoc unum sufficerit, quod in amicitia amicus amico placere studeat: at multis placere difficillimum est: *Ne Iupiter quidem omnibus placet*: &, qui omnibus placere studet, tandem nemini placet: qui omnium amicus esse cupit, tandem nullius est.

III. Quæritur. 2. *An indigentia rectè dicatur causa, saltem occasionalis, & impulsiva externa, Amicitiæ?* quod assertum est à nobis *Collegii Ethici Disputatione ultimâ* de *Amicitia, Thesi* 10. Resp. omnino, quod sic? si dicas, *quod privativum est & malum, nequit esse causa boni & positivi: atqui indigentia est quid privativum & malum, Amicitia est quid positivum & bonum Ergo &c.* Resp. Antecedens de causa rigidè sumta & Physica intelligi debere, quæ positivè per realem & Physicum influxum in esse causati influit, non de causa latè sumta ac morali, quæ qualemcunque occasionem ad causati productionem suppeditat: morbus movere potest ad quærendum Medicum, peccatum ad quærendum servatorem, &c. sic & Paupertas movet ad quærendos Amicos.

IV. Quæritur 3. *An cum dissensione in rebus fidei, vera Amicitia consistere possit?* Hæc quæstio multo est gravior & difficilior utrâque præcedenti. Negant hoc quidam, quod pectora religione divulsa firmiter conglutinari non possint, &, quod vera amicitia sit, quæ Christi glutine conjuncta, Dei timore & scripturæ studiis, concilietur; nec frater aut amicus esse possit, qui alio modo Deum, aut alium Deum, colit. Nos hic distinguimus, 1. inter amicitiam civilem & spiritualem: hæc diversa fide tollitur, illa non item. 2. inter ὁμόνοιαν & ὁμοδοξίαν. Illa in Amicitia morali requiritur, scil. ut amici sint ejusdem mentis, animi, cordis: hæc non item, scil. ut sint ejusdem, quoad dogmata fidei, opinionis. Diversitas fidei est diversitas sententiarum, non voluntatum; opinionum, non animorum. 3. Inter jus poli, seu numinis & soli seu civitatis. Jus poli, ejusque fraternitas, non consistit cum fundamentali dissensione fidei; jus soli ac civitatis, optimè. 4. Inter seductores & pertinaces fidei hostes, qui scientes volentes eam oppugnant, exagitant, blasphemant, & inter seductos atque infirmos, qui ex errore & infirmitate diversæ fidei assentiuntur, nec pertinaciter religionem veram oppugnant, multò minus blasphemant. Cum his amicitia civilis optimè consistit, salva fidei diversitate: & valet hic illud. Diversitas religionis non tollit vinculum humanitatis: & multa Christus ipse in Apostolis amicis suis, ex infirmitate errantibus, tulit: cum prioribus istis amicitia moralis vix contrahetur, contracta vix consistet.

V. Quæritur 4. *An Amicitia sit præferenda affinitati & cognationi sanguinis?* R. Ad illam quæstionem non aliter nisi cum distinctione responderi potest. 1. si paria fuerint amicorum & consanguineorum merita, i. e. Si consanguinei etiam amicorum præstant officia, consanguinei sunt præferendi, amicis tantùm. Ratio est, quia duo vincula, sanguis & amicitia, magis ligant, quam unum vinculum, sola amicitia. 2. Consanguinei non amici, i. e. non fungentes amicorum officio, præferendi tamen sunt amicis, quoad officia, naturam, & vitæ conservationem, spectantia. Ratio est, quia propter sanguinem magis juncti sumus fratribus & consanguineis, quam amicis sanguine nos non attingentibus: sunt enim consanguinei quasi partes naturales ejusdem corporis. 3. Amici non consanguinei præferendi sunt consanguineis non amicis, quoad officia & beneficia, honorem, vitæque moralis conservationem spectantia. Ratio est, quia fin-

singulis sua sunt tribuenda : ut naturalia debentur sanguini, ita honorifica debentur amico.

VI. *Et hoc quæritur commodissimè Vtrum in secundâ an in adversa fortuna magis egeamus amicis*, Resp. Et hîc distinctione est opus. 1. In adversâ constituti fortunâ magis egemus amicis, ut beneficia accipiamus; quia necessitas rerum, in quâ collocamur, nos præsidiis & auxiliis debitis privat, quæ ab amico suppleri possunt & præstari. 2. In prosperâ fortunâ magis indigemus amicis, ut beneficia demus: tum enim magis suppetit, unde amico benefaciamus.

VII. *An vitam amici teneamur præferre nostræ, & debeamus pro salute temporali ejus, certam subire & eligere mortem.* Resp. Affirmativam statuunt multi gentilium, inter alios *Seneca, Epist. 9.* At nos contrà negamus. Ratio est, quia quilibet sibi est proximus, & sibi maxime devinctus: & dilectio nostri est mensura dilectionis proximi: & lex naturæ est, ut unusquisque magis sui conservationem appetat, quam alterius: & neque in se habet quisque arbitrium vitæ ac necis, ut mortem subire pro amico possit, quotiescunque vult: sed hoc arbitrium solius est Dei. *Objici potest exemplum Servatoris nostri, qui non pro amicis solum, sed & pro inimicis mortem subiit, & ideo multo magis licet pro amicis.* Resp. Ab exemplo Christi ad nos non valet consequentia: quia Christus habuit arbitrium vitæ suæ necisque tanquam dux & princeps vitæ: Nos non habemus. Deinde, Christus sua morte æternam nobis vitam acquisivit, quam si quis morte sua temporali acquirere possit pariter amico, vel, si possit morte suacorporis ab amico avertere mortem animæ nihil faceret à ratione alienum aut illicitum, sed id, quod honestum est quam maxime & licitum, si mortem temporalem corporis in tali casu pro amico obeat. At verò, ut pro corporali vita amici servanda quis suam exponat, nemo tenetur; nec licitum censemus. *Objici quoque potest exemplum Mosis, qui propter populum Israëliticum voluit deleri de libro vitæ. Exod. 32. 32. & Pauli, qui pro fratribus suis anathema optavit fieri, ad Rom. 9. 3. Ergo, pro amico mortem subire alius amicus potest.* Resp. 1. *Moses & Paulus*, non pro corporali salute populi, aut fratrum, optarunt id, quod voverunt, sed pro salute æterna Israelis ac fratrum: at nostra sententia intelligenda est de temporali salute proximi & amici. 2. Non desunt, qui dicunt, votum *Pauli & Mosis* non fuisse satis consideratum, & utrumque, non tam spectasse, quid sit licitum & possibile, quam quid ardentissimus Deus dictaret. Sed vero ego illas responsiones non probo; neque turbato affectu hæc dixisse utrumque, puto, sed mente deliberata; verum utrumque utriusque dictum existimo capiundum, cum & sub conditione tacita, si fit possibile, si per justitiam & virtutem Dei possit fieri. *Sed urgent. Christus commendat Iohan 15. 13. tanquam maximi amoris indicium, si quis animam suam pro amicis ponat.* Resp. hoc intelligendum est pro amicorum salute æterna servanda, quo sensu admittimus: sed textus non dicit, id licere pro temporali vita amici servanda, quo casu illicitum pronuntiamus, nisi certa sit spes evadendi: at *instant, Ioh Epist. 1. cap. 3. 16. expresse dicitur, nos debere pro fratribus ponere animas.* Respond Id similiter intelligendum est de fratrum æterna salute promovenda. *Denique*, inquiunt, *laudantur, qui pro patriâ occumbunt, pro amicis.* Resp. Nulla est sequela: alia est ratio boni publici, alia privati: plus patriæ, quam amicis debemus: *pulchrum est pro patriâ mori*, non item pro amico.

VIII. *An in Amici gratiam quandoque sit delinquendum?* Respond. Quæstio hæc non est facti, sed juris: experientia docet, nimis quam sæpe ab amico pro amico delinqui. Sed quæritur, *an id liceat?* Resp. Non licere. *Nunquam enim faciendum malum, ut eveniat bonum*, nunquam honestas postponenda est amicitiæ: honestatem enim qui negligit, pietatem negligit & leges contemnit: at amicitia neutrum facit. In amici gratiam interdum quidem commoda nostra negligi possunt, & debent, quia facilis est bonorum fortunæ jactura: sed nunquam id agendum est pro amico, unde aliquid detrimenti patiatur honestas. Refert *Val. Max lib 6 c. 4.* insigne hujus ri exemplum in *Publio Rutilio*, cui, cum amici injustæ petitioni resisteret, amicus per summam dixit indigna-

gnationem, *Quid igitur mihi opus est amicitiâ tuâ, si, quod rogo, non facis?* imò respondit *Publius*, *Quid mihi opus est tua, si propter te inhonesti aliquid facere debeam?* Laudabilè profectò responsum, & ab animo profectum generoso, ac, qui rerum pretia, tum Amicitiæ, tum honestatis, jam pro merito æstimare didicerat. In quo dicto *Publii Rutilii*, *Exercitationem* hanc *ultimam* finio, & omnibus antè habitis finem impono. Deo sit laus qui ad finem nos pervenire permisit: in ejus gloriam omnia cedant. Amen.

FINIS.

COLLEGIUM ETHICUM.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM PRIMA, DE CONSTITUTIONE PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ.

THESIS I.

DIVINÆ imaginis tenues in homine post lapsum reliquiæ, &, quæ supereſt naturalis luminis exigua scintilla, inter ignorantiæ cineres micans, non tantum ad rerum contemplationem seſe extendit, sed & ad honesti inhonestique discrimina pertingit. Non tantum manſere in animis hominum, sapientiæ originalis, sed & justitiæ, igniculi, nec tantum universi naturam speculari, sed & debita erga Deum hominesque officia præstare, ipsa quidem nobis innata lex docet: Illa ergo insita nobis Philosophiæ rudimenta excoli & studio perfici, par est, quo magis ad Conditoris nostri imaginem accedamus. Cum igitur Philosophia theoretica pulcherrima variarum rerum cognitione animum exornet, sed secundum eam actiones nostras dirigere non doceat, ipsa luce meridiana clarius est, (a) *talem Philosophiam dari* debere, quæ mentem ea doctrina, quæ est de vitâ recte instituendâ secundum naturæ rationisque leges, imbuat. Theoretica enim Philosophia frustra foret, nisi practica quoque esſet, cui aliquo modo illa subordinatur. Hæc illa Philosophiæ pars est, quam, quod actiones nostras dirigat, Practicam vel Activam, quod περὶ ἠθῆ sive mores formet, Moralem sive Ethicam quidam vocant, licet hoc nomen aliis quandam ejus partem designet. Speculativa Philosophia intellectui speculativo, Practica practico ineſt: illa in veritatem investigandam tantum incumbens, hominem ad Dei notitiam pleniorem (utpote jam per naturam à nativitate ejus inchoatam) per creaturas deducit: hæc vero mortales, cognitum ex ratiocinatione diligenti Deum, jubet colere, venetari, adorare: illa, hominem sui cognitionem docet, mentisque humanæ qualemcunque cum Deo similitudinem, summa cum delectatione contemplatur, hæc vero, dirigere ejus actiones satagit, & viribus ejus jam exploratis, secundum eas, πρᾶξις suas instituendi modum, tradit. Hanc publicis disputationibus, Deo favente, proponemus; & quo melius ejus natura intelligatur, prima hac disputatione de ejus constitutione, quantum fieri potest, breviter & perspicue agemus.

(a) Ethicam dari & quidem distinctam à Theologia probatur ex principiis practicis sive notitiis boni & mali omnium hominum cordibus naturaliter insitis, quæ nihil sunt aliud, quam superstites quædam reliquiæ imaginis divinæ in homine, quas in se invenerunt gentiles scripturarum luce destituti, & ex quibus procuderunt præcepta de virtutibus exercendis & moribus honeste instituendis. Hæc Ethicam nobis faciunt ac constituunt. Præterea eam dari probatur à Philosophia Theoretica, quæ Deum docet cognoscere ex libro naturæ, non scripturæ, lumine naturæ, non gratiæ aut fidei, ac frustra id doceret nisi alia foret Philosophiæ pars, quæ exponeret Dei jam cogniti cultum ex lege naturæ, non revelatâ, quod facit Ethica dum explicat virtutes, docetque eas exercere, quibus exercitis Deus colitur.

Imago Dei, secundum quam conditus est homo, consistebat in sapientia, justitia & sanctita-

te; hæc per lapsum Adami multum fuit corrupta atque imminuta, non in totum sublata, ideoque remanserunt in hominis animo quædam reliquiæ sapientiæ primævæ circa verum & falsum, quæ vulgo principia Theoretica vocantur: & reliquiæ quædam justitiæ originalis circa bonum & malum, quæ vocantur principia practica; utraque dicuntur insita sive innata, quia horum principiorum notitia, non postea accedit institutione, sed ab ipsa nativitate omnium hominum animis est insculpta, non quod statim atque homo natus est in actum prorumpat, infans enim nihil novit, nec Deum, nec se, nec parentes, nec aliquid rerum, sed quod, cum in cordibus nostris lateat, adultiore ætate, quando rationis usus accedit, sese exerat, sine syllogismo aut demonstratione, quia hæc principia sola vocabulorum significatione percepta cognoscuntur: speciatim dicuntur principia practica, sive notitiæ naturales insitæ boni aut mali, lex naturæ, aut innata, quæ distinguitur à lege morali, quæ fuit revelata.

Quæcunque Disciplinæ distinguuntur per diversos considerandi modos, non sunt eædem: sed Ethica seu Doctrina Morum ac virtutum, prout illa cognoscitur naturali intellectus lumine ex principiis naturæ insitis, & Theologia seu Doctrina motum ac virtutum, prout illa cognoscitur supernaturali intellectus lumine ex verbo Dei, distinguuntur per diversos considerandi modos, ergo non sunt eædem; Major vera est, quia omnium Disciplinarum distinctio, à diverso considerandi modo, seu, ut alii loquuntur, objecto formali petitur; Minòr sic probatur: Naturale intellectus lumen vocatur ipsa intelligendi potentia, qua omnes homines sunt prædíti ex natura sua, & res intelligunt absque ulla revelatione, aut fide infusa, quæ vocatur supernaturale intellectus lumen, quia supra naturalem potentiam intelligendi illi superadditur: prius vocatur lumen Naturæ, estque omnibus hominibus commune: posterius vocatur lumen Gratiæ, & convenit solis Christianis, ac fidelibus, non item paganis, aut infidelibus: quantum verò differt lumen Naturæ à lumine Gratiæ, seu fidei, ratio à revelatione, tantum differt Ethica à Theologia. Porro principia naturæ insita dicuntur enunciationes quædam omnium hominum animis ab ipsa nativitate inscriptæ, atque insculptæ, vulgò communes notiones, per quas non quidem homo intelligit statim atque natus est, sed quas, simul, atque ad usum rationis pervenit, statim novit esse veras absque ulla institutione aut probatione, & ex quibus ratiocinando in aliarum rerum cognitionem devenit. Hæc principia sunt vel theoretica vel practica: Theoretica sunt, E. G. Idem potest esse, & non esse, Bis bina sunt quatuor, Totum majus est sua parte. Practica sunt, V. C. Deum cole, Parentes honora, Quod tibi non vis fieri id alteri ne feceris. Ex Principiis Theoreticis deducit mens conclusiones theoreticas, & deducitur in cognitionem rerum Physicarum, Metaphysicarum, & Mathematicarum. Ex principiis practicis deducit Ratio conclusiones practicas de rebus agendis, & deducitur in cognitionem rerum Ethicarum, Politicarum, & Oeconomicarum: sic intellectus hominis ex principio hoc, Quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris, varias deduxit leges, & Præcepta de virtutibus exercendis, & vitiis fugiendis. V. C. Quia nolo mihi eripi viram, aut bona, ratio mea infert, ergo nec ego alterius bona aut vitam etipere debeo; inde nata lex est, Non furaberis, Non occides, & nata virtus, Justitia, quæ docet suum cuique esse tribuendum & relinquendum, & Clementia, quæ docet iram esse moderandam, odium deponendum, cædem vitandam, ac sic procedit Ethica: at verò Theologia docet, non esse furandum, non esse occidendum, simpliciter, quia Deus id in Verbo suo & Lege morali per Mosen revelata utrumque prohibuit. Ex quibus omnibus patet, alio modo tradi Doctrinam Morum & virtutum in Ethica, & alio in Theologia.

II. Ut vero Philosophiæ Practicæ constitutionem distincte & methodice explicemus, duo capita examinanda nobis sunt, *definitio*, ejusque membra, & *divisio*. Definitur autem Philosophia Practica hoc modo: *Philosophia Practica est prudentia humanas actiones dirigens, ut in hac vita naturæ viribus homo beate vivat.* Hæc definitio genere & differentia, ab objecto, officio & fine desumpta, constat, de quibus singulis quædam dicemus.

III. *Genus* in definitione Philosophiæ practicæ positum, est *prudentia:* (*a*) cum enim *tres sint distincti habitus intellectuales*, scientia, prudentia, ars (intelligentia enim non habitus est, sed naturale lumen; & sapientia non est habitus ab arte, scientia, aut prudentia, diversus) ad unum ex illis tribus necessario revocari debet. Ex definitionibus autem scientiæ & artis, (*b*) *si stricte utraque sumatur*, ut sumi solet in Peripateticismo, liquido apparet, Philosophiam Practicam ad neutram revocari posse. Scientia enim omnis ad Philosophiam Speculativam pertinet, cum ergo Philosophia Practica distincta pars sit Philosophiæ, scientia dici nequit: deinde objectum scientiæ sunt res necessariæ, finisque nuda cognitio;

gnitio; at Philosophiæ Practicæ aliud objectum & finem esse mox apparebit. Quod quidam volunt hanc Philosophiæ partem esse scientiam, ut loquuntur, practicam, ne speciem quidem veritatis præ se fert: aperta enim contradictio in verbis est; & dum hanc Philosophiam scientiam esse dicunt, addita voce *practica*, se ipsos refellunt. Ars autem esse nequit Philosophia practica, quia non circa ποιήσις, sed circa πράξις occupata est, ut statim dicetur. Nonnulli conantur probare Philosophiam Practicam non esse prudentiam hoc argumento, quod prudentia cum virtute necessario sit conjuncta, Ethica vero non item, sed quod ea etiam in homines pessimos cadat. Resp. Verum illud est, prudentiam cum virtute necessario esse conjunctam, ideoque Ethicam, cum sit prudentia, necessario quoque virtute comitatam esse debere; & per consequens eam non cadere in homines improbos: quamvis enim qualiscunque præceptorum moralium cognitio in improbis reperiatur, non tamen Ethica reperitur: nam ista præceptorum cognitio in hominibus malis Ethica dici nequit, quia Ethicæ definitio ei non convenit; Nam Ethicæ attributa essentialia ei non conveniunt; à quibus definitio desumpta est.

(a) Ratio, ob quam tres tantum sunt ponendi habitus intellectuales & non quinque, hæc est, quia triplex tantum est objectum circa quod cognoscendum eget aliqua facilitatione intellectus hominis; nempe vel est objectum θεωρητὸν tantum, vel πρακτὸν, vel ποιητὸν, id est, objectum intellectui humano venit vel cognoscendum tantum, & circa id adjuvatur habitu intellectuali scientiæ, vel objicitur non tantum cognoscendum, sed & agendum aut faciendum, differunt autem actio & effectio, πρᾶξις & ποίησις, quod actio seu πρᾶξις agentem denominet bonum vel malum, effectio seu ποίησις eum denominet peritum vel imperitum: circa cognoscendum objectum πρακτὸν seu agibile, juvatur intellectus à prudentia; circa objectum cognoscendum ποιητὸν effectibile, perficitur intellectus ab arte: intelligentia autem non est habitus, quia versatur circa prima principia, tum theoretica, tum practica, ut sunt, Totum est majus sua parte, &, Deum cole, &c. ad quorum cognitionem & assensum intellectus nulla eget facilitatione, consequenter nullo habitu, qui facilitatem inducat; quia ista principia ex sola vocabulorum cognitione accepta cognoscuntur: sapientia vero non est habitus distinctus, sed ex scientia & intelligentia compositus.

Habitus intellectuales dicuntur qualitates quædam, quæ intellectui adveniunt per frequentes intelligendi actiones, quibus ad facilius intelligendum disponitur, ac juvatur, suntque tres; SCIENTIA, qua facile intelligit res necessarias, earumque veritatem; PRUDENTIA, qua facile intelligit res morales, & civiles, actiones bonas & malas, & quid sit faciendum, & quid sit fugiendum; ARS, qua facile intelligit res artificiales, & quomodo opera artificiosa, & secundum quas regulas, debeant produci. Ethica est Prudentia, quia intellectum juvat in facile cognoscendis actionibus bonis ac malis, virtutibus ac vitiis.

(b) Scientia sumitur stricte, cum significat cognitionem rei necessariæ per causam proximam; estque tum effectum demonstrationis: sumitur late, pro qualibet cognitione quocunque modo & medio accepta; Ars sumitur stricte, cum sumitur pro habitu cum recta ratione effectivo; late, cum sumitur pro congerie præceptorum recta methodo dispositorum.

IV. Sequitur *differentia* Philosophiæ Practicæ, quæ, uti diximus, *ab objecto, officio & fine desumpta est.* Objectum & officium simul explicabimus. *Objectum* sive *subjectum*, operationis, sc. non *considerationis*, seu potius, *contemplationis* (hoc enim, si proprie sumatur, ad scientias tantum pertinet) in Philosophia practica est, tum ipse intellectus practicus, tum ejus actiones, circa quod objectum Philosophia practica dirigendo versatur, quod ejus *officium* est: (a) intellectum practicum dirigit Philosophia practica *subjective*, actiones vero intellectus practici dirigit *objective*. Intellectus enim practicus duplici imbecillitate laborat: (b) *nam sæpe male de rebus judicium absolutum fert*, quando judicat bonum esse malum, & contra; sæpius à recto absoluto judicio, reluctante affectuum impetu, discedit, & extra honestatis limites exorbitans, ignobili socordia se passionibus subjicit, quas domare, domitisque imperare, deberet. Huic duplici imbecillitati hæc Philosophiæ pars practica medetur: nam, quod ad primam attinet,

net, intellectum practicum doctrina præceptisque imbuit, & eum ita fingit ac format, ut in judicando à recto tramite nusquam aberret: Quod ad secundam, eadem ita intellectum confirmat, ut postquam in thesi, id est, universalitet, generatim, bene de rebus judicavit, vel statim idem in hypothesi, i.e. particulariter & in specie, ferat judicium; vel si quæ oriatur animi fluctuatio ac dubitatio propter appetitus sensitivi contumaciam, non tamen cedat affectibus, sed post difficilem luctam ac pugnam, victor tamen evadat, & turpes istos motus rectæ rationis imperio subjiciat.

(a) Ethica dirigit intellectum practicum subjective, quia ipsi intellectui practico inest, tanquam subjecto; est enim habitus intellectualis, non quidem speculativus, sed practicus, quia est prudentia; actiones intellectus practici, dirigit objective, quia hæ sunt objectum circa quod Ethica occupatur; hoc enim agit Ethica, ut intellectus practicus bene consultet, deliberet, judicet, discernat, decernat, & cætera, quæ sunt actiones ejus.

Illud dicitur dirigi subjectivè à Philosophia practica, cui illa inest, illud verò objectivè, circa quod, ipsum dirigendo, occupatur; unde subjectum Ethicæ, cui inest, est intellectus practicus, objectum vero, quod dirigit, sunt ejus actiones. Intellectus practicus dicitur, qui & quando versatur in cognoscendis & judicandis rebus & actionibus bonis vel malis, sicuti Theoreticus dicitur, qui & quando occupatur in intelligenda & judicanda rerum veritate vel falsitate: Actiones Intellectus practici, quas Ethica dirigit, sunt judicia ab intellectu lata, de bonitate vel malitia rerum & actionum humanarum. In hisce judiciis ferendis, quia intellectus sæpe aberrat, eget directione, & prout hæc judicia sunt vel absoluta vel comparata, ita aberrat intellectus practicus gemino modo: nam interdum absolutè simpliciterque judicat esse bonum quod est malum, & contrà, interdum postquam aliquid quidem judicavit esse bonum absolute & simpliciter, idem tamen, ut malum judicat judicio comparato expensis omnibus circumstantiis singularibus: ita fur aliquis simpliciter quidem & absolute judicat furari esse malum, at cum respicit expletionem suæ libidinis aut voluptatis, quam non potest explere, nisi per bona aliena, & considerat Possessorem abesse, aut occasionem sibi natam bona ejus clanculum auferendi, hisce aliisque circumstantiis expensis, quod judicabat absolutè esse malum, V. C. *furari*, quia erat vetitum, idem tamen judicio nunc comparato judicat esse bonum, quia furatur ut illud sit medium & bonum utile explendæ libidini aut voluptati. In utroque judicio ferendo, ut illud sit rectum, intellectum Practicum dirigit Ethica, hunc subjectivè, & ipsa judicia objectivè.

(b) Quod fit, cum simpliciter judicat esse bonum, quod est malum, qui crassus est & supinus error; sed cum novit quidem quid sit bonum simpliciter, quid malum, & tamen malum pro bono eligit vi affectuum abreptus, error est judicii comparati, non absoluti.

V. Philosophia Practica intellectum, sc. practicum, ejusque actiones, i. e. judicia, non frustra, sed propter finem aliquem dirigit, qui vel subordinatus vel ultimus est in hac vita. Finis ejus subordinatus est (a) πρᾶξις ex rectæ rationis præscripto exercita. *Finis ultimus* Philosophiæ practicæ est *summum bonum* seu beatitudo, ad quam omnes suas actiones mortales dirigunt, & in quam indesinenter feruntur. (b) *Non enim appetitus noster circa summum bonum indifferens est, sive quoad actus exercitium* (ut barbare cum Scholasticis loquamur) *sive quoad specificationem*, sed ab eo determinatur (c) *necessario*, *& tamen liberrime* beatitudinem expetit & desiderat. Cætetum (d) *beatitudo*, vel *objectiva* est, vel *formalis*: hæc est actus, quem circa summum bonum exercemus; illa est actus istius objectum. Videndum igitut, quænam sit beatitudo objectiva, quæ finis πράξεων nostrarum esse debet, & circa quam actus ille, in quo formalis beatitas consistit, est exercendus.

(a) Πρᾶξις significat in Philosophia morali, actionem imperatam facultatis inferioris, animæ sensitivæ aut vegetantis, in quantum subest imperio facultatis superioris, intellectus aut voluntatis, quæ facultas utraque dicitur superior, quia est animæ rationalis, quæ sane longe superior ac longe nobilior est sentiente & vegetante.

Πρᾶξις Latinè dicitur *Actio*, non quævis, sed humana, imo non quælibet hominis actio, sed illa, quæ producitur ex intellectus & voluntatis imperio ob quam homo dicitur bonus aut malus, ideoque nutritio & accretio, quamvis sint actiones hominis, qui crescit & nutritus, non sunt tamen actiones humanæ, quia non producuntur ab homine per

per imperium intellectus practici, & voluntatis, neque enim homo, aut crescit aut nutritur, cum vult aut judicat sibi esse crescendum vel se nutriendum, sed actiones videndi, incedendi, loquendi, gaudendi, tristandi, amandi, metuendi & irascendi &c. sunt actiones humanæ, quia nemo illas exerit, nisi quia vult & judicat illas esse faciendas, atque hæ similesque dicuntur πράξεις, vel Actiones imperatæ, quia ex imperio voluntatis & intellectus judicantis producuntur, atque ab illis aliquis dicitur bonus vel malus, prout hic sequitur præscriptum intellectus rectè judicantis vel pravè.

Finis ultimus, & summum bonum, ambo intelliguntur de hac vita, hoc est, quem finem, & quod bonum obtinere possint homines dum vivunt, & utrumque acquirere valent naturæ viribus.

(*b*) Dicitur appetitus indifferens, quoad actus exercitium seu quoad contradictionem, quatenus potest appetere vel non appetere; quoad specificationem aut contrarietatem, quatenus potest appetere vel odisse; nam appetere & non appetere, opponuntur contradictorie; appetere & odisse, contrarie.

Indifferens dicitur, quoad actus exercitium, quod potest agere, & non agere, quoad specificationem, quod potest agere hoc vel illud: neutro modo, appetitus indifferens est circa summum bonum, nam nullus hominum est, ne improbissimus quidem, qui non velit esse beatus, aut qui aliud potest appetere quam summum bonum: hæc necessitas appetendi summum bonum est ab ipsa natura hominis, Deus enim homini indidit istam inclinationem, qua non potest non ferri in summum bonum appetendo, qui sane appetitus frustra foret nisi summum bonum daretur; atqui Deus & natura nihil frustra faciunt.

(*c*) Hinc liquet non omnem necessitatem pugnare cum libertate; sane necessario appetitur summum bonum, quia, ubi fuerit perceptum ab intellectu, ita trahit voluntatem, ut illa non possit non ferri in illud, atque hoc adeo verum est, ut nullus, ne quidem nequissimorum hominum, imo nec ipse diabolus, non appetat necessario summum bonum; & tamen cum appetitus noster illud appetit, appetit libere, quia tum aliqua actio fit libere, quando fit ex voluntatis imperio & prævio rationis judicio, atqui utrumque hic fit; appetimus, quamvis necessario, summum bonum, quia volumus & judicamus esse appetendum.

(*d*) *Beatitudo* objectiva dicitur illa res, quæ non beat, & felices reddit, *formalis* dicitur illa actio, qua id, quod nos beat, sit nostrum, & nobis applicatur.

VI. (*a*) *Hic quidem statuendum est*, beatitudinem objectivam debere esse finem absolute ultimum & nulli alteri subordinatum, infinitæ bonitatis, summe necessarium, immutabilem, æternum, immensum, qui sit causa efficiens rerum omnium, à quo omnia simul sunt, & in quem omnia tendant. Summus enim si non sit, dabitur alter finis eo superior, & sic summi boni nomine erit indignus, utpote cum sit bonum subordinatum: ut autem summus finis sit, infinitæ bonitatis esse debet, ut sistere queat appetitum, animumque in summo felicitatis gradu constitutum, pulcherrima sui fruitione occupatum, detineat. (*b*) *Voluntas enim bono aliquo finito* non satiatur, & quamvis cuncta per multorum finium subordinationem ad finem ultimum tendant, illa tamen sola immediate summum finem desiderat, appetit, intendit. Porro ne in ancipitis boni possessione parum felices sint mortales, interque spem & metum in dubio sit animus, beatitudo hæc objectiva, ens summe necessarium, immutabile, immensum, &c. esse debet: & quoniam nullus alius absolute ultimus finis esse potest, nisi qui rerum omnium sit causa efficiens (uterque enim infinitus esse debet, nec præter unum infinitum, aliud ullum datur) recte illud summum bonum vocamus, à quo & propter quod sunt omnia. His igitur summi boni requisitis observatis, totam entium classem perlustremus, quæramusque tale ens, cui omnia hæc ante citata attributa exacte conveniant. Certe, nullum aliud reperire erit, nisi ipsum *Deum ter Opt. Max.* reverendum illud & colendum numen, qui totius mundi rerumque omnium causa procreans & conservans est, qui omnia ad gloriam suam, æterna sua providentia, decreto immutabili, dirigit ac refert.

(*a*) Finis & bonum reciprocantur, scilicet hoc sensu; omne bonum, sive verum, sive apparens, est finis, sive ultimus, sive subordinatus; & omnis finis, tum ultimus, tum subordinatus, est bonus, vel vere, vel apparenter; aut etiam, omnis finis est bonum, vel honestum, vel utile, vel jucundum,

cundum, & omne bonum vel honestum, vel utile, vel jucundum, est finis, vel ultimus, vel subordinatus, qui vulgo una voce vocatur medium; hic quæritur finis ultimus, & bonum verum, ac honestum.

(b) *Voluntas* sive *appetitus* hominis dicitur infinitus objectivè, quia nulla res creata, etiamsi omnes ei sistantur, desiderium ejus explet; est tamen finitus subjective, quia est facultas, aut potentia hominis, qui est creatura finita: solum autem summum bonum est infinitæ bonitatis, ideoque aptum, ut satisfaciat appetitui nostro infinito, estque solus Deus, qui finis est ultimus, quia omnia fecit propter se, & omnia sunt propter ipsum. Si dicas, in hac vita Deum ut summum bonum possideri non posse, Resp. omnino posse, nam qui Deum naturæ lumine cognoscit, & cognitum ex naturæ lege colit, is Deum tanquam summum bonum possidet, atque utrumque ab homine fieri potest in hac vita naturæ viribus, citra fidem aut revelationem, & factum est à Gentilibus.

Voluntas humana vulgo dicitur finita subjective, & infinita objective; sensus est, quod sit facultas subjecti finiti, puta, animæ rationalis, sed quod in appetendo, nullis certis objectis astringatur, nullis finibus coërceatur, sed in infinitum quasi abeat omnia appetendo; hæc causa est, cur nullum ens finitum sit vera beatitudo objectiva, quia infinito appetitui satisfacere nequit, quem explet solus Deus, qui, quia est infinitæ bonitatis, solus voluntatem in infinita sua appetitione satiat.

VII. His sic explicatis, removemus hinc omnia boni simulachra vetius, quam bona, quæ multi mortales pro actionum suarum finibus sunt amplexi: Epicureorum voluptatem corpoream (si sic eorum sententiam explicare licet) Stoicorum habitus virtutum, Petipateticorum actiones virtutum, denique corporis & fortunæ bona, quæ ἐφ' ἡμῖν, i. e. in nostra potestate non sunt, pro summo bono seu beatitudine objectiva haberi posse pernegamus, sive quodlibet eorum seorsim, sive omnia aut pleraque simul, sumas. Qui enim in his rebus felicitatem consistere contendunt, illi ex creatura Deum faciunt, & creatori debitum honorem, virtuti aut extetnis bonis adscribunt: hæc temeritas, ne impietatem eam vocem, in Ethnicis toletari non posset, & nihilominus tamen eam Christiani, pet avia Paganismi Gentiles secuti, astruunt ac defendunt. Tota rerum universitas Deum pto fine summo, *assimulationis* non *indigentiæ*, habet, etiam minutissima & vilissima quæque naturæ effecta propter Dei sanctissimi gloriam operantur, & interim homo, qui totum universum dignitate superat, totiusque orbis mirabile compendium est, nihil nisi divitias, honores, aut, si paulo generosior est, virtutem affectabit? Huc accedit, quod tes aliæ omnes non nisi per hominem ad Deum tendant, priusquam in hominem, & eo mediante in Deum fetantut. (a) Denique non frustra est illa naturalis, partim *insita*, *partim acquisita Dei* notitia, sed ad ulteriorem aliquem finem referti debet, qui non alius est, quam ipse Deus. Si quis quærat, quid de virtute & bonis externis sentiamus? Resp. virtutem esse medium, ad summum bonum obtinendum, simpliciter necessarium. (b) *Bona* externa medii quoque rationem habere possunt respectu summi boni, non tamen ad illud simpliciter necessaria sunt, nec ad τὸ esse, sed tantum ad τὸ bene esse.

(a) Notitia Dei insita dicitur, quæ insculpta est omnium hominum cordibus, in ipsa nativitate, unde vocatur innata, non quod se statim exserat, atque homo nascitur, sed, quod, cum ibi sit, postea sese exserat sponte sua, absque molestia aut probatione ulla, cum homo ad rationis usum pervenit, estque nihil aliud, quam testimonium conscientiæ uniuscujusque de Deo. Acquisita notitia Dei est, quæ per terminos medios desumtos à rebus creatis, & per syllogismos ac probationes, acquiritur; utraque naturalis est: quia neutra est per revelationem, aut hausta ex verbo Dei, quæ notitia Dei dicitur revelata.

Notitia insita dicitur, qua Deum cognoscimus ex nobis ipsis, seu ex Idea Dei, omnium hominum animis innata, seu ex Conscientiæ testimonio. Acquisita dicitur, qua Deum cognoscimus ex rebus creatis extra nos positis in toto mundo; illa dicitur Dei notitia subjectiva, hæc objectiva, quia illa ex ipso homine eruitur in quo est, hæc acquiritur ex objectis, sc. rebus visibilibus extra homines collocatis.

(b) Bona sunt vel interna, vel externa. Interna dicuntur, quæ intra hominem sunt, suntque vel animi, ut *Virtus*, vel corporis, ut *Sanitas*: Externa vocantur, quæ extra hominem sunt, & vulgo vocantur bona fortunæ, ut *Divitiæ*, *honores*: hæc non faciunt ad summi boni acquisitionem aut possessionem simpliciter, sed ad illud acquirendum & possidendum facilius.

VIII. Bea-

VIII. Beatitudo formalis, sive actus, quem homo circa beatitudinem objectivam exercere debet, necessario est operatio animi præstantissima, quæ procul dubio est, Dei glorificatio, quatenus illa ab homine, in naturali statu, spectato, Deo tribui potest & debet. Nam nuda theoria & otiosa speculatio hic non sufficit, sed requiritur præterea aliqua praxis, cum creaturarum omnium sit, Deum creatorem suum celebrare. Ideoque Apostolus gentes ἀναπολογήτους esse dicit, διότι γνόντες τὸν θεὸν, οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν, ἢ ηὐχαρίστησαν. Utraque hæc, tum objectiva, tum formalis beatitudo, integram hominis felicitatem constituit, & unius finis rationem habet. Ad finem autem hunc obtinendum necessaria conditio est ejus notitia, quæ conditio quoque in *omni fine locum habet:* (a) finem igitur hunc cognoscere nos oportet priusquam eum acquirere possimus. Hinc sequitur Philosophiam Theoreticam à Practica præsupponi, & hanc illa tanto nobiliorem esse, quanto nuda cognitione actio & operatio præstat. Porro, *ubinam* & *quomodo* iste finis obtineatur per Philosophiam Practicam, circumstantia in definitione addita indicat, sc. *in hac vita & naturæ viribus:* ad futuram enim vitam media, quæ hæc Philosophia præscribit, non pertingunt; & bonum supernaturale ad Philosophiam non pertinet.

(a) Omnis finis necesse est, ut præcognoscatur antequam appeti valeat, non tamen necesse est ut semper præcognoscatur ab eo agente, quod finem appetit; nam res inanimatæ & plantæ ob finem agunt cognitum, non quidem à se, quia ratione carent ac sensu, sed à Deo, qui illas dirigit in finem illis à se præstitutum; bruta agunt propter finem à se cognitum, sed sensu tantum; homines agunt propter finem à se cognitum, sed ratione.

IX. *Fine* jam explicato ad *media* veniendum est, quibus hæc felicitas acquiri potest, & ad præcepta, quibus doctrina de hisce mediis traditur. Quoniam vero non unius generis ista doctrina est, ad Philosophiæ Practicæ constitutionem quoque pertinet *divisio:* quam omnium optime instituisse videtur *Picolomineus introd. ad decem grad. civil. Phil. c.* 8. Hunc igitur secuti in duas partes hanc Philosophiam secamus, alteram generalem, quam Ethicam stricte dictam vulgo vocant (Ethica enim late sumpta totam Philosophiam Practicam nonnullis comprehendit) alteram specialem, quæ in Oeconomicam & Politicam subdividitur. Ethica, seu pars ista generalis generalia præcepta tradit, & certo vitæ generi non astricta: pars specialis generalia ista præcepta restringit, applicatque ad certa subjecta, atque ita mores hominis dirigit, quatenus ille alicujus societatis membrum est. Est enim homo natura πολιτικὸν ζῶον, ut recte ait Aristoteles: quare hominem agere vitam monasticam non decet, nisi ipsius naturæ legi & sapientissimo Dei instituto, qui sociabilitatem hominum animis insevit, se opponere velit. Cum ergo omne vitæ humanæ genus, quod naturæ Philosophiæque præceptis sit conveniens, in hominum societate degendum sit, cumque societas illa sit duplex, familia & respublica; sequitur, specialem Philosophiæ moralis partem, quæ vitam hominis, ut in societate aliqua degitur, spectat, bimembrem esse; ut una pars bene instituendæ vitæ in familia, altera in republica, regulas doceat: illam Oeconomicam, hanc Politicam vocant. Totam Philosophiam Practicam, tum generalem, tum specialem, sequentibus disputationibus (si visum fuerit *Deo ter opt. Max.*) absolvemus: in qua pertractanda tantam servabimus ἀκρίβειαν, quantam ipsa Philosophiæ Practicæ natura permittit: in ea enim aut nullæ sunt demonstrationes, aut saltem minus accuratæ.

DISPU-

DISPUTATIONUM PRACTICARUM SECUNDA.

DE SUMMO BONO.

THESIS I.

PHilosophiæ practicæ definitionem ac divisionem prima exposuit disputatio, atque in definitione explicanda per partes, præter objectum, finem quoque proposuit, qui subordinatus, fuit πρόξις, ultimus, summum bonum seu beatitudo, in quam πρόξις tendunr: Hæc *beatitudo* divisa fuit *in objectivam & formalem:* illa, est ipsum objectum, quod hominem beat, hæc, acquisitio objecti, quæ est operatio, qua objecto beanti homo conjungitur: beatitudinem objectivam, non esse divitias, non honores, non voluptatem, sive animi, sive corporis, non virtutem, sive ut habitum, sive ut actionem, consideratam, istac disputatione fuit indicatum, ac, quæ randem sit objectiva hæc beatitudo, quæ item formalis, obiter fuit significatum: verum quia potissima ratio habenda est finis in Philosophia practica, utpote qui veluti Pharos quædam est illustris, ad quem media per totam Philosophiam practicam explicanda tendunt & nos quoque disputationum nostrarum cursum dirigemus, paulo plenius de hoc fine ultimo & summo bono agendum est; hæc enim summi boni ac beatitudinis accuratior explicatio, & operam nostram meretur, & sequentibus non exiguam lucem affundet.

II. Ante omnia notandum hic est, beatitudinem non fuisse à nobis divisam disputatione superiori in objectivam & formalem, tanquam in duas partes logicas sive (*a*) *species*, quarum utraque quædam sit per se integra & totalis beatitudo, sed tanquam in duas partes essentiales aut potius integrales unius totalis beatitudinis, quæ ex utraque integratur: quod ipsum quoque annotavit de divisione finis in objectivum & formalem, *Suarez. in disp. Met. 23. sect. 2. num.* 12. enimvero, sicut finis objectivus non potest esse nobis bonus, nisi sit à nobis per aliquam operationem acquisitus; & iccirco ex ipso & acquisitione ejus componitur & integratur unus finis totalis, ad quem intentio agentis adæquate terminatur, & propter quem adæquate operatur (avarus enim non intendit pecuniam absolute, sed ut à se possessam) ita etiam beatitudo objectiva (nimirum Deus, quod postea demonstrabimus) non potest nos beare, nisi nobis per formalem beatitudinem conjungatur; unde ex utraque integratur totalis quædam beatitudo (nempe Deus, ut Scholastici sentiunt, visus, ut nos explicabimus postea, glorificatus) & hanc beatitudinem adæquare appetimus. Nam utraque hæc beatitudinis pars, & objectum quod beat, & actus quo beamur, ita sese habet, ut neutra sine altera possit beare: Coincidit cum hac divisione nunc explicata, divisio in beatitudinem *cujus*, & beatitudinem *qua*, sicut eam usurpat & sic loquitur, *Thom. Aquinas in pr. sec. quæst.* 1. *art.* 8. sed melius loquuntur ejus Commentatores, qui priorem beatitudinem appellant *quæ*, posteriorem *qua*. Utraque *beatitudo*, tum *objectiva* sive *quæ*, & *formalis* sive *qua*, vera est beatitudo: sicut tam finis objectivus quam formalis veram habet rationem finis: ac Deus quidem, qui est beatitudo objectiva, cum sit summum nostrum bonum, finisque ultimus, non potest non habere veram & propriam rationem beatitudinis: acquisitio autem summi boni finisque ultimi, quæ est beatitudo formalis, veram tenet ac propriam beatitudinis rationem, quia summum bonum non habet rationem beatitudinis nisi fiat bonum proprium ejus, qui beatur: interim fatemur, rationem beatitudinis prius convenire objectivæ, posterius formali beatitudini, quia ratio bonitatis

bonitatis & appetibilitatis, quæ reperitur in formali, derivatur ex objectiva: nec enim visio Dei, aut glorificatio potius, haberet rationem beatitudinis, nisi Deus esset nostra beatitudo: quemadmodum enim avarus non appeteret possessionem pecuniæ, nisi appeteret ipsam pecuniam; ita homo non appeteret visionem aut glorificationem Dei, nisi appeteret ipsum Deum.

(a) Cum genus dividitur in species, tota natura generis in unaquaque reperitur specie, sic tota natura Animalis reperitur in Homine, tota in Bruto: at cum integrum dividitur in membra, non reperitur tota natura integri in unoquoque membro, nam tota natura corporis non reperitur in capite, nec in pectore, nec in pedibus, aut ulla sui parte, sed ut corpus sit totum oportet omnia membra concurrere; atque posteriori modo dividitur Beatitudo in objectivam, & formalem; nam non repetitur tota Beatitudo in objectiva, nec tota in formali, sed, partim in hac, partim in illa, & ambæ debent concurrere ad beatitudinem totam & integram constituendam.

III. Antequam, quæ sit beatitudo objectiva ac formalis, plenius explicemus, tenenda hic est primum alia quædam beatitudinis divisio, in *naturalem* & *supernaturalem*: natutalis est, quæ est proportionata humanæ naturæ, ad quam homo pervenire potest per sua naturalia dona: supernaturalis est, quæ humanam naturam excedit, unde nec ad eam perveniri potest, nisi humana natura divinitus dono gratiæ supernaturalis elevetur. Dari natutalem beatitudinem commensutatam naturæ humanæ, satis arguunt tot Ethnicorum de summo bono opiniones; nam illi in illud non tam serio inquisivissent, nisi esse existimassent: at de supernaturali bono, illi ne somniare quidem potuerunt. (a) Nos impræsentiarum *de supernaturali beatitudine* non agimus, quam Theologis relinquimus, sed de *naturali*: & non est, quod quis miretur, Deum visum aut glorificatum, dici beatitudinem naturalem, quia Deus dicitur (b) *beatitudo naturalis* non ratione objecti, (Deus enim revera est ens supernaturale) sed ratione modi, quo acquititur beatitudo seu summum bonum, (c) *in quantum natura viribus sine auxilio gratiæ aut doni supernaturalis possidetur.* Solet etiam beatitudo dividi in *perfectam* & *imperfectam*: quæ divisio si omnem beatitudinem adæquate dividat, potest naturalis beatitudo, quæ solo auxilio naturæ comparatur, imperfecta dici, ratione beatitudinis supernaturalis, quæ, quia auxilio gratiæ habetur, perfectior est: interim tamen hæc ipsa, quæ perfecta est ratione beatitudinis naturalis, subdividi potest in perfectam & imperfectam, quatenus ex parte tantum possidetur in viâ, id est, in hac vita, plene in Patriâ, i. e. in futura vita. Est & alia quædam beatitudinis divisio in *speculativam* & *practicam*, quarum illa consistit in contemplatione, hæc in glorificatione Dei; sed illa est potius beatitudinis formalis subdivisio: quate hic non latius exponenda, & satis etiam exposita est *cap. 4. Eth. Burgersd.* Ergo, quænam sit beatitudo objectiva naturalis atque imperfecta ex parte modi possidendi, & in quo consistat, porro videndum est.

(a) Beatitudo supernaturalis consistit in cognitione & cultu Dei, profectis ex fide secundum verbum Dei; fides enim includit cognitionem & assensum quæ sunt rationis, & fiduciam seu acquiescentiam, quæ est voluntaris: neutra, nec fiducia nec cognitio, acquiritur lumine naturæ, sed gratiæ ac revelationis; ideoque beatitudo supernaturalis non potest ab omnibus possideri hominibus, sed tantum ab iis, quibus verbum Dei est revelatum, & fides data; estque hæc beatitudo salutaris, sive ad salutem æternam in patria seu vita futura: sed beatitudo naturalis consistit in cognitione & cultu Dei, acceptis ex libro naturæ, per lumen naturæ, ac ratiocinationis, factæ ex principiis practicis innatis, non acquisitis, per fidem à Deo infusam, & hæc beatitudo, non est propria quibusdam, sed communis omnibus hominibus, estque non salutaris & obtinetur in via, id est, in hac vita nostra, dum versamur in terris, ac cum morte desinit.

(b) *Beatitudo* hujus vitæ, & naturalis, non est salutaris, id est, non facit hominem participem vitæ æternæ: at *Beatitudo* vitæ futuræ & supernaturalis hominem salutis æternæ participem reddit.

(c) Deus possidetur naturæ viribus, quando absque revelatione ex verbo Dei, absque gratia speciali aut fide donata, cognoscitur per solam naturalem intellectus nostri ratiocinationem ex rebus creatis, quas contemplando deducitur intellectus in cognitionem sapientiæ, potentiæ & bonitatis divinæ, atq; adeo ipsius Dei: præterea, Deus, quando colitur

tut non ſecundum legem moralem revelatam aut præſcriptum literarum ſacrarum, ſed ſecundum legem naturalem, omnium hominum cordibus inſcriptam, & præſcriptum intellectus naturalis, ejuſque dictamen, quod judicavit per concluſiones ex principiis practicis illatas, coli ſolet.

IV. De re, quæ nos reddit felices in hac vita, beatitudine objectivâ, variæ fuerunt Philoſophorum opiniones: nec enim alia de re apud Philoſophos tantâ ſententiarum varietate unquam certatum fuit, ut de hominis quidem felicitate. Magnus ille *Auguſtinus l. 19. de Civ. Dei, c. 1.* citat *Varronem*, ducentas & octuaginta octo Philoſophorum ſententias colligentem de hoc negotio. Multa de eo ſcribit *Ariſt. 1. & 10. Ethic. ad Nicom. 1. & 2. Ethic. ad Eudem. 7. Polit.* & alibi. *Cicero in Tuſc. quæſt. de fin. bon. & mal. & Paradox. Seneca de Vita beata.* Nos miſſis auctoritatibus rem ipſam ſpectabimus. *Beatitudo objectiva*, idem eſt, quod *objectum quod nos beat:* eſtque *ultimus finis* & *ſummum* hominis in hâc vitâ *bonum*, quod eo ipſo, quod eſt ſummum bonum, eſt bonum *perfectum* & *ſufficiens:* perfectum quidem, quia omnia propter ipſum, ipſum autem propter nullum eſt: ſufficiens, quia ipſum ſolum ſi habeatur, facit vitam ratione ſui eligibilem, & nullius alterius indigentem: itaque Beatitudo objectiva conſiſtit in ſtatu omnium bonorum aggregatione affluente: ac licet omnia bonorum genera in ſtatu beatitudinis inveniantur, in uno tamen, ſc. bono animi, (*a*) *eſſentialiter* tantum conſiſtit, cætera, ſc. bona fortunæ aut corporis, illi adjacent, vel tanquam proprietates ab eo manantes, vel tanquam adjumenta & inſtrumenta ſecundum debitum decentiæ, i. e. decorum, requiſita, quaſi cætera bona debeantur poſſidenti bonum illud optimum: quod quid ſit tandem, diſtincte inquiremus. (*b*) *Bonum* eſt vel *increatum*, vel *creatum:* creatum eſt, vel *internum* homini, vel *externum:* internum, vel *ad animum* pertinet, vel *ad corpus.* Quæritur jam, an *beatitudo objectiva, i. e. res qua nos beat, eſſentialiter ſit poſita, in aliquo bono externo? an in aliquo bono corporis? an in aliquo bono animi? an in aliquo bono creato? an & quomodo ſit poſita in ſolo bono increato?*

(*a*) Quemadmodum aliud eſt, quod eſſentiam hominis conſtituit, & aliud, quod facit ad ejus integritatem, ita quoque aliud eſt, quod requiritur ad boni ſummi eſſentiam, aliud, quod ad ejus integritatem. Sine Anima aut Corpore homo non eſt homo, & perit eſſentia hominis ſi alterum eorum auferatur, at ſine manu aut pede homo adhuc manet homo, ſed non manet homo integer, & ablata manu vel pede non rollitur eſſentia hominis, ſed perit ejus integritas; ſic ſine bonis Animi ſummum bonum non eſt ſummum bonum, & illis ablatis perit hujus eſſentia, ſed ſine bonis Fortunæ aut Corporis, ſummum bonum manet ſummum bonum, verum iis ablatis, ſummum bonum non manet integrum, & eſſentia ſummi boni non amittitur, ſed perit ejus integritas, hoc eſt quod vulgo dicunt, bona Animi faciunt ad eſſe ſummi boni, at bona Corporis aut fortunæ ad bene eſſe.

(*b*) Bona externa vocantur, quæ ſunt extra hominem, ut divitiæ, & extra hominis poteſtarem ſunt collocaræ, unde Gentiles ea vocarunt bona fortunæ, quia hæc ab illis fingebatur Dea, quæ talia bona uni concederet, alteri negaret; ſed Chriſtiani fortunæ bonum non norunt, quia ſciunt omnia bona diſpenſari à providentia divina, quæ largitur talia bona cui vult, & negat cui vult.

V. Ut ab imperfectioribus progrediamur ad perfectiora, primo inquirendum eſt de bonis externis, quæ (*a*) alii *fortunæ* vocant, inter quæ præſertim numerantur *divitiæ*, *honores*, *gloria* ſive *fama*, *principatus* ſive *dominatio*, *an in iis beatitudo objectiva conſiſtat?* dicimus, *quod non*, ob haſce rationes. 1. Quia de ratione beatitudinis eſt, ut ſit bonum optimum & perfectum, ex th. præced. *& Ariſtot. 1. Eth. c. 7. & 10. c. 6. ad Nicomach.* Ergo ex ſuâ naturâ excludit omne malum, quod ex ſe eſt malum, *quale eſt* (*b*) *malum moris*; conſtat enim inter omnes, malos felices eſſe non poſſe: at bona externa ac fortunæ etiam malis communia eſſe, probari non eſt neceſſe: quin etiam à viris malis, & facilius obtinentur, & abundantius poſſidentur. 2. Beatitudo, cum ſit bonum perfectum, non ſolum non poterit communicari homini *malo*, ſed ex ſua natura nullo modo eſſe poterit principium alicujus mali, teſtante *Ariſtot. l. 1. Ethic. c. 12. circa finem.* At bona externa quam plurimis ſunt incentiva malorum, quod experientia nimis

nimis quam notum est. Ergo, &c. 3. Beatitudo ex sua natura habet quod sit bonum per se sufficiens, nullius alterius indigens, ut passim docet *Arist.* 1. *Ethic. Nicom. c.* 7. *l.* 10. *c.* 6. *l.* 7. *Pol. c.* 6. Optimum enim non esset, si alterius extrinseci boni esset indigum: sed bona externa ex sua natura non sunt per se sufficientia, sed indigent quam plurimis aliis bonis, sine quibus nequeunt sufficere: indigent enim corporis incolumitate, animi sapientia & virtute, ut bene dirigantur. 4. Beatitudo est bonum non dependens à fortuna & causis externis, docente ipso *Arist.* 1. *Eth. c.* 9. felix enim (ut ait ipse) per se ipsum & in seipso felix est, ex eodem *Arist.* 7. *Polit. c.* 1. *ante finem:* sed bona externa pendent ab externis causis, præsertim à fortuna, unde bona fortunæ vocantur. Quare in iis essentialiter beatitudo non consistit. 5. De ratione beatitudinis est, ut eo sit melior, quo in majore habetur excessu: *Arist.* 7. *Polit. c.* 1. nam cum non habeat finem, cujus gratia sit, nec etiam habebit medium, in quo consistat, sic ut extrema sint vitiosa: sed bona externa habent finem, propter quem expetuntur (sunt enim bona utilia & propter aliud) & præterea ex sua natura ubi vendicant quoddam medium, ita ut vitiosa sint, si illud excedant; quod etiam docuit *Arist. magn. moral. l.* 2. *c.* 3.

(*a*) Bona fortunæ dicuntur, quæ Gentiles asscribebant fortunæ, quam volebant ea impartiri huic & non illi; ita, quod unus esset dives, alter non, unus abundaret gloria, alter verò esset contemptus, dicebant à fortuna proficisci: sed Christiani hæc & similia adscribunt Providentiæ Dei, iis enim fortunæ nomen est incognitum.

(*b*) Malum moris opponitur malo naturæ, illud, est vitium virtuti contrarium, hoc, est defectus aut excessus rectitudinis in natura requisitæ uti est cæcitas & gibbus.

Malum motis opponitur malo naturæ & sic dicitur quia malos inducit motes ac contra honestatem, quemadmodum sunt Vitia, ideo dicta mala moralia; malum naturæ est aliquis naturæ defectus, ut cæcitas, uno verbo, quod non pugnat adversus bonos mores aut honestatem.

VI. Sed in specie *beatitudinem objectivam non esse sitam in divitiis*, sic ostendi potest: 1. quia non sui gratia, sed propter aliud expetuntur, 1. *Ethic. c.* 5. 1. *Polit. c.* 5. 6. 4. *Ethic. cap.* 5. 2. quia homo (*a*) *finis est cui* divitiarum: natura enim divitias instituit in gratiam hominis: at beatitudo objectiva hominis est bonum ipso homine nobilius, alioquin non posset illum beare. 3. subjacent fortunæ, instabiles sunt, & fallaces, & talis naturæ, ut homine invito facile amittantur. *Quod beatitudo objectiva non sit sita in honore*, patet, 1. quia honor exhibetur ut signum & testimonium excellentiæ, & expetitur tantum ut illa excellentia agnoscatur: unde honor non est in genere bonorum simpliciter, sed in genere (*b*) *bonorum utilium:* testimonium enim excellentiæ ad ipsam excellentiam ordinatur, ut in finem: at beatitudo objectiva consistit in bono simpliciter, & finis est: quare, cum honor non propter se quæratur, sed propter virtutis excellentiam, non est bonum optimum homini: & non potest expeti, ut finis, in quo quis quiescat, nisi inordinate & ambitiose; quod enim per se non est bonum, non potest ordinate expeti, ex testimonio *Aristot. c.* 2. *l.* 8. *Ethic. Nicom.* 2. Cum honor sit testimonium excellentiæ, quæ est in honorato, (*c*) *honoris natura talis est, ut magis sit in honorante quam in honorato:* etenim actus ille testificans excellentiam, est in honorante, & ab eo per se pendet, non vero ab ipso honorato: Ergo honor ipse non solum non potest esse beatitudo formalis (hæc enim formaliter est in ipso beato) sed nec esse potest beatitudo objectiva; quoniam de ratione illius est, ut per proprias ipsius beati operationes & acquiratur & reipsa possideatur; aliàs non esset, nec esse posset, proprium beati: at vero honores assequimur aliorum actionibus. *Quod beatitudo objectiva non consistat in fama sive gloria vana sc.* quatenus significat claram frequentemque alicujus notitiam cum laude conjunctam, hinc est manifestum, 1. quia gloria, nec haberi potest, nec possideri, per propriam actionem ejus, cujus est gloria, nec realiter potest cum ipso uniri: nam gloria est notitia, consequenter (*d*) *actio immanens*, existens in iis, qui excellentiam alicujus, & cognoscunt

& laudant: in eo vero qui laudatur, solum (e) *inest terminative & per denominationem extrinsecam:* at de ratione beatitudinis objectivæ est, ut per ipsam actionem beati & acquiratur & possideatur, quod & statim indicavimus. 2. Beatitudo objectiva, cum sit bonum summum, non est collocanda in passione sed actione: sed gloria passio est; quia ponitur in notitia excellentiæ, non quatenus denominat cognoscentem, sed cognitum: nam glorioſus dicitur, qui cum aliquâ formâ & laude est ab aliis cognitus: constat autem (f) *perfectius esse, cognoscere, quam cognosci:* siquidem non cognoscunt, nisi quæ in rebus sunt nobiliora; cognoscuntur autem, quæ in rebus etiam sunt infima. Ergo beatitudo objectiva non est posita in gloria, quæ nihil est aliud quam cognosci ab aliis, quod in homine cognito nullam ponit excellentiam, sed denominationem, ut dixi, tantum externam. *Quod beatitudo objectiva non consistat in principatu, dominatione, aut potestate mundana, ac civili,* ex eo patet: 1. quia (g) *mundana potestas* & dominatio est ex naturâ suâ ad finem: nam dicit potentiam ad agendum, cujus actio est propter finem, sc. propter bonum populi quod intendit. 2. quia instabilis est & parum constans, à fortunâ dependens & ab hominum judiciis atque opinionibus. 3. quia non potest hominem reddere quietum: est enim plena sollicitudinum & aculeis formidinum subjecta. 4. quiâ potest quis ea male uti: atqui hæc omnia beatitudini objectivæ, & summo bono, repugnant: Ergo, &c.

(a) Finis cui interdum est nobilior fine cujus, ut æger est nobilior sanitate; sed hîc finis cujus, scilicet Deus, est nobilior fine cui, scilicet homine.

Finis cui dicitur, in cujus gratiam aliquod expetitur, finis cujus dicitur, id quod expetitur; sic finis cujus, est sanitas, finis cui, est æger, sic divitiæ sunt finis cujus, homo, finis cui, quia illæ in gratiam hominis expetuntur: Censetur verò finis cui nobilior fine cujus, nam homo nobilior est sanitate aut divitiis, at verò hic finis cujus, sive id quod expetitur, est Deus, finis cui est homo, homo vero non est nobilior Deo.

(b) Bonum utile, est id quod ad aliud ordinatur tanquam finem: bonum honestum est ipse finis: tale est summum bonum, ergo. Honos non potest esse summum bonum, quia ordinatur ad aliud, nec est bonum honestum, sed utile, nam refertur in agnitionem excellentiæ tanquam in finem: ideo enim aliquis expetit honorem, ut sic virtus, eruditio, fortitudo, aut similis præstantia, quam possidet, ab alio agnoscatur.

(c) Honor magis est in honorante quam honorato, i.e. magis est situm in potestate honorantis honorem differre seu agnoscere & celebrare excellentiam & virtutem alterius, quam est in potestate honorati, i.e. qui honorem meretur excellentia suarum virtutum, ut ob illas agnoscatur & celebretur; etiamsi enim quis vel millies mereatur honorem ob suas virtutes, si tamen alii nolint eas agnoscere aut celebrare, nunquam honorabitur, neque is potest effectum dare, ut suæ virtutes ab aliis vel agnoscantur, vel celebrentur.

Honor dicitur esse magis in honorante, quam in honorato, quia etiamsi quis possideat omnis generis virtutes, non est tamen hoc in ipsius potestate, ut ob illas honoretur, sed hoc est totum in potestate, honorantis, qui, si velit, alterum ob virtutes honorabit, si nolit, non faciet: ideoque cum non possit quis honorem possidere quando vult, potest autem summum bonum possidere cum vult, sequitur, summum bonum non esse situm in honore.

(d) Actio immanens dicitur, quæ manet intra ipsum agentem, qualis est cognitio, quæ manet in cognoscente: cum ergo Gloria sit cognitio alterius cum laude conjuncta, est in cognoscente istam alterius laudem, non verò in eo qui laudatur, nisi in quantum is qui laudatur est terminus laudis, id est, in quo laus & cognitio alterius terminantur, unde is qui laudatur dicitur laudari per denominationem extrinsecam, quatenus laudatur ab alio extra se.

(e) Fama seu gloria dicitur terminativa & per terminationem extrinsecam, & inesse ei qui glorificatur, quia glorioſus dicitur & famoſus, à gloria & fama, quam alter de ipso celebrat, quæ celebratio in ipso tamen tanquam objecto terminatur passive, ipse enim celebratur.

(f) Quia agere nobilius est, quam pati, ideo cognoscere nobilius est, quam cognosci: sed qui laudatur, cognoscitur, qui laudat, cognoscit alterius excellentiam; ergo laus sita est in passione: at beatitudo objectiva non est sita in passione, quia sita est in bono optimo, atqui passio non est bonum optimum. Actio enim est bonum melius.

(g) Potestas mundana est ad finem, quia respicit bonum Reipublicæ: sed Beatitudo objectiva non est ad finem, verum ipse finis.

VII. *Sed si* (*a*) *bona externa beatitudinem objectivam* essentialiter non constituant, *anne aliquo modo tamen ad eam pertinent? Stoici* hoc olim negarunt, inde moti, quia homo externis bonis nullo modo potest esse bonus, cum tamen ad beatitudinem nihil pertinere possit, quod bonum homini non sit. *Peripatetici* contra affirmant, quia, etsi bona externa inter bona infimum locum obtineant, boni tamen rationem sortiuntur, si non absolute, per analogiam tamen ad bona per se, quatenus adjumenta sunt ad operandum opera virtutis, quæ sententia est *Aristot.* 1. *Ethic. Nicom. c.* 8. ab initio ad finem, *&* 7. *Polit.* 1. ubi docet beatum bonis externis indigere, quia illis ad bene operandum plurimum juvatur: itaque beatitudinis quædam quasi particulæ sunt, extrinsecus eam perficientes, non quod sine illis non detur beatitudo secundum se sufficiens, sed quia illis adjunctis beatitudo omnibus modis est sufficiens, & ob id aliquomodo perfectior, sed accidentaliter tantum, ut exponitur 1. *Ethic. Nicom. c.* 7.

(*a*) Bona externa non faciunt ad esse summi boni, sed ad bene esse, quemadmodum manus & pedes non faciunt ad esse hominis, sed ad bene esse.

Distinguendum est 1. inter τὸ esse summi boni, & bene esse; bona fortunæ & corporis non faciunt ad esse, sed ad bene esse summi boni, quemadmodum vinum non facit ad esse, sed ad bene esse hominis. 2. inter rei essentiam & integritatem; bona fortunæ & corporis pertinent ad integritatem summi boni, sed non ad essentiam ejus, nam sine illis summum bonum esse potest, quemadmodum manus ad integritatem hominis pertinet, non essentiam, quia homo cui amputata est manus non quidem est homo integer, est tamen homo essentialiter, quia habet materiam & formam suam.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM TERTIA,

DE SUMMO BONO.

THESIS I.

BEatitudinem objectivam non consistere in bonis externis, aut Fortunæ, disputatione præcedenti fuit ostensum; sequitur, ut eam non esse sitam in bonis internis, vel corporis, vel animi, porro ostendamus. (*a*) *Per bona vero corporis*, intelligimus, non tantum sanitatem, pulchritudinem, virium robur, quæ sunt bona corpori propria, sed (*b*) *& vitæ longævitatem*, quod est bonum animæ vegetativæ, & actiones omnes sensuum, tam externorum quam internorum, & voluptatem sensibilem, quæ sunt bona animæ sensitivæ: per *bona* vero *animi* intelligimus bona animæ intellectivæ ac rationalis.

(*a*) Sub bonis corporis dicuntur comprehendi bona animæ vegetantis, & sentientis, quia hæ duæ animæ ita à corpore dependent, ut extra corpus nec fieri, nec esse, nec operari valeant: at vero bona animæ rationalis referri nequeunt ad bona corporis, quia anima Rationalis non dependet à corpore, nec dum fit, nec dum est, nec dum operatur.

(*b*) Bona animæ vegetantis & sentientis, vocantur bona corporis, quia istæ duæ animæ in operando, & eo quod sibi bonum est acquirendo, dependent à corpore, quia sunt formæ materiales, quæ omnes à materia in qua sunt in operando dependent.

II. Quod *beatitudo objectiva non* sit *posita in bonis corporis* jam relatis, facile probari potest, 1. quia bonis & malis communia sunt, & instabilia sunt, & voluntati nostræ non sub-

jacent, ſed adveniunt ſæpiſſimè, nobis, vel nolentibus, vel non cooperantibus. 2. quia hæc bona homini cum belluis ſunt communia, in quibus perfectiori ſæpe modo repetiuntur: nam hominem ſuperant multa animalia, *tum* vitæ duratione, *tum* corporis viribus, *tum* velocitate, ſenſuum acumine &c. at felicitas ſumma ſeu beatitudo objectiva eſt bonum homini proprium, *Ariſt.* 1. *Eth. c.* 7.

III. Sed ſpeciatim *beatitudinem objectivam non conſiſtere in voluptate ſenſibili*, hinc manifeſtum eſt: 1. quia nulla delectatio ſenſibilis poteſt eſſe finis: at beatitudo objectiva ſecundum ſe eſt finis. Ergo. Probatur major, ex ipſa natura delectationis ſenſibilis, quæ eſt generatio ſeu motus & acquiſitio alicujus, quod eſt ſenſibili naturæ conveniens, vel eſt cum tali generatione & motu, *Ariſt.* 7. *Ethic. c.* 12. itaque oritur hæc voluptas ex concupiſcentia alicujus, quod conveniat naturæ: unde ſupponit in natura ſenſibili deficere aliquod bonum conveniens naturæ, quod per generationem motumve acquiritur: quare conſequitur proprie bonum, per generationem motumve, acquiſitum. At vero, quod conſequitur id, quod eſt finis, non poteſt eſſe finis. 2. Deinde quamvis operationes ſenſitivæ eſſent propter delectationem ſenſibilem, ipſa tamen delectatio ſenſibilis ſecundum naturæ ordinem ordinata eſt ad alium finem, ut bene advertit & argumentatur *Aquinas ſum. contra Gentiles l.* 3. *c.* 27. verbi cauſa: delectatio ex cibo & potu ad conſervationem corporis ac vitæ ordinatur: at vero quod non propter ſe eſt, ſed propter aliud, ad quod ex natura ſua ordinatur, non poteſt eſſe finis, nedum ultimus. 3. Summum hominis bonum cum ſit quid optimum; non poteſt conſiſtere niſi in illo bono, quod ad partem hominis nobiliſſimam ſpectat, ita enim fiet, ut tale bonum homini conveniat, quatenus eſt homo: tales autem non ſunt voluptates corporeæ, cum conveniant homini ſecundum partem ſenſitivam, (*a*) *quæ in homine inferior* eſt. (*b*) Plura argumenta videantur apud *Aquin. loc. cit.*

(*a*) Anima vegetans & ſentiens Scholaſticis dicitur pars inferior in homine, Anima rationalis dicitur pars ſuperior.

(*b*) Pars inferior dicitur operatio ſenſitivæ & vegetativæ animæ.

IV. Si *beatitudo objectiva non* conſiſtat in bonis corporis, an ergo *in bonis* (*a*) *animæ, i.e. animæ rationalis aut intellectivæ*, ea *eſt ſita?* ſed ne hoc quidem dicendum. Nam ſi beatitudo objectiva ſit aliquod bonum animæ, *vel eſſet ipſa animæ eſſentia, vel aliquid animæ*, nimirum, *vel potentia, vel habitus, vel actus, vel voluptas:* Sed nihil horum eſt beatitudo objectiva. Ergo. Minorem probabimus per partes ſingulas: ac I. *quod beatitudo objectiva non ſit poſita in animæ eſſentia*, facile probatur, quoniam anima non poteſt beare, ut eſt forma dans homini eſſe humanum: ſic enim homo omnis eſſet beatus, quamdiu eſſet: at hoc eſt abſurdum. Ergo. II. *quod beatitudo objectiva non ſit ſita in potentiis aut habitibus animæ*, hinc manifeſtum eſt, quia tam potentiæ quam habitus non poſſunt eſſe ultimus finis: ordinantur enim ad aliud tanquam ad finem, cum ſint propter operationem: potentiæ propter operationem ſimpliciter, habitus propter operationem faciliorem. Sed hic paulo ſpecialius oſtendendum eſt, *beatitudinem objectivam non eſſe ſitam in habitu virtutis* contra (*b*) *Stoicos Philoſophos.* Nihil eſt manifeſtius quam poſſeſſionem virtutis eſſe propter uſum; habitum propter actionem; nec enim juſtus laudatur, niſi quia juſtitiam exercet, (*c*) *nec fortis, niſi quia fortiter, cum opus eſt, pugnat:* itaque actiones virtutis ſunt ipſa virtute potiores: at ſummo bono nihil eſt potius; in virtute ergo per ſe ſpectata, vel in nudo ejus habitu, beatitudo objectiva conſiſtere nequit.

(*a*) Anima & animus ſic diſtinguuntur in Philoſophia, ut anima ſignificet, tam inferiorem, quam ſuperiorem partem in homine, i. e. tam vegetantem & ſentientem, quam rationalem animam; ſed animus non ſignificat animam vegetantem & ſentientem, ſed partem tantum immortalem in homine, animam ſcilicet rationalem, niſi quod quidam Philoſophorum, qui virtutes collocant in appetitu ſenſitivo, eum vocaverint animum, ut cum dicunt, mores & virtutes animi; ſed nos hic, cum loquimur de bonis animi, utroque ſenſu accipimus.

(*b*) In eo

(b) In eo est sita beatitudo objectiva, quod non est propter aliud, quia summum bonum est propter se tanquam finis ultimus, sed habitus virtutis est propter aliud, nempe propter actionem, ad quam ille habitus est ordinatus, omnis enim habitus dirigitur ad actionem aliquam vel bene vel male exercendam: Virtutis habitus ad bene exercendam; ita Fortitudo est ad bene pugnandum, Temperantia ad bene utendum cibo & potu &c. ergo nudus virtutis habitus absque exercitio actionis propriæ non est summum bonum, quia virtus sola non est propter se, sed propter actionem, ad quam refertur, quæ si absit, virtus quidem bonum est, sed non sufficiens, nec perfectum: at summum bonum est perfectum & sufficiens.

(c) Vulgo dicunt, non adjectiva sed advertbia faciunt vitos bonos, aut, barbare, virtuosos: ideoque qui tantum in se possidet virtutis habitum & ejus actum non exercet, vix est ut ἀρητεῖ seu virtuosus dici possit; neque enim fortis dicendus est, aut liberalis, etiamsi utriusque virtutis habitum in se possideat, si non, cum opus est, aut fortiter pugnaverit, aut stipem egeno porrexerit; & sic in virtutibus aliis.

V. Hoc ergo reliquum est, ut videamus, *an beatitudo objectiva in operationibus animæ sit sita? Aristoteles* quidem ubique locorum docet, felicitatem positam in operatione secundum virtutem, 1. *Ethic. c. 7. l. 10. c. 6. l. 1. Magn. Moral. c. 3. 4.* & alibi. *Aristotelem* vero agere de beatitudine objectivâ, satis patet ex iis, quæ inveniuntur *cit. c. 6. l. 10. Ethic.* ubi inter alia sic scribit. *Operationes autem eæ sunt per se expetibiles, à quibus nihil præter operationem quæritur; tales autem videntur esse actus ii, qui à virtute proficiscuntur: honesta namque studiosaque agere, ex iis est, quæ per se expetuntur.* Quæ verba satis significant, ipsum τὸ agere honesta, ipsumque vivere secundum virtutem, esse objectum, quod nos reddit felices & beatos: cum vero operatio secundum virtutem sit operatio animæ intellectivæ (exigit enim ἀθαίρεσιν, & alioquin caderet in Bruta) omnino in aliqua animæ intellectivæ operatione ponenda videtur felicitas, ex mente saltem *Aristotelis* in eâ ponitur: nos tamen non dubitamus, contra *Aristotelis* mentem, cum *Aquin. summ. Theol. prim. secund. part. quæst. 2. art. 7. & cont. Gentil. l. 3. c. 34. & sanioribus Scholasticis*, asserere, *ultimam hominis felicitatem objectivam non consistere in actibus secundum virtutem moralem*, adeoque *nullam animæ intellectivæ seu rationalis, operationem esse, aut esse posse, objectum nostræ beatitudinis:* quod sic probamus.

VI. (a) *Omnis operatio* animæ *intellectivæ*, seu rationalis, vel est intellectus, vel voluntatis: neutrius vero operatio, potest esse beatitudo hominis objectiva finisque ultimus: nam animæ intellectivæ operatio, vel est actio intellectus speculativi, vel est actio intellectus practici, simul & voluntatis, quæ intellectus practici actionem solet sequi: at neutra est gratiâ sui, sed utraque gratiâ alterius: scilicet, utraque est propter objectum, quod est tanquam causa finalis omnium actionum immanentium: ac licet non usque adeo hæc sententia placeat *Suaresio Metaph. disp. 12. sect. 7. n. 17.* est tamen verissima, si sit sermo & intelligatur de (b) *fine operis*, ad quem ab auctore naturæ actus est institutus: sic & intellectus & voluntatis operationes ex suâ naturâ à Deo institutæ sunt, ut objecta intelligibilia & volibilia cum hisce potentiis uniantur: nam cum res nulla possit attingi, aut à potentiâ cognitivâ, aut appetitivâ, nisi unicuique illarum in ratione termini uniatur, institutor naturæ Deus instituit in utraque potentia actionem, per quam res cognoscenda & volenda uniretur, tum intellectui, tum voluntati: itaque simpliciter non sunt sui gratia istæ actiones, sed ex naturâ suâ sunt propter objectum: at beatitudo objectiva debet poni in tali bono, quod ex se, non alterius, sed sui gratia sit.

(a) Si actio virtutis sit beatitudo nostra objectiva, erit actus vel intellectus speculativi, vel practici, vel voluntatis: omnis enim actio virtutis ad aliquam ex his tribus referri debet: sed nulla istarum trium actionum est id quod nos beat, quamvis possit dici esse id quo beamur. Intellectus speculativus dicitur, qui & quando versatur tantum in contemplatione veri, Practicus, qui & quando versatur in cognitione boni, Voluntas est facultas animæ rationalis, qua appetit: sed quod nulla harum trium actionum, sive sit intellectus speculativi, sive practici, sive voluntatis, sit res quæ nos beat, hic pater, quia omnis etiam actio refertur ad aliud, ad objectum scil. in quod tendit, ideoque nulla est finis ultimus: sed beatitudo

titudo objectiva, sive res quæ nos beat, non tendit in aliud, estque finis ultimus absolutè.

(*b*) Finis operis dicitur finis ipsius rei seu actionis ad quem ex natura sua destinatur, sic objectum omne potest dici finis operis, quia ad illud acquirendum & tanquam scopum assequendum ex natura sua, potentia, habitus & actio destinatur: finis operantis dicitur, quem agens intendit ex peculiari consilio. Sic finis operis in physica est simpliciter explicare corpus naturale, & scopus ejus ad quem collimat, illud objectum explicatum dare; sed finis operantis, i. e. physici, potest esse, cognitione corporis naturalis acceptâ uti ad medicandum, qui est scopus agentis peculiaris, nec à physica proponitur aut exponitur: hic finis vulgo dicitur usus.

Finis operis est illud, quod per Actionem acquiritur, & ad quod Actio natura sua tendit.

VII. Sed *in specie, actiones intellectus speculativi non esse beatitudinem objectivam*, inde est manifestum; quod subordinentur actionibus intellectus practici & voluntatis: at beatitudo objectiva debet esse finis ultimus. Sed enim, *dicat aliquis*, τὸ scire, τὸ contemplari; actiones intellectus speculativi, expetuntur, non alterius, sed sui gratia: Ergo sunt beatitudo objectiva. *Respondemus*, ex th. 6. quia operationes speculativæ ab Autore naturæ institutæ sunt propter objectum cognoscendum, quando dicuntur illæ esse tantum sui gratiâ, intelligitur quidem, illas non esse propter finem alium operantis, sed non tollitur, quo minus sint propter (*a*) *finem operis*, τὸ scire enim & contemplari sunt propter objectum scibile & contemplabile: nam cum cognitio sit alicujus cognitio, non potest cognitio appeti, nisi & objectum appetatur, & quia actio est propter objectum, prius haud dubie expetitur actio, posterius objectum, & actio propter objectum: Deinde si beatitudo objectiva consisteret in contemplatione, non ista foret contemplatio rei cujuslibet, sed haud dubie objecti præstantissimi; (*b*) *at contemplatio objecti* præstantissimi nunquam seipsa absolvitur; sed ex se tendit in actum voluntatis: fieri enim non potest ut contemplationem objecti dignissimi, præstantissimi, altissimi, scil. Dei, non comitetur ejusdem objecti amor.

(*a*) Finis operis est illud, sive objectum sive effectum, quod per Actionem acquiritur, & ad quod actio ex natura sua tendebat, ita contemplatio est propter verum, ut illud cognoscatur: quandoquidem autem objectum differt ab actione, recte dicitur actio esse propter aliud, cum dicitur esse propter objectum. Finis operantis est, quem operans sibi intendit, & qui sequitur ex destinatione operantis. Contemplatio si referatur ad contemplatorem, & spectetur ut finis operantis, est ejus respectu finis ultimus in Philosophia speculativa, si spectetur respectu objecti quod est verum, non finis est, nedum ultimus, sed medium ad finem.

(*b*) Tanta est connexio actionum intellectus & voluntatis, ut se invicem perpetuo comitentur: nam tantum diligimus, qui est actus voluntatis, quantum intelligimus, qui est actus intellectus; & ignoti nulla cupido: verum actus intellectus refertur ad actum voluntatis, non contra.

VIII. Quod *beatitudo objectiva non sit sita in actionibus intellectus practici quæ sunt, conjungere & dividere*, id est, *affirmare, & negare, rem hanc vel illam, esse, vel prosequendam vel fugiendam, uno verbo, judicare de objecti bonitate vel malitiâ*, hinc liquet, quod judicia ista ordinentur ad actiones voluntatis internas atque elicitas & facultatum inferiorum externas atque imperatas: at, quicquid ordinatur ad aliud non est summum bonum, nec nos beare potest, quia non est finis ultimus: finis enim ultimus non ordinatur ulterius; alioquin non foret ultimus. Atqui beatitudo objectiva est bonum summum, & nos, non tantum beare potest, sed & de facto beat, estque finis ultimus. Ergo judicia ista seu actiones intellectus practici, non sunt beatitudo objectiva, quod erat demonstrandum.

IX. Verum, *nec actiones practicas in specie esse beatitudinem objectivam*, facile probatur. Ratio 1. quia non sunt per se expetibiles, sed propter aliud, quod late probat ipse *Aristoteles cap. 7. lib. 10. Ethic.* ubi ostendit, (*a*) *operationes politicas*, quibus bonum commune ordinatur; *& bellicas*, quibus bonum commune defenditur, *non esse propter se, sed propter aliud*; & inde sumit argumentum, quo probet cæteras alias actiones practicas non propter se sed propter finem expeti, quod hæ omnium aliarum longe præstantissimæ propter aliud expetantur. Sed *specialissime actiones*

nes virtutum moralium non esse beatitudinem objectivam, sic non male concludit *Aquin. loc. cit. contra Gentil.* Ratio 2. Omnes morales operationes sunt ordinabiles ad aliud: sic actiones fortitudinis, quæ in bello liquent, ordinantur ad victoriam & pacem: stultum enim foret bella geri propter se; actus justitiæ ad servandam concordiam inter homines, ut unusquisque quiete, quod suum est, possideat: at beatitudo objectiva non est ad finem ulteriorem ordinabilis; est felicitas enim summa & finis summus. Ratio 3. Præterea cum actiones virtutum moralium versentur, tum circa *res externas* (*b*) quæ in usum hominum veniunt, tum circa moderandos (*c*) *partis inferioris* & sensitivæ affectus, ac pars sensitiva sit propter perficiendum opus animæ intellectivæ, quis non videt, actiones virtutum moralium expeti, non propter se, sed, vel propter usum in vita humana, vel propter bonum animæ intellectivæ? scil. ut, affectibus per virtutum moralium actiones bene ordinatis, & mens expeditius possit incumbere contemplationi, & animus ferri promtius in amorem objecti præstantissimi jam cogniti. Quare omnino concludimus, beatitudinem objectivam non consistere in operatione virtutis, contra *Aristot.* nec in ulla operatione animæ intellectivæ.

(*a*) Quia omnes operationes & actiones morales & practicæ ordinantur ad aliud: sic actiones fortitudinis, Temperantiæ, ordinantur ad Pacem & Victoriam; Temperantem & honestam vitam.

(*b*) Res externæ sunt: V. C. pecuniæ, cibi, & pous, sumptus & mercimonia.

(*c*) Pars inferior animæ in homine, dicitur omnis operatio animæ sensitivæ ac vegetativæ, quemadmodum operationes animæ Rationalis dicuntur pars superior animæ.

IX. Sed *nec in voluptate animi consistere beatitudinem objectivam*, hoc argumento probat *Aquin. pr. sec. Quæst. 2. art. 2. sum. Theol.* In unaquaque re, aliud est, quod pertinet ad essentiam ejus, sc. ut illam constituat, aliud, quod est proprium accidens ejus; sicut aliud est, esse rationale, aliud, esse risibile, in homine: sed omnis voluptas animi est quoddam accidens & proprietas consequens beatitudinem, vel aliquam beatitudinis partem; nam ex eo delectatur aliquis, quia habet aliquod bonum, vel in re, vel in spe, vel in memoria: quod bonum, si est perfectum, est ipsa beatitudo objectiva. Ergo ipsa delectatio, quatenus talis, non est beatitudo objectiva: nam si delectatio sit proprietas, quæ consequitur beatitudinem objectivam, præsertim acquisitam, utique ipsa in se non poterit esse beatitudo objectiva: alioquin daretur delectatio ipsius delectationis ex bono acquisito, & processus in infinitum, quod est absurdum. Atque ita *beatitudinem objectivam non consistere in bonis internis* ipsius hominis, sive corporis, sive animæ, *hac disputatione fuit ostensum*, sicut eam *non* consistere *in bonis externis*, seu fortunæ, *priori* fuerat *demonstratum*.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM QUARTA,

DE SUMMO BONO.

THESIS I.

Bona, quæ Hominem perficiunt, sunt in duplici differentia: quædam enim illum perficiunt, eo quod reipsa in ipso existant aut ab eo possideantur; alia, quod ab ipso sint cognita & amata: prioris generis sunt bona, tum animi, tum corporis, quæ interna vocavimus, tum fortunæ, quæ externa diximus: posterioris generis sunt entia omnia, tam sensibilia, quam intelligibilia, quatenus cadunt sub speculationem intellectus & sub amorem voluntatis. Egimus hucusque de bonis prioris ordinis, & in nullo eorum Beatitudinem

objectivam collocavimus : reliqua sunt *bona posterioris ordinis*, quæ cum perficiant quoque hominem, ut sunt objecta cognita & amata, ulterius inquirendum est, *an in illis Beatitudo objectiva sit collocanda?* Et cum horum bonorum, quædam sint creata, quoddam increatum, ut Deus, quæritur, *an in bonis creatis*, *an* vero *in bono increato*, objectiva Beatitudo consistit.

II. Quod *Beatitudo objectiva non consistat in aliquo bono creato, quatenus cadit sub intellectionem & volitionem*, facile probari potest: quia beatitudo objectiva est summum bonum & ultimus finis ; at nulla res creata est summum bonum aut ultimus finis : non summum bonum, (*a*) quia omnis res creata, sicut habet entitatem participatam ab alio, ita etiam habet participatam bonitatem: at talis bonitas non est summa: non finis ultimus, quia omnis res creata, sicut habet causam efficientem, à qua est, ita & finalem, ad quam refertur, ideoque non est finis ultimus. Sed hæc nostra assertio firmissime probatur ex natura objecti (ut loquuntur *Scholastici*) beatifici; quod cognitum, est verum omnium maxime perficiens intellectum; &, quod volitum, omnium plenissime satiat voluntatem: tale verum cognitum, non est res creata, quia habet veritatem participatam, quæ non est ultima perfectio intellectus; &, tale bonum volitum non est res creata, quia habet bonitatem participatam, quæ non plene satiat voluntatem. Hæc ratio est desumta ex *sum. Theol. Thom. Aquin. pr. sec. quæst. 2. art. ult. & quæst. 3. art. 7.* quæ quia est efficacissima, nonnihil eam explicabimus.

(*a*) Ens aliud est per essentiam, aliud per participationem. Per essentiam, quod entitatem suam à nullo habet, estque solus *Deus*: per participationem, quod entitatem suam participavit ab alio, sc. Deo, estque omnis creatura; ita quoq; Bonum est aliud per essentiam, quod bonitatem suam non habet aliunde, ut Deus, aliud per participationem quod eam habet à Deo, ut Creatura. Hinc liquet solum Deum esse summum bonum, & non Creaturam: sic quoque & verum dicitur per essentiam, quod veritatem obtinet ex natura sua, ut Deus, & per participationem, quod veritatem suam, qua verè est id quod est, accepit aliunde, scil. à DEO, estque Creatura; nam hæc est aurea Regula, DEUS est causa omnis entitatis, veritatis, & bonitatis in creaturis, unde nulla Creatura est summe vera, aut summe bona, DEVS enim & semper & magis verus est, & magis bonus: quia, propter quod unumquodque est tale, illud ipsum est magis tale: sed Creaturæ sunt veræ & bonæ propter & per Deum; ergo Deus est magis verus, & magis bonus; consequenter, solus DEVS est summe verus, & summe bonus, ideoque solus est Beatitudo nostra objectiva.

III. (*a*) *Objectum beatificum, quatenus tale est*, ex natura sua non tantum perficit voluntatem, ut est quoddam bonum, sed & perficit intellectum, ut est quoddam verum: hoc supposito sic procedimus. Beatitudo objectiva, in quantum est cognita, non potest consistere in vero, quod est tale per participationem, sed in eo, quod est verum per essentiam: Atqui nulla creatura est vera per essentiam, sed omnis est vera per participationem. Ergo in nulla creatura potest consistere beatitudo, ut cognita. Minor certa est, quia, ut creatura habet entitatem participatam, ita & veritatem: nam veritas entitatem sequitur. Major probatur: quia beatitudo objectiva, sicut ex sua natura habet, quod non per aliud sed per se beet, ita rationem beandi & perficiendi intellectum non ab alio habet, sed à se: ac proinde rationem veri, sub qua perficit intellectum eumque beat, non ab alio participat, sed à se habet: alioqui non per se sed per aliud bearet: at hoc dici non debet: quia id, quod est tale per aliud, necessario reducitur ad id, quod per se est tale. Pariter beatitudo objectiva, in quantum est volita, non potest consistere in bono, quod est tale per participationem, sed in eo quod est bonum per essentiam: (*b*) *atqui nulla creatura est bona* per essentiam, sed omnis est bona per participationem. Ergo in nulla creatura potest consistere beatitudo objectiva, ut volita. Minor certa est, quia ut creatura habet & entitatem, & veritatem, ita & bonitatem participatam: nam & bonitas entitatem sequitur. Major probatur: quia objectiva beatitudo, sicut ex natura sua, non per aliud, sed per se beat, ac sic beat ac perficit intellectum; pari modo beat ac perficit voluntatem: ideoque rationem boni, sub qua voluntatem

luntatem perficit ac beat, non ab alio participat, sed per se habet. Concludimus ergo, nullam rem creatam posse esse beatitudinem objectivam, ut cognitam vel volitam, quia nec intellectum nec voluntatem plene ac perfecte perficit. Nihil ergo restat aliud, quam *ut beatitudo objectiva constituatur in ente increato, Deo solo*, quod ex inductione jam clatum est. Nam beatitudo objectiva non consistit in bonis externis fortunæ, ut fuit ostensum in *disp.* 2. nec in bonis internis animæ, vel corporis, ut fuit probatum *disp.* 3. nec in ullo bono creato, vel cognito, vel volito, ut *hac disp.* nunc convicimus. Ergo in solo consistit Deo, quia nihil amplius est reliquum.

(*a*) Objectum beatificum, i. e. quod hominem facit beatum, homini est proprium: illud vero homini est proprium, quod ei convenit secundum partem superiorem, animam scilicet rationalem, quia corpus & animam vegetantem ac sentientem habet communia cum rebus aliis, sed animam rationalem non item; quod vero ei convenit secundum animam rationalem id ei competit secundum intellectum & voluntarem: ergo objectum beatificum hominem beare nequit, nisi & intellectum & voluntarem perficiat, ideoque debet esse, & summe verum & summe bonum.

(*b*) Ens vulgo dividitur, in ens per essentiam, & ens per participationem: prius dicitur, quod entitatem suam à nullo habet, estque solus Deus: posterius dicitur, quod entitatem habet ab alio participatam, estque omnis creatura: sic dividitur quoque, & verum & bonum; itaque, Deus & est ens, & verus, & bonus per essentiam, quo sensu Christus dicit, Pater meus solus est bonus: Creatura est ens, & vera, & bona per participationem, quo sensu dicitur, quod Deus omnia viderit quæ fecerat, & erant valde bona.

IV. *Deus* ergo *beatitudo* hominis est *objectiva*, sive objectum, quod beat: sed *in quo nunc consistit beatitudo formalis*, sive id, quo objectum, quod beat, fit nostrum? duas enim beatitudinis quasi partes integrantes fecimus, *disp.* 2. objectivam & formalem. Omissis aliorum sententiis, dicimus, *Beatitudinem formalem consistere in eo, quo* Deus nostra *beatitudo objectiva nobis* objective *conjungitur:* Deus enim seipso non potest nos perficere, nisi ut objectum: at non potest Deus nobis objective conjungi nisi per operationem. Ergo *Beatitudo formalis consistit in operatione.* (*a*) *Verum enimvero cum* operatio sit multiplex, alia vitalis, alia non vitalis; alia transiens, alia immanens: Quæritur, *in qua operatione consistat beatitudo formalis?* Respondemus, *in operatione & vitali & immanente:* atque hoc utrumque ex *Arist.* probari potest. *Primum*, cum beatitudo naturalis in vivendo consistat, docente *Arist. l.* 1. *Magn. Moral. c.* 4. ubi post multa ita concludit; Ergo, *& feliciter vivere, & felicitas in vivendo est:* imo, cum sit vita quædam beata, ex testimonio *Arist.* 9. *metaph. c.* 9. *text.* 16. in fine, ubi ait, *felicitas vita quadam est.* Et 10. *Ethic. c.* 6. *text.* 26. *lib.* 1. *Ethic. ad Eudemum, post principium, & alibi*; utique beatitudo consistet in ultima perfectione vitali, at hæc est operatio: nam ex *Arist.* 2. *de Anim. c.* 2. *text.* 13. *idem est vivere, quod operari:* quin etiam operatio vitalis non solum est ultima perfectio viventis, sed etiam perfectissima, quod ex eodem *Arist.* colligere est, 2. *de Cælo, c.* 3. *t.* 17. ubi sic scribit. *Eorum quodque, quorum est opus, operis ipsius esse gratia constat:* sensus est; *unumquodque eorum, quorum est opus*; i. e. quæ alicujus operis sunt activa, *esse gratia ipsius operis constat*, i. e. constat esse activa gratia ipsius operis. Quare actus primus vitæ (sive potentia sit, sive habitus) ex sua natura est gratiâ actus secundi vitæ, tanquam finis. *Alterum*; quod beatitudo formalis sit actio immanens, sic probatur ex *Aristot.* Beatitudo formalis est operatio in suo genere perfectissima, 10. *Eth. c.* 7. operatio autem immanens præstantior est transeunte: est enim propter se, 1. *Metaph. c.* 1. 10. *Ethic. c.* 7. 8. cum tamen actio transiens, non propter se sit, sed propter productum, 1. *Eth. c.* 1. *text.* 3. Ergo beatitudo formalis non est operatio transiens, sed immanens. Deinde, beatitudo formalis est operatio, quæ manet in beato operante, 1. *Magn. Moral. c.* 1. *&* 9. *Metaph. c.* 9. *t.* 16. operatio autem transiens non manet in operante, quod notum est. Et quid multis? Beatitudo formalis est quædam vita, ut jam vidimus: at operatio vitalis, non est transiens, sed immanens. Ergo &c.

Operatio alia est vitalis, alia non vitalis: vitalis dicitur, quæ oritur à principio vitæ, i. e. Animâ, seu vegetante, seu sentiente, seu rationali, uti est nutritio, visio, intellectio: non vitalis, quæ oritur à principio, quod non vivit, uti est Solis motus & Elementorum: nam nec Sol, nec Elementa vivunt. Operatio alia est immanens, alia transiens; Immanens dicitur, quæ manet in ipsa causa efficiente, à qua proficiscitur, uti est, Intellectio, quæ manet in intellectu: Transiens est, quæ extra causam efficientem abit in rem aliam, ut calefactio, quæ extra ignem abit in aquam.

V. Sed enim, si *beatitudo formalis* sit *operatio vitalis & immanens*, ulterius quæri potest, *utrum sit anima vegetativa, an sensitiva, an rationalis*; Quod *non* sit *anima vegetativa*, illud quidem extra omne est dubium; quia illa non potest esse principium humanæ & moralis operationis; cum sit omnino expers rationis: sed *nec* sua est formalis beatitudo *in aliqua operatione animæ sensitivæ*; (*a*) *quæ rationalis quidem non est per essentiam*, est tamen per participationem: quia operatio sensitiva non potest nobis conjungere nisi bonum sensibile: at tale non est summum bonum, ut ante vidimus. Ergo, &c. Deinde formalis beatitudo ponenda est in operatione naturaliter perfectissima, 1. *Eth. c.* 2. *&* 5. 10. *Eth. c.* 6. At operatio sensitiva, quæcunque illa sit, non est perfectissima: nec ex parte principii, quia est ab anima sensitiva, quæ est minus nobilis, quam rationalis: nec ex parte objecti, quia terminatur ad (*b*) *bonum sensibile*, quod est longe inferius bono intelligibili. Denique beatitudo formalis non potest nobis esse communis cum brutis: nam convenit soli homini, 1. *Eth. c.* 9. *t.* 45. *&* 10. *Eth. c.* 8. *t.* 30. Atqui operatio sensitiva etiam brutis convenit. Ergo *beatitudo formalis* consistit *in* aliqua *operatione vitali & immanente, quæ conveniat soli homini & quidem quatenus est rationalis:* talis est *operatio intellectus & voluntatis:* in *utraque* ponimus beatitudinem formalem, quod ulterius est explicandum.

(*a*) Anima rationalis, dicitur rationis per essentiam, quia ejus essentia in ratione est sita, & per rationem definitur: anima sensitiva, quæ quidem est irrationalis in se, atque essentia sua, dicitur tamen rationalis participative, quia subest in operationibus suis imperio animæ rationalis, nam videmus, appetimus, loco nos movemus, cum volumus ac judicamus: sed anima vegetans, nec per essentiam, nec per participationem, est rationalis, nec enim nutrimur, nec crescimus, nec nostri similem prolem generamus, cum & volumus & judicamus.

Anima humana, quæ hominem constituit, intellectu ac voluntate est prædita: est Rationalis per essentiam, quia ejus natura talis est, ut, si non fuerit ratione prædita, ne quidem Anima sit futura: sed Anima sentiens in homine dicitur Rationalis per participationem, quia, in quantum subest *Rationis Imperio* ac ductui ac dictamini, aliquo modo particeps sit *Rationis*: sensitiva Anima Bruti nullo modo particeps est rationis, quia non subest alicui Animæ Rationali.

(*b*) Bonum sensibile, est bonum jucundum, aut utile, quia utrumque sensu percipitur: Bonum intelligibile, est bonum honestum, quod sola ratione intelligitur.

VI. Dicimus igitur, beatitudinem formalem essentialiter constitui & integrari ex actione intellectus & voluntatis: *illam* vocant vulgo beatitudinem *contemplativam*; *hanc activam.* Hæc divisio sumitur ex *Arist.* 10. *Eth. c.* 7. 8. explicant eam *Conimbric. in Eth. disp.* 3. *quæst.* 3. *art.* 2. *Fonsec.* 1. *Metaph. c.* 1. *quæst.* 1. *sec.* 6. sed non eodem modo. *Conimbricenses* volunt duas illas beatitudines esse duas species, ita ut utraque per se & ratione sui veram habeat rationem beatitudinis. *Fonseca* aliter philosophatur, & docet, duas illas beatitudines esse partes integrantes unam essentiam unius totalis beatitudinis: quæ explicatio nobis magis arridet: (*a*) quia neutra se sola potest beare; sed utraque simul ad beandum est necessaria: Ergo utraque ad beatitudinem formalem pertinet tanquam pars unius beatitudinis, ex utraque integratæ. Atque hæc explicatio ab ipso *Arist.* confirmatur, qui, *libros de moribus* ad *Eudemum* concludens, docet, *omnes actiones nostras, omniaque studia, rerumque possessiones tunc judicandas esse meliores, quando magis adjuvant & faciunt ad Dei cognitionem & cultum, deteriora autem censeri, quæ nobis impedimento fuerint.* Ex quibus *Aristotelis* verbis, ulterius liquet, (*b*) *Beatitudinis formalis partem contemplativam* consistere *in*

Dei

Dei cognitione, activam in ejus cultu, quatenus nempe & cognitio & cultus Dei, naturæ lumine ac viribus obtineri potest: nam hæc omnia procedunt de beatitudine naturali, quod in alia disputatione priore est monitum.

(a) Cum genus dividitur in species, tota natura generis est tota in una, & tota in altera specie, ut, tota natura Animalis est in homine, tota in Bruto; at cum integrum dividitur in membra, non invenitur tota natura integri in unoquoque membro, sed partim in uno, partim in altero, sic tota natura Corporis non est in capite, nec tota in pede, sed partim in capite, partim in pede, partim in reliquis membris; beatitudo quoque formalis non exititit tota in actione intellectus, nec tota in actione voluntatis, sed partim in illâ, partim in hâc, & ut Deus, beatitudo nostra objectiva, fiat nostrum summum bonum, utraque simul actio requiritur, & intellectus, & voluntatis.

(b) Pars contemplativa beatitudinis formalis, consistens in cognitione Dei naturali, accepta per lumen naturæ, ex libro naturæ, acquiritur per perfectissimam virtutum intellectualium scientiam, sc. sapientiam, quæ est habitus contemplativus, versans circa objectum præstantissimum, puta Deum: altera pars beatitudinis formalis consistens in cultu Dei naturali instituto secundum legem naturæ, ex libro naturæ, acquiritur per perfectissimam virtutum moralium sc. pietatem, quæ docet, Deum naturaliter cognitum, colere, venerari, amare.

VII. Beatitudinem formalem, partim esse collocandam in operatione intellectus, partim in operatione voluntatis, ex eo liquet, quia ad perfectam possessionem objecti beatifici, seu beatitudinis objectivæ, Dei, requiritur, & perfecta ejus speculatio & perfectus amor (perfectus, sc. naturaliter, quantum natura hominis in via, i. e. vita, permittit) dum enim Deum Deique proprietates speculamur, Deo conjungimur: dum cognitum amamus, intime ei unimur: at speculatio actio est intellectus & amor voluntatis. Ergo, &c. Atque hic contra *Thom. Aquin. sentimus*, qui in *Summ. Theol. pr. sec. quæst. 3. art. 4. & contra gentes l. 3. c. 25. 26.* Beatitudinem formalem in solo actu intellectus (intelligere Deum) non item in actu voluntatis collocat. At vero, si sententia *Aquin.* sit vera, sequitur, Dæmones beatitudine formali esse beatos, quia in ipsis altissima Dei cognitio naturalis reperitur: præterea & *illi* erunt beati, qui Deo sunt maxime invisi, quia in illis esse potest & sæpe est profundissima Dei speculatio: at hoc est contra Aristotelem, qui 10. *Eth. c. 8. ad finem* ait diserte, *eum, qui vere & essentialiter est felix, esse amicissimum Deo.* Sentimus quoque hic contra *Melch. Canum loc. Theol. l. 9. c. 9.* alioque, qui beatitudinem formalem ponunt in solo actu voluntatis, quæ sententia, præterquam quod sit contra *Aristotelem*, ubique fere beatitudinem in speculatione collocantem, etiam rationi repugnat: Nam non potest existere amor Dei; nisi jam ante præcesserit ejus contemplatio: quippe actus voluntatis semper præsupponit & includit actum intellectus: alioquin voluntas non foret potentia rationalis. Nos ergo Beatitudinem formalem ponimus; ex parte intellectus, in perfectissima cognitione, quæ de Deo ex creaturis haberi potest lumine naturæ: ex parte voluntatis, in amore Dei naturaliter cogniti, (a) qui *amor non est concupiscentia, sed amicitia. Sed in utra actione, intellectus an voluntatis principalius ponitur beatitudo formalis?* Ad hoc respondeti nequit, nisi prius constet, an actio intellectus sit nobilior actione voluntatis? quæ quæstio licet in utramque partem à *Scholasticis* soleat disputari, ac non multum referat, utrumvis statuatur, nos tamen *actioni voluntatis primas deferimus*, (b) ac beatitudinem formalem potissimum consistere dicimus in actu voluntatis: actu intellectus non excluso, sed essentialiter incluso. Quomodo vero in hac Dei contemplatione & amore summum bonum consistat, non tam facile verbis exprimitur, quam quidem contemplantis & amantis animus sentit. Per contemplationem sane Dei, ejusque potentiæ, bonitatis, sapientiæ, ex rebus creatis cognitionem, homo quasi Deus fit: *anima enim intelligendo fit omnia*, 3. *De Anim. c. 4.* Per amorem ita Deo cognito unitur homo, ut totus in eum absorbeatur, ac totus in eo sit, juxta vulgatum illud; Animus est magis ubi amat, quam ubi animat. Certe hic *felicitatis humanæ* est *apex* & in hac vita fastigium, *Deum* ex rebus creatis rite re-

Sicque *cognoscere*, *cognitum* venerari & *amare*, in quo *tota beatitudo* absolvitur, quam aliquot jam disputationibus sumus prosecuti.

(a) Amor concupiscentiæ dicitur, quo alteri cupimus bonum aliquid; amor amicitiæ, quo desideramus frui re amata, aut quo amamus rem nobis gratam: nos amando Deum nullum bonum Deo cupimus, sed ferimur in illum tanquam in objectum nobis gratum atque amicum.

(b) Beatitudo formalis magis & potius consistit in Actu voluntatis, quam Intellectus, quia totus Intellectus, sive cognitio & contemplatio Dei, refertur ad Actum voluntatis, sive Amorem Dei.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM QUINTA,

DE SPONTANEO.

THESIS I.

SUmmum Bonum, seu *finem ultimum* Philosophiæ practicæ, exposuerunt Disputationes præmissæ: ordinis ratio postulat, ut fini ultimo jam explicato subjungatur explicatio *finis subordinati*, i. e. medii quem voce græca Πρᾶξεως expressimus *disput.* 2. *th.* 1. & *disp.* 1. *th.* 5. & latine *th.* 2. *disp.* 1. in definitione Ethicæ vocavimus *actionem humanam*: Nempe, Philosophia practica hominem imbuit cognitione virtutum, quibus imbutus, πρᾶξις, actiones edit humanas, i. e. homine dignas, iisque summum bonum acquirit: Notandum autem est statim, πρᾶξιν, actionem humanam, interdum sumi late pro qualibet actione hominis, qua aliquid πράττει, agit, quocunque modo, interdum stricte pro actione hominis ut homo est, i. e. cujus homo dominus est, quæ & à rationis cognitione & à libera hominis voluntate proficiscitur: & hanc utramque significationem observabit in ipso *Arist.* quisquis *c.* 1. *l.* 3. *Ethic. ad Nicom.* diligenter perlegerit: generaliter sumta πρᾶξις, *actio humana*, dividitur in *spontaneam* & *invitam*: τὸ quippe ἑκούσιον & ἀκούσιον, id est, spontaneum ac invitum, distinguunt omnes actiones humanas: nam duplex est earum differentia: una ratione cognitionis, secundum quam actiones humanæ, i. e. hominis, simpliciter & in genere, fiunt, vel à scientibus, vel ab ignorantibus: altera ratione voluntatis, secundum quam fiunt, vel à volentibus, vel à coactis: quæ actiones fiunt *à scientibus & volentibus*, dicuntur *spontaneæ*: quæ, *vel ab ignorantibus* (quomodo ignorantibus, postea explicabitur) *vel à coactis*, dicuntur *invitæ*. Sed vero si πρᾶξις, actio humana, speciali significatione sumatur, jam sola spontanea talis dici debet. Nos hac disputatione actionis humanæ, πράξεως, in genere sumtæ, differentiam primam, τὸ ἑκούσιον, *spontaneum*; alteram, τὸ ἀκούσιον, *invitum*, explicabimus disputatione alia.

II. *Arist. c.* 1. *l.* 3. *Eth. ad Nicom. sub finem*, aut, sicuti alii ejus interpretes hoc cap. in tria dispescunt, *c.* 3. definit τὸ ἑκούσιον, ὧν ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις, id est, *Spontaneum est id, cujus principium est in agente sciente singula*, id est, omnes circumstantias, *in quibus actio est*, id est, consistit. Cum dicit ἑκούσιον esse, ὧν ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ, opponit illud τῷ βιαίῳ, cujus principium est extra agentem; cum addit εἰδότι &c. opponit illud ἀκουσίῳ δ' ἄγνοιαν, τὰ καθ' ἕκαστα, (a) *circumstantia* (b) *singulares*, vulgato isto versu comprehenduntur, *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Duo itaque requiruntur *ad actionem spontaneam.* 1. *Scientia* seu cognitio rei agendæ omniumque actionis circumstantiarum. 2. *Principium* à quo proficiscatur Actio, *intrinsecum.* Videndum igitur restat, quomodo

modo aliquid sit *spontaneum ratione scientia*, deinde, quomodo *ratione principii intrinseci*.

(a) Circumstantiæ singulares omnem actionem humanam reddunt, vel bonam vel malam: prout vel convenerint cum recta ratione, vel non convenerint, unde vulgo vocantur circumstantiæ morales, & ab illis dicitur dependere omnis bonitas vel malitia, moralis, seu honestas & turpitudo actionum. *Quis* significat personam agentem; *quid*, objectum; *cur*, finem; *ubi*, locum; *quando*, tempus; *quibus auxiliis*, media, & instrumenta; *quomodo*, rationem agendi. Pro hisce circumstantiis variatis mutatur quoque actio humana, ex bona in malam, & contra: inter omnes autem circumstantias morales præcipuæ sunt finis & objectum. Vt vero aliqua actio sit bona, debent omnes circumstantiæ convenire cum recta ratione; ut sit mala, sufficit, si vel una circumstantia à ratione recta recedat.

(b) Circumstantiæ singulares dicuntur, quæ circa unamquamque Actionem hominis singularem stant, id est, inveniuntur, & exprimuntur vulgato versu: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Quis*, significat personam agentem; *quid*, objectum quod agit; *ubi*, locum quo agit; *quibus auxiliis*, media quibus agit; *cur*, finem propter quem agit; *quomodo*, modum quo agit; *quando*, tempus quo agit. Ab hisce circumstantiis singulatibus pendet Actionum omnium singularium bonitas, aut malitia motalis in homine: sc. si omnes circumstantiæ hæ convenerint cum recta ratione, Actio humana est bona: si una tantum à recta ratione discrepaverit, Actio humana est mala; inter omnes verò circumstantias præcipuæ sunt, *quid* & *cur*, *id est*, *objectum & finis*. Atque hæ circumstantiæ omnes intelliguntur in definitione *Spontanei*, per vocem *singula*.

III. (a) *Scientia*, quæ actionem reddit spontaneam, Philosophis Ethicis, & magis proprie, solet dici *Conscientia*, quæ quid sit, *an rationis* seu mentis humanæ *facultas*, ipse intellectus, *an ejus habitus*, *an actus*, hujus non est loci, nec nostri nunc instituti, inquirere: cui lubet, videat ista disputata apud *Thomam Aquin. Sum. Theol. p. 1. quæst. 79. art. ult. & apud Amesi. l. 1. Cas. Conf.* Nos impræsentiarum per eam intelligimus, actum rationis intellectus practici, quo ipsa judicat quid sit bonum ac malum, quid fas ac liceat, quid nefas ac non liceat, & quo præterea præscribit, quid sit faciendum, quid omittendum. Atque hanc vocant *conscientiam de faciendo*, & juxta eam dicimur agere, vel secundum, vel contra conscientiam: Nam *conscientiam de facto*, hoc est, illud intellectus judicium, quod factum consequitur, quod hominem, prout vel bene vel male egerit, vel accusat vel delectat, unde bene vel male sibi quis dicitur conscius, hîc non spectamus. *Sponte agere dicitur homo ratione conscientiæ* de faciendo, in quantum hæc præconis instar est ac concionatoris, explicantis primo, ac præscribentis ei, quid legi naturæ rectæque rationi sit consentaneum, quid dissentaneum, quid permissum, quid prohibitum; applicantis deinde vivendi ex lege naturæ & secundum rectam rationem universales regulas singulis ejus actionibus. Tale dictamen, tale judicium rationis practicæ de actionibus humanis faciendis, facit eas spontaneas, &, prout convenerint vel non convenerint secum, bonas reddit vel malas moraliter: nempe, ut lex divina norma est actionum hominis Christiani spiritualium, lex civilis norma ad quam Resp. debet componi ac regi, sed utraque non nisi cognita, ita lex quoque naturæ norma est actionum moralium, sed cognita, quæ legis naturalis cognitio Ethicis, *Conscientia*, appellatur, & *Damasceno lex intellectus*. Hæc amussis est actionum humanarum, & juxta eam vel male vel bene, ac semper sponte agit homo: bene agit, si agat, quod agendum præcipit conscientia: male agit, si non agat quod jubet, aut contrarium faciat: atque ex hisce liquet, fieri non posse, ut quis agat contra conscientiam & non peccet: nam sicut peccat, qui contra legem agit, quamdiu ea manet: ita peccat, qui contra conscientiam agit, quamdiu manet illa: est enim conscientia nihil aliud, quam lex naturæ cognita à ratione practica. Sed paulo adhuc plenius est hoc negotium explicandum.

(a) Scientia, quæ requiritur in Actione spontanea, dicitur *Conscientia*, quia homo, qui scit omnes circumstantias suæ Actionis, est conscius sibi, *quid* agit, *quomodo*, & *cur*, &c. & quia Deus simul cum homine, ac reciproce homo simul cum Deo, scit circumstantias suæ actionis vel faciendæ, vel factæ: atque hoc significatum vult particula *con*.

IV. Quo-

IV. Quotuplex est judicium intellectus practici, de re facienda si bona sit, vel omittenda si mala sit, totuplex est conscientia: at *judicium* illud proprie est *triplex, rectum, probabile, erroneum:* unde & *triplex, est conscientia, recta, probabilis, erronea:* verum quia *dubitatio* & *hæsitantia* interdum nonnullis dicuntur *judicium* intellectus, factum est, ut similiter iis *conscientia* aliqua dicta sit *dubia* vel *scrupulosa:* Et hinc *Scholastici* quintuplicem fecere conscientiam, quod sic ostendunt. Ratio practica, vel *statuit* aliquid agendum tanquam honestum, vel *dubitat* an sit honestum, vel *trepidat* anxie, credens, assentiens seu judicans scrupulose, ab homine vix quippiam fieri posse sine peccato: si *statuit*, aut *firmiter* & confidenter credit, assentitur seu judicat, actionem fore honestam, aut *probabiliter* opinatur: si *firmiter*, aut *vere & recte* statuit creditque, seu judicat, aut *non recte* sed falso. Ratio, *recte, vere firmiterque*, propter argumenta vera atque evidentia, statuens ac judicans, actionem fore honestam, est *Conscientia recta.* Ratio *firmiter, sed non vere nec recte*, propter argumenta, quibus innititur, fallacia, statuens honestum fore opus, quod tamen est inhonestum, est *Conscientia errans.* Ratio *non firmiter sed probabiliter* propter argumenta, quæ sibi sunt probabilia (sive alteri certa, sive fallacia habeantur) judicans actionem futuram honestam, est *Conscientia probabilis.* Ratio cum *dubitat*, ac media inter duas contradictiones neutri credit, assentitur, est *conscientia dubia.* Ratio cum *trepidat* animumque excruciat, metuendo peccatum, ubi non est, *Conscientia* est *scrupulosa.* Hæc applicemus. *Contra conscientiam rectam, erroneam, probabilem, agere, est peccatum:* Nam agere communiter & in genere contra conscientiam statuentem, judicantem, credentem, assentientem, hoc quod fit esse peccatum, est peccare: at triplex hæc conscientia statuit, judicat, credit, assentitur, hoc, quod contra se fit, esse peccatum: licet diversi sint termini medii, quibus quæque judicat. Ergo, &c. Certe homo, qui per conscientiæ dictamen judicat, credit, assentitur ac statuit, aliquid esse peccatum aut malum, non debet hoc velle: Ergo, qui vel *certo* ac *vere scit* atque *evidenter, per Syll. Apod.* vel qui *fallaciter per errorem, per Syll. Sophist.* (sed tamen *firmiter statuit ac credit, assentitur*, vel qui *probabiliter per opinionem judicat, per Syll. Dialecticum*, aliquam actionem esse malam, non debet eam velle: si velit, peccare vult, & jam volendo peccat. At qui agit contra conscientiam rectam, erroneam, probabilem, is vult actionem: de qua uno ex tribus istis modis judicat, eam esse malam. Ergo peccat. *Secundum conscientiam rectam vel probabilem, qui agit*, rectè facit, ac *non peccat. Secundum conscientiam erroneam, qui agit, interdum peccat, interdum non: Peccat tam, qui secundum, quam qui contra conscientiam erroneam, agit, (a) cum error est vincibilis & de re per se mala: at si error fuerit invincibilis aut de re per se indifferenti, peccat, qui contra, sed non qui secundum eam facit. Contra dubiam aut secundum illam conscientiam, nemo agere potest*, quia hæc dubitat, an sit bonum aut faciendum, an sit malum aut fugiendum: nam qui neutram contradictoriarum certo statuit aut credit, contra ejus judicium, aut secundum illud, fieri nihil potest, quia nullum est: at dubitans conscientia suspendit judicium, & neutram partem determinat, actionem vel faciendam vel omittendam. Ergo contra aut secundum eam agi nihil potest; ideoque, ut ante monuimus, improprie hæc conscientia aut judicium dicitur. *Scrupulosa conscientia alteri contradictionis parti adhæret, & quidem optimæ; statuit enim aliquid esse licitum, quod licitum est, sed cum formidine peccati, atq; ea quidem temerariâ & sine fundamento:* quod peccare timeat, hoc laudabile est: quod inepte timeat, periculosum, non tamen peccatum: omne enim peccatum sc. actuale voluntarium est: at scrupulus offendens conscientiam non est voluntarius, sed invitum lædit hominem, Ergo, &c. *Si scrupuli excuti atque amoveri possunt, qui secundum eam agit* conscientiam iis sublatis, quandoquidem agit quod licitum est & licitum esse statuit, *rectissime facit: qui contra* eam agit, *peccat: at si scrupuli isti tolli nequeant*, quin molesti adhuc sint, *id tamen agere*, quod licitum est & esse statuit, manentibus scrupulis, conscientia scrupulosa, *non est peccare:* quia illud est agere non

contra

contrā conſcientiam ſcrupuloſam, ſed ſecundum eam contra ſcrupulos ſine cauſa motos: imo prodeſt agere ex judicio conſcientiæ ſcrupuloſæ contra ſcrupulos, eos contemnendo, & pro futilibus habendo. Nam ex tali modo agendi contra ſcrupulos obortos ac reſiduos, conſcientia ſcrupuloſa tandem ab iis liberatur, & in agendo, quod licitum eſt & eſſe ſtatuit, confirmatur. Sed de *conſcientia*, quæ intelligitur hîc *recta ac probabilis*, quæ eſt prima ſpontaneæ actionis conditio: hæc ſufficerint, nunc alteram videamus, quæ eſt, *ut actionis ſpontaneæ* in agente *principium* detur *intrinſecum*.

(a) Error dicitur vincibilis, qui ab errante vinci, ſeu ſuperari, i. e. præcaveri, & præveniri potuit ab ipſo; invincibilis eſt, qui non potuit.

Res per ſe mala eſt, quæ lege ſc. naturæ aut verbo Dei eſt vetita; Res per ſe bona eſt, quæ lege ſc. naturæ aut verbo Dei eſt præſcripta; Res per ſe indifferens eſt, quæ ex ſe nec bona, nec mala, nec præſcripta, nec vetita eſt lege ſc. naturæ aut verbo Dei.

Error vincibilis eſt in Pontificiis, quia judicant eſſe abſtinendum à carnium comeſtione, tempore quadrageſimarum, quia illum & prævenire potuerunt, & deponere poſſunt, melius inſtructi ex verbo Dei; & abſtinere à carnibus comedendis illis temporibus, eſt res per ſe mala, quia omni tempore omnem ſumere cibum ut licitum in verbo Dei eſt præſcriptum, habetur enim alibi, quod omnis cibus ſit purus, modo cum gratiarum actione ſumatur: ideoque peccant Pontificii, cum ſecundum Conſcientiam Erroneam ſuam à Carnibus illis temporibus abſtinent.

V. Per *principium intrinſecum* intelligimus *voluntatem*: actum *homo ſponte agit ex principio intrinſeco*, *quando vult* hoc quod agit, ſive ex ratione recta, ſive ex libidine, ſive ex ira, ſive ex triſtitia & metu, &c. agat. Licet autem ſcientia aut conſcientia ſit principium intrinſecum ſponte agentis, quia ei ineſt, κατ' ἐξοχὴν tamen voluntas hîc ita dicitur, quia ſcientia nullius actionis principium extra ſe eſt, niſi media voluntate: hic enim ordo eſt in ſponte agendo: ut primum agens actionis ſuæ finem præcognoſcat, omnes ejus circumſtantias examinet, an actio fini obtinendo inſerviat nec ne, utrum ſit honeſta ac licita nec ne, & tum voluntati vel appetendam vel fugiendam imperet: quæ imperio intellectus jubentis morem gerens viciſſim imperat ac jubet facultatibus inferioribus, ut eam executioni mandent: unde actiones à principiis ſuis & facultatibus, ſc. inferioribus, productæ, dicuntur à voluntate & non ab intellectu tanquam à principio intrinſeco profectæ, quia à voluntate proxime jubentur & imperantur. Atque hinc manifeſtum eſt, per actionem ſpontaneam, à nobis ex *Ariſtotele* definitam & explicatam, intelligi actionem imperatam, id eſt, ab alia facultate, quam intellectu aut voluntate, ab utriuſque tamen imperio, profectam: ſicuti oppoſite, ipſius intellectus & voluntatis imperantis, utriuſque actiones immediatæ, vocantur elicitæ, de quibus alias erit agendi locus.

VI. Si actio ſpontanea ab homine proficiſcatur per intellectus & voluntatis imperium, ut eſt explicatum, ſequitur, 1. *idem eſſe in homine ſpontaneum & voluntarium*, prout hoc actionibus imperatis tribuitur; 2. τὸ *ſponte tribui brutis & rebus inanimatis*, cum nec ſcientia ſeu conſcientia nec voluntas in rebus illis ſit: & τὸ ἑκούσιον ſpontaneum differentia eſt actionis humanæ ſeu hominis, non bruti aut rei inanimatæ, quæ circumſtantias, τὰ καθ' ἕκαστα, non conſiderant. (a) Non equidem diffitemur rebus illis nonnunquam tribui τὸ ſponte operari, ut cum dicitur, lapis ſponte deſcendere, planta ſponte crēſcere, bos ſponte ſequi pabulum: at vero ſecundum ſpontanei definitionem Ariſtotelicam τὸ ſponte ipſis non competit: nam plantæ & res inanimes plane non cognoſcunt, & bruta licet cognoſcant, non tamen cognoſcunt τὰ καθ' ἕκαστα ſeu circumſtantias ſingulares: hoc enim tantum cadit in agentia, quæ cognoſcunt finem formaliter, ad quem actio ſpontanea ſecundum omnes circumſtantias judicata, & ex imperio voluntatis, tanquam principii intrinſeci, inſtituta, tendit: (b) at bruta formaliter finem non cognoſcunt: eſt enim in illis cognitio rei, quæ eſt finis, non qua eſt finis: quare neque ἑκούσια, neque ἀκούσια, neque ſpontanea, neque invita, id genus agentia dici velim, ſed (c) media potius negationis eſſe,

inter ſponte & invite agere, id eſt, bruta neque ſponte agunt, neque invite, quod idem de pueris, ante rationis uſum operantibus, & fatuis adultis, ſtatuendum exiſtimem: aut ſi his & brutis τὸ ſponte agere concedatur, eo ſenſu eis tribui debet, quo & voluntarium utriſque ab *Aquin.* & *Scholaſticis in* 1. 2. *Sum. Theol. quæſt.* 6. *art.* 2. tribuitur, ſcilicet, *imperfecte & improprie:* nam τὸ ſpontaneum & voluntarium perfecte ac proprie, ut bene notat ibid. *Aquin.* eſt, cujus principium eſt in agente cum cognitione finis ſub ratione finis, & mediorum ſub ratione mediorum, quod in pueros ac bruta & faruos, non cadit, ut jam eſt dictum.

(*a*) Sponte interdum de eo dicitur, quod non cogitur à Ptincipio exttinſeco, ſic Aves ſponte volant, & piſces ſponte natant, quia nec ad volandum, nec ad natandum coguntur: interdum Sponte ſignificat non tantum, quod non cogitut, ſed & quod agit ex ſingulatium circumſtantiatum cognitione facta per Rationem, ſic nec aves, nec piſces, ſponte agunt, quia Ratione carent.

(*b*) Finis dicitur cognoſci matetialiter, cum cognoſcitur tantummodo illa tes, propter quam aliquid fit, licet non cognoſcatur iſta habitudo, quam dicit finis ad media, quæ ptopter finem obtinendum adhibentur: dicitur finis cognoſci formaliter, cum non tantum cognoſcitut res quæ eſt finis, ſed qua eſt finis, i. e. cum cognoſcitut ratio mediorum ad finem, ſeu, cum agens cognoſcit finem non poſſe obtineti, niſi per illa media, & media uſurpari ptopter finem intentum: ptius eſt ſimplicis judicii, poſtetius eſt ratiocinationis, ideoque ptius cadit in btuta, poſterius in hominem, btuta enim non ratiocinantur; ſpontaneum cum dicit cognitionem in eo agente, quod ſponte agit, dicit cognitionem finis formaliter, qua eſt finis, & mediotum ac citcumſtantiatum, quatenus in finem iſtum tendunt; quæ cognitio cum ſit ſolius hominis, non brutorum, etiam ſpontaneum proprie cadit in ſolum hominem, non in bruta, & quia voluntatium exigit ptæviam cognitionem rerum, non tantum quæ ſunt finis & media, ſed qua ſunt finis & media, etiam illud hominis eſt ptoptium, non brutorum, idemque eſt quod ſpontaneum ſtricte dictum.

Finis cognoſcitut duobus modis, Matetialiter & formaliter; Matetialiter, cum cognoſcitur tantum Res, quæ eſt finis, & ſic cognoſcitur à Brutis: fotmaliter, cum cognoſcitut non tantum Res, quæ eſt finis, ſed quà finis, id eſt, cum cognoſcitut Ratio finis ad Media, & mediotum ad finem; quæ cognitio non habetur, niſi per diſcurſum, qui cadit in ſolum Hominem, & non in Bruta.

(*c*) Medium negationis eſt, quando utrumque extremum negatut.

VII. Quæratur aliquis, *an, ſi eadem ſit actio ſpontanea & voluntaria, cum utraque etiam ſit eadem libera?* Reſp. (*a*) ſi de actione imperata loquaris, ita eſſe: nam libera actio nihil exigit aliud, quam ut à voluntate, intellectus imperantis dictamen ſequente, proficiſcatur: hoc enim liberæ actioni eſt eſſentiale: indifferentia quippe, quæ vulgo hîc exigitur, eſt ei mere accidentalis: utrumque autem illud, eſſe à volunrate, ut à principio intrinſeco, prævio tamen intellectus judicio, in actione reperiri ſpontanea & voluntaria, jam eſt demonſtratum. Verum hæc omnia diſputationibus ſecuturis clariſſima evadent.

(*a*) Actio imperata eſt omnis illa, quæ non immediate producitur ab intellectu & voluntate, talis enim, ut intellectio & volitio, quæ utraque immediate ab intellectu & voluntate proficiſcitur, dicitut elicita, ſed quæ ex intellectus & voluntatis impetio ab alia facultate ptoducitut, proxime, dicitut impetata, ut eſt, ambulatio, locutio, &c. ambulamus enim & loquimur, quia intelligimus & volumus ita agere.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM SEXTA,

DE INVITO.

THESIS I.

ACTIONIS humanæ duas fecimus *diſput. præced. differentias*, ἑκούσιον & ἀκούσιον, *ſpontaneum & invitum.* (*a*) Ut actio ſit *ſpontanea*, in homine requiri oſtendimus ex *Ariſto-*

Aristotele, primum *notitiam*, ut qui agit sciat quid agat, deinde *voluntatem*, ut consentiat ei actioni. Quod si altera harum conditionum absit, actio dicitur *invita*: unde ἑκούσιῳ inviti duas fecit species *Philosophus, l. Eth. 3. c. 1.* δοκεῖ δὲ ἀκούσια εἶναι τὰ βίᾳ, ἢ δι' ἄγνοιαν γινόμενα. *Videntur igitur invita esse, quæ vi, vel per ignorantiam, fiunt.* Quando abest ab actione hominis voluntas, sc. ut non consentiat, est *invita per vim* seu *violenta*: quando abest notitia, est *invita per inscientiam* seu per *ignorantiam*. Nos de utraque inviti specie hac disputatione agemus, prius de *violento*, mox de *invito per ignorantiam* dissertaturi, secuti in eo ordinem ipsius *Philosophi, lib. & cap. cit.*

(a) Divisio actionis in spontaneam & invitam, est, nec integri in membra, nec generis in species, nec divisio per se, sed per accidens, & ea, effecti per causas efficientes; nam, cum intellectus & voluntas sunt causæ actionis, est spontanea, cum aliquid aliud, præter illas facultates, est causa efficiens earum, ut vis aut ignorantia, est invita.

II. *Violentum* seu *actio invita per vim* est, cujus principium est extra agentem, vel patientem, id est, voluntatem agentis, vel patientis, ut is, qui agit, vel patitur, nihil adjumenti, ex propria quidem voluntate, conferat ad actionem vel passionem: hæc descriptio est ipsius *Arist. ibid.* tota vero in eo consistit, ut vis ipsa sit agendi causa & principium extrinsecus accedens, id est, ita externum, ut, qui vim patitur, nihil opis operæve conferat ad id quod agit, imo ne consensum quidem: quin ut actioni resistat potius ac renitatur. Itaque, ut aliquid vi factum ac vere violentum censeri possit, non sufficit ab externa id factum & profectum esse causa, sed ita oportet esse factum, ut ad illud nihil voluntatis contulerit is, qui per violentiam agere dicitur: Nam alioquin fieri posset, ut quis ab externa causa principioque feratur, impellatur, deportetur, sed tamen libens ac volens, i. e. interiori causa, quæ voluntas est, ad motum illum impulsumque aliquid conferente, sc. consensum. *Aristot. l. & c. cit.* eleganter ad explicandum violentum proponit duas similitudines & exempla earum rerum quæ vere per vim factæ dicendæ sunt: alterum est venti vehementissimi hominem nolentem, restitantem, repugnantem, auferentis & absportantis: alterum eorum, qui à dominis, in quorum sunt & manu & potestate, sive ab aliis valentioribus & potentioribus, nolentes aguntur & impelluntur.

III. Notandum hîc venit, *Violentum* opponi, & *spontaneo*, & *naturali*: cum *spontaneo* opponitur, tantum reperitur in iis, quæ agunt propter finem & propositum formaliter, i. e. cognitum ut finem: cum opponitur *naturali*, tam in rebus animatis quam anima carentibus reperiri potest. Priori modo & oppositione hîc à nobis sumitur: nam in rebus naturalibus potest esse violentia, in quibus, neque movens, neque id, quod movetur, habeat voluntatem: ideoque tale violentum tunc invitum nullo modo dici potest: ut, si vehemens ventus lapillum abripiat & sursum tollat, is motus est violentus, ut opponitur naturali, non item ut spontaneo: at, cum homo trahitur ex puteo, vel manus elevatur, motus item est violentus utrobique, sed violentiâ, quæ contrariatur naturæ, non voluntati, ideoque neutrobique actionem invitam facit.

IV. *Invitum per ignorantiam* explicari recte nequit, nisi primum varias ignorantiæ species ac distinctiones proferamus: quod ipse factitavit *Aristoteles l. & c. cit.* cujus & exemplum & ductum sequemur. Distinguit *Philosophus* inter *ignorantiam*, quam *comitatur* & sequitur dolor ac *pœnitentia*, & inter eam, quæ *nullum* habet subsequentem *dolorem* ac pœnitentiam. Prioris ignorantiæ exemplum nobis exhibet Oedipus, qui per ignorantiam, & patrem occidit, & cum matre nuptias contraxit, ac rem habuit; quod cum cognovit, tam ingenti dolore tantaque animi pœnitentia est correptus, ut ipsi sibi oculos eruerit; *Atque hac pœnitentia subsecuta, factum ejus utrumque, invitum reddit, ostenditque ipsum, nec scivisse, quid fecerit, nec voluisse, quod fecit. Posterioris ignorantiæ exemplum est is, qui forte fortuna telo emisso inimicum occidat ignorans, sed re cognita, necem probet & facto late-*

latetur. Hæc ignorantia actionem talem non reddit invitam: (*a*) etsi enim agens ignoraverit quid egerit, quia tamen facti eum non pœnitet, signum id est, ei non defuisse voluntatem: ideoque ejus actio non potest dici prorsus invita. Quid ergo? an fuerit spontanea? sed ne hoc quidem dici potest, cum in omni actione spontanea requiratur scientia. Quid igitur? egit & fecit talis, ut loquitur *Arist.* οὐχ ἑκὼν, non volens, non sponte, quia voluntas non fertur in incognita, sed nec ἄκων, invitus, quia rem probavit & lætatus est facto. Nimirum, inter volentem seu spontaneum, qui dicitur ἑκὼν, & nolentem seu invitum, qui dicitur ἄκων, tertium *Arist.* collocavit, qui dicitur οὐχ ἑκὼν nec volens & οὐκ ἄκων nec nolens: spontaneus sive volens est, qui non modo sponte volens sed scienter agit: nolens seu invitus, qui per ignorantiam agit, voluntate non approbante actionem, ubi resciverit. (*b*) Non volens, qui faciens ignorabat quidem quod faceret, atque adeo dici quodammodo posset involuntarius, cum voluntas sine cognitione esse non possit, invitus tamen fecisse dici non potest, quia factum jam cognitum lætitia comprobavit: quamvis enim hic etiam absque rei cognitione ac voluntate fecit, quia tamen à priori longe differt propter approbationem illam operis postea cogniti, suum, inquit *Philosophus*, debet habere nomen distinctum, ac dicitur proprie non volens, οὐχ ἑκὼν, & οὐκ ἄκων, non nolens.

(*a*) Ergo dolor & pœnitentia, subsequentes actionem, tum demum eam reddunt invitam, quando hæc proficiscitur ex ignorantia antecedente, invincibili, particulari ratione objecti: non item quando sequitur actionem profectam ex ignorantia consequente, vincibili, vel in se, vel in sua causa, universali ratione subjecti: ut cum aliquem pœnitet actionis commissæ ex ira aut ebrietate.

(*b*) Qui aliquid facit ignorans, quod tamen, postquam scivit, non est præter ejus voluntatem, is est quasi medium negationis, inter voluntarium & invitum, nam nec sponte agit nec invite: non sponte, quia abfuit Scientia, quæ requiritur in spontaneo: non invite, quia, postquam scivit, adfuit voluntas, quæ abesse debet ab invito.

V. Distinguit insuper *Philosophus l. & c. cit.* inter (*a*) *agere ignorantem seu ignoranter, & agere ex ignorantia seu per ignorantiam. Ignorans* seu *ignoranter agit*, qui tunc, quando agit, ignorat quidem, quid agat, sed tamen ignorantia illa non est præcipua causa actionis, sed aliud quiddam, quo sibi ignorantiam acquisivit: hoc modo, quæ ab ebriis, iratis, aliave animi commotione perturbatis hominibus, fiunt, ab ignorantibus fiunt, verum ignorantia proprie non est actionis causa, sed ebrietas, ira, similisve animi perturbatio. *Per ignorantiam* seu *ex ignorantia agere* dicitur is, in quo ipsa ignorantia est causa actionis, non aliud quid, quod ignorantiam invexit: *hæc posterior reddit actionem invitam, prior non item.* Hinc nata est *Aquinati & Scholasticis* usitata distinctio ignorantiæ in *Antecedentem, Concomitantem,* & *Consequentem.* Agere per ignorantiam est, agere ex ignorantia antecedente. Agere ignorantem est, agere ex ignorantia comitante ac consequente: (*b*) *Antecedens ignorantia* est, quæ est causa ipsa volendi & faciendi, quod quis alioquin nec vellet nec faceret, si sciret: hæc ignorantia reddit actionem invitam, si nec sit affectata, nec ex negligentia profecta, atque eam sequatur pœnitentia: hinc enim semper de invita actione judicium est ferendum. Exemplum ejus est, si quis venationi intentus post omnem diligentiam à viro prudenti adhibendam inter vepres aprum latere existimet, cum tamen amicus latear, & hunc inscienter interficiat, aut si quis venenum det alteri putans se vinum dare, cum melius nescire potuerit. (*c*) *Ignorantia concomitans* est, cum quis ignorans aliquid facit, sed quod committeret nihilominus si sciret, & cum factum probat: cujusmodi fuit, qui lapide in canem conjecto novercam percussit, quam odio persequebatur, aut qui hostem occidit, quem esse hostem ignorabat, occisurus tamen, si sciisset. *Hæc ignorantia actionem non reddit invitam*, quia eam non sequitur pœnitentia; neque tamen actio spontanea est, quia ignorata fuit, & ex inscientia commissa, cum in spontanea requiratur scientia, *ut thes.* 4. *& disputatione præcedent. est dictum:* novo itaque nomine appellanda venit: & qui sic agit, dicitur agere non volens

volens οὐχ ἑκὼν & non nolens οὐκ ἄκων. (d) *Ignorantia consequens* est, 1. qua quis ignorans facit, sed ignorantia, quam ipse sibi conquisivit, qua non laborare potuisset, si voluisset; unde hujus ignorantiæ ipsa ignorantis voluntas causa est, & ipsa ignorantia ab ignorante est, (ut cum Scholasticis loquamur) volita, vel explicite vel implicite. Cum quis expresse, explicite, vult aliquid ignorare, dicitur ignorantia *affectata*, ut si quis nolit cognoscere præcepta vitæ recte instituendæ, quo liberius peccet. Cum quis quidem non simpliciter ignorare voluit, sed ignorat tamen, quod scire poterat ac debebat, dicitur ignorantia *supina* vel *crassa*; quamvis nonnulli adhuc Ethici inter duas hasce distinguant: *supinam* vocant, qua quis ex tædio laboris & industriæ negligit ea scire, quæ sui sunt muneris atque officii: *crassam*, qua quis gravissima socordia ignorat ista, quæ debent nosse universi; qualis est ignorantia juris communis: utraque *implicite* est *volita* ab ignorante. *Nulla ignorantia consequens*, nec affectata, nec supina, nec crassa, *facit actionem invitam*, quia ei, qui ignorare voluit, & ignorantiam, cum potuit, non exuit, per ignorantiam agere placuit: hinc nec veniam meretur, nec peccantem ex tali ignorantia excusat.

(a) Vterque, quo tempore agit, ignorat hoc quod agit, & is, qui Aristoteli dicitur agere ignorans seu ignorantet, & is, qui ipsi dicitur agere ex ignorantia, seu per ignorantiam; sed discrimen in eo est, quod in priori aliquod sit animi corporisve vitium, quo ipse sibi causa est ignorantiæ suæ, qua laborat, cum agit: in posteriori nullum sit aut corporis aut animi vitium, quod ignorantiam invexerit in ignorantem: ideoque cum prior ignorantiam suam prævenire potuerit, quia potuit non laborare isto animi corpotisve vitio, quod ignorantiam introduxit, idcirco ejus actio, quam ignorans seu ignorantet egit, non est invita, sed spontanea, aut saltem mixta: sed posterior, cum ignorantiam suam præcavere nequiverit, hoc quod ex ignorantia egit, egit invite.

(b) Ignorantia antecedens dicitur dupliciter modo, & quia antecedit actionem agentis, & quia antecedit voluntatem agentis: neque enim ignorat, quia voluit, sed præter & contra voluntatem suam ignorat. Res manifesta est in exemplis allatis in textu.

(c) Actio profecta ex ignorantia concomitante, est medium negationis inter actionem spontaneam & invitam, quia nec spontanea est nec invita; non spontanea est, quia deest conditio spontanei, scil. scientia: non invita est, quia deest conditio actionis invitæ, scil. pœnitentia.

(d) Ignorantia consequens non sic dicitur, quasi ipsam actionem agentis consequatur; cum enim omnis ignorantia actionem ex se profectam antecedat, nulla potest dici ipsam actionem agentis consequi: sed vocatur consequens, quia consequitur voluntatem agentis, qui ignorat hoc quod agit, quia voluit.

Ignorantia consequens dicitur non illa, quæ factum sequitur, aut actionem, nam tum non posset dici proficisci ab ignorante; sed dicitur talis, quia consequitur ipsam voluntatem ignotantis, id est, quando quis, qui ignotans agit, prius voluit ignotare id quod agit, ut, cum quis aliquid agit ignorans ex ebrietate, ignorantia quidem præcedit actionem, sed consequitur voluntatem ejus, qui sese inebriavit, & inebriando ignorantiam sibi contraxit, & invexit; hæc enim ignorantia, ejus voluntatem consequitur, ignorat enim, quia voluit: sed ignorantia antecedens dicitur, quæ & actionem præcedit, & voluntatem ipsam agentis, quando quis non tantum facit, quod ignorat, sed insuper scire non potuit, licet scire voluisset: unde de eo non licet dicere, ignoravit, quia voluit, quia voluntas ejus non est causa ignorantiæ, nec aliquis, aut Animi, aut Corpotis affectus, quem voluntario acquisivit, sed & voluntatem ipsam, & Affectum omnem antecedit.

VI. Refert *Aristoteles* adhuc aliam ignorantiæ distinctionem, *l. & c. cit. Ignorantia* ipsi est alia τῆ καθόλε, id est, *rei universæ*, alia τῆ καθ' ἕκαστα, id est, *rerum seu circumstantiarum singularium*. Prior ibidem dicitur Philosopho ἄγνοια ἐν προαιρέσει, *ignorantia conjuncta cum electione agentis, qua quis ignorat, quia voluit ignorare*, & ἄγνοια τέλες, *ignorantia finis*, τῆ καλε, *honesti*, τῆ συμφέροντος, *utilis*. Latinis dicitur ignorantia *ratione subjecti*, estque eadem, quæ ignorantia consequens, quia subjectum ipsum i. e. homo qui agit ignorans est causa ignorantiæ; & (a) *juris universalis*, quia unusquisque ante suam actionem merito & *jure* tenetur scire, quid sit honestum, quid utile, quid inhonestum, quid inutile;

nam omnium hominum animis insculptæ sunt notiones honesti & inhonesti, ideoque unusquisque scire potest, quid sit bonum, quid malum; & *universalis* simpliciter, quia non circa unam actionis circumstantiam versatur, sed circa totam actionem: Nam qui ignorat finem suæ actionis, is errat circa totam actionem: *hæc ignorantia non reddit actionem invitam*, adeoque nec veniam meretur nec excusationem actio ex tali ignorantia profecta. Ignorantia τῶ καθ' ἕκαστα Latinis dicitur ignorantia (*b*) *ratione objecti*, est eadem, quæ ignorantia antecedens, quia causa ignorantiæ est ipsum objectum quod præsciri non potuit; & *juris particularis* ac *facti*, quia agens ignorat hoc jus particulare in quod peccat, & ignorat factum quod committit: utrumque sine sua culpa; & *particularis* simpliciter, quia ignoratur circumstantia aliqua singularis, vel personæ, vel loci, vel temporis, similisve, quam tamen ignorans præscire non potuit: exemplum ante fuit allatum in Oedipo. *Hæc ignorantia*, quia dolo caret, quia nostra nec culpa nec negligentia est genita, *actionem reddit invitam*, veniamque meretur actio & excusationem, si eam consequatur *pœnitentia*. Τὰ καθ' ἕκαστα, *singularia* hic sunt *Aristoteli*, quæ Rhetoribus περιστάσεις, Latinis Philosophis *circumstantiæ* appellantur, in quibus actionis præcipua vis & bonitas ac malitia consistunt. Eæ sunt, τίς, τί, πνί, περὶ τί, ἕνεκα τινός, πῶς, πότε, ὅτε. Scholastici comprehenderunt hoc versiculo: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Ex hisce duæ sunt *primariæ*, Aristoteli κυριώτατα, res ipsa quæ agitur seu *objectum* & *finis* propter quem actio suscipitur: reliquæ sunt *minus principales*: omnes tamen actionem multis modis possunt variare, ideoque earum notitia agenti maximè est necessaria, & *earum ignorantia*, si absit dolus ac malitia, *actionem potest facere invitam*: nunquam tamen simul possunt omnes ignorari, nisi forte agens mente sit captus plane & stultus, quod *cap. cit.* monet ipse *Philosophus*, qui fusius de *circumstantiis* ibi agit & videri potest.

(*a*) Ius universale nihil est aliud, quam principia generalia justi & injusti omnium hominum animis insita, & regulæ communes honesti & turpis, nulli mortalium ignorandæ.

(*b*) Ignorantia ratione objecti, seu juris particularis, ac facti aut circumstantiarum singularium, est Ignorantia Antecedens: Ignorantia Ratione subjecti seu juris universalis aut Rei universæ, est ignorantia consequens.

VII. Post ignorantiæ distinctiones ex *Aristotele* allatas & ad mentem ejus explicatas, aliæ insuper videndæ restant, à *Scholasticis* proferri solitæ. (*a*) *Ignorantia* est vel *theoretica*, cum ignoratur, an res sit, quid sit, qualis sit, vel *practica*, cum ignoratur, an res sit bona vel mala. *Invitum ex practica* non theoretica *ignorantia judicandum* est ac mensurandum.

(*a*) Cognitio Theoretica est cognitio veritatis; practica, bonitatis; ergo ignorantia theoretica est ignorantia veritatis, & ignorantia practica bonitatis. Quemadmodum Intellectus Theoreticus versatur circa verum & falsum, Practicus, circa bonum & malum, ita Ignorantia Theoretica est, quâ nescitur, veritas aut falsitas, & Practica est, qua nescitur bonitas aut malitia.

VIII. (*a*) *Ignorantia* est vel *vincibilis* vel *invincibilis*. *Vincibilis* est, cum ea quis ignorat, quæ poterat & debebat scire, sic dicitur, quia adhibito studio *vinci*, id est, superari atque expelli potest: hæc est eadem quæ ignorantia consequens. *Invincibilis* dicitur, cum ea quis ignorat, quæ scire, nec poterat, nec tenebatur; sic dicitur, quia *vinci* nec potest nec debet: hæc est eadem quæ ignorantia antecedens: hanc *Iurisconsulti* vocant *probabilem* vel *justam* ignorantiam, vincibilem vero, *improbabilem* vel *injustam*, quia leges, canones, & jura, invincibilem ignorantiam approbant, alteram improbant, quia illa sine culpa, hæc mala fide contrahitur. *Invincibilis* ignorantia, si non tantum in se, sed in sua causa, sit talis, *reddit actionem invitam*, si eam sequatur pœnitentia: *vincibilis minime.*

(*a*) Dicitur Ignorantia invincibilis in se, quando eo ipso tempore, quo quis ignorat, quod agit, ignorantiam istam vincere atque tollere nequit, ut quando quis nimia ira abreptus ignorat, quod agit, nec pro illo tempore ignorantiam exuere valet, quia itam deponere è vestigio nequit: attamen ista ignorantia est vincibilis in sua causa, quia

quia potuit in tantum non irasci, ut sibi talem ignorantiam compararet.

Ignorantia Invincibilis in sua causa dicitur, quando non tantum quis ignorat, quod facit, quod pro præsenti tempore scire non poterat, sed quod nec ante scire potuit, sic ut nulla causa ignorantiæ fuerit in ignorante.

IX. (a) *Denique, ignorantia est alia pravæ dispositionis, alia puræ negationis, alia privationis. Prima* est, cum alicujus intellectus falso judicat: tunc enim, quia non solum ignorat, sed errat, dicitur prave dispositus, i. e. male affectus. *Secunda* est, cum quis non habet notitiam, nec eam habere potest, nec debet: dicitur vulgo *nescientia:* sic rusticus ignorat res Mathematicas. *Tertia* est, cum quis caret notitia rei, quam nosse potest ac debet, ut si judex aliquis nesciat leges, quas ratione officii scire debebat. Hæc dicitur *privativa*, quia privatio est alicujus formæ absentia in subjecto, quod potest ac debet eam habere. Ignorantia *secunda* facit actionem invitam, item *prima*, *si error* in se aut suis causis ab ignorante *præcaveri non potuit*, ac subsequatur actionem pœnitentia: *si contra, nec prima*, nec *tertia* ignorantia *invitam reddere actionem valet.* Sed de ignorantia & invito in universum jam satis.

(a) Ignorantia, vel negat apprehensionem simplicem mentis, quando quis ignorat ipsas voces, & terminos simplices, quæ est ignorantia puræ negationis, & Antecedens: vel negat veritatem operationis complexæ mentis, seu conjunctionis, & divisionis, & vulgò dicitur Error, estque, qua quis cognitis terminis simplicibus, & vocibus, sub iis erroneum format de rebus intellectis judicium; estque hæc Ignorantia, vel pravæ dispositionis, vel privationis: utraque consequens, si is, qui ignorat, ignorantiæ suæ causa est.

Ignorantia puræ negationis est, cum quis ignorat, quod nec potuit nec debuit scire: privationis cum debuit scire: pravæ dispositionis cum potuit scire.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM SEPTIMA, DE ACTIONIBUS MIXTIS.

THESIS I.

Aristotelis l. 3. Ethic. ad Nicomach. cap. 1. ductum secuti, exposuimus disputatione præcedenti 5. & 6. actionis humanæ differentiam, qua alia est *spontanea* seu *voluntaria*, alia *invita* seu *involuntaria*, tum per *vim*, tum per *ignorantiam:* sed dum in hisce explicandis versatur *Philosophus cap. cit.* geminam sibi objectionem proponit, unam *prima cap. cit. parte*, alteram *postrema.* 1. Quærit, *An, quæ actiones suscipiuntur per metum, vel evitandi summi alicujus mali, vel consequendi summi alicujus boni, causa, sint spontaneæ vel invitæ?* veluti, ut exemplo Philosophi utamur, si tyrannus aliquis mandaverit alicui, ut turpe quippiam faciat, quod nisi fecerit, fore, ut & ipse & liberi occidantur: vel, si mercator oborta tempestate pro salute sua & aliorum ad exonerandam navem projiciat merces suas in mare: vel, si quis promittat latroni certam pecuniæ summam pro redimenda vita: de his & similibus actionibus respondet *Philosophus*, μικτὰ μὲν εἰσὶν αἱ τοιαῦται πράξεις, ἐοίκασι δὲ μᾶλλον ἑκουσίοις. *mixtæ sunt quidem hujusmodi actiones, sed magis tamen similes voluntariis.* Unde de *mixtis* actionibus disputandi ansa *Ethicis* est arrepta. 2. Quærit Philosophus, *An quæ actiones ex ira, cupiditate, alioque animi affectu ac perturbatione fiunt vehementiori, sint ac dici debeant invitæ?* quod negat ibidem *Aristot.* rationibus in medium allatis. Nos de utraque quæstione hac disputatione breviter agemus, & tum casus quosdam

quosdam morales huic materiæ affines proponemus.

II. Primam quod spectat quæstionem, *Actiones ex metu profectas, ex spontaneo & invito esse mixtas, magis tamen spontaneas, quam invitas dicendas*, tribus probat rationibus *Philosophus*, *l. & c. cit. §.* 1. Quarum actionum fines & circumstantiæ sunt positæ in nostra potestate, eæ magis sunt spontaneæ dicendæ quam invitæ. Sed actionum talium, ex metu proficiscentium, fines &c. Ergo, &c. *§.* 2. Quarum actionum principia & causæ sunt in ipso agente, eæ magis sunt spontaneæ quam invitæ. Atqui talium actionum, ex metu proficiscentium, principia &c. Ergo, &c. *§.* 3. Quas actiones sequitur laus vel vituperium, pœna vel præmium, eæ magis sunt spontaneæ quam invitæ. Atqui id genus actiones sequitur laus, &c. Ergo, &c. Probat minorem *Arist.* institutа divisione actionum mixtarum in quatuor species, quas deductas sua serie *in textu cap. citati* videre est.

III. Sed hic de modo loquendi exstitit inter *Scholasticos* quæstio: *an tales actiones debeant dici simpliciter invitæ & secundum quid spontaneæ, an contra secundum quid invitæ & simpliciter spontaneæ?* nam diversimode hic loquuntur: Nos omnium optime existimamus loqui, qui actiones à metu profectas *simpliciter spontaneas* vocant, & *secundum quid invitas*: unumquodque enim *simpliciter* dicitur esse secundum id, quod habet hic & nunc, omnibus circumstantiis ponderatis: at quod fit ex metu, hic & nunc, omnibusque circumstantiis consideratis, est spontaneum: eligitur enim à voluntate ad evitandum majus malum; sicut projectio mercium in mare eligitur ad evitandam mortem. Ergo &c. *Dices: Philosophus* disertis verbis *l.* 3. *Eth. c.* 1. aliter loquitur: inquit, *Spontanea igitur hujuscemodi sunt*, (quæ fiunt ex metu) *simpliciter vero invita, quippe cum tale quippiam per se eligat nemo.* Resp. removenda est vocula (*simpliciter*) ambiguitas: appellat enim his verbis *Philosophus* invitum *simpliciter*, quod est involuntarium nude, secundum suam naturam, atque in se spectatum, abstrahendo à circumstantiis: hoc sensu dicit ea, quæ fiunt ex metu, esse *simpliciter* invita: nos vero spontaneum seu voluntarium, *simpliciter*, accipimus pro eo, quod est voluntarium perfecte, & efficaciter, & omnibus circumstantiis consideratis: & sic certe sunt spontaneæ aut voluntariæ actiones ex metu profectæ. Sed ut omnis removeatur scrupulus, notandum venit, τὸ *simpliciter*, quando applicatur spontaneo aut voluntario ex metu profecto, tripliciter posse usurpari: primus sensus est, ut denotet illud, quod ira est voluntarium, ut nihil includat, aut contineat de invito, ut cum tribuimus Deo esse perfectum *simpliciter*, intendimus illi negare omnem imperfectionem; & sic non dicimus ea, quæ ex metu fiunt, esse voluntaria *simpliciter*: secundus sensus est, ut *simpliciter* dicatur voluntarium seu spontaneum, id, quod plus habet de spontaneo quam de invito; uti dicimus, hoc *simpliciter* melius est illo, licet in aliquo excedatur, aut ut Æthiops dicitur *simpliciter* niger, qui tamen secundum dentes est albus, quia albedo dentium respective ad totum corpus nulla est: sic nos hic dicimus spontaneum aut voluntarium *simpliciter*, quod ex metu proficiscitur: tertius sensus est, ut, quæ fiunt ex metu, dicantur voluntaria *simpliciter*, id est, secundum se & independenter à circumstantia imminentis mali, quod metuitur, quo sensu libenter concedimus, non esse dicenda *simpliciter* voluntaria aut spontanea, quæ ex metu fiunt, quia plerumque non nisi ob solum metum talia sunt.

IV. Secundam quod spectat quæstionem, *Aristoteles* cap cit. *actiones ex ira aut cupiditate, vel alia animi perturbatione profectas, ait esse spontaneas & non invitas*, ac varias profert ejus assertionis rationes, quas resolvemus. *§.* 1. Si quæ ab ira vel cupiditate proficiscuntur, sunt invita, non spontanea, Ergo nec pueri nec bruta quicquam agent sponte, quia ex cupiditate, aut ira, aut ex alio fere affectu agunt. Posterius est absurdum. Ergo & prius. Verumenimvero, hæc *Arist.* ratio ac ratiocinatio, non videtur mihi stringere: nam quod absurdum reputat, non est tale: non enim est absurdum, ut & bruta, & pueri ante rationis usum, nihil dicantur sponte agere, quia non sciunt

sciunt τὰ καθ' ἕκαστα, singulares circumstantias: bruta enim ratione carent qua scirent, pueri ejus usum nondum exerunt: sed nec invite agunt: verum non sponte, non invite, ac sunt medium negationis inter sponte & invite agere. §. 2. Ratio *Arist.* longe est melior. Si, quæ ex ira fiunt aut cupiditate, vel ex simili affectu, sunt invita, hoc debet intelligi, vel de omnibus omnino ejusmodi actionibus, vel de quibusdam tantum, puta, de turpibus & inhonestis. Neutrum dici potest: non potest intelligi de omnibus: quia quasdam actiones tales esse spontaneas ac voluntarias, nempe honestas, extra omne est dubium: v. c. decet expetere ac cupere res laudabiles & bonas, sc. famam, valetudinem, scientiam, &c. decet irasci improbis, Deum blasphemantibus, &c. At quæcunque decet facere, ea sunt spontanea: nec potest intelligi de quibusdam tantum ejusmodi actionibus, sc. de turpibus & inhonestis: nam quare magis de hisce quam illis dici debet quod sint invitæ, cum tam in turpibus & inhonestis, quam licitis ac honestis actionibus, ex ira, cupiditate, &c. profectis, voluntas sit causa? §. 3. Quæcunque invita sunt, ea molesta sunt. At ex cupiditate manantia facta non sunt molesta, nec ægritudinem sed voluptatem adferunt. Meminit *Aristoteles* in hac tertia ratione solius cupiditatis: at veto eadem est ratio iræ: nam & iratus gaudet vindictam sumere de inimico. §. 4 Ratio *Aristotelis* est obscurior: sed videtur hoc syllogismo concludi posse. Sponte facti & invite facti, vis & effectus hic est, quod alterum vitari possit, alretum non item: invite facta vitari non posse, certum est. Sponte facta vitari possunt, quia ea quis facere potest & omittere. Atqui tam quæ ex ira & cupiditate sunt vitari possunt quam quæ ex ratione recta. Ergo. §. 5. Quæ hominis ex se sunt propria, non sunt invita. Atqui ira & cupiditas sunt propria homini, sicuti & facta ex iis manantia. Ergo. Dices, ad Minorem: *An non ira & cupiditas etiam belluis competit?* Resp. Proprium hic intelligimus, non quod soli homini, sed quod omni convenit, atque ex natura sua. Atqui ira & cupiditas sic sunt propria hominis: nam animus hominis in tres quasi partes multis dividi solet, in rationem, iram, cupiditatem. Alii hanc rationem *Aristotelis* postremam sic formant. Nulla actio invita protsus debet dici humana, i. e. ut homo sit ejus Dominus. Sed actiones ex ira, aut cupiditate, aut simili affectu proficiscentes, sunt humanæ. Ergo, &c.

V. Gemina quæstione, quam ex *Aristotele* proposueramus, decisa, nunc *casus quosdam morales* proponemus hisce quæstionibus affines, ac primum de actionibus ex metu, mox de actionibus, ex cupiditate, ira, aut simili affectu, profectis. Ut casus circa actiones ex metu profectas resolvamus felicius, præmittenda est multiplex metus distinctio. *Metus*, qui nihil est aliud quam affectus appetitus irascibilis ortus ex apprehensione mali vel imminentis vel probabiliter venturi, dividitur multis modis. (*a*) 1. Alius est *justus*, alius *injustus*. 2. Alius est *probabilis*, alius *non probabilis*. 3. Alius est *levis*, alius est *gravis*. 4. Alius est *cadens in virum constantem*, alius *non item*. Metus justus, probabilis, gravis, cadens in virum constantem, est unus idemque, sed variis nominibus appellatur: dicitur *justus*, quia eum & actionem ex tali metu profectam leges excusant, quamvis contra eas committatur; *probabilis*, quia eum jura approbant; *gravis*, quia est alicujus magni ac jam instantis periculi; *cadens in virum constantem*, quia est metus, quem etiam solent habere viri constantes ac fortes, & qui suæ constantiæ ac fortitudinis laudem non amittunt, etsi quippiam ex tali metu agant: contra se habet res in metu oppositio.

(*a*) Metus justus nititur ratione recta, i. e. justa, probabili, gravi, & quæ deceat virum constantem ac fortem: quali metu justo omnes homines metuunt naturaliter mortem: Metus injustus nititur ratione erronea, i. e. injusta seu sine causa, ratione improbabili, levi, & quæ non cadit in virum constantem & fortem: ita pueri metuunt larvas.

VI. Quæritur §. 1. *An omnia mala metu justo & cadente in virum constantem sint metuenda?* Resp. Non. *Quanam igitur?* Resp. Justus est metus, mortis corporalis, amittendæ libertatis per servitutem aut captivitatem,

verberum, carceris, ſtupri, omniumque corporis cruciatuum. §. 2. *An metus, quo quis timet amittere omnia bona temporalia ſit juſtus?* Reſp. Ita: quia ea ſunt neceſſaria ad vitæ conſervationem & communes uſus. §. 3. *An metus ſit juſtus ſi quis timeat amittere majorem partem bonorum temporalium?* Reſp. Ita: quia eſt metus gravis & grandis mali. §. 4. *An metus infamiæ ac dedecoris ſit juſtus?* Reſp. Ita: quia fama eſt bonum majus bono fortunæ: ergo, ſi hujus, etiam illius, eſt juſtus metus. Diſtinguunt tamen hic *Caſuiſtæ* inter *infamiam facti & juris:* hujus metum eſſe juſtum, illius non item aſſerunt. §. 5. *An metus excommunicationis aut exilii ſit juſtus?* Reſp. Ita, ſi excommunicatio & exilium ſunt injuſta: quia gravius utrumque eſt malum dedecore aut bonorum temporalium jactura. §. 6. *An metus ſit juſtus, quo quis tenetur ex ſuo præcedenti delicto, aut ob cauſam juſtam antecedentem?* Reſp. Communis *Caſuiſtarum* opinio tenet eum non eſſe juſtum. §. 7. (a) *An mala facta ex metu cadente in conſtantem virum excuſentur in totum vel ex parte?* ſive; *An culpa careat malum, quod fit ex metu gravioris mali & ad illud evitandum?* Reſp. Mala, quæ ſunt ex ſe & ex natura ſua peccata, nullo metu excuſari: ideoque non licet mentiti, nec ullum omnino peccatum committere, metu mortis. At mala triſtia poſſunt committi ex metu & excuſari, ſi ſint minora, & ad majus malum tale evitandum. §. 8. (b) *An mala metu mortis commiſſa contra legem aliquam humanam, juſtam peccati excuſationem mereantur?* Reſp. Caſuiſtæ pletique affirmant: quia etſi leges humanæ habeant poteſtatem jubendi, quod cum mortis metu eſt conjunctum, non tamen ſemper ejuſmodi obligationis onus imponunt. §. 9. (c) *An metu mortis commiſſa mala contra legem divinam particularem ſcriptam, quam vocant poſitivam*, quales olim tum forenſes tum ceremoniales dedit populo Judaico Deus, ob peculiares cauſas, *mereantur excuſationem?* R. Ita: quia Ceremonia eſt res adiaphora: niſi violatio legis ſit cum contemtu fidei aut religionis, aut in ſcandalum & offenſionem aliorum. §. 10. (d) *An votum vel juramentum factum in naufragio, peſte, bello &c. cum metu imminentis mortis juramus vel vovemus, valeat atque obliget?* Reſp. Valere atque obligare, quia eſt metus non ab homine incuſſus, ſed ortus ex cauſis naturalibus ſecundum ordinem, à ſapienti præſcriptum Deo, agentibus. §. 11. (e) *An promiſſa, vel pacta, vel obligationes, vel contractus, metu in virum conſtantem non cadente, i.e. injuſto & ſine ratione facti, valeant?* Reſp. Eſſe irrita & non valere: adeoque in ſpecie, matrimonium per metum initum ſine rationem, ac juramento etiam confirmatum, non obligare: Atque idem dicendum, de ſponſalibus metu factis jurejurando confirmatis: ſi metus ſit juſtus, ſunt rata & valent, ut in caſu 10. Circa actiones ex ira aut cupiditate profectas hæc quæſtio moveri ſolet à Caſuiſtis §. 12. *An ira vel cupiditas &c. voluntarium ex parte minuat?* Reſp. ita: nam ſunt quidem voluntaria, ſed minus, quam ſi abſque ira vel cupiditate, &c. ex plena rationis deliberatione & voluntatis electione fierent: affectus enim iſti ſæpe rationem ac voluntatem in ſuis actibus perturbant.

(a) Malum eſt, vel turpe, ſive culpæ, vel triſte, ſive pœnæ: prius eſt peccatum, ut mentiri, poſterius eſt ſupplicium, ut Dedecus, & verbera &c.

(b) Duo hic dicuntur, 1. quod leges humanæ poſſunt jubere, id, quod cum mortis metu conjunctum eſt, ut, ſi quis militum præfectus jubeat huic aut illi iſtam adire ſtationem, ex qua certus ſit metus mortis, quo caſu miles obligatur ob ſtipendia, quæ meret. 2. caſus incidere poteſt, ut quis non obligetur legibus humanis, quando aliquid cum metu mortis præſentis eſt conjunctum, ut, cum quis metu mortis, quam intentat à tergo inſequens latro, & aliter evadere non poteſt, mœnia tranſnatat, quod alioquin à magiſtratu eſt vetitum; in tali caſu lex magiſtratus de non tranſnatandis mœnibus non obligat.

(c) Lex Divina particularis ſcripta & poſitiva dicitur, quam Deus dat Populo peculiari ob peculiares cauſas, uti erant olim Leges forenſes, & Ceremoniales datæ Populo Iudaico.

(d) Ratio reſponſionis eſt, quia talis metus juſtus eſt, nititurque ratione recta, caditque in virum probum ac conſtantem, ideoque quod ex tali metu promittitur, vovetur, vel juratur, obligat: atque ideo judicamus votum Iephthe tempore belli, quod gerebat, factum de eo immolando,

lando, quod primum sibi redeunti obviam veniret ex janua ædium suarum, ipsum obligasse, etiamsi primum egressa fuerit propria filia.

(e) Quod ex metu justo sit & cadente in virum constantem, illud promissum, pactum vel factum, non est irritum: sic non licet matrimonium solvere ob metum exhæredationis, aut vitæ amittendæ, si illud jam sit initum.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM OCTAVA,

DE INTELLECTU PRACTICO, & RECTA RATIONE.

THESIS I.

IN Disputationum harum serie, primum exposuimus *finem* Philosophiæ practicæ *ultimum*, *summum* hominis in hac vita *bonum*; mox finis ultimi consequendi *medium*, πρᾶξιν, *actionem humanam*, *liberam*, *spontaneam*, *disp.* 5. eique oppositam, *invitam*, *disp.* 6. &, inter hanc & illam, interjectam seu mediam, quam *mixtam* vocavimus, *disp.* 7. Nunc actionis spontaneæ, seu liberæ, seu humanæ, *principia* paulo plenius sunt consideranda, quæ sunt hic practica non theoretica, quod *th.* 7. *disp* 5. est promissum. *Actiones spontaneæ* sunt actiones *imperatæ*, ut *th* 5. *disp* 5. fuit indicatum: harum *principia* sunt, *actiones elicitæ & faculiates*, à quibus eliciuntur. Eæ, vel ad rationalem animam pertinent, suntque, *intellectus*, *voluntas*, *liberum arbitrium*, & *actiones singulorum*, vel pertinent ad animam sentientem, in quantum rationis aliquo modo in homine est particeps, utpote quæ rationali animæ conjungitur, ac subordinatur, & ab ea regitur ac gubernatur, suntque, (a) *appetitus sensitivus*, *ejusque motiones*, *sive affectus*. De hisce, sequuturis Disputationibus, agere est decretum, ac jam quidem de *intellectu*, prout nostro suffecerit instituto; neque enim omnia, quæ de intellectu disputari solent ac possunt, huc congeremus, ut, *An & quomodo ab anima rationali differat? an singularia, & quo ordine, prius ne quam universalia, intelligat? an sit geminus ac distinctus, agens & patiens?* hæc omnia explicanda sunt in *Physicis*. Nobis & nostro instituto convenit hæc unica *intellectus divisio*, qua dividi solet *in speculativum & practicum*, quam, omissis omnibus aliis de Intellectu disputari solitis, *hac Disputatione* nos proponemus atque exponemus.

(a) Appetitus sensitivus & Affectus spectantur, vel ut sunt in Homine, vel ut sunt in Bruto. Posteriori modo, nec per essentiam, nec per participationem, sunt Rationales: Priori modo, non sunt quidem Rationales per essentiam, sic enim Rationalis est sola Anima intellectiva hominis; attamen Rationales sunt per participationem, quatenus subsunt Regimini & Imperio Animæ Rationalis.

II. (a) *Intellectus* in se i. e. in essentiâ suâ quidem est ἁμέρες & simplex, sed tamen *ratione finis & objecti*, seu ratione actionum diversos fines ac diversa objecta habentium, dividi solet in *speculativum & activum*, θεωρητικὸν καὶ πρακτικὸν, quæ divisio est ipsius *Aristot. l.* 3. *de Anima c.* 9. *text.* 49. ubi videantur *Commentatores:* eam etiam explicat *Zabar. l. de facult. Animæ c. ult.* Intellectus dicitur *theoreticus*, qui res intelligit & contemplatur, ut nudam rei veritatem cognoscat, ut tantum sciat, quæ ac qualis sit cujusque rei natura, proprietates, operationes, &c. (b) *Practicus*, qui res intelligit & apprehendit, non eo fine, ut nudam rei veritatem cognoscat, in eâ cognitâ acquiescat, nihil ulterius intendens, quam perspectam habere rei naturam, proprietates, operationes &c. sed verò qui ideo cognoscit, ut, quod cognoscit, agatur ac fiat, ideoque ulterius sese exerit, consultando, deliberando, quomodo quid fieri possit: utrum hi intellectus distinguantur ratione, quod *Thomista* cum *Thoma p.* 1. *quæst.* 79. *art.* 11. volunt, an realiter, quod *Zabarella* vult loco citato, non multum refert:

quicquid sit, uterque intellectus in eo convenit, ut intelligat, cognoscat, speculetur rem objectam; sed *differunt*, ut *Philosophus loc. cit.* bene dicit, *fine*; quod theoreticus in nudâ rei objectæ & veritatis cognitione subsistat, practicus non item, sed hic à rei & veritatis speculatione progrediatur ad consultationem & deliberationem, ut, quid agendum sit, sciat, ideoque cognitionem ordinat ad motum & opus atque operationem. Hæc finium diversitas oritur ex diversitate objectorum: nam intellectus theoretici *objectum* sunt res divinæ, sempiternæ sc. quoad speciem non quoad individua, necessariæ, quæ cum ab homine fieri nequeant, frustra intellectus aliquid præter earum cognitionem intenderet: contra, intellectus practici *objectum*, sunt res humanæ, variabiles sc. quoad individua, non quoad speciem, contingentes, quæ ab homine fieri possunt vel non fieri, ideoque non est frustra, si intellectus post earum cognitionem acceptam, de productione earum & actione instituendâ, cogitet, consulret, deliberet. Verum enim vero, ut natura intellectus, tum theoretici, tum præsertim practici, penitius intelligatur, de utriusque objecto, paulo uberius agemus.

(a) Quia est facultas animæ rationalis, quæ ipsa indivisibilis est, ac simplex, propter naturam suam immaterialem, & quantitatis carentiam.

(b) Intellectus dicitur practicus, non, quasi ipse aliquid agat, nam tantum intelligit; sed quia ipse judicat, quid sit agendum, & voluntati id atque facultatibus inferioribus præscribit.

III. *Objectum* est, circa quod res operando versatur: id, circa quod intelligendo occupatur intellectus, tum theoreticus, tum practicus, est vel *principium* sc. complexum, & cognoscendi, non essendi, vel *conclusio*: *principium* vocamus, propositionem per se notam, cujus veritatem homo per sese ex naturâ suâ, sola terminorum perceptione, sine ulla institutione aut syllogismo, cognoscit: & vocatur axioma, talia principia sunt in disciplinis theoreticis, sunt item in practicis: in theoreticis, tum Metaphysicâ, tum Mathematicâ, tum Physicâ, v. c. *Nihil potest simul esse & non esse*, *Totum est majus suâ parte*, *Si æqualia addas æqualibus tota erunt æqualia*. *Nihil potest esse à seipso*, &c. in practicis, ut, *Deum esse colendum*, *Parentes esse honorandos*, *Quod tibi non vis fieri id alteri ne feceris*, &c. *Conclusiones* sunt enunciationes, quas homo ex principiis illis deducit per ratiocinium, vel inductione, vel syllogismo, quæ ex sola verborum cognitione cognosci nequeunt, sed quarum cognitio vi discursus gignitur: tales conclusiones sunt in disciplinis theoreticis omnia *theoremata*, deducta ex principiis theoreticis: tales conclusiones sunt in practicis omnia *præcepta* de agendo, deducta ex principiis practicis: imo totæ disciplinæ nihil sunt aliud quam habitus geniti ex talium conclusionum complexu: nempe, cum intellectus cognoscit atque assentitur omnibus conclusionibus physicis, deductis per discursum, inductionem, vel syllogismum, ex principiis physicis, jam in eo existit habitus Physicæ: pariter cum intellectus cognoscit atque assentitur omnibus conclusionibus de agendo, deductis ex principiis practicis, jam in eo existit habitus practicus, qualiscunque tandem ille fuerit. Circa principia & conclusiones theoreticas versatur intellectus theoreticus; circa principia & conclusiones practicas versatur intellectus practicus.

IV. Ex principiis practicis deducit intellectus practicus conclusiones practicas, (a) *solo lumine naturæ*. *Naturale intellectus judicium* de conclusionibus practicis deductis ex principiis practicis, vocant Philosophi *rectam rationem*: huic rectæ rationi, huic tali de conclusionibus talibus judicio naturali, quicquid est conforme, bonum est: & omnia in universum de virtute præcepta, huic naturali judicio practico, huic rectæ rationi, innituntur: in hoc judicio, in hac ratione recta, fundantur leges omnes: & de hac ratione intelligendum est illud, *Ratio est anima legis*. *Ethica*, *Politica*, *Oeconomica*, *Iurisprudentia*, super hac *ratione recta*, super hoc *judicio practico*, de conclusionibus practicis ex principiis practicis facto, sunt extructæ, quia ex (b) lumine & lege naturæ sunt depromptæ: ab hoc fundamento tota *Philosophia practica* dependet: hoc ignorato aut non bene intellecto, de virtutis ac honestatis studio erroneæ foventur sæpe ac pronunciantur sententiæ.

(a) Lumen

(a) Lumen naturæ vocatur in Philosophia judicium intellectus, quod absque revelatione, fide, aut speciali gratia, profertur de rebus, quale etiam cecidit in Ethnicos: hoc autem cum fertur de rebus agendis, vocatur recta ratio, quia est actus rationis practicæ, quo recte riteque judicat de bono & malo, honesto & turpi, justo & injusto, quid sit sequendum, quid fugiendum.

(b) Lumen naturæ & lex naturæ, aut plane sunt idem, aut tantum in eo differunt, quod lex naturæ dicatur de ipsis principiis practicis; lumen naturæ dicatur judicium, quod fertur de conclusionibus, quæ ex illis principiis deducuntur.

V. *Ratio hæc recta, naturale hoc judicium*, de principiis practicis natura notis haustum & acceptum, etiamnum in homine ac *post lapsum supereſt*: Nam reliquit Deus in animis hominum etiam post lapsum reliquias discriminis inter honestum & turpe; Et, qui nullam rationem rectam, qui nullum naturale judicium rectum in homine, etiam post lapsum, de rebus civilibus & actionibus moralibus, non spiritualibus aut supernaturalibus, supereſſe volunt, illi gravissime errant, & Scripturis adversantur, & Philosophiam evertunt, & omne discrimen honesti & turpis, cordibus hominum ramen insitum, tollunt: quid ergo? an, quid sit honestum, quid turpe, homo scire non poterit, nisi per revelationem ex scripturis? an igitur Ethnici omnes hoc discrimen ignorarunt? nihil minus. De rebus fidei, de iis, quæ pertinent ad æternam salutem, fatemur lubenter, nullam supereſſe in homine post lapsum rationem rectam, nullum rectum judicium esse reliquum: sic omnis ratio cæca est, omne judicium intellectus inimicitia adversus Deum: at in naturalibus, moralibus, civilibus, rectam rationem supereſſe ac judicium rectum, & vita & scripta tor Ethnicorum nimis quam manifestum reddunt. Geminus hic cavendus est error: *errant*, qui rationem rectam, naturale intellectus judicium, faciunt normam credendorum, mensuram dogmatum & arriculorum fidei: *errant*, qui rationem rectam, naturale intellectus judicium, rejiciunt circa dogmata & conclusiones solo naturæ lumine ex suis principiis deductas: hîc sane supereſt recta ratio, rectumque intellectus ac naturale judicium, norma, mensura, regula sciendorum & agendorum, quod qui non agnoscunt, omnem pariter Philosophiam, theorericam & practicam, ipsamque naturam naturæque lumen proscribunr. Fons erroris, in hujus rationis rectæ & judicii naturalis, circa res naturales, civiles, & morales, hostibus, est, quod naruram ira opponanr gratiæ, lumen naturæ lumini fidei, librum naruræ libro scripturæ, legem naruræ legi revelatæ, conclusiones deductas ex principiis naruræ conclusionibus revelaris, quasi posterius semper tollat vel neget prius: qui sane non capiunr, quid *Philosophi* intelligant per rationem rectam, veritatis & honestatis naturalis matrem. Nempe, ut simul & semel dicam: *Recta*, nobis in Philosophia, *ratio*, (a) *est judicium naturale intellectus, ex principiis natura notis, juxta legem ac lumen naturæ, de rebus naturalibus, civilibus, moralibus, depromptum.* Hæc recta ratio, circa principia & conclusiones theoreticas, vocatur *theoretica*, quam missam facimus: circa principia & conclusiones practicas, vocatur *practica*; ea nostri est instituti & hujus loci.

(a) Vno verbo, recta dicitur ratio, non quæ expers est peccati originalis & incorrupta, ut volunt Sociniani, sed quæ caret in judicando & ratiocinando præjudiciis atque affectibus, & judicat ac ratiocinatur juxta præcepta judicandi & ratiocinandi in Logicis præscripta.

VI. Quando & quoties dicimus, aliquid esse rationi rectæ conveniens, ideoque bonum, rationem rectam hoc vel illud docere, istud vel aliud esse agendum, juxta rectam rationem, hoc volumus significatum, aliquid esse agendum, esse justum, esse bonum, quia, vel est principium practicum natura notum, vel est conclusio ex rali principio recte deducta: hoc enim judicium de tali principio vel de tali conclusione, est ratio recta. *Errant* itaque, qui putanr rectam dici rationem, aut animam rationalem, aut intellectum, quia in nulla re erret, quia non fallatur ullo modo: si enim hoc sensu recta diceretur rario, in nullo homine forer recta ratio, non tantum in rebus fidei, sed ne in civilibus quidem: nam quis est hominum, etiam sapientissimorum, etiam doctissimorum, qui non sæpissime erret ac falla-

fallatur, non in rebus tantum fidei sed & civilibus ac moralibus ac naturalibus? & omnis saltem homo errare ac falli potest. Quare non eo sensu ratio recta dicitur, sed alio, quem satis nunc exposuimus.

VII. Rationis practicæ de rebus agendis, aut intellectus practici de actionum bonitate vel malitia morali, duplex est *judicium*; vel *absolutum* vel *comparatum*: *absolutum* est, quo aliquid in se, seorsim, ac separatim spectatum, judicatur, bonum vel malum, faciendum vel fugiendum: *comparatum* judicium est, quo aliquid aliis rebus collatum, omnibus circumstantiis expensis, nunc, hic, huic, bonum vel malum, faciendum vel fugiendum judicatur: hæc judicia, absolutum & comparatum, multum inter se variant: imo interdum pugnant: Nam sæpissime evenit, ut quod quis judicavit intellectus practici judicio absoluto esse bonum ac faciendum, id comparato rescindat, judicetque esse malum ac fugiendum, & contra, quod judicio absoluto judicavit esse malum ac fugiendum, id comparato judicet esse bonum ac prosequendum: & hinc est lucta ista & pugna sæpe rationis secum: qualis est in incontinentibus & continentibus; in utriusque ratio fluctuat judicando de voluptatibus; in illis succumbit, in hisce superat cupiditates. Istius fluctuationis & luctæ, inter judicium rationis practicæ absolutum & comparatum, *Medea* nobis reliquit exemplum, dum ait:

——— *Video meliora proboque,*
Deteriora sequor. ———

Judicat judicio absoluto bonum esse, ut *Iasonem* non sequatur, comparato tamen illud rescindit, & judicat omnibus expensis circumstantiis, melius esse, ut sequatur: quod deterius erat & pessimum, nempe τὸ sequi judicio [illegible] *Medea* absoluto, hoc melius & bonum judicat ab ea, judicio comparato. Quando *judicium* intellectus *comparatum* ac non amplius fluctuans sequitur electio, tum vocatur *ultimum*: alii vocant *dictamen ultimum*; sc. quod in omni actione deliberata, post omnes expensas circumstantias, pronunciatur ab intellectu practico judicium, est *ultimum* illud dictamen, quod electio sequitur. Sed de electione voluntatis in Disputationibus sequuturis agetur: nunc hæc exposuisse sufficiat de *intellectu practico ac ratione recta*, principio actionis humanæ, spontaneæ, liberæ.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM NONA,

DE VOLUNTATE.

THESIS I.

CUm de *Spontaneo* fuit disputatum, illud *disp. 5. th. 2.* ex *Arist. Eth. l. 3. c. 1.* definivimus, *id, cujus principium est in agente sciente singula, in quibus actio est.* Qua definitione, duo exigi in actione spontanea à *Philosopho*, indicavimus, *scientiam* & *principium internum*: per *scientiam* intelligi *judicium intellectus practici*, per *principium internum* intelligi *voluntatem, th. 3. & 5. disp. cit.* ostendimus: Sunt enim *intellectus* & *voluntas* duo humanarum actionum, omnisque in iis (liceat nunc cum *Scholasticis* βαρβαρίζειν) spontaneitatis principia. De *intellectu*, quantum satis est, egimus *disp. 8.* præcedente. De *voluntate nunc & seq. disp.* agemus: non tamen omnia consideraturi, quæ de ea disputari possunt, sed ea tantum allaturi, quæ ei, tanquam spontaneæ humanæque actionis principio, competunt, Ethicæque instituto sufficiunt: exponemus vero varios ejus *actus*, *objectum*, *motivum*.

II. *Actus* voluntatis dividi solent in *elicitos*, & *imperatos*: *elicitus* voluntatis actus dicitur, qui proxime, & immediate, à voluntate producitur per seipsam & recipitur in ipsa, ut, *velle*, *nolle*, *amare*, *odisse*, *&c.* dicitur *elicitus*, quia in voluntatis potestate contentus & quasi latitans, foras ab eâ educitur atque elicitur. *Imperatus* dicitur voluntatis actus, qui à voluntate proficiscitur, ministerio & opera facultatis (*a*) inferioris, cui voluntas (*b*) imperat,

rat, ut talem actum producat: Hic actus *imperatus* non recipitur neque inhæret in voluntate, sed in ea facultate, à qua proxime procedit, ut sunt, *videre, loqui, ambulare, &c.*

(a) Seu Animæ sentientis: nam in operationes Animæ vegetantis nullum est Intellectus aut voluntatis imperium; nam nec crescimus, nec nutrimur, nec bene valemus, cum volumus, aut judicamus esse crescendum, nos nutriendos, aut bona valetudine esse utendum: sed videmus, & nos loco movemus, & appetimus, &c. cum volumus, & judicamus ita esse facienda.

(b) Imperium voluntatis, uti & Intellectus Practici in Actiones Animæ sentientis, sive Imperatas: estque vel generale seu Implicitum, vel speciale seu explicitum. Generale dicitur, quod in genere fertur circa Actiones Imperatas, quatenus nullæ exercentur, quin resolvi possint in hoc Imperium, quod includunt, involvunt, atque implicant, unde implicitum dicitur; si quis enim rogetur, cur, V. G. toties & tam cito digitos Impulsu Citharæ moveat, dicet, quia volo, & judico sic esse faciendum: non quod ad singulos motus digitorum singula intercedant Imperia Voluntatis & Intellectûs specialia atque explicita, quasi qui Citharam pulsat ad singulos pulsus cogitet, ego volo pulsare & judico pulsandam Citharam, sed sufficit Imperium Voluntatis & Intellectus Generale atque Implicitum.

III. Actus voluntatis elicitus *subdividitur* in βούλησιν & προαίρεσιν· vocabula sunt græca *Aristot.* latine possis dicere, in *appetitionem* (*Scholastici* dicunt *volitionem*) & *electionem* seu *præelectionem*. Βούλησις, *appetitio*, est velle quoddam ἀπροβούλευτον, quod fit absque prævia deliberatione: hoc modo appetimus & volumus finem ultimum, quo cum nihil melius proponi possit voluntati, fertur in eam voluntas, ut cum *Philosopho* loquar *l.* 3. *Eth. ad Nicom. c.* 3. ἀπροβουλεύτως, id est, sine deliberatione: non appetit finem ultimum voluntas ἀκρίτως, sine prævio (a) judicio, attamen ἀπροβουλεύτως, sine præcedanea deliberatione: sic quoque appetimus media, quæ necessario cum fine sunt conjuncta, & ea, quæ aut fieri plane non possunt, aut per nos saltem fieri nequeunt: ut, cum appetimus immortalitatem in hac vita, quam ut hic consequamur, quamdiu corporis carcere tenemur constricti, fieri nequit: vel etiam, cum appetimus ut hic vel ille pugil vincat, quod per nos fieri nequit. Προαίρεσις *electio*, est velle quoddam βουλευτικόν, ut iterum cum *Philosopho* loquar, quod sequitur præcedentem deliberationem: hoc modo volumus media, & non cujusvis generis media, sed ea, quæ sunt in nostra potestate, &, quæ non necessario cum fine sunt conjuncta: nam sicuti circa finem non deliberamus, ita nec deliberamus circa media, quæ extra nostram potestatem sunt collocata.

(a) Quando Veritas alicujus Enunciationis est ita clara, ut Intellectus convincatur. E. G. totum est majus sua parte; aut Bonitas Rei tam est manifesta, ut intellectus eam statim dignoscat, & judicet esse appetendam: E. G. Deum Cole, tum existit in nobis judicium sine deliberatione; sed verò cum veritas Enunciationis non est tam clara, aut Bonitas Rei non est tam manifesta, judicium, quod de utraque fertur, exigit prævium deliberationem.

IV. Actus voluntatis *eliciti circa finem* tres vulgo recensèri solent: totidem *circa media*. Circa finem, *velleitas* (a) *vel volitio, intentio, fruitio*. Circa media, *electio, consensus*, vel *acquiescentia usus*, hæc actuum voluntatis elicitorum tum circa finem, tum circa media, divisio, *Scholasticis* est usitata, & ab *Aquinate in* 1. 2. *quæstione* 8. adfertur *& seq.* fusius explicatur: ubi videri possunt ejus *Commentatores*, qui hanc divisionem ut probent, duplicem præmittunt hypothesin. 1. est, Bonum, quod voluntati offertur, vel ut finem expeti, vel ut medium, sive id, quod ad finem nos ducit. 2. est, (b) Bonum esse honestum, jucundum, utile. Hoc igitur fundamentum ponunt. Bonum, quod est finis ac propter sese expetitur, est honestum vel jucundum: Bonum, quod est medium & propter finem expetitur, est utile. Hinc sic procedunt. Bonum, quod est finis, potest trifariam expeti. 1. simpliciter, ut est quid honestum aut jucundum, quod per se & propter se voluntati placet ac lubet: sic circa bonum versatur τὸ *velle*; vel ut amant loqui (c) *Scholastici*, *velleitas*. 2. Bonum, quod est finis, appeti potest, tanquam finis & terminus aliorum, quæ ejus gratia expetuntur: ac tunc expetitur finis, ut per aliud quid obtinendus: & hunc voluntatis actum vocant *Scholastici* (d) *intentionem* seu volitionem. 3. Potest expeti bonum, quod est finis, tanquam aliquid, in quo

quo voluntas acquiescat, & ex quo voluptatem ac fructum capiat, qui voluntatis actus vocari solet, (e) *Fruitio.* Hæc versatur circa finem in executione: at 2. priores actus versantur circa finem in intentione. Bonum, quod est medium, & utile, tribus modis etiam voluntatem occupat, & circa id triplici modo versatur voluntas, vel *eligendo*, vel *consentiendo*, vel *utendo. Electio, Scholasticis*, Latinis Interpretibus Aristotelicis, qui sic vocantur, quia Scholas & Academias omnes impleverunt, est, boni alicujus ab & in voluntate acceptatio ex rationis consilio, prout conducit ad finem consequendum, (f) *Consensum*, complacentiam, vocant, quo voluntas bonum utile à ratione præscriptum & acceptum comprobat, in eo acquiescit. (g) *Usus* est actus voluntatis, quo tale bonum & medium adhibet ad finem consequendum.

(a) Scholasticorum nonnulli, primum voluntatis actum circa finem, vocant velleitatem, & secundum volitionem, quæ tum eadem est cum intentione: alii volitionem eandem faciunt cum velleitate & ab intentione distinguunt, uti & nos.

(b) Divisio boni in honestum, jucundum & utile, non est divisio generis in species, quasi semper ista inter sese sint distincta, uti species semper inter se distinguuntur; nam eadem res potest esse bonum, honestum, jucundum, & utile, uti virtus, quæ & honesta est, quia rectæ rationi est conformis; & jucunda, quia magnam animo voluptatem adfert; & utilis, quia est medium ad obtinendum summum bonum, sed est divisio subjecti per adjuncta.

Bonum honestum est, quod propter se expetitur, & Rationi Rectæ est congruum, vocaturque Morale, estque Homini proprium. Iucundum est, vel quod expetitur propter voluptatem, nec semper rectæ Rationi est congruum, estque Homini cum Brutis commune, vel est ipsa voluptas.

Vtile est, quod propter aliud expetitur, ad quod dirigitur, & conducit, & non semper rectæ Rationi est congruum, & Homini cum Brutis commune. Honestum & Iucundum sunt finis; Vtile est Medium.

(c) Velleitas dicitur actus voluntatis imperfectus, suspensus, ac semiplenus, quo vult finem non volitis mediis: ita piget vellet eruditionem, ut finem aut bonum, honestum aut jucundum, non tamen vult laborem: sic omnes homines, etiam nequissimi, vellent esse beati, non tamen volunt virtutes, sine quibus beatus nemo esse potest.

(d) Intentio seu volitio eruditionis non cadit in pigros, quia non expetunt eruditionem, ut finem per labores obtinendum, sic nec improbi volunt beatitudinem, aut eam intendunt, quia illam non expetunt, ut per virtutes obtinendam.

(e) Fruitio versatur circa finem in executione seu circa bonum obtentum: velleitas & intentio, seu volitio, circa finem in intentione, sive circa bonum intentum; sic fruitur quis eruditione jam acquisita, & summo bono jam possesso, circa quod uttumque nondum possessum versabatur velleitate, atque intentione seu volitione.

(f) Consensus proprie est intellectus, uti & dissensus, ita ejusdem est comprobare, uti & improbare: melius vocassent Scholastici hunc voluntatis actum, complacentiam, quia medium est rationis consilio præscriptum, ipsi complacet, & in eo acquiescit.

Consensus proprie pertinet ad Intellectum, ideoque hic magis commodum est vocabulum (Complacentia) quando voluntas in medio, aut bono utili, sibi per intellectum monstrato, acquiescit, & sic quasi comprobat Iudicium Intellectus, & ei complacet.

(g) Maxime debent distingui hæc duo vocabula, frui & uti: nam fruimur fine, utimur mediis; sic fruimur Deo, tanquam fine ultimo, utimur creaturis, tanquam mediis ad Deum cognoscendum & colendum destinatis, & in eo omnis ratio peccati consistit, quod fine utamur, & mediis fruamur: sic peccat avarus, quando fruitur divitiis, cum in iis ut fine ultimo acquiescit; item ambitiosus peccat, cum honoribus suis fruitur, quando in iis ejus voluntas acquiescit, quia hæc duo sunt media, quibus debetet uti ad Deum glorificandum, quo solo tanquam fine ultimo frui debemus.

V. Actuum voluntatis divisiones, prout *Ethico* sufficit, jam allatas & explicatas, sequitur explicandum ejus *objectum*: hoc est *bonum* vel *malum.* Circa *bonum* versatur, *volendo*, id est, appetendo, prosequendo: circa *malum*, *nolendo*, i.e. aversando, fugiendo: circa utrumque, tum bonum, tum malum, *utrumque actum suspendendo*, sc. vel non volendo, vel non nolendo. Ex hac actuum voluntatis circa bonum & malum varietate, manifestum est, actus voluntatis opponi, vel *contrarie*, sc. *velle* & *nolle*, *amare* & *odisse*, vel *contradictorie* sc. *velle* & *non velle*, *nolle* & *non nolle*, *amare* & *non amare*, *odisse* & *non odisse*, hinc arrepta est occasio *Scholasticis* distinguendi libertatem & indiffe-

indifferentiam voluntatis, quam dixerunt esse, vel *specificationis* sive *contrarietatis*, vel *exercitii* seu *contradictionis*. (*a*) Libertas seu indifferentia contrarietatis vel specificationis (quæ duo vocabula idem significant) cadit inter volitionem & nolitionem, ut loquuntur illi, Latinius, inter prosequutionem & fugam, sive inter amorem & odium, qui actus oppositi sunt contrarie & specie differunt, quia objecta, bonum, quod prosequimur, amamus ac volumus, & malum, quod fugimus, odimus ac nolumus, opponuntur contrarie & specie differunt. Libertas seu indifferentia contradictionis & exercitii (quæ duo vocabula idem quoque sonant) cadit inter volitionem & non volitionem, seu inter prosecutionem & non prosecutionem, inter amorem & non amorem, inter nolitionem & non nolitionem: seu inter fugam & non fugam, inter odium & non odium, nam velle & non velle, nolle & non nolle, exercere actum, vel volendi, vel nolendi, & non exercere, opponuntur contradictorie.

(*a*) Libertas Contrarietatis, seu specificationis, cadit inter duos Actus vetos & positivos, uti sunt, amare & odisse, velle & nolle; sed Libertas contradictionis, sive exercitii, cadit inter Actum & Negationem Actus, ut, inter amare & non amare, velle & non velle, odisse & non odisse, nolle & non nolle.

VI. Circa *objectum* voluntatis, tum bonum, tum malum, quæstio solet institui ab Ethicis: *An voluntas possit ferri, amando, volendo, in malum, ut sic, qua tale, sub ratione mali, & fugiendo, nolendo, in bonum, ut sic, qua tale, sub ratione boni?* Pertractat eam quoque quæstionem *Aquinas in sum. pr. sec. quæstio.* 8. Nos cum ipso utrumque negamus, dicimusque, voluntatem, nec bonum, qua bonum, posse odisse, nolle; nec malum, qua malum, posse amare, velle. Non diffitemur, quin possit voluntas velle malum & nolle bonum: quia potest ferri, amando, volendo in bonum apparens, quod cum in se sit malum, non bonum, quia tamen apparet bonum, ut tale, appetitur: sed aliud est & longe diversum, amare, velle, malum, qua malum, (cum ista reduplicatione) ut sic, sub ratione mali, & odisse, nolle, bonum qua bonum, ut sic, sub ratione boni: illud est, velle malum, quod intellectus scit & judicat scilicet judicio ultimo, esse malum; hoc est, nolle bonum, quod intellectus scit & judicat scilicet judicio ultimo, esse bonum: hoc utrumque Voluntati est impossibile. *Aristoteles* usque adeo hoc sibi persuasit, ut Ethicarum rerum tractationem ab hoc, seu immoto ac certissimo principio, inchoaverit, *lib. 1. Eth. ad Nicom. cap. 1. Omnis*, inquit, *ars, & disciplina, itidem ac electio, bonum aliquod appetere videtur: quapropter bene Veteres dixerunt, bonum esse quod omnia appetunt.* Et, voluntatem non posse ferri volendo, amando, in malum qua tale, ipsa docet experientia: nemo enim intendens ad malum operatur, ut habet vetus & tritum dictum: quin ipsi Dæmones ac perditissimi homines, cum Deum blasphemant, aliaque gravissima committunt flagitia, sub ratione tamen boni, sc. apparentis, hoc agunt atque appetunt, ut de Deo scilicet, miseri, vindictam capiant: sic, qui sibi necem inferunt, mortem appetunt, sub ratioui boni, ut scilicet careant cruciatu & miseria, & hoc est bonum illis apparens: sed ratione insuper hoc confirmari potest. Objectum voluntatis in volendo est bonum, sicut objectum intellectus in assentiendo est verum: sed intellectus non potest assentiri falso, quod falsum esse judicavit, novit: Ergo nec voluntas potest appetere malum, quod malum esse ratio judicavit, novit: Certe, nulla facultas potest ferri extra (*a*) sphæram suæ activitatis seu extra suum objectum: atqui objectum voluntatis in volendo est bonum. Ergo extra bonum volendo, tendere non potest, sed intra boni sphæram volendo continere se debet, verum nec voluntatem posse ferri nolendo in bonum qua bonum, facile probari potest. Oportet enim objectum cujusque potentiæ & actui esse proportionatum: atqui bonum potentiæ nolendi & nolitioni non est proportionatum: nam potentiæ nolendi actus seu nolitio est aversatio & fuga quædam: at nemo aversatur aut fugit bonum qua bonum. Ergo & voluntas non potest tendere nolendo in bonum qua bonum.

(*a*) Sphæra activitatis dicitur circulus, intra quem terminatur alicujus actio.

VII. Unicus adhuc reſtat ſcrupulus, ex præced. theſi natus, ubi diximus, Voluntatem ferri volendo non tantum in bonum verum, ſed & in apparens. Quæritur, *An objectum voluntatis, reſpectu actus, qui eſt velle, recte dicitur, bonum etiam apparens?* Reſp. omnino. Nam ſatis eſt in genere ad appetitionem, ut objectum appetitus, ſeu inclinationis alicujus, ſit conſentaneum & conveniens rei aut facultati appetenti, ſecundum illam formam, quam appetitus ipſe aut inclinatio ſequitur. *(a)* Sed, uti appetitus naturalis ſequitur formam naturalem rei, ſic appetitus rationalis ſeu voluntas ſequitur formam apprehenſam, h. e. notitiam objecti, quæ intentionalis quædam forma objecti dicitur; quemadmodum eſſe intellectum, eſſe volitum, vulgo vocatur, forma rei intellectæ, & forma rei volitæ. Ergo, ſicut ad appetitum naturalem requiritur & ſatis eſt, ut objectum ſit conveniens ſecundum formam rei naturalem, ita ad rationalem appetitum ſatis erit, ut objectum ſit conveniens & bonum ſecundum apprehenſionem & intellectionem, ſeu judicium rationis: ſive igitur bonum vere ſit tale quale apprehenditur & appetitur, ſive non ſit tale quale apprehenditur & appetitur, nihil refert: ac licet in ſe ſit malum, ut furari, modo ut bonum apprehendatur & intelligatur, ac judicetur, jam appeti poteſt, volendo illud, quia habet formam ſeu rationem formalem & appetibilis, quæ eſt, quod cognoſcatur ac judicetur à ratione, ut bonum, quemadmodum fit in fure, cujus rationi furari apparet bonum. Quæ de *objecto* & *actibus* voluntatis ulterius diſputari poſſunt ac ſolent ab Ethicis, ea in annexis exhibemus corollariis: *motivum* voluntatis explicaturi diſp. ſequent.

(a) Appetitus Naturalis dicitur, quo appetitur Res ab appetente ante non cognita, ita gravia appetunt moveri deorſum; huic opponitur Appetitus elicitus, quo aliquid appetitur jam ante ab appetente cognitum, eſtque vel ſenſitivus, qui cadit in Bruta, vel Rationalis, qui eſt ſolius Hominis.

ANNEXA.

1. *An diviſio actuum in elicitos & imperatos ſolis actibus voluntatis conveniat? N.*

2. *An imperare facultatibus inferioribus ſit actus voluntatis ſolius, an rationis tantum, an utriuſque? Reſp. utriuſque, ſed rationis, remote ac mediate, & per voluntatem, voluntatis, proxime & immediate, ac per ſeipſam.*

3. *An omnes actus voluntatis ad tres illos circa finem & totidem circa media, Th. 4. recenſitos, poſſint reduci? A.*

4. *An Voluntas eodem actu non poſſit moveri ac tendere in finem ac media? N.*

5. *An detur voluntatis actus neuter, qui nec ſit finis nec mediorum? N.*

6. *An volitio ſit tantum impoſſibilium ex accidenti, & non ſimpliciter impoſſibilium? N.*

7. *An intentio finis cadat in bruta? N.*

8. *An fruitio tantum ſit finis ultimi? A.*

9. *An fruitio ſit finis ultimi, habendi, an habiti? Reſp. habiti.*

10. *An electio tantum ſit mediorum, & nunquam finis? A.*

11. *An conſenſus non ſit potius actus intellectus quam voluntatis? N.*

12. *An uſus ſit tantum mediorum & non finis ultimi? A.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM DECIMA,

DE MOTIVO VOLUNTATIS.

THESIS I.

TRia propoſuit Diſputatio præcedens capita de Voluntate diſputanda: *actus, objectum, motivum.* Duo priora executi ſumus, tertium nunc exequemur. Per *motivum*

vum voluntatis intelligimus id, quod voluntatem movet, quod eam velle facit, quod illam de potentia traducit ad actum, ad volendum; causam ejus actus, & velle: fatemur quidem objectum esse ex parte causam volendi, sed tamen non est plena causa volendi: nudum enim objectum voluntatem ex nonagente non reddet agentem; (*a*) est enim voluntas potentia cæca, quæ nescit, quomodo in objectum tendere debeat: quare opus est alio præter & ultra objectum motivo. Atque hoc vulgo faciunt intellectum. Quæritur, *an recte? & quousque?* Hoc igitur in quæstione est: *An intellectus voluntatem moveat ad volendum?* seu, *An voluntas moveatur ab intellectu ad volendum?* &, *quousque?* Ardua sane est quæstio & multis perplexitatibus involuta. Nos eam distincte pertractabimus: quod ut fiat, certa ab incertis sunt distinguenda, & status controversiæ recte est figendus.

(*a*) Voluntas dicitur potentia cæca, quia ipsa non intelligit, &, ut hoc vel illud velit, tectè vel malè, eget ductu intellectus, quia est voluntatis tanquam oculus, quemadmodum Cæcus in via ducitur per oculum videntis.

II. §. 1. Extra controversiam est, *dici posse, quod voluntas eatenus movetur ab intellectu, quatenus voluntas natura sua talis est potentia, ut, nisi intellectus ipsi ostendat objectum, in hoc ipsa ferri non possit*, nam ignoti nulla cupido. §. 2. Extra controversiam est, (*a*) *objectum, secundum esse reale, quod habet extra animam, non concurrere effective ad actum voluntatis*, quasi objectum efficiat actum voluntatis; principium enim effectivum volitionis est ipsa voluntas, quæ proprie & per se vult, volitionemque elicit. Hæc certa sunt, nunc incerta videamus. §. 3. Quæritur ergo, *quomodo objectum concurrat ad volitionem, ad actum volendi?* Resp. Objectum potest dici concurrere, vel formaliter, vel finaliter, ad actum voluntatis: *formaliter*, quatenus dat actui voluntatis speciem, i. e. quatenus Actum voluntatis in certâ specie collocat, nam ab objecto est, non tantum, quod actio voluntatis sit simpliciter (sine objecto enim nec esset nec esse posset) sed & quod sit talis vel talis: Et hoc est quod *Scholastici* vulgo sic efferunt. *Actus voluntatis ab objecto, tanquam à principio formali externo speciem sumunt:* Objectum enim extra actum est, & inter circumstantias actionem specificantes potissimum ac primum tenet locum: (*b*) *finaliter* potest dici concurrere objectum ad actum voluntatis, quatenus, per modum finis, vel subordinati, vel ultimi, voluntati proponitur, & voluntas ab objecto ad agendum, movetur, excitatur & impellitur: non tamen semper objectum per modum finis in voluntatem agit, (*c*) sed tum demum, quando voluntatem movet, excitat, impellit, ad media aut actiones circa media, quia finis non est finis, nisi respectu mediorum. §. 4. Quæritur, *quomodo ipsa cognitio objecti concurrat ad actum voluntatis, an etiam effective, an alio modo?* Atque hîc in tres abeunt sententias Philosophi. (*d*) *Nonnulli* cognitionem objecti *effective* concurrere asserunt, ad actum voluntatis, tum quoad exercitium, ut scilicet eliciatur, cum antea non eliceretur, tum quoad specificationem, ut scilicet sit hujus aut illius speciei: sed vero hæc sententia mihi quidem non placet: sic enim intellectus intelligendo vellet: At intellectus non vult, sed voluntas: Ergo cognitio, actio intellectus, non concurrit effective ad volitionem. *Alii* volunt, cognitionem objecti concurrere quidem *effective* ad actum voluntatis, quoad specificationem ejus, non autem quoad exercitium, sic enim est à sola voluntate. Sed contra: ne specificatio quidem actionis in voluntate, quod sit talis aut talis, est à cognitione objecti, sed ab ipso potius objecto, vel formaliter, vel finaliter, causante actum voluntatis, ut, pro ratione objecti diversa, diversæ sit speciei actio voluntatis, & vel hæc vel alia. *Nos* ergo *sentimus, notitiam* judicativam objecti *esse* tantum *conditionem vulgo, sine qua non, requisitam*, tum ut objectum, secundum suum esse reale, possibile, apprehensum, concurrat, seu formaliter, seu finaliter, ad actum voluntatis, tum ut ipsa etiam voluntas effective eliciat suum actum & actum talem tanquam sufficiens principium ejus; *sufficiens*, dicimus: non quod Dei influxum excludamus, sed *sufficiens in suo genere*. Verum, ut distincte hoc totum negotium ob o-

culos ponamus. Voluntatem *effective* ad volendum movet *Deus* tanquam causa prima, influens in voluntatem & ejus actionem, concursu, tum prævio, tum simultaneo: (*e*) *Voluntas* à Deo mota (non enim est primum se movens, sicuti nulla quoque creatura) *effective* concurrit ad suam volitionem, & vult. *Objectum* voluntatem movet ad volendum, *non effective*, sed, vel formaliter, vel finaliter, & excitando eam ad volendum: & volitionem specificando: *cognitio objecti movet* voluntatem ad volendum tanquam *conditio sine qua non*, agitque in voluntatem moraliter. (*f*) Hæc jam sunt certa.

(*a*) Rebus tribuitur *duplex esse*, unum Reale, quod in sese habent, quo sunt id, quod sunt, & possident proprietates Naturæ suæ convenientes. Alterum, *Objectivum*, quod obtinent in mente Hominis, quatenus ab illo intelliguntur, quod vulgo vocant *esse intelligibile*, V. C. Cibus aliquod habet esse Reale in sese, in quantum est nutrimentum Hominis vitæ conservandæ destinatum, quod vocant esse reale Cibi; idem dicitur habere *objectivum esse*, quatenus à mente, seu Ratione, intelligitur, ut bonum, quod est conveniens vitæ sustentandæ.

(*b*) Quia enim objectum voluntatis est bonum, & bonum ac finis reciprocantur, si proponatur ei ut bonum, etiam ei proponitur ut finis: nam omne bonum seu verum seu apparens finis est, seu subordinatus seu ultimus, vel in suo genere vel absolute.

(*c*) Ex thesi quarta disputationis præcedentis appareret, voluntatis actiones quasdam esse circa finem, quasdam circa media: velleitas, intentio seu volitio & fruitio habent quidem pro objecto finem non tamen per modum finis, quia finis voluntatem in istis actionibus non movet, est enim objectum terminativum tantum ibi, non motivum; sed electio, consensus, actiones voluntatis circa media, ad volendum media, moventur à fine, habentque pro objecto finem etiam, sed non tantum ut terminativum, verum ut & motivum objectum.

(*d*) Illud, dicitur *effective* concurrere ad aliquem Actum, quod illum Actum facit, quemadmodum ignis *effectivè* concurrit ad Calorem, quia Calorem facit; at Intellectus non facit volitionem, sed ipsa Voluntas.

(*e*) Illud dicitur primum sese movens, quod à nullo prioie movetur, *estque solus Deus*, qui ut est Ens primum, ita quoque est causa prima; omnis autem creatura, ut est Ens à Deo, ita quoque à Deo movetur, antequam sese moveat, *In Deo enim sumus, movemur, vivimus.*

(*f*) Moraliter illud agit, quod agit per Rationes, hortando, dehortando, suadendo, dissuadendo, &c. Diabolus fuit causa lapsus primi Parentis, nam suasit ei, ut edetet de fructu vetito.

III. Sed hic quæritur, *Qualis cognitio objecti requiratur ad voluntatis actionem, ut voluntas ad volendum moveatur?* Nam variæ sunt actiones intellectus, quod est notum. Est 1. simplex quædam objecti apprehensio. Est 2. compositio & divisio; ubi *judicium* invenitur, & quidem geminum: unum *simplex*, quo intellectus simpliciter judicat objectum esse bonum vel malum; alterum *comparatum*, quo intellectus, quod objectum præcedenti judicio judicavit esse bonum vel malum, judicat esse vel amplectendum vel fugiendum: (*a*) estque hoc judicium comparatum, vel *ultimum*, quod omnibus omnino circumstantiis consideratis atque expensis fertur ac pronunciatur, vel *non ultimum*, quod contra. Est 3. discursus, seu syllogismus practicus, quo intellectus tale dictamen concludit. Atque hic jam incidit quæstio, *An præter quælemcunque notitiam, & præter apprehensionem simplicem objecti, requiratur alia insuper cognitio bonitatis in objecto, ut voluntas moveatur? an requiratur judicium, quo intellectus judicet objectum esse bonum vel malum, salutare vel noxium, jucundum vel molestum.*

(*a*) Iudicium dicitur *ultimum*, non quod postremum est, in hac vita, & fertur paulo ante mortem, sed quod in omni Actione deliberata post omnia alia fertur postremum.

IV. *Sunt qui solam notitiam* objecti *simplicem* sine ulla compositione aut divisione *sufficere existimant*, ut voluntas moveatur ad volendum: & *probant*. Quia appetitus sensitivus potest moveri circa objectum suum etiamsi per (*a*) æstimativam illud non apprehendatur sub ratione boni aut mali: Ergo & voluntas poterit moveri ab objecto suo licet intellectus illud non proponat sub ratione boni aut mali, sed sufficit, si tantum simpliciter cognoscat; quemadmodum hoc in brutis sufficit,

ficit, & in pueris, & in amentibus, qui multa appetunt, nec tamen ducuntur ratione. Resp. Negamus simpliciter, nullum brutum appetere aliquid appetitu sensitivo, nisi illud fuerit ab æstimativa primum judicatum, ut bonum ac conveniens: in pueris vero & amentibus non est quidem deliberatum intellectus judicium, aliquod tamen est de bonitate & convenientia objecti; alioqui concipi non potest quomodo velint. Sed vero aliquod semper præcedere intellectus judicium de convenientia objecti, antequam in illud feratur volendo & ad illud volendum moveatur, voluntas, & *Arist. testimonio & ratione* probatur. *Arist. testimonium* extat *l. 3. de Anim. t. 46.* ὁ νῦς θεωρητικὸς ἐδὲν νοεῖ πρακτὸν, ἐδὲ λέγει τῆς φυκτῆς καὶ διωκτῆς ἐδέν. *Intellectus speculativus nihil eorum quæ sub actionem cadunt contemplatur, neque dicit omnino quicquam, an sit fugiendum, an prosequendum.* Quod si intellectus speculativus non moveat, ergo opus est intellectus practici judicio. *Ratio* etiam pro hac militat sententia: Nisi objectum enim voluntatis cognoscatur sub ratione boni, nondum ostenditur voluntati objectum suum proprium, quod est bonum: voluntas namque est potentia cæca, egetque demonstratione & ostensione objecti sui ut in illud tendat: debet autem demonstrari & ostendi tale, quale esse debet: at debet esse bonum: Ergo ut bonum ostendi debet & demonstrari: ostendere autem & demonstrare est intellectus: Ergo debet intellectus ostendere & demonstrare voluntati objectum ejus esse bonum. At non potest intellectus illud facere simplici mentis apprehensione. Ergo requiritur judicium, compositio ac divisio: nam bonum, ut bonum, sub ratione boni, cognoscere, ac voluntati proponere, sine judicio fieri nequit.

(a) Æstimativa facultas in Bruto dicitur sensus ille internus, quo judicat bonum esse prosequendum, & malum esse fugiendum; postquam enim vel bonum, vel malum, sensibus extetnis est perceptum, ab interno judicatur atque æstimatur, esse vel appetendum, vel fugiendum: quæ facultas id judicat, dicitur Æstimativa.

V. Sed quæritur ulterius, *An præter simplex judicium de bonitate objecti requiratur præterea intellectus judicium comparatum, ulterior quidam rationis practicæ actus, qui imperium solet Scholasticis dici, ut voluntas moveatur, actumque volendi exerceat?* Nos quidem sic opinamur, salvo aliter sentientium judicio: ac primum nostra sententia fundatur in *Aristotele*, cujus verba ex 3. *de Anima text.* 46. *jam th.* 4. citavimus. Dicit, intellectum speculativum nihil dicere; quid sit fugiendum vel sequendum: at neque intellectus practicus hoc dicit simplici judicio, quo tantum judicat rem esse bonam vel malam, ergo comparato hoc dicit judicio: at ut voluntas moveatur & velit, non tantum debet res judicari bona vel mala, sed præterea debet judicari, quæ res ex bonis, cui, quando, &c. sit sequenda, quæ res ex malis, cui, quando, &c. sit fugienda. Deinde fundatur nostra opinio *in ratione*. Nam, ut voluntas moveatur & velit, requiritur sufficiens objecti cognitio facta ab intellectu, qua posita, voluntas, (a) necessario ex illa hypothesi, sive conditione, necessitate hypothetica, eliciat suum actum; quia alioqui ferretur in incognitum. Atqui illa sufficiens cognitio objecti non est judicium simplex de bonitate aut convenientia objecti. Ergo ulterior actus rationis præter illud intellectus simplex judicium requiritur: Major probatur ex connexione intellectus & voluntatis, & utriusque actus, quæ tanta est, ut ad prosequendum libere objectum, hæ potentiæ sint quasi colligatæ, ut neutra illarum sine altera alteriusve societate deliberata objectum attingat: &, si absque mutua dependentia voluntatis & intellectus, situm est in voluntate, sequi vel non sequi intellectus judicium, fieri posset, ut voluntas temere & quasi casu hoc objectum prosequeretur, quod nunc forte fortuna prosequitur: nam ex parte intellectus nulla tum foret peculiaris ratio, nulla propria causa, propter quam voluntas jam id prosequatur, alias non prosequatur, cur actum suum nunc eliciat circa objectum, alias non. Minor vero, *quod judicium intellectus simplex non sit sufficiens cognitio objecti, ut voluntas moveatur & actum suum eliciat, facile probari potest:* Voluntas dicitur potentia cæca: & quare? nempe, quia

oportet illam ab intellectu sic duci, ut ex parte intellectus possit assignari ratio & causa peculiaris cur ducatur, i. e. cur velit. At vero ex parte simplicis apprehensionis & ex patte judicii simplicis non potest assignari propria ratio & causa, cur voluntas moveatur potius quam non moveatur. Ergo præter ista adhuc amplius judicium requiritur, sc. comparatum atque ultimum, quod vocant *imperium:* quod quidem imperium in actus voluntatis elicitos, in ipsam volitionem, intentionem, electionem, &c. non tam facile in nobis animadvertimus, quam quidem ejusdem intellectus imperium in facultatis inferioris earumque actiones, quia plus deliberamus circa media, quæ inferiores facultates usurpant, & executioni mandant, quam circa, quosdam saltem, voluntatis actus elicitos: nam volitionem, intentionem, aliosque voluntatis circa finem actus elicitos, non antecedit ista, aut tanta, deliberatio, cum sæpissime subito determinemur per imperium mentis in voluntatem ad volendum finem vel intendendum. Atque ut hoc negotium clarissime percipiatur, notandum hoc est sedulo: Cur utraque potentia moveatur circa objectum, intellectus imperando, voluntas volendo, non possumus aliam causam priorem assignare in ipso homine, quam ipsam harum potentiarum naturam, quæ sic est instituta utrimque, ut practice, i. e. effective, possint hæ potentiæ prosequi suum objectum vel etiam non prosequi; altera imperando, altera appetendo; in quo tota hominis libertas est sita. At vero, si voluntas per se spectetur, i. e. sola absque intellectu, cur tum illa moveatur, quando movetur, non potest alia ratio reddi quam ex parte intellectus, quandoquidem voluntas est potentia cæca, ideoque tendere non potest in objectum nisi ab intellectu ei præmonstretur: atqui ut præmonstretur, debet sufficienter & ut objectum voluntatis præcognosci; non præcognoscitur sic, per simplicem mentis apprehensionem, nec per mentis *judicium* simplex, *quod* jam est demonstratum. Ergo per intellectus judicium comparatum, (*b*) per dictamen syllogismi practici, quod *imperium* vocamus, & *judicium ultimum*, vulgo imperium practicum, aut etiam practice practicum.

(*a*) Necessitas Hypothetica dicitur, quâ aliquid necessarium est ob conditionem positam, quod extra eam necessarium non esset: Ita necessarium est Insulanis, ut utantur Navibus, si velint exercere commercia cum Aliis Gentibus, hac *sc. conditione* sive Hypothesi posita, quæ si non ponatur, non est necessarium, ut navibus utantur.

(*b*) Syllogismus Practicus vocatur, quo Intellectus concludit aliquid esse vel appetendum, ac faciendum, vel non appetendum, & fugiendum.

VI. Atque hic jam oritur quæstio gravissima, *an voluntas non solum dependeat, sed etiam ad volendum determinetur ab intellectus practici judicio ultimo, à dictamine comparato, ab ejus imperio, quod solet exprimi hisce verbis: hoc, nunc, omnibus circumstantiis expensis, eligendum est aut faciendum: ita ut hoc judicio ultimo ac comparato posito, non possit non velle, & necessario velit; an vero eo posito, adhuc in sensu composito, possit non velle, & de facto aliquando non velit?* Quidam statuunt voluntatem ab intellectus practici judicio ultimo determinari quoad specificationem & non quoad exercitium, ita *Aquinas* & ejus sequaces: Alii nec quoad specificationem, nec quoad exercitium, voluntatem ab ultimo intellectus practici judicio determinari, statuunt: ita *Scotus* cum *Scotistis*, quos sequuntur moderni *Iesuitæ*, & *Remonstrantes* ac *Lutherani* Philosophi. Nos, & quoad specificationem & quoad exercitium, voluntatem ab ultimo intellectus practici judicio determinari asserimus: nec causam aut rationem videmus ullam, cur, si quoad specificationem determinetur voluntas, quod vult *Thom.* non pariter determinetur quoad exercitium, cum eadem utrobique incommoda redeant. Sed sententiam nostram idoneis rationibus confirmemus, quod faciemus citra alterius cujuscunque tandem dissentientis præjudicium; omnibus enim sentiendi in hac & similibus controversiis suam relinquimus libertatem, sed & dissentiendi nostram servatam nobis volumus: quod utrumque fieri potest, citra ullum pacis aut concordiæ divortium, nam, ut tritum habet distichon:

Diversum sentire duos de rebus iisdem
Incolumi licuit semper amicitia.

VII. §. 1. Si voluntas possit velle contra ulti-

ultimum intellectus dictamen, si possit appetere contrarium bono, ab ultimo intellectus dictamine, præscripto, poterit appetere malum, sub ratione mali, ut tale est. Absurdum (a) est posterius. Ergo & prius. Major probari potest manifestissimo exemplo. V. C. si, non occidere innocentem, hic & nunc, &c. habeat rationem boni; contra, occidere innocentem, hic & nunc, &c. habebit rationem mali; ponamus ergo, intellectum dictare ac judicare, primum simplici judicio, insontem non esse occidendum, mox comparato, insontem hunc, hic & nunc, &c. non esse occidendum; si voluntas contra possit velle & velit, insontem occidere, & hunc, & hîc, & nunc, &c. certe appetet malum sub ratione mali: nam quid quæso aliud est, appetere malum sub ratione mali, quam illud appetere, quod intellectus judicavit judicio simplici & comparato esse malum? Hæc ratio tam firma est, ut nullam patiatur contradictionem aut exceptionem. Sed & sequens firmissima est.

(a) Quod absurdum sit, malum appeti sub ratione mali, indeliquet, quia sic voluntas feretur appetendo in ignotum: nam quando intellectus objectum aliquod intellexit esse malum, & judicio ultimo judicavit esse fugiendum, si voluntas contra illud appetat ut bonum, nam bonum est objectum appetitus seu volitionis, cum illud objectum, ut bonum non fuerit apprehensum, nec judicatum (nam fuit apprehensum & judicatum ut malum) certe voluntas illud appetendo ut bonum, feretur in ignotum.

VIII. §. 2. Si Voluntas ad volendum non determinetur ab ultimo intellectus practici judicio, Ergo seipsam determinabit. At voluntas seipsam non determinat, quia ex se & naturâ suâ est indeterminata: unde sic argumentor. Si voluntas ex se & naturâ suâ est indifferens ad volendum & non volendum, non potest à seipsa determinari ad volendum: quod enim determinat, tam debet esse determinatum quam est indeterminatum quod determinatur. At voluntas, considerata ut determinans seipsam, tam est indeterminata, quam est considerata eadem ut determinanda: nihil enim ponunt Adversarii in voluntate determinante, quod non idem sit in voluntate, aut determinandâ, aut determinatâ, neque vero poni aliquid hîc potest. Ergo voluntas non potest à seipsa ad volendum determinari. Si non à seipsa, ergo aliunde. Sed unde? à Deo quidem determinatur ad volendum per ejus præmotionem. Sed vero præter istam Dei præmotionem ac prædeterminationem, quæritur aliud principium eam determinans in homine, illud non est facultas inferior, quia illa determinatur, non ipsa determinat. Ergo facultas aliqua superior: at illa nulla est præter voluntatem quam intellectus. Ergo solus intellectus in homine, voluntatem determinat ad volendum: Non per simplicem apprehensionem, nec per judicium absolutum, ut jam vidimus; ergo per ultimum & comparatum. Ergo voluntas determinatur ab ultimo intellectus practici judicio, quod ostensum volumus.

IX. §. 3. Argumentamur ab absurdo, quod Adversarii effugere nequeunt. Si voluntas non ab intellectus practici judicio ultimo determinetur, sed seipsam determinet ad volendum, aliqua priore volitione sese determinabit: alius quippe actus voluntatis fingi nequit, quam volitio; sicut non est alia actio intellectus quam intellectio; sicut non est alia actio ignis quam calefactio: atque sic dicetur voluntas velle hoc vel illud, quia vult velle: sed quid de hac priore volitione dicetur, qua vult velle? an non alia volitione opus erit qua moveatur & determinetur ad hanc volitionem, qua vult velle? omnino: & sic dicendum erit, voluntas vult hoc vel illud velle, quia vult velle, & velle. Et tum de ista prima ex tribus volitionibus redibit quæstio, quomodo ad eam, unde, & qua actione, determinetur voluntas? & dabitur ridiculus progressus in infinitum. Sed hoc argumentum adhuc aliter urgeri potest: & ostendi manifesta contradictio, quæ inde sit secutura. Nam aut aliunde determinatur voluntas, quod nos existimamus, aut si seipsam determinat ad volendum, erit eadem actio, & qua se determinat, & ad quam determinatur à se: quod idem est, ac si dicas, idem est determinans & determinatum, id est, determinatum & indeterminatum: quatenus actio voluntatis est determinans, ipsa est determinata: quatenus actio voluntatis determinatur, ipsa est antea inde-

indeterminata & sic idem erit determinatum & indeterminatum, quæ est mera contradictio. Rationes Theologicas, ne committamus μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, non adducimus, ut nec plures Philosophicas, quia pondere certare malumus ac vincere quam numero. Et videri possunt utriusque generis rationes apud *Cameronem & Maccovium*, ex nostris; apud *Estium*, *Cumelium*, *Alvares*, aliosque Dominicanæ familiæ ex Pontificiis Theologos ac Philosophos.

X. Atque finem imponere possemus huic sententiæ comprobandæ: sed placet, præter argumenta artificialia adducta, insuper producere argumentum inartificiale ab *Aristotelis Authoritate* deductum, ut sententia nostra non minus Aristoteli quam rationi convenire demonstretur, & ne cum *Aristotelis* Philosophia pugnare videatur. Unum jam adduximus *Arist. testimonium* clarissimum, ex *l. 3. de Anima*, *text. 46.* Alterum adjungimus non minus clarum ex *Eth. ad Nicom. l. 6. c. 2.* verba sunt. *Quod vero in cognitione est affirmatio & negatio, id in appetitione est persecutio & fuga. Quare cum virtus moralis, habitus in eligendo positus sit, electio vero posita sit NB. in appetitione consultatoria consultando* (at consultatio est per judicium intellectus comparatum) *idcirco oportet, & rationem veram esse, & appetitionem rectam, si modo electio proba est: & NB. eadem illam dicere & hanc persequi: atque hæc quidem cogitatio & veritas in agendo posita est.* Et paulo post. *Actionis igitur principium est electio, unde est motus, at non cujus causa: electionis vero appetitio & ratio quæ alicujus causa est: ita neque sine intelligentia & NB. cogitatione, neque sine morali habitu electio est.* (atqui electio mediorum est, quæ si non sit sine cogitatione, oportet talem intelligere cogitationem qua circa media versari possit intellectus: ea non est aliud quam judicium comparatum, juxta quod hoc medium eligitur quod est optimum, nam electio est optimi) Et paulo post. *Iccirco NB. vel appetens intelligentia, vel intelligens appetitio electio est: ac tale principium est homo.* Plura *Aristotelis*, quin & aliorum *Philosophorum*, testimonia coacervavit *I. Camero in resp. ad epist. Viri docti, c. 5.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM UNDECIMA,

DE LIBERO ARBITRIO.

THESIS I.

DIsputatione octavâ, thesi primâ, acturos nos promisimus, de *Intellectu*, *Voluntate*, & *Libero Arbitrio:* Quæ de *Intellectu* & *Voluntate* solent disputari ab Ethicis, ea disp. præced. excussimus, restat ut *Liberi Arbitrii* nunc naturam excutiamus. Duæ sunt voces: *Liberum* & *Arbitrium*, quæ primum veniunt explicandæ. *Liberum* non unam habet significationem: interdum significat id, quod nemini subest, quod à nemine pendet; quo sensu solus Deus liber est; interdum significat id, quod à servitute & à subjectione est exemtum: quo sensu liber est, qui ad serviendum alteri non est obligatus: neutro sensu liberum hic sumitur à nobis, cum de *libero* philosophamur *in Ethicis arbitrio:* non sensu priori, quia de libero agimus arbitrio hominis, quod Deo subest, atque à Deo pendet; non posteriori sensu, quia sic in servis non foret liberum arbitrium: interdum liberum accipitur pro eo quod non cogitur: sed neque hoc sensu hic accipimus: nam hoc modo τὸ *liberum* etiam in bruta cadit, quippe quæ libere dicuntur decerpere pabulum, & libere se movere, quatenus non coguntur, quatenus à nullo externo principio necessitantur ad id agendum; at nos agimus impræsentiarum de hominis libero arbitrio: interdum accipitur liberum

liberum pro eo, (a) quod est expers naturalis necessitatis, quod tale est, ut in sua sit potestate, agere hoc quod agit, & illud non agere, & aliud agere: quo sensu liberum brutis non convenit; ea enim sic in objecta sua tendunt, ut non sit in illorum potestate, aliud agere, aut omnino non agere hoc, quod agunt: hinc dicunt *Philosophi*, & recte, *Bruta quidem sponte agere*, i. e. non coacte, *sed non* tamen *libere*. *Arbitrium* derivatur à voce *Arbiter*, quæ significat judicem privatum, sequestrum, qui privatim lites dirimit: arbitrium ergo est, arbitri seu judicis privatum judicium: potest autem arbiter pro judicio suo judicare, rem aliquam, ad quam vocatur, esse vel faciendam, vel omittendam: illud *τὸ judicare* est rationis practicæ: ita ut voces hæ duæ, *liberum arbitrium*, dicant *χέσιν*, *arbitrium*, ad *intellectum*, *liberum*, ad *voluntatem*: *arbitrari* est judicare, quod est opus rationis practicæ: at *libertas* proprie & proxime est voluntatis.

(a) Naturalis necessitas est, quâ aliqua Causa agit necessario, ut non possit non agere per naturam suam, aut naturalem inclinationem; quemadmodum ignis urit naturali necessitate, quia hæc est natura ignis, ut inclinetur, & propendeat ad urendum, sic ut non possit non urere.

II. Hæc de voce utraque, nunc rem videamus; ac *quidnam sit*, *partim intellectus*, *partim voluntatis*, *liberum arbitrium? anne actus utriusque*, *an habitus*, *an facultas?* oportet enim aliquid esse istorum trium; cum ista tria tantum sint in anima. Resp. Licet voces hæ, *liberum arbitrium*, sonent actum rationis simul & voluntatis, hic tamen pro *actu* non sumuntur à nobis, quia sic in dormientibus non foret liberum arbitrium (agimus enim de actionis humanæ, seu moralis, seu liberæ, principio elicitivo.) Ergo vel *habitum* significaverit *liberum arbitrium*, vel *facultatem*. At non significat *habitum*: nam habitus inclinat potentiam ad actiones certi generis: habitus bonus ad bonas, malus ad malas: at liberum arbitrium ex se non inclinat ad actiones certi generis; imo indifferenter se habet ad actiones diversorum, imo contrariorum habituum, ut virtutis & vitii, nam qui bene agit & qui male agit, agit libere, Ergo fuerit *facultas* sive *potentia liberum arbitrium*. Sed quæ & qualis? an *intellectus?* an *voluntatis?* an *tertia ab utraque distincta?* an *eadem cum utraque?* Ego quidem *eandem* censeo *esse facultatem seu potentiam cum intellectu & voluntate*: quatenus enim dicitur *arbitrium*, id est, facultas arbitrandi, non differt ab intellectu, sc. practico: quatenus dicitur *liberum*, non differt à voluntate; præsertim cum ipse intellectus & voluntas non differant inter se, nisi formaliter & distinctione (a) rationis ratiocinatæ, ut quidem nos existimamus. Qui reale discrimen inter istas facultates admittunt, iis existimo statuendum, liberum arbitrium esse eandem facultatem cum voluntate, sed quatenus subest judicio ac dictamini ultimo intellectus practici: interim hoc sedulo notandum hic fuerit; Licet liberum arbitrium statuatur, idem cum voluntate tantum, vel idem cum intellectu & voluntate simul, ratione tamen differre aut formaliter, vel à voluntate tantum, vel ab intellectu & voluntate simul: nam voluntas latius patet quoad objecta & actiones quam liberum arbitrium: unde malunt alii dicere, quod liberum arbitrium pars potius sit illius facultatis quâ intelligimus & quâ volumus, quam quod sit integra ac tota facultas. Voluntas extenditur ad omnia, quæ volumus, quocunque modo velimus, sive præviâ consultatione ac deliberatione, sive sine eâ: at liberum arbitrium est positum *ἐν τῇ προαιρέσει*, in præviâ deliberatione, & est eorum tantum, quæ volumus præcedanea consultatione. Velle beatum esse, nolle miserum esse, sunt actiones voluntatis; sed non item liberi arbitrii. Voluntas est finis, & finis ultimi, & omnium eorum, quæ agimus & appetimus *ἀπροβουλεύτως* sine prævia deliberatione, qualia sunt inter bona felicitas, & quæcunque necessariam habent cum eâ connexionem, ut, vivere sine molestiâ, edere si esurias, bibere si sitias, &c. quæ omnia volumus sine consultatione; sic inter mala tali modo aversamur miseriam & quæcunque necessariam habent cum eâ connexionem, ut sunt, cruciatus, egestas, mors, &c. quæ nolumus sine consultatione aut deliberatione præce-

denti: At verò liberum arbitrium ad sola pertinet media, de quibus non statim liquet, an ad felicitatem, vel miseriam, vel alium quemcunque finem, sint vel profutura, vel nociturа, de iis consultamus ac deliberamus, de iis arbitramur, id est, judicamus ea esse, vel amanda vel fugienda, & pro arbitrio ac judicio nostro ea vel volumus vel nolumus.

(a) Quia Intellectus & Voluntas non constituunt duas distinctas Potentias, sed tantum differunt definitione, (discrimen Definitionum non infert Realem distinctionem.) Itaque Anima Rationalis cum versatur circa verum, dicitur Intellectus, cum circa bonum, Voluntas, ideoque differunt tantum hæ facultates per Respectum ad diversa objecta, qui est fundamentum, quo distinctio Rationis Ratiocinatæ inter illas nititur; quemadmodum in Sole non sunt multæ facultates, aut Potentiæ diversæ, liquefaciendi, indurandi, calefaciendi, sed una est eademque Virtus, quæ sic distinguitur per Respectum ad diversa objecta, in quantum enim Sol versatur circa lutum, dicitur indurare, in quantum circa ceram, liquefacere, in quantum circa Aquam frigidam, calefacere.

III. Ex hisce thesi 2. positis atque expositis liquet, alio modo appeti libere finem ultimum à voluntate, & alio modo appeti libere media non necessario cum ultimo fine connexa à libero arbitrio: finis appetitur libere à voluntate, in quantum non cogitur, & in quantum agit & eum vult voluntas ex dictamine & judicio rationis; quæ *libertas* potest dici, barbaro & *Scholastico* usitato vocabulo, *spontaneitas* cum ratione: nam bruta etiam quidem appetunt sponte, non coacte, sed ista spontaneitas est sine ratione: media vero appetuntur libere à libero arbitrio, non tantum, in quantum non cogitur, non tantum in quantum agit & vult ex dictamine & judicio rationis, sed & in quantum potest ea non appetere, &, vel alia appetere vel ab appetendo abstinere. Voluntas finem ultimum, quem non coacte, sed sponte cum ratione appetit, vult necessario, ut non possit non eum velle: at liberum arbitrium media appetit, non coacte, sed sponte cum ratione, & insuper non necessario, ut possit non appetere, quia arbitrium potest judicare hoc medium, quod appetitur, non esse appetendum: quare *ad non coactionem* & *spontaneitatem cum ratione* in voluntate, *accedit per liberum arbitrium* ad eam, ἀδιαφορίαν seu *indifferentia*, quæ tamen magis ad intellectum practicum quam ad voluntatem pertinere videtur; magis enim pertinet ad judicium & arbitrium, quod est intellectus quam ad electionem, quæ est voluntatis, quippe quæ in eligendo intellectus judicium sequitur & ab eo ad agendum determinatur, ut *disp. præced.* fuit demonstratum. Quia itaque intellectus arbitrando seu judicando est indifferens circa media, ut unum possit probare, alterum improbare, voluntas quoque, quæ ita sese habet ad objecta & actiones, prout ab intellectu ducitur, indifferens est circa illa & illas: & sic, ac tum, intellectus & voluntas dicuntur liberum arbitrium: At cum intellectus judicat rem esse, vel bonam vel malam, absque prævia deliberatione, & voluntas eam prosequitur absque ulla indifferentia, tum non dicuntur liberum arbitrium. Clarissimum ergo est, *quo modo & sensu liberum arbitrium dicatur idem esse cum intellectu & voluntate, quo modo & sensu ab iis differat.*

IV. *Liberum arbitrium in homine esse* jam facile probatur, quia est in eo intellectus & voluntas, cum quibus idem esse liberum arbitrium jam est ostensum: Et experientia docet ipsa, hominem in multis esse ἀδιάφορον, indifferentem, liberum, judicando, arbitrando, appetendo, agendo: habet enim imperium ac potestatem in suas actiones, ut eas facere possit & omittere, & has vel illas instituere possit, prout judicaverit: Deus enim nullis rebus inferioribus adstrinxit hominem in quo dignitas quædam ac perfectio hominis supra res alias eminet: Quare sicut Deus in creando, gubernando, eligendo, aliisque actionibus, quæ extra Deum tendunt, liberrimi est arbitrii, ita hominem liberi esse arbitrii voluit, circa res homine inferiores, ipsique homini à Deo subjectas, ut est mundus cum omnibus in eo contentis, quarum constituit hominem dominum, ut homo circa eas liberam acceperit potestatem agendi & non-agendi: in brutis vero aliisque præter hominem rebus liberum arbitrium non est, quia tale dominium

nium non est. Dico autem differte, (a) *Dominium liberumque hominis arbitrium esse circa res inferiores hominique subjectas*, quia circa finem ultimum, bonum supremum, & circa actiones supernaturales hominique non subjectas, sed in solius Dei potestate sitas, non accepit nec habet dominium aut liberum arbitrium homo: quod semel hic monitum volo, &, in curriculo harum disputationum practicarum, semper observari ac teneri cupio: *Quotiescunque de libero philosophabimur arbitrio, illud non ulterius à nobis asseri & extendi, quam ad actiones naturales in hominis potestate sitas, circa res eo inferiores eique subjectas, circa quas tantum accepit homo liberum arbitrium, non vero ad supernaturales actiones extra potestatem hominis sitas, circa res eo superiores soliqué Deo subjectas, quæ à fide similibusque virtutibus spiritualibus doniisque præter creationem à Deo infusis homini, ab eo eliciuntur, ad quas non accepit liberum arbitrium homo.*

(a) Res quædam sunt infra hominem, in quas accepit potestatem, quædam supra eum in quas non accepit potestatem. Infra eum sunt omnia alia creata quorum constitutus est Dominus, quod Dominium fuit pars Imaginis Divinæ: Supra eum est ens & bonum increatum.

V. Excussa quæstione, *an sit* liberum in homine arbitrium, circa actiones & res, quas præced. Thesi determinavimus, restat videndum, *quid sit*. Quid sit liberum arbitrium, non tam facile est definire. Vulgus Philosophorum sic definit, quod sit *facultas, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, tum antecedenter, tum concomitanter, (a) potest agere & non agere, aut ita agere unum ut contrarium agere possit*. Hæc definitio, quo sensu explicari solet, eo subsistere nequit: nam intelligunt hanc definitionem sic: ut, positis omnibus conditionibus & causis, ad actum liberi arbitrii requisitis, liberum tamen arbitrium, possit, in sensu composito, operari illum actum, aut non operari, vel etiam elicere contrarium: unde consequenter inferunt, quandoquidem motio Dei est inter conditiones ac causas actus à libero arbitrio exercendi, quod liberum arbitrium, quando Deus movet illud ad consensum, possit nihilominus dissentire, ac de facto sæpe dissentiat, &, quando Deus illud movet ad agendum, possit nihilominus non agere, ac de facto sæpe non agat. At vero hæc definitio & definitionis de libero arbitrio expositio, hoc sensu falsa est, ac periculosa, ac multorum, eorumque graviissimorum, in Philosophia pariter ac Theologia errorum causa ac fundamentum: hinc profluxere, (b) Dei scientia media, & (c) decreta conditionata, & (d) concursus universalis atque indifferens, & plura id genus impia Jesuitarum & sequacium philosophemata, quæ imprudenter sæpe ex modernæ Philosophiæ amatoribus atque admiratoribus nimiis juventuti proponuntur.

(a) Requisita antecedenter ad actum liberi arbitrii humani, ex parte Dei sunt, ejus decretum, tum effectivum, tum permissivum, ejus scientia visionis, quæ decretum sequitur, & concursus ejus prævius; requisita concomitanter sunt, ex parte Dei, tum concursus ejus simultaneus, tum actualis ejus permissio, ille, cum liberum hominis arbitrium operatur bene, hæc, cum male: requisita antecedenter ex parte hominis, sunt, tum facultates, seu potentiæ agendi, tum objectum, in quod agant: requisita concomitanter ex parte ejusdem sunt, tum aliarum causarum concursus, tum debita objecti approximatio, tum idonea potentiæ aut organi dispositio, tum aliæ quæcunque conditiones, ad actum liberi arbitrii exercendum, præsertim requisitæ: hinc manifestum est ex parte Dei requiri tria ad omnem actum liberi arbitrii, Decretum, Scientiam, Concursum; ex parte hominis item tria, potentiarum existentia, atque idonea dispositio, objectum præsens, præsentis debita approximatio.

(b) Scientia media in Deo nomen accepit, quia quasi Media interponitur inter Scientiam simplicis Intelligentiæ & Visionis. Scientia simplicis Intelligentiæ in Deo vocatur, quâ Deus scit omnia possibilia, sive sint futura, sive non, neque enim omne quod est possibile, aut fieri potest, futurum est. Scientia Visionis dicitur, qua Deus scit omnia futura: Sed quia futura vulgo dividuntur in futura absolutè, & Sub Conditione, Iesuitæ & Remonstrantes dixerunt, Scientiam Visionis, esse futurorum absolute, & præter hanc, ac simplicis Intelligentiæ, Scientiam invexerunt quandam Mediam, quâ Deus sciat non possibilia, non futura absolutè, sed futura conditionata, sive sub conditione, idque ob hunc finem, ut confirmarent Electionem, ex fide prævisa, aut ex prævisis meritis: itaque volunt, Deum præscire per hanc Scientiam, non simpliciter Petrum esse

salvandum, sed salvandum sub Conditione, si credat, quæ Conditio tamen, fides sc. non sit à Deo decreta, sed quæ pendeat à libero arbitrio Petri, potentis, vel credere, vel non credere, unde hæc Scientia dicitur Conditionata. Verumenimvero non est necesse, novam hanc & mediam Scientiam introducere, quia, si Deus decreverit Petri Salutem, non decreta Conditione, fide sc. à qua salus Petri pendet, jam Salus Petri ne quidem futura est, sed possibilis tantum, i. e. Deus tantum scit posse fieri, ut salvetur Petrus, si credat, & sic Deus hoc cognoscit per Scientiam simplicis Intelligentiæ, quæ est Scientia Possibilium; si vero ipsa Conditio, fides sc. sit decreta, tum hæc Enunciatio, Petrus salvarur si credat, continerur sub objecto Scientiæ Visionis, quia ex Hypothesi, quod tam decreta sit fides quam salus Petri, urraque futura est Absolutè: Atqui Scientia Visionis est Absolute futurorum. Concludo ergo, hanc Scientiam Mediam esse frustraneam.

(c) Decretum Conditionatum in Deo ponitur à Iesuitis, & Remonstrantibus, quo Deus decreverit aliquid futurum sub Conditione, quam non decernat; ut volunt, Deum decrevisse omnibus hominibus Salutem, si credant, non tamen ipsâ fide decretâ: sed verò sic decretum Dei de re futura dependet à conditione extra Deum, & sic Deus vi sui decreti non poterit vel unum hominem salvum facere, quia non habet in sua potestate conditionem, sc. fidem, sub qua salvus fieri debet; nam quandoquidem hæc fides à Deo supponitur non decreta, & salus decreta non sit futura nisi sub fide, non potest obtinere rem decretam à se, salutem sc. quia non habet in sua potestate, ut homo credat: suspendunt enim fidem à viribus liberi arbitrii.

(d) Concursus universalis & Indifferens ab iisdem Authoribus invectus, dicitur ipsis, quô Deus concurrit cum homine in genere quidem ad agendum, sed non in specie ad agendum hoc vel illud: Ita volunt quidem, Deum concurrere cum homine in genere ad credendum, aut bene operandum, sed quod hîc homo, puta Petrus, nunc temporis credat, aut bene operetur, hoc volunt esse à solo Petro, & non à Deo; itaque quod Petrus possit credere, aut bene operari, hoc quidem à Deo esse volunt, sed quod credat, & bene operetur, soli Petro adscribitur, à quo volunt actiones specificari, & non à Deo.

VI. Nos contra sic statuimus: Non est de ratione aut definitione liberi arbitrii, ut, positis omnibus requisitis & conditionibus & causis ad operandum certum & talem actum, possit eundem actum non operari vel alium operari in sensu composito, si compositio fiat inter causas ac conditiones prærequisitas & inter carentiam talis actus aut actum contrarium: dico diserte, si compositio fiat inter causas ac conditiones prærequisitas & inter carentiam talis actus aut actum contrarium: nam quando liberum arbitrium dicitur id, quod positis omnibus ad agendum requisitis potest agere & non agere, & agere hoc vel aliud, in sensu composito, ille sensus compositus potest dupliciter intelligi: 1. (a) ut compositio fiat inter prærequisita ad operandum & inter ipsam potentiam, operandi vel non operandi, aut operandi aliud, & tum sensus compositus est hic: potentia ad operandum & non operandum, verbi causa, ad volendum & non volendum, ad ambulandum & non ambulandum, simul est & componitur in eodem subjecto, libero scilicet arbitrio, cum antecedenter prærequisitis, ad talem operationem, scilicet volitionem aut ambulationem: qui sensus admitti potest. 2. ut compositio fiat inter prætequisita antecedenter ad operandum talem actum, hoc est, ambulandi vel loquendi, & inter carentiam talis actus seu actum contrarium: & tunc sensus compositus hic est: (b) omnia prærequisita, omnes causæ ac conditiones, quæ prærequiruntur, tum ex parte Dei, tum ex parte hominis, ad talem actum, puta volitionem vel ambulationem, & carentia illius actus seu actus contrarius, simul sunt, & componuntur in eodem subjecto, scilicet libero arbitrio: & hic sensus est falsissimus: quod probo: nam inter prærequisita ad eliciendum à libero arbitrio actum volitionis aut ambulationis aut locutionis, est absolutum & efficax Dei decretum, quo statuit, ut liberum arbitrium hominis producat talem actum; est item motio Dei & influxus ejus prævius in liberum arbitrium, quo in tempore præmovet illud ad talem actum producendum; jam vero, posito tali decreto & tali influxu prævio Dei, tanquam (c) conditionibus & causis (vel veris vel sine quibus non) prærequisitis, ut liberum arbitrium actum volitionis vel ambulationis vel locutionis eliciat; fieri non potest, ut non eliciat, vel ut actum contrarium nolitionis vel sessionis

nis eliciat: illa duo non possunt simul componi: Deum decrevisse & præmovere liberum arbitrium ad actum talem & certum, &, liberum arbitrium istum actum non producere vel producere contrarium. Ergo iste sensus compositus Jesuitarum aliorumque omnino est repudiandus. Et cur ista compositio prærequisitorum ad operandum talem actum, puta ambulationem, & actus contrarii vel negationis actus admitteretur in libero arbitrio hominis, cum ne quidem in Deo, qui liberrimi est arbitrii, habeat locum: inter prærequisita, ut in tempore mundum crearet Deus, fuit æternum ejus decretum, quo statuit creare: cum hoc decreto posito non potuit componi simul, ut Deus non crearet: ergo etiam posito Dei decreto, ut homo velit aut ambulet, cum eo non potest simul componi ut homo non velit aut non ambulet. Missa itaque ista liberi arbitrii definitione falsa, nos id definimus, *Facultatem faciendi quod lubet.* (d) Facultatem intelligimus *Physicam* seu *naturalem*, non Ethicam seu moralem: aut, *facultatem intellectus & voluntatis ad utrumlibet.* Omissis illis vocibus *(positis omnibus ad agendum prærequisitis)* illud, (e) *utrumlibet*, non debet intelligi semper aut necessario de bono & malo: sic enim nec in damnatis ac dæmonibus, nec in Angelis ac Beatis Animabus liberum foret arbitrium, sed intelligitur, vel de ☞ agere aut non agere, vel de ☞ agere hoc aut illud.

(a) Vt sensus compositus, in quo collocatur liberum arbitrium, bene intelligatur, quis sit verus, quis sit falsus, notanda est alia distinctio, quæ hoc expedier, nempe, liberum arbitrium non consistit in potentia simultaris, sed in simultate potentiæ: Potentia simultatis dicitur, quâ simul & eodem tempore quis potest, operari, & non operari, quæ cum non detur, (nam nulla datur Potentia, quâ simul quis operetur, & non operetur, est enim illa contradictio) utique liberum arbitrium, in ista potentia simultatis collocari non potest, & hic est sensus compositus falsus, qui significatur Numero 2. pag. 52. col. 2. lin. 11. Simultas Potentiæ dicitur, quâ quis, cum operatur aliquid, simul in sese haber potentiam vel non operandi, vel operandi aliud, non quidem pro illo tempore, quo operatur, quasi simul in ipso componantur operari & non operari, sed tempore alio, ut quamvis non in se inveniat aliquam potentiam ad operandum aliquid simul & non operandum, quam id quod operatur, tamen cum ipsa operatione hujus effecti, simul stat & componitur in ipso, potentia aliqua operandi contrarium, aut non operandi, sed utrumque tempore alio, qui sensus compositus est verus, & significatur Numero 1. pag. 52. col. 1. lin. ult. Ita, cum loquor de hac aut illa materia, simul in me invenitur, & componitur, cum actuali locutione hujus rei, potentia, aut non loquendi, aut loquendi res alias, nam actus loquendi de hac re, de quâ loquor, non tollit in me, aut à me, potentiam vel non loquendi, vel loquendi de re alia.

(b) Prætequisita ad aliquem actum humanum, ex parte Dei, sunt, tum decretum ejus internum, & quæ illud sequitur. præscientia actus futuri, tum influxus ac concursus ejus prævius, quo ad actum talem præmovet causam liberam; ex parte hominis, sunt, potentia agendi debite instructa, objectum debite approximatum, aliæque conditiones pro ratione diversorum actuum.

(c) Decretum & influxus Dei prævius, sunt causæ veræ actionum bonarum, quia Deus eas decrevit efficere, atque efficit, & qua actiones sunt, & qua bonæ sunt; sunt causæ sine quibus non, quando actiones sunt malæ, quia maliriam decrevit, non efficere, sed permittere, & eam non efficit, sed permittit, ut cunque ipsam actionem malitiæ substratam efficiat, & efficere decreverit.

(d) Facultas Physica dicitur, qua aliquis aliquid potest viribus naturalibus, vel animi, vel corporis, vel etiam bonorum fortunæ: facultas Ethica dicitur, qua aliquis aliquid potest, quia legibus est permissum. Sic homo robustior habet potentiam seu facultatem Physicam occidendi minus fortem, non item Ethicam, quia, licet per vires corporis robustiores proximum minus fortem, occidere posset, hoc tamen non potest per leges, quæ ipsi illud vetant: Libertas consistit in facultate seu potentiâ agendi Physicâ, & non Ethicâ.

Faculras seu Potentia Physica est, quâ aliquis aliquid potest fortunæ, corporis, aut animi viribus.

Facultas seu Potentia Ethica est, qua quis aliquid potest, quia legibus est permissum, V. C. Si Petrus sit corporis robore fortior Paulo, habet potentiam aut facultatem Physicam occidendi Paulum, sed non habet facultatem aut Potentiam Ethicam illud faciendi, quia hoc facere, legibus ipsi non est permissum.

(e) Quando libertas ponitur in facultate intellectus & voluntatis ad utrumlibet, significatur quidem aliqua indifferentia, sed non quoad objecta, quod volunt Adversarii, quasi homo, qui est liberi arbitrii, debeat eodem actu volendi versari circa bonum & malum; verum intelligitur in-

differentia quoad actus, ut homo possit velle & nolle, velle bonum, & nolle malum.

Vtrumlibet, non respicit diversa Liberi Arbitrii objecta, sed diversos ejus Actus volendi, aut non volendi, & volendi, aut nolendi circa objecta diversa, tum bonum, tum malum.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM DUODECIMA,

DE AFFECTIBUS, IN GENERE.

THESIS I.

DEfinivimus Philosophiam practicam, *th.* 2. *disp.* 1. in harum Disputationum curriculo, *Prudentiam dirigentem actiones humanas, ut in hac vita naturæ viribus homo bene beateq; vivat.* Quæ de *bonâ ac beatâ hîc vitâ* summo hominis, dum hic versatur, bono, disputari solent, ea excussimus, *disp.* 4. *primis. Actionis humanæ proprietates* exposuimus *disp.* 5. 6. 7. Ejus *principia disp.* 8. *th.* 1. *retulimus*, partim *ad animam rationalem*, quæ diximus esse, *intellectum*, quem *disp* 8. *voluntatem*, quam 9. & 10. *liberum arbitrium*, quod 11. explicuimus, partim *ad animam* hominis *sentientem*, quam participative rationalem vulgo dicunt Ethici. *Animæ sentientis* triplex vulgo statuitur *facultas sentiens, appetens, locomovens:* sola *appetens* hujus nostræ est considerationis, utpote quæ proprie est actionis humanæ à Philosophia practica dirigendæ, principium: *Appetitus* enim *sentiens sedes est affectuum*; affectus virtute sunt moderandi: in affectibus per virtutem moderandis, animum humanum ejusque actiones dirigit Philosophia practica. Quare, cum summum bonum obtineri nequeat sine virtute; & virtus omnis in sedandis ac componendis occupetur *affectibus*; profecto non alienum fuerit ab instituto nostro, *affectuum* naturam in harum disp. serie ob oculos proposuisse: quod nunc facere est decretum, exordiendo ab *Affectuum* generali definitione.

II. Affectus est, *motus hominis internus ex appetitu boni & aversatione mali ortus.* Vel paulo plenius. *Affectus est motus animalis* (vel *hominis*; nam philosophamur de affectibus humanis) *ab appetente facultate in seipsa excitati ex appetitione boni & aversatione mali ad aliquid vel prosequendum vel fugiendum.* Affectus dicitur ab afficiendo, quia animam afficit. *Cicero* 4. *Tuscul quæst.* eos vocat *animi perturbationes*, quia animum hominis in contemplando & agendo pertutbant: sed hoc vitiosorum est affectuum: quare hoc nomen affectibus in genere non competit. Alii affectus vocant *passiones*, quia faciunt animum atque etiam corpus pati: Quæ vox respondet Græco vocabulo πάθος, quod à πάσχω *patior* derivatur. Certe homo affectibus occupatus, recte dicitur pati. Quicquid enim movetur, quatenus movetur, recte dicitur pati. At, quod ullo modo afficitur ab objecto externo, id movetur. Ergo, quod ullo modo afficitur ab objecto externo, id patitur. Ergo, affectus recte dicitur passio: si dicas, *affectum male dici passionem, quia definitur per motum, qua vox actionem significat.* Resp. Motus est vox generalis, & tam actionem quam passionem significat, & affectus sunt motus, partim activi, partim passivi, magis tamen passivi quam activi: unde passiones potius quam actiones dicuntur. Sed vero, *qua ratione affectus dicatur motus*, quæ vox *generis* locum tenet, & *quo sensu sit activus, quo passivus motus*, paulo plenius est explicandum: facit enim hoc quam maxime ad affectuum naturam intelligendam.

III. Triplex in omni Affectu reperitur motus: unus facultatis cognoscentis ab objecto: secundus facultatis appetentis à judicio facultatis cognoscentis: tertius totius animalis à facultate appetente & instrumentis: Primus motus est causa secundi, secundus tertii. Primus motus, nempe facultatis cognoscentis ab objecto, est magis spiritualis & minus corporeus, ac minus proprie motus: secundus motus, nempe facultatis appetentis à judicio

judicio facultatis cognoscentis, est magis corporeus & magis proprie motus: tertius motus, nempe totius animalis à facultate appetente & instrumentis, est maxime corporeus & penitus ac propriissime motus: hic tertius motus, quo totum animal vel prosequitur vel fugit objectum, non est ipse affectus, sed est actio aut motus affectum consequens: motus quoque primus facultatis cognoscentis ab objecto & ipsa cognitio ac judicium non sunt affectus, sed origo & principium affectuum: affectus vero ipsi consistunt in motu isto medio ac secundo, nempe, quo facultas appetens movetur à judicio seu objecto judicato & cognito, seu, quo vergit ad objectum judicatum & cognitum cum aliqua spirituum agitatione: hic autem motus secundus seu medius, facultatis appetentis à judicio seu objecto judicato ad tria potest referri: 1. Ad objectum in esse cognito, ut loquuntur: 2. Ad facultatem appetendi: 3. Ad corpus vivens vel aliquam ejus partem: atque hæc tria sic se habent, ut objectum moveat tantum; facultas appetens primo moveatur, deinde moveat; corpus tantum moveatur: itaque affectus, ex parte objecti, est tantum actio, ex parte facultatis appetentis, primum passio, deinde actio, ex parte corporis, tantum passio. Affectus ergo est motus mixtus, partim activus, partim passivus, præcipue tamen passivus, quia est passio, tum facultatis appetentis, tum corporis viventis seu partis ejus. Et, ut omnia colligam in unum, Affectus, non tam est actus facultatis cognoscentis (licet sic nonnulli loquantur & nos fere similiter statim simus locuti) quam quidem oritur ex actu facultatis cognoscentis, ex cognitione & judicio; est passio facultatis appetentis, appetitus sensitivi, &, ex parte, ejusdem actio; est passio totius viventis, vel animalis, vel potius, hominis, aut saltem partis ejus. Atque hæc omnia communi voce *motus* in definitione *th.* 2. expressimus. Alii utuntur voce *Mutationis*, sed res eodem redit: Neque enim nos hic motum à mutatione distinguimus, ut solent subtilitatum Magistri & distinctionum artifices in Physicis.

IV. *Affectus* non est motus simpliciter, sed *motus internus*: ratio est, quia affectus manent in ipsa facultate appetente. Res enim sic se habet. Objectum movet sensum: sensus objectum cognoscit, & illud dijudicat, sitne bonum an malum, si ut bonum cognoscit æstimatque, judicat esse prosequendum; tum excitatur appetitio: si ut malum cognoscit æstimatque, judicat illud esse fugiendum; tum excitatur aversatio: appetitionem & aversationem sequitur *Affectus*, *Passio*, Πάθος, quo affectu animal, aut homo potius, interne in corde movetur & afficitur: hæc interna motio, affectio, est, quod *Affectus* vocamus: hanc internam motionem interdum sequitur aut concomitatur externa motio facultatis locomotivæ in prosequendo vel fugiendo objectum.

V. Dari tales motus, facultatis, tum cognoscentis, tum appetentis, ac corporis insuper & membrorum, ipse dictat sensus communis & evincit experientia: ut mirandum sit, quomodo *Stoicis* vulgo tribuatur quædam ἀπάθεια· dicunt enim vulgo *Ethici*, Stoicos statuisse quandam ἀπάθειαν, carentiam affectuum, eosque negasse affectus omnes. Sed enim ego non credo ullum *Stoicorum*, contra, tum sensum communem, tum experientiam, ita insaniviisse, ut affectus omnes sustulerit, soluisque non viderit, quod omnes & sentiunt & vident. Aliud est, quod majori jure *Stoicis* attribuendum censeo, quod affectus statuerint, non esse motus aut actiones & passiones facultatis appetentis, sed quod voluerint eos potius esse opiniones ac judicia, actusque & motus facultatis cognoscentis. Hæc enim quæstio agitari solet, *Peripateticos* inter & *Stoicos*: *An affectus sit animi cognitio, opinio, seu judicium, quo res vel bona vel mala judicatur, an vero actus, quo appetitus & una cor afficitur ac movetur, ad prosequendum objectum judicatum ut bonum, & fugiendum objectum judicatum ut malum? Stoici* prius senserunt ac sustinuerunt, teste *Cicerone l.* 4. *Tusc. quæst. Acad. quæst. l.* 1. *Seneca l.* 1. *de ira c.* 8. *&c.* Nos pro *Peripateticis* stamus, dicimusque, affectus non quidem esse sine opinione, sine judicio: sed ipsos affectus vocare opiniones tantum & judicia de bono & malo, est abuti vocabulis, quod *Stoicis* non est infrequens: sic argumentamur contra:

Quæ

Quæ differunt subjectis, ea non sunt idem. Sed opinio & affectus differunt subjectis. Ergo. Prob. min. Opinio enim, quod omnes concedunt, est in animæ potentiâ cognoscente: affectus est in appetente, quod jam à nobis est demonstratum.

VI. Est porro Affectus non tantum *motus internus in facultate appetente:* sed *animalis vel hominis*, ut in definitione *th.* 2. fuit expressum: ubi per τὸ *animal* intelligimus, non brutum sed hominem, aut potius naturam sensitivam & animalem in homine: nam philosophamur de affectibus humanis aut hominis, non brutis aut brutorum: sunt enim duûm generum affectus, ut notant *Ethici:* quidam in anima irrationali, tantum ac pure inveniuntur: qui mediocritatem suam accipiunt, non à ratione, sed à potentia alia, & cadunt tales affectus in bruta, in quibus tantum est cognitio sensitiva; (*a*) & vocantur affectus puri: alia sunt affectus mixti, qui in anima irrationali quidem repetiuntur, sed non pure, non simpliciter, non absolute, verum quatenus irrationalis anima rationis imperio subjacet ac paret: & isti affectus sunt hominis affectus, & humani, de quibus hîc agimus, non de brutis aut brutorum affectibus.

(*a*) Affectus puri nihil habent participatum à Ratione, ideoque attribuuntur Brutis. Affectus mixti utcunque sint in Anima Irrationali, sc. Sensitiva, seu ejus Appetitu potius, aliquid tamen de Ratione participant ipsius Animæ Rationalis, cui ut superiori sensitiva ut Inferior subest; ideoque hi Affectus tribuuntur homini.

VII. Sed scrupulus hic oritur; *Quomodo solius hominis motus faciamus affectus, quandoquidem in Deum quoque cadant & Angelos? an non Deus amat pios, odit peccatores? an non Angeli lætantur super conversione peccatoris, &c?* Resp. In Deo non sunt affectus, sed aliquid eminentius affectibus, quatenus effecta affectuum cientur & moventur à Deo & reperiuntur in Deo: adeoque tribuuntur ei per ἀνθρωποπάθειαν· quomodo ei tribuuntur, nasus, os, facies, manus, &c. Angeli quoque non sunt idoneum ac proprium subjectum affectuum, utcunque lætari ac tristari dicantur, similiterque affici, quia in iis nulla est spirituum commotio, quæ affectus præsentes comitatur: Angeli enim incorporei sunt, neque spiritus animales in sese habent: eandem ob causam neque in anima rationali affectus debent statui tanquam in subjecto ac sede: si affectuum nomen Animæ rationali simpliciter, si Angelis, si Deo tribuitur, vocabulum affectus latissime extenditur, & accipitur etiam pro eo, quod affectibus proprie dictis & nobis *th.* 2. definitis est ἀνάλογον.

VIII. *Solus homo itaque affectuum est subjectum: sed an totus homo, an singulæ hominis partes?* Resp. Totus *homo* est *subjectum totale* affectuum & *principium quod: Facultas appetens* sensitiva in homine & *Cor* sunt *subjecta partialia* affectuum, & utrumque *principium quo.* Quemadmodum totus homo intelligit, sentit, vivit (actiones enim sunt suppositorum) ita quoque totus afficitur: nihilominus, quemadmodum totus homo quidem videt, sed tamen proprium ac peculiare subjectum & proximum visionis est oculus, ita totus homo quidem afficitur, estque subjectum affectuum, sed totale, nihilominus proprium peculiare ac proximum eorum subjectum est, tum Cor, tum facultas animæ appetens: nempe Cor est affectuum subjectum proximum inter organa & membra corporis: adeoque subjectum est proximum secundum quid. At sentiens appetitus, qui est in corde, est affectuum subjectum proximum absolute: ideoque in definitione generali affectuum *th.* 2. mentionem fecimus appetentis facultatis, non item cordis.

IX. (*a*) *Facultas appetens, seu appetitus sensitivus*, duplex vulgo ab Ethicis constituitur, *concupiscens & irascens:* vulgo, *concupiscibilis & irascibilis.* Per concupiscibilem intelligunt illam potentiam, qua homo prosequitur bonum, & malum fugit simpliciter. Per irascibilem appetitum intelligunt illam facultatem, qua homo resistit iis, quæ impediunt boni adeptionem aut mali fugam, quæque aliquam inferunt noxam: uterque hic appetitus, est sedes ac subjectum certorum affectuum. Quorum? postea videbimus. Quæri hic solet, *An Irascendi & Concupiscendi facul-*

facultates reipsa an ratione distinguantur? Resp. Utrumvis statuatur, non multum refert: prior quidem opinio communior, at posterior est nobis probabilior, qui non libenter entia multiplicamus citra necessitatem: & rationem hanc damus: Quorum appetituum subjecta & objecta non differunt reipsa sed ratione, illi ipsi appetitus non differunt reipsa sed ratione. Atqui appetitus irascentis & concupiscentis subjecta & objecta non differunt reipsa sed ratione. Ergo. Prob. min. subjecta eorum non differunt reipsa, quia unum est idemque utriusque appetitus subjectum, nempe Cor: Nam in corde utriusque appetitus operationes exeruntur atque exercentur; sed nec objecta utriusque appetitus differunt reipsa sed ratione tantum, quia idem bonum nunc ut jucundum & salutare concupiscitur à facultate seu appetitu concupiscente, idemque ut arduum & difficile ad iràscentem spectat: at bonum idem, nunc ut jucundum, nunc ut arduum, spectatum, ratione tantum à seipso differt: Ergo & appetitus concupiscens, qui versatur circa bonum simpliciter, & irascens, qui versatur circa idem ut difficile, ratione tantum à se invicem different. Quæ de affectibus disputari solent ulterius, seq. disp. exhibebimus.

(a) Quodcunque proponitur vel appetendum ut bonum, vel fugiendum ut malum, illud vel conjunctum est cum difficultate aut molestia, vel non est: si non sit, est objectum appetitus concupiscentis, si sit, est objectum appetitus irascentis: nam cum studemus bonum aliquod consequi, sed præ difficultate aut molestia, quæ ipsi est conjuncta, non possumus, aut quando studemus malum aliquod fugere, sed pariter ob impedimenta quædam conjuncta nequimus, irascimur.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM DECIMA-TERTIA, DE AFFECTUUM CAUSIS ET DIVISIONIBUS.

THESIS I.

EXcussimus *Affectuum definitionem generalem*, eorumque *subjectum*, *disp. præced. hac* eorum *causas* & divisiones excutere, est animus. *Causas* considerabimus, *efficientem & finem*: materia enim & forma carent affectus, quia actiones sunt vel passiones, aut utrumque potius, ut *disp. præced.* est explicatum.

II. (a) *Causa efficiens* affectuum, est vel *externa* vel *interna*: omnis quidem causa efficiens externa est, si ad effectum referatur, ut docetur in *Logicis*; dicitur tamen quædam interna, respectu subjecti illius, in quo suam operationem exercet & exequitur. *Externa efficiens* affectus *causa*, sc. procatarctica, est *objectum*, quod per sensus affectum ciet atque excitat. Quæritur, *qualis sit causa efficiens objectum?* Dicitur vulgo objectum causa procatarctica: & est revera talis causa, respectu ejus sensus, quem movet: & sic intelligendum est illud vulgatum; *objecta movent sensus*: sc. ut causæ procatarcticæ impellentes atque irritantes extrinsece. Objectum vero respectu appetitus & affectuum est finis, tum ultimus, tum subordinatus, quia ut bonum, vel verum, vel apparens, appetitum movet. *Causa efficiens interna* est, quæ in ipso subjecto latens ab externa efficiente excitatur: estque in negotio præsenti *duplex*; *principalis*, *vel minus principalis seu instrumentalis*: *Principalis, remota vel proxima*: *Remota*, est facultas cognoscens, à qua appetitio & aversatio, omnesque affectus pendent suo modo: ubi enim deest facultas cognoscendi, affectus quoque locum habere nequit. Per facultatem cognoscentem intelligimus, sensum, tum externum, tum inter-

num, imo etiam rationem in homine, ſive rectam, ſive pravam. *Cauſa efficiens interna principalis proxima*, eſt appetitus ſenſitivus, à quo affectus eliciuntur. *Cauſa efficiens minus principalis ſeu inſtrumentalis*, eſt humorum & ſpirituum temperatio: hanc humorum & ſpirituum temperationem *Medici* vocant *complexionem:* plurimum vero ad affectuum concitationem conferre, ſpirituum & humorum vel temperiem vel intemperiem, tam eſt notum, quam quod eſt notiſſimum: atque hinc vulgatum etiam eſt illud *Galeni: Mores animi ſequuntur temperamentum corporis:* & ipſa hoc docet experientia: quod tamen non ſic eſt capiendum, quaſi in totum animus ſit ſubjectus corpori in affectibus; imo contra, licet plerumque temperiem corporis ſequantur mores & motus animi affectuſque, animus tamen corpori & ejus temperamento dominatur, quod ex *Socratis* ſimiliumque apparet exemplo, qui ſtudio & aſſuetudine mores animi *affectuſque* contra temperiem ſuam immutarunt atque emendarunt; quod ſane dominantis ſupra corporis & humorum temperiem animi eſt argumentum.

(4) Cauſa efficiens Affectuum externa eſt in alio ſubjecto, quam ſunt ipſi Affectus: Cauſa Efficiens Affectuum Interna eſt in eodem ſubjecto, in quo ſunt Affectus, ſc. in ipſa Anima ſenſitiva.

III. Ut modus, quo ex hiſce cauſis oriantur & concitentur affectus, dextre ſemel percipiatur; res ſic ſeſe habet. 1. Objectum incurrit in externos ſenſus. 2. A ſenſibus externis defertur ad internos, præſertim ad phantaſiam. 3. Phantaſia objectum cognitum judicat, ſitne bonum vel malum, jucundum vel moleſtum, ſalutare vel noxium, facile vel arduum: atque hoc idem in homine ſæpe facit ratio: itaque objectum cognitum judicatur judicio, tum inferiori ſeu ſenſitivo, tum ſæpe ſuperiori ſeu intellectivo. 4. Non tantum judicatur objectum eſſe bonum vel malum ſimplicitet, ſed præterea eſſe bonum vel malum nobis. 5. Excitatur ac movetur appetitus ſenſitivus ab illo judicio. 6. Appetitus ſenſitivus excitatus & motus ab illo judicio, rem judicatam vel appetit vel averſatur. 7. Conſequitur ſtatim commotio ſpirituum vitalium per arterias ex corde in totum corpus diffuſorum: concomitatur commotio ſanguinis per univerſum corpus fluentis. 8. Motis ſpiritibus, motoque ſanguine, & Cor, & præcordia, & omnia corporis membra, totumque corpus ipſum, commoventur: hæc enim omnia, aut frigeſcunt, aut incaleſcunt, aut contrahuntur, aut dilatantur: &, inde totum animal aut homo potius, quo vult, membra flectit, contorquet, porrigit, contrahit, expandit, variiſque motibus movetur.

IV. *Finis* affectuum eſt actionum alacritas: quicquid enim ſine affectu fit, ſegniter fit, remiſſe, ac cunctanter: at quod cum & ex affectu fit, promtè, alacriter, expeditè, efficitur, atque peragitur. Quia ex ſapienti numinis conſilio animus humanus in corpore eſſet commoraturus, indidit homini Deus hanc affectuum facultatem, ut iis veluti quibuſdam ſtimulis ac calcaribus excitaretur ad bonum, iiſdem veluti fræno cohiberetur, ne in noxia rueret.

V. Affectuum varias *diviſiones ac ſpecies* enumerare, non tam eſt facile. *Plato* innumeros eſſe *cenſuit* animi noſtri affectus; ſed nomine carentes. *Ariſtoteles Eth. ad Nicom. l. 2.* undecim recenſet, *2. Rhet.* tredecim: *Galenus lib. de curandis animi morbis* ſex enumerat. *Boëthius* quatuor facit his vetſibus; *Gaudia pelle, Pelle timorem, Spemque fugato, Nec dolor adſit. Aquinas parte ſec. quaſt. 23. art. 4.* undecim ponit; *6.* in concupiſcente, *5.* in iraſcente appetitu. Hunc ſequuntur *Scholaſtici* omnes & *Philoſophorum vulgus. Appetitus concupiſcentis affectus* ſunt, *Amor, Odium, Deſiderium; Fuga, Gaudium, Triſtitia: Iraſcentis* ſunt, *Spes, Deſperatio, Metus, Audacia, Ira.* Hujus diviſionis rationem ſolidam apud *Aquinatem* aut alios non inveni: quia tamen recepta eſt, ne videamur Antiquorum limites refigere, eam retinebimus, & ſingulos Affectus ſua definitione, qualicunque, (neque enim Logicam ἀκρίβειαν promittimus) omiſſis aliorum definitionibus, circumſcribemus.

VI. *Amor*, eſt Affectus appetitus concupiſcentis, tendens in bonum ſibi vel alteri præſens. *Odium*, eſt affectus appetitus concupi-

cupiscentis, quo quis sibi (a) vel alteri malum vult sine suo emolumento. *Desiderium*, est Affectus appetitus concupiscentis rendens in bonum absens, quod ut conveniens fuit perceptum. *Fuga*, est affectus appetitus concupiscentis, quo quis aversatur malum absens, quod ut minus conveniens conceptum fuerat. *Gaudium*, est Affectus appetitus concupiscentis, ob præsentis boni fruitionem. *Tristitia*, est Affectus appetitus concupiscentis, super malo, vel reipsa, vel per phantasiam, præsente. *Spes*, est Affectus appetitus irascentis, tendens in bonum absens, arduum, possibile. *Desperatio*, est Affectus appetitus irascentis, quo quis recedit ab appetitione boni ex opinione, quod nunquam eo sit potiturus. *Metus*, est affectus appetitus irascentis, consistens in ægritudine ab oblata specie impendentis mali, quod interitum vel dolorem afferre possit. *Audacia*, est affectus appetitus irascentis, quo animus in magnis & periculosis rebus multum fiduciæ concipit & fidit se superaturum mala & incommoda. *Ira*, est affectus facultatis irascentis, quo quis appetit ultionem & vult alicui malum, quia se aut suos quis contemni videt, vel quia injuriam sibi aut suis atque ad se pertinentibus intulerit.

(a) Obj. At, quomodo quis potest sibi male velle, vel se odisse, siquidem nemo propriam carnem odio habuit? Resp. Nemo sibi malè vult, ut sic, id est, vult quidem quis sibi quod est malum, sed non qua est tale, id est, quatenus sibi tale videtur: sic & nemo odit seipsum, ut aliquid velit sibi malè cedere, quod judicaverit sibi male cessurum: ideoque potest quis sibi velle malum materialiter, id est, rem malam, quæ est talis; nunquam potest sibi velle malum formaliter, id est, rem malam, quà est talis.

VII. Extat usitata quædam apud *Ethicos divisio affectuum in Morales & Naturales*, sed non est ista divisio generis in species, imo ne quidem rei divisio, sed vocis potius videtur esse distinctio. *Affectum naturalem* vocant *Ethici* eum, qui à naturâ & per naturam inest, qui principium & fundamentum habet ipsam naturam, qui oritur ex potentiâ naturali, quæ est ἀπροαίρετος· respectu hujus potentiæ naturalis, ipse quoque affectus naturalis & innatus dicitur. *Moralem affectum* vocant, non qui ex naturæ fontibus, sed qui ex educatione & longâ exercitatione ac consuetudine est contractus. *Dixi*, hanc esse divisionem vocis potius quam rei: quia affectus naturalis, nomen quidem sortitur affectus, at definitionem non item: Affectus enim motio est interna hominis, &c. ex th. 2. disp. præced. At hi naturales affectus in brutis etiam reperiuntur: in quibus ex naturali potentiâ, nulla accedente institutione, oriuntur similes motiones, quales sunt quas in homine affectus vocamus. Unde non *Ethici* sed *Physici* de naturalibus agunt affectibus: nos de moralibus porro sumus philosophaturi.

VIII. *Affectus morales* sunt vel *boni* vel *mali*; quæ quoque divisio non tam est (a) generis in species, quam subjecti per adjuncta. *Boni* sunt affectus, qui rectæ rationis præscriptum sequuntur & intra illud se continent. *Mali* sunt affectus, qui extra rationis rectæ præscriptum abeunt ac sequuntur rationem errantem. Ratio recta præscribit observationem variarum circumstantiarum: quod præscriptum si sequantur affectus, sunt boni: si spernant, sunt mali: aut, si ratio non recte judicet de circumstantiis, etiam, cum hoc judicium sequuntur affectus, mali sunt: quod si ratio hoc judicium emendet ac corrigat & affectus illud sequantur, boni sunt: unde affectus nunc malus, mutato judicio ac mutatis circumstantiis, mox fit bonus, & vice versa: quæ ratio est, quare *dixerim* statim, hanc affectuum divisionem in bonos & malos non esse generis in species divisionem; (b) quia species oppositæ ob nullam circumstantiarum varietatem variari aut in se invicem transire aut mutari possunt.

(a) In divisione Generis in species nunquam una species potest propter ullas Circumstantias mutari in aliam, sic Homo nunquam potest fieri Brutum; sed in divisione subjecti per adjuncta potest idem subjectum nunc hoc nunc alio adjuncto affici pro mutatis circumstantiis: sic Actio, quæ nunc est bona, eadem, si crastino die veretur, erit mala: sic & Affectus idem, qui una hora est bonus, quia congruit rectæ Rationi, alia hora est malus, quia non congruit rectæ Rationi, ob circumstantias mutatas.

(b) Nulla unquam data fuit aut dari potest specierum confusio: pugnat enim hoc cum universi or-

dine & Dei sapientia, qua voluit omnibus entium speciebus suas & peculiares ac distinctas esse naturas; ideoque homo nunquam potest fieri brutum, aut vice versa: & non datur transitus de specie in speciem ob ullam quamcunque demum circumstantiam, sed affectus hac hora bonus sequenti potest reddi malus, mutata aliqua tantum circumstantiarum moralium: ideoque affectus bonus & affectus malus non sunt species duæ oppositæ, sed unius ejusdemque affectus adjuncta diversa.

IX. Ut vero natura, tum boni, tum mali affectus, adhuc melius cognoscatur, notandum est, gravem sæpe existere pugnam & difficilem luctam inter rationem rectam præscribentem, & affectus, qui non semper rectæ rationis præscriptum sequuntur: hinc fit, ut homo modo in hanc, modo in illam trahatur partem, &, instar naviculæ fluctibus marinis expositæ, paulo momento huc atque illuc impellatur. Luctæ hujus ac pugnæ causa est, quod ratio recta præscribat ea quæ honesta sunt, sed quæ sæpe ac plerumque cum labore ac difficultate sunt conjuncta: at affectus sæpe tendunt & acquirere conantur ea, quæ sunt jucunda, licet sæpe ac plerumque cum turpitudine conjuncta: hinc iste oritur conflictus rationem rectam inter & affectus. (a) Exemplum affectus rationem rectam sequentis, est in homine continente: contra, exemplum affectus rationem rectam repudiantis & erroneam sequentis, est in homine incontinente. Atque jam constat, quomodo affectus morales vel boni sint vel mali.

(a) In Philosophia morali Aristotelis hæc quatuor distinguuntur; temperans, intemperans, continens & incontinens. Temperans ipsi dicitur qui servat mediocritatem in cibo, potu & Venere, absque ulla lucta affectuum & rationis: intemperans, qui absque ulla lucta etiam ab ista mediocritate recedit; continens ipsi dicitur, in quo quidem est pugna affectuum & rationis circa usum, cibi, potus & Veneris, sed sic ut ratio evadat superior, atque in iis utendis servetur mediocritas; incontinens est ipsi, in quo item est ista pugna, sed sic, ut affectus evadant superiores, atque non servetur mediocritas.

Continens distinguitur apud Aristotelem à Temperanti, quod Temperans cibo & potu & Venere utatur bene absque lucta Affectuum & Rationis; Continens cum lucta: sic & Intemperans ipsi dicitur, qui malè utitur omnibus illis absque ulla pugna Partis inferioris, & supetiotis; Incontinens, qui cum pugna.

X. Ex jam dictis, facile est videre & rejicere errorem *Stoicorum*, ut quidem vulgo iis tribuitur, qui omnes affectus esse malos, nullos bonos, voluerunt: nam qui rationis rectæ præscriptum sequuntur, haud dubiè boni sunt: imo nullus affectus, per se, ut talis, malus est, si qua affectus, simpliciter, in natura sua, physicè, & non in ordine ad morales circumstantias, consideretur. Ergo sic sentiendum, sic loquendum, censeo. *Affectus, quà affectus, in natura sua*, seu *in genere naturæ*, ut sunt motiones naturales (quos affectus naturales si quis vocare velit, non multum repugno) *nec boni sunt nec mali: affectus vero relati ad circumstantias morales*, seu *in genere moris*, (quos affectus morales vocamus) *sunt vel boni vel mali*. Amor & odium, si spectentur in naturâ suâ, physicè, carent omni malitia & bonitate, habentque se indifferenter ac negative ad utramque: sed si spectentur ethicè & in ordine ad objecta, finem, aliasque circumstantias, bonitatem accipiunt aut malitiam: sic amor virtutis bonus, vitii malus est: contrà odium peccati bonum, virtutis malum est. Et, si affectus ex natura sua essent mali omnes, eos non indidisset naturæ rectæ & integræ Deus, nec in Servatore nostro fuissent reperti, nec Deo in sacris ἀναλόγως attribuerentur, nec in cordibus piorum à Spiritu Sancto excitarentur, nec in verbo Dei præciperentur.

XI. Extat denique alia insuper apud Ethicos non generis in species, sed vel analogi in sua analogata, vel vocis æquivocæ in sua significata, *divisio affectuum in inconsultos & consultos*. Illi sine assensu rationis, hi cum assensu oriuntur: quæ est eadem divisio cum hac Antiquorum, qua diviserunt affectus in *primos & secundo: Affectus primus* est, quem statim vocavi inconsultum, estque primus ille motus, quo homo subito & ex improviso, antequam rationis judicium adhibeat, in rem aliquam, sive delectabilem, sive aversabilem, movetur, & quasi rapitur; ut nihil sit aliud quam rapidissima & inconsulta inclinatio, quæ mentem ac rationem præcurrit: unde & à nonnullis *affectus rationem præcurrens* dici solet. At *affectus secundus*, aliis *secundarius*, est, quem consultum

tum vocavi, qui rem cognitam ac judicatam sequitur, qui adhibito rationis judicio in rem fertur, vel prosequendo vel fugiendo eam, sive bene, sive malè, prout judicium rationis fuerit vel rectum vel erroneum: primi illi affectus vulgo dicuntur *motus primo primi*, sub quo titulo & nomine de iis disputari solet, *An sint in nostra potestate, & an sint mali?* Resp. breviter. 1. Non sunt in nostra potestate, quatenus disciplina, consuetudine, educatione, disponi & assuescere possumus sic, ne tam subito abripiamur nec è vestigio moveamur aut afficiamur. 2. Motus isti primo primi, cum tendunt in rem malam & fiunt inordinatè, non planè carent malitiâ quia sunt effectus peccati originalis tunc, & corruptæ in nobis naturæ, quæ, si mansisset integra, plus etiam potestatis in primos illos ac subitaneos motus habuisset homo. Quæ de singulis affectibus disputari possunt, Corollaria proponent.

COROLLARIA.

1. *An amor, dilectio, caritas, distinguantur? A.*

2. *An amor rectè distinguatur in sensitivum & rationalem? N.*

3. *An amor rectè dividatur in amorem complacentiæ & desiderii? N.*

4. *An amare sit præstantius quam amari? A.*

5. *An amor sit erga bruta & inanima? N.*

6. *An odium & ira distinguantur? A.*

7. *An odium recte distinguatur in odium personæ & rei? A.*

8. *An desiderium & spes distinguantur? A.*

9. *An bono desiderato, jam præsente, expleatur & satietur desiderium?* Resp. *De bono increato verum est, de creato non item.*

10. *An præsente malo fuga cesset? A.*

11. *An tristitia sit eadem cum dolore? N.*

12. *An spes maximè reperiatur in juvenibus? A.*

13. *An metus sit idem cum tristitia? N.*

14. *An audacia & metus sint affectus oppositi? A.*

15. *An difficilius sit iræ quam voluptati repugnare? N.*

16. *An difficilius sit in prosperis rebus, quam in adversis modum tenere? A.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM DECIMA-QUARTA.

DE VIRTUTE IN GENERE, ET DE INTELLECTUALI IN SPECIE.

THESIS I.

QUæcunque hactenus publico disputantium examini subjecta fuerunt, ea *finem* Ethicæ ac *subjectum* spectavere: nunc *media* examinanda sunt, quibus finis in subjectum introduci, & ab eo acquiri debet: *Media* illa, *virtutes* sunt, quæ in affectibus coërcendis & actionibus humanis dirigendis, occupantur: quibus bene coërcitis ac directis, summum hominis in hac vita absolvitur bonum. *Virtutum* ergo *naturam*, primum *in genere*; mox *in specie*, publicæ Philosophantium disquisitioni, in posterum subjiciemus.

II. *Virtus*, ut à nomine initium faciamus, non à *vi* vel *violentia* (in virtute enim omnia sunt libera, nihilque est coactum) sed vel à *Viro*, vel à *Viribus*, dicitur: Græcis ἀρετὴ, vel ab αἱρέομαι eligo, quasi αἱρετὴ, vel ab ἀρέσκω, placeo, quasi ἀρεστὴ, vel ab ἔρομαι amo, quasi ἐρετὴ, vel ab Ἄρης Mars, quod virtus potissimum in bello appareat, vel ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ῥέειν quasi ἀειρέτη, perpetuo fluens, id est, sui semper similis. *Virtutis vox* non uno sumitur sensu: in genere, significat, *vim*, *efficaciam*, ἐνέργειαν, *qualitatem*, *facilitatem*, operandi: quo sensu & brutis & rebus inanimatis, tribui solet: *Est in juvencis, est in equis, Patrum virtus:* &, *Virtute* Solis omnia reviviscunt ac reviviscunt: sed Virtutis vocem hic nos restringimus ad animum hominis, intelligimusque per virtutes, *habitus laudabiles & bonos in eo*

existentes: (a) habitus, vel per infusionem existunt, unde *infusi*, vel per curam, diligentiam, & studium acquiruntur, unde *acquisiti* vocantur: atque de *hisce* nobis sermo est: metonymicam Virtutis significationem, qua sumitur pro præmio virtutis, synecdochicam, qua sumitur pro fortitudine, metaphoricam, qua Deo tribuitur, quia à nostro instituto alienæ sunt, omittimus.

(a) Habitibus infusis & acquisitis adduntur vulgo habitus concreati, & connati: concreati, fuerunt, sapientia, justitia, & sanctitas, originalis; habitus connatus est, peccatum originale, & fides in fidelium infantibus.

III. *Virtus* in genere describi potest, *habitus acquisitus, laudabilis, cum recta ratione conveniens. Aristot.* enim diserte, postremis *l.* 1. *c.* 13. *Ethic. ad Nicom.* verbis, sic loquitur, τὴν ἕξεων ἢ τὰς ἐπαινετὰς, ἀρετὰς λέγομεν, *habitus laudabiles virtutes appellamus:* & 6. *Ethic. c.* 13. expresse inquit, Virtutem esse ἕξιν μετὰ τοῦ ὀρθοῦ λόγου, *habitum secundum rectam rationem.* Alii describunt virtutem in genere plenius, habitum animi cum recta ratione conformatum, quo actiones bonas edere possumus & ad summum bonum adspirare.

IV. *Virtus* ab *Aristotele* variis in locis 1. *Eth. Nic.* 13. 2. *Eth.* 1. 6. *Eth.* 1. 2. *Eudem* 4. & 1. *Magn. Mor. c.* 5. dividitur in διανοητικὴν, quæ in intellectu, & ἠθικὴν, quæ in appetitu, sedem tenet: illa *intellectualis*, hæc *moralis* vulgo dicitur. Videantur ad ista loca *Aristot. Commentatores veteres ac recentes.* Nos divisionis hujus sufficientiam probamus: quia homo sive animus humanus intellectu & voluntate est præditus, factusque ad intelligendum & appetendum, atque in utroque dirigi eget ac debet. Ergo duplex quoque exigitur virtus, una quæ intellectum, altera quæ appetitum, juvet ac regat: Et certe, omnes omnino virtutes ad duas hasce classes possunt revocari. Nos virtutes *intellectuales primum, deinde morales*, examinabimus: nam moralium virtutum natura intelligi nequit, nisi cognita natura prudentiæ, virtutum moralium directricis, quæ intellectualium virtutum est una, ut *Arist.* 1. *Eth. Nic.* 13. docet, atque alibi, & nos postea ostendemus.

V. *Virtutes Intellectuales*, Græce διανοητικαὶ, sic dicuntur ἀπὸ τῆς διανοίας, ab *intellectu* seu mente, cui insunt. Διάνοια Græcis bifariam accipitur, vel de tota facultate intelligendi, sive cum discursu intelligat sive sine discursu, & tum idem est quod νοῦς, mens, intellectus, vel de illa, quæ per tetminum medium, per argumentum tertium, per ratiocinationem, aliquid cognoscit: hoc posteriori sensu hic non accipitur, sed prioti, cum ἀπὸ τῆς διανοίας denominantur virtutes intellectuales, διανοητικαὶ· hætent enim eæ virtutes in tota mente, eamque totam perficiunt.

VI. *Differunt Virtutes intellectuales à moralibus* multis modis: 1. *subjectis:* nam dianoëticæ in intellectu, tum speculativo, tum practico, at Ethicæ in appetitu sunt, utro? an rationali, an sensitivo? postea videbimus: 2. *Efficiente:* nam dianoëticæ potissimum doctrina & institutione, at motales usu & assuefactione compatantur. 3. *Fine:* nam hic in virtutibus ἀλήθεια est veritas, at in moralibus est honestas ac bonitas. 4. *Objectis:* nam intellectuales virtutes versantur circa vera, universalia, (a) necessaria, at Ethicæ circa bona, specialia, contingentia. 5. *Effectis:* nam Dianoëticarum virtutum effectum est beatitudo theoretica, Ethicatum practica.

(a) Non omnes virtutes intellectuales versantur circa universalia, necessaria, sed tantum circa talia versantur habitus intellectuales speculativi, non practici; nam ars & prudentia versantur circa contingentia, circa patticularia.

VII. De virtutibus intellectualibus hæc duo videbimus. 1. *Quanam sint?* 2. *An veræ virtutes sint habendæ?* Quod ad §. 1. *Aristoteles 6. Ethic. Nicom. c.* 3. recensetquinque virtutes intellectuales: totidem *Ethic. ad Eudem. l.* 5. *c.* 3. Intellectum seu *intelligentiam, scientiam, sapientiam, prudentiam, Artem:* alibi, ut *Eth. Nicom. l.* 1. *c.* 13. pauciores: nos de numero non multum cupimus litigare: si sint quinque, *tres* priores *in intellectu speculativo, duæ* posteriores, prudentia & ars, *in intellectu practico*, (latè sumta voce ptaxeos) poni solent ac debent.

VIII. *Intellectus* sive *intelligentia* est habitus

tus contemplativus, quo compellimur ad assentiendum principiis primis & evidentibus Theoreticis, cujusmodi sunt: *Impossibile est idem esse & non esse. Totum est majus sua parte. Si ab æqualibus auferas æqualia, tota erunt æqualia. Bis bina sunt quatuor, &c. Aristoteli* dicitur νῦς· quæ vox licet frequenter significet totam mentem animamque rationalem, hîc tamen pro habitu accipitur, quo principia conclusionum scientificarum cognoscuntur. *Scientia est* habitus theoreticus, quo movemur ad assentiendum conclusionibus necessariis demonstratis per principia necessaria. Vox scientiæ non significat hîc quamcunque & qualemcunque notitiam, undecunque hauftam, sive per sensum, sive per intellectum sine discursu; sed significat talem notitiam, quæ per discursum ac ratiocinationem apodicticam acquiritur, qualis est notitia proprietatum, quæ per proximas causas de subjectis demonstrantur; & tales conclusiones demonstratæ sunt omnia scientiarum theoremata, quæ primis principiis innituntur, & ex quibus scientiæ ac disciplinæ theoreticæ componuntur. *Sapientia* est habitus contemplans, quo inclinamur ad assentiendum conclusionibus claris atque evidentibus & per causas supremas demonstratis. Sapientia hîc non notat quamcunque peritiam, quo pacto polycletus sapiens statuarius & Phidias sapiens marmorarius dicitur *Philosopho 6. Eth. c. 7.* sed significat habitum ex primis principiis & conclusionibus scientificis conflatum, qualis habitus vulgo dicitur Metaphysica. *Prudentia* est habitus practicus, qui cum vera ratione conjunctus nos ad agendum facit habiles. Non sumitur hîc prudentia pro naturali sagacitate, quam etiam in brutis reperire est: quo pacto serpentes dicuntur prudentes, sed sumitur pro habitu, qui nos secundum rectam rationem vivere docet, & agere ea, quæ sunt honesta & bona. *Ars* est habitus practicus, qui cum rectâ ratione conjunctus, nos ad aliquid efficiendum reddit idoneos. Artis vocabulum sæpe quamcunque peritiam, interdum multorum præceptorum congeriem; at hîc habitum aliquid ex rectâ ratione efficiendi designat, quem ideam δύναμιν, nec male, alii vocant.

IX. Sunt, qui hunc numerum quinarium intellectualium habituum eunt imminutum, & ex hoc numero Aristotelico expungunt sapientiam & intelligentiam: nec fortassis sine ratione: Sapientia saltem non videtur esse habitus distinctus à scientia & intelligentia, si hæc habitus sit: at intelligentia ne esse quidem videtur habitus: quippe nulla opus est, ut sic loquar, facilitatione intellectus ad assensum præbendum primis principiis, quæ solâ vocabulorum cognitione acceptâ intellectum convincunt suæ veritatis, eundemque ad assentiendum pertrahunt ac cogunt. Alii contra hunc numerum virtutum intellectivarum auctum eunt, addendo iis, συντήρησιν, habitum practicum, quo principia moralia & practica cognoscimus, atque assentimur, qualia principia sunt: *Bonum est amplectendum. Malum est fugiendum. Quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris, &c.* hunc habitum *Aristot.* non tradit: & sub prudentiâ comprehendi potest; *Scholastici* tamen malunt ex eâ peculiarem facere habitum: Et, profectò, si detur habitus, quo principia theoretica facile cognoscimus, iisque promte assentimur, quidni & circa principia practica talis habitus concedatur? aut, si hic inutilis est, etiam alter fuerit. Sed vero, si uterque est habitus, ut vulgus tenet Philosophorum ac Scholasticorum, omnes habitus sic ditigimus.

X. Habitus intellectuales, aut sunt simplices, aut compositi ex simplicibus. Simplices, vel absque discursu, vel cum discursu rem intelligunt: Absque discursu, est, vel *intelligentia*, quæ est notitia principiorum theoreticorum, vel *synteresis*, quæ est notitia principiorum practicorum: Cum discursu habitus theoreticus qui rem intelligit, vel id præstat per discursum apodicticum, & est *scientia*, vel per dialecticum, estque, in rebus agendis, *prudentia*, in rebus faciendis, *ars*: habitus compositus ex simplicibus, est *sapientia*.

XI. Quod ad §. 2. *Hos habitus intellectuales esse veras virtutes*, sic probamus. Cui competit definitio virtutis, est vera virtus. Sed habitibus intellectualibus competit definitio virtutis. Ergo &c. Tres sunt definitiones virtutis apud *Aristot.* Prima est *l. 2. Eth. c. 5.* ubi docet,

docet, *virtutem esse id, quo bene præparamur ad actiones, & propter quod laudamur.* At habitus intellectualis est, id propter quod laudamur & quo bene præparamur ad actiones. Ergo &c. Verum id quidem est, propter habitus contemplativos non ita proprie nos laudari, attamen propter eos laudamur: & ratio laudis ac definitio Virtutis, saltem (*a*) analogice, intellectualibus habitibus conveniet, quod sufficit. Secunda definitio virtutis est, apud *Arist. l. 2. Eth. c. 6. Virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.* Atqui hæc definitio etiam competit habitibus intellectualibus: est enim in eorum operibus & sua bonitas, licet non moralis: nisi quis velit & omnem & solam bonitatem vocare moralem, quod tamen est in Philosophia recepta & Peripatetica insolens. Tertia definitio Virtutis in genere est, 7. *Phys. text.* 17. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum:* i. e. Virtus est potentiæ præparatio ad optimum, non quidem absolute, sed ad operationem optimam, quantum ipsa potentia & ejus conditio fert ac permittit. Atqui virtus intellectualis est talis dispositio & præparatio potentiæ ad optimam actionem, quantum ea in potentiam cadere potest. Ergo. Si dicas, *pugnare inter se, ut intellectualis virtus dicatur & sit vera virtus, & nihilominus definitio virtutis non ex æquo conveniat virtuti intellectuali & morali:* Resp. non ista inter se pugnare: nam utcunque ens non ex æquo conveniat Deo & creaturis, substantiæ & accidenti, sicuti tenet communis opinio, creatura tamen & accidens vere sunt entia: sic & habitus intellectuales sunt veræ virtutes, utcunque iis & moralibus non ex æquo conveniat definitio virtutis. Sed de intellectualibus virtutibus, quæ disputari amplius possunt, Annexa exhibebunt.

(*a*) Analogice, i. e. licet magis laudemur propter virtutes morales, quam propter intellectuales, attamen aliquo tamen modo laudamur etiam propter has: hæc autem est natura generis analogi, ut magis & prius uni competat speciei quam alteri.

ANNEXA.

1. *Necessitas habituum intellectualium oritur ex natura ipsius intellectus.*

2. *Habitus intellectualis non est idem quod species intelligibilis.*

3. *Fides humana & opinio non sunt habitus intellectuales.*

4. *Habitus supernaturales ad Aristotelis virtutes intellectuales reduci, nec debent, nec possunt.*

5. *Intelligentia Peripateticis non est ipsa facultas intelligendi, sed habitus ab ea distinctus, partim naturalis, partim acquisitus.*

6. *Aliqua requiritur experientia ad cognoscenda prima principia.*

7. *Diversitas principiorum specifica diversam speciem facit virtutem circa se intellectualem.*

8. *Evidentia est de ratione & essentia scientiæ.*

9. *Vnitas & distinctio scientiarum sumenda est ab objecto formali, & quidem à ratione formali, non qua, ut loquuntur Scholastici, sed sub qua.*

10. *Facere & agere, ποιεῖν & πράττειν, recte in Philosophia distinguuntur, differuntque ars & prudentia objecto, saltem, formali, fine, adjuncto, perfectione.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM DECIMA-QUINTA,

DE PRUDENTIA.

THESIS I.

Virtutes Intellectuales omnes proposuit Disp. præced. atque suis definitionibus singulas circumscripsit: nunc missis, *Intelligentia, Scientia, Sapientia, Arte*, ad Ethicæ institu-

inſtitutum non pertinentibus, de *Prudentia* nonnihil plenius ſumus acturi, tanquam virtutum moralium normâ, regulâ, menſurâ, matre, ac moderatrice, ſecuti exemplum *Ariſt. in Eth. Nic. l. 6. c. 5. 6. &c. uſque ad finem & l. 1. Magn. Mor. cap. 35.* Prius nomen, mox rem, conſueta nobis methodo, excutiemus.

II. *Prudentia* dicitur quaſi *Providentia*, quod Prudentiæ ſit *providere* ſibi: Græci φρόνησιν vocant ἀπὸ τ῀ φρονεῖν & τ῀ φρενὸς, quia rectæ rationis eſt operatio. Sumitur vox hæc, *prudentia*, non eodem modo, interdum *pro divina ſapientia*, quando Deo tribuitur, interdum *pro inſtinctu naturæ*, quo ſenſu beſtiis tribui diximus *th. 8. diſp. præced.* interdum *pro calliditate & verſutia*, quo ſenſu aſtuti vocantur prudentes; nobis *pro habitu practico intellectus humani*, quem ſic definimus *ex Ariſtotele l 5 Eth. ad Nicom. c. 6.*

III. *Prudentia* eſt, ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς πρακτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά, *habitus cum recta ratione activus circa ea quæ homini ſunt bona & mala.* Eſt *habitus*, intellige acquiſitum, non infuſum, ut à naturali ſolertia & ſagacitate diſtinguatur, quæ prudentiæ nomine nonnullis interdum venit. *Activus*, eo diſtinguitur à reliquis habitibus, ſpeculativis putà, & ab arte, ſi τὸ πρακτικὸν opponatur ποιητικῷ, activum factivo, alioqui diſcrimen prudentiæ ab arte reliquis etiam verbis inſinuatur, quia ars non eſt τ῀ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, ut quidem eſt Prudentia. Cum dicitur eſſe, *habitus cum recta ratione*, à falſis & neutris habitibus diſcernitur. *Objectum* prudentiæ ſunt *bona ac mala*, honeſta inhoneſta, utilia noxia, publica privata, nos ipſos alioſque communione quadam nobis junctos ſpectantia; ut officium Prudentiæ ſit, de omnibus, quæ ad omnem pertinent vitam, rectè conſultare, ratiocinari, deliberare, decernere, & bona à malis diſcernere, ac de omnibus in vita vel fugiendis vel ſequendis conſilia agitare. Sed de *objecto* prudentiæ plenius eſt agendum.

IV. *Objectum* prudentiæ eſt *bonum & malum*; (a) intellige objectum *materiale:* nam *formale* eſt *verum*; eſt enim prudentia habitus intellectualis, at hic pro objecto formali habet verum. Itaque ſic vellem diſtingui objectum prudentiæ; ut aliud ſit *materiale*, quod eſt morale, agibile, bonum; aliud *formale*, quod eſt intellectuale, agibile, quatenus verum: atque hinc patet, quo ſenſu à nonnullis dicatur (a) *Prudentia virtus moralis, reſpectu* ſcilicet *objecti materialis*, agibilis boni, at vero eſt *intellectualis, reſpectu, tum ſubjecti*, intellectus ſc. practici, *tum objecti formalis*, agibilis veri: unde intellectualis dicitur ſimpliciter, non moralis virtus. *Verum* autem illud, circa quod verſatur Prudentia, non *dicit* conformitatem entis ad facultatem cognoſcentem, ſed *congruentiam cum appetitu recto:* non enim hujus loci eſt vetitas ſpeculativa ſed practica, quod vel inde manifeſtum eſt: quia objectum Prudentiæ, agibile, non eſt neceſſarium aut univerſale, cujus veritas eſt ſpeculativa & conformitas cum intellectu, ſed eſt contingens & ſingulare, cujus veritas eſt practica & conformitas cum appetitu recto: unde *objectum, quod recto appetitui adæquatur, eſt verum prudentiæ objectum, & ſimul bonum agibile.*

(a) Objectum materiale dicitur, quod pluribus commune eſt: formale, quod uni proprium eſt. *Bonum* eſt objectum commune prudentiæ, virtuti intellectuali, & omnibus virtutibus moralibus: ſed *Verum* eſt objectum proprium prudentiæ, nec ulli competit virtutum moralium; unde hoc prudentiæ objectum formale, illud materiale dicitur.

Objectum materiale vocatur, quod pluribus, ſeu Diſciplinis, ſeu habitibus, eſt commune: Formale, quod ſingulis eſt proprium, V. C. Homo eſt ſubjectum materiale Theologiæ, Medicinæ, Ethicæ, & Phyſicæ, quia de homine omnes iſtæ agunt Diſciplinæ, ſed diverſo modo, qui conſtituit in ſingulis objectum formale: agit enim de homine Theologia, quatenus beari poteſt, aut damnari; Medicina, quatenus ſanitati reſtitui aut in ea conſervari poteſt; Ethica; quatenus virtutibus aut vitiis affici poteſt; Phyſica, quatenus eſt Corpus Naturale. Sic & objectum materiale Prudentiæ eſt bonum vel malum, quia hoc etiam eſt objectum Virtutum Moralium, quæ pariter circa utrumque verſantur; circa bonum, præcipiendo & faciendo; circa malum, vetando & vitando; Objectum formale Prudentiæ eſt verum, quia non verſatur circa bonum Prudentia, illud, ut bonum faciendo, ſed ut verum apprehendendo ac judicando; cum enim ſit habitus Intellectualis, non poteſt ſub

alia Ratione formali tendere in objectum, quam sub Ratione Veri; quamvis enim ad bonum & malum formale sese extendat Prudentia, illud dijudicando, uttumque tantum dijudicat sub Ratione Veri.

(b) Prudentia Virtus est proptiè Intellectualis, quia in Intellectu tanquam subjecto residet, & ejus Actus sunt, Intelligere ac Iudicare, Bonum & Malum: eadem tamen, interdum dicitur Virtus Moralis, quia & quatenus se extendit intelligendo & judicando ad mores, in quantum intelligit & judicat bonum esse faciendum, malum fugiendum, unde mores oriuntur honesti. Itaque est Prudentia Virtus Intellectualis subjectivè, & Moralis dici potest objectivè ac terminativè.

V. *Quomodo prudentia à scientia, intelligentia, & sapientia, distinguatur ex th. 8 disp. praced. ex ipso Arist. 6. Eth. Nicom. & 5. Eud.* facile intelligi potest: nos potius, *quomodo ab arte distinguatur*, explicabimus: 1. Opera prudentiæ propter seipsa expetuntur: sunt enim honesta: at opera artis propter aliud: juste, fortiter, temperanter, ac liberaliter agere, propter se sunt expetenda, & ædificare domum, vestem consuere, &c. propter aliud expetuntur, ut quis commode habitare & corpus suum obtegere possit. 2. Dissimilis est ratio erratorum, quæ in arte committuntur & quæ in prudentia: qui in arte peccat sponte sua, minus est reprehendendus, neque enim ille error imperitiæ argumentum est, neque semper malitiæ: qui in arte vero peccat invitus, in majorem incurrit reprehensionem, quia peccat ex artis imperitia: ita statuarius, si volens & sciens aberret, censetur præstantior, quam si idem peccet invitus & ignorans. Contra se res habet in prudentia: hîc error spontaneus est gravior, quia malitiæ est indicium: at error invitus est levior, quia vel per inscitiam, vel per negligentiam, vel per animi quandam mollitiem, obrepsit.

VI. Quæri hic solet, *an virtus Moralis possit esse sine prudentia, aut prudentia sine virtute morali?* Resp. 1. *Virtus moralis semper sibi habet conjunctam prudentiam:* & rationes sunt. 1. Quia prudentia causa est, sine qua virtus tanquam effectum esse non potest. 2. Quia prudentia est incitamentum ad virtutis studium. 3. Quia prudentia regula est & norma, quæ media licita in debitos fines ducit: & 4. Quid multis est opus? virtus moralis est habitus electivus; electio est mediorum ad finem: at hæc à prudentia proficiscitur: ideoque & definitionem moralis virtutis ingreditur prudentia, tanquam id, quod à virtute morali abesse nequit: definitur enim virtus moralis, habitus electivus in mediocritate consistens, prout viri prudentis prudentia definiverit. Ergo virtus moralis necessario sibi comitem semper exigit prudentiam. 2. *Prudentia semper secum requirit virtutem moralem,* quia prudentia habitus est practicus agibilium, versaturque circa bona & mala: & bona & mala, & agibilia, virtutis moralis objectum sunt, quia circa bona versatur, ea operando, circa mala, ea vitando, virtus moralis.

VII. *Prudentia* non una est *divisio:* nam *dividitur in partes,* (a) *vel integrales,* (quia sunt quasi membra prudentiæ totidem actus) non quod ad ipsius prudentiæ quasi compositionem, sed quod ad actuum illius perfectionem requirantur, *vel potentiales,* quæ se habent ad virtutem, ut potentiæ ad animam, *vel subjectivas* (quia species subjiciuntur generi) quæ sub prudentia tanquam species continentur: *partes prudentiæ integrales,* vel sunt ejus, in quantum est habitus simpliciter cognoscitivus, vel in quantum applicat cognitionem ad opus: priori respectu ejus partes enumerari solent quinque, posteriori tres, in universum octo: *Memoria,* quæ est cognitio præteritorum; *intelligentia,* quæ est notitia præsentium per controversionem intellectus ad sensibilia phantasmata (non enim hic habitus principiorum intelligitur) *docilitas,* cognitio hausta per alterius doctrinam; *solertia,* accepta per propriam inventionem; *ratio,* id est, ratiocinatio, quæ hic significat unius ex alio illationem; *providentia,* quæ est ordinatio idoneorum mediorum ad finem; *circumspectio,* quæ est accurata consideratio circumstantiarum; *cautio,* quæ est provisio adversus impedimenta: *partes potentiales prudentiæ* sunt, *eubulia,* quæ apta media ad agendum invenit; *synesis,* quæ de iis judicat secundum leges communes; *gnome,* quæ de difficilioribus & lege aliqua non determinatis, secundum

altiora

altiora rationis principia, non ex legis severitate, sed ex æquitate judicium fert: *Subjectivæ partes prudentiæ* sunt variæ: *prudentia*, vel sibi, vel aliis consulit: illa *privata*, hæc *publica* est: illa πρὸς ἑαυτὸν καὶ ἕνα, ad seipsum & unum, hæc πρὸς ἄλλους, ad alios & plures, refertur: extat hæc divisio *l. 6. Eth. c. 8. ad Nicom.* Quæ refertur *ad alios prudentia*, est *vel œconomica seu domestica*, *vel politica seu civilis*. *Politica seu civilis* prudentia, vel est *universalis* seu νομοθετικὴ, quæ leges condit, & omnem describit atque ordinat Remp. qua pacem, qua bellum, qua sacra, qua profana; vel est *particularis*, πρὶ τὰ καθ' ἕκαστα, quam nomine generis vulgo *politicam* simpliciter vocant, vel etiam cum circumscriptione *politicam proprie dictam*, quæ remp. secundum leges latas administrat. *Universalem* seu νομοθετικὴν prudentiam *Aristoteles* vocat *Architectonicam*, *6. Eth. c. 8.* sicut enim Architecti est ædes mente designare, quid & quomodo in earum extructione observari debeat, fabrorum autem est, sedulo exequi, quæ Architectus præscribit; sic is, qui Remp. ordinat, per prudentiam universalem & νομοθετικὴν, jura condit tam publica quam privata, ad quorum normam deinde Remp. per prudentiam particularem & politicam gubernat. Dicitur autem hæc *particularis prudentia, politica proprie dicta*, & κατ' ἐξοχὴν *politica* simpliciter, quia etsi majus quid sit, leges ferre, Remp. ordinare, quam eam administrare, administratio tamen maxime in sensus incurrit: actiones enim singulares, quibus administratur Resp. magis sub aspectum cadunt, quam consultationes universales de Rep. ordinanda aut legibus condendis. *Aristoteles* hanc *particularem & proprie dictam politicam* prudentiam, vocat *practicam*, quia in πράξει seu actione administrandi Remp. versatur, sicut universalis illa & νομοθετικὴ Prudentia, in legibus condendis & Rep. ordinanda occupata, theoriæ instar sese habet. *Prudentia particularis & politica proprie dicta* est, *vel* βουλευτικὴ, quæ, quid agendum sit, consultat, *vel* δικαστικὴ, quæ, quod actum est, judicat: Et, utraque, *vel belli* est, *vel pacis*: illa *militaris*, hæc *togata*, vulgo dicitur. *Prudentia* βουλευτικὴ, Latinis *consulens*, ea vocat in deliberationem decernitque, quæ sunt ex usu Reip. *Prudentia* δικαστικὴ, Latinis *judicatrix*, judicia prudenter exercet, & quo jure, quave injuria, quidlibet sit dictum aut factum, diligenter expedit: *estque* vel ἀκριβὴς, seu *exquisita*, vel ἐπιεικὴς, *seu æquitati consentanea*: illa secundum legis rigorem judicat, hæc secundum æquitatem: ad utramque necessaria est, & præceptorum, quæ hanc prudentiam ad mediocritatem redigunt, notitia certa, & singularum causarum, quæ judicandæ veniunt, cognitio exquisitissima.

(a) Quotiescunque virtus omnis dividitur in trium generum partes, integrales, potentiales, subjectivas, istæ sic satis sumuntur improprie & abusive: nam partes integrales seu integrantes proprie conveniunt quantitati; omnis autem virtus est qualitas, non quantitas: sed quemadmodum ad quantitatis integritatem requiruntur omnia membra & partes rei quantæ, ita, ad integritatem cujuscunque virtutis, certi requiruntur actus, ex quibus tamen ipsa virtus non componitur, est enim habitus simplex, sed qui requiruntur solummodo, ut virtus omnis sit quoad partes omnes integrales ac completas. Partes potentiales proprie dicuntur de potentiis animæ, huc autem transferuntur per metaphoram, scilicet, quemadmodum potentiæ non sunt ipsa anima, sunt autem arctissimo vinculo connexæ cum anima, quia ab illa emanant ac fluunt, ita partes potentiales virtutis cujuscunque dicuntur, quæ non quidem sunt ipsa virtus, sed tamen arctissime cum virtute conjunguntur, ut sine iis esse nequeat, quemadmodum anima non potest esse sine potentiis suis; partes subjectivæ, dicuntur species cujuscunque virtutis, quia omnis species subjicitur generi.

VIII. Prudentiæ opponitur *Imprudentia*, qua voce non intelligimus, generalem illam ignorantiam, quæ in omni reperitur vitio, non enim ullum est vitium, quod non careat ratione dirigente, ideoque quod non proficiscatur ex ignorantia atque imprudentia: *omnis enim peccans, est ignorans atque adeo imprudens*, sicut contra, *omnis bonus est prudens: impossibile est, eum, qui non sit bonus, esse prudentem, sunt verba Arist. l 6. Eth. c. 10. & l. 3. Eth. c. omnis peccans est ignorans:* sed vero *intelligimus per imprudentiam, vitium quoddam peculiare & defi-*

nitum ſuis limitibus, quod tum apparet ac cernitur, cum ratio movetur alio modo, quam ad agendum movet prudentia: ratio, ſc. recta, quam ſequitur prudentia, virum prudentem movet ad agendum, conſultatione, judicio, ſententia, electione, cautione, circumſpectione, cæteriſque modis ſtatim recenſitis: ſed ratio prava imprudentem movet hominem & in actum impellit contrario modo, ſine deliberatione, conſultatione, cautione, circumſpectione, &c. ut totidem ſint partes imprudentiæ quot recenſuimus eſſe prudentiæ *theſi praced.* quas qui diſtinctis nominibus velit videre explicatas, adeat *Thom. Aquin. 2. 2. ſum. Theol. quæſt. 55. & ibidem Commentat.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM DECIMA-SEXTA.

DE

VIRTUTE MORALI IN GENERE.

THESIS I.

GEneralem *Virtutis definitionem* propoſuimus, *Diſp. 14. th. 3. diviſionem* in intellectualem & moralem, *th. 5. ejuſdem diſp. & 6.* expoſuimus. *De intellectualibus* ſingulis, *ejuſdem diſp. theſibus reliquis actum* fuit, ac ſpeciatim *de prudentia diſp. 15.* Nunc ordo exigit, ut *de Morali virtute* nonnihil diſſeramus. Ejus primùm ob oculos ponemus *definitionem*, mox *diviſionem*, inde tranſituri ad alia, quæ ad generalem virtutis moralis explicationem faciunt: *in definitione*, more ſolito, *genus* ſive materiam metaphyſicam, & *differentiam* ſive formam metaphyſicam, examinaturi.

II. *Virtutis Moralis definitio* extat apud *Ariſtotelem l. 2. Eth. c. 6.* Eſt, ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα, τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν φρόνιμος ὁρίσειε, *habitus præelectivus conſiſtens in mediocritate quoad nos, definitâ per rationem & prout prudens definierit. Genus* ab *Ariſt.* ponitur ἕξις, *habitus*: atque hoc eſſe genus virtutis moralis ſic probat *Philoſophus l. 2. Eth. cap. 5.* per ſyllogiſmum disjunctum. Virtus aut eſt πάθος, aut δύναμις, aut ἕξις. Sed neque eſt πάθος, neque δύναμις, Ergo ἕξις. Quid per πάθος intelligat Philoſophus, ſatis eſt notum, ſcilicet affectum, quo commovemur, ut eſt cupiditas, ira, &c. de quibus *in diſp. ante habitis* fuit actum: δύναμις eſt potentia naturalis, qua naturaliter aliquid agere poſſumus vel pati: ἕξις habitus, eſt qualitas adventitia ad bene vel male ac cum facilitate operandum. *Ariſtotelis* ergo ſyllogiſmum ſic inſtruimus. Quodcunque eſt in animo, vel eſt affectus, vel potentia, vel habitus. At virtus eſt in anima. Ergo. Non eſt autem affectus, non potentia. Ergo habitus. *Si dicas: in Majore non eſſe ſufficientem enumerationem: dantur enim & διαθέσεις, diſpoſitiones, in anima.* Reſp. Diſpoſitiones ſub habitu comprehenduntur, quia ab iis reipſa non differunt: nec enim colligi poſſunt habitus, niſi variæ diſpoſitiones antecedant, quæ totum illud ſpatium quaſi obtinent, quod inter potentias naturales & habitus quaſi interjectum eſt. *Si dicas, in animo quoque eſt actio.* Reſp. Actio non eſt in animo ſed ab anima: & quando actio immanens dicitur manere in animo, in qualitatem abit, & qualitas eſt mentis atque animi: atque etiamſi ut actio maneret in anima, huc non faceret, quia virtus qualitas eſt: Sed videamus Minorem. *Virtutes Morales, non eſſe πάθη*, probat *Philoſophus loc. cit. 4.* rationibus. 1. A perturbationibus, nec boni dicimur nec mali. A virtutibus & vitiis, contrà. Ergo. Prob. antecedens pars Majoris. Quia affectus ſunt ἀδιάφοροι· nemo enim bonus dicitur aut malus, quia metuit, lætatur, ſperat, &c. ſed quia his utitur affectibus, bene vel malè, nimium vel parum,

rum, rectè vel perperam, secundum aut contra rationis dictamen. 2. Propter affectus, nec laudamur, nec vituperamur: nec enim laudatur aut vituperatur, qui simpliciter timet & irascitur, &c. sed qui certâ id facit ratione, & modo vel moderatiori vel immoderatiori. At propter virtutes & vitia moralia laudamur aut vituperamur. Ergo. 3. Irascimur & metuimus atque perturbamur plerumque absque consultatione & delectu. At virtutes & vitia sunt semper ἐκ προαιρέσεως ex consultatione & delectu. Ergo. 4. Affectibus movemur, seu, dicimur κινεῖσθαι. At virtutibus & vitiis non movemur, sed afficimur, seu dicimur διακεῖσθαι. Ergo. *Virtutes morales non esse* δυνάμεις, ibidem probat *Philosophus*, 1. A potentiis nec boni dicimur nec mali simpliciter. At à virtutibus & vitiis, contra. 2. Ob potentias nec laudamur nec vituperamur. At ob virtutes & vitia, contra. 3. Potentiæ à naturâ insunt, tanquam à causa emanativa. At virtutes & vitia non item. Hinc sic concludit *cap.* 5. *cit. l.* 2. *Eth. Quodsi nec affectus sint virtutes, nec potentiæ, relinquitur ut eæ sint habitus.* Multa quidem hic objici possunt, sed quæ libenter pro materia opponentibus & conflicturis relinquimus.

III. *Virtus moralis* est *habitus.* Sed *qualis? præelectivus, in mediocritate consistens, &c.* Quæ verba *differentiam* proponunt. *Præelectivus*, quia per actiones proæreticas, i. e. cum deliberatione institutas, acquiritur virtus; & acquisita actiones similiter προαιρετικὰς seu ex deliberatione institutas edit. Hæc vox virtutes morales discernit à potentiis & actionibus naturalibus, à corporum habitibus, si sint, ab iis omnibus, quæ sunt temeraria, fortuita, coacta. Porro, virtus est habitus præelectivus, *consistens in mediocritate, &c. Forma, sc. metaphysica, virtutis est mediocritas*, ut alii loquuntur, *medietas*, vel etiam, *medium.* Medium non est unius generis. Est *Medium participationis, comprehensionis, locationis, negationis. Medium participationis est* quod particeps utriusq; est extremi: sic tepor est medium participationis inter calorem & frigus: *Medium comprehensionis est*, quod medium est inter continens & contentum: sic 8. est medium inter 4. & 12. quia & continet 4, & continetur à 12. *Medium locationis est*, quod medio loco est situm, unde & medium *situs* ac *positionis* dicitur: sic aër est medius inter cælum & terram: *Medium negationis*, quod neutrius extremorum, inter quæ interjacet, est particeps, sic Angelus est medium inter calorem & frigus. *Virtus moralis non est medium participationis* respectu extremorum, neque enim ex vitiis seu peccatis commiscetur aut contemperatur, ut ex frigore & calore tepor: *Non est medium comprehensionis*; nam nec defectum continet virtus, nec ab excessu continetur: *Non est medium locationis*, quippe non interponitur per intervalla æqualia locorum inter duo vitia, & propius sæpe ad unum extremum accedit quam alterum, ut Liberalitas propius accedit ad prodigalitatem quàm ad avaritiam: Itaque est *Virtus medium negationis*, quando enim, neque nimium est, neque parum in affectibus actionibusque humanis, jam tum virtus est: Virtus itaque moralis, negat excessum, negat defectum, aufert id quod supereſt, addit id quod deest. Et *hæc mediocritas affectuum, & actionum, est* formaliter virtus seu *forma*, scilicet Logica, id est ratio essentiæ, *virtutis moralis. Dari* vero *mediocritatem affectuum & actionum*, inde est manifestum, quia datur in iis excessus & defectus, plus & minus: ergo etiam datur medium: nam quod dividi potest in plus & minus, id etiam admittit æquale: At humanæ actiones & affectus possunt dividi in plus & minus; ut vel nimis exerceantur vel minus quam par est. Ergo.

IV. Dicitur in definitione, virtus moralis consistere *in mediocritate, quæ est quoad nos*, id est, ad nos relata; quo significatur, qualis sit mediocritas, & quale medium, in quo consistat virtus: hoc ut intelligatur, distingui debet ut solet, *medium*, in medium *rei & rationis.* (*a*) *Medium rei* est, quod æqualiter interjacet inter duo extrema absque ullo respectu ad excessum & defectum. *Medium rationis* est, quod respectu personarum & circumstantiarum à ratione determinatum, nec excedit modum, nec ab eo deficit: vocatur *medium respectu nostri, medium quoad nos, medium ad nos relatum,*

Virtus, exceptâ juſtitiâ commutante, conſiſtit in medio, non rei, ſed rationis, 1. quia non ſemper æqualiter recedit ab utroque extremo, ſed aliquando propius ad defectum aut vitium in defectu, aliquando propius ad exceſſum aut vitium in exceſſu accedit: v. c. fortitudo propius ad audaciam, quæ eſt exceſſus, quam ad timorem, qui eſt defectus, accedit: contrà temperantia propius accedit ad ἀναισθησίαν, defectum, quam ad intemperantiam, exceſſum. 2. Quia virtus debet eſſe ad nos relata, & noſtræ actioni, & noſtris perſonis eſſe accommodata. Ergo etiam conſiſtit in mediocritate quoad nos. Temperantia, v. c. eſt virtus quæ nimium & parum circa cibum moderatur: medium hic quoad perſonas diverſas diverſum eſt: nam quod Petro eſt nimium, id Paulo ſeu alteri homini voraciori erit medium, ſic major exigitur liberalitas in Principe, quam in privato? quod privatus dat, idem ſi Princeps dederit, parum erit: & privatus liberalis dici poterit, Princeps non item. Itaque, bene dicitur virtus eſſe mediocritas ad nos relata, ſpectata quoad perſonas & alias circumſtantias.

(a) Medium Rei eſt, V. C. in linea illud punctum quod æqualitet diſtat ab utroque puncto extremo, eſtque unicum tantum; Medium Rationis eſt Punctum quodlibet in medio lineæ ſitum, ſed quod non diſtat æqualitet ab utroque extremo puncto: hoc punctum, quia non eſt unum ſed multiplex, imo totuplex, quotuplex à Ratione aſſignari poteſt, inter duo extrema punCta non male dicitur Medium Rationis. Hæc applicari ſolent & debent analogice ad Virtutes.

V. *Mediocritas in virtute* debet eſſe *definita ratione*; ſc. recta, ita ut norma, regula, amuſſis, libella, & quaſi decempeda mediocritatis in virtute ſit ratio, ſc. recta, quæ ſola demonſtrat, quid medio ſit ſitum loco, quid hæreat in extremis, quid ad utrumque Virtutis latus deflectat. Rationem hic intelligimus rectam, id eſt, legem Dei naturalem, ac jus naturæ cordibus uniuſcujuſque inſcriptum.

VI. Denique additur in definitione, *prout prudens definiverit*. Quo ſignificavit *Philoſophus*, rationem eſſe adhibendam viri prudentis ad definiendam aut præſcribendam mediocritatem in virtute: cum enim maxima ſeſe offerat omnibus in rebus varietas, in quarum multitudine facile eſt, ut alicujus ratio vacilleт, *Ariſtoteles* hic deſiderat rationem viri prudentis, i. e. rationem prudentiâ munitam, cujus judicio omnis varietas iſta ſubjicienda eſt, & ſubigenda, ac dijudicanda: neque tamen viri prudentis in individuo, aut Socratis, aut ſuum, aut alicujus ſingularis hominis judicium, intelligi voluit *Philoſophus*, ſed, per *judicium viri prudentis*, *intelligit judicium rectæ rationis* in genere, ſive in hoc aut quocunque tandem inveniatur: nam virorum prudentium in individuo, Platonis puta, aut Ariſtotelis, aut Ciceronis, aut Senecæ, judicium non ſemper datur, & poſſunt errare ac diſſentire inter ſe. Itaque intelligitur per judicium viri prudentis, recta ratio, in quocunque tandem & quocunque extiterit tempore. *Dicet quis, in hac definitione virtutis moralis committi inſignem tautologiam, quippe idem ter dicitur: quod ſc. virtus ſit ſita in proæreſi, & definita per rationem, & judicio viri prudentis.* Proæreſis, ratio, judicium *prudentis*, *idem ſunt.* Reſp. nullo modo idem dici ter. Data proæreſi non ſtatim datur recta ratio, cum & vitiorum ſit proæreſis: & data recta ratione, non ſtatim datur judicium viri prudentis: nam datur ratio θεωρητικὴ & ποιητικὴ, quæ non eſt prudentiæ: talis enim tantum eſt πρακτικὴ.

VII. Poſt explicatam virtutis moralis definitionem, antequam ad ejus accedamus diviſionem, *Quodnam ejus ſit ſubjectum & qua cauſa*, inquirendum eſt prius. De ſubjecto Virtutis moralis anceps eſt, & multum olim atque etiamnum agitata, quæſtio. Duæ vero ſunt litigantium ſententiæ: *Quidam in voluntate, alii in appetitu* hominis ſenſitivo, eam locant: niſi placeat addere pro tertia litigantium parte *Aquinatem, qui virtutum moralium quaſdam in voluntate, & alias in appetitu ſenſitivo*, conſtituit. Nos in appetitu hominis ſenſitivo virtutem moralem tanquam in ſede ac ſubjecto collocamus, quam ſententiam late propugnat *Picolomineus in gradu 4. Philoſ. ſuæ moralis, c. 7.* & aliquot ſequentibus. Nos has

has proferimus rationes. 1. Potentia, quæ ſua natura repugnat rationi, eget habitu, quo ſubjiciatur rationi. Sed appetitus ſenſitivus natura repugnat rationi. Ergo. Minorem demonſtrat *Ariſtoteles l. Eth. c.* 13. & ipſa comprobat eam experientia. Major facile probatur: quamdiu aliqua potentia rationi non ſubeſt, non poteſt dici talis homo virtute præditus: ut quis ergo ſit præditus virtute, oportet omnes potentias ſubjicere rationi. At nulla potentia magis repugnat rationi quam ſenſitivus appetitus. Ergo vel imprimis debet ſubjici rationi. At non ſubjicitur rationi niſi per virtutem; quæ obedire facit appetitum ſenſitivum. Ergo in appetitu ſenſitivo eſt virtus. 2. In eo eſt virtus, in quo ſunt medium & extrema, quia virtus nihil eſt aliud quam medium inter extrema. Sed medium & extrema ſunt in appetitu ſenſitivo: medium enim nihil eſt aliud quam mediocritas affectuum: & ipſe affectus ſunt extrema cum ſunt inordinati. At affectus ſunt in appetitu ſenſitivo. Ergo &c. 3. Quod nunquam repugnat rationi, ſeu rectæ ſeu erroneæ, id non eſt ſedes virtutum aut earum ſubjectum, quia virtutis officium eſt reddere facultatem obedientem rationi. At voluntas nunquam repugnat rationi: niſi forte ratio repugnet ſibi ipſi, quod fit quamdiu non ſunt expenſæ ſatis omnes circumſtantiæ objecti & actionis &c. 4. Habitus ſunt qualitates, quarum vi atque efficacia animi affectus bene ſeſe habent vel male: male quidem, cum plus nimio intenduntur aut remittuntur: bene, cum ad mediocritatem rediguntur. Sed affectus illi in animo, qui nunc plus nimio intenduntur, nunc plus nimio remittuntur, nunc ad mediocritatem rediguntur, ſunt in appetitu ſenſitivo. Ergo & habitus, quorum vi & efficacia ſeſe affectus animi habent bene vel male, ſunt in appetitu ſenſitivo: at habitus, quibus ſeſe affectus animi habent bene, ſunt virtutes. Ergo virtutes ſunt in appetitu ſenſitivo. 5. Ubi ſunt vitia, ibi quoque ſunt virtutes. Sed vitia ſunt in appetitu ſenſitivo; in iraſcibili puta & concupiſcibili. Ergo & ibi ſunt virtutes. Minor probatur; quia tum peccatur, cum quis nimium iraſcitur, nimium timet, nimium lætatur, nimium amat, &c. Major vera eſt, quia contraria verſantur circa idem ſubjectum, non numero, ſed genere ac ſpecie. Atque hæc argumenta ſententiam noſtram probant: adverſa argumenta in conflictu ſolvemus. De cauſis virtutum agemus Diſp. ſeq.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM DECIMA-SEPTIMA, DE VIRTUTIS MORALIS CAUSIS.

THESIS I.

VIrtutis *moralis definitionem*, ejuſque partes, *genus & differentiam*, atque *ſubjectum*, expoſuit Diſputatio præcedens: nunc in *cauſas efficientes* inquiremus, quibus ea acquiritur, atque, de iis primum videbimus *quæ non ſint*, mox *quæ ſint*, ſecuti veſtigia Magni *Ariſtotelis*.

II. §. 1. Cum *Ariſt. l. 2. Eth. c.* 1. ſtatuimus, *Virtutes morales pro cauſa efficiente non habere naturam*; ſeu quod eodem redit, *Virtutes non eſſe nobis inſitas à natura*. Senſus eſt, *Quod natura non ſit ita cauſa virtutis, ut nobis virtutis moralis habitum implantet atque ingeneret*, quemadmodum natura eſt cauſa potentiarum naturalium, quæ à natura tanquam à principio fluunt, ingenerantur, & cum natura ſimul exiſtunt: hoc ſenſu nulla virtus moralis naturalis eſt, Barbari dicunt; *non eſt naturalis (a) effectivè*, quia immediate à natura non efficitur, *non (b) conſtitutivè*, quia naturam

non

non constituit, hoc enim faciunt sola materia & forma, *non* (c) *consecutive*, quia nec constitutam proxime sequitur, ut propria 4. modo, *nec* (d) *propagative*, quia nec cum natura propagatur; quia probi parentes gignunt sæpe liberos improbos; est tamen *naturalis subjective*, quia in natura est, anima scilicet, aut in ejus aliqua potentia naturali, tanquam subjecto: sed nos *Arist.* sententiam ejus verbis propositam ejus quoque rationibus muniamus; 1. Naturalia non possunt mutari: nemo quippe potest assuefacere lapidem, ut feratur sursum, aut ignem, ut feratur deorsum. Virtus autem mutari potest: nam, & bonos in malos & malos in bonos mutari, videmus. 2. Quicquid à natura & est & inest tanquam à causa proxima, ejus potentiæ sunt in nobis priores quam actiones, si non tempore, saltem natura: patet id in sensibus aliisve facultatibus, à natura, tanquam à causa, promanantibus: prior quippe est potentia videndi quam ipsum videre. At contra sese res habet in virtute: ibi enim prior est actio quam ipsa virtus, scilicet actio, qua ipsa moralis virtus gignitur: nemo dicitur fortis aut justus, nisi qui ante fortitudinem aut justitiam multis actionibus sibi acquisiverit, ut à causa proxima. 3. Si virtutes morales essent à natura, nullis esset opus legibus in Rep. nam cui bono conderentur leges, si virtutes, quæ legibus præscribuntur, unusquisque naturaliter possidet sibi insitas? 4. Quæ ab iisdem causis producuntur & corrumpuntur, ea non sunt à natura ut à causa: natura enim per diversas causas rem generat eandemque corrumpit, quod ex Physicis notum est: at virtutes eisdem causis generantur & corrumpuntur: puta, actionibus. Sed enim hæc quatta *Aristotelis* ratio multis non videtur solida: Nam eædem sunt causæ virtutum generantes & corrumpentes, in genere, scilicet, actiones; sed non in specie: nam actiones bonæ & moderatæ virtutem generant; at tales non corrumpunt virtutem, sed vero eam destruunt malæ & inordinatæ actiones.

(a) Potentiæ naturales sunt à natura effective & immediate, quia emanant à formis quæ sunt natura; Virtus Moralis non quidem emanat immediate à natura, ab ea tamen efficitur mediantibus actionibus Potentiarum Naturalium.

(b) Naturam constituunt solæ partes essentiales, materia & forma: sed Virtus Moralis nec materia est, nec forma hominis: Ergo non est ipsi naturalis constitutivè.

(c) Proprietates quarto modo dicuntur subjectis naturales consecutivè, quia, quamvis nec Materia nec Forma sint subjecti, utramque tamen immediate consequuntur, i. e. iis positis ponuntur: sed Virtus Moralis non statim ponitur posito homine, nam, postquam dum exstitit homo, multis demum Actionibus acquititur.

(d) Illud dicitur propagative Naturale, quod Naturali generatione transfertur in posteros: ita pauperes Parentes gignunt pauperes liberos, & homo peccator gignit homines peccatores: unde peccatum originis vulgò dicitur peccatum Naturale, quia Naturali generatione ab Adamo in omnes posteros fuit propagatum: non sic propagatur Virtus Moralis; neque enim Pater fortis aut temperans semper gignit Filium fortem aut temperantem, nam sæpe Heroum filii Noxæ.

III. Recensuimus rationes *Philosophi*, quibus probat, *Virtutes non esse à natura*, i. e. naturæ insitas aut innatas: (a) *non sunt tamen* ἄνευ φύσιν, (b) *præter naturam*, ut loquitur *Phil. textu alleg* Etsi enim virtutes non fluant à natura, sunt tamen in nobis igniculi ac semina ac primordia virtutum naturaliter insita, ratione quorum non licet dicere, *virtutes esse præter naturam.* Quæ res, ut intelligatur, paulo pluribus explicari debet: Sunt quædam, ut *theoretica*, ita *practica* quoque *ac moralia principia*, verbi causa, *Deum esse colendum, Parentes esse honorandos, unicuique suum esse tribuendum, Quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris, &c.* Horum principiorum moralium naturalis quædam cognitio omnibus hominibus inest à natura, non quod statim homines, cum nascuntur, istorum principiorum veritatem apprehendant ac judicent, nam nihil, cum eduntur in lucem infantes, apprehendunt, multo minus judicant, sed quod, ubi ad rationis usum pervenerint, absque ullo ratiocinio iis assentiantur: ita singuli scimus, ex nobis ac naturali intellectus lumine, *esse amplectendam virtutem, esse fugiendum vitium*, &c. Atque ex hisce principiis veluti ex seminibus & fontibus subnascitur virtus moralis, frequenti bonorum

bonorum actuum ex hisce principiis secundum rectam rationem deductione: quemadmodum enim in naturalibus gignitur scientia, deducendo conclusiones ex principiis theoreticis, ita & in moralibus gignitur virtus deducendo frequentes actus bonos ex principiis practicis: hæ notitiæ practicæ communium principiorum practicorum, omnium hominum cordibus insitæ, sunt veluti quædam radices, adumbrationes, inchoationes, fundamenta, propensiones naturales, & (quatandem utemur voce?) facilitates quædam ad ingenerandam virtutem: quo sensu posset dici virtus esse aliquo modo à natura tanquam à causa remota, non tanquam à proxima: nempe, propter hanc cognitionem principiorum practicorum, hominibus omnibus & singulis innatam, potest dici virtus moralis esse innata, aut insita in natura, tanquam in semine, in radice, in stirpe. *Scholastici* hoc sic efferunt suis terminis. *Virtus est à naturâ inchoative, non à naturâ perfective:* sic enim est ab actibus, quod postea probabimus: Itaque, quando *Arist.* ait l. 6. Eth. Nicom. singulis hominibus inesse mores natura, & omnes homines hoc accepisse natura, ut quadantenus fortes, justi, temperantes, &c. existant, intelligendus est Philosophus hoc sensu, ut voluerit, virtutum semina ac primordia inesse à natura, quia ista principia prima practica insint à natura; quo sensu, non sunt præter naturam. Quod erat demonstrandum.

(a) Accurate debent discerni hæc quatuor, à naturâ, præter naturam, contra naturam, & supra naturam esse. A Natura aut secundum naturam dicitur esse, id, quod naturam haber pro causa proxima, à qua fluit; sic omnes potentiæ naturales sunt à natura, & virtus nulla est à natura: præter naturam esse dicitur, id, quod naturam quidem subjecti non destruit, sed ad eam superaccedit aliunde ab alia causa secunda, sic ut illa aut parum aut nihil adjumenti conferat; quemadmodum in Physicis, motus ignis elementaris, quo à motu cœlorum circumagitatur & versus rectam, locum mixtionis, deturbatur, est igni præter naturam, ad illum enim motum nil confert ignis; sic virtutes non sunt præter naturam, quia, cum virtutes acquiruntur actionibus, natura aliquid ad earum productionem confert, nimirum principia practica, & notiones communes boni & mali insitas, ex quarum cultura per rationem rectam instituta virtutes nascuntur; hoc sensu dicuntur virtutes esse secundum naturam: contra naturam est id, quod naturam destruit, etsi in illa producatur, ut productioni ipsa repugnet; sic contra naturam aquæ est, ut calefiat: supra naturam dicitur, id, quod superat ordinem & vires rei creatæ ac causarum secundarum, & ad cujus productionem ipsæ nihil conferunt; qualia sunt miracula, & quali modo producuntur habitus infusi, ut fides, donum linguarum in Apostolis, &c. virtutes quoque nec contra nec supra naturam sunt hominis.

(b) Præter Naturam dicitur, quod naturam quidem non destruit (hoc etiam vocatur Contra Naturam) sed quod ad Naturam superaccedit, sic ut ipsa nihil adjumenti conferat: ergo Virtus utcunque non sit à Natura, tanquam à Causa proxima, non tamen est præter Naturam, quia Natura in Virtutis productione multum adjumenti confert, nec est contra Naturam, quia Naturam hominis non destruit.

IV. §. 2. *Virtutis moralis causa proxima efficiens non est Temperamentum.* Si ad experientiam provoces, & dicas, sanguineæ constitutionis homines plerumque esse hilares atque ingeniosos, melancholicos contrà tristes ac morosos, bilioso vehementes & iracundos, &c. & nos experientiam in contrarium adducimus: ea enim nos docet, in hominis esse potestate, ut contra naturalem sui corporis inclinationem ac temperiem aliò sese inclinet, ut virtutem amplectatur eam, ad quam ejus temperamentum non ducit, ut vitium extinguat illud, ad quod ex temperamento propendet: quod confirmat exemplum Socratis, qui intemperans, libidinosus, & pessimi exempli homo extitisset, vi temperamenti, nisi illud per Philosophiam correxisset: unde inquiebat, Natura quidem talem me genuit, sed eam Philosophiâ immutavi: potest tamen temperamentum dici causa remota, adjuvans, ministra, ut natura; sed nos primam ac principalem quærimus.

V. §. 3. *Doctrina seu institutio non est causa principalis ac proxima virtutis moralis.* Quod probare est facillimum. Videmus enim permultos, qui Ethicæ & virtutum præcepta optime callent, nullas tamen, vel exercere, vel possidere, virtutes; & certe, non semper ad

institutionem atque instructionem factam sequuntur aut existunt Virtutes, sed nonnulli ea ipsa doctrina redduntur deteriores; non quidem doctrinæ sed sui ipsorum vitio: fatemur tamen doctrinam atque institutionem, etsi non sint causa principalis ac proxima Virtutis moralis, multum tamen ad eam conferre, tum producendam, tum conservandam, tum confirmandam. *Scholastici*, qui omnia amant efferre suis terminis, dicunt, Virtutem moralem esse à doctrina sive institutione, *excitative & provocative*, quia per eam excitatur & provocatur virtus.

VI. §. 4. *Conversatio non est causa principalis ac proxima virtutis moralis:* quia etsi quis perpetuo conversetur inter optimos, ac quotidiana virtutum exempla ob oculos habeat, fieri potest nihilominus, ut ipse pessimus existat, nullaque virtute vitam suam exornet: multum tamen ad virtutem & procreandam & conservandam conversatio quoque contulerit.

VII. §. 5. *Educatio & adsuefactio ad virtutem facta à parentibus, non est causa principalis & proxima efficiens Virtutis moralis:* nam fieri potest, ut quis educatus & diutissime adsuefactus rebus bonis, consuetudinem bene agendi quidem contraxerit, sed contraxerit invitus, coactus, ac repugnante natura: unde & facilè τὸ bene agere dediscit ac relinquit; talis educatio atque assuefactio ad virtutem per vim & minas facta, repugnante naturæ genio, virtutem non gignit. Maxima tamen est hic educationis & adsuefactionis efficacia; ut, si causa procreans non sit principalis ac proxima virtutis, præ omnibus tamen aliis causis minus principalibus proxime ad eam accedat.

VIII. §. 6. *Virtutis moralis causa efficiens proxima ac principalis est, Exercitatio spontanea atque libera, non invite suscepta. Per exercitationem*, intelligimus cum Philosopho, *actionum bonarum & honestarum frequens exercitium. Actiones itaque bonæ*, i. e. *juxta præscriptum rectæ rationis institutæ, sunt sola causa procreans, principalis, propria, proxima, virtutis moralis:* præter Deum scilicet; cujus concursum hîc, uti in omnibus, includimus. Actiones hæ bonæ & honestæ, virtutis moralis causæ procreantes, sunt actiones imperatæ, sed ab elicitis, recto rationis judicio & bona electione, profectæ: Nam, ab intellectus recto judicio & voluntatis honesta electione, omnis bonitas derivatur in actiones illas, quibus procreatur virtus ac conservatur. Per has actiones produci virtutem moralem variis rationibus probat *Arist. Eth. ad Nic. l. 2. c. 1.* quæ ibi videri possunt. Nos duas tantum proferemus. 1. est. Legislatoribus hoc tantum est propositum, ut cives suos reddant bonos. Sed non possunt eos reddere bonos, nisi actionibus bonis identidem & sæpius frequentatis. Ergo actiones bonæ, frequenter exercitæ, faciunt cives bonos. Ergo actiones bonæ generant virtutem: nam sine virtute nemo est bonus. 2. est. Virtus gigni debet ex causis omnino contrariis, à quibus corrumpitur. Sed corrumpitur actionibus improbis & malis. Ergo gignitur actionibus bonis & probis.

IX. Quæri hic solet, *An virtus moralis possit comparari unica actione?* Negamus posse, & probamus. Omnis habitus producitur eatenus ab actu, quatenus passiva potentia ab aliquo principio activo movetur, nec tantum quatenus movetur, sed quatenus superatur atque subigitur. Sed in virtutis, sc. moralis, quæ est habitus, generatione, activum principium est ratio, potentia passiva est appetitus. Atqui appetitus non potest unica actione superari ac subigi à ratione. Ergo non potest virtus generari atque introduci unica actione. Atque hæc ratio firma est: nam virtus consistit in eo, ut appetitus & affectus subjugentur rationi. At non possunt subjugari simul & semel, id est, unico actu. Ergo, &c.

X. Nova hic exoritur quæstio; *An virtus, cum non possit comparari unico actu, ita comparetur pluribus, ut æque ex omnibus efficiatur, an vero generetur virtus ex unico aliquo actu atque illo ultimo?* Ad hanc quæstionem sic respondemus. Primus actus, &, qui sequuntur primum omnes & singuli, aliquid conferunt ad virtutem procreandam, & aliquem producunt gradum virtutis, ipsam tamen virtutem proprie producit ultimus actus: actus, qui ultimum præcedunt, aliquid conferunt ad

virtutis

virtutis procreationem, quia disponunt animum, eumque præparant ad bene agendum, attamen habitum, aut virturem ipsam non introducunt, quia non istam dant facilitatem, quæ ab habitu aut virtute est.

XI. Quæri etiam hîc solet, *An actiones, virtutem antecedentes, specie differant ab actionibus, virtutem sequentibus?* (a) Nos negamus, & probamus. Quæ tantum differunt gradu, non differunt specie. At actiones virturem antecedentes tantum differunt gradu ab actionibus virtutem consequentibus. Ergo non differunt specie. Prob. minor: Actiones consequentes nihil plus habent, quam firmitatem, & constantiam, ac facilitatem in agendo, quæ firmitas, & constantia, & facilitas non reperitur in actionibus virtutem antecedentibus. At illa firmitas, constantia, & facilitas, tantum sunt gradus actionum & modi earum. (b) Ergo non differunt istæ actiones inter se specie. Quod erat demonstrandum.

(a) Causa & effectum differunt specie: actiones virtutem antecedentes sunt causæ virtutis, & eam consequentes sunt effecta virtutis: ergo actiones virtutem antecedentes & consequentes differunt specie: si specie, ergo non gradu, quod dicet responsio. Actiones virtutem antecedentes & consequentes spectari possunt, vel in genere naturæ, vel in genere moris: si spectentur priori modo, habent se ut causa & effectum, & differunt reveta specie & non gradu: si considerentur secundo modo, differunt gradu non specie, quia in utrisque est conformitas cum recta ratione, in qua consistit bonitas; utræque enim bonæ sunt; differunt tamen aliquo modo, quod sc. bonitas & cum recta ratione conformitas actionum virtutem antecedentium sit infirmior, instabiliot, inconstantior; sed actionum virtutem consequentium sit firmior, stabiliot, constantior, quia hæ sunt productæ à potentiis suis quæ nunc sunt affectæ habitibus virtutum, moralium illæ non item: sed omnis habitus existens in potentiis earum, actiones reddit firmas, stabiles, constantes, faciles, ideoque actionum posteriotum bonitas perfectior est, quam priorum.

(b) Actiones Virtutem antecedentes, & illam consequentes, si spectentur in genere Naturæ, possunt differre specie; at si spectentur in genere moris, i. e. prout sunt congruæ rectæ Rationi, & bonæ moraliter, non differunt specie, sed tantum gradu, quemadmodum remissus & intensus non specie, verum solo gradu, differunt.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM DECIMA-OCTAVA, DE VIRTUTIS MORALIS INCREMENTO, DECREMENTO, OPPOSITO.

THESIS I.

CAusas *efficientes Virtutis Moralis* exposuit *Disputatio præcedens*, *hac*, *ejus* jam per causas efficientes productæ *incrementum* seu conservationem, *& decrementum* seu corruptionem, *& oppositum*, vitium putà, enucleabimus.

II. *Incrementum* proprie ac *decrementum*, quo res vel crescunt vel decrescunt, cadunt in quantitatem: est enim quantitatis, crescere ac decrescere: sunt tamen ista vocabula incrementi ac decrementi translata ad res non quantas, quibus incrementum adscribitur, cum augentur aut intenduntur, decrementum, cum minuuntur ac remittuntur. Ita calori, ita frigori, ita qualitati in genere adscribitur incrementum & decrementum, cum iis gradus quidam adduntur vel ab iis auferuntur. Et hoc sensu quæritur, *An in Virtutem Moralem cadat incrementum & decrementum?* seu, *an Virtus Moralis augeri possit ac minui, non extensive, per partes, ut quantitas, sed intensive, per gradus, ut qualitas:* i. e. *an possit intendi, & remitti, seu recipere magis & minus?* Ut ad quæstionem hanc respondeamus, notandum

tandum est, *Virtutis nomen dupliciter capi posse:* 1. ut virtus dicatur, quæ perfectissima est & omnibus numeris absoluta, quo sensu, virtus augeri non potest: sic enim significat ultimum terminum excellentiæ: quemadmodum enim, quod calidissimum est aut frigidissimum, calidius illud reddi nequit aut frigidius, quia ad summum istius qualitatis terminum pervenit, sic virtus, quæ ad extremum evecta est gradum, augeri amplius nequit: verumenimvero talis ac tam perfecta virtus, in hoc vitæ humanæ curriculo, propter humani generis corruptionem, non datur. Itaque 2. designat virtutis nomen omnem habitum moralem bonum ac laudatum, quo quispiam recte ac laudabiliter agit; qui habitus suam habet amplitudinem & quasi partes, in quas dividi potest; quos gradus vocant: eorum graduum respectu, & accrescit virtus & decrescit: atque hoc ipsa nos docet experientia. Quis enim est mortalium, qui non sentiat, se quotidie in virtutibus hisce aut illis, incrementum capere aut decrementum? verum, *quibus modis & qua ratione Virtus moralis augeatur ac diminuatur,* satis est difficile explicatu: nos ptimum, *quomodo augeatur*, mox, *quomodo diminuatur & corrumpatur*, sine ambagibus, explicatum dabimus.

III. *Augetur virtus*, quando pars & gradus virtutis, partibus & gradibus prioribus additur: neque enim fieri potest, ut aliquis v. c. reddatur justior nisi aliqua justitiæ pars & gradus ad priorem accedat, & cum eadem justitia jam accepta conjungatur: & sic de omni virtute dicendum est: quem gradus aut partis accessum, vocant vulgo intensionem, sicuti recessum alicujus partis aut gradus in virtute, vocant remissionem; quæ intensio & remissio non tantum de virtutibus sed & de qualitatibus in genere intelligitur, cum *Aristoteles* dicit, Qualitas recipit magis & minus; i. e. Qualitas, si non omnis, saltem quædam, ut virtus & habitus, accessione partis ad partem & gradus ad gradum perficitur atque augetur. Isti gradus, istæ partes, quatum accessu virtus augetur, sunt actiones bonæ ejusdemque generis cum iis actionibus, quibus erat acquisita virtus: actiones enim bonæ ut sunt causæ procreantes ita & conservantes virtutem.

IV. Quæri hic solet, *An qualibet actione bona virtus augeatur?* Resp. actiones virtutis esse vel intensiores vel remissiores quam est ipsa virtus. Quin actio intensior virtutem augeat, nihil est dubium. An qualibet actione bona, etiam remissa, ac maxime remissa, virtus augeatur, dubitari solet. Multi negant, at nos affirmamus. Nam sicut actus, licet remissiores, nonnihil tamen conferunt ad virtutis productionem, quidni iidem, licet remissiores, aliquid conferant ad ejus incrementum?

V. Nunc, *quibus modis ac qua ratione virtus decrescat, minuatur, ac tandem corrumpatur*, dispiciendum est. *Arist. l. 2. Eth. c. 2.* diserte dicit, Virtutem corrumpi ab exuberantia & defectu, i. e. ab actibus à mediocritate recedentibus virtutique contrariis. Quod de corruptione virtutum est dictum ab *Aristotele*, idem de imminutione earum est dicendum: quæ enim virtutem corrumpunt, eandem quoque imminuunt.

VI. Quæri hic solet, *Quomodo ista, sive corruptio, sive imminutio virtutis, per actus contrarios fiat? an habitus virtutis per se corrumpatur aut minuatur actibus contrariis simpliciter, an vero actus illi contrarii, antequam virtutem vel corrumpant vel imminuant, prius debeant aliquem habitum vitii, ipsi virtutis habitui contrarium, producere, ut sic habitus virtutis ab habitu vitii immediate ac per se vel corrumpatur vel imminuatur?* Ad eam quæstionem dicimus, quemlibet actum virtuti contrarium per se ac simpliciter corrumpere vel imminuere virtutis habitum: Si enim quilibet actus virtuti consentaneus virtutem auget, sicuti auget, quidni quilibet etiam actus virtuti contrarius eam corrumpat atque imminuat, ex parte scilicet? dicimus disertis verbis, *ex parte*. Nam totius virtutis habitus corrumpi & deleti omnino non potest, nisi ab habitu vitii contrario, qui eum formaliter ac totaliter expungat atque eradat ex animo possidentis singulari: (*a*) habitus enim oppositi simul in eodem subjecto esse nequeunt.

(*a*) Habitus bonus Virtutis simul esse potest in eodem

dem Animo cum malo actu vitii, & habitus malus vitii potest quoque esse simul in eodem Animo, atque etiam eodem tempore, cum actu bono Virtutis: at nunquam possunt simul esse in eodem Animo hominis, eodem tempore, duo actus vel duo habitus contrarii, alter bonus, alter malus.

Nulla opposita possunt simul esse in eodem subjecto singulari, secundum idem, ad idem, eodem modo & eodem tempore, ergo nec habitus oppositi, sive intellectuales, sive morales; sic non potest idem animus esse præditus simul & liberalitate & avaritiâ: sed nec possunt duo actus oppositi simul esse in eodem subjecto, aut simul ab eo produci; sic cum quis actum producit intemperantiæ, non potest simul eodem tempore producere actum temperantiæ: sed possunt simul esse eodem tempore, in eodem subjecto, habitus bonus, & actus oppositus malus; sic in eodem animo potest esse & habitus ac virtus justitiæ, & simul eodemque tempore actus injustus, quo aliquis alteri suum non tribuat.

VII. Nova hîc exoritur quæstio: *An sola cessatio actuum possit virtutis habitum vel corrumpere vel imminuere?* Resp. Cessatio quidem ipsa per se nec corrumpet nec imminuet habitum, per accidens tamen hoc faciet: quia nihil agendo male agere discimus, per se & proprie corrumpitur virtus atque imminuitur ab actibus contrariis: cessatio tamen actuum virtutis, per accidens dici potest causa corruptæ atque imminutæ virtutis. Nempe, cessantibus virtutis actionibus, exoriuntur facile perturbationes: perturbationes ab habitu aut virtute jam cessante non coërcitæ facile animum propellunt ad actiones virtuti contratias exercendas: quippe docet experientia, eos, qui cessant à virtutis exercitio & actibus, sæpissime ac facillime refractariis agitari, perturbari, atque abripi affectibus, qui, quando non coërcentur, virtutis acquisitæ habitum multum imminuunt, imo, si diu multumque grassentur impune, tandem eum pessundant, corrumpunt, plane ac plene ex animo excutiunt: & sic cessatio ab actibus virtutis, causa est corruptæ vel imminutæ virtutis per affectuum in ipsam rationem exurgentium impetum.

VIII. (*a*) *Oppositum virtutis*, ut de tertio hujus Disp. capite nonnihil philosophemur, *est vitium. Vitium* intelligimus *morale*, quod morali opponitur virtuti: nam vitium naturale, quod naturali opponitur perfectioni, quale est cæcitas, surditas, &c. hujus non est loci. *Vitium* autem *morale*, vel *pro* (*b*) *habitu vitioso* sumi potest, vel *pro actu vitioso: sensu priori hic* à nobis sumitur, quia ut virtus est habitus laudabilis, ita vitium est habitus illaudabilis. Describi potest *vitium morale*, *habitus, qui malum facit habentem & ejus opus reddit malum*; vel etiam *habitus electivus recedens à mediocritate virtutis & inclinans potentiam ad actus rectæ rationi dissentaneos.* Quia vero idem est subjectum contrariorum, quod fuit subjectum virtutis, appetitus sc. sensitivus, idem est subjectum vitiorum, ob rationes, *Disp.* 16. allatas: Contraria enim versantur circa idem subjectum, sc. genere vel specie, non numero: sunt autem virtus & vitium contraria ac pugnant tribus potissimum modis, principio, medio, fine: principio, nam virtus à prudentia est & recta ratione, vitium ab imprudentia & ratione prava: medio, nam virtus est mediocritas, vitium recessus à mediocritate: fine, nam virtus ad honestum & summum bonum ducit, vitium ad turpe, & malum, & calamitosum.

(*a*) Quæritur, qualis species oppositionis intercedat inter virtutem & vitium? Resp. si virtus & vitium sumantur vel pro habitu, vel pro actu laudabili vel illaudabili, opponuntur contrarie, quia sub eodem genere, puta vel habitu, vel actu, plurimum distant, quo sensu bonum quoque & malum multis philosophorum opponuntur contrarie: sed si virtus & vitium sumantur in abstracto, pro bonitate vel malitia, habitus vel actus boni aut mali opponuntur privative: hic autem sumuntur priori modo.

(*b*) Habitus vitiosus est, vel innatus, ut Peccatum Originale, vel acquisitus, ut Vitia Moralia in Ethicis explicari solita: quemadmodum & habitus bonus, alius est concreatus, qualis fuit Sapientia & Justitia Originalis in Adamo, alius acquisitus, ut sunt Virtutes Morales in Ethicis explicari solitæ.

IX. *Vitium vel excessus est vel defectus:* qui excessus vel defectus dicitur talis, ratione mediocritatis; in qua virtutis formam consistere *Disp.* 16. est demonstratum Ut vero medium Virtutis positum ibi fuit & expositum, esse,

non rei, sed rationis, ita etiam excessus & defectus hic à tali medio, non rei, sed rationis, intelligi debent. Excessus autem & defectus à virtute (a) duo semper vitia constituunt distincta, opposita uni virtuti, præterquam in justitiâ commutante, cui unum tantum opponitur vitium, in quo tamen excessus simul est & defectus, diverso respectu: Nam injustus aut plus boni sibi sumit ac minus boni relinquit alteri, aut minus mali sibi sumit ac plus mali relinquit alteri, & utrumque facit unâ & eâdem actione: at in aliis omnibus virtutibus, excessus & defectus distincta ac duo gignunt vitia.

(a) Quæritur, qua specie oppositionis duo vitia opponantur uni virtuti: non disparate, quia virtus duobus vitiis non opponitur eodem modo, nam vitiorum alterum à virtutis medio deficit, alterum virtutis medium excedit; nec relative, quia virtus non refertur ad vitia, ut relatum & correlatum; nec contrarie, quia in contrariis unum uni opponitur, hic autem una virtus opponitur duobus vitiis; non privative, quia vitium hic sumitur non abstracte pro absentia bonitatis debitæ inesse, sed in concreto pro habitu vitioso; nec contradictorie, quia sic opponuntur virtus & non virtus, vitium & non vitium? Resp. virtutem opponi duobus vitiis contrarie, sed in quantum ista duo vitia sumuntur in genere & communiter pro recessu à medio virtutis, & sic opponitur unum uni, quod requiritur in contrariis, sc. uti omnis virtus in medio est sita, ita omnis recessus ab isto medio est vitium, & hæc duo opponuntur contrarie: sed uti una virtus tanquam genus potest dividi in species, v. c. temperantia in frugalitatem & castitatem, ita & recessus à medio, vitium, dividi potest in excessum & defectum, aut in vitium in defectu & excessu, tanquam genus in species, nam utrobique receditur à medio virtutis, sive quis excedat illud, ut qui nimium comedit ac bibit, sive qui ab illo deficiat, ut qui non satis comedit & bibit.

X. *Sunt Ethici, qui vitium virtuti*, non tantum per excessum, nec solum per defectum, sed & tertio modo, *per alienationem*, ut loquuntur, *opponi volunt*: hanc suam sententiam sic explicant & probant. Vitia per excessum & defectum versantur circa eandem materiam cum virtute, cum qua pugnant, differuntque ab ea tantum in eo, quod virtus objectum suum prosequatur secundum quantitatem debitam, at vitium in excessu prosequatur idem objectum secundum nimium, vitium in defectu prosequatur idem objectum secundum non satis, v. c. prodigus nimium dat pecuniæ, avarus non dat satis pecuniæ, liberalis dat quantum est satis pecuniæ. At vero vitium per alienationem cum virtute pugnat in materia prorsus aliena: unde vitium per alienationem est dictum: sic, verbi c. idololatra peccat contra pietatem aut religionem, non quod excedat aut deficiat à medio pietatis & religionis, sed quod cultum Deo debitum ab illo objecto alienet, & transferat in statuam aut aliud quid, quod non est Deus: sic odium Dei pugnat contra charitatem per alienationem, quia qui Deum odit, transfert actum odii in rem alienam, in objectum aliud. Deus enim non est objectum idoneum odii, quia non est malus.

XI. Verumenimvero, *hoc vitio per alienationem nihil est opus*, cum facile reduci possit ad vitium in excessu aut defectu: quod ut manifestum fiat, explicandum venit, *Quando & quomodo contra virtutem peccetur per excessum vel per defectum?* res sic se habet. Toties peccatur contra virtutem aliquam in excessu, quoties τὸ materiale actus, quod ad talem pertinet virtutem, extenditur extra mediocritatem illius virtutis, quocunque tandem modo id fiat, sive virtutis illius materia circa quam seu objectum mutetur secundum quantitatem, sive secundum substantiam, ut loquuntur Scholastici. Sic, v. c. non solum intemperans est, i. e. peccans contra temperantiam in excessu, qui plus cibi comedit quam debet, sed & qui comedit id, quod ad nutritionem non est utile nec destinatum, sicuti Cleopatra fecit, cum pretiosos illos uniones, aceto dilutos, deglutivit. Primus quidem per excessum peccat contra Temperantiam, quod manifestum est ex eo, quia τὸ materiale actus ad temperantiam pertinentis, actum puta comedendi, extendit extra objectum hujus virtutis, non quidem secundum substantiam, materiam ejus circa quam aut objectum immutando, sed tamen mutando id secundum quantitatem, quia non quidem aliud quàm cibum sumit, sed nimium cibi assumit ac plus quam debet.

debet. Cleopatra veto peccavit contra Temperantiam per excessum, quia comestionem, materiale actus ad Temperantiam pertinentis, extendit extra objectum hujus virtutis, mutando ejus materiam circa quam seu objectum secundum substantiam: Et hoc modo idololatra per excessum peccat, cultum supremum extendendo extra pietatis aut religionis objectum, illud secundum substantiam mutando, dum cultum transfert in illud, quod non est Deus. Peccatur contra virtutem aliquam per defectum, quoties virtutis illius actus, non solum omittitur, sed &, cum ejus oppositus actus tam materialiter quam formaliter exercetur: ideo v. c. timiditas pugnat cum fortitudine per defectum; & avaritia cum liberalitate per defectum, quia timidus, cum adest occasio fortiter agendi, non solum omittit fortitudinis actum, sc. velle efficaciter aggredi periculum præsens, sed actum etiam oppositum elicit, qui est, nolle aggredi tale periculum: patiter avarus non modo non vult dare, cum debet, sed vult insuper non dare, quod debet: Et tali modo, qui Deum odit, peccat contra charitatem per defectum non tantum, quia deficit Deum amare, sed quia & in quantum elicit actum, plane charitati oppositum, (a) odium scilicet. Atque hinc liquet, *vitium per alienationem, ad vitium vel in excessu vel in defectu referri posse*, quod erat demonstrandum.

(a) Odium non tantum est negatio Amoris, seu Volitionis, quâ aliquis Alicui bene vult, sed & est positio Actus Contrarii, seu Nolitionis, quâ non tantum Alteri non vult bene, sed vult & ipsi male: potest Aliquis Alicui nec bene velle, nec male, id est, nec amare, nec odisse: sed qui Aliquem odit, is quidem ipsum non amat, nec ei vult bene, sed insuper ei vult male.

ANNEXA.

1. *Extrema, vitia, vehementius & magis inter se, quam cum medio, virtute, pugnant.*

2. *Extrema, vitia, medio, virtuti, opponuntur inæqualiter: unum enim extremorum propius sæpe ad medium accedit, alterum longius ab eo recedit.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM DECIMA-NONA,

DE VIRTUTIS MORALIS DIVISIONE, ET FORTITUDINIS DEFINITIONE.

THESIS I.

DE *natura virtutis moralis*, de ejus *formâ, subjecto, causis procreantibus, conservantibus, corrumpentibus*, actum fuit disputationibus ante habitis, nunc tandem ad ejus *divisionem* & *species* transeundum est. Atque hic primo quæri potest; *An virtutes morales inter se sint specie distinctæ? an Virtus moralis, ut genus, dividi possit in species?* Fuerunt olim, suntque etiamnum, qui existimant unam tantum atque unicam esse virtutem, quæ diversis tantum appelletur nominibus; quæ dum temperat metui atque audaciæ, fortitudo; dum moderatur voluptatibus tactûs ac gustus, temperantia; dum largitur cuique suum, justitia; dum pecunias erogat debite, liberalitas dicatur; & sic porro. Estque hæc sententia non valde improbabilis. Placet tamen receptam tueri opinionem, quæ asserit, virtutem ut genus in species distinctas dividi. 1. Quia à se invicem sunt separabiles ac de facto separantur; quod est signum realis & specificæ differentiæ: invenias enim fortes, qui non sunt temperantes; & hos, qui non sunt liberales; & hos, qui non sunt justi, &c.

sti, &c. Nam, (a) virtutes omnes inter sese esse connexas, ut, qui unam habet, is habeat & cæteras, nobis censetur falsissimum, & ab ipsâ experientiâ refutatum: certè una virtus alteri non est ratio ut sit virtus, neque ista connexio est de ratione virtutum intrinsecâ atque essentiali: & in subjecto hoc aut illo, reperiri has, non item alias virtutes, tam certum est, quàm quod certissimum. 2. Quia specie distinctis actibus acquiruntur Virtutes: (b) nam actus isti, quibus comparatur fortitudo, & quibus acquiritur temperantia, & quibus acquiritur liberalitas, & quibus acquiritur justitia, specie differunt: nam specifica differentia in moralibus sumitur à circumstantiis, quæ in singularum virtutum productione sunt aliæ atque aliæ. Ergo & virtutes ipsæ specie differunt.

(a) Virtutes omnes à se invicem sunt separabiles, & de facto separantur, quoad Actus secundos, & quoad primos, id est, quoad operationes, & quoad habitus.

(b) Quia omnes Actus, quibus acquiritur Habitus, debent esse conformes Rectæ Rationi, non differunt specie, sed numero: nam Actus conformes Rectæ Rationi, & eidem difformes, differunt specie.

II. Postquam Virtutem in species dividi posse constat, quæritur; *qualis illa aut qua sit divisio?* Antiqua est Virtutis in 4. Cardinales divisio, quæ sic vocantur, quod iis, ceu cardinibus, vitæ humanæ ratio volvatur atque innitatur, sintque, *Prudentia*, *Fortitudo*, *Temperantia*, *Justitia*. Sed enim nonnisi violenter admodum ad istas 4. Classes omnes aliæ virtutes reduci possunt: & insuper, prudentia virtus intellectualis commiscetur cum reliquis moralibus. Alii alias excogitarunt Virtutis divisiones. Nos, misso examine sententiarum variarum, *Aristotelis*, ceu Ducis nostri, seriem sequemur, ac virtutes singulas disputationibus secuturis examini subjiciemus eo ordine, quo ab ipso in *Ethicis Nicomachis* pertractantur. Videatur *c.* 7. *l.* 2. *Eth. Nicom.* ubi virtutes *Aristoteli* per suas classes singulæ recensentur. Primum ibi locum assignat *Fortitudini*, quare & nos de ea primo agemus loco.

III. Postquam *Philosophus l.* 1. & 2. *Eth.* egisset, partim de summo bono, partim de virtute, *lib.* 3. *capitibus* 5. *prioribus*, agit de *spontaneo*, *invito*, *consultatione*, *electione*, *voluntate*, & *libertate*, ac sub finem *cap.* 5. transit ad virtutes speciales, quarum primam, *fortitudinem*, explicat *c.* 6. eamque definit ab initio, quod sit μεσότης περὶ φόβους καὶ θάρρη, *medietas circa timores & audacias*. Hanc definitionem ut intelligamus, per partes explicanda est.

IV. *Fortitudinem* à ferendo dici volunt, qui origines vocum inquirunt, quia fortis res adversas item & secundas benè ferat. Græcè Ἀνδρεία, ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, à *viro*, quod virum maximè deceat & mascula sit hæc virtus: est enim virilis animi operumque virilium hæc virtus, rariusque in sexum cadit muliebrem. Vox, *Fortitudo*, non uno sumitur modo ab Authoribus probatis, ipsisque adeo usitatissima est ejus significatio, qua sumitur, pro corporis *robore*, quod in laterum firmitate, musculis, ac lacertis, est constitutum, & non hominibus sed brutis quoque adscribitur, ut in illo Enniano apud *Ciceronem in Cat. Maj. Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.* Sed quando ad hominem ejusque animum transfertur fortitudo, vel in genere sumitur pro continentia & *moderamine omnium affectuum*, aut etiam pro *constantia animi* in rebus tam secundis quam adversis: prior significatio est in illo *Ovidiano* versu,

Fortior est qui se quam qui fortissima vincit
Mœnia, &c.

Posterior, in illo *Horatiano*, *Rebus angustis animosus atque Fortis appare*, &c. vel in specie pro *habitu bono circa audaciam*, *ac timorem*; quo sensu hic definitur. Dicitur μεσότης, id est, ἀρετὴ ἐν μεσότητι οὖσα. *Objectum* indicatur per voces φόβους καὶ θάρρη, alibi vocat *Philosophus* τὸ φοβερὸν καὶ τὸ θαρραλέον. (a) Quando *objectum* fortitudinis assignat τὸ φόβον καὶ θάρρος, *internum* designat, (b) *metum & audaciam*, affectus per fortitudinem reprimendos ac coërcendos: cum vocat τὸ φοβερὸν καὶ τὸ θαρραλέον, *externum* indigitat, ea quæ metum vel audaciam afferunt, seu metuenda & audenda; *ferenda* & spe-

θαρραλέα *secundarium* sunt fortitudinis *objectum*: atque hoc expressis verbis innuit *Aristoteles, l. 3. Eth. c. 9.* statim in principio. Περὶ θαρρῆ ἡ κὴ φόβους ἡ ἀνδρεία ἐστι, ἐκ ὁμοίως δὲ πρὸς ἀμφω ἐστὶ, ἀλλὰ μᾶλλον πρὸς τὰ φοβερά. Et probat hoc *Philosophus* ibidem duabus rationibus. 1. Fortior habetur is, qui in rebus formidolosis & periculi plenis, nulli perturbationi succumbit, quàm qui perturbatione vacat in iis, quæ animum fiduciâ firmant, Ergo fortitudo magis versatur circa metum quam circa audaciam. 2. Virtus maximè versatur in rebus arduis & difficilioribus: sed magis arduum & longè difficilius est, gravia pericula ferre, nulloque terrore rerum horrendarum frangi, quàm confidere in rebus, quæ fiduciam afferunt aut audaciam gignunt: quippe τὰ φοβερὰ, quæ metum adferunt, *mala* sunt, τὰ θαρραλέα, quæ audaciam gignunt, *bona* sunt. At χαλεπώτερον ἐστὶ τὰ λυπηρὰ ὑπομένειν ἢ τῶν ἡδέων ἀπέχεσθαι, *difficilius est res molestas perferre quam à jucundis abstinere*, ut loquitur ibid. *Arist.*

(a) Omni virtuti, sicuti hic fortitudini, competit objectum duplex, internum & externum: internum, est affectus aliquis, vel unus vel plures: externum, sunt omnia ista quæ affectum istum, vel affectus, cient.

(b) Dubium hic oritur, quomodo metus & audacia sint objectum fortitudinis internum, cum vocabula ista significent extrema seu vitia fortitudini opposita, quod liquet ex thesi 3. disp. 20. Resp. metus & audacia dupliciter spectantur, vel ut affectus simpliciter, absque circumstantiis moralibus, prout sese habent indifferenter ad bonum & malum, & rectæ rationi à virtute subjici debent; atque sic sunt objectum fortitudinis: sed si spectentur cum circumstantiis moralibus, vel excedentibus, vel deficientibus, sunt vitia & extrema fortitudini opposita: si considerentur cum circumstantiis, nec excedentibus nec deficientibus, sunt ipsa virtus, fortitudo aut forma ejus.

V. Cum τὰ φοβερὰ, *mala* pronunciamus, quæritur, *an quævis* mala, tum animi, tum corporis, tum fortunæ, tum turpia, tum tristia, tum noxia, *intelligantur?* idem quæri potest, de τοῖς θαρραλέοις, *an quævis bona intelligantur*, animi, corporis, fortunæ, honesta, jucunda, utilia? Quod ut intelligatur, distinctè procedemus, &, *quænam mala fortitudinis objectum* dici debeant, dispiciemus: omnia quidem mala, qualiacunque tandem, metum incutere valent, non tamen omnia sunt fortitudinis objectum. Quod de malis dicemus, ex opposito de bonis intelligi debet: adferemus ergo aliquot divisiones mali; &, circa quæ versetur fortitudo, circa quæ non item, decidemus. Τὰ φοβερὰ, quæ metum incutiunt, mala, vel sunt cum turpitudine conjuncta, vel non. *Mala turpia* sunt peccata: hæc ab omnibus metui debent: nec satis metui possunt, quia sunt inhonesta, quæ metuere, est honestum: & qui ea metuit, vir probus, qui non metuit, improbus est. *Circa hæc* mala *non versatur fortitudo:* quis enim fortem dixerit eum, qui peccare non metuit, ac non potius scelestum? *Mala* non turpia sed *tristia*, quædam sunt ὑπὲρ ἄνθρωπον, quædam κατ' ἄνθρωπον· *Supra hominem sunt*, quæ atrociora & majora sunt, quam ut à naturâ humanâ, ab homine contemni possint aut superari, ideoque metuuntur: ut sunt, terræmotus, inundationes, tonitrua, fulmina, &c. quæ omnes νοῦν ἔχοντες jure merito percellunt. *Circa hæc* mala *non versatur fortitudo*, neque horum metum coërcet. *Secundum hominem* mala tristia sunt, vel *graviora* ac majora, vel *leviora* ac minora: hæc divisio congruit cum iis, quæ ab *Arist. l. Eth. 3. c. 6.* differuntur. *Leviora* ac minora sunt, paupertas, contumelia, morbi, &c. *Majora* ac graviora sunt, animi cruciatus, exilium, mors. *In hisce omnibus* moderatè metuendis *fortitudo cernitur:* sed potissimum ea conspicitur circa *mortem*, atque inter varia mortis genera, omnium maximè circa mortem *bellicam*, quæ pulcherrima est, quam vir fortis deliberato animo subit pro aris ac focis. Circa mortem ex morbo aut naufragio, non ita occupatur Fortitudo, atque circa mortem bellicam. Est quidem vir fortis in naufragio & morbis aliisque periculorum generibus imperterritus, sed ignavum hoc mortis genus animo fert iniquiore, malletque generosiori morte succumbere, ex qua plus boni ad patriam ac Remp. redire posset.

VI. Nunc exposito fortitudinis *Objecto*, vi-

dendum est, *quomodo* circa id se debeat gerere vir fortis, & quænam sint ejus *officia*. Viri fortis *officium duplex* est *Aristoteli*, φοβεῖσθαι & θαῤῥεῖν, *metuere & confidere*, scilicet, uti oportet, & secundum omnes circumstantias morales: neque enim omnis metus expers est vir fortis, neque instar trunci, aut bruti, aut hominis furiosi, cuivis sese objicit periculo, sed ut homo est, ita aliquid humani patitur, atque extimescit, sed timore moderato, uti recta ratio & quantum honestas suadet. Verùm paulò enucleatius Viri fortis officia proponamus: ea 4. ferè reperiuntur posita *c. 7. Eth. l. 3. & passim in textu Aristotelico*: quintum, ceu consectarium ex illis elicuit *Keckermannus, in Eth. l. 2. c. 4.*

VII. *Primum Viri fortis officium* est, non quælibet pericula promiscue & indifferenter adire, sed verò ea, quæ sunt honesta, laudabilia, & utilia, quibus laudem reportare, patriæ ac Reip. prodesse, valeat. *Secundum est*, esse impavidum atque imperterritum, non tamen ad modum trunci aut stipitis, sine sensu aut ratione, sed cum ratione, uti hominem decet: si ἀναίσθητος, insensibilis, foret vir fortis, sine ullo doloris sensu, nullam fortitudinis laudem promereretur, quam nunc aufert, si dolores & mala sentiendo non nimis metuat: molesta sunt ipsi vulnera, molesta mors, sed non nimis molesta. *Tertium Viri fortis officium* est, non temere, nec desultoriè in quævis pericula, etiam honesta, etiam utilia, etiam laudabilia, sese ingerere, sed prudens in eo exigitur ac præmeditata periculis in omnibus animi magnitudo. *Quartum viri fortis officium* est, omnia facere honestatis ergo, non lucri, non vindictæ, non alterius rei causa: ideoque milites mercenarios, qui solius stipendii gratiâ militant, fortes non habemus, uti nec illos, qui, ut vindictæ satisfaciant suæ, ad arma prosiliunt, quales sunt hodie qui duella privata & monomachias ineunt. *Quintum viri fortis officium* est, honestis mediis honestoque modo omnia agere. (*a*) Inter honesta media censemus etiam Stratagemata, quæ à dolosis & malitiosis fraudibus discernimus: illis viro forti uti licet, hisce non item.

(*a*) Stratagemata vel sunt cum mendacio conjuncta, vel non sunt: illa sunt illicita & inhonesta; hæc sunt licita & honesta, & talia sunt stratagemata, quorum in sacris fit mentio: nam licet in stratagematibus aliud intelligatur à proximo, quam quod significant signa externa à nobis edita, atque sic proximus decipiatur, culpa tamen deceptionis non est in nobis, sed in proximo; neque enim nos possumus prævenire, quod proximus aliud intelligat, quam nos significamus per signa externa.

VIII. Quæri hic solet, pro coronide, *utrum fortitudo magis eluceat in malis & periculis repentinis quàm præviſis?* Resp. cum *Aristot.* in repentinis, quia in iis magis est ab habitu virtutis animi in viro fortis præsentia atque constantia, quàm si pericula & mala diu sint prævisa: profectò, quæ subitò ingruunt, &, nec caveri, nec depelli, facile possunt, insignem requirunt fortitudinem: non sic, quæ diu fuerunt exspectata: contra ea enim se munire, animumque suum præparare valet vir fortis, præterea mala, non prævisa, non præmeditata, sed subita, sed repentina, eo ipso sunt graviora & difficiliora, quàm alia, diu præscita: at circa graviora & difficiliora versatur fortitudo. Ergo. Cætera *de fortitudine Disputatio sequens* exequetur.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM VIGESIMA,

DE FORTITUDINIS DIVISIONE, EXTREMIS, ET QUÆSTIONIBUS QUIBUSDAM.

THESIS I.

QUemadmodum Logicis syllogismus dividitur in verum & fallacem, qui speciem mentitur veri: quemadmodum Metaphysicis bonum dividitur in verum & apparens,

rens, quorum hoc apparet esse id, quod non est: ita Ethicis Fortitudo dividitur in veram & spuriam, quæ veræ fortitudinis speciem ementitur, & apparet esse id, quod non est. Neque hæc tam rei quam vocis potius est divisio. Ea tamen utilis est ad veræ fortitudinis naturam intelligendam. Quemadmodum enim gemmas fictitias, & medicamenta falsa, & omnia, quæ aliquam speciem ementiuntur, nosse conducit, ita multum facit ad veræ fortitudinis notitiam, *fortitudinis adulterinæ cognitio.*

II. *Spuriæ*, fucatæ, atque adulterinæ *fortitudinis species* 5. ponit *Aristoteles*, *l.* 3. *Eth. c.*8. prima est πολιτικὴ, altera διὰ τὴν ἐμπειρίαν, tertia διὰ τὴν ὀργὴν, quarta διὰ τὴν ἐλπίδα, quinta διὰ τὴν ἄγνοιαν. Πολιτικὴ, Lat. civilis, dicitur etiam νομικὴ, Lat. legalis, estque ea, quam leges à singulis civibus requirunt, in defendenda & propugnanda patria, propositis præmiis & pœnis, honore & ignominia, iis, qui se vel strenuos vel ignavos præbuerint. Vocatur legalis, quia legibus est præcepta; & civilis, quia civibus est mandata: Nam jubent leges, ut cives quilibet civitatis suæ ac patriæ libertatem, religionem, salutem & incolumitatem, pro virili, etiam ad mortem usque, tueantur ac defendant, atque ideo præmia & honores proponunt iis, qui hoc faciunt, pœnas & ignominiam minantur iis, qui secus fecerint. Hæc politica fortitudo (*a*) ad veram proxime accedit. *Altera* fortitudinis spuriæ *species est*, quam Aristoteles vocat ἐμπειρίαν καὶ τὰ ἔνεργα, experientiam in singularibus, quæ est ἀνδρεία διὰ τὴν ἐμπειρίαν, fortitudo per experientiam, quasi quis dicat, fortitudo experientalis: Hæc militum est propria, qui propter experientiam rei militaris fortiter se gerunt, & ideo multum audent, quia multis præliis interfuerunt: usus enim & experientia multos effecerunt fortes, nautas in mari, venatores in sylvis, fossores in specubus & cavernis, sed præsertim milites in bello. *Tertia* fortitudinis spuriæ *species* est, ἀνδρεία διὰ τὸν θυμὸν, vel διὰ τὴν ὀργὴν, propter iram; quo sensu fortis est, qui ira percitus pericula contemnit, & rem fortiter gerit: ira enim solet addere animum homini, ut nihil extimescat. *Quarta* fortitudinis spuriæ *species* est, διὰ τὴν ἐλπίδα, propter spem: spes enim & persuasio victoriæ homines erigere solet ac reddere fortes: qui enim sæpe ac multos vicerunt, & qui frequentissime sunt usi rebus secundis, quia perpetuam sibi felicitatem pollicentur, intrepide sese periculis objiciunt, ac fortiter agunt. *Quinta* ac postrema fortitudinis *species* est, ἀνδρεία δι' ἄγνοιαν, fortitudo per ignorantiam, quando aliquis fortis est, quia periculi magnitudinem ignorat, quæ fortitudo in tyrones fere & milites cadit inexercitatos. Atque hæ sunt species fortitudinis spuriæ ex Aristotele explicatæ, ad quas reduci possunt, si quæ aliæ videantur esse species fortitudinis adulterinæ, uti est fortitudo ex desperatione.

(*a*) Non tamen vera est fortitudo, quia vir vere fortis nec præmii gratia nec pœnæ metu, nec vi legum fortiter agit, sed, etiamsi nec leges jubeant, nec præmia decernantur, nec pœnæ statuantur, fortiter tamen agit solius honestatis ergo, & virtutis amore, virtus enim ipsa sibi pretium est.

III. Postquam fortitudinis fucatæ & apparentis *species* exposuimus, de veræ fortitudinis *extremis* seu *vitiis oppositis*, nonnihil est philosophandum. Fortitudini, ut omni virtuti, duo opponuntur vitia; alterum in excessu, in defectu alterum: aut potius, utrumque, & in excessu & in defectu, pro diversa actione fortitudinis. Actiones fortitudinis sunt, confidere & metuere, (*a*) aggredi & sustinere. (*b*) *Audacia* est excessus in aggrediendo & confidendo: *timiditas* est excessus in metuendo & sustinendo: contra audacia est defectus in metuendo & sustinendo, & timiditas est defectus in confidendo & aggrediendo. Qui nimium confidit & minus metuit, audax est: qui nimium metuit, & minus confidit, timidus est. Timiditas est vitium, quod in metuendo modum excedit, in confidendo deficit. Audacia est vitium, quod in confidendo modum excedit, & in metuendo deficit. Hæc sunt extrema, Fortitudini opposita, quorum utrumque est detestandum, sed alterum tamen propius ad naturam fortitudinis accedit, alterum remotius abit. Quæri solet ab Ethicis, *Virum extremorum propius*

accedat ad fortitudinem, Audacia an Timiditas? Resp. Quin audacia propius accedat ad fortitudinem quam timiditas, nullum est dubium: quia magna aggredi pericula audaciæ est commune cum fortitudine: at ea fugere, timiditatis est: magis vero glorioſum est, pericula aggredi, quam fugere.

(*a*) Quæritur, an fortitudinis actus magis eluceat in aggrediendo quam in ſuſtinendo? Reſp. in ſuſtinendo, quia difficilius eſt ſuſtinere quam aggredi: ſuſtinemus enim mala, aggredimur bona.

(*b*) Audacia & Metus ſunt & objectum fortitudinis, & ejus extrema, ſed diverſo reſpectu: cum dicuntur objectum fortitudinis, ſpectantur ut Affectus ſimpliciter, abſque Circumſtantiis Moralibus, ut nec boni ſint, nec mali, & prout à fortitudine in Mediocritate contineri debent, nec ab ea deficiant, aut eam excedant: ſed cum ſpectantur, ut extrema, ſeu vitia fortitudini oppoſita, ſpectantur ut Circumſtantiis Moralibus rectis deſtituta, & prout à Mediocritate, quam fortitudo præſcribit, jam receſſerunt, vel eam excedendo in quibuſdam Circumſtantiis, aut ab ea deficiendo; & ſic in Vitio, aut Malo, ſunt oppoſita.

IV. Circa Fortitudinem variæ ſolent agitari quæſtiones, quæ ſolet. 1. *An ſint fortes* αὐτόχειρες, *qui ſibi ipſis violentas inferunt manus?* Reſp. Neg. cum *Ariſtot. 3. Ethic. c. 7.* in fine, cujus expreſſa ſunt verba: Τὸ δὴ ἀποθνήσκειν, φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἢ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. *Mortem obire, fugientem inopiam, amorem, vel moleſtum quid, fortis non eſt, ſed potius timidi.* Multum inter ſe diſtant Fortitudo & αὐτοφονία. Fortitudinis cauſa eſt recta ratio: αὐτοφονίας, deſperatio, furor, rabies, belluina feritas, mala quædam corporis aut hujus vitæ præſentia. Fortitudo, ut omnis virtus, eſt affectuum moderatio: αὐτόχειρία eſt affectuum exceſſus fœdiſſimus. Fortitudinis finis eſt τὸ καλὸν· at αὐτοφονίας finis eſt fuga mali, quod honeſte poterat tolerari. Vir fortis libenter verſatur in periculis: at αὐτόχειρες ideo manus ſibi inferunt, quia pericula detrectant.

V. Quæritur 2. *An inter* αὐτοφόνους *ſint collocandi noſtrates nautæ, quando in extrema neceſſitate pulverem pyrium accendunt, injecto in eum igne, atque ita noxam ac necem inferunt hoſti, unde tamen ſua ac propria mors conſequitur.* Reſp. Neg. Imo contra, eos pro vere fortibus habemus: quia nec ſe occidunt active, nec intendunt ſe occidere, ſed hoſtem & occidunt & occidere tentant: quod ipſorum propria mors conſequatur paſſive, (*a*) eſt per accidens: &, vel cum proprio vitæ periculo ac præſenti diſcrimine pro aris & focis, pro patria, pro religione ac libertate, tenentur dimicare, & juramento ad id ſeſe obſtrinxere: ſic & milites ab omni ſui ipſorum homicidio abſolvimus, cum juſſu præfectorum iſtam ſumunt ſtationem, in qua certo ſibi occumbendum ſciunt. Atque ut hoc negotium dextre intelligatur, notandum eſt ſedulo; quod occiſio ſui ipſius, alia ſit directa, quando quis intendit ſeipſum de medio tollere atque ex propria intentione ſeſe interficit; alia indirecta, quando quis non ſeipſum ſed alios intendit occidere, ſed dum intentionem interficiendi alios exequitur alioſque interficit, in talem rerum ſtatum conjicitur, ut aliorum intenta ac juſte intenta cædes comitem trahat propriam mortem: hæc duo accurate ſunt diſtinguenda: quin active occidere ſemetipſum, ex intentione directa, ſit vitium ac vetitum, & non virtus nec fortitudo, nullum eſt dubium: ſed an occiſio ſui ipſius indirecta illa, ſeu paſſiva, ac, qua quis non tam ſe occidit, quam occidi patitur, ſit illicita ac vitium, diſputari ſolet: nos, ſi circumſtantiæ diligenter examinentur, negamus. Quid? ſi quis pro patria, pro fide, pro religione, tali ſeſe exponat periculo, ex quo mors ſua ſit certo, ſed indirecte, conſecutura, anne is reus eſt cenſendus ſuæ mortis? præſertim, ſi tali ſe periculo exponere ſit conſtrictus, atque obligatus, ex mandato ſuperiorum, quibus obſequium debet, ſacramentum dixit, fidem adſtrinxit? Nos ſic ſentimus: aut ad id non eſſe adſtringendos noſtrates nautas ac milites; aut ſi ad id adſtringuntur juſte, etiam interpoſito juramento, nihil peccant, ſi hoc exequantur, ad quod juſte ſe obligarunt. Quare huc potius recidit quæſtio, An licitum ſit Magiſtratui hoc imponere militibus, hoc exigere

exigere à nautis noſtratibus, ſacramento dicto, juramento facto, ut milites ac nautæ, etiam cum præſenti vitæ diſcrimine ac periculo certo, cladem ac noxam & necem inferant hoſti, pro patria, religione, fide; etiam, quando ſuiipſorum militum ac nautarum mors eſt conſecutura, certo ſed indirecte tamen? neque enim magiſtratus hoc ipſis imponit aut exigit, ut directe ſeſe occidant, neque, ſi imponeret aut exigeret, obedire tenerentur milites ac nautæ. At vero non videmus, cur non liceat Magiſtratui ſupremo id imponere & exigere à militibus & nautis ſtipendiariis, *ex quo illi, interficiendo active, communem hoſtem Dei, religionis, ac patriæ ipſi quoque interficiantur paſſive:* quod ſi non peccat Magiſtratus id imperando, extra omnem ſunt reatum milites ac nautæ id exequendo. Quare ab omni culpa ἀυτοφονίας eos abſolvimus: tantum abeſt, ut eos inter ἀυτοφόνους collocemus, ſicuti non verentur facere quidam, ad condemnandum nimis proni: illos tantum ἀυτοφόνους pronunciamus, qui directe ſeipſos occidunt, ſeu (*b*) poſitive, ſeu negative, ut ſi quis non vocatur in periculum ex quo obit, aut non vult comedere, ſeu quocunque tandem modo mors propria procuretur directe.

(*a*) Quemadmodum ſimile quid videre eſt in exemplo Simſonis, qui Philiſtæos hoſtes, quos occidere intendit, & revera occidit active, columnis ſubrutis, nam egit in illos & ſubruit columnas in perniciem illorum, quamvis mors propria ſit conſecuta paſſive, & conſecuturam facile præviderit; hoc tamen totum eſt per accidens, unde textus ſignificanter dicit Iud. 16. 30. de Simſone, quod dixerit, Moriar ego, vel ut habetur in Hebræo, moriatur anima mea, ſcil. paſſive, cum Philiſtæis, & de illis dicit textus, ita fuerunt mortui, illi quos morti tradidit, ſcil. active, Simſon cum ipſe moreretur, ſcil. paſſive: ſic nautæ noſtrates morti tradunt hoſtem active, quamvis ipſi ſimul moriantur paſſive, pulvere pytio accenſo.

(*b*) Poſitive ſe occidunt, qui ſibi ipſis violentas inferunt manus; negative, qui v. c. non comedendo fame moriuntur, aut non vocati iſta loca adeunt ubi occiduntur.

Poſitive dicitur quis ſe occidere, cum aliquis ſibi violentas infert manus, aut venenum bibit: *Negative*, ut ſi quis ab omni cibo abſtineat, & fame ſe enecet: *Quocunque modo*, ut ſi quis non vocatus nec obligatus ſe committat in loca periculoſa & iſti ſe exponat periculo, unde interficitur, quemadmodum Spectatores in obſidionibus imprudenter ſæpe adeunt iſta loca, unde nunquam redeunt.

VI. Quæritur 3. *An qui ad duellum provocant alios, aut provocati ſeſe ſiſtunt, ſint dicendi fortes?* Reſp. Duellum eſt, vel privatum, vel publicum. Privatum, nec ex parte provocantis, nec ex parte provocati, eſt licitum: quod probatur. 1. Quicunque ex ira, ex furore, ex vindictæ cupiditate, ſe & adverſarium, in præſens adducit diſcrimen, non eſt vere fortis: Sed tam provocans quam provocatus hoc facit. Ergo, &c. 2. Temerarii & audaces non ſunt fortes. Qui duellum ineunt ſunt tales. Ergo, &c. Prob. min. quia non ſequuntur rectam rationem, quæ norma eſt & regula virtutum, ſed ſequuntur impetum ſuorum affectuum. 3. Qui pericula adeunt non neceſſaria, non ſunt vere fortes. Sed duellatores, &c. Ergo, &c. Publicum quoque duellum, illicitum pronunciamus: quia temeritas nunquam conſiſtit cum fortitudine vera: ſed eſt maxima temeritas, unius hominis vel fidei vel fortitudini committere ſalutem totius exercitus ac tot hominum: neque licet in re tanti momenti ſortiri aut ſortem ducere, quod fit in tali duello publico, ubi omnium totiuſque exercitus vita, fortuna, ac ſalus, unius periculo committitur. Duellum Davidis cum Goliatho publicum, plane alterius fuit ordinis & extraordinarium, quod non magis ad imitationem trahi poteſt, quam ejuſdem pugna cum leone & urſo, plane miraculoſa. Cætera, quæ fortitudinem ſpectant, corollaria proponent.

COROLLARIA.

1. *An vim vi repellere, hoſtemque invaſorem occidere, ſit viri fortis, ac licitum? A.*

2. *An cæteris paribus, omnibuſque ad juſtam ſui defenſionem requiſitis, rite rectèque ſe habentibus, ut propriam mortem evadat, unicuique ſit licitum, invaſorem occidere? A.*

3. *An ſit Viri fortis, honorem ſuum læſum redimere per mortem lædentis? N.*

4. *An liceat bona nostra temporalia tueri ac conservare, si aliter non possumus, per occisionem eripientis? Resp. furi simplici non esse eripiendam vitam, sed latroni simul & furi, aut quando dignosci non potest, an aliquis furandi vel latrocinandi animo veniat, ut de nocte, licere pronuntiamus.*

5. *An bellum sit licitum? A.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM VIGESIMA-PRIMA.

DE TEMPERANTIA.

THESIS I.

POst fortitudinem explicatam, aliquot capitibus *l.* 3. *Eth.* ad Temperantiam transit *Aristoteles c.* 10. & nos ab ea explicata disputatione gemina, ad Temperantiam transimus: cujus naturam hac unica in aperto ponemus: primum vocem, mox rem, more nobis consueto, excussuri.

II. Temperantiæ vox non uno modo sumitur ab Ethicis. 1. *Generalissime* quamlibet significat virtutem & moderationem: omnis enim virtus consistit in moderatione seu temperantia affectuum. 2. Sumitur *specialius* pro virtute, quæ omnes voluptates corporis ad mediocritatem redigit. 3. *Specialissime*, pro ea virtute, quæ gustus & tactus voluptates ac dolores subigit & ad mediocritatem redigit: hoc sensu hîc agimus de Temperantia.

III. *Temperantia est virtus moralis servans mediocritatem (a) in expetendis & fruendis voluptatibus, & perferendis doloribus, ex absentia voluptatum nasci solitis, circa cibum, potum, & Venerem, seu res gustui & tactui objectas. Temperantiam esse virtutem*, sic probamus. 1. *Quodcunque hominem facit bonum, & hominis opus reddit laude dignum, est virtus.* At temperantia hoc facit. Ergo, &c. 2. *Circa quod cadit excessus & defectus, circa id cadit virtus.* (*b*) Sed circa cibum, potum, Venerem, cadit excessus & defectus. Ergo, &c. (*c*) *Objectum internum* Temperantiæ, est cupiditas; *externum*, sunt res quæ gustui & tactui objiciuntur, aut potius voluptas & dolor, quæ ex istis rebus nascuntur. *Primarium* quidem objectum sunt voluptates, *secundarium* dolores: sed quæritur, *An circa quaslibet voluptates versetur Temperantia?* Resp. cum *Arist. l. Eth.* 3. *c.* 10. voluptatum esse varia genera: Voluptates sunt vel ψυχικαὶ, quæ τὴν ψυχὴν animum suavi commotione afficiunt, vel σωματικαὶ, quæ corpus afficiunt & sensus suavi commotione. Animi voluptates non sunt ejusdem generis apud *Aristotelem*: sed percipiuntur, vel ex contemplatione rerum, vel ex conversatione & colloquio Amicorum, vel ex consecutione & adeptione earum rerum, quas expetere solemus, ut sunt divitiæ, honores, amici, liberi, omniaque ea quæ in bonorum numero recensentur. Corporis voluptates, vel sunt homini propriæ, vel sunt ei cum brutis communes, utræque vulgo vocantur αἰσθητικαὶ sensibiles, quia sensus externos movent atque afficiunt; propriæ hominis voluptates sensuales sunt, quæ ex visu, auditu, & olfactu percipiuntur: communes, quæ ex gustu & tactu. Temperantia non versatur circa voluptates animi: neque enim, qui v. c. summos honores debite expetit, ideo vocatur Temperans, aut qui nimium, intemperans, sed vel magnanimus vel ambitiosus; sic nec, qui pecuniam debite expetit, dicitur Temperans, sed liberalis; nec, qui non debite, intemperans, sed avarus. Non versatur etiam Temperantia circa quaslibet voluptates corporis, non certe circa eas, quæ visu, auditu, & olfactu, percipiuntur: neque enim, qui ex visu capiunt voluptatem, ut ex coloribus egregiis picturisque elegantibus, vel moderatam, vel immoderatam, ideo dicuntur vel Temperantes, vel Intemperantes. Eadem est auditus ratio: si quis enim impense delectetur cantionibus & melodiis, non potest idcirco

circo dici intemperans, nec temperans si delectetur debite. Eodem modo sese res habet circa odoratum. Per accidens tamen, quatenus res visæ, auditæ, olfactæ, in nobis gignunt inordinatum appetitum sui, possumus ab iis denominari intemperantes: ut si quis audiendis sermonibus obscœnis fœdam sentiat in sese irritari libidinem, is hoc ipso redditur intemperans; & sic porro. Solæ ergo voluptates ex gustu & tactu verum ac proprium sunt objectum Temperantiæ, quæ homini cum belluis sunt communes, inde θηριώδεις bellinæ dicuntur; magis tamen in tactus quam in gustus voluptatibus suum exequitur munus Temperantia, quia voluptates tactus sunt majores ac pleniores: nam tactus per totum diffunditur corpus, & in omnibus corporis partibus recipitur: non sic gustus, qui in cuspide tantum fit linguæ, atque in palato: unde qui rem aliquam sunt gustaturi, leviter eam attingunt; tales, quatenus ex levi attactu per linguæ cuspidem facto, aliquam, sed exiguam capiunt voluptatem, intemperantes propriè dici nequeunt. Quod de voluptatibus diximus, eas non quaslibet sed certas esse Temperantiæ objectum, id ex oppositio de doloribus intelligendum est quoque, non animi, nec eos, qui ex visu, auditu, & olfactu, sed vero illos, qui ex gustu & tactu acquiruntur, esse objectum Temperantiæ. Sunt porro voluptates, vel honestæ vel turpes; utræque vel præsentes vel absentes. Temperans voluptatibus honestis, si sint præsentes, moderatè utitur, si absint, non nimis dolet: intemperantes contrà. Turpes voluptates, sive præsentes, sive absentes, in totum aversatur temperans: at iis præsentibus delectatur intemperans, & ob earum absentiam dolet.

(a) Hæc verba *servans mediocritatem* fuerunt posita in generali definitione virtutis moralis: ideoque hic omittenda sunt.

(b) Ambæ hæ majores non sunt universaliter veræ, quia, & affectus, & actiones virtutem producentes, hominem faciunt bonum, hominisque opus reddunt laude dignum, admittunt excessum & defectum, nec tamen ipsi affectus aut actiones virtutem producentes, sunt ipsa virtus.

(c) Voluptas & dolor interdum sumuntur late pro adjuncto omnium virtutum ac vitiorum; quotiescunque enim aliquam virtutem exercemus, post illam exercitam gaudemus & ex illa voluptatem capimus; contra quoties peccamus, aut virtutem aliquam exercere impedimur, tristamur ac dolemus, hoc modo circa voluptatem & dolorem versatur fortitudo: nam quicunque præclare in bello rem gessit, voluptate afficitur; contra, qui infeliciter rem gessit, dolore corripitur: interdum hæc vocabula sumuntur strictius, & significant non adjunctum, sed ipsum objectum virtutum quarundam internum, ac tum significant affectus duos, qui alio nomine vocantur gaudium & tristitia: denique specialissime accipiuntur pro voluptate ac dolore ortis ex præsentia aut absentia cibi, potus ac Veneris, uti hic.

IV. A definitione transimus ad *divisionem* Temperantiæ. Dividitur non male in *Frugalitatem* & *Castitatem*, Frugalitas in *Abstinentiam* & *Sobrietatem*. *Abstinentia* est Temperantia circa cibum. *Sobrietas est* Temperantia circa potum. *Castitas est* Temperantia circa Venerem. Notandum est hic, vocem Abstinentiæ sumi hic specialius quam cum significat cujuslibet rei illicitæ fugam, quo sensu dicimus, sustine & abstine.

V. *Extrema* seu *vitia opposita* Temperantiæ sunt, in defectu ἀναισθησία, Latine insensibilitas seu stupor, in excessu ἀκολασία, intemperantia. *Stupor* Latinis accipitur, vel pro ingenii tarditate, amentiâ, stultitiâ, vel pro aversatione voluptatum non vitiosarum: postremo sensu hic venit: estque vitium, quo liciras & concessas etiam voluptates quis aversatur atque aspernatur: Hoc quidem vitium inventu est rarissimum. Vocatur ἀναισθησία, quia talis nihil amplius sentire videatur. *Intemperantia*, vitium in excessu temperantiæ, dicitur ἀκολασία, quæ vox & pueris convenit & intemperantibus: utrique enim à suis rapiuntur cupiditatibus, ac castigatione & moderatione indigent: descendit enim à Græco κολάζειν, quod est, *castigo*, *coërceo*, *prohibeo*: oportet enim cupiditates, & in pueris & præsertim in intemperantibus κολάζεις, castigari ac coërceri, ut sint moderatiores, & ne rationi adversentur, quæ quia in intemperanti nullo modo sunt coërcitæ ac castigatæ, rectè intemperantia dicitur ἀκολασία. Est hoc vitium, quo quis anxiè nimis voluptates appetit si absint, furiosè nimis & immoderatè ample-

amplectitur, si adsint, nimio dolore afficitur, si eas consequi non valeat. Intemperantia in cibo peculiari voce dicitur Voracitas, in potu Ebriositas, in venere Libido. Peccat intemperans in excessu, multis modis: 1. in qualitate, cum, quæ jucunda sunt, promiscue sine ullo concupiscit discrimine: 2. in quantitate, cum plures & majores voluptates concupiscit quam convenit: 3. in modo, cum à voluptatibus instar pecudis quaquaversum rapitur & abripitur, easque rebus quibusvis, etiam honestis, præfert: 4. in circumstantiis, cum nec loci, nec temporis, nec personarum, ullam habet rationem, modo suis fruatur ac potiatur voluptatibus.

VI. De *extremo* utroque *vitio oppositio Temperantiæ*, solent ab *Ethicis* quædam quæstiones disputari. Quæritur 1. *An recte ἀναισθησία Philosopho collocetur inter vitia?* videtur enim multis, illa à voluptatibus omnibus in totum abstinentia, laudabilis. R. recte à *Philosopho ἀναισθησίαν* numerari inter vitia: quippe quæ contra naturam hominis est, non vegetantem modo ac sentientem, sed & rationalem: est enim habitus, quo minus alimenti sumimus, quo minus delectamur voluptatibus necessariis, quam postulat ipsa naturæ conservatio, aut personæ conditio, aut similis circumstantia: natura hominis *ἀναισθήτε* vegetans plus vellet alimenti, & sentiens plus vellet voluptatum: imò & natura rationalis deberet ex voluptatibus, vel corpori necessariis, vel valetudini non contrariis, habitâ ratione circumstantiarum, plures præscribere. Certe cum natura, Deus naturæ author, adsperserit homini atque inseverit (*a*) quasdam voluptates, ad singulorum individuorum salutem ac conservationem, in usu cibi & potus, ad speciei propagationem, in Venere, illas aversari ac spernere contra omnem est humanitatem. Homini, secundum naturam & rectam rationem, est vivendum. At hæ voluptates secundum naturam sunt, & rectâ ratione regi possunt. Ergo secundum eas est vivendum. Et, qui eas in totum contemnit, contra naturam facit ac rectam rationem. Vitium itaque est *ἀναισθησία*, sed minus tamen quam est intemperantia, quia ab hoc extremo in defectu facilius ad mediocritatem Temperantiæ transitur, quam ab altero extremo in excessu, à quo ad temperantiam ipsam transitus est difficilior.

(*a*) Deus Opt. Max. cibum ac potum concessit hominibus, ut singuli homines individui conservarentur aliquandiu in vita, quam ab illo acceperunt; concessit iisdem Venerem legitimam, seu conjugii & congressus liciti usum, ut natura humana propagaretur, & sic genus humanum tanquam species una ex variis creaturarum speciebus non desineret: sed insuper voluptatem quandam posuit honestam in illis mediis, usu scil. cibi, potus, & Veneris, debito, quibus individuorum hominum vita producitur, & naturæ humanæ species perpetuatur, sic ut absque peccato voluptas aliqua sed moderata ex istarum rerum usu percipi valeat: omne vitium positum est solummodo in hujus voluptatis & doloris contrarii excessu ac defectu.

VII. Quæritur 2. An recte *Aristoteles c. 10. l. 3. Eth.* circa finem, *Intemperantiam* asserat *esse vitium turpissimum maximeque probrosum?* Resp. omnino: nam maxime pugnat cum hominis excellentia, dignitate, splendore, quibus hominem exuit, & feris ac brutis eum reddit similem; unde hoc vitium *Arist.* istic loci dicitur *θηριώδες*, i.e. belluinum.

VIII. 3. Quæritur, *an Ebrietas excuset peccatum?* Resp. Distinguenda est ebrietas ab ebriositate: illa actum, hæc habitum significat: Potest actu quis inebriari, & per alterius deceptionem, si non satis noverit, aut alterius fraudem: sic aliquo modo excusat peccatum ebrietas, à tanto, inquiunt vulgo, non à toto. At ebriositas, quæ est habitus inebriandi se, cum quis ex prævia intentione, ob delectationem quam habet ex potu, eo se sciens & volens onerat ad rationis amissionem, à peccato non excusat. Cætera de Temperantia continentur Annexis.

ANNEXA.

1. *An per leges Temperantiæ bis de die comedere liceat? Aff.*

2. *An repugnet Temperantiæ interesse conviviis? Neg.*

3. *An virginitas sit licita? Aff.*

4. *An virginitas sit simpliciter melior conjugio? Neg.*

5. *An per Castitatis leges liceat choreas mixtas instituere? Neg.*

DISPU-

DISPUTATIONUM PRACTICARUM VIGESIMA-SECUNDA.

DE

LIBERALITATE.

THESIS I.

EX Virtutibus *Fortitudinem* & *Temperantiam*, expoſuerunt Diſputationes præcedentes: egeratque de iis *Ariſt. l. Eth. Nicom.* 3. De virtutibus aliis agit *l.* 4. & 5. atque ex undecim, quas propoſuerat *l.* 2. *Eth. c.* 7. explicat octo *l.* 4. ſingulas ſingulis capitibus; quarum duæ verſantur circa divitias, *Liberalitas & Magnificentia*, duæ circa honores, *Magnanimitas & Modeſtia*, una circa iram, *Manſuetudo* ſeu *Clementia*, tres circa quotidianam converſationem, *Comitas*, *Veritas*, *Vrbanitas*: Poſtremam undecim virtutum, *Iuſtitiam*, explicat late *lib.* 5. Nos, eodem ordine, quo *Ariſtoteles*, omnes & ſingulas publicæ diſquiſitioni ſubjiciemus, & Philoſophi vitula arabimus, quo nemo fere melius earum naturam explicare valeat. Faciemus cum ipſo initium à *Liberalitate*, ſic enim orditur *l.* 4. *Eth.* Λέγω μὲν δ' ἐξῆς περὶ ἐλευθεριότητος.

II. Ἐλευθεριότης, ἀπὸ τοῦ ἐλευθέρου, à libero, vel ἀπὸ τῆς ἐλευθερίας, à libertate, derivatur, uti *Lat. vox Liberalitas*, à *Libero*, vel *Libertate*, deducitur, quia ſc. ἐλευθεριότης τὸ ἐλεύθερον, liberalitas hominem liberum, maxime decet: & in eo magis reperitur, quam in homine ſervo ac ſordido, vel quia facit hæc virtus, hominem libenter largiri: nonnulli hanc vocem à *liberando* deducunt; vel quia beneficia à liberali profecta alios à paupertate liberant, vel quia ipſos liberales hæc virtus liberat à ſervitute divitiarum, quarum alioquin fierent facilè ac forent mancipia. Qui hanc vocem, ἀπὸ τοῦ λοιβῆς, à *libatione*, derivant, quod, ſicuti libatio omnis debebat eſſe ſpontanea & ultronea, ita nullibi magis τὸ ſponte cernatur, quam in hac virtute, illi paulo longius abeunt in hujus vocis explicatione; adjuvantur tamen veterum inter Latinos ſcriptione, quæ erat *Loiber* pro *Liber*, teſte *Feſto*. Liberalitas interdum ſumitur καταχρηστικῶς *improprie*, quo ſenſu, vulgus, hominem prodigum & ſua largius communicantem, vocare ſolet liberalem, vel κυρίως, *proprie*, & tum, aut in genere, pro omni δωρεσίᾳ, beneficentiâ, etiam ipſa Magnificentiâ, aut in ſpecie, pro hac, de qua agimus, Virtute, quam ex Ariſt. primo *textu c.* 1. *l.* 4. *Eth.* definimus, εἶναι μεσότητα περὶ τὰ χρήματα, eſſe mediocritatem circa pecunias; μεσότης, id eſt, ἀρετὴ ἐν μεσότητι οὖσα. Eſt enim hæc (*a*) definitio, ut loquuntur vulgò, cauſalis, i. e. per ſolam cauſam: uti Eclipſis definitur, Interpoſitio terræ inter ſolem & lunam. *Objectum* Liberalitatis facit *Ariſt.* τὰ χρήματα, qua voce non tantum intelliguntur pecuniæ, id eſt, nummi ſignati, ſed quælibet opes ac poſſeſſiones, quarum pretium pecunia vel nummis æſtimari ac menſurari ſolet ac poteſt, uti ſunt agri, ædes, villæ, ſupellectilia, & alia omnia, quorum eſt in vita humana uſus: dicuntur enim, χρήματα, ἀπὸ τοῦ χρήσιμος, ab uſu, quaſi dicas χρήσιμα utenſilia aut utilia, quæ ſui habent uſum in vita ſuſtinenda ac toleranda. Verſatur vero ἐλευθεριότης περὶ τὰ χρήματα, ἐν τῷ δίδοναι καὶ ἐν τῷ λαμβάνειν, in dandis & accipiendis pecuniis. In dandis pecuniis, earum χρῆσις uſus; in accipiendis, κτῆσις poſſeſſio cernitur. Χρῆσις δ' εἶναι δοκεῖ χρημάτων, δαπάνη καὶ δόσις ἡ δὲ λῆψις καὶ ἡ φυλακὴ, κτῆσις μᾶλλον. Uſus verò eſſe videtur divitiarum: ſumtus & datio: ſed acceptio & cuſtodia, poſſeſſio magis *ſc. videtur*, inquit *Ariſt.* paulo poſt initium *c.* 1. *l* 4. *Eth.* Vſus pecuniarum conſiſtit, vel in ſumtibus circa rem domeſticam & familiarem faciendis, vel in dando & erogando: *poſſeſſio*, vel in acquirendo, quando eas aliunde accipimus, cum non habe-

mus, vel in cuſtodiendo, cum acceptas conſervamus. Hæc *Ariſtotelis* eſt de *Liberalitate cap. cit.* Philoſophia, quam eſſe ſolidam, ulterius ex ipſo demonſtratum ibimus.

(a) Definitio Cauſalis dicitur, cum in definiendis Accidentibus omiſſo genere, & ſubjecto inhæſionis, illud definitur per ſolam Cauſam, aut per Cauſam & objectum, uti hic liberalitatem definit Ariſtoteles.

III. Liberalitatem eſſe virtutem περὶ τὰ χρήματα, circa pecunias, ſic probat *Philoſ. loc. cit.* ὧν δ' ἐστὶ χρῆσις, ἐστὶ τούτοις χρῆσθαι, τῷ δὲ τῷ καλῶς, Quorum v. eſt uſus aliquis, eſt iis uti, vel benè vel malè. Hinc ſic argumentamur. Quibus rebus bene poſſumus vel male uti, circa ea eſt virtus. Atqui τοῖς χρήμασι, pecuniis, bene vel malè poſſumus uti. Ergo &c. At circa τὰ χρήματα, pecunias, non eſt fortitudo, non temperantia, non magnanimitas, non veritas, &c. Ergo &c. *Except. Bene vel malè uti divitiis pertinet ad juſtitiam, quæ medium tenet, & in accipiendo & in dando, ut redeat ad unumquemque, quod ſuum eſt.* Reſp. Juſtitia, quicquid dat, ex debito dat, & quicquid accipit ex merito accipit. (a) At liberalitas non dat ex debito ſed ſponte, & accipit non ex merito ſed ſponte: ideoque, licet utraque hæc virtus verſetur circa τὰ χρήματα, pecunias, non tamen eodem modo: Juſtus verſatur in pecunia aliena, quæ alteri debetur, quia meritus eſt, &, ſi retineat, retinet pecuniam non ſuam, quia eſt merces debita alterius: at liberalis verſatur in ſua pecunia, quæ nulli debetur: (b) juſtus dat alteri, quod alterius eſt; liberalis dat alteri, quod ſuum eſt. *Inſt. At liberalitas dat etiam ex debito, nam debet ac tenetur egenti proximo ſuccurrere liberalis.* Reſpond. Illa eſt debitio moralis tantum & congruens ex lege charitatis, at non, ut ſic loquar, Phyſica aut meritoria: id eſt, egenus nullam operam locavit liberali, qua ſit meritus ejus opem, aut per quam obſtrinxerit liberalem, ut ipſe vi obſtrictionis debeat, ex vera, & ſtricta, & propriè dicta debitione, egeno confert tale ſubſidium, tanquam operæ collocatæ mercedem ac pretium: (c) præmium eſt, quod dat liberalis & ultro, non pretium ex merito. Decidemus hanc rem verbis *Victorini Strigelii commentar. in Ariſt. Eth. l. 4. p. 332. Juſtitia præſtat debitum civili obligatione, videlicet, quod leges & Magiſtratus jubent ſolvi. Sed liberalitas communicat id, quod naturali obligatione debetur: ut, quanquam Samaritanus nihil debebat propter edictum aliquod Magiſtratus ſaucio jacenti in viâ, tamen debebat naturali obligatione, quia quoddam naturale fœdus eſt hominum inter ſe, quod præcipit, ut alterius vitæ unuſquiſque, quantum poteſt, opem ferat. Vetus dictum eſt, Liberalitatem dare quidem, indebitum perſonæ, ſed dare debitum ſpeciei, id eſt, communi ſocietati, quæ ſine ea non poteſt conſervari: ſed multo illuſtrius eſt dicere, dare eam debitum Deo,* (d) *quia vult Deus* &c.

(a) Quod hic dicitur de Juſtitia & Liberalitate in abſtracto, hoc intelligendum de Juſto & Liberali in concreto.

(b) Juſtus cum dat pecuniam alteri, eam dat ex pacto, Conventione, aut Contractu inito inter ſe & proximum, ut cum ædificans certam pecuniæ ſummam ex ſtipulatione debitam operariis perſolvit; Liberalis non dat ex pacto, ut cum aliquis mendico dat ſtipem, neque enim ulla conventio facta eſt inter dantem & mendicum, ut ejus vi & obligatione mendico ſtipem tradere teneatur is, qui dat. Præterea, Juſtus cum perſolvit mercedem laboranti debitam, pro labore dat pecuniam non amplius ſuam, quamvis hactenus poſſederit, ſed eam, quæ facta eſt laborantis propria per & propter ſuum laborem: ſed cum Liberalis ſtipem largitur mendico, dat pecuniam ſuam, & quæ nullo modo facta eſt propria mendici: operarius pecuniam, quam aufert, labore ſuo meruit, mendicus non item.

(c) *Præmium* dicitur, id quod datur abſque ullo merito Accipientis in dantem collato. *Pretium* dicitur, id quod datur propter meritum Accipientis danti collatum: aliter dicitur merces, præmium, & gratuitum, merces ex debito; unde vita æterna, Rom. 6. uſu ultimo dicitur præmium, non pretium, aut merces, quia non confertur ex merito Accipientis hominis, nec ex debito dantis Dei.

(d) Qui dat egenti ſtipem, quia Deus juſſit, dicitur liberalis, & agere ex lege Charitatis, quæ jubet proximo bene facere: qui mercedem perſolvit ob laborem, quantum ille meritus eſt, quia Magiſtratus jubet, juſtus eſt, & dicitur agere ex lege Civili: & quamvis etiam hoc poſtremum Deus juſſerit, tamen quia peculiares leges exſtant humanæ de pretio perſolvendo pro labore præſtito, non item de danda Eleëmoſyna, ideo quando quis perſolvit merce-

mercedem alteri debitam, justus dicitur, & non liberalis, nam justitia respicit leges Civiles, non item liberalitas: & quando liberalitas dicitur dare indebitum Personæ, sensus hic est, quod huic, aut illi mendico singulari, Petro, aut Paulo mendico individuo, non tam teneatur dare stipem liberalis, quam quidem speciei, i. e. homini, qui est species respectu Petri & Pauli, date tenetur ex lege Charitatis; hæc enim jubet, ut diligamus proximum, per proximum intelligendo hominem in specie.

VI. *Objectum* Libetalitatis fecimus τὰ χρήματα, quod de objecto *externo* intelligi debet: nam *internum* objectum hujus virtutis est *amor & cupiditas divitiarum*. Quid per χρήματα intelligatur, *th.* 2. est dictum: nempe, divitiæ; (*a*) tum naturales, pecora, fruges, agri &c. tum artificiales, nummi; uno verbo, *quicquid pretio seu nummis signatis æstimari potest*. Quæritur hic, *an non aliud quoque, quod pretio æstimari nequit, sub liberalitatem cadat? Quid enim si quis sine pretio liberaliter doctrinam suam atque eruditionem communicet alteri, nonne hæc liberalitas fuerit dicenda? & tamen bonum doctrinæ atque eruditionis est tale, ut pretio commensurari, aut pecuniis compensari, nunquam possit.* Ut hunc dissolvamus nodum, notandum venit, valdè impropriam esse phrasin hanc, quando doctrina aut eruditio dicitur communicari liberaliter: qui enim aliquid communicat aut dat liberaliter, is rem aliquam, quam possidet, transfert ac tradit in potestatem alterius, ut hoc, quod dat & communicat, amplius non possideat, aut saltem, si dominus ac possessor & proprietarius maneat, transfert ejus rei usum in alium, ut amplius ea re uti ipse non valeat, quam communicavit aut donavit: ita ut liberalis, aut dominium, aut usum rei, amittat, vel transferat in eum, cui donat eam aut communicat liberaliter. At, qui eruditionem liberaliter alteri communicat, is suæ eruditionis, nec dominium, nec usum, amittit: neque discipulus possidet aut utitur scientia sui præceptoris, sed sua sibi propria, ac, quæ diversa est à præceptoris sui scientia: præceptor laborem suum in docendo communicat liberaliter, qui redimi potest nummis: at eruditionem suam non communicat, quia & κτῆσιν & χρῆσιν ejus sibi servat. *Instant.* 1. *At corpus humanum alteri in usum tradi potest ad rei alicujus effectionem: illud autem pretio nullo commensurari potest.* Resp. Qui sui corporis usum commodat alteri, ipse sui corporis manet dominus & ipse eo utitur: itaque nulla hic est transportatio, qualis exigitur in liberalitate: usus verò sui ac proprii corporis alteri commodatus potest redimi pretio. *Instant.* 2. *Sed quid? si quis in servitutem sese alteri det, ut ab alio, sc. Domino alteri donetur. Hîc certè corporis dominium transfertur.* Resp. Hîc nullo modo corporis dominium transferri: neque servus potest sui corporis dominium transferre alteri, cui in servitutem sese addicit, neque dominus servi; sed utrimque tantum transfertur usus corporis humani commodatus, qui potest pretio redimi: sc. ne ipsi quidem nos sumus domini vitæ nostræ aut corporis nostri, sed usurpatores tantum; hanc usurpationem, hunc usum, transferre possumus, dominium non item: Si enim servus dominium sui corporis transferret alteri, posset is alter de corpore servi disponere, uti vellet; dominus enim rei, disponit de re sua, uti vult: at non potest sic dominus disponere de corpore sui servi, uti vult; nam etiamsi vellet, non tamen posset occidere (*b*) potentia, sc. Ethica ac legali, quia illam potestatem in corpus servi non accepit. Quin! ne ipse quidem servus sic sui corporis est dominus: sed solus Deus, ut vitæ necisque est arbiter, ut omnium hominum, imo rerum omnium, ita corporum humanorum solus est dominus.

(*a*) Divitiæ vocantur natutales, quæ ab ipsa sunt natura, aut potius à Deo, authore naturæ: artificiales, quas invenit industria humana, qualis est pecunia. Cum enim Antiqui merces mercibus commutare solerent, unde mercatura est dicta, nec unusquisque semper esset instructus illis mercibus quibus alter egeret, inventus est nummus signatus qui vicem mercium commutandarum servaret, quod etiamnum hodie obtinet.

(*b*) Potentia legalis sive Ethica dicitur, qua aliquis quippiam potest per leges, quia illud legibus est permissum, & opponitur potentiæ physicæ, qua aliquis quippiam potest viribus naturæ, sive sint corporis, sive animi: sic potest potentiâ physicâ robustior occidere minus robustum,

ſtum, potentiâ ſcil. phyſicâ, ſed non poteſt potentiâ Ethicâ, quia ipſi non licet.

V. Diximus ex *Ariſt. th.* 2. liberalitatem duobus circa τὰ χρήματα actibus occupari, *dando & accipiendo*: per τὸ *dare*, non ſimpliciter intelligitur *donare*, ſed etiam *ſumtum facere & impendere* rebus neceſſariis & honeſtis: per τὸ *accipere*, non ſolum intelligitur τὸ *capere*, ſed *cuſtodire* ac ſervare res datas vel acceptas. Liberalitatem conſiſtere etiam in accipiendo, contra *Timpler. Eth. Gener. l.* 3. *c.* 9. *quæſt.* 2. ſic probamus. Si liberalitas tantum in dando conſiſteret, facile foret, ut evacuaretur liberalis ſemper dando: ne itaque pecunia exhauriatur, & liberalitatis materia omnis dilabatur; quo diutius date poſſit, neceſſe eſt, ut interdum accipiat: ac, ne nimium quoque accipiat, eum docebit liberalitas. *Magis tamen in dando quam in accipiendo liberalitatem eſſe ſitam, cum Ariſt. loc. cit.* pronunciamus, moti ejus rationibus, quas ex *Andronici Rhodii in Eth. Nicom. Paraphraſi*, per nobiliſſ. Virum ac fulgens Academiæ noſtræ etiamnum lumen, *D. Danielem Heinſium*, Latine reddita, hic apponimus. *In uſu ergo pecuniarum verſatur liberalitas: uſus vero magis eſt dare, quam accipere. Sed & magis virtus videtur, beneficio afficere quam affici, &, quæ honeſta ſunt agere, quam, quæ turpia ſunt, non agere. Accipere enim, unde oportet, eſt beneficio affici, ſicut non accipere, unde non oportet, eſt, non turpia agere. Præterea, id quod magis laudatur, magis etiam virtuti convenit: dare autem ut oportet, quam accipere, magis laudatur: gratia quippe & laus magis tribuitur ei, qui dat, quam qui non accipit. Ad hæc, in difficiliori occupatur virtus: difficilius autem eſt, ut oportet, dare, quam accipere aut non accipere, ut oportet: ſuum enim ipſius dimittere, multo eſt difficilius quam alienum remittere. Quare magis liberali convenit, dare honeſtè, quam aut non accipere, aut accipere honeſtè.* Videantur cætera apud ipſum *Andronicum Rhodium*, atque alios *Commentatores in Eth. Ariſt.*

VI. Nunc porrò videndum, quænam ſint *officia* viri liberalis, *tum in dando, tum in accipiendo*: atque hæc quoque ex *Ariſtotele* deſcribemus, quem ὁδηγὸν, viæ ducem, eſſe in *Diſp. Philoſophicis*, conſuetudo obtinuit. Is igitur *cap. cit.* liberalitatem in *dando* rectè exerceri cenſet, ſi finis obſervetur, propter quem, & modus, quo exerceri debet. *Finis*, ut omnium virtutum, ita liberalitatis, eſt ſola *honeſtas*: itaque, qui beneficia aliis conferunt, vel oſtentationis cauſa, vel ut majora beneficia viciſſim reportent, vel ut favorem & gratiam aliorum ſibi concilient, vel ut per ea ad honores in magiſtratu perveniant, vel ut ab importunitate petentium liberentur, vel propter quamcunque cauſam præter honeſtatem, liberales non ſunt. *Modus* exercendæ liberalitatis eſt, ut detur ὀρθῶς, *rectè*. Atque hic quinque potiſſimum obſervari debent circumſtantiæ: *Perſona*, *Quantitas*, *Tempus*, *Locus*. *Perſona*, conſideranda eſt, vel dantis, vel accipientis. In perſona dantis, ſpectandus eſt animus, ut det ἡδέως καὶ ἀλύπως, ſuaviter & ſine triſtitia: in perſona accipientis videndum eſt, utrum (*a*) dignus ſit noſtris beneficiis: itaque *Ariſt.* monet non eſſe dandum, τοῖς τυχοῦσιν, id eſt, quibuſlibet ſine diſcrimine. Circa *quantitatem* beneficiorum, ſpectari debent, facultates dantis, ut det pro ratione ſuarum opum, ne ſeſe exhauriat: item conditio accipientis, ut cuique detur pro ratione paupertatis. Quoad *qualitatem*, dandum eſt ex propriis & non ex alienis opibus: & danda ſunt accipienti, quæ profutura non obfutura ei ſunt. Quod ad *tempus*, notum eſt vetus dictum: Bis dat, qui cito dat. In tempore ſubvenire, omnium rerum eſt primum. Quod ad *locum*, dandum eſt, ἔνθα καλὸν, ubi honeſtum eſt. Quæ honoris ergo dantur beneficia, palam; quæ egeſtatis ſublevandæ causâ, clam debent conferri. Officia *accipientis in accipiendo*, ſunt; 1. Liberalis non accipit, unde non eſt accipiendum. 2. non eſt petax, ἀιτητικὸς· magis enim cupit, beneficium dare, ſi poſſet, quam accipere. 3. ſtudet honeſtis rationibus ſuas facultates augere, ut poſſit, non ab aliis accipere, ſed de ſuo largiri. Quæ de liberalitate quæri amplius poſſent, *Annexa*, &, extrema, *diſp. ſeq.* exhibebunt.

(*a*) Dignus dicitur hoc loco, non qui aliquod beneficium danti contulit, aut officium aliquod præſtitit, aut operam ſuam impendit, & ſic alterius

terius beneficentiam meruit, sed qui virtute est præditus, & qui vir existit probus: liberalitas enim exercenda est in virum bonum atque honestum, & non in virum improbum, atque nebulonem.

ANNEXA.

1. *An verum & adæquatum objectum liberalitatis sint pecuniæ? A.*

2. *An liberalis quandoq; etiam indignis dare debeat? N.*

3. *An, qui multa dat, semper sit liberalior eo, qui pauca dat? N.*

4. *An communio bonorum in bene constituta Rep. sit toleranda? N.*

5. *An pauper etiam possit esse liberalis? A.*

6. *An liberaliores sint, qui suo labore divitias acquisiverunt, an qui hæreditate aut alio modo aliunde eas acceperunt? Resp. posteriores.*

7. *An quis possit esse in seipsum liberalis? N.*

8. *An liberalis ditescere possit? A.*

9. *An liberalis sit, qui de alienis largitur? N.*

10. *An benefactores, propter beneficia data, magis ament beneficiarios, an hi, propter accepta beneficia, benefactores? Resp. prius verum est.*

11. *An aliquando liceat beneficia exprobrare? N.*

12. *An in senes & pueros quoque sint conferenda beneficia? A.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM VIGESIMA TERTIA,

DE LIBERALITATIS EXTREMIS ET MAGNIFICENTIA.

THESIS I.

Liberalitas, quæ ac qualis sit virtus, abunde *Disputatio* exposuit superior: *extrema* ei opposita vitia explicare vetuit chartæ angustia. Ea nunc simul cum *Magnificentia* proponemus atque exponemus. Sunt extrema duo Liberalitatis, *Prodigalitas* & *Avaritia*: quæ diversa ratione & excedunt & deficiunt; prout Liberalitas versatur, vel in dando seu δόσει, vel in accipiendo, seu κτήσει. Ratione δόσεως, in dando, avaritia defectus est, prodigalitas excessus. Ratione κτήσεως, in accipiendo, avaritia est excessus, prodigalitas defectus. Sæpe tamen hæc vitia commiscentur, quod ex singulorum explicatione patebit.

II. *Prodigalitas*, Græcis dicitur ἀσωτία, ab α patticula privativa. & σώζειν, quia prodigi, nec se, nec opes suas servant, aut servare possunt: monet tamen *Aristoteles* in textu *lib. Eth. 4. c. 1.* ἀσωτίας nomen ambiguum esse, & non solum de profusione pecuniarum, sed & de intemperantia ac luxuria dici, deque omnibus vitiis, quibus prodigalitas famulatur: nam intemperantes & luxu perditos homines ἀσώτους Græce vocamus: unde & ἔχειν ἀσώτως, Græcis est, perdite vivere, & rem suam profundendo perdere, quod liquet ex illo *Martialis* versu: *Et potas, & amas*, ἔχεις ἀσώτως.

III. *Prodigalitas* est, vel *simplex*, vel *mixta*. *Simplex* est, qua quis temere absque ullo suo commodo facultates suas profundit, modum omnem in dando excedit, &, neque honestatis, neque decori rationem ullam, in largitionibus suis habet, nihilque ab aliis accipere cupit. *Mixta* est, qua quis, in dando non tantum, sed & in accipiendo, modum excedit; ut, si quis non tantum opes suas temere profundat in libidines ac voluptates, sed insuper aliis eorum bona per injuriam aufert, ut habeat, unde possit aliis largiri: & talis non tan-

tum est prodigus, sed & avarus, & injustus, & intempetans, & variis vitiis aliis inquinatus.

IV. *Avaritia Arist.* Græce dicitur ἀνελευθερία, quæ vox in genere significat *illiberalitatem*, possetque dici de omni vitio, quod liberalitati opponitur, sed κατ' ἐξοχὴν huic alteri extremo tribuitur: dicitur & πλεονεξία, cupiditas plus habendi, & φιλαργυρία, amor pecuniæ. *Avaritiam esse ἀίατον, insanabilem, l. Ethic. Nicom. 4. c. 1. cit.* probat *Aristoteles.* 1. Quia senum est propria: at vitia senectutis non facile corriguntur. 2. Quia magis est naturalis & congenita homini: pletique enim mortalium magis sunt φιλοχρήματοι, ablativi, quam δοτικοὶ; dativi casus. Rationum hatum deductio plenior videri potest in *textu cit.* & *commentariis* ad eum.

V. *Avaritia* est, vel *simplex*, vel *composita*. (*a*) *Simplex* est, vel quæ dando deficit, sine λήψεως excessu; vel quæ accipiendo excedit, sine δόσεως defectu. *Composita*, quæ & dando deficit, & accipiendo modum excedit. Atque hæc omnium est pessima. Ad *priorem* simplicis avaritiæ speciem pertinet φιδωλία, *nimia parsimonia: ad posteriorem, ars furandi, lenonia, fœneratoria, aleatoria*, & omnis illa, qua indebito modo bona alteri subripiuntur ex eorum cupiditate: atque hinc liquet, avaritiam sæpissime esse conjunctam cum injustitia: quam ob causam *Aristoteles* interdum dicit, (*b*) *& avaritiam esse quandam injustitiam*, & *aleatores, fœneratores, fures* (qui injusti sunt omnes) *esse avaros.* Nempe, si aleator, fœnerator, fur, primatio præcipuoque consilio velint injuriam facere, secundario lucrari, injusti sunt proprie: si contra primo ac per se velint quæstum facere, secundario id velint agere per clancularíam aut artificiosam captionem ac subductionem, avari sunt proprie.

(*a*) Simplex vitium dicitur, quod opponitur Virtuti uni, & Vitium Mixtum, seu Compositum, dicitur, quod non uni sed pluribus Virtutibus opponitur, quia ex pluribus vitiis conflatum est.

(*b*) Aleator, fœnerator & fur, si spectentur quatenus unicuique suum non tribuunt, aut proximo suum non relinquunt, sunt injusti & peccant in Iustitiam: at vero si considerentur in quantum nimium accipiunt, & à proximo auferunt, sunt avari, & peccant in Liberalitatem.

VI. Ita quidem utrumque liberalitatis extremum est expositum. Quæritur ab *Aristotele* & *Interpretibus*; *Vtrum sit majus vitium altero?* Resp. Simplex prodigalitas melior est avaritia simplici. Atque hoc variis rationibus ab *Arist.* est comprobatum. 1. Quod vitium facilius curatur, est minus malum. Sed prodigalitas facilius curatur, quam avaritia. E. Nam aut ætate curatur, aut inopia; ætate, quia quo quisque est senior, eo est in largiendo parcior: inopia, quia fieri non potest, ut, qui omnibus largitur, ei ad prodigendum semper suppetant copiæ. 2. Prodigalitas magis est affinis liberalitati, quam avaritia. Ergo. Prob. anteced. Nam hoc commune est prodigo cum liberali, quod uterque dando prosit alteri: at avarus nulli prodest, ac ne sibi ipsi quidem.

VII. Liberalitati expositæ *c. 1. l. 4. Ethic. Nicom.* subjungit *Arist. c. 2. Magnificentiam*, eo quod pariter circa τὰ χρήματα versetur: ac licet in eadem versentur materia *Liberalitas & magnificentia*, non eadem tamen ac simili ratione. *Liberalitas* latissime patet, & in omnibus occupatur actionibus, in quibus, rei familiaris, pecuniæ, & opum, est usus: at *Magnificentia*, quotidianos, patvos, ac communes contemnit sumtus, solumque occupatur in raris, magnis, inusitatis sumtibus: itaque Liberalitatem superat Magnificentia sumtuum magnitudine: unde & μεγαλοπρέπεια Græcis dicitur, voce composita ἀπὸ τοῦ μεγάλου, quod est magnum, & ἀπὸ τοῦ πρέποντος, quod est decorum seu id quod decet: hinc optime ex *Arist. loc. cit.* definitur, μεσότης περὶ δαπανηρὰς χρημάτων πράξεις, *Mediocritas circa sumtuosas pecuniarum actiones.* At dicet quis, (*a*) *Quomodo potest esse mediocritas hæc virtus, si versetur circa sumtus magnos? magni quippe sumtus mediocritatem excedunt.* Resp. Magni quidem sumtus non sunt medioctes, & recedunt à mediocritate, quæ est in Liberalitate, sed non ab ea, quam exigit Magnificentia: magni quippe sunt, non quod excedant normam & mensuram, quam postulat Magnificentia, sed quod superent sua magnitudine eos, in quibus

bus versatur Liberalitas. Est sane in illis ipsis sumtibus magnis, parum, nimium, mediocre: consequenter & Virtus & Virtuti opposita vitia circa eos occupantur. Virtus hæc *Magnificentia* est.

(a) Objectum Magnificentiæ est vel materiale, vel formale: Materiale, sunt sumptus magni: formale, est mediocritas, quæ servatur in sumptibus magnis faciendis.

VIII. Ex jam dictis dissolvi potest quæstio, quæ moveri solet *ab Ethicis*. An *Magnificentia sit specie distincta virtus à Liberalitate, an vero tantum gradu ab ea distinguatur?* Resp. *Peripatetici* plerique distinctas specie virtutes esse volunt: at nos hic ab iis recedimus: differunt enim tantum secundum magis & minus: at hi gradus diversas species non efficiunt: cum enim utrique virtuti sit proposita eadem materia pecuniæ sc. ut statim est ostensum, magnificentia circa maximas, liberalitas circa mediocres, versatur: adde, actiones utrobique esse easdem, & finem eundem. Nam magnificus sumtus erogat, ut aliis subveniat, sed in eo tantum à liberali differt, quod ille ad magnitudinem quandam, pompam, splendorem rerum magnarum, collimet, hic non item: uterque insuper honestatem pro fine habet: neque enim magnificus ostentationis vel popularis auræ gratia sumtus magnos impendit: neque temere aut inconsultò splendorem suum ostendit: sed, & sui & eorum, erga quos sese magnificum repræsentat, rationem habet imò & facultatum suarum, ne majores iis sumtus faciat: itaque & magnificus, sicut liberalis, honestè agit & juxta τὸ πρέπον.

IX. Etsi vero Magnificentia sit virtus circa sumtus magnos, non tamen statim Magnificus est, qui magnos sumtus facit: ideoque virum *Magnificum suis notis* & proprietatibus *circumscribit Aristoteles*, *loc. cit.* ut inde tanto facilius, quid sit Magnificentia, intelligatur: *Prima* Magnifici *conditio* est ut sit sciens, ac norit, quid, quando, quantum, & quomodo agendum, ut sciat illos facere sumtus, qui rectè utiliter sint facti. Quemadmodum enim periti est artificis, intelligere ac probè cognoscere, rerum, quas artificio tractat, proportionem, ita & magnifici est, nosse sumtuum faciendorum rationem; ut sint consentanei, tum operi, quod faciendum est, tum tempori & loco, ubi faciendi sunt, tum personæ à quâ sumtus ipsi fiunt, aut imperantur: harum circumstantiarum rationem tenere, hominis est scientis. At illud est Magnifici. Ergo. *Secunda conditio* est, omni virturi communis, ut Magnificus, id quod agit splendide agat, ἕνεκα καλοῦ, honestatis ergo. *Tertia conditio* est, ut sumtus faciat magnos & splendidos cum animi delectatione: atque hæc conditio in omni etiam virtutis cujuscunque opere exigitur. *Quarta conditio* est, ut sumptus, quos facit, faciat largè, prolixè, copiosè, ac propemodum effusè: parci quippe est & sordidi, subtiliter rationem inire & calculum facere ἡ γὰρ ἀκριβολογία, μικροπρεπές. *Subtilis illa rationum supputatio, sordida parsimoniæ signum est.* *Quinta conditio* est, ut Magnificus de solâ specie ac pulchritudine operis cogitet nec de precio sollicitus sit: hoc unum allaboret, ut quàm pulcherrimum opus efficiatur, non, quam parvo, & an minori precio, effici queat.

V. Officiis & conditionibus Magnifici expositis, Magnificentiæ *extrema* spectabimus, quæ duo sunt, alterum in defectu, in excessu alterum. Quorum illud μικροπρέπεια dicitur, eo, quod in magnis non servet decorum, sordidè & parum sumtus faciendo: hoc ἀπειροκαλία sive βαναυσία nuncupatur: & ἀπειροκαλία, quasi ἕνεκα ἀπειρίας, decori & honesti imperitia: βαναυσία, à sordidis & imperitis artificibus, qui, divites facti, sordida plerumque & inepta splendoris affectatione laborant, quique magnos sumtus impendunt in rebus parvis. Βαναυσεῖς Græci vocant, opifices sordidos ac viles, & qui manu victum quæritant, propriè tamen illos, qui ad fornaces seu caminos incensos laborant: nam βαῦνος caminum significat ac fornacem & ἄνειν incendere, ut βάναυσοι sint, qui caminum accendunt ad conficienda opera, & in genere sordidi opifices.

VI. Circa βαναυσίαν pariter atque μικροπρέπειαν non uno peccatur modo. Ac circa prius vitium duplici fere peccatur ratione.

1. Ra-

1. Ratione formæ, seu modi, quando quis præter decorum, & ineptè, sumtus magnos facit in res parvas, aut in privata convivia: cujus duo adfert exempla *Arist.* unum est, si quis sodales, qui de symbolis cœnaturi erant, regio & nuptiali exciperet apparatu: alterum est de Megarensibus, qui in theatris & ludis scenicis, vestibus utebantur purpureis, atque in iis inepti habebantur atque insulsi. 2. Ratione finis, quando non honestatis sed ostentationis gratiâ magni sumptus fiunt. Circa posterius vitium peccatur: 1. Quando propter nimiam parsimoniam minores sumtus fiunt quàm operis alicujus dignitas exigit, aut opus etiam cœptum ob eandem causam deseritur. 2. Quando sumtus fiunt cum aliquâ tergiversatione, animo non promto, sed cunctanter, spectando semper, quâ ratione quàm minimis sumptibus tes confici possit.

XII. Quæritur, *Vtrum è duobus Magnificentiæ extremis deterius sit?* Resp. distinguendum esse utrumque extremum in simplex & compositum. *Simplex βαναυσία* est, cum quis de suo sumtum facit nimium, nec eum aliò refert nisi ad famam comparandam ac nominis glotiam: *simplex μικροπρέπεια*, cum quis non sat sumtuum facit in rebus magnis, facit tamen aliquos; aut, si faciat magnos, eos faciat cum tristitiâ, non quod pecuniam ita perditè amet, sed quod falso putet sibi defutura justa præsidia vitæ sustentandæ, cum tamen dives sit. *Βαναυσία composita* est, cum quis non tantum sumtus maximos facit in re parvâ, sed prætetea non de suo eos facit, sed aliunde, per injustitiam accessione sumtuum sibi facta. *Μικροπρέπεια composita* est, cum quis in re quoque parvo parcus est, nec sumtus ullos facit in rebus magnis, non quod velit suæ aut amicorum indigentiæ consulete, sed quia pecunias suas, quas amat impense, omnimodo augere studet. *Simplex βαναυσία* seu *ostentatio est deterior μικροπρεπείᾳ* seu *parsimoniâ: at simplex βαναυσία non est deterior μικροπρεπείᾳ compositâ: est tamen composita βαναυσία deterior compositâ μικροπρεπείᾳ.* Hæc de *Magnificentiâ & extremis.*

ANNEXA.

1. *An Magnificentia sit præstantior Liberalitate? A.*

2. *An extrema Magnificentiæ sint turpiora extremis Liberalitatis? A.*

3. *An Fœneratores, & Aleatores, & Fures, recte inter Avaros nominentur? Resp. quosdam, non omnes.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM VIGESIMA-QUARTA,

DE

MAGNANIMITATE ET MODESTIA.

THESIS I.

Liberalitatem & *Magnificentiam*, gemina, quæ præcessit, disputatione, examini publico subjecimus, ex *Arist. ad Nic. Eth. l.* 3 *c.* 1. & 2. nunc ex *seq.* 3. & 4. capite eidem subjiciemus *Magnanimitatem & Modestiam*, quæ ita sese habent ad se invicem, docente ipso *Philosopho*, ut *Magnificentia* se habet & *Liberalitas:* ut enim hæc circa sumtus vel parvos vel mediocres, illa circa magnos, occupatur; ita Modestia circa honores vel parvos vel mediocres, Magnanimitas circa magnos, versatur. De *Magnanimitate* primum, mox de *Modestiâ* agit *Philosophus*, cujus & nos ordinem sequemur.

II. *Magnanimitas*, non uno dicitur modo, interdum significat communem omnium virtutum affectionem, qua quis vitiosas omnes perturbationes *animo magno* reprimit; interdum

interdum notat fortitudinem, ut cum dicimus, aliquem *magno animo*, vel aggredi pericula, vel tolerare mala: hîc nobis ex *Arist.* significat virtutem moralem, servantem mediocritatem in honoribus magnis, vel amplectendis, vel fugiendis. Græcè dicitur μεγαλοψυχία, ἀπὸ τ μεγάλης ψυχῆς vel ἀπὸ τ μεγάλων, quod circa *magna animo suo* versetur Magnanimus, ut ipsum nomen hujus virtutis ejusdem *objectum generale* indicet esse, τὰ μεγάλα, *magna*: quod *Aristoteles* ulterius probat à descriptione Magnanimi, quem dicit esse eum, qui res magnas quidem, sed quibus dignus est, deberi sibi judicat: *Magnanimitatem in magnis* cerni. Antecedens à contrario probat: Nam qui se dignum judicat magnis, quibus dignus non est, non Magnanimus aut virtute præditus haberi debet, sed stolidus ac fatuus: quasi sic argumentetur *Philosophus*. Qui magna sibi arrogat, quibus non est dignus, is stultus habetur: At magnanimus non est stultus: nam, qui ex virtute agunt, non sunt stulti: Ergo non arrogat sibi magna, quibus non est dignus: arrogat tamen sibi magna, ex origine vocis: Ergo, quibus est dignus. *Magna* igitur, sed *digna Magnanimo*, sunt *Magnanimitatis objectum*, sed *generale*. At quæ magna in specie sunt objectum Magnanimitatis? id *Philosophus* porro inquirit; inquiramus & nos ex ipso.

III. (*a*) *Speciale objectum* Magnanimitatis est *honor:* versatur ergo circa *magnos*, imò *maximos, honores:* quod hac ratione demonstrat *Philosophus*. Cum dicitur aliquis dignus rebus magnis, ejusmodi dignitas ad bona refertur externa, quæ præmia rectè factorum sunt; nemo enim meritorum suorum præmia dicit esse bona animi interna seu virtutes, sed externa, quæ fortunæ vulgò vocant: virtus enim ipsa sibi non alteri est præmium. Ergo Magnanimus, ob merita sua magna ac maxima, dignum jure se censebit magnis ac maximis bonorum fortunæ. At inter bona fortunæ magnum est bonum, imo & maximum, honor: quia illud magnum est & bonorum maximum, quod viri magni & maximi in dignitate excellentissimâ constituti expetunt, ut Reges, principes, Magistratus, &c. At tale quid est honor: præterea inter bona magna & maxima est illud, quod rei debetur maximæ, sc. virtuti. At illud bonum est honor, quia honor est testificatio unius de virtute alterius. Denique inter externa bona maximum est quod Deo tribuitur. At honorem ex fortunæ externis bonis Deo tribuimus. Ergo Magnanimus meritò judicat se dignum maximis honoribus. Ergo *honores maximi sunt objectum speciale Magnanimitatis*, quod erat demonstrandum.

(*a*) Honor maximus objectum est externum Magnanimitatis, sed internum est cupiditas honoris maximi; hic enim affectus est, qui ab hac virtute coërceri & intra rectæ rationis limites cohiberi debet.

IV. Circa honores magnos ac maximos cadere virtutem, facilè probatur; quia circa eos cadit excessus & defectus: unde sic argumentari licet. In quibuscunque cernuntur extrema, in iis & media datur virtus: Sed, in honoribus magnis maximisque vel expetendis vel contemnendis, cernuntur extrema. Ergo. Sunt enim, & qui se minoribus censent dignos honoribus quam merentur: alii majores sibi arrogant quam merentur: illi deficiunt à medio Magnanimitatis: hi illud excedunt: datur ergo virtus, quæ utrosque doceat servare mediocritatem; at hæc est ipsa, de qua agimus, Magnanimitas: Objicit sibi *Philos. Magnanimitatem, si versetur circa magnos ac circa maximos honores, non fore virtutem, quia virtutis est mediocria sectari, unde per mediocritatem & medium definitur: at magna, quà talia sunt, extrema sunt parvis opposita. Ergo & Magnanimitas extremum erit, oppositum medio.* Resp. *Philosoph.* per distinctionem. Magnanimitatem, & extremum esse, & medium; sed ratione dissimili: extremum esse, ratione magnitudinis objecti, quod sunt honores magni ac maximi, medium esse, ratione modi, quem servare docet, in iis accipiendis vel repudiandis: docet enim, neque nimium, neque parum, esse eos, vel sectandos, vel fugiendos, sed uti & sub quibus oportet conditionibus.

V. Subjicit *Arist.* Magnanimitati ex *objecto* explicatæ, *notas* quasdam & *proprietates* Ma-

gnanimi, quibus etiam *officium* ejus defcribitur. Fuse hæc omnia *Philos.* persequitur *l.* 4. *c.* 3. *Eth. Nic.* & primo docet, qualis sit Magnanimus: deinde, quomodo sese habeat circa honores; denique, quomodo se gerat circa reliquas virtutes in quotidiana conversatione. Docet, 1. Verum Magnanimum esse optimum. Quia, quo quisque majore dignus est honore, eo est melior, quia honor est præmium virtutis: ergo, qui maximo honore est dignus, omnium est optimus: Sed Magnanimus maximo honore est dignus. E. est optimus. Deinde, qui in unaquaque virtute habet id, quod est maximum & excellentissimum, is est optimus. Sed Magnanimus habet, &c. E. Denique, qui nihil turpe admittit, nec causam ullam habet, cur turpe admittat, est optimus. Sed Magnanimus est talis. E. Nihil quippe magnum habet præter virturem, eamque solam admiratur & propter unicam honestatem actiones omnes suscipit. Quæ causa est, quod nihil turpe admittat. Porro, quomodo sese habeat circa honores, docet *Philos.* dicitque, Magnanimum eos tantum curare honores, qui à magnis, gravibus, bonisque viris deferuntur: quos vero plebs offert sine judicio, non magni facere, in magnis honoribus excipiendis moderate lætari, &c. quæ *in textu ipso* legi possunt. Denique explicat, quomodo in cæteris sese gerat virtutibus Vir Magnanimus, sc. in singulis virtutibus id sectatur, quod magnum est & excellens. Circa liberalitarem, *ait*, eum tali esse ingenio, ut libentius in alios conferat beneficia quam accipiat, &, si quæ accepit, cumulatiora reddere studeat: cujus rei ratio est, quia inferioris est accipere, superioris conferre beneficia. Sed Magnanimi officia in reliquarum virtutum exercitio tam clare *in textu* persequitur *Arist.* ut nulla ampliori deductione sit opus.

VI. *Actus* Magnanimi circa honores maximos sunt partim *appetere*, *accipere* ac *custodire:* partim *contemnere*, *negligere ac dimittere*, utrumque ut & sub quibus oportet circumstantiis. Quærunt hic Ethici; *Utrum Magnanimitas magis sit sita, in appetendis quam in contemnendis honoribus magnis ac maximis?* Atque *Aristotelis* quidem sententia in utramvis hic trahitur partem: Nos, magis sitam esse Magnanimitatem in honorum contemtu quam expetitione, censemus: ratio est, quia & plus laudis redit ad eum qui contemserit, ut oportet; quam qui acceperit honores magnos, ut oportet: &, quia difficilius est contemnere honores magnos, ut oportet, quam expetere, ut oportet: habemus enim insitam cupiditatem appetendi eos, sed non item contemnendi. Sed quærunt hic nonnulli; *An ullo etiam modo honorem appetere licet?* Quidni? quia est virtutis præmium: quia infamiam contemnere licet, E. à contrario honorem expetere: quia honor inter bona externa ptincipatum tenet; At ea expetere licet, sed moderate. E. & honorem.

VII. *Extrema* Magnanimitatis sunt, *in defectu* μικροψυχία, *pusillanimitas*, *in excessu* χαυνότης, *elatio*, *superbia*, *tumor*, *inflatio.* Qui deficit à medio Magnanimitatis, μικρόψυχος *pusillanimus*, qui excedit χαῦνος *elatus*, dicitur: utrique peccant in hanc virtutem; & variis modis. Qui pusillo sunt animo, peccant: 1. quia sibi ipsis injuriam faciunt, dum se honoribus & bonis, quibus digni sunt, spoliant; 2. quia, qui hoc laborant vitio, malam de se opinionem apud alios concitant; nam censentur occultis laborare vitiis, qui meritos honores refugiunt; 3. quia se suaque bona ignorant, adeoque ipsam honorum naturam; si enim bona sua recte nossent, & honorem esse virtutis præmium, dignos non repudiarent honores; 4. quia hæc animi abjectio ac demissio languere facit homines, eosque avocat à studiis rebusque præclare gerendis. Sed & peccant, qui elato sunt animo: quia 1. sibi plus tribuunt quam par est; 2. quia se & suam infirmitatem ignorant: ac sic produnt stultam suam persuasionem, dum plus honorum maximorum conferri expetunt sibi, quam merentur. *Uter vero peccat magis?* Pusillanimum existimat *Aristoteles:* nam in fine *cap.* 3. hanc quæstionem dissolvendo, *Utrum extremorum, Pusillanimitas an elatio, magis adversetur Magnanimitati?* asserit, pusillanimitatem magis pugnare cum Magnanimitate quam elationem: tum, quia abjectio illa animi frequentior

quentior est & in pluribus reperiatur hominibus, quia major pars hominum premitur paupertate, quæ facit ut non ausint magnos, nedum maximos, affectare honores; paupertas enim animum dejicit, & pauper ubique jacet: tum, quia qui honores magnos & maximos contemnunt, non facile adducuntur ad bene merendum de rep. & præclare agendum, quibus rebus tamen magnos maximosque honores quis promeretur.

VIII. A Magnanimitate ad *Modestiam* transit *Arist. l. 4. Eth c. 4.* quæ in Græco ejus textu nomen non invenit. Hæc circa parvos honores ac mediocres occupatur, iisdem actibus appetendi & contemnendi sub debitis circumstantiis, quibus circa magnos & maximos versari jam ostendimus Magnanimitatem: *Dandam vero esse virtutem aliquam*, quæ *in mediocrium honorum vel expetitione vel contemtu* doceat mediocritatem, hinc liquet, quod in iis vel expetendis vel contemnendis, & parum esse possit & nimium: & quid multis est opus? ubi locum habet laus & vituperatio, ibi locum quoque habet virtus & vitium: at qui honores parvos ac mediocres, moderate appetit, moderate contemnit, laudatur: qui contra facit, vituperatur. Ergo, &c.

IX. *Modestia est virtus moralis servans mediocritatem in honoribus parvis ac mediocribus expetendis ac contemnendis.* In hac definitione tres observandæ sunt circumstantiæ, ut Modestus recte hujus virtutis officio defungatur. Prima est rerum & factorum, ut ex ejusmodi seu rebus seu actionibus honores petat Modestus, quæ dignæ sunt honore: quemadmodum sunt, vocatio diligenter exercita, studia litterarum gnaviter culta, bellum strenue gestum, officium aliquod bene administratum, & cujuscunque virtutis opus rite rectèque institutum. Secunda circumstantia, Modesto respicienda, est modi, ut eo modo expetat honores parvos ac mediocres, quo modo decet, non per vim, dolum, fraudem, malas artes, nec per metum injectum aliis aut crudelitatem, nec per calumniam aut detrectationem, nec ullis modis iniquis & illegitimis. Tertia circumstantia viro Modesto observanda, est quantitatis, ne expetat majores honores, quam sua mereatur virtus, eruditio, præclarum factum, aut simile quid.

X. Habet se *Modestia ad Magnanimitatem, ut Liberalitas ad Magnificentiam:* uti enim Liberalitas convenit cum Magnificentia, quoad objectum, quod utraque versetur circa pecunias, sed quoad parviratem & magnitudinem pecuniarum tantummodo ab ea differt, sicut ostensum est *Disp. præced.* ita pariter & Modestia & Magnanimitas versatur utraque circa honores, sed Modestia circa parvos & mediocres, & cadit in homines mediocris fortunæ, Magnanimitas circa magnos & maximos, & cadit in homines altioris fortunæ, Reges, Principes, Duces, &c. & sicuti Liberalitas non est specie distincta virtus à Magnificentia, *ut th. 8. Disp. præced.* est probatum, (*a*) sic nec Modestia specie differt à Magnanimitate sed gradu tantum, ob rationes easdem *præced. disp.* adductas, *th. 8.*

(*a*) Hæc duo opponi solent in Philosophia, differre specie & differre gradu. Quæ enim gradu differunt, non differunt specie, & vice versa: sed magnanimitas & modestia gradu differunt, quia objectum utriusque idem est, tum internum, cupiditas honoris, tum externum, ipse honor: differt tantum alterum ab altero secundum plus & minus, quod magnanimitatis objectum sint maximi, modestiæ vero sint mediocres aut parvi honores: formale tamen objectum utrobique est mediocritas.

XII. Cum Modestia, tum in expetendis, tum in contemnendis, honoribus parvis ac mediocribus, reperiatur, Quæritur, *In utro magis eluceſcat?* Resp. idem hic pronunciamus, quod *th. 7. hujus disp.* de Magnanimitate pronunciavimus, ob easdem, quas ibi protulimus, rationes.

XII. *Extrema* Modestiæ sunt; in excessu *φιλοτιμία nimium honoris studium* seu *ambitio*; in defectu *ἀφιλοτιμία, honoris contemtus:* illo honores parvos ac mediocres nimium, hoc non satis expetimus: illo non satis, hoc nimium contemnimus: vocabula Græca, quæ utrumque hujus virtutis Modestiæ extremum significant, in bonam interdum accipiuntur partem, unde vitia iis significata, licet revera sint vitia, non tamen videntur sæpe talia.

Certe φιλοτιμία interdum significat moderatam honorum parvorum & mediocrium appetitionem, ipsaque virtus est, de qua agimus, Modestia: ἀφιλοτιμία interdum sumitur pro moderato honorum eorundem contemtu, & sic ipsa quoque est Modestia. (a) Neque in hac tantum, sed & in aliis contingit virtutibus simile quid, ut extremorum nomen ipsi virtuti de significandæ imponatur, si cum altero præsertim extremo comparetur: sic prodigalitas collata cum avaritia, videtur esse liberalitas: ita & hic, si honorum contemtorem contuleris cum ambitioso, videbitur Modestus, & vice versa: causa particularis, ob quam extremorum nomina hic veniant significandæ virtuti, est, quia idoneum apud Græcos huic Virtuti non est positum nomen; unde fit, ut extrema nulli virtuti, sed sibi tantum, videantur opponi: nam ea, quæ nomen nullum habent, fallunt in eo multos, quod & ipsa nusquam esse existimentur.

(a) Quia Vitia Virtutibus sunt proxima, ut Virtutum speciem præ se ferant, & sæpe eas ementiantur, etiam sæpe fit, ut nomen Vitii imponatur Virtuti, præsertim apud Vulgus, quod Circumstantias omnes non ita examinare aut solet, aut valet.

XIII. Quæri hic quoque potest, *Virum extremorum magis, utrum minus, Modestiæ repugnet?* Resp. Hic idem statuendum esse, quod de Magnanimitatis extremis statutum est *th. 7. hujus disp.* nam uti Modestia tantum secundum magis & minus differt à Magnanimitate, ex *th. 11. hujus disp.* ita quoque extrema hujus tantum gradu differunt ab extremis illius. Quare eadem utrorumque utrimque est ratio.

ANNEXA.

1. *An honor possit licite appeti? A.*
2. *An, si lædatur, possit licite defendi? A.*
3. *An honor magis sit honorantis quam honorati? A.*
4. *An æqualis debeat esse defensio honoris & vitæ? N.*
5. *An virtuosus propter improbitatem & infamiam suorum parentum vel consanguineorum debeat privari meritis honoribus? N.*
6. *An Magnanimi sit injuriam recordari & ulcisci? N.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM VIGESIMA-QUINTA.

DE MANSUETUDINE.

THESIS I.

Magnanimitatem & Modestiam Disput. superiori ex *Aristot. Eth. l. 4. ab Nicom. c. 3. & 4.* explicatam excipit apud ipsum *c. 5. Mansuetudo*; quam hac disp. ventilandam proponemus. Mansuetudo, ut à voce ordiamur, dicitur quasi *manu-suetudo*, seu manu facta assuetudo: sicuti & *mansues* & *mansuetus* dicitur quasi *manu assuetus*, scil. quæcunque natura sua sunt effera, manuum permulsione mitescunt fere atque consuescunt. Apud Græcos hæc virtus nomen non invenit, quod *Arist.* monet, qui utitur voce πραότης. At vero hæc vox defectum potius notat à medio hujus virtutis recedentem, quam ipsam mediocritatem in mansuetudine servandam. *Mansuetudo* enim *est virtus servans mediocritatem circa iram:* at πραότης significat defectum circa iram: & πρᾶος significat eum qui tam sedato est animo, ut minus iracatur quam debet, ut non commoveatur nec concitetur ira, quando debet, qualis fuit Mitio iste Terentianus: at vero qui hac virtute, quam

quam *Manſuetudinem* vocamus, eſt præditus, uti non iraſcitur, quando non oportet, ita iraſcitur, quando oportet, quemadmodum & quibus de cauſis oportet. Sed à voce ad rem tranſeamus.

II. Περότης ἐστὶ μεσότης περὶ ὀργάς. *Manſuetudo eſt mediocritas circa iras. Objectum* Manſuetudinis *internum* eſt *ira*, affectus ille appetitus iraſcentis inter cæteros. *Externum objectum* ſunt omnia, quæ iram in animo hominis concitare valent, injuriæ, damna, contumeliæ, convitia, offenſiones, denique omne illud, quo fama noſtra vel noſtrorum læditur aut lædi videtur: præſertim ad iram nos incitat contemtus noſtri, aut noſtrorum: unde *Ariſtot. 6. Top. c. ult.* Ira dicitur dolor ſeu triſtitia, quæ ex opinione contemtus oritur. Diſtingui autem debet hic accurate *ira* ab *iracundia:* illa affectus eſt & objectum hujus virtutis: hæc habitus malus eſt, & extremum huic virtuti oppoſitum; de quo poſtea.

III. *Manſuetudinem eſſe Virtutem à cæteris diſtinctam*, ex *objecto* probatur optime: hoc ratiocinio. Si ira ſit peculiaris perturbatio & animi affectus, Ergo peculiaris quoque eſt virtus, quæ eam regit, compeſcit ac temperat. Atqui verum eſt prius. Ergo & poſterius. Hæc Virtus non eſt fortitudo, non temperantia, non liberalitas, &c. Ergo. Duo hic ſunt probanda. 1. *Iram eſſe peculiarem animi commotionem à cæteris diſtinctam.* 2. *Manſuetudinem eam eſſe virtutem, quæ iram compeſcat, regat, temperet.*

IV. *Iram eſſe peculiarem animi affectum*, ex ſingulorum affectuum inductione, oſtendi facile poteſt: & ſatis liquet ex ejus definitione, quæ reliquorum affectuum nulli convenit: Ira eſt anxia quædam & cum dolore conjuncta ultionis ſperatæ appetitio, adverſus eum, à quo quiſpiam ſe læſum & contemtum exiſtimat: *(a)* Læſio ſc. & contemtus; ex quo naſcitur ira, obtinet ſpeciem mali, ideoque gignit in animo triſtitiam & dolorem: unde concepta ultionis ſpes delectationem contra patit ac voluptatem. Licet veto hæc triſtitia & voluptas cum ira ſint conjunctiſſimæ, ira tamen ipſa, neque dolor aut triſtitia, neque voluptas aut delectatio illa, formaliter eſt: non triſtitia, quia hæc ſeparari poteſt ab ira, ut ſi quis contemtus à Rege triſtetur quidem ſed non iraſcatur; non voluptas illa, quæ ex ſpe ultione accepta augeretur, ira vero minuitur. Quod ſi, nec voluptas, nec triſtitia, quæ iram perpetuo comitantur, ipſa fuerint ira, multo minus ira fuerit eadem cum aliqua reliquarum perturbationum, quæ tantam cum ira connexionem non habent. Et iram eſſe affectum à reliquis diſtinctum, in *Pathologia Gutberlethi*, & *Lalii Peregrini de Affectibus* tractatu, ſatis ſuperque demonſtratur.

(a) Dolor & Voluptas non ſunt Affectus, qui peculiari aliqua virtute domantur, & coërcentur, ſed ſunt generales Affectiones, & adjuncta omnium virtutum, quando vel exercentur, vel omittuntur: ſic fortitudine acquiritur Voluptas aut dolor, quando illa vel exercetur, vel non exercetur; cum enim quis fortiter egit juxta præſcriptum fortitudinis, delectatur, cum contra, triſtatur: ſic & temperantiam debitè exercitam, comitatur Voluptas, non exercitam, aut nimium exercitam, ſequitur dolor; ita & hic circa manſuetudinem & objectum ejus Iram aliquis ſe offert dolor, & aliqua Voluptas; nam cum quis iram ſuam vindicat ultione, delectatur, cum id nequit, triſtatur.

V. Si ira ſit affectus peculiaris, oportet *& peculiarem dari virtutem, quæ iram coërceat, cohibeat, contineat, intra rectæ rationis cancellos.* At quænam hæc erit? nulla alia præter *Manſuetudinem:* quia nulla virtutum aliarum iræ affectum attingit: non fortitudo, non temperantia, non liberalitas, non magnificentia, non magnanimitas, non modeſtia, hactenus diſputatæ, non quæ reſtant diſputandæ, comitas, veracitas, urbanitas, juſtitia: quod ex ſingulorum objectis manifeſtum eſt ſatis. Ergo ſola eſt Manſuetudo, quæ iram regit. Dicet forte quiſpiam. *Datur alia præter iſtas circa iram moderandam occupata Virtus, ſcil. Clementia.* Reſp. Sed enim, vel Clementia eſt plane eadem cum Manſuetudine Virtus, ut vocabula tantum differant, vel, ſi aliquo differant modo, Clementia eſt Manſuetudo ſeu moderatio iræ in Principe aut Magiſtratu: Clementia enim Virorum eſt principum

ac ſuperiorum fere propria: at Manſuetudo eas regit iras, quæ inter privatos fere obtinent & æquales. Dicat hic aliquis, *nulla eſſe opus virtute circa iras, nec manſuetudine, nec clementia quippe quæ non reprimi, ſed funditus exſtirpari debeant atque eradicari, quia in totum ſunt vitioſæ.* Reſp. Falſum eſſe, quod omnis ira, quæcunque tandem, in ſolidum ſit vitioſa: Nam ira etiam Deo tribuitur: Deo autem vitium tribui nequit: & ira affectus eſt naturalis, at hic indifferens eſt, nec bonus, nec malus: imo honeſtum eſt & laudabile, iraſci interdum, quas ob cauſas, quomodo, quando, & quamdiu licet: & ſanctæ quædam ſunt iræ, adverſus impietatem & ſcelera, pro Dei gloria ſuſceptæ, ut fuit ira *Moſis*, qua percitus ob idololatriam populi tabulas confregit legis à Deo factas. Diſtinguatur ira temeraria, ex ſolo ultionis appetitu profecta, à juſta indignatione adverſus hominum malitiam concepta; moderata ab immoderata; illa licita & objectum Manſuetudinis, hæc non item.

VI. *Manſuetudo* igitur *Virtus eſt circa iras*, ejus, ut omnium virtutum, *forma* eſt *Mediocritas*, quæ ut ſervetur, 4. potiſſimum *circumſtantias* reſpici vult *Ariſtoteles l. Eth. 4. ad Nic. c. 5. cauſas*, ob quas: *perſonas*, quibus: *modum*, quo: *tempus*, quando & quamdiu ſit iraſcendum. 1. Videndum eſt, ἐφ' οἷς δεῖ ὀργίζεσθαι, ob quæ iraſci deceat: neque enim iraſcendum eſt temere, nec ob lanam caprinam aut res leviculas & ambiguas ac nihili, ſed juſtas ob cauſas, ut, ſi cultus Dei, ſi religio, ſi patria, ſi libertas, ſi parentes, ſi conjux, ſi liberi, ſi leges honeſtæ, ſi fama & exiſtimatio noſtra, lædantur, aut violentur, aut contemnantur: ſi etiam homines innocentes indignis habeantur modis. Sic graviſſima fuit *Servatori* noſtro J. C. iræ cauſa, cum propolas & inſtitores è templo expulit atque ejecit: & juſtiſſima quoque fuit *Samuelis in Saulem ira*, cum Dei mandato eſſet immorigerus. 2. Videndum οἷς δεῖ ὀργίζεσθαι, quibus iraſci oporteat: non iraſcendum eſt Deo, quod legimus feciſſe *Caligulam*, qui iratus cælo, quod fulmina ſuis obſtreperent comeſſationibus, Jovem ad pugnam vocavit. Non iraſcendum rebus inanimatis, uti legitur feciſſe Cyrus Perſarum rex, qui fluvio ſuccenſuit, quod in eo ex factis equis unus periiſſet. Nec Magiſtratibus, nec Parentibus, nec Præceptoribus, nec Amicis, nec Sodalibus, nec bene meritis, eſt iraſcendum: quia contra hi omnes, verbis, opere, patientia ſunt colendi. Non iraſcendum eſt iis, qui forte fortuna, aut neceſſitate, aut ignorantia probabili, aut communi imbecillitate, peccarunt: non iraſcendum amplius iis, qui lapſi culpam agnoſcunt ſuam, ac deprecantur veniam, & emendationem pollicentur. Non iraſcendum infantibus, pueris, fatuis, aut iis, quibus mens non ſatis conſtat: ſed iraſcendum eſt impiis & improbis, quos nec pudet nec pœnitet ſuorum ſcelerum: iraſcendum blaſphemis, & iis, qui verum Dei cultum & veritatem ejus petulanter oppugnant. Atque hic vitio magis quam perſonæ iraſcendum. 3. Videndum ὡς δεῖ ὀργίζεσθαι, quomodo ſit iraſcendum. Is ſit iræ modus, ut neque nimium lenti, neque nimium ſimus præcipites, neque nimis frigidi, neque nimis fervidi, in ira. Deinde ſimus proni ad iras deponendas, ad facile ignoſcendum, cum pœnitet alios peccatorum, conſiderata humanæ conditionis fragilitate & imbecillitate: & expenſo, quam ſæpe non aſſumat iras etiam juſtiſſimus Deus ob peccata noſtra, aut aſſumtas exuat. Nunquam quoque iram opottet eſſe majorem delicto ob quod iraſcimur. 4. Videndum eſt ὁπότε & ὅσον χρόνον, quando & quamdiu ſit iraſcendum: id ſequentia docebunt. Non eſt iraſcendum, quando de rebus ſetiis agitantur conſilia: ira enim inimica eſt conſilio: nec in conviviis, nuptiis, feſtivitatibus, iræ eſt locus: nec iraſcendum in puniendo, ſi fontes ſint afficiendi pœnis: nunquam enim is qui ad pœnam accedit, vel decernendam, vel infligendam, iratus, eam ſervabit mediocritatem, quæ eſt inter nimium & parum: nec iraſcendum, niſi cauſa plane cognita, ac poſtquam ratio probe expendit atque judicavit, quanta & quanti ſit unaquæque culpa: atque hic valet illud, *Feſtina lente:* non tamen tanta eſt mora in itaſcendo adhibenda, qua videamur connivere ad delicta. Quamdiu ſit iraſcendum, melius definiri nequit, quam ab Apoſtolo Gentium eſt definitum, ad *Epheſ. 4. Sol non occidat ſuper iram*

iram veſtram. Quibus verbis notat, non diu eſſe alendam iram: poteſt tamen ea interdum diutius ali, cum perſona eſt publica, quæ iram juſtam gerit.

VII. *Extrema* Manſuetudini *oppoſita vitia*, ſunt: *in defectu*, ἀοργησία, *lenitas, lentitudo*, & ſi per Latinæ linguæ genium liceret dicere, *iniraſcentia*, & *in exceſſu*, ὀργιλότης, *iracundia. Lentitudo* ſeu *ira vacuitas* eſt vitium, quo quis non iraſcitur ob ea, ob quæ deberet, nec iis, quibus deberet, nec eo modo, loco, tempore, quo & quanto deberet iraſci. Hanc ἀοργησίαν, *lenitatem*, eſſe vitium, tribus demonſtrat rationibus *cap.* 8. *lib. cit. Ariſtot. Prima* eſt. Quæ ſunt ſtoliditatis & fatuitatis indicia, vituperantur ab omnibus. Sed non iraſci, quibus & quando &c. oportet, eſt ſtoliditatis & fatuitatis ſignum: quod *Zeno Eleates* oſtendit, qui reprehenſus, quod maledictis conſciſſus talis tantuſque Philoſophus excandeſceret, reſpondiſſe fertur: Si convicia æquo admiſerim animo, ne ipſas quidem ſentiam laudes. Quo ſignificatum voluit, ſtupidiſſimi eſſe hominis, imo lapidis, non iraſci cum iraſcendi locupletiſſimæ ſuppetunt occaſiones & juſtæ cauſæ. *Secunda.* Ea non vindicare, quæ ſecundum rationem vindicanda ſunt, & turpe, & dignum vituperio cenſetur. Sed non iraſci interdum, eſt non vindicare ea quæ ſecundum rationem vindicanda ſunt. Ergo. *Tertia.* Perferre injurias & eas à ſe non depellere, cum depellendæ ſunt ſecundum rationem, animi eſt humilis & ſervilis. Sed ex lentitudine fit ut injuriæ depellendæ interdum non depellantur. Ergo. Ex hiſce rationibus *Ariſtot.* liquet ἀοργησίαν eſſe vitium, & injuriarum vindictam non omnem eſſe illicitam, dico, *non omnem*, quia, quin quædam ſit illicita, nullum eſt dubium. (*a*) Diſtinguimus hic inter vindictam *privatam* & *publicam*, inter tutelam *privatam* ac *publicam*: illam illicitam, hanc licitam & manſuetudini non repugnantem, pronunciamus: ſi enim turpe eſt, injurias famam & exiſtimationem lædentes perferre, honeſtum eſt, eas vindicare: & Deus ipſe injurias tales punit, & per Magiſtratum puniri voluit.

(*a*) Vindicta privata eſt, qua privatus de privato, proximus de proximo, Petrus de Paulo, &c. vindictam ſumit ob injurias ſibi ab altero illatas: hæc tantum abeſt ut ſit licita, ut potius novæ & plures injuriæ ſint tolerandæ homini privato, quam ut proximum ulciſcatur, docente ipſo Chriſto Matth. 5. Vindicta publica eſt, quæ exercetur à magiſtratu vel in ſubditos vel in hoſtes; hæc utraque eſt licita: in ſubditos quidem, quia in eundem finem gladium à Deo accepit Magiſtratus, ut vindicaret iujutias, quas ſubditi ſibi invicem vel toti inferunt Reipublicæ; neque enim aliter conſuli poſſet reipublicæ tranquillitati aut ſaluti, niſi juſtis pœnis vindicarentur injuriæ ſubditorum in ſe invicem & in rempublicam à Magiſtratu: in hoſtes quæ exercetur vindicta publica juſta eſt & licita, cum illi religioni veræ, pattiæ, libertati, &c. inſidiantur, atque injurias inferunt, vocaturque hæc vindicta publica bellum & quidem offenſivum, qualia bella Deo probata & populo ſuo demandata ſacra teſtatur pagina. Tutela publica eſt, qua Magiſtratus tuetur ſubditos ſuos & rempublicam ab invaſionibus & injuriis hoſtium inferri ſolitis, eſtque nihil aliud quam bellum defenſivum, quod pariter licitum, &, exemplis & mandatis à Deo probari, in verbo ejus legimus. Tutela vero privata eſt, qua quis tuetur ſe adverſus injurias privatas ſibi à proximo illatas, & de eo ultionem ſumit: hæc vel culpabilis eſt, vel inculpabilis: culpabilis eſt, cum quis poteſt defendi contra iſtas injurias à privato ſibi factas à Magiſtratu ſuo legitimo, tum enim non decet ut privatorum unus contra alterum ira ſe rueatur, ut viciſſim injuriam irroget ipſi, deber enim hic implorare ſui defenſionem à Magiſtratu, eum in finem ordinato, juxta illud Apoſtoli, ne vindicate vos ipſos; ſed tutela privata inculpabilis eſt, cum quis invaſus à proximo injuriam vidit præſentem, ſibi ac ſuis inferendam, & quidem talem ut ſit ipſe vel ſint ſui vita exuendi, ut ſi quis in via inciderit in manus latronis, nec ſit ulla ſpes evadendi, nec auxilium Magiſtratus implorari poſſit, in tali caſu tutela privata eſt licita; licet enim unicuique vitam ſuam tueri ac defendere contra vim præſentem latronis aut furis nocturni cæteris paribus, id eſt, quando non poteſt aut evadere alio modo periculum vitæ, aut non poteſt auxilio frui Magiſtratus, h. e. quod Ethici docent, defendi poſſe vitam noſtram etiam cum occiſione latronis aut furis nocturni, ſimiliſve hominis ſceleſti, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ.

VIII. *Iracundia* eſt vitium, quo quis in iraſcendo modum excedit, & iraſcitur, iis quibus non oportet, quando non oportet, ob quas

quas causas non oportet, &c. Hujus vitii tres quasi species facit *Aristoteles*; ἀκροχολίαν, πικρίαν, βαρυθυμίαν. Dicitur ἀκροχολία, quia ἡ χολὴ bilis illis versatur quasi ἐν τῷ ἄκρῳ, in extremo, in supremo, in superficie cordis, ita ut in oculis, vultu, facie, reliquisque membris, calor appareat; id genus hominum facilè irascitur; inde ἀκρόχολοι dicuntur, facilè, cito, celeriter excandescentes, & una voce, *irritabiles:* qui, ut quidam iram facile promteque concipiunt, ita eandem facilè deponunt, quod in eis optimum esse ait *Aristoteles*. Et certè optimi quique hac specie iracundiæ laborant: sunt enim ad irascendum faciles, sed & mox placabiles. Altera species iracundorum est, qui πικροὶ dicuntur, *amari* Lat. qui ægrè placantur, & non, nisi cum injuriam ulti fuerint, mitigantur: Hi diu iram retinent, quia eam premunt, nec aliis aperiunt, quorum consiliis ab ea levari possent: ut autem eam per se coquant, & sibi & aliis extant molesti, morosi, graves. Tertium genus est iracundorum, quos βαρυθύμους, quasi *gravis animi homines*, dicas, quos *Aristot.* χαλεπτὲς quoque vocat, *difficiles* Lat. & ἀγρίους *agrestes & feros:* Hi omnium sunt teterrimi, & ex duobus ptioribus quasi concreti: nam facillimè & levissimis de causis irritantur, ut primi; & multo diutius, quàm par est, iram servant, neque redeunt in gratiam, nisi injuriâ vindicatâ: & in eo differunt à secundis, quòd non occultas, ut illi, sed apertas iras gerant, quæ sine vindictâ non extinguuntur.

IX. Uti, post virtutis cujusque naturam explicatam, inter extrema ferè comparationem instituit *Aristoteles*, ita *c. 5. l. 4. Eth. ad Nicom.* quærit: *Vtrum extremorum Mansuetudini magis adversetur, Iracundia an iræ vacuitas?* Resp. iracundiam magis esse adversam mansuetudini & deterius vitium, quam iræ vacuitatem; & confirmat sententiam suam aliquot rationibus. 1. Vitium illud deterius est, ad quod magis ipsâ naturâ propendemus: Sed propensiores sumus ad iracundiam quàm ad lenitatem. Est enim ἀνθρωπικώτερον, homini magis proprium, sese ulciscì, quam injuriam condonare. Ergo. 2. Id, in quo sæpius ac frequentius peccamus, est pejus eo, in quo rarius peccamus ac minus. Sed sæpius ac frequentius peccamus in iræ excessu seu iracundia, quam in iræ defectu seu lenitate. Ergo, &c. 3. Illud vitium deterius est & virtuti magis opponitur, quod in convictu & societate communi est intolerabilius. Sed in convictu & vita communi est intolerabilior iracundia quam iræ vacuitas. Ergo, &c.

X. Coronidis loco, lubet hanc quæstionem proponere: *An, qui ex iracundia alteri infert injuriam aut damnum, excusari debeat?* Resp. Nequaquam. 1. Quia, si iracundia in delectis excusationem præberet, raro delinquentes punirentur: nam plerumque homicidium & alia delicta committuntur ex iracundiâ. 2. Qui per iracundiam delinquit, sciens volens delinquit: est enim delictum illud voluntarium saltem in causa sua, quia potuit iracundiam prævenire: & unusquisque iram suam & iracundiam frænare tenetur. Hic tamen distinctione aliqua est utendum & videndum: utrum justus dolor iracundiam excusserit, an vero ex levissima causa & naturæ vitio existat: (*a*) Si justus dolor iracundiam excitaverit, & ex ista iracundia homicidium vel aliud delictum sit commissum, mitiori pœna illud est puniendum, quam si leviori de causa aut naturæ vitio illud fuerit perpetratum: tum enim ordinariam pœnam non effugit, quia & causa non fuit justa, & naturæ vitium corrigi debuisset.

(*a*) Iustus dolor iram excitat isto casu cum quis irascitur circumstantiis omnibus expensis, & iram justa ratione suadentibus; quo casu si quid mali committatur ab irato, justa illa irascendi causa iratum excusat à pœna quam ille suo delicto ex ira commisso promeritus est, si non in totum, saltem in tantum, id est, mitiorem reddit pœnam quam alias infligeretur, si non justa de causa iratus simile delictum perpetrasset.

DISPU-

DISPUTATIONUM PRACTICARUM VIGESIMA SEXTA.

DE

COMITATE.

THESIS I.

POstquam *Aristoteles* de *Mansuetudine* disseruisset *l. Eth. 4. c. 5. ad Nic.* transit *c. 6. ad Virtutes* ὁμιλητικὰς, *conversatrices*, sic dictas, quod earum usus sit ἐν τῇς ὁμιλίαις, in conversationibus: ὁμιλεῖν enim, est, cum aliis conversari. Sunt hæ Virtutes, *Comitas*, *Veracitas*, *Vrbanitas*: conveniunt *objecto communi*, quod est, sermonum, morumque & actionum, in societate humana moderatio concinna: differunt *objectis propriis*. *Veracitas* enim respicit τὸ ἀληθὲς, *verum*: *Comitas* & *Vrbanitas* τὸ ἡδὺ, *jucundum*: illa quidem in rebus *seriis*, hæc in *ludicris*. Quamvis autem *de Veracitate* prius differi posset commode, quam de *Comitate*, ut illa jungatur *Vrbanitati*, cui est affinior; quia tamen *Aristoteles* primo agit de *Comitate c. 6.* tum de *Veracitate c. 7.* postremo de *Vrbanitate*, *c. 8. l. 4. Eth.* & nos eundem in disputando servabimus ordinem, quia in reliquis virtutibus disputationi subjectis *Aristot.* filum & seriem sumus secuti, & in eo non multum est situm, utra Virtutum prius, utra posterius explicetur: modo omnes explicentur & disputentur, quæ explicari & disputari solent.

II. *Comitas* dicta est à voce *Comis*: *Comis* à Græco κόσμος descendit, ut placet Grammaticis: hæc virtus apud Græcos nomen non invenit, quod ipse monet *Arist. c. 6. l. 4. Eth. ad Nicom.* ἔοικε ὃ μάλιστα φιλίᾳ, *maxime vero similis est*, inquit, *amicitiæ* conveniunt enim inter se actu quodam externo, sc. in suavi jucundoque convictu: quemadmodum enim amicus cum amico jucunde versatur, ea probans quæ probanda sunt & improbans quæ sunt improbanda, ita vir comis, idem præstans, suaviter & jucunde vitæ communionem cum aliis habet. Licet vero amicitia & comitas valde sint affines ob externum illum convictum, suis tamen discrepant differentiis, quia comitas virtus quædam est, carens affectu amoris, exercerique potest in peregrinum & eum quem non amamus: at vero amicitia ex amore proficiscitur & colitur: itaque comitas non est ipsa amicitia, φιλία, quia nullo per se affectu compellitur ad exercitium, utcunque ei maxime assimiletur. Græce dici potuisset χαριεντισμός, ἐπιχαρις, εὐτραπελία, & φιλοτραπελία. Lat. *Humanitas*, *familiaritas*, *popularitas*, & apud Ethicorum plerosque, *Affabilitas*: est enim affabilis, qui se facilem jucundumque præbet in congressibus humanis, in loquendo, audiendo, respondendo, &c.

III. Definiri potest *Comitas* seu *Affabilitas*, μεσότης περὶ τὰς ἡδονὰς καὶ λύπας ἐν ὁμιλίαις μὴ παιδικαῖς, *Mediocritas circa* (a) *voluptates & dolores in conversatione non ludicrâ*, Ex qua definitione *objectum* apparet: tum *internum*, *voluptas & dolor*, tum *externum*, *actiones in communi conversatione*.

(a) Voluptas & Dolor non sumuntur hic pro adjuncto generali omnium Virtutum, orto ex earum exercitio vel instituto vel omisso, sed accipiuntur hic pro Affectibus particularibus, qui alio nomine vocantur Gaudium & Tristitia.

IV. *Comitatem esse virtutem, & peculiarem* ab aliis, ex *objecto* assignato, facile liquet: cum enim in communi convictu & conversatione, quæ jucunda semper debet esse, & suavis, duo cernantur extrema, alterum in excessu, in defectu alterum, ut quis vel nimium, vel non satis, jucundè & suaviter se gerat, oportet quoque, virtutem aliquam dari, quâ utrumque hoc extremum corrigatur: At ea non

est alia quam comitas, quod ex singularum virtutum inductione facile patet, si quis per singularum classes incedat: Est quidem comitas nonnullis virtutibus affinior quam aliis, ab omnibus tamen differt, & *objecto* & *actibus*, quibus circa objectum occuparur. Objectum assignavimus *thes. praced.* Actus sunt duplices. 1. συνηδύνειν τῷ ἀποδέχεσθαι, delectare & probare, quæ oporter. 2. δυσχεραίνειν τῷ λυπεῖν, *egre ferre & improbare*, quæ oportet, & sub aliis circumstantiis reliquis. Sed distinctio *Comitatis* ab aliis Virrutibus, ex ejus *proprietatibus* & Viri comis partibus atque *officiis*, clarius innotescet.

V. *Proprietates* Comitatis quinque numero recensct *Arist. in textu cit. Primam* sumit, ex modo congrediendi & colloquendi: ait enim, eum, qui comitate instructus est atque ornatus, cum omnibus agere, versari, colloqui, jucunde suaviterque, sed quemadmodum decet & decoris ratio postulat. *Secundam* sumit ex fine: debet vir Comis illam sermonis & consuetudinis jucunditatem referre, non ad turpitudinem aliquam vitæ suæ vel damnum alienæ, sed ad honestatem & utilitatem. Cum enim in actionibus humanis tria spectanda veniant, honestum, utile, jucundum; ita oportet virum comem sectari jucundum, ut illud non adversetur honesto & utili: & oblectationem, *nisi honesta* sit atque utilis, non quærit comis, & cum utilitate atque honestate mavult esse molestus quam cum jucunditate noxius. *Tertiam* Comitatis proprietatem petit à comparatione jucunditatis cum contraria tristitia, quam interdum aliis oportet afferre eum, qui alioquin comis est & affabilis: Nam ea possunt interdum nasci tempora, & in eos homines incidere potest vir Comis, ut illorum dicta ac facta non modo non probet, sed &, ut ea castiget, atque ipsos increpatione sua & severa admonitione tristitiâ afficiat: si quid enim fiat, quod facienti magnum & dedecus & detrimentum adferat, illud prudenter reprehendit & insectatur vir Comis, v. c. si vir comis incidat in hominem, qui sibi ipsi malus est, qui aliis molestus est, talem serio monebit ac castigabit cum moderato animi dolore. *Quartam* proprietatem comitatis ponit in eo Philosophus, quod vir comis: tum in oblectando, tum in offendendo, personis sese attemperet, omnibus quidem affabilis, sed non æque nec eodem modo: aliter viri præstantes & in dignitate aut munere publico constituti, aliter plebeji, sunt excipiendi: aliter noti, aliter ignoti sunt tractandi, aliter docti, aliter indocti, aliter pauperes, aliter divites, aliter sacri, aliter profani. Qui nobiscum versantur, aut sunt præstantiores, aut inferiores, aut æquales. Erga superiores, viri comis est, esse submissum & officiosum: erga pares, familiarem; erga inferiores, popularem. Quin neque locus neque tempus negligi debent: aliter in templo, in conviviis aliter, aliter in itinere: aliter diebus festis, aliter profestis: aliter cum lætis, aliter cum tristibus, est agendum ac loquendum. *Quintam* Comitatis proprietatem, haud dissimilem secundæ, repetit *Aristoteles* iterum à fine: affirmat, Viro comi propositum quidem esse, delectare, ideoque ab inferenda tristitia eum prorsus abstinere; si tamen ab inferenda tristitia majora videt commoda eventura, contristaturum potius esse quam delectaturum: oblectatio enim alteri perniciosa, lethali mulso vere comparatur, quod suave quidem est palato, sed mortem secum trahit. Atque hæ sunt *proprietates* Comitatis, ab *Aristotele* recensitæ, quibus ab aliis Virtutibus facile illa discerni potest.

VI. Sunt tamen, *qui Comitatem ex virtutum choro*, ut peculiarem atque ab aliis distinctam, *proscribunt*, quod collocetur in moderamine sermonum & actionum humanarum, quibus vita in congressu ac conversatione (*a*) jucunde ac suaviter & decenter transigi possit: atqui idem plane conantur & student reliquæ virtutes; quin & id agit universa Oeconomica & Politica. Verum enimvero, utcunque intendant virtutes reliquæ, & Oeconomica etiam atque Politica, ut vita decore sustentetur, peculiarem tamen delectationem in convictu, congressu, ac conversatione respicit Comitas, ideoque objecto formali à reliquis differt virtutibus. Quod si illæ, aut Oeconomica & Politica, hoc agant, ut suaviter & jucunde vivatur in communi convictu, id agunt

id agunt & exequuntur, vi Comitatis, quæ leges præscribit & regulas tradit, juxta quas illa suavitas & jucunditas obtineri valeat.

(a) Omnis quidem virtus usum sui habet, in conversatione humana, cum exercetur; quin & omnia Politices ac Oeconomices præcepta docent, quomodo decenter atque ex decoro vita hominum sit transigenda, ideoque objectum materiale commune habent cum objecto comitatis, illud enim utrobique est conversatio humana: sed differunt objecto formali, quia Comitas non tantum decorum respicit in conversatione hominum, sed suavitatem ac jucunditatem, quam reliquæ virtutes & præcepta Politica atque Oeconomica non spectant.

VII. *Extrema* Comitatis, seu *opposita vitia* duo sunt, alterum *in excessu*, alterum *in defectu*, illud ἀρέσκεια, *nimium placendi studium*, *adulatio*, *assentatio* dicitur; hoc, δυσκολία, *morositas*. Ἄρεσκοι dicuntur, qui voce, gestu, sermone, dictis ac factis, omnibus placere studeant, (vulgo Placentæ vel Placentini, teste Lipsio) nulla honestatis & utilitatis habita ratione, qui nihil intendunt aliud quam ut aliis placeant ac probentur: si vero id faciant propter opes aut utilitatem aliquam, quam inde sperant, & sectantur, dicuntur *Adulatores & Assentatores*, quorum ingenium graphice descripsit *Terentius* in *Gnathone*, *Plautus* in *Ergasilo*; ille in *Eunucho*, hic in *Capteivis*. *Adulatores*, vel sunt aperti, vel occulti. *Aperti*, qui palam circa culinas oberrant & cœnas captant, cœnipetæ. *Occulti*, qui gerunt amici personam & sobrii aliorum se negotiis ingerunt. Deinde, alii sunt *mansueti*, qui tantum balnea sectantur & mensas; alii *feri*, qui nonnullis adulantur, alios interim calumniis & convitiis onerant. Δύσκολοι, *morosi* sunt, qui nihil in aliis probant, nemini placere studeant, contentionibus omnia implent, consuetudinem humanæ societatis rumpunt, hominum commercia fugiunt, nihilque gratum habent, quod ab aliis proficiscitur.

VIII. Quæri hic solet, uti de aliarum virtutum extremis, *Vtrum extremorum propius ad Comitatem accedat, utrum remotius ab ea recedat?* Resp. Id definiri non potest satis, nisi primum varia & Adulatorum & Morosorum genera distinguantur: nempe utrumque vitium, tum adulationis, tum morositatis, spectari potest, vel ut est simplex & uniusmodi, vel ut est aliis vitiis auctum ac permistum. Cum quis adulatur & adulando nihil intendit aliud quam alteri placere, nec propterea ullo alio sese contaminat scelere, *simplex* est *adulator*: sic cum quis ex naturæ quadam asperitate est morosior, neque suam morositatem aliis vitiis auget, is *simplici* laborat *morositate*: sed vero si utrumque extremum aliis vitiis sit auctum & iis ceu copiis auxiliaribus instructum, dicitur *adulatio, & morositas, mixta & composita*; quemadmodum, si quis verba, gestus, ac nutus, in aliorum componat gratiam, non tantum ut placeat, sed insuper, ut honorem inde adipiscatur, quo est indignus, aut lucrum ut faciat, quo avaritiæ suæ satisfaciat; aut si quis omnia improbet ac nulli placere studeat, non tantum ex agresti quadam natura, sed ex industria in contemtum aliorum, ut alios afficiat aliqua, vel injuria, vel ægritudine. Hic utrobique *non simplex* est *adulatio* vel *morositas*, sed *mixta & composita*. Nunc ad quæstionem propositam responderi potest.

IX. §. 1. *Assentatio simplex simplici morositate est melior, & propius accedit ad Comitatem, quam Morositas. Probatur.* Cum sit propositum Comitati, ut jucunde suaviterque cum aliis consuetudo ac conversatio habeatur, erit comitas alienior ab illo extremo, quod magis à delectatione, jucunditate, & suavitate, ac longius, recedit: Sed Morositas magis ac longius recedit ab illa delectatione, jucunditate, & suavitate, quam Assentatio: Ergo, &c. *Prob. Min.* (a) Qui enim nullam habet in conversatione suavitatem, sed omnia replet mœrore, angore, tristitia, is longius abit à jucunditate, quam exigit *Comitas*, quam qui in suavitate ista est nimius. Quemadmodum simplex avaritia est deterior simplici prodigalitate, quia longius abit à liberalitatis medio, ita simplex morositas est deterior simplici adulatione, quia longius abit à comitatis medio: par enim utrobique est ratio.

(a) Quod vitium actum habet communem cum virtute, licet in illo actu modum excedat, illud

propius accedit ad virtutem ipsam, quam vitium istud quod nullum habet actum communem cum virtute: sed Adulatio actum habet communem cum virtute, sc. jucunde ac suaviter cum aliis conversari, licet in ea jucunditate ac suavitate Adulator sit nimius. Morositas vero nullum habet actum communem cum comitate, quia morosus ab omni jucunditate ac suavitate abhorret.

X. §. 2. *Adulatio composita & mixta, morositate compositâ & mixtâ, interdum est melior, interdum deterior:* nempe, gravitas utriusque vitii æstimari debet ex malis & vitiis, quæ cum alterutro commiscentur: & sic, illud erit ex extremis hisce vitiis majus, quod pluribus aliis vitiis est auctum & majus infert damnum. Sed interdum adulatio, interdum morosiras, pluribus augetur vitiis majusque infert damnum. Adulator gravissima interdum committit scelera, ut alteri placeat, quæ tanta si non committat morosus, jam adulator est longe deterior moroso. Contra, morosus committere potest plus mali ac plus inferre damni, quam adulator, & tum hic est altero pejor, ita pro plurium aut pauciorum accessu, & pro majori ac minori damno, quod ab hisce extremis, Comirati sc. oppositis vitiis, sed compositis, ac mixtis proficiscitur, alterum altero est gravius vel levius.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM VIGESIMA-SEPTIMA, DE VERACITATE.

THESIS I.

EX virtutibus ὁμιλητικοῖς non est postrema *Veracitas*, quam *Comitati c. 6. l. 4. Eth. ad Nicom.* explicatæ, & à nobis *superiori disp.* pertractatæ, subjicit *c. 7. Aristot.* eamque Græce vocat ἀλήθειαν· sed minus proprie: quippe ἀλήθεια *veritatem* significat, quæ hujus virtutis *objectum* est potius, quam ipsa, de qua nunc agimus, virtus: significantius diceretur φιλαλήθεια Lat. *Veracitas* melius dicitur hæc virtus, quam *Veritas:* dicitur quoque, *Candor, Sinceritas, Integritas, Ingenuitas.*

II. *Veracitas* est, μεσότης περὶ τὴν ἀλήθειαν ἐν λόγοις καὶ πράξεσι, *Mediocritas circa veritatem in sermonibus & operibus:* vel μεσότης περὶ τὴν ἐν ὁμιλίαις πολιτικοῖς, *Mediocritas circa veri confessionem in conversatione civili. Objectum* Veracitatis *est Veritas*, seu *verum*, seu *veri confessio, ac professio, in dictis & factis societatis civilis:*

III. (*a*) *Veritas*, non spectatur hic illa, quæ est conformitas rei, cum principiis suis constituentibus aut definientibus, vel cum intellectu, vel cum idea: (*b*) hæc enim est *Entis* affectio simplex ac transcendens, & ad *Metaphysicam* pertinet, diciturque veritas simplex: nec consideratur hic *veritas cognitionis*, seu *judicii*, seu *mentis*, quæ in eo est sita, ut res repræsentetur in intellectu eo modo, quo est extra mentem: hæc veritas ad *Physicam* pertinet, diciturque veritas complexa, estque conformitas mentis cum rebus cognitis: nec illa quoque veritas huc spectat, quæ *veritas doctrinæ* vulgo dicitur, qualis est, (*c*) vel disciplinarum in solâ cognitione consistentium, vel artium quarundam, quæ aliquid faciendi vel agendi præcepta tradunt, quo sensu Ars definitur *Arist.* ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική, habitus effectivus cum ratione *verâ*, nec hujus loci est *veritas justitiæ*, quæ in pactis & conventionibus servandis, fide datâ non fallenda, &c. præstatur; hoc modo quippe verus est & veritatis habitu præditus, qui

proximo

proximo cuique ſuum tribuit, etſi mentiatur: nec denique hic intelligitur (*d*) *veritas vitæ*, quæ eſt vivendi ratio, divinis humaniſque præceptionibus exactè reſpondens; nam veritas in Veracitate nullas propriè intuetur leges aut præceptiones, ſive humanas, ſive divinas, quibus vivendi ratio dirigitur, ſed *ſolam dictorum factorumque cum rebus, dictis ac factis, æqualitatem: hæc veritas, objectum* eſt *Veracitatis*, quæ eſt *adæquatio ſermonum & operum ſignificantium, ad res quas ſignificant, & ad animum ſignificantis*, qua unuſquiſque talem ſe demonſtrat tota vita qualis eſt, nec aliud dicit, facit, ſentit, quam quod debet & res eſt, cum, quæ ſibi adſunt, adeſſe, quæ abſunt, abeſſe, ingenuè profitetur, bona ſua vel mala, uti & aliorum, nec majora facit, nec minora, qua quis animum ſuum ita confirmat, ne quid falſi, ficti, aut picti, proferat, ore, lingua, geſtu, nutu, aliiſque modis. Hæc enim veritas non ſermonem tantum reſpicit, ſed geſtus inſuper, nutus, veſtitum, adeoque quicquid ſignum eſt, quo mentis ſuæ ſententiam, affectus, & quicquid in animo eſt, prodit homo. *Materia* ergo *circa quam* hæc veritas verſatur ſimul & veracitas, ſunt ſermones & actiones externæ, quibus *in converſatione civili* per totam vitam deſignamus ac patefacimus noſtram ipſorum conditionem ac ſtatum in humanis bonis, ut ſunt, nobilitas, amici, opes, doctrina, ſapientia, robur corporis & pulchritudo, &c. quæ omnia, cum profitemur ingenue ita nobis adeſſe vel abeſſe, ut pro loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum ratione, vel abſunt vel adſunt: (*e*) jam veraces ſumus eſtque in nobis, hæc, de qua agimus virtus.

(*a*) Omnis veritas dicit convenientiam unius rei cum alia ſed non omnis veritas eſt objectum veracitatis. Verum Meraphyſice, dicitur illud quod convenit cum principiis vel conſtituentibus, ut cum verum aurum vocamus id quod habet in ſe omnia principia ad veri auri conſtiturionem requiſita; vel definientibus, ſic Deus dicitur verus Deus, quia in ſe haber omnia iſta principia quibus definitur, nam principia conſtituentia nulla habet, ut cum illis convenire nequeat, quia eſt expers compoſitionis: verum Phyſice, dicitur omne intellectus judicium, quod convenit cum rebus judicatis, quando res ita ſe haber, ut intellectus illam ſe habere judicat: veritas Doctrinæ, eſt convenientia præceptorum, id eſt, definitionum & diviſionum cum rebus definitis ac diviſis, cum enim diſciplinæ ſunt habitus veri, non poſſunt conſtare niſi ex præcepris veris: veritas Iuſtitiæ, eſt convenientia promiſſionis cum re promiſſa, quando quis præſtat id de quo præſtando cum alio convenit: veritas Vitæ, eſt convenientia vitæ humanæ cum legibus divinis & humanis, talis perfecta convenienria in hac vita non datur; ſed veritas, quam ſpectat veracitas, eſt convenientia ſignorum exteriorum cum rebus ſignificatis & animo ſignificantis, ſive illa ſigna ſint verba, ſermones, facta, nutus, geſtus, aut quodcunque tandem quo ſignificamus noſtram aut noſtrorum aut aliorum eriam conditionem, præſertim in bonis humanis, ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ: quando quis itaque externis ſignis, ut veſtitu, aut eriam ſermone profiterur ſibi eſſe plures opes quam poſſidet, is ab hac convenientia ſigni exteriotis ſignificantis cum re ſignata recedit, & peccat in exceſſu, contra cum quis veſtitu aur ſermone ſignificat non rantum ſibi eſſe divitiarum quantum eſt, is recedit quoque à veritate iſta quam ſpectat veracitas, ſed peccat in defectu.

(*b*) Affectio Entis Tranſcendens dicitur, quia illa, ſicuti ipſum Ens, rranſcendit omnes Categoriarum limires, id eſt, in nulla reperitur Caregoria, eſtque unitas, veriras, boniras. Affectio Simplex Entis dicitur, quæ Sola cum Ente reciprocatur, ut, Omne Ens eſt unum, &, Omne unum eſt Ens. Affectio Conjuncta dicitur, quæ combinatim cum Ente reciprocarur, ur, Omne Ens eſt vel Cauſa, vel Cauſatum, &, Omne quod eſt Cauſa vel Cauſatum, eſt Ens: ar non licet alterutrum Solum cum Enre reciprocare, ut, non licet dicere, Omne Ens eſt Cauſa, &, Omnis Cauſa eſt Ens, nam ptior Enunciatio falſa eſt.

(*c*) Omnium præcepta oportet eſſe vera; nam falſa præcepta docere nos nequeunt, ut aliquid vel ſciamus, vel faciamus.

(*d*) *Veritas Vitæ*, eſt Conformitas Morum & Actionum humanarum cum legibus latis.

(*e*) Veracitas eſt Virtus quæ omnia dicta ac facta reddit Conformia & Congrua Animo hominis, qua Aliquis nihil Aliud lingua promit, quam quod Corde premit, & qua nihil facit aliud, quam quod Animus dictat, & quod res ipſa poſtulat.

IV. Sed *Veracitatem eſſe virtutem*, id eſt, habitum moralem, probandum eſt nobis: id ſic probamus. Ubi reperitur exceſſus & de-

fectus, ibi quoque est medium seu virtus. Atqui circa sermones, verba, nutus, gestus, vestitum aliasque actiones externas, in quantum sunt indices & testes veri, cadit excessus & defectus. Ergo &c. Prob. min. potest enim quis sermone, nutu, gestu, vestitu, similive actu externo, ita se componere, ac si bona habeat quæ non habet, item ac si majora habeat quam habet; atque hic modum & medium veritatis excedit: alius contra potest ita actiones suas externas instituere, ac si bona in se non sint, quæ tamen sunt, vel ac si minora essent quam sunt: atque hic à modo & medio veritatis deficit. Veracitas hoc utrumque corrigit, & inclinat hominis appetitum, vel rationalem, vel sentientem, ne aliud significet gestu, nutu, sermone, verbis, vestitu, ullove signo vel actu externo, quam quod res est.

V. *Veracitatem* esse virtutem, ex th. 4. constat, nunc porro demonstrandum est, *eam esse à cæteris virtutibus distinctam*; quod vel ex eo satis liquet: quia habet objectum à cæterarum virtutum objectis distinctum: quippe nulla est virtus alia, quæ verba & signa sic jubeat esse vera, sicuti postulat ratio, etiam tum, cum neque justitia, neque religio, neque alia virtus, dictorum factorumque veritatem, efflagitat: quod si ad aliquam virtutem revocanda esset veracitas, ad justitiam, cui est simillima, revocati deberet: sed vero *à justitia suo discrimine discernitur*: quia, alia est veritas, objectum veracitatis, dictorum factorumque cum rebus, quæ dicuntur ac fiunt, adæquatio i. e. convenientia: alia est veritas justitiæ, quæ est rei cum re æqualitas: (*a*) justitia respicit veritatem, sed eam, quæ in pactis, conventionibus, & judiciorum tractatione cernitur: at veracitas longe aliam respicit veritatem, sc. dictorum ac factorum, ut vere fiant ac dicantur, quæ fieri ac dici debent: (*b*) atque hæc dari debet ac sæpe datur etiam tum, cum justitia nullam veritatem postulat, id est, cum justitiam exerceri non est necesse.

(*a*) Veritas, quam exigit Iustitia, locum tantum habet in transactionibus & pactis: ille V. C. verè Iustus, est qui mercedem laboranti dat ex pacto debitum, qui pecuniam numerat pro conductis ædibus ex Conventione mutua promissam: sed Veritas, quam postulat Veracitas, extra pacta aut transactiones locum habet in omnibus dictis factisque hominum, vult jubetque ea dici ac fieri, quæ dicenda ac facienda sunt.

(*b*) Quarum veritatum una ab altera abesse potest, eæ non constituunt objectum unius ejusdemque virtutis: sed veritas quam respicit veracitas, quæ sita est in conformitate signorum cum rebus significatis & animo significantis, abesse potest à veritate quam respicit justitia, quæ est sita in conformitate promissionis & rei promissæ, aut adæquatione debitionis & rei debitæ; sic potest quis mentiri aut alicui falsum dicere, ut tamen unicuique suum tribuat: hic servaverit quidem veritatem justitiæ, sed non eam quam spectat veracitas.

VI. Postquam Veracitatem esse virtutem, & distinctam à cæteris, est ostensum, restat, ut hominis veracis *officia* & ipsius Veracitatis *opposita* consideremus. Primum veracis *officium* est; τὸ ἀληθεύειν veritatem profiteri, ob solam honestatem, i. e. nullam aliam ob causam verum in dictis & factis consectari, quam solius virtutis & honestatis gratia: itaque, nec præmii, nec pœnæ, nec legum, nec lucri: nec honoris, nec ullius rei, nisi honestatis, causa, verum dicit: Secundum Veracis *officium* est, τὸ μὴ ἀληθεύειν, i. e. veritatem interdum celare, tegere, premere, adeoque veritatem non profiteri, nisi circumstantiæ, personarum, loci, temporis, aliæque id exigant: neque enim veritas simpliciter est dicenda ubivis gentium, omni loco & tempore, absque ullo discrimine, sed prudentia, ut in omni virtute, ita in hac potissimum est adhibenda: non equidem diffiteor, difficile esse determinatu, quantum sit concedendum prudentiæ, (*a*) in veritate reticenda ac tegenda, fieri tamen potest, ut absque vitio, prudenter aliquando, non dicamus veritatem. Nunquam aliquid veritati contrarium, seu falsum, seu mendacium, est dicendum, sed non semper omne verum est dicendum, potestque tuto aliqua veri pars taceri, si circumstantiæ id exigant. 1. Cum de re aliqua consultum non est omnem veritatem eloqui: tali casu potest aliqua pars veri dici, & alia taceri. Exemplum ejus rei insigne adducit *Keckerm. l. 2. Syst. Eth. c. 9.* ex vita Athanasii, qui cum fugeret Arianos

nos petsequentes, factum fuit, ut navis divinitus versa fuerit & obviam procederet hostibus, qui cum Athanasium non nossent, rogarunt eum, an non vidisset prætervectum Athanasium; respondit sanctissimus Parer, modo prætervectum esse, sed non addebat, se eum esse, qui jam rediret; quod quidem verum erat, sed non tenebatur dicere Athanasius, ac tuto silebat. 2. Si quis alteri ex mente ejus respondere non tenetur, potest aliquam partem veti reticere & caute ac ptudenter ipsi respondere, quod vetum est quidem, licet forte aliud verum pro responso interrogans exspectasset. Sic Abrahamus Pattiarcha rogatus de uxore sua, respondit eam esse sororem: quod imitatus quoque est Isaacus. Diversum quid à veritate quæstionis propositæ respondit uterque: & urerque verum dicebat, quamvis non de quæstione propositâ uti interrogantibus videbatur. 3. Reticeri potest veritas & tuto ac licite, imo debet, cum taciturnitatis lege tenemur eam non proferre. Si quis Consiliarum roget, quid in Senatu sit actum, non tenetur proferre Consiliarius, sed vel tacere potest, ac debet, vel indirecta uti responsione & orationem aliò flectere. 4. Potest ipsa veriras interdum tuto ac ptudenter dissimulati, ut si quis inter hostes, ebrios, latrones, aut id genus homines versetur, poresr sanè aliquo silentio eoque justo uti: præceptum enim affitmativum de veritate dicenda non obligat ad semper, ut loquuntur vulgo, sed prout exigit ratio circumstanriarum bene expensarum. (*b*) Summa omnium huc redit. *Veracis officium est, prudenter & circumspecte semper agere ac dicere, & verum, vel profiteri, vel celare, pro re natâ & circumstantiis oblatis:* sed sedulo cavendum ac providendum, ne prudentia in calliditatem, aut veritas non prolata in mendacium turpemve simulationem, abeat ac desinat.

(*a*) Illa duo accurate debent discerni, veritatem reticere, & falsum pronunciare: ptius absque mendacio interdum fieri potest, cum scil. circumstantiæ omnes expensæ veritatem reticendam esse jubent; ac tum demum vitium est, cum veritatem profiteri circumstantiæ mandant; sed falsum pronunciare semper est vetitum nec unquam ob ullas circumstantias fieri potest bene, quia per se malum est.

(*b*) Casus isti thesi sexta enarrati, quibus absque peccato veritas interdum reticeri potest, nihil faciunt pro mentali reservatione aut æquivocatione Iesuitica: prior committitur, cum aliquid dicitur quod verum est, sed non nisi sub conditione quam mente reservat ac reticet is, qui alteri loquitur; hæc merum ac verum est mendacium; nam cum alter, cui loquitur, loquentis cogitationes, & mente reservatas conditiones, non intelligat (solus enim Deus est cogitationum nostrarum inspector) ipsi turpiter à loquente imponitur, dum judicat esse absolute verum, quod tantummodo verum est, secundum conditionem aliquam, verbis non expressam, sed intellectu loquentis retentam ac reservatam: posterior committitur, cum voces aut phrases proferuntur, quæ ambiguæ sunt aut homonymæ, & alio sensu accipiuntur ab audiente, alio à loquente: utrobique mendacium est ac fallacia quædam, in priori casu, à dicto simpliciter ad dictum secundum quid: in posteriori, vel homonymiæ vel amphiboliæ.

VI. *Oppositum* Veracitatis in genere est *Mendacium:* mendax enim est, qui à veritate recedit. Verum, cum veritas sit simplex, & duobus modis ab ea recedi possit, vel plus, vel minus, dicendo & faciendo, quam veritas exigit, duplex quoque est mendacii species; ἀλαζονεία *Aristot. Interpretibus jactantia*, & εἰρωνεία *Arist. Interpretibus dissimulatio* dicta. Αλαζονεία, *jactantia est*, vitium in excessu, quo quis sibi vel aliis plura arrogat & majora de se vel aliis prædicat quam sunt: versatur hoc vitium circa ea, quæ non sunt, ac si essent, aut circa minora, quasi essent majora, id est, ea, vel nobis, vel aliis, affingit, quæ nec in nobis nec in aliis sunt, vel majora comminiscitur quam sunt. *Arist.* hoc vitium per fines distinguit: & ratione finis, ei duplex est ἀλάζων, vel enim μηδενὸς ἕνεκα, nihili gratia, i.e. ob nullum finem, simulat sibi esse majora quam habet, ex sola vanitate, quæ potest dici jactantia simplex, vel ἕνεκά τινος propter aliud, vel honorem, vel pecuniam, &c. & talis jactantia est composita ac mixta. Εἰρωνεία (*a*) *dissimulatio*, in defectu est vitium, quo quis dissimular sibi vel aliis esse ea bona quæ habet, aut minora facit quam habet. Aliud est ironia in *Ethicis*: aliud in *Rhetoricis*: ibi est, tropus

tropus à contrario ad contrarium, hîc est vitium illud, quod definivimus. Sunt εἴρωνες duum generum apud *Arist.* Quidam dissimulant in se ea, quæ non adeo manifesta & cognita sunt aliis; quidam dissimulant ea, quæ sunt omnibus conspicua & obvia: prioris generis dissimulatores, minus; posteriores, gravius peccant. Ad ironiam referunt Ethici *Calumniam*; cum quis aliena bona deprimit, & aliorum mala valde extollit: certe talis in Veracitatem peccat.

(a) Simulatio & dissimulatio interdum in bonam, interdum in malam sumuntur partem: priori modo absque animo decipiente fieri potest, ut aliquis simulet se hoc aut illud facturum, quod tamen non facit, quia illud ante facere constituerat, sed priusquam plene illud est executus, interea temporis animi sententiam mutat ab alio aliter persuasus; ac si ad primam alterius interpellationem non statim acquiescat, sed ita se componat, ac si id quod destinasset plene perfecteque exequi vellet, is quidem tum dicitur simulare, sed absque peccato, quo sensu Christus Lucæ 24. dicitur simulasse se longius iturum: sic & fieri potest, ut aliquis aliquid dissimulet, i. e. non proferat, non dicat illa quæ erant dicenda & proferenda, idque sine peccato, quo sensu Athanasius dissimulavit Arianis se illum esse, de quo quærerent, an Athanasius istac esset prætervectus; sic Abrahamus dissimulavit Saram esse uxorem suam, quod dicere non tenebatur: sed simulatio & dissimulatio, quæ sunt conjunctæ cum impostura proximi & animo decipiendi, sunt vitia veracitati opposita, differunt autem inter se, quod simulemus falsa, dissimulemus vera, & simulatio sit in excessu, dissimulatio in defectu; veritatis peccatum est, cum quis falso crepat majores divitias quam possidet, is simulat se ditiorem, quam est, at qui se ait minus divitem esse, cum vere sit magis dives, is dissimulat divitias suas quas vere possidet.

VIII. *Mendacium* habet se ad *jactantiam & dissimulationem*, ut *genus ad species:* nam, & jactator ostentatione & venditatione rerum suarum, id agendo, ut videatur esse is, qui vere non est, & dissimulator, obtegendo & imminuendo sua, ut videatur is non esse, qui vere est: uterque, utrimque alienam ementitur personam, & mendacium committit: nam utraque falsa quædam est vocis factique significatio cum consilio propositoque fallendi: at hoc ipsum, nihilque aliud, mendacium est. *Mendacium* enim est *vitium quo per signum aliquod, sive id fiat voce, sive sermone, sive facto, sive scriptura, sive nutu, &c. innuimus & proferimus aliquid, quod aliter se habere existimamus, (a) cum animo & intentione fallendi.* Atque hinc videre est discrimen, quod est inter *mendacium dicere* & *mentiri:* nam mendacium dicere, i. e. falsum dicere Logice, potest is, qui non mentitur, non dicit falsum Ethice; sc. qui falsa dicit ac narrat aliis, quæ auditione accepit, absque fallendi proposito, mendacium seu falsum Logice dicit, non tamen mentitur, falsum dicit Ethice, quia animus & intentio decipiendi, quæ rationem formalem mendacio largitur, longe ab illo abest: formalis enim ratio actionis moralis ab electione pendet & voluntate: ideoque fieri potest, ut quis vera dicendo mentiatur, puta, si quis vera dicat inscius, dicat animo fallendi, *mentitur formaliter*, quia committit falsitatem Ethicam: sicut contra, qui alterius falsa verba narrat inscius sine animo fallendi, *mentitur materialiter* tantum, quia committit falsitatem Logicam, quod si tamen, quæ falsa narrantur, talia sint, ut qui narrat, falsa esse scire potuerit ac debuerit, non plane extra culpam est, & *interpretative* mendax est, id est, habetur pro mendaci, quia quæ nunc quidem falsa esse ignorat, scire potuit ea esse falsa. Atque huc pertinet distincto (b) *Mendacii*, quod est κατ' ἄγνοιαν, *secundum ignorantiam*, vel κατ' αἵρεσιν, *secundum electionem.*

(a) Ex hisce verbis liquet, mendacium officiosum & jocosum vera esse peccata & mendacia, quia utrumque conjunctum est cum animo fallendi: intentio enim boni finis, non potest facere actionem, quæ per se est mala, bonam: sed aliquid dicere aliud, cum intentione decipiendi, quam res est, solius utilitatis aut voluptatis causa, nihil est aliud, quam mentiri seu actionem committere malam ob finem bonum: sed non sunt facienda mala, scil. turpia & inhonesta, à lege vetita, ut eveniant bona, aut jucunda aut utilia.

(b) Mendacium sec. ignorantiam invincibilem, est falsum logice, sec. ignorantiam vincibilem, est falsum Ethice, si non in se & formaliter, saltem in sua causa & virtualiter & interpretative.

Mendacium secundum electionem, est proprie

prie dictum formaliter Mendacium; Mendacium secundum Ignorantiam, est duplex, vel secundum Ignorantiam invincibilem, estque Mendacium Materialiter, vel secundum ignorantiam vincibilem, estque Mendacium Interpretative dictum.

IX. Quæritur hic, *Vtrum extremorum Veracitati magis adversetur, jactantia an dissimulatio? utrum sit deterius?* Resp. 1. Illud vitium est deterius, quod aliis, quibuscum vivimus, est molestius & gravius: sed in humano convictu est jactantia gravior & molestior dissimulatione. Ergo. 2. Vitium, quod est frequentius, & in quod homo prolabitur facilius, est deterius: Sed jactantia est talis præ dissimulatione. Ergo. Homini quippe à natura major est propensio ad jactantiam quam ad dissimulationem. 3. Illud vitium est deterius, cui finis est propositus deterior. Sed finis jactantiæ est deterior quam dissimulationis. Ergo. Quia jactator, vel ex inani gloria, vel lucri cupiditate, impellitur ad res suas extollendas: dissimulator, ut fugiat tumiditatem & arrogantiam, sua deprimit. Potest tamen fieri per accidens, ut interdum dissimulatio sit deterior ipsa jactantia, si scil. dissimulator dolose & subdole dissimulationem suam dirigat ad decipiendum alium: finis enim tum dissimulatori propositus est pejor quàm jactatori: finis autem bonitatem & malitiam ejusque gradus potissimum largitur.

ANNEXA.

1. *Omne mendacium, etiam jocosum & officiosum, est peccatum.*

2. *Occultatio veritatis, per mentalem reservationem, aut æquivocationem verbalem, nihil est aliud quam mendacium.*

3. *Strategemata non sunt illicita, nec pro mendaciis habenda.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM VIGESIMA-OCTAVA.

DE

URBANITATE.

THESIS I.

EX virtutibus ἐμιλητικαῖς, conversatricibus, duas, *Comitatem* & *Veracitatem*, exposuere *disput. 26. & 27.* Supereſt tertia, quam εὐτραπελίαν vocat *Arist. l 4. Eth. ad Nicom. c. 1.* quæ tamen vox in malam interdum sumitur partem, significatque non *Vrbanitatem* sed *scurrilitatem:* quo sensu sumitur apud *Apostolum*, ad *Ephes. 5. 3. ne nominetur*, inquit, *inter vos, αἰσχρότης turpitudo, μωρολογία stultiloquium, aut εὐτραπελία scurrilitas:* si enim εὐτραπελία ibi significasset *Vrbanitatem*, eam non vetuisset *Apostol. Aristot.* hac voce ipsam virtutem designavit, quamvis moneat *in textu*, eam sumi aliquando in partem deteriorem. Dicitur verò εὐτραπελία, quasi *facilitas & flexilitas morum*, videturque descendere à verbo τρέπω, *verto, flecto, muto:* sunt enim εὐτράπελοι quasi ἔυτροποι, *qui flexili & versatili sunt ingenio*, qui suos mores, sermones, & actiones, facile possunt flectere ad aliorum arbitrium, ut neminem offendant, sed contra oblectent ac recreent. *Lat. Vrbanitas* dicitur ab *urbe*, quia in urbe suavius ac jucundius conversari solent homines quam in agris & pagis.

II. Εὐτραπελία ἐστὶ μεσότης περὶ παιδιάς, *Vrbanitas est mediocritas circa jocos.* Hinc nonnulli εὐτραπελίαν dictam existimant, quia ex jocis & ludis maximè οἱ τρόποι *mores* hominum dignoscuntur. *Objectum*

Urbanitatis, sunt *joci & ludi:* nam vox παιδιὰ utrumque significat, tum ludum, tum jocum: quæ tamen voces duæ sic discriminantur apud Latinos, ut *Ludus* in facto, *Iocus* in verbo, consistere videatur: neque tamen hoc ipsum discrimen perpetuum est, ne apud probatos quidem Authores. Ergo nos *ludum jocumque* dicemus promiscue, quodcunque opponitur & contrarium est *serio:* ut enim *Comitas* in seriis occupatur, ita *Vrbanitas* in jocosis & ridiculis. Versatur *Vrbanitas* circa *ludos & jocos*, tum *faciendos* ac *dicendos*, tum *spectandos* ac *audiendos:* & utrobique *modum* ac *medium* præscribit Urbanitas.

III. *Aliquam esse Virtutem circa jocos ac ludos*, duabus rationibus probat *Arist. Eth. ad Nic. l.4. c.* 8. una desumpta est ex loco totius & partium: altera desumitur ex contrariis. 1. Est. In omni vita omnibusque vitæ partibus locum habet virtus. Sed quies, in qua ludi exercentur ac joci, ad vitam pertinet, estque vitæ pars. Ergo & hîc virtus aliqua est collocanda, quæ ludos jocosque & facere & spectare, & dicere & audire, doceat, quos & qua ratione oportet. 2. Est. Ubi est excessus & defectus, ibi quoque virtus est. At circa jocos ac ludos est excessus & defectus. Ergo. Quod sit excessus, experientia satis docet in iis, qui plus temporis in ludo, jocis, ac ludicris, impendunt, quam par est, qui alienis horis sponte dimittunt opera seria & otium eligunt jocandi ac ludendi, idque cum minime quadrat Est & defectus hîc: nam qui ita mentem intendit in rebus seriis, ut se delassel, ut spiritus animales plane fatiget, ut labori non adjungat & cum eo commutet requiem, ut seriis nunquam succedant ludicra, ut nunquam varientur festa profestis, deficiunt à medio Urbanitatis: Deus enim ipse post labores refici animum voluit, ut ad labores novos reddantur homines alacriores: ideoque Sabbatha quædam populo Judaico instituerat, ut non solum hominum sed & jumentorum corpora per illam quierem reficerentur: & frustra naturæ Author, Deus, tantum ad ludendum & jocandum propensionem indidisset mortalium animis, nisi honeste etiam & ex virtute jocari quis ac ludere posset. Cadit ergo circa ludum jocumque, rum faciendo, tum spectando, tum audiendo, tum loquendo, ut oportet & quantum oportet, (a) *virtus:* cadit & *excessus*, si nimium iis utamur: cadit *defectus*, si quis nullis jocis, vel dicendis, vel audiendis, delectetur. Sed vero, ut mediocritas utrobique servetur, quænam sint *officia Vrbani*, in jocis dicendis, quænam in audiendis, videamus.

(a) Quæritur, an absque peccato aut vitio Vrbanitati contrario quis possit aut facere aut spectare ludos scenicos, rum comicos, rum tragicos? Resp. ludi isti spectari possunt vel in se simpliciter, absque vitiis aliis concomitantibus, vel cum illis vitiis, quæ eos comitari solent: in se non sunt illiciti, quippe si de virtutibus faciendis & vitiis fugiendis præcepta ruto legi possunt, quidni eadem audita aut visa per virtutum vitiotumque, qua voce, qua gestu, repræsentationem, uti fit in ludis scenicis, honeste, licite & tuto audiri, aut videri possunt: sed si spectentur hi ludi, cum conjunctis plerumque vitiis, quales sunt hodiernæ rusticorum in pagis, civium multorum in urbibus, & circumforaneotum histrioniæ, omnino sunt damnandi, quia in illis sæpe argumentum tractatur ex Bibliis Sacris, sed verbum Dei non est datum, ut histrioniæ sit materia, quia sæpe scurrilia, indecora, turpia, repræsentantur, spectantur, audiuntur, quia nomen Dei temere sæpe invocatur, & juramentis profanatur, quia ipsum sæpe Deum imagine exprimunt, quia vitilis vestitus in muliebrem mutatur, & contra, ut nullum sit discrimen sexus, quod vetitum est in legibus Mosaicis, &c. at vero quando ista omnia absunt, nihil mali in ludis illis est, ut si cædes, in principe aut vito illustri facta, repræsentetur, oculis, autibusque aliorum, ut sceleris exectatio horribilis tanto magis posterorum feriat animos, ut etiam exhibeatur in scena, ludo honesto, victoria de hostibus reportata, aliisque similibus casibus.

Quæritur, An alii præter scenicos ludi, aut lusus ad animi corporisque relaxationem instituti, sint liciti? quales sunt scacchiæ, & lattunculorum ludi, aut etiam sphæristerii, aut exercitium sagittandi, &c. Resp. omnes illos esse licitos in se spectatos, modo absint vitia, quæ eos vel commitantur, vel consequuntur, ut sunt jurgia, lites, juramenta, neglectio vocationis, emunctio alienæ pecuniæ, &c.

Quæritur, an inter ludos licitos quoque comprehendatur ludus aleæ, & chartarum pictarum? Resp. idem quod de aliis ludis, scil. si sejungantur ac separentur vitia, quæ plerumque adsunt

adsunt, quia si ludus aleæ (idem de chartarum ludo est dicendum) per se & ex natura sua, semotis semovendis, sit illicitus, oportet aut in lege, aut in verbo Dei sit veritus; sed non est veritus. Ergo. Resp. qui secus sentiunt, præcepto tertio decalogi vetari, quod jactus aleæ sit temeraria invocatio nominis Dei, cum enim, qui aleam jacit, non habeat in sua potestate, ut talis cadat numerus, qualem desiderat, ajunt providentiam quandam extraordinariam Dei hic implorari, & sic Deum tentari, cum id fit sine causa; sed Resp. 1. negamus in jactu aleæ, etiamsi sit extra potestatem jacentis, talem jacere numerum qualem vellet, implorari Dei providentiam extraordinariam, & sic temere nomen Dei usurpari, non magis, quam id fit in ejaculatione sagittæ in altum: nullus enim hominum, vel peritissimorum sagittariorum hoc effectum dare potest, ut sagitta in altum emissa cadat in illud punctum terræ, in quod eam cadere vellet; idem dicendum est, si quis pilam projiciat in altum. Objiciunt adversarii Prov. cap. 16. versu ultimo, ubi hæc habentur verba: In gremium conjicitur sors, à Iehova autem est eventus ejus, ergo, inquiunt, extraordinaria hic Dei providentia circa sortis eventum occupatur, quam temere invocant, qui solius animi gratia alio ludo se oblectant. Resp. nulla est consequentia, non magis quam si ex alio versu alterius capitis 21. Prov. Sal. ubi dicitur, Equi parantur ad prælium, sed victoria est à Domino, inferam, ergo equos parate ad prælium est invocatio extraordinariæ Dei providentiæ, nam & eventus victoriæ etiam est à Domino. 2. Extraordinaria Dei providentia dicitur, cum Deus effectum aliquem edit, aut eventum largitur supra naturam, ut cum facit miracula, cum fidit mare rubrum, cum impedimentum posuit in corporibus trium istorum juvenum qui injecti erant in fornacem Babylonicam, ne comburerentur; quemadmodum ordinaria Dei providentia dicitur, cum Deus sequitur ordinem naturæ à semetipso fixum, & leges naturæ, à se rebus inditas, & utitur mediis naturalibus in operando: ergo in omni jactu aleæ si occupetur providentia Dei extraordinaria, Deus faciet miraculum, consequenter quoties bajuli nostri aleam jaciunt, quis ex illis sarcinam hanc aut illam sit portaturus, aut quis in opere omnibus communi primus, quis secundus sit laboraturus, totidem semper erunt miracula. 3. Quod per se illicitum est ac malum, id nunquam potest fieri aut exerceri bene, sic nunquam potest absque peccato dici mendacium aut homicidium committi, quia utrumque in se malum est ac vetitum, sed jactus aleæ potest fieri absque peccato: neque enim peccant bajuli nostri, cum tali modo & fine aleam jaciunt, ut statim est dictum, & si ludus aleæ esset illicitus, quia species est sortis, omnis sors foret illicita, atqui hoc est falsum, nam Deus ipse in Testamento veteri sortem adhiberi voluit in hæreditatibus herciscundis, & dividendis, & Apostoli sorte usi sunt in electione novi Apostoli loco Iudæ: sed nec Deus uti præcepisset, nec Apostoli usi fuissent eo, quod per se est illicitum & malum, ergo nec sors est in se illicita, nec ludus aleæ, quia est species sortis: hæc tamen omnia nihil faciunt pro hodiernis aleatoribus, quia aut rarius aut nunquam isti aleæ ludo utuntur honesto, aut absentibus aliis vitiis.

Quæritur, an saltatio facta ad modulos, solius oblectationis causa, & exercitii corporis gratia in se spectata, sejunctis sejungendis vitiis, sit illicita, & peccet in Vrbanitatem? Resp. negando, quia si in motu digitorum secundum certos modulos fidelibus canendo aut clavicymbalo non peccatur, si lingua ad certam harmoniam inter cantandum mota non peccatur, uti non peccatur, cur magis peccaretur pedibus ad certos numeros moduloſque motis? & quin absque peccato saltatum fuerit cum Cymbalis & Tympanis ante Davidem Triumphantem & Victorem, nullum est dubium: hæc tamen nihil faciunt pro hodiernis choreis, in quibus saltant, fœmina nupta viro, pueri, in nuptæque puellæ, ad turpes & inhonestas cantilenas, ubi prensationibus indecoris sæpe excitantur libidines, & alia comittuntur spectatu audituque indigna.

IV. *Officia Vrbani*, in *jocis dicendis* ac *ludis faciendis*, sequentibus circumscribuntur regulis. 1. Joci dicentis non sint sollicite quæsiti, non affectati, sed sponte oblati: alioquin omnem perdunt gratiam. 2. Joci non sint obscœni, non turpes, non leves, non futiles, non scurriles, sed honesti, sed graves, sed decori, sed liberales. 3. Modus sit in jocando, & in ludendo: ut enim in omnibus, ita & hic, *omne nimium vertitur in vitium?* quemadmodum enim nimia salsedo cibum corrumpit, ita & nimii joci ac ludi conversationem. 4. Cavendum est, ne joci nostri abeant in acerbiora scommata, nec ludi in contumelias, ne convitiis & injuriis afficiant audientes, ne iis molesti sint aut ingrati: *finis* enim *Vrbanitas* est *delectatio*, unde enitendum est, ut aliqua voluptate ludi nostri jocique perfundant & afficiant audientes. Si quid ergo carpendum fue-

rit, id *urbanus* alluſione, potius quam aperto præſtabit convitio: & hoc diſctiminis fuit inter *Comœdiam veterem & novam.* Vetus enim Comœdia verbis obſcœnis hominum vitia non ſine acerbitate perſtringebat: Nova ad mores morumque reprehenſiones alio alludebat modo. Vetus Comœdia plus nimio fuit dicax, & in jocando illiberalior, adeoque ex re omni, quantumvis obſcœna & turpi, ridiculum quid eliciebat, & viventes ac præſentes carpere & deridere non erubeſcebat: Nova in hiſce omnibus longe extitit prudentior. 5. Perſonarum habenda eſt ratio, & videndum quid nos ipſos deceat alioſque, qui, & apud quos, honeſte jocari poſſint: aliud quippe convenit ſeni, principi, docto, amico, æquali; aliud juveni, plebejo, indocto, ignoto, ſuperiori aut inferiori. Nec Parentes cum liberis, jam adultis præſertim; nec Domini cum ſervis; nec Præceptotes cum diſcipulis, jocari debent, ne vileſcat Authoritas. In genere: non eſt temere jocandum, nec facile aliquid joco dicendum in eos, à quibus non ſumus ptovocati aut qui ſunt nobis ſuperiores: nam melius fere eſt, jocum joco compenſare quam eum movere primum. 6. Temporis, loci, occaſionis, ſimiliumque circumſtantiarum habenda eſt ratio in dicendis jocis & faciendis ludis, ne dicantut ac fiant loco & tempore alienis, neque enim ſemper, nec ubique, ludicra tractare oportet: intempeſtivus foret & ineptus, qui tempore luctus, calamitatis, peſtis, belli, famis, & aliorum malorum, indulgere vellet facetiis, aut ludis, aut jocis: ſic, neque jocandum, nec ludendum, in templo, curia, ſenatu, ſcholis, aut iis in locis, ubi res ſetiæ ſunt agendæ; ſed in conviviis, nuptiis, feſtivitatibus, aliiſque congreſſibus, qui animi reficiendi cauſa ſunt inſtituti. 7. Illi joci ſunt proferendi, quales nos viciſſim ab aliis audire velimus: qui alioquin, quæ vult, dicit, viciſſim, quæ non vult, audiet.

V. *Officia urbani*, in *jocis audiendis ac ludis ſpectandis*, hiſce continentur legibus; puta; non jocos quoſlibet aut omnes promiſcue audire licet, ſed eos tantum, qui liberales decent aut ingenuum: habet enim Urbanus pro fine ſolam honeſtatem, quam ſervare ſtudet in jocis audiendis aut ludis ſpectandis; ad quam dirigit omnem, quam ex ludis jociſque percipit, voluptatem: itaque à turpibus, morionum, ſcurrarum, momorum, jocis ac ludis, aureſque oculoſque avertet Urbanus: quæ enim quis libenter auditque videtque, ea quoque videtur facere: at Urbanus non facit ea, quæ ſunt turpia. Ergo, nec turpes jocos, vel ludos, libenter, vel audit, vel videt.

VI. Ex hiſce *Vrbani*, in dicendo & audiendo, circa jocos ac ludos, *officiis*, & ex ipſo *Ariſtotelis textu*, duplex colligi poteſt diſtinctio jocorum, una ab objecto, altera à ſubjecto. 1. Alii ſunt liberales & honeſti, alii ſunt illiberales & turpes. *Liberales* ſunt, qui libero & ingenuo homine honeſtatiſque amante ſunt digni: *illiberales*, qui homine libero & ingenuo ſunt indigni: illi nihil continent turpe, aut quod offenſionem parere valeat: hi conjuncti ſunt cum turpitudine, vel aperta, vel operta. 2. *Joci* ſunt hominum, vel πεπαιδευμένων vel ἀπαιδεύτων, vel *eruditorum* vel *ineruditorum:* illi, ſunt doctrinâ & ſapientiæ ſale conditi, habentque aliquid, quo mores informentur: hi inepti ſunt & importuni, nihilque habent, quod alios vel etudire valeat vel oblectare: unde illi joci *ſalſi*, hi *inſulſi* vulgo, & recte vocantur: hominem urbanum decent joci liberales & ſalſi, non illiberales aut inſulſi.

VII. Cum vero *Officium* viri *Vrbani* ſit, *ea dicere, facere, ſpectare, atque audire, quæ viro probo & ingenuo conveniunt*, atque inſuper, *operam dare, ne quempiam offendat, neve alicui dolorem, ſed omnibus voluptatem afferat:* quærit *Ariſtot. in textu, utrum magis ſit proprium Vrbani officium?* & ad eam quæſtionem reſpondet ſic ſatis intricate, ut *Giphanio*, aliiſque *Interpretibus*, locus & textus Ariſtotelis dicatur obſcurior: videtur tamen velle *Ariſtoteles*, *prius magis* eſſe *proprium & primarium* Urbani officium, *alterum minus præcipuum & ſecundarium*; nam pervidere & ptovidere, ne quempiam offendas, & ut unumquemque delectes, inexhauſti laboris eſt ac negotii, quia rei jucundæ moleſtæque infinita quædam eſt varietas: eſt enim id uni moleſtum, quod alteri jucundum: &, quod

hunc

hunc offendit ac vulnerat, alterum recreat atque oblectat: quia eadem res eidem prorsus homini, nunc est odiosa, nunc grata. Et fieri potest, ut jocis & salibus rectis utatur quispiam, & tamen ob audientium rusticitatem offendiculum præbeat. Quare ita se gerere debet Urbanus, ut non tam spectet, quid huic aut illi placeat vel displiceat, quam quid probum, & ingenuum, & liberi ac liberalis ingenii virum, cujus rectum est judicium, deceat.

VIII. *Extrema Vrbanitatis, opposita* sc. *vitia*, sunt, *in excessu*, βωμολοχία, *scurrilitas*; *in defectu*, ἀγροικία, *rusticitas*. *Scurrilitas* dicitur à *scurrâ*, quæ vox originem trahit à Græco σκῶρ, quod Latinis significat *stercus, fimum, excrementa*: unde Latinis *scoria* dicitur, quasi excrementum metallorum. Est igitur *scurra*, qui sordida, & quasi stercorea, inter ludendum ac jocandum solet effutire. Græce dicitur βωμολόχος, quæ vox proprie significat eum, *qui aris insidiatur*, est βῶμος *ara* & λόχος *insidiæ*. Cur autem *scurræ* dicti sint βωμολόχοι, vix certa redditur *ratio*. *Giphanius* in suis *Commentariis ad c.* 8. *l.* 4. *Ethic.* ex *Suida* hanc dat rationem. Βωμολόχους ait fuisse eos, qui aris adstabant, dum victimæ immolabantur, particulam emendicantes, aut dolo furtimque captantes, qui, quoniam infimæ erant sortis homines & pauperrimi, factum est, mendici omnes *per synecd. speciei* dicerentur βωμολόχοι· qui rursum hostiarum mendici, quia blandis verbis & risum sacrificanti moventibus uterentur, ut facilius quid impetrarent, nomen dederunt iis omnibus, *per synecd. speciei*, qui plus nimio faceti & tidiculi sunt in humana consuetudine, factumque est, ut quicunque ridiculis uterentur verbis ac gestibus, i. e. *scurræ*, dicerentur βωμολόχοι· alii putant Græcè sic dictum *scurram*, quod, post sacra in aris peracta, id genus homines populum delectarent ludicris: ut ita per insidias ex reliquis sacrificiorum ventrem saginarent. Quicquid sit de origine & ratione vocis Græcæ, *Scurrilitas est vitium tale, quo quis modum excedit in ridiculis & ludicris, & sine respectu circumstantiarum nimius est in ludis & jocis*. *Aristot.* tria scutræ tribuit, 1. Quod vincatur à ridiculo. 2. Quod nec sibi nec aliis parcat. 3. Quod ea dicat ac faciat, quæ homo liber nunquam dixerit aut fecerit, tantummodo ut risum moveat.

IX. *Rusticitas*, Græcis dicitur ἀγροικία, *est illud vitium, quo quis nec jocari ipse potest, nec aliorum jocos perferre*. Qui hoc laborant vitio, Græcis dicuntur ἄγροικοι, *agrestes, rustici*; homines ad omnem congressum inutiles, qui neque nuptiis, neque conviviis, neque recreationibus, etiam cum licet, quicquam salis aut joci adspergunt, neque adspergi ab aliis patiuntur. Esse autem hoc vitium, *Aristoteles* sic demonstrat. Ille qui odio habet id, quod humanæ vitæ perutile est ac necessarium, recenseri inter vitiosos & peccantes debet. Sed jocus ac ludus humanæ vitæ perutilis est ac necessarius. Ergo, qui ludum jocumque odio habent, inter vitiosos & peccantes recenseri debent. Notat insuper *Aristoteles* de hoc vitio tria. 1. Quod rusticus honestè & decorè jocari non possit, & nullam urbanitatis symbolam in medium conferre. 2. Quod aliorum facetias & sales perferre non possit, sed jocis omnibus, etiam liberalibus offendatur. 3. Quod ad conversationem & vitam communem planè sit ineptus.

X. Quæri hic potest, sicuti fuit quæsitum de Virtutibus aliis, *Vtrum extremorum ad Vrbanitatem propius accedat?* Resp. Si utrumque extremum spectes simpliciter, videtur rusticitas minus mala, quam scurrilitas, & hæc longius recedere ab Urbanitate quàm illa: at si utraque sit aliis vitiis juncta, altera deterior est & melior alterâ, pro ratione circumstantiarum & vitiorum, quæ secum trahunt. Sed hæc omnia ex prudentia viri prudentis judicari debent.

ANNEXA.

1. *Spectacula & Acroamata, per se non sunt mala, nec in se damnanda, sejunctis vitiis concomitantibus.*

2. *Nec ludi vel lusus ulli, ad animi corporisque refectionem simpliciter instituti, per se sunt mali aut in se damnandi, sejunctis vitiis concomitantibus.*

3. *Ludus aleæ, per se atque ex natura sua, separatis separandis, non est illicitus, neque magis, quam alii quidam ludi, aut respectum dicit ad providentiam aliquam Dei particularem singulari modo consulendam, aut petitio peculiaris est divini testimonii, uti id demonstravit* Thomas Gattakerus, Vir doctissimus & pientissimus, Londinas concionator, *in suo* de sortibus *tractatu Anglico, & Latina Antithesi* D. Amesio & Voetio *oppositæ.*

4. *Saltatio ad modulos, sejunctis sejungendis, non est illicita: nihil tamen illa facit pro hodiernis choreis: uti nec aleæ ludus simpliciter pro hodiernis aleatoribus.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM VIGESIMA-NONA, DE JUSTITIA UNIVERSALI.

THESIS I.

EXposuerunt *Disp. præced.* Virtutum singularum naturas ex *Arist. Eth. ad Nicom. l.* 3. & 4. præter *Iustitiam*, de qua ultimis *l.* 4. verbis acturum se monuerat, ac *l.* 5. agere statim incipit. Ejus laudes, ex origine, amplitudine, utilitate, & variis de ea testimoniis proponere, Rhetoris est magis quam *Philosophi:* nos ergo consueta methodo, post *vocem*, *rem* ipsam explicatam dabimus, si rationem *ordinis* primum exposuerimus. Postponitur ab *Aristotele* cæteris virtutibus *Iustitia*, non quod dignitate iis sit inferior aut cedat, sed quia cæteris latius patet; est enim reliquarum quasi complexio, & ex iis quasi composita: at simplicia complexis & compositis sunt priora. Atque hinc *Iustitia* supra alias virtutes excellentia potius est conspicua, quia bonum id est præstantius quod latius patet. Differt à cæteris, quas complectitur & sequitur, virtutibus, (*a*) quod harum actiones potissimum considerentur ratione agentis à quo proficiscuntur & hominem maxime intra se perficiant; at justitia in exterioribus magis actionibus eum perficit, atque eas, quatenus erga alios exercendæ sunt, moderatur. Sed hæc ex sequentibus clariora evadent.

(*a*) Omnis virtus spectari potest, vel ratione possidentis, qui ea est præditus, quem perficit, & sic de virtutibus singulis actum fuit hactenus; vel ratione aliorum, quorum bonum promovemus virtutum intra nos contentarum exercitio, si quis enim fortiter pro patria pugner, liberaliter egeno succurrat, tristitiam proximi honestis jocis ac facetiis pellat, is sane aliorum promovet bonum; vel ratione magistratus ac Dei, virtutis uniuscujusque exercitium legibus præscribentis; hisce duobus modis posterioribus spectatæ virtutes, omnes & singulæ, simul sumptæ, vocantur justitia universalis, quia unicuique & proximo & Magistratui ac Deo datur suum; proximo, quia bonum illi confertur, quod ipsi debetur ex lege charitatis; Magistratui ac Deo, quia virtutes exercendo, obedientia præstatur legibus à Magistratu ac Deo latis, quæ illis debetur.

II. *Iustitia*, Græcis δικαιοσύνη, à δίκαιον, *quod Arist. l.* 5. *Eth. c.* 4. à δίχα dicitur, i. e. *bifariam, divisim*, quod æqualiter omnia dividat: Latinis vocatur *Grammaticis* nonnullis, quasi *vistitia*, quod vim sistat; alii, à *sistendo jure* dici existimant, quia jus sistat. Philosophi *justitiam* à *jure* derivant, vel ut causa ejus, vel ut effecto, vel ut subjecto: tribus fere distinctis modis circa jus occupatur justitia: (*a*) vel antecedenter, tanquam ejus causa, ut, cum quis per habitum justitiæ jus alteri facit: vel subjective & essentialiter, quatenus justitia est ipsum jus, i. e. quatenus legislatoris justitia, est ipsius, subjecti sc. justi, voluntas, cuique suum tribuendi: vel consequenter, quatenus est effectus juris, in quantum secundum leges agendo quisquam habitum justitiæ sibi

sibi comparat: si primo spectetur modo justitia, nullum est dubium, quin *jus* descendat *à justitia:* si secundo modo, *neutrum ab altero:* si tertio modo, *justitia à jure* venit.

(a) Iustitia est causa jutis, quando per justitiam tanquam habitum alteri quis jus facit, & actum justitiæ exercet; justitia & jus idem sunt subjective, quatenus ambo sunt in subjecto justo, illudque denominant, sic idem sunt jutis doctor, & justitiæ sacerdos; justitia est effectum juris, quatenus quispiam jus & fas faciendo, id est, actionibus justis, justitiam acquirit; potest etiam dici justitia à jure, tanquam ab objecto, quatenus illa circa jus faciendum occupatur, aut aliis juris præcepta explicat.

III. Justitia, non uno sed variis admodum sumitur modis: ac ne recensеamus (a) *justitiam Legalem & Euangelicam*, de qua utraque Theologi: apud *Philosophos* sumitur, vel *generaliter*, prout brutis & feris bestiis tribuitur, sicuti iis & aliarum virtutum nomina non κυρίως proprie, sed καθ' ὁμοιότητα secundum similitudinem, interdum tribuuntur: vel καταχρηστικῶς & *abusive*, pro æquali distributione prædæ, qualem interdum in latronibus cernimus: vel *proprie & specialiter* pro Virtute, quæ in communi hominum societate ac vita cernitur, quam *c. 1. l. 5. Eth. ad Nic.* definit *Arist.* & de qua impræsentiarum disputamus.

(a) Iustitia legalis est, quam exigit lex moralis, sc. obsequium perfectum, erga omnia sua præcepta; quia adest promissio; hoc fac & vives; & comminatio, & maledictus omnis sit, qui, &c. hanc nullus unquam mortalium habuit: de hac dicitur ad Rom. 3. *Nemo enim est justus, imo ne unus quidem:* justitia Euangelica est, quam exigit Euangelium, sc. quæ est objectum fidei in Christum, qua justificamur & justi sumus, non in nobis, sed in ipso, unde vocatur justitia fidei, & ad Rom. 3. lex fidei; de hac dictum est, *Iustus ex fide vivet*, &, qui *crediderit in me*, sc. *I. Christum, habebit vitam æternam*, &, qui *non crediderit, condemnabitur.*

IV. *Iustitia est Arist.* ἕξις, ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσὶ, καὶ ἧς δικαιοπραχοῦσι, καὶ βούλονται τὰ δίκαια. *Habitus, à quo idonei sunt ad res justas gerendas homines, & quo justa agunt volunt*que *justa.* Quæ definitio *genere* constat & *differentiâ. Genus* est, *habitus*, *non* quidem *proximum*, quod virtus moralis, *sed remotum:* & *hoc*, aut per *Synecdochen generis* ponitur pro proximo, aut sufficit in definitione rerum moralium, quæ, *Aristot. l. 1. Ethic.* teste, exquisitam Doctrinæ subtilitatem non amant. *Differentia* desumta est à tribus 1. ἀπὸ τοῦ δυνάμεως, *facultatis:* dicit enim *Aristoteles*, quod per justitiam homines idonei sint ad justas actiones, id est, quod facultatem & vim agendi habeant ea quæ sunt justa. 2. ἀπὸ τοῦ πρᾶξεως, *actionis:* neque enim sufficit habere facultatem agendi ea quæ sunt justa, sed oportet etiam eam facultatem deducere in actum & agere quæ sunt justa: laus enim omnis virtutis in actione consistit. 3. ἀπὸ τοῦ βουλήσεως, *volitionis:* addit enim *Philosophus*, quod per justitiam homines etiam volunt ea quæ sunt justa, id est, expetunt & eligunt constanti voluntate ea, quæ cum justitia conveniunt: Qui enim temere aut casu fortuito, aut ignorans, aut invitus, facit justum, is non potest ob justitiam laudari, sed qui volens facit. Et hinc orta est definitio *justitiæ* apud *Iurisconsultos*, quod sit *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, quam definitionem cum *Thoma Aquin. Picolomineus* in totum rejicit, *Casus* in *speculo morali*, licet ea verbis discrepet, re tamen & sensu cum *Aristotelica* convenire asserit. Nos, si ad exactæ definitionis libellam expendatur, uti fatemur non esse accuratissimam, quia non debet animi facultas confundi, cum habitu, ita tolerari posse asserimus, si cum aliquo benignæ interpretationis temperamento sumatur, & metonymicè, metonymia subjecti, *per Voluntatem* intelligatur *habitus: volendi:* Quid enim est constans & perpetua voluntas, quam habitus confirmatus, quo volumus unicuique suum, id est, quod secundum leges justitiæ debetur, tribuere? Ac de ejus definitionis sano sensu latius videri possunt *Iurisconsulti* ad initium *Institutionem*; Qui etiam disputant, *an hæc definitio divinæ justitiæ an humanæ conveniat?* Qui pro divina pugnant, in hominem ajunt non cadere voluntatem tam constantem: sed contra est, quod definiatur *justitiæ, voluntas &c. jus suum cuiq; tribuendi:*

Deus

Deus autem nulli quicquam debet, quis enim Deo dedit prior? Quod dicitur in hominem non cadere perpetua & constans voluntas, si intelligatur quoad habitum, intentionem, propositum, actum primum, falsum est; si quoad actum secundum, verum est, sed hoc non requiritur: neque enim statim injustus est dicendus, qui nonunquam à justitiæ semita aberrat: ex affectu enim potius quam effectu justus æstimari quis debet: (*a*) & distinguatur inter speciem & individuum, inter definitionem justitiæ in idea & individuo, inter essentiam & existentiam: definitur Justitia, non quatenus est in hoc vel illo individuo, sed qualis esse debet; licet ergo non cadat in omne individuum, cadit tamen in speciem. *Perpetua & constans voluntas* est *justitia*, ratione essentiæ, non existentiæ: ut enim omnium rerum essentia, ita etiam justitiæ, est constans, perpetua, & immutabilis: diciturque talis; quatenus habitus animi in homine justo nihil vult, nihil ordinat, eligit, nisi quod sit perpetuum & semper constet.

(*a*) Iustitia spectatur in specie, quatenus est virtus hominis; homo enim apud Logicos species est, cujus proprium est justitia, quia soli convenit homini, non bruto; non autem est proprietas individui, quia non uni alicui homini singulari, puta Petro, soli convenit justitia: plures enim individui homines, quam Petrus, justitia sunt præditi: ideoque, hæc in individuo definiri non potest, sed in specie, quæ definitio, dicitur esse, justitiæ, in idea, quia reptæsentat definiendo omnem justitiam, quæ est in hominibus singulatibus justis, Petro, Paulo, Iohanne, &c. &, quia definitio omnis explicat essentiam rei, abstrahitque ab existentia, dicitur justitia, cum definitur, spectari ratione essentiæ, non ratione existentiæ, quemadmodum rosa quoque, tempore hybetno, quo non existit, definiri potest quoad essentiam, quod sit flos, &c.

V. *Aristoteles l. 5. Eth. c.* 1. justitiæ *definitioni* subjicit ejus *divisionem*, quam tamen antequam ponat, *tres* præmittit *commonefactiones*. *Prima* est, quod sit discernendum inter habitus, facultates, & scientias. Habitus non sunt contrariorum, ut à sanitate tantum sana sunt, à fortitudine fortia, à justitia justa. Scientiæ & facultates sunt contrariorum, ut Intellectus versatur circa vera & falsa, Voluntas circa mala & bona, Jurisprudentia circa justa & injusta, Medicina circa salubria & insalubria. Verum enim verò, & virtutum habitus in bonis prosoquendis & malis fugiendis occupari, certum est, (*a*) ubi omnino est contrarietas quædam & objectorum & actionum circa objecta *Secunda*. est quod habitus cognoscantur, vel è contrariis, vel ex subjectis & efficientibus. Si constet, quibus in rebus sit sita & quibus causis paretur εὐεξία bona valetudo, non potest ignorari κακεξία mala valetudo. *Tertia* est, si unum contrariorum dicatur ὁμωνύμως ambigue & alterum dicitur, juxta *lib.* 1. *Topic.* Atque ex hac tertiâ commonefactione deducit *divisionem justitiæ Aristot.* tali fere modo. Ea, quæ sunt homonyma seu æquivoca, dividi possunt. Omne enim vocabulum æquivocum seu homonymum dividi potest in sua significata. At vocabulum hoc (*justitia*) est ambiguum. Ergo. *Prob. min.* Si vocabulum (*injustitia*) sit ambiguum, ergo & oppositum (*justitia.*) Sed &c. Ergo &c. *Prob. min.* quia injustum est ambiguum. At si unum conjugatotum est ambiguum, ergo & alterum, juxta *Aristotelem lib.* 1. *Top. circa finem. Injustus* autem dicitur quis duobus modis: vel *generatim* seu *universaliter*, qui legum est transgressor, seu qui peccat contra aliquam legem, unde Peccatum definitur ἀνομία, illegalitas, transgressio, & Lat. dicitur injustitia, *Bel. Ongerechtigheyt*, ei non tribuendo istam obedientiam quam debet, παρανομῶ· vel *speciatim* & *particulariter*, qui inæqualis est distributor & commutator bonorum externorum, & uni plus, alteri minus, quam debet, largiendo, ἄνισος iniquus & πλεονέκτης, *plura possidens quam ipsi debentur*: eodem modo & *justus* dicitur, *universaliter*, qui legum est observans, νόμιμος, vel *particulariter*, qui est æquus & æqualis in distributione & commutatione bonorum, largiendo unicuique suum ac quantum debetur, ἴσος. Ex hâc duplici significatione justi & injusti, *duplex* quoque colligitur *justitia & injustitia*, *Vniversalis* & *Particularis*. *Vniversalis* est obedientia erga omnes leges, & dicitur *Vniversalis*, quia complectitur sub se omnes virtutes,

tes, de quibus leges universaliter præcipiunt: dicitur & *legalis*, quia ad hanc pertinet, ut leges æquæ & condantur & observentur: & *generalis*, quia bonum Reip. & commune ac generale spectat. Nam cum quis ex virtute agit, procuratur Reip. tranquillitas ac salus; ideoque vir bonus sit & civis bonus. Ab *Arist.* appellatur νόμιμον δικαιοσύνη. *Particularis* justitia est virtus, quæ servat justam æqualitatem in distributione & commutatione bonorum externorum: dicitur *particularis*, quia spectatur justa vel distributio vel commuratio bonorum respectu hominis particularis, erga quam exercetur atque instituitur: vocatur ab *Aristotele* ἰσότης. *Universalis* injustitia est transgressio quarumcunque legum, παρανομία, & ἀνομία, & ἀδικία, Græcis. *Particularis* injustiria est inæqualitas, in commutandis bonis aut distribuendis privato, ἀνισότης *Græce*.

(*a*) Omnis virtutis objectum est tum bonum tum malum, ejusque Actus omnis est prosequi vel fugere: at bonum & malum, sunt contraria, item prosequi & fugere.

VI. Sunt qui hanc *Justitiæ* divisionem in *Universalem* & *Particularem* plane carpant & rejiciant, quia membra dividentia ita debeant esse inter se affecta ut neutrum alteri includatur: male enim agit, qui animal dividit in hominem & Petrum, quia Petrum homo complectitur. Sed 1. non est divisio rei sed vocis: atqui hîc potest significatio specialis contineri sub generali & tamen divisio rectè institui. 2. neque hæc ergo divisio fuerit bona, cum magnitudo dividitur in lineam & lineatum, seu in lineam, superficiem, & corpus, quia linea in lineato, in superficie, & corpore, continetur: nec corpus dividi poterit naturale, in simplex & mixtum; quia simplex in mixto continetur: & notandum, quod membra opposita se invicem non includant formaliter, i. e. secundum definitiones suas, quod neque hîc fit: Nam significatio generalis *Justitiæ Universalis*, non est eadem cum significatione speciali *Justitiæ Particularis*, quod ex *th. s. liquet.* At materialiter, i. e. reverâ, se includere possunt, uti hîc fit. Quia justus *Justitiâ Particulari*, est & justus *Justitiâ Universali: vid. Disp. seq.* Sed de *Justitia universali* paulo pluribus agamus, *Particulari* in disputationem aliam rejectâ.

VII. *Justitia Universalis*, est obedientia erga (*a*) leges honestas, quæ & publicam spectant & privatam utilitatem. Definitur quoque *Aristoteli* in *textu*, ἀρετὴ τελεία πρὸς ἕτερον, *Virtus perfecta ad alium. Virtus perfecta*, quia non est μέρος τῆς ἀρετῆς ἀλλ' ὅλη ἡ ἀρετή, pars virtutis sed tota virtus, id est, omnis & quælibet virtus, seu virtutum omnium complexio, juxta versiculum *Theognidis Aristoteli* citatum: Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετὴ ἐστι. *Justitia in se virtutem continet omnem:* 1. quia χρῆσις usus est perfectæ virtutis, quæ semper pluris est facienda, quam κτῆσις, possessio. 2. quia virtutis cujusque usus est erga alios, qui longe est difficilior quam erga seipsum: quia quisque seipsum magis amat quam proximum: sunt enim multi qui suis in rebus uti possunt virtute sed non possunt alienis. (*b*) Est verò virtus *ad alium*, quia justitia est bonum κοινωνικὸν & ἀλλότριον, communicativum & alienum, non sibi sed aliis consulens, foras spectat & totam se ad alienas utilitates porrigit atque explicat *justitia Universalis*. Unde vulgo *reliquarum* virtutum *domina* audit ac *regina*.

(*a*) Leges honestæ dicuntur, quæ cum rectâ ratione conveniunt.

(*b*) Dicitur Iustitia universalis, virtus ad alium, quia, cum obsequium præstatur legibus, tributut legislatori, quod suum est, procuratur Reip. & proximorum bonum; nam tum bene agitur in Repub. & cum proximo, quando subditorum unusquisque dat Cæsari, quod Cæsaris est, & Deo, quod Dei est, i. e. cum singuli obsequuntur legibus divinis, & humanis, tum enim nulla fit injuria, aut Deo, aut Reip. aut proximo: & ideo dicitur Iustitia virtus ad alium, quia obsequendo legibus tribuimus Deo, Reipub. & proximo quod suum est.

VIII. Ex hisce patet, (*a*) *Quomodo differat justitia universalis & virtus simpliciter, sc. non re sed ratione*. Virtus enim omnis, non nude & in se, sed in usu & exercitio ad alios, spectata, dicitur *Iustitia universalis:* ut *virtus*,

tus, refertur ad habentem, quem perficit, ut *justitia*, dicitur respectu aliorum quibus inservit, ita ut *unus idemque* sit *habitus*, & *virtus moralis*, & *justitia universalis*, qui tamen habitus, quia τὸ εἶναι οὐκ ἐστι τὸ αὐτὸ, ἡ μὲν πρὸς ἕτερον, δικαιοσύνη, ἡ δὲ τοιάδε ἕξις, ἁπλῶς ἀρετὴ, subintell. ἐστι. Ubi observandum est, cum *Philosophus in textu* dixit, Justitiam Universalem & virtutem moralem differre τῷ εἶναι, non intelligi distinctionem realem, aut quod tota essentia differant, sed intelligitur per τὸ εἶναι *modus essendi*: i.e. *Modus essentiæ aut etiam existentiæ non est idem*: τὸ εἶναι, i. e. λόγῳ δὲ εἶναι, non est idem: at λόγῳ δὲ εἶναι diversus, non infert reale aut essentiale discrimen, sed quod vocant Scholastici *formale* tantum, aut *rationis*, ut loquuntur barbare, *ratiocinatæ*.

(*a*) Quæstio agitari solet, an justitia universalis sit Virtus peculiaris, non tantum numero, sed specie distincta à virtutibus aliis, quemadmodum fortitudo, temperantia, liberalitas, specie distinguuntur, & numero inter se? Resp. nullo modo, quia unius ejusdemque rei respectus varii non mutant speciem, neque enim novæ relationes novas inducunt species: sed justitia universalis nihil aliud significat, quam novum respectum, aut relationem novam, omnium & singularum virtutum inter se specie distinctarum, vel ad proximum, vel ad Rempublicam, vel ad Deum: in quantum enim fortitudo exercita, proximi bona, vitam, quin & Reipublicæ tranquillitatem, defendit ab injuriis hostium, & sic utriusque bonum promovet, atque in agendo obedientiam præstat Magistratui ac Deo, id agere jubenti, in tantum dicitur justitia, & non fortitudo, nam sic dicitur respectu ipsius fortis in quo est, quem ut possidentem perficit; at vero quia vir fortis tenetur, ut etiam omnis alius quacunque alia virtute præditus, bonum proximi & Reipublicæ promovere, obsequium Magistratui & Deo præstare, id cum facit quia unicuique suum tribuit, illo respectu non fortis sed justus dicitur, & quæ virtus respectu possidentis dicebatur fortitudo, relata ad alios quam possidentem, nunc vocatur justitia; & quia unaquæque virtus, temperantia, liberalitas, &c. hanc relationem notat ad proximum, Rempublicam, Magistratum ac Deum, considerataæ omnes & singulæ dicuntur justitia: & hinc est, quod justitia hæc dicatur universalis, & in seſe continere ac complecti virtutes omnes, quia omnes in exercitio positæ talem sui usum præstant, aliis præter possidentem, cujus bonum promovent, quatenus eum ornant ac perficiunt, ut subjectum in quo sunt. Hinc liquet inter justitiam universalem, & quamlibet aliam virtutem peculiarem, non intercedere discrimen specificum, aut reale, aut essentiale, sed tantum distinctionem formalem, aut rationis ratiocinatæ, quæ habet fundamentum in unius ejusdemque rei diversis respectibus, secundum quos illa una res & diversa accipit nomina, diversasque definitiones, uti hic: virtus, quæ versatur circa metum & audaciam, vocatur fortitudo respectu possidentis, & justitia dicitur illa ipsa respectu aliorum, & alio modo definitur ut justitia, alio modo ut fortitudo; ac quia definitio dicitur Aristoteli λόγῳ δὲ εἶναι, i. e. ratio essentiæ, fit, ut quæ definitione differunt, differant & dicantur Aristoteli differre τὸ εἶναι, i. e. quoad esse, seu essentiam: non tamen hinc infetendum est, ea, quæ differunt definitione, differre realiter, quia τὸ εἶναι, sive esse sive essentia, hic significat modum essendi, qui diversus esse potest, & divetsas inducere definitiones, etiamsi ipsa res definita aut essentia ejus non sit diversa.

(*b*) Λόγῳ δὲ εἶναι, seu Ratio essendi, dicitur definitio, quia hæc explicat quænam sit rei definitæ essentia: definitio verò diversa semper non infert distinctionem realem, & falsum est Axioma vulgare; Quæ differunt definitione, differunt realiter, nam Actio & Passio differunt definitione, non tamen realiter, unus enim idemque motus est, & quo ignis calefacit, quæ est Actio, & quo aqua calefit, quæ est Passio; sic acclive & declive differunt definitione, non tamen realiter, nam unum idemque spatium est acclive & declive, sed respectu divetso: unde diversitas definitionum infert quidem divèrsitatem respectuum, sed non rerum: sic hic Ratio essentiæ, seu definitio Iustitiæ universalis, alia est cum spectatur respectu possidentis, viri justi, quem perficit, & alia cum spectatur respectu alterius, vel Dei, vel Reipubl. vel proximi: priori modo est, dicitur, ac definitur, ut Virtus simpliciter, posteriori modo, ut Iustitia, ideoque Iustitia universalis & Virtus simpliciter, non differunt realiter, tanquam duo habitus, sed Ratione tantum ratiocinata, quia unus idemque habitus est, qui respectu possidentis vocatur Virtus, & respectu alterius Iustitia.

IX. *Aristotelem*, cui sacramentum dixêre, hîc deferunt *Thomas* 2. 2. *quæst.* 58. *art.* 6. *& omnes Thomistæ*, qui justitiam legalem certam faciunt & distinctam ab aliis virtutibus virtutis speciem, & Universalem vocari dicunt,

cunt, quia cæteras virtutes ordinet ad ſuum finem: itaque ipſis dicitur Univerſalis Juſtitia, non ratione eſſe ſui, aut quod ejus eſſentia tam latè pateat quàm virtutis ipſius, ſed ratione efficaciæ tantum, quia doceat reliquarum virtutum actus ad publicum & commune bonum referre, ſicut Charitas ſpecialis eſt virtus, ſed generalis dici poteſt, quatenus aliarum virtutum actus ordinat ad ſuum finem: Charitas enim patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat. Verum hæc *Thomæ & Thomiſtarum* opinio directè adverſa eſt *Ariſtoteli*, quem alias ita ſectantur ut ne latum unguem ab eo recedere auſint. Ponam paulo latius verba ultima *c. 1. l. Ethic. ad Nicom.* Τί ὲ διαφέρει ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ δικαιοσύνη ἄυτη, δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων, ἔστι μὲν γὰρ ἡ ἀυτή. τὸ ὲ εἶναι ὐ μὲν τὸ ἀυτὸ· ἀλλ' ἡ μὲν πρὸς ἕτερον δικαιοσύνη, ἡ δὲ τοιάδε ἕξις ἁπλῶς ἀρετή. *Quid vero virtus & juſtitia hæc differat, ex dictis patet: N B. eadem eſt: eſſe tamen non eſt idem: ſed quatenus ad alterum ſpectat, juſtitia, quatenus talis eſt habitus, virtus ſimpliciter eſt.* Ad quem locum videatur *Donatus Acciajolus* in *Commentario*. Quod verò τῷ εἶναι *differre* ſignificet *rationis* tantum aut *formalem* diſtinctionem, id apparet ex *5. Phyſ. t. 46. 1. de generat. t. 4. 1. 6. Eth. 72.* &c.

X. *Juſtitiæ Vniverſali* opponitur *Injuſtitia Vniverſalis*, quæ non eſt pars malitiæ, ſed tota malitia, & illa quidem ad alios relata: ſeu, eſt *legum omnium, divinarum, naturalium, humanarum, ac civilium, tranſgreſſio*, (*a*) ſive fiat omittendo ſive committendo. Verum, ex dictis de *Iuſtitia Vniverſali*, *hæc Injuſtitia Vniverſalis* ſatis innoteſcit: & quæ huc faciunt, ſequens *de jure* diſputatio exponet.

(*a*) Hinc orta eſt diſtinctio peccatorum omiſſionis & commiſſionis; peccata omiſſionis committuntur contra præcepta legis cujuſcunque poſitiva, ſeu affirmata, ut contra præceptum 4. & 5. legis moralis: ſed peccata commiſſionis, fiunt contra præcepta legum negativa, ut contra præceptum 6. 7. 8. &c. Notandum autem eſt peccatum omiſſionis & commiſſionis reſpectu actus externi & imperati, nam nullum datur peccatum omiſſionis, quin habeat ſemper actum ſibi comitem poſitivum, ſed internum atque elicitum intellectus practici & voluntatis, nemo enim omittit ſanctificare ſabbatum, aut precari Deum, niſi, quia vult id non facere, & vult quia judicat non faciendum.

ANNEXA DE JUSTITIA UNIVERSALI.

1. *An quis poſſit eſſe erga ſeipſum juſtus? A.*
2. *An quis poſſit in ſeipſum eſſe injuſtus? A.*
3. *An pugnent inter ſe jus ſtrictum & æquitas? Vtrumlibet cum diſt.*
4. *An ſummum jus ſit ſumma injuria? Vtrumlibet cum diſt.*
5. *An ex jure ſcripto, an ex æquitate, ſit judicandum? A. Prius.*

DISPUTATIONUM PRACTICARUM TRIGESIMA,

DE

JUSTITIA PARTICULARI.

THESIS I.

JVſtitiam diviſit Diſputatio præcedens in *Vniverſalem & Particularem*, th. 5. atque *Vniverſalem* expoſuit th. 6. & ſeqq. *Particularem* hæc impræſentiarum exponet *Diſputatio*, quæ hæc tria ordine explicabit, *An ſit Iuſtitia quædam particularis diſtincta ab Vniverſali? Quid ſit? Quotuplex ſit?*

II. *Dari juſtitiam Particularem, ab Vniverſali diverſam, c. 2. l. 5. Eth. ad Nicom.* tribus probat rationibus *Ariſtoteles*. §. 1. Si datur

injustitia particularis, diversa ab universali injustitia: ergo etiam dari debet justitia particularis, diversa ab universali, quia habitus ex contrariis optimè cognoscuntur, contrariorumque habituum eadem est ratio, nam contraria sunt contrariorum consequentia. Sed verum est prius. Ergo & posterius. *Prob. Min.* Hæc duo; παρανομία, legum transgressio, quæ pertinet ad universalem injustitiam, ut *c. 1. l. 5. Eth.* docet *Aristot.* & πλεονεξία, quæ pertinet ad particularem injustitiam, *Aristot. l. 5. Eth. c. 2.* sunt inter se diversa, imò in tantum inter se diversa, ut altera, sc. παρανομία, separari possit ab alterâ, sc. πλεονεξία: nam *qui* (sunt verba *Arist. cap. cit.*) *clypeum abjicit ob ignaviam, qui maledicit ob asperitatem, qui non auxiliatur proximo per illiberalitatem, injustè quidem agit*, peccatque injustitiâ universali seu legali, estque παρανόμος, alicujus legis transgressor, sed non est πλεονέκτης, neque injustè agit injustitiâ particulari, quia, nec plus sibi sumit, nec plus sibi retinet, ex bonis alienis, quam est æquum. Cum itaque παρανομία sit alia à πλεονεξία, injustitia universalis diversa ab injustitia particulari, quod est demonstratum, oportet, ex lege contrariorum, & justitiam universalem esse distinctam à particulari, & vice versa, quod erat demonstrandum. §. 2. Si injustitia universalis esset eadem cum particulari, tum omnes, qui injustè agerent, propter eandem causam, eundemque finem, & eodem modo, dicendi essent injusti. Posterius est absurdum. Ergo & prius. *Minor prob.* verbis *Arist. Si quis quæstus causâ adulteretur & plus accipiat, alius largiatur & damno afficiatur ob cupiditatem, hic quidem intemperans est proprie*, & injustus injustitia universali, ille injustus propriè & particulari injustitiâ. Mens *Philosophi* innitens axiomati recepto, quod habitus ex fine distinguantur, hæc est. Potest quis adulterii crimen committere, tanquam quæstum ex adulterio faciens, & eo quæstu ad turpitudinem ductus: alius verò, solâ libidine incitatus, nulloque pertractus lucro, imò damnum potius ac jacturam rei facultatumque & pecuniæ faciens. Prior non est libidinosus, sive intemperans, quia adulterium non commisit ut libidini satisfaceret, sed est injustus, quia propter lucrum commisit, quod, vel ex adulterio tulit, vel per fraudem ac vim, dum adulteram auro mundove spoliat, vel alio quovis modo, sibi fecit: contrà, posterior verè libidinosus est, non injustus, quia solius libidinis causa, ut eam expleret, adulterio sese contaminavit. §. 3. Si πλεονεξία, particularis injustitia, esset eadem cum παρανομία, legum transgressione, injustitiâ universali, posset πλεονεξία quoque referri ad reliqua vitia moralia, ut παρανομία. Sed πλεονεξία non potest, &c. *Min. prob.* Quia absurdum est dicere, ut, qui contra aliquam virtutem, puta fortitudinem aut temperantiam, peccat, is sit πλεονέκτης: at non absurdum, eum dicere παράνομον. *Si quis proximè stantem in acie deseruerit*, peccat contra legalem (*a*) justitiam, quia ignavus est; at ignavia legibus vetatur. *Si quis alium verberaverit*, iterum contra legalem delinquit justitiam, quia tale opus iræ adscribitur. At ignavus aut iracundus non dicitur πλεονέκτης, sed sic dicitur, *qui quæstum fecit iniquum:* & hæc vitiositas ad nullum aliud lege prohibitum vitium referri potest, quàm ad injustitiam & quidem particularem. Hæc sunt tria *Aristotelis* argumenta de *Injustitiâ*, quæ à contrario de *Justitiâ* intelligi debent. Et sic conclusio facile liquet, *Dari justitiam particularem distinctam à justitia universali.*

(*a*) Accipitur hoc loco aliter phrasis hæc (*legalis justitia*) quàm th. 3. dis. 29. ubi legalis justitia dicitur quam exigit lex moralis diciturque vulgo *justitia legis*, per quam nemo justificari potest, opponiturque *justitiæ Euangelicæ, seu fidei*, per quam omnes, qui in Christum credunt, justificantur: hic vero sumitur *justitia legalis* pro obedientiâ, præstandâ legibus omnibus & singulis, quæ virtutem hanc aut illam præcipiunt sectandam, & hoc aut illud vitium præscribunt vitandum; atque respicit legem, non moralem, sed naturæ.

III. *Quid sit* Justitia particularis, *Aristoteles cap. 2. cit. l. 5. Ethic.* explicat, institutâ comparatione inter Universalem & Particularem justitiam. Summa *comparationis* in eo consistit: Quod justitia universalis sese habeat ad particularem, ut totum ad partem: quod iterum *Philosophus* ostendit à contrario ab injustitiâ: Nam injustitia universalis, i. e. inobedientia,

bedientia, est quasi totum, quia complectitur sub sese omnia, quæ sunt παράνομα, contra legem, omnia injustè facta, quocunque aliàs nomine soleant appellari: particularis autem injustitia non dicitur de omni injuste facto, sed tantum de iniqua bonorum externorum distributione aut commutatione, in qua non est servata justa æqualitas, pro ratione, dignitate, æstimatione, tam personarum, quàm rerum, quæ inter se, vel distribuuntur, vel commutantur: ita ut una pars plus habeat, quàm ei debetur, quod solet vocari *lucrum*; altera minus habeat quàm ei debetur, quod solet vocari *damnum:* omne enim plus boni & minus mali, *lucrum* est; &, omne plus mali & minus boni, *damnum* est: ubicunque autem est plus vel minus lucri vel damni, in distributione & commutatione rerum, ibi est ἀνισότης, inæqualitas, ideoque est injustitia. Atque, eodem modo, sese habet Justitia universalis ad particularem, quemadmodum totum ad partem: nam justitia universalis dicitur de omnibus actionibus, quæ legibus & virtutibus sunt consentaneæ: justitia verò particularis dicitur tantum de justa & æquali bonorum vel malorum externorum distributione & commutatione; in quâ servatur ejusmodi æqualitas, ut neutra pars possit dici habere vel plus vel minus, quàm ei debetur. (a) Atque ex hisce liquet, *Vniversalem* justitiam, *totius & quasi generis*; *Particularem partis & quasi speciei*, habere naturam: nam in bonâ consequentiâ dicere possumus: omne justum particulare, quod ab *Aristotele* dicitur ἴσον, est etiam justum universale, quod vocatur νόμιμον, quia est legibus mandatum; sed non vice versa: non omne νόμιμον, legale, est ἴσον, æquale, quia qui temperanter vivit, is quidem servat legem de temperanter vivendo, & sic est justus Justitia legali, sed non statim est justus Justitia particulari, quia vir temperans potest plus sibi sumere & minus alteri dare quam debet.

(a) Quia justitia universalis omnes in sese continet virtutes, quatenus est obedientia præstita legibus, quæ de omnium & singularum virtutum exercitio præcipiunt, recte dicitur totum, & omnes & singulæ virtutes, quia, quatenus legibus præscriptæ exercentur, vocantur justitia universalis, recte dicuntur ejus partes; consequenter, cum justitia particularis quoque præcipiatur legibus, quæ præscribunt esse servandam æqualitatem in distribuendis aut conferendis bonis fortunæ, honoribus ac pecuniis, pro meritis in Rempublicam; aut valore rerum commutatarum, & illa quoque sub justitia universali, ut pars sub toto contineri dicitur, quia, cum exercetur, obsequium præstatur, legibus de illa exercenda latis, & sic dicitur non justitia particularis, sed universalis; ideoque omnis, qui justus est justitia particulari, etiam justus est justitia universali, sed non vice versa; nam qui fortis est ipso actu, quia id præstat, quod leges jubent, justus recte dicitur justitia universali, sed nullo modo potest dici, in quantum fortiter agit, justus justitia particulari, quia fortiter agendo non versatur circa bona fortunæ, honores, divitias, &c. vel distribuenda, vel commutanda.

IV. Quæ ex *Arist. Eth. l. 5. c. 2.* jam diximus, ea naturam *Justitiæ particularis* sic satis manifestam faciunt, sufficiuntque ad aliquam ejus definitionem conficiundam, quam *Arist.* nuspiam adsignat; sed ea ex ipso & *Thom. Aquin. 2. 2. quæst. 58.* sic institui potest. *Justitia particularis est virtus moralis, quæ in rerum externarum distributione & commutatione mediocritatem servat, ut nec de bonis plus sibi quisque vendicet & minus alteri relinquat, nec de malis minus sibi imponat & plus alteri attribuat, quam par est, & æquum, & jure debetur.* Hæc definitio præter *Genus* debitum, *Objectum* ponit genuinum, & rationem mediocritatis (quæ in justitia particulari teneri debet) tanquam ejus *Formam. Genus*, est Virtus moralis. *Objectum*, sunt res externæ; sive fuerint in bonis, ut honores, pecuniæ, lucrum, &c. sive in malis, ut pœnæ, onera, damnum, &c. Uno verbo; quæcunque inter homines distribui ita possunt, aut commutari, ut distributio illa vel commutatio aliquam æqualitatem vel inæqualitatem efficiat vel recipiat. *Forma* est Mediocritas, sed non ejusmodi, in justitia commutante, sc. cujusmodi est reliquarum Virtutum, quod ipse docet *Philosophus Eth. ad Nicom. l. 5. c. 9.* Etenim cum virtutes reliquæ, inter duo extrema vitia, duasque vitiosas actiones distinctas, sint interpositæ, quarum una simpliciter à medio deficit, altera medium supergreditur atque excedit; justitia contrà ab ejusmodi extremis cingitur, quo-

rum utrumque in uno eodemque actu reperitur ac concurrit: atque hæc duo extrema, sunt plus & minus, quæ ambo simul in una & eadem actione sunt, ideoque unum tantum constituunt vitium, quod uno quoque nomine *injustitiam* vocamus. V. C. Qui alterum defraudat, unâ & eâdem actione, modum excedit ac deficit: excedit, quia plus sibi sumit quam debet; deficit, quia minus alteri relinquit quàm debebatur ei: non sic sese res habet in virtutibus aliis. V. C. in Fortitudine; temere omnia audere, excessus est; nihil audere, defectus: at hæc duo simul in unâ actione reperiri nequeunt: & hinc est, quod excessus & defectus, in reliquis virtutibus duo vitia gignant, in justitiâ particulari non item. (a) Deinde, cum reliquæ virtutes in medio rationis tantum consistant, justitia particularis, quædam saltem, sc. commutans, in medio insuper rei est posita. Quod satis bene explicatur ab *Aquin. in sum. loc. cit.* & ejus *Commentatoribus.* Nos rem exemplo illustrabimus. Temperantiæ medium in eo est positum, ut pro tespectu honestatis, valetudinis personarum, loci, ac temporis, tantum quis edat ac bibat, quantum recta ratio, ceu judex atque arbitra, dictat; quod medium, pro respectu illarum circumstantiatum, multis modis variari potest, unde varium à ratione constituitur: at medium justitiæ non ex ejusmodi rationis arbitrio varioque pendet dictamine, sed ex ipsius rei (in qua est vel æqualitas vel inæqualitas) naturâ assumitur. V. C. Si quis domum alienam ad se transferre emtione cogitet, oportet secundum medium justitiæ tantum pretii exolvat, quantum domus meretur: neque tamen existimandum est, hoc medium rei esse contrarium rationi aut minus consonum; nam, simulatque æqualitas rerum commutandarum in medio est posita, statim ea rationis mediocritati consentit, &, quod est medium rei, simul fit medium rationis, quia ratio dictat, arbitratur, nihilque aliud judicat, quàm ut rebus ipsis commutandis, pretium æquetur.

(a) Omnis Virtus consistit in medio rationis, quod assignatur à prudentia viri prudentis, post expensas omnes circumstantias morales; Justitia Commutans prætet medium rationis insuper exigit medium rei, quod in aliis virtutibus non requiritur: hoc tamen medium rei in Justitia Commutante à medio rationis circa eandem non differt; Ratio enim ipsa indicat medium rei, i. e. omnimodam Æqualitatem servandam esse, inter personas, circumstantias, & res commutatas; sed medium Rationis in Virtutibus aliis multis modis variatur pro variatis circumstantiis moralibus, ideoque non est omni modo æquale, aut semper unum & idem.

V. *Definitionem* Justitiæ Particularis excipit ejus *Divisio*, quæ ex definitione allatâ instituitur potest hæc. *Justitia particularis* est, vel *Distribuens*, vel *Commutans* seu *Corrigens*. Vulgo dicunt eam esse, vel *Distributivam*, vel *Commutativam* sive *Correctivam*. Atque hanc divisionem ipse ponit *Aristoteles* in fine *cap. 2. l. 5. Eth. ad Nicom. Ejus*, inquit, *quæ secundum partem est, Justitiæ, una quidem est species, quæ in distributionibus honoris, vel pecuniæ, vel aliarum rerum, quot quot dividi possunt iis, qui participes sunt ejusdem Reipublicæ, versatur; altera, quæ in contractibus est, emendatrix: hujus vero partes sunt duæ; nam ex contractibus, alii sunt Voluntarii, alii Involuntarii*, &c. Vid. *Arist.* (a) Justitia, alia διανεμητικὴ, *Distributrix*, alia συναλλακτικὴ, *Commutatrix*, sive διορθωτικὴ, *Correctrix*, quia corrigit inæqualitatem inter lucrum & damnum. Primam ait *Philosophus* versari in partitione (b) ac distributione aliquarum rerum communium; sive bonarum, ut honorum, pecuniæ, Magistratuum; sive malarum, ut laboris, vigiliarum, sumtuum, vectigalium, contributionum, aliorumque incommodorum, quorum oportet esse participes, qui ejusdem Reip. communione sunt juncti. Atque hoc *justitiæ distribuentis* officium esse probat *Philosophus*. Quia, inquit, *in his contingit & inæquale habere & æquale alium ab alio.* Quasi dicat. Ubi æqualitas invenitur & inæqualitas unius hominis comparati ad alterum, ibi oportet esse ac versari justitiam peculiarem, quæ proprium æqualitatis medium investiget ac definiat. Sed in distributione honorum, præmiorum, aliorumque bonorum, & ex opposito, malorum communium, inter eos, qui ejusdem Civitatis Reique publicæ sunt participes, & æqualitas esse

esse potest & inæqualitas. Ergo in ista distributione versari oportet aliquam justitiam peculiarem. Eam *distribuentem* vocamus ex *Philosopho*. Alteram Justitiæ Particularis speciem dicit occupari in rerum commutationibus & contractibus, quorum vi, ex ditione & potestate, vel unius hominis, sc. privati, vel Reip. quæ tum unius partis ac privati vicem tenet, aliquid transfertur in alterum privatum, aut quoad dominium seu possessionem, aut quoad usum, ut fieri cernimus in emtione, venditione, locatione, conductione, commodato, mutuo, similibusve pactis & conventis, quæ συναλλάγματα Græce vocat *Aristoteles*, eaque dicit esse, τὰ μὲν ἑκούσια, τὰ δ' ἀκούσια, hæc spontanea, illa invita. In utrisque est occupata justitia *commutans*, & eodem modo: unde non novæ sunt species *justitiæ commutantis*, quarum altera circa contractus *voluntarios*, altera circa *involuntarios* versetur, sed ejusdem Justitiæ commutantis partes duæ: nam in commutationibus, tum voluntariis, tum involuntariis, una & eadem planè est ratio debiti, unus idemque modus res ad æqualitatem redigendi, una quoque formalis ratio est justitiæ; interim, ratione materiæ circa quam, aut objecti, aliqua est diversitas: nam in voluntariis commerciis tantum res compensatur: at in involuntariis commutationibus, damnum pariter & offensa: quod clarius patebit, si, quænam dicantur συναλλάγματα, & quæ sint ἑκούσια, quænam ἀκούσια, uberius exponamus.

(a) Iustiria Distribuens versatur circa bona & mala, quæ à Magistratu distribui debent Subditis, pro ratione, conditione, statu, dignitate, opibus, meritis, vel demeritis eorum in Remp. & servat mediocritatem rationis tantum; Iustitia Commutans exercetur à privato in privatum aut à Magistratu in quantum habet ratio nem privati in subditos ut privatos, versaturque inter bona & mala, ex rerum Commutatione privatis advenientia, nulla habita ratione status, conditionis, dignitatis, divitiarum, meritorum & demeritorum in Remp. servarque medium Rei: plus boni, sive publici, sive privati, collatum alicui, quam deber, vocatur Lucrum; plus mali alicui illatum, quam debet, vocatur Damnum: sic, cum præda aliqua à Magistratu distribuenda est in Subditos, aut præmium inter eos dividendum, si quis subditorum plus prædæ vel præmii reportet quam est meritus, is lucrum facit, si quis minus referat, is damnum patitur: ut vero hic servetur mediocritas, ratio expendit merita singulorum, & unicuique pro ratione meritorum, vel majorum, vel minorum, suam assignat prædæ aut præmii portionem: sic habetur quoque ratio dignitatis ac status, nam Chiliarchus plus prædæ aut præmii auferr, quam Centurio, & plus Centurio quam Vexillifer, & Vexillifer plus, quam gregarius miles: at vero in Iustitia Commutante nulla haberur ratio dignitatis, aut meritorum; sive enim Princeps, sive plebejus calceos emerit, tantum pretii Princeps debet pro suis calceis, quam plebejus pro suis; si quis Chiliarchus conduxerit domum, deber hoc ipsum pretium pro conductis ædibus persolvere quod promisit, æque ac miles gregarius pro conducta à se domo: & sive Magistratus aliquid emat, aut vendat subdito, vel privatus privato, utrobique servandum est medium rei, & tantundem pretii refundendum, quantum in emprione ac venditione ex contractu est postulatum, neque enim ibi Magistratus spectatur ut Magistratus, sed ut privatus, neque pecuniam, quam solvit pro rebus emptis ac venditis, de publico dat Ærario, sed de suis privatis nummis; ita idem Magistratus quod stipendium promittit Professori, Pastori, Rectori, Vrbis suæ Medico, Syndico, Secretario, omnibusque Officiariis, & operariis, quorum opera utitur ad Reip. bonum, deber servare medium rei, & tantum dare singulis stipendii, quantum spopondit, atque pollicitus est, haber enim Magistratus hic, conducens illorum operas, se, ut privatus, & tanquam pars contrahens, & conducens; illi se habent, ut pars altera contrahens, & locans operam suam certa mercede.

(b) Dicitur justitia distributrix versari circa res communes, i. e. distribuendas, i. e. circa res illas, non quæ sunt hujus, vel illius individui, aut privati possessoris, Petri aut Pauli, &c. sed quæ sunt sitæ intra potestatem reipublicæ seu præfectorum ejus, penes quos solos jus est distribuendi illa, ejusdem communionis aut reipublicæ membris, ut sunt dignitates, tituli, honores, & officia publica, item præmia & pecuniæ publicæ, item vectigalia, tributa, & sumptus in publicum erogandi, neque enim cujusvis est privati, illos sibi honores & titulos sumere, quos vult, sed oportet, Magistratum illos ipsi conferre pro ratione meritorum in Rempublicam, nec cuivis licet illa portare tributa, quæ vult, sed oportet Magistrarum ea imponere cuique pro ratione divitiarum quas possidet ac meritorum

ritorum quoque in Rempublicam: juſtitiam ergo diſtribuentem exercere eſt ſuperioris in inferiorem, ac proprie Magiſtratus in ſubditos, licet nonnunquam illud quoque tribuatur parentibus in liberos, dominis in ſervos, præceptoribus in diſcipulos, ſed improprie tamen: porro res communes, i. e. ad communionem aut communitatem ſpectantes Reipublicæ, ſunt vel bonæ, i. e. jucundæ ac gratæ, vel malæ, i. e. injucundæ atque ingratæ, nam res malæ, i. e. inhoneſtæ ac turpes, diſtribui ſubditis à Magiſtratu, nec poſſunt, nec debent; bona utilia diſtribui poſſunt, quin & inutilia, ſeu cum aliquo damno privatorum conjuncta, ut ſi ſubditis onera quædam ac vectigalia imponantur ferenda, aut ſumptus faciendi pro publico mandato magiſtratus; hic enim valet, Publica privatis anteferenda bonis.

VI. Συνάλλαγμα, ſive ἀπὸ τοῦ συναλλαγεῖν, ſive ἀπὸ τοῦ συναλλάττειν, derivetur, ex vi vocis, propriè ſignificat, contractum, pactionem, permutationem; at *Ariſtot.* ejus vocis notionem amplificavit, & extendit, ad ſignificandum, non tantum contractum, ſed & delicta, flagitia, omnia denique negotia civilia, ut teſtamenta, nuptias, aliaque id genus pluta, ſicuti obſervavit rectè *Giphanius in Comment. ſuis ad c. 2. l. 5. Eth. jam cit. Qua*, inquit, *tam latè patens notio hujus vocis, neſcio, an apud ullum præterea ſcriptorem quam Ariſtotelem reperiatur.* Ac præter hanc ex origine ſuâ reſtrictionem, ex *Ariſtotele* laxiorem vocis συναλλάγματος acceptionem, refert *Giphanius*, aliam adhuc anguſtiorem, & Juri civili propriam; cujus *Doctores* interdum vocant συνάλλαγμα, negotium, ex quo actio civilis oritur: qua ratione, pacta propriè dicta dicuntur carere συναλλάγμασι, contractus dicuntur habere συνάλλαγμα. Eſt & quarta notio anguſtiſſima hujus vocis, *Iuriſconſultis* tantum nota, quæ non omnes contractus, ſed certos tantum ſignificat, ex quibus ſc. utrimque naſcitur obligatio, ut ſunt emtio, venditio, locatio, conductio, &c. *Prima* vocis notio omnibus ſcriptoribus uſitata eſt. *Secunda Ariſt. Tertia & Quarta Iuriſconſ.* propria. Nos ex *Ariſtotelis* mente hoc vocabulum uſurpamus, quia commodius vocabulum hoc Græco, & Latino, *commutationum aut contractuum*, non occurrit. Hinc manifeſtum eſt, quam latè pateat *Iuſtitia commutantis objectum:* nempe, ſive συνάλλαγμα ſignificet permutationem & contractum obligantem vel ex utrâque vel ex alterâ parte, ſive pactionem & conventionem, ſive delictum, aut quippiam aliud, quod actionis civilis nomine contineri poteſt, quicquid tandem ſub nomine συναλλάγματος venit, cadit in Juſtitiam commutantem, cujus eadem eſt, quæ eſt Juris civilis, materia: quod enim Juriſconſulti tribus verbis, *perſonarum, rerum, & actionum*, id una συναλλάγματος voce hic comprehendit *Ariſtoteles.* (*a*) Hoc igitur officium eſt *Iuſtitiæ commutantis ſeu corrigentis*, ut emendet commutationes, contractus, actioneſque civiles, quarum vi aliquid ab uno, vel homine, vel magiſtratu, habente rationem unius, transfertur ad alium: multum enim in his per inæqualitatem peccari poteſt, quæ inæqualitas per aliquam virtutem ad juſtam æqualitatem reduci debet. (*b*) Atque hinc diſcrimen liquet inter hanc & diſtribuentem juſtitiam: hæc aliquid transfert à Rep. ad certos; illa aliquid à ſingularibus, aut eo, qui rationem ſingularis & unius habet, ad ſingulares & privatos.

(*a*) Quia in commerciis & contractibus vitæ civilis inter privatos ſæpe non ſervatur jus, ſed unus plus refert, alter minus accipit, quam debet, in quo ſita eſt injuria, neceſſe eſt ut aliqua Virtus doceat medium, quod hic ſervari debet, ut nullus ab altero injuriam patiatur; hæc eſt Iuſtitia Commutans, quæ, quia illam injuſtitiam emendat, Corrigens dicitur.

(*b*) Iuſtitia diſtribuens ſemper exercetur à Magiſtratu, qua Magiſtratu, in ſubditos, qua ſubditos, habeturque hic ſemper ratio meritorum & demeritorum in Rempublicam; ſed juſtitia commutans exercetur à privato in privatum, aut ſi exerceatur in ſubditum, Magiſtratus ſpectatur ut privatus, nullaque hic habetur meritorum aut demeritorum ratio, ut ſi Magiſtratus ædes conducat, aut aliquid à ſubdito emat; imo ne quidem ut Magiſtratus ſpectatur, quando pactum cum aliquo ſubditorum init de ſtipendio, quod pollicetur ſubdito huic aut illi pro opera præſtanda, aut ſolvit pro præſtita.

VII. Συναλλάγματα *Ariſtoteli* ſunt, vel ἑκούσια ſpontanea, vel ἀκούσια invita: *Iuriſconſultis* contractus is tantum eſt, qui eſt voluntarius ex parte utriuſque contrahentis: *Ariſtoteles*

teles etiam contractum vocat, non ſponte initum, ratione unius partis contrahentis: quia enim, v. c. (*a*) inter pulſantem & pulſatum, inter furantem & eum cui furtum fit, perſonarum quædam eſt mutatio (nam unus agit, & hujus ratione contractus eſt voluntarius, alter patitur, & hujus ratione contractus eſt involuntarius.) ne hanc commutationem omittat, dividit Commutationem in Voluntariam & Involuntariam. *Voluntariam* dicit, cujus principium eſt voluntatium, ab utraque parte contrahentium, cujuſmodi commutationis exempla ponit, *emtionem*, *venditionem*, &c. Vid. *text. Ariſt.* Huc refer, conducere milites, medicos, operarios publicos, &c. iiſque dare ſtipendia, quæ omnia ſunt juſtitiæ commutantis, etſi à Magiſtratu fiant, quia Magiſtratus habet hic rationem unius, eandemque ſervat mediocritatem, quam privatus cum privato in contractu. *Involuntarium*, ac non ſponte ſed invitò, ratione unius partis contrahentis: ſuſceptum commutationis genus eſt cujus principium in commutante & contrahente uno non eſt, ut ſunt contractus, qui fiunt, nobis, vel *ignorantibus*, vel *nolentibus*. Dicuntur *inviti*, quia unâ ſaltem parte invitâ fiunt, & ſunt inviti, non ratione agentis, qui ſponte & ſciens agit, ſed ratione patientis, cui, per ejuſmodi, ſive contractum, ſive commutationem, vel ignoranti, vel nolenti, fit injuria: contractus invitos per ignorantiam vocat *Clandeſtinos & occultos* Philoſophus: commutationes nolentibus nobis factas vocat *Violentas*, quia per vim inſtituuntur. Commutationis *clandeſtinæ* & *occultæ* ac per ignorantiam invitæ, exempla ponit *Ariſtoteles*: *Furtum*, quo res aliena clam ſurripitur à Domino; *Adulterium*, quo conjux aliena, ſc. reſpectu mariti, aut etiam virgo, parentum reſpectu, occultè corrumpitur; *Veneficium* quo vel incantationibus arcanis conficiuntur homines, vel abdito veneno epulæ inficiuntur ac pocula; *Lenocinium*, quo ad ſcorta & meretrices inſcii perducuntur adoleſcentes, quod nonnulli voce παραγωγείας ſignificatum ab *Ariſt.* exiſtimant, vel quo maritus propria uxoris adulterium fraude aliqua deceptus ignorat, uti exponit *Euſtratius Græcus Ariſtotelis Interpres in Eth. Nicom.* *Alieni ſervi corruptionem*, qua clanculum à Domino ſubducitur; *doloſam eadem*, qua quis per abditas inſidias fraudulenter è medio tollitur. Hæc omnia dicit eſſe *Philoſophus* occultè involuntaria propter ignorantiam, quia, qui ea patitur, peſtem occultam ignorat: neque enim maritus notum habet lenocinium, quo uxor ejus occultè corrumpitur, neque dominus fraudem ſcit qua ſervus abducitur, &c. Atque ex hiſce id quoque patet, perſonam lædi in hiſce contractibus involuntariis per ignorantiam, vel in ſe, ut in homicidio: vel in alia ſibi conjuncta, ut in adulterio, lenocinio, ſervi abductione, &c. Sed roget quis, *Quodnam hic eſt lucrum, quod damnum, quod tamen utrumque in juſtitia commutante eſſe debet?* Reſp. Qui alium occidit, pro lucro habet vindictæ aut odii expletionem: occiſus pro damno habet amiſſionem vitæ: ſic in adulterio, aliiſque, ſimiliter ſe res habet. (*b*) Commutationes per *vim* ac *violentiam* illatas, ait eſſe *Ariſtoteles*, verbera, vincula, mortem, ſc. violentam, rapinam, &c.

(*a*) Qui pulſat, is ſponte agit, qui pulſatur, invitus patitur; qui furatur, ſponte agit, is, cui furto auferuntur bona, invitus patitur: ſic ut ratione patientis dicatur Contractus invitus, aut Commutatio involuntaria.

(*b*) In Commutationibus violentis, agens ſcit & vult id quod agit, patiens quidem ſcit ſed non vult hoc, quod patitur; ſic Commutatio vitæ cum morte violenta inſtituitur Sciente & Volente Iudice, ſed qui mortem patitur violentam, ſcit quidem ſe pati, ſed contra Voluntatem tamen eam patitur.

VIII. Commutationum hæc non ſine ratione ab *Ariſtotele* fuit inſtituta diviſio: voluntarium enim & involuntarium varias conſtituunt diverſaſque commutationum ſpecies: nam in commutationibus voluntariis, quia tantummodo intercedit rei, quæ commutatur, tranſlatio, eam oportet per æqualitatem ſimpliciter compenſari; At in involuntariis commutationibus, quia non tantum fit rei, quæ commutatur, tranſlatio, ſed aliqua inſuper irrogatur injuria, non tantum res ejuſque tranſlatio per æqualitatem debet compenſari

(quando sc. compensari potest; at non potest in adulterio, homicidio, veneficio, &c.) sed præterea debet is, qui commutavit rem & in se transtulit per injuriam, propter injuriam puniri; (*a*) quæ punitio, quia semper respicit injuriam irrogatam, ut ea pari supplicio (hæc paritas supplicii æstimatur ex damno, cui resarciendo debet esse par & æqualis omni modo & gradu pœna) puniatur, non tam ad justitiam distribuentem pertinet, quam ad hanc commutantem seu corrigentem: inspecta enim rerum personarumque proportione, rerum, quæ sunt commutatæ, personarum, inter quas commutatio est facta; pro delicti atque injuriæ, vel magnitudine, vel parvitate, æqualis exigitur pœna ac par supplicium, ut tantum sit pœnæ, quantum est damni, & tot gradus supplicii sufferantur, quot fuere gradus injuriæ illatæ: & respicienda est hic proportio, non personæ commutantis ad aliam commutantem, sed personarum commutantium ad res commutatas: interim tamen, quia pœna ipsa, quam justitia hæc vindicatrix ad ulciscendum delictum imponit, non compensat satis resarcitque damnum illatum (nam, qui vitam perdit, quia alteri eripuit, eo alteri vitam non restituit, nec qui ob bona alterius furto surrepta, & jam dilapidata, virgis cæditur, eo bona ipsi restituit) sed vero solummodo facit, ut tantum patiatur reus, quantum pati potest & est æquum pro perpetrato crimine: (hic quæri potest, An sit æqua & justa compensatio, quando pro perpetrato simplici furto amittitur vita) à perfecta ratione justitiæ commutantis seu corrigentis, multum abit hæc Ultrix justitia; quare, ne sub commutante quidem aut corrigente justitia continetur: Et fortasse non errant, qui eam inter partes justitiæ particularis propriè dictas non numerant, adeoque, nec ad distribuentem, nec ad commutantem, propriè eam referunt, sed ad partes justitiæ particularis reducunt *potentiales*, quas sic vocant *Scholastici ex Aquin.* 2. 2. *quæst.* 101. Nempe in omni virtute trium generum possunt assignari *partes*, (*b*) 1. *Integrantes*, quæ sic non dicuntur quasi virtutem ipsam componant, sed metaphorice intelliguntur functiones, sine quibus non est perfectus virtutis usus. 2. *Subjectæ*, seu subjectivæ, quæ se habent ad justitiam, particularem, ut species ad genus. 3. *Potentiales*, hæ sunt virtutes, quæ quandam affinitatem & conjunctionem habent cum alia virtute, sicuti potentiæ cum anima; neque tamen perfecte participant ejus rationem, sicuti nec potentiæ participant rationem ipsius animæ; sed tamen ei in proprio suo actu inserviunt, sicuti potentiæ inserviunt animæ. Inter has Justitiæ particularis partes *potentiales* potest non incommode referri *Justitia ultrix*, *vindicatrix*, *punitiva*.

(*a*) Gravis quæstio est, ad quam Iustitiæ speciem pertinear Iustitia vindicatrix, quæ exercetur in pœnis irrogandis, nam quia pœnarum irrogatio à Magistratu instituitur, videtur pertinere ad Iustitiam distribuentem, hanc enim administrare, Magistratus est, non privati; quia ramen inter pœnam & delictum intercedit proportio Arithmetica, i. e. omnimoda æqualitas, & quia servari debet hic medium Rei, non Rationis, videtur ad Iustitiam Commurantem, quæ proportionem exigit Arithmeticam, & medium Rei, pertinere: itaque, si respiciatur proportio & mediocritas servanda inter pœnam & delictum, locum habebit Iustitia commutans: si respiciatur vero persona, quæ pœnam infligit, quia illa publica est, nempe Magistratus, locum hic videtur habere Iustitia distribuens; sic ut ad neutram dicetè, ad utramque Iustitiæ speciem ex parte pertineat.

(*b*) Partes propriè assignantur subsantiis corporeis, non vero spiritibus, aut accidentibus, ideoque cum Iustitia, & virtus sit accidens, improprie ei tribuuntur partes; quia ramen usus sic obtinuit, etiam partes assignari solent omni Virtuti: primò quidem *Integrantes*, quæ significant illas actiones, quæ requiruntur ad uniuscujusque perfectionem, quemadmodum exiguntur membra ad perfectionem totius integrantis: secundò, partes quædam virtutis vocantur *Subjectæ*, sc. virtutes aliæ, quæ huic aut illi virtuti, tanquam generi, subjiciuntur, ut species: Tertiò, partes quædam sunt virtutis uniuscujusque *Potentiales*, quæ sic vocantur, quia se habent ad virtutem unamquamque, uti potentiæ ad animam; quemadmodum enim potentiæ naturales animæ non sunt ipsa anima, ad eam ramen referuntur, ita quædam virtutes referuntur ad hanc aut illam propter affiniratem, ac cognationem: & sic Iustitia ultrix refertur ad Iustitiam particularem, tum distribuentem, tum commutantem.

IX. Justi-

IX. Justitia *Commutans* seu *Corrigens* in contractibus, tam spontaneis quam invitis, singulorum res spectat, & æquale illud, quod est (*a*) *proportionis, non Geometricæ sed Arithmeticæ*; cum enim nulla hîc personæ dignitas, sed simpliciter rerum, quæ permutantur, æqualis inter id, quod plus est & minus, spectetur distantia, satis liquet proportionem hic esse Arithmeticam: sicuti enim ejus hæc est natura, ut simpliciter numerorum inter se distantiam spectet, ita & hæc justitia medium quærit & æqualitatem in sola distantia à lucro & damno, facitque, ut contractus omnis æqualiter utrimque absit. At justitia distribuens, quæ ordinem dicit ad Remp. quia meritum spectat & cujusque dignitatem personæ, proportionem servat *Geometricam:* quemadmodum enim ista in eo est posita, ut, sicuti sese habet numerus primus ad secundum, ita tertius ad quartum; sic æqualitas distributionis in eo consistit, ut, (*b*) sicuti sese habet unius civis persona ad personam alterius, respectu meritorum in Remp. ita præmium unius aut bonum à Rep. distribuendum respondeat bono aut præmio alterius: atque hac ratione, res, quæ distribuuntur, sunt æquales, pariter ac personæ, inter quas distribuuntur, & ipsa distributio est æqua: cum alioqui, si simpliciter rem spectes, uti inter personas, ita & inter præmia, magnum discrimen esse possit. Atque ex hisce omnibus liquet, in quo differant *Iustitia Distribuens & Commutans*, duæ Justitiæ particularis partes, & quod non detur membrum tertium. Nam omnis æqualitas, vel ex dignitate, i. e. meritis in Remp. personarum æstimatur, vel ex rerum ipsarum modo ac mensura: tertium non datur.

(*a*) Proportio Arithmetica dicit æqualitatem differentiatum, Geometrica rationum, utraque inter quatuor numeros: differentia apud Arithmeticos significat distantiam duorum numerorum à se invicem; ratio notat, quoties unus numerus alterum in se includat: inter quinarium & septenarium differentia est binarius, quia distant à se invicem per duo; sed quinarius non continetur bis in septenario, ideoque inter illos non est ratio: at inter quinarium & denarium est ratio, quia denarius est duplum quinarii, & quinarius est dimidium denarii, denarius enim bis in se continet quinarium, non tamen à quinario per duo differt, sed per quinque: proportio Geometrica, significat æqualem intercedere differentiam inter bis binos numeros, i. e. ex quatuor numeris inter sese collatis, bis bini æquali utrumque distantia à se invicem distare deprehendentur, v. c. ut 2. ad 4. ita 6. ad 8. differentia inter 2. & 4. aut distantia qua à se invicem distant, est binarius, & ut 6. differunt & distant ab 8. per binarium; verum inter hosce numeros non est proportio Geometrica, quæ significat æquali ratione ac modo ex numeris 4. bis binos discrepare inter se, neque enim ut sunt 4. duplum duorum, ita 8. sunt duplum 6. neque ut binarius est dimidium quaternarii, ita senarius est dimidium octonarii, sed exemplum proportionis Geometricæ est hoc, ut 4. ad 8. ita 12. ad 24. quia uti 8. sunt duplum τῶν 4. ita 24. sunt duplum τῶν 12. & ut 4. sunt dimidium τῶν 8. ita 12. sunt dimidium τῶν 24. at hic non est proportio Arithmetica, neque enim æqualis est differentia, qua distant 4. & 8. qua distant 12. & 24. differentia enim inter 4. & 8. est quaternarius, at distantia inter 12. & 24. est 12. sed 4. & 12. non sunt numeri iidem: si id, quod in numeris est declaratum, applicetur rebus & personis, deprehendetur in justitia commutante semper servari æqualitatem differentiarum ac proportionem Arithmeticam, ut utraque pars contrahens æqualiter distet à damno & lucro; sed in justitia distribuente conspicietur æqualitas rationum & proportio Geometrica.

(*b*) Exemplum proportionis Geometricæ servatæ, & quoad res, & quoad personas, in justitia distribuente, videre est inter Ajacem & Vlyssem, & inter arma Patrocli & Achillis; nempe, quæ est ratio meritorum Vlyssis ad merita Ajacis in Rempublicam Græcorum, eadem deber esse ratio armotum Patrocli ad arma Achillis, quoad valorem & dignitatem, ut præmiorum illis distribuendorum, h. e. si Vlysses duplo plus meritus est de Republica Græcorum quam Ajax, oportet, ipsi donetur duplo majus præmium præmio Ajacis, &, quia arma Achillis duplo sunt digniora armis Patrocli, exigir justitia distribuens, ut arma Achillis cedant Vlyssi, & Patrocli cedant Ajaci: hic proportio est sita in æqualitate rationum, & quoad personas, & quoad res inter se comparatas: ut enim se habet persona Vlyssis ad personam Ajacis respectu meritorum in Rempublicam, ita se habent arma Achillis ad arma Patrocli; præmia illis distribuenda, & ut Vlysses se habet ad arma Achillis, ita Ajax ad arma Patrocli: atque hic

æqualitas est utrimque & armorum, quæ distribuuntur, & Ajacis & Vlyssis, inter quos distribuuntur: atsi quis extra comparationem illam ac distributionem arma spectet simpliciter, certe magna interest inæqualitas: nam arma Achillis longe sunt præstantiora armis Patrocli; quemadmodum quoque, si simpliciter spectentur merita Vlyssis & Ajacis, illa quoque valde sunt inæqualia: nam Vlysses prudenti suo consilio longe plus meritus est de Republica Græcorum quam Ajax suis armis.

X. Nobilis hic sese offert quæstio, sed difficilis, (a) *Quæ proportio sit servanda in pœnis irrogandis, an Geometrica, an Arithmetica?* Resp. Pœnas non posse irrogari proportione Geometrica: 1. Quia hæc exigit, ut pro inæqualitate personarum inæqualia sint onera: & sic pro eodem delicto, nobilis ac liber mitiores, ignobilis & servus acriores ferret pœnas. 2. Distributio secundum proportionem Geometricam tum justa est, etiam cum quis non tantum consequitur, quantum merebatur, sed quantum pro ratione circumstantiarum potest redundare: ita, si præda sit dividenda inter milites, & non satis magna sit ut uniuscujusque merito & virtuti respondeat, nihilominus distributio justa erit, cum quis tantum capit, quantum pro rato capere potest. At pœnæ non irrogantur justè, si infra meritum irrogentur. Et hæc sententia videtur esse congruentior *Aristoteli*, qui *l. 5. Ethic. ad Nicom. c. 4.* docet, *jus, quod in commerciis est servandum, esse æquum proportione Arithmeticâ.* Non autem distinguit istic loci inter commercia, quæ sponte faciunt homines, & quæ invitis ipsis efficiuntur: sed de commerciis loquitur in genere. At emendare contractus invitos, quidnam est aliud, quam delicta punire? Ergo & in delictis puniendis servanda est proportio Arithmetica, quod erat demonstrandum.

(a) In pœnis irrogandis habenda est ratio distantiæ æqualis inter delictum, & supplicium, ut non inferatur delinquenti plus pœnæ, quam peccatum ejus meruit, nec etiam minus: interim non est necesse servari in omnibus Personis semper eandem speciem pœnæ, modo servetur idem gradus. V. C. Si aliquis Princeps, aut ex Magistratu & optime meritus de Rep. idem committat delictum, quod vir plebejus, non est necesse, ut eodem supplicii genere afficiatur, quo afficitur plebejus, modo servetur eadem ratio, & proportio; nam potest plebejus fustigari, aut virgis cædi, ob delictum idem, propter quod Princeps abdicetur suo officio: hic tamen servata fuerit proportio Arithmetica; nam tam magna pœna est Principi, aut Magistratui, moveri suo munere, quam plebejo est, cædi virgis, aut fustigari.

DISPUTATIONUM PRACTICARUM TRIGESIMA PRIMA & ULTIMA, DE AMICITIA.

THESIS I.

EXcussæ sunt *disputationibus* ante habitis *virtutes* omnes & singulæ, quæ media sunt, quibus ad felicitatem, summum hominis in hac vita bonum, pervenitur: supereſt, ut agamus de *Amicitia*, quæ, si virtus non est, cum virtute tamen cognationem habet summam, &, si non est acquirendæ felicitatis supremæ, ejus tamen conservandæ, est medium, & virtutum explicatarum quoddam quasi effectum & usus: ut vero effectum sequitur causam, & usus rem ipsam, ita *virtutibus* explicatis recte subjungitur *Amicitiæ* explicatio: cujus necessitatem *Arist. l. 8. Eth. c. 1.* ostendit in omni vitæ statu, quam & potentioribus, & pauperioribus, & Senibus, & Juvenibus, convenire, ibidem docet. *Vid. text.*

Agit

Agit vero *Philosophus* de *Amicitia l* 8. & 9. Quæ ibi fuse persequitur, nos summatim hac disputatione comprehendimus, exorsi, ut solemus, à voce.

II. *Amicitia* vocabulum significat, 1. *generalissime*, rerum omnium συμπάθειαν, qualis consensio est inter oleam & vitem, magnetem & ferrum: de qua consensione & συμπαθείᾳ multa habet *Erasmus* in *Colloquio*, cui titulus, *Amicitia*. 2. *generatim*, quemlibet appetitum societatis, qualis etiam in bruta cadit. 3 *speciatim*, mutuam benevolentiam, quæ intercedit inter homines quosvis, sive probi sint sive improbi, sive noti sive ignoti, sive cives sive peregrini. 4. *specialissime*, pro honestorum & proborum hominum inter se benevolentia, quam conciliat virtus, utilitas, voluptas.

III. *Amicitia*, sensu quarto, definiri potest, *Benevolentia vera, nota, aperta, & actuosa quorundam inter sese mutuo, ob bonum honestum, utile, aut jucundum*. Atque hinc prout triplex est Amicitiæ *objectum*, ita triplex ponitur vulgo *Amicitia*, (*a*) *honesta, utilis, jucunda*. *Honesta*, propter solam honestatem & virtutem: *utilis*, propter quæstum aut lucrum: *jucunda*, propter voluptatem instituitur. *Arist. l. Eth.* 8. *c.* 3. Harum *Amicitiæ* specierum *prima, honesta* scilicet, per se & proprie est digna nomine Amicitiæ, quippe quæ sola est perfecta, constans, stabilis, ac genuina: reliquæ *duæ* improprie & per accidens *Amicitiæ* dicuntur, quippe quæ imperfectæ, instabiles, inconstantes, & spuriæ magis sunt dicendæ. In amicitia perfecta amicum, propter seipsum & propter virtutem: in imperfecta propter aliud, sive utilitas sit, sive voluptas, eum amamus. Sed *definitionem* Amicitiæ & allatam *divisionem* per partes explicemus.

(*a*) Divisio Amicitiæ in *Honestam*, *Iucundam*, & *Vtilem*, non est divisio generis perfecti, vel univoci, quod ex æquo suis competit speciebus, sed est divisio generis imperfecti, seu analogi, quod speciebus convenit inæqualiter, uni magis, alteri minus, & uni per & propter alteram, quale genus est ens respectu substantiæ, & accidentis; accidens enim non est ens, nisi per & propter substantiam: sic Amicitia non dicitur æquali modo de *Honesta*, *Iucunda*, & *Vtili*, sed primario de *Honesta*, secundario de *Vtili* & *Iucunda*, quatenus hæ aliquid participant de conditionibus amicitiæ *Honestæ*: atque hæc etiam faciunt ad intelligendam thesin sextam numero.

IV. Amicitiæ *genus* ponimus *Benevolentiam*, quæ significat, propensionem voluntatis & amoris in alterum, qua bene ei cupimus & volumus. Errant, qui *Virtutem* pro genere ponunt: nam 1. Virtus est fundamentum, cui Amicitia superstruitur: fundamentum autem rei, quo niritur, non est res ipsa: nihil enim sui-ipsius fundamentum est. 2. Amicitia est effectus virtutis, Ergo non ipsa virtus: nam nulla causa, quatenus causa, est idem cum effectu: sic enim idem esset causa sui ipsius. 3. Virtus cum suis actionibus in nostra est potestate, est ἐφ' ἡμῖν· est enim habitus electivus: at electio nostræ est voluntatis. Sed Amicitia non est ἐφ' ἡμῖν, non est in nostra potestate. Ergo. Prob. min. Quia requirit amorem & consensum mutuum, qui non est in nostra potestate. Nemo enim dominus est alterius voluntatis. 4. Virtus (*a*) bonum est internum, ad instar habituum aliorum. Amicitia vero est bonum externum, *Arist. 9. Eth. c. 9.* τῆς φίλης, ἢ ἐκτὸς ἀγαθὼν μέγιστον, inter externa bona maximum, appellat. Si dicas, *Amicitiam esse laude dignam & servare medium inter duo extrema:* inde non sequitur, ejus esse genus virtutem: Nam & affectus quidam & actiones virtutem antecedenres laudem merentur ac servant medium inter duo extrema: nec tamen sunt virtutes.

(*a*) Bonum internum est, quod intra potestatem hominis est situm: Bonum externum non item.

V. *Differentia*, post genus, reliquis in definitione verbis proponitur. *Amicitia* est benevolentia *vera*: ut distinguatur à simulata & ficta, quæ aliud lingua promit, aliud corde premit; uti virtus ipsa non verborum est aut linguæ sed operum ac cordis, ita & amicitia, virtutis fructus. *Nota:* ut Amicitia distinguatur à benevolentia, qua ignotos complectimur, requiritur in Amicitia, ut Amico affectum & amorem nostrum exponamus, ac de-

tegamus: possumus Christianis, longe remotis à nobis, bene velle, sed non possumus esse amici illis, quia nec nos illi, nec illos nos novimus. *Aperta:* ut excludamus amorem, quo quis occulte fertur in aliquem: potest quis recondito affectu & amore alium prosequi, quem nunquam ei apparuerit, atque hactenus nondum amicus est: Amicitia enim non latentem sed patentem exigit amorem. *Actuosa:* ut ipso actu Amicitia sese exerat & affectum mutet in effectum, ut non tantum bene velit sed & bene faciat. *Mutuo exercita:* ut significetur, in Amicitia exigi *amorem & activum & passivum:* & φίλησιν & ἀνταφίλησιν· & φιλεῖν & φιλεῖσθαι· magis tamen consistit Amicitia ἐν τῷ φιλεῖν quam ἐν τῷ φιλεῖσθαι, in amore activo quam passivo; præstantius enim est amare quam amari. Amor itaque, quo ferimur in hostes, à nobis aversos, in res inanimatas, in animatas anima vegetante & sentiente, ut in pecunias, agros, hortos, plantas, canes, equos, &c. amicitia dici nequit, quia ista non redamant. Porro dicitur Amicitia, *quorundam inter se*, puta *hominum:* bestiæ enim non sunt subjectum amicitiæ idoneum: nec Angeli, quia de hominum virtutibus pertractat Ethica, quarum usus ac fructus est Amicitia. Denique, *ob bonum honestum, utile, ac jucundum*; quibus verbis ratio impellens & motiva amicitiæ innuitur.

VI. Tres Amicitiæ *species*, honesta, utilis, jucunda, sub Amicitia continentur, (*a*) ut *genere, non univoco, sed analogo aut æquivoco*, prout istæ voces vel distinguuntur vel confunduntur: Nam Amicitia honesta sola vera est & per se Amicitia: utilis & jucunda spuriæ potius sunt species, & κατ' συμβεβηκὸς, amicitiæ: jucunda interim amicitia magis propius ad honestam accedit quam utilis, quia magis est ingenua & homine libero ac liberali dignior: sed in specie quædam de singulis videamus.

(*a*) Genus univocum dicitur, cujus & nomen & definitio ex æquo speciebus conveniunt: sed amicitiæ definitio ac nomen non ex æquo conveniunt, honestæ, jucundæ atque utili amicitiæ, cum enim amicitia sit virtutis effectum, sola honesta vera est amicitia, non item utilis aut jucunda, quia hæ in virtute non semper fundantur, nec ab ea causantur: genus æquivocum dicitur melius vox æquivoca, quia ejus nomen solum commune est, sic homo posset dici genus æquivocum hominis picti & vivi: sed amicitia utilis & jucunda plus habet commune cum amicitia honesta quam nomen, non tamen æquali modo amicitia aut ejus definitio prædicatur de honesta, utili & jucunda, ideoque amicitia illarum est genus analogum, quod vocant, cum non tantum nomen sed & definitio generis comperit speciebus, verum non ex æquo, nec ob easdem causas.

Nam quidam Philosophorum illud genus, quod inæqualiter convenit suis speciebus, vocant analogum, non æquivocum; alii vocant æquivocum, non item analogum: quidam utroque appellant modo.

VII. *Amicitia utilis & jucunda* sunt εὐδιάλυτοι, i. e. facile dissolvuntur: utilitas enim & voluptas sunt bonum instabile & facile cessant: non sic honesta, quæ solidiori innititur fundamento, sc. virtute. Amicitia *utilis* plerumque cadit inter *senes*, quia sunt φιλοχρήματοι lucripetæ, & in *vulgus*, quia *vulgus amicitias utilitate probat.* Amicitia *jucunda* potissimum inter *juvenes* viget, quia, cum affectibus multum indulgeant, fere voluptates sectantur & quod jucundum est. *Honesta* Amicitia, quia propter virtutem suscipitur, tantum est bonorum, ideoque valde rara est. *Rari quippe boni vix sunt numero totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.* Hæc stabilior est, quia virtus bonum est stabile. Hæc omnia φιλητὰ, amabilia, complectitur, (*a*) quippe virtus & honesta, & utilis, & jucunda est, tum sibi tum amicis: nam virtus mira jucunditate probos perfundit, & ipsa sibi pretium est. Sed & alias Amicitiæ divisiones expendamus.

(*a*) Hinc liquet divisionem Boni in *Honestum, Utile* & *Iucundum*, non esse divisionem generis in species, quia species oppositæ nunquam possunt prædicari de eodem: sed bonum honestum, utile & jucundum dicuntur de eadem virtute pro diverso respectu; ideoque hæc divisio boni, est divisio subjecti per adjuncta.

VIII. *Amicitia* est vel *æqualis* vel *inæqualis: illa* colitur inter æquales, v. c. inter duos Senatores, Collegas, servos, aut quoscunque in eodem officio & dignitate constitutos: *hæc* coli-

colitur inter inæquales; vel *ætate*, uti inter juvenem & senem, vel *dignitate*, uti inter herum & servum, Magistratum & subditum: estque vel *privata* vel *publica*: *Privata*, quæ inter homines privatam vitam viventes colitur: estque vel *consuetudinaria*, quæ inter duos privatos, sed potentia, ætate, donis, vitæ conditione, dispares initur: vel *consanguinea*, quæ est, vel *patria*, intet parentes & liberos, vel *fraterna*, inter fratres & sorores, vel *conjugalis*, inter maritum & uxorem: *publica*, quæ inter personas colitur publicas, estque, vel *Ecclesiastica*, inter concionatores & auditores; vel *Politica*, inter Magistratum & subditos: atque hæc, vel *sagata*, inter duces & milites, vel *togata*, inter senatores & cives, &c.

IX. Extat & alia *Amicitiæ* divisio apud *Aristotelem l. 9. Eth.* Quædam Amicitiæ sunt ὁμογδεῖς, *homogeneæ*, in quibus utrobique eædem sunt amoris causæ: ut si uterque amet alterum propter virtutem, aut utilitatem, aut voluptatem mutuam: ita Theologus Theologum, Philosophus Philosophum, miles militem, mercator mercatorem, amat propter eorundem studiorum similitudinem: Quædam sunt ἀνομογδεῖς, *heterogeneæ*: ut si alter propter voluptatem, alter propter utilitatem bene amico velit: sed in *causas* Amicitiæ penitius inquirere operæ fuerit pretium.

X. *Causæ* sunt Amicitiæ, vel *procreantes*, vel *conservantes*, vel *finales*. *Efficiens*, est vel *prima*, *Deus*, qui hominem condidit animal sociale, & ad amicitias colendas propensum: vel *secunda*, quæ vel *remota est*, vel *occasionalis*, vel *propinqua*: *remota est*, natura, dum fundamenta amicitiæ suppeditat, inclinationem, amorem, similitudinem morum, vitæ, actorum ac factorum: & est hominibus quædam quasi innata ad amicitiam propensio: *occasionalis*, *procatarctica* aliis, est indigentia, qua ad usus nostros amicis indigemus, eosque quærimus: propinqua, est vel *generalis*, vel *specialis*: *generalis*, est æqualitas & similitudo, sive vitæ, sive morum, sive ætatis, sive muneris, sive studiorum: est enim amicitia istic, ubi aliqua est æqualitas: (*a*) in amicitia æqualium est *æqualitas* κατὰ τὸ πόσον, *numeri*: in amicitia inæqualium est *æqualitas* κατ' ἀξίαν, *dignitatis*, cum animi utrimque convenientia & accipiunt & reddunt. In amicitia æqualium est *æqualitas Arithmetica*, quia officiorum utrinque & vitæ conditionis est paritas. In amicitia inæqualium est *æqualitas Geometrica*, quia in statuum disparitate quæritur ibi æqualitas in proportione rationum, quæ consistit in eo, ut convenienti officiorum proportione, personarum compensetur inæqualitas: sic cum parentes liberis victum suppeditant, illi id compensant parentibus obsequium præstando: cum Magistratus subdito benefacit, ille cultu & veneratione respondet benefacto, &c. *Specialis causa* amicitiæ *procreans* est, tum conversatio ac consuetudo, qua alterius mores explorantur, tum admiratio virtutis in altero, tum actus officii & beneficii præstitus, tum cognatio & affinitas, tum nostra utilitas aut voluptas, &c. *Causæ conservantes* sunt, convictus, familiaritas, beneficia, & officia mutuo exhibita. *Finales causæ* sunt, gloria Dei, felicitas civilis, nostra & amici salus, &c.

(*a*) Æqualitas numeri dicitur in amicitia, cum inter duos amicos æquales æqualia omnimodo beneficia conferuntur mutuo, unde hic dicitur servari proportio Arithmetica: Æqualitas dignitatis, cum inter amicos inæquales, seu ætate, seu dignitate, beneficia conferuntur mutuo, non æque semper magna, digna, aut præstantia, sed servatur tantum proportio Geometrica, qua officium redditur pro officio, minus interdum pro majori, quod tamen ad majus aliquam dicit proportionem, quia Persona reddens est minor accipiente.

XI. *Effecta* Amicitiæ, seu *adjuncta*, seu *officia*, sunt *amare & benefacere*. *Amandus* est amicus *sincere*, *impense*, *constanter*: *sincerè*, ne amor in ore aut lingua natet, sed in corde & opere habitet: *impense*, quia ames eum necesse est sicuti te ipsum; at teipsum maximè amas: *constanter*, ne quovis vento excutiatur aut levi de causâ dissolvatur amicitia. Ama tanquam nunquam osurus. *Benefaciendum* quoque est Amico, quo factis constet ipsi de nostro affectu & benevolentia.

XII. Amicitiæ *oppositæ* sunt vel *contrariæ* vel *privativæ*. *Contrariæ*, sunt omnes res amicitiæ

citiæ advetsantes; quæ cum plures sunt; vel *directe* naturam amicitiæ dissolvunt vel *consequenter*. *Priori modo* id facit, inæqualitas morum, studii, animique disparitas, &c. Cum sc. alter quidem amat, sed non redamatur ab altero: sic in specie, dissolvitur amicitia utilis & jucunda, cum non est par voluptatis retributio, & officii non æqualis redditio; & honesta, cum non est æqualitas virtutis: cum alter virtutem extollit, quam alter imminuit: *posteriori modo* ac *consequenter* amicitiam dissolvunt, dignitatis variatio, locorum distantia, diuturna absentia, vitia naturæ, ut surditas, cæcitas, & moralia, ut superbia, dissimulatio, adulatio, contentio, querelæ, criminatio, vituperium, suspicio, mendacia, &c. (a) *Privative oppositæ* Amicitiæ sunt, quæ amicitiam ad extrema vel *in excessu* vel *in defectu* deflectere faciunt, & eam privant sua rectitudine. *Excessus* est nimium amicitiæ studium, πολυφιλία, cum passim obvii in amicos & valde multi in amicos recipiuntur. *Defectus*, ἀφιλία, cum reipsa omnes amici insuper habentur. Sed quæ de *Amicitia* ulterius disputari possunt, exhibent, quæ subjunguntur.

(a) Quamvis in amicitia detur excessus, & defectus, & sua quædam etiam mediocritas, non tamen ideo est virtus, quia hæc tria cadunt quoque in affectus; at affectus quoque virtutes non sunt.

ANNEXA.

1. *An vir bonus seipsum magis quam alium amare debeat? Aff.*

2. *An aliquando veritatem Amici causa deserere liceat? Neg.*

3. *An vitam Amici nostra præferre & pro salute ejus certam mortem eligere debeamus? Neg.*

4. *An benefactores impensius ament beneficiarios? Aff.*

5. *An in omni fortuna opus sit Amicis? Aff.*

6. *An in prospera vel adversa fortuna magis egeamus Amicis? Dist.*

7. *An Amicitia sit præferenda cognationi sanguinis? Dist.*

8. *An Amicus Amico dona maxima optare, &, si possit, procurare debeat? Aff.*

9. *An Amicitia vera ac perfecta sit obnoxia calumniis, & injuriis, & querelis? Neg.*

10. *An amicitia vera ac perfecta possit esse inter malos? Neg.*

FINIS.